R
h: 17.

~~30 h5~~

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BULLARIUM ORDINIS FF. PRÆDICATORUM,

SUB AUSPICIIS

SS. D. N. D.

CLEMENTIS XII.

PONTIFICIS MAXIMI,

OPERA

REVERENDISSIMI PATRIS

F. THOMÆ RIPOLL,

MAGISTRI GENERALIS,

EDITUM,

Et ad autographam fidem recognitum, variis Appendicibus, Notis, Diſſertationibus, ac Tractatu de Conſenſu Bullarum, illuſtratum

A P. F. ANTONINO BREMOND, S. T. M.

PROVINCIÆ TOLOSANÆ ORDINIS MEMORATI ALUMNO,

THEOLOGO COLLEGII CASANATENSIS.

TOMUS SEXTUS

Ab Anno 1621 ad Annum 1735.



ROMÆ MDCCXXXV.

Ex Typographia Hieronymi Mainardi

SUPERIORUM PERMISSU.

SANCTISSIMO

D. N. D.

CLEMENTI XII

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO,

FR. THOMAS RIPOLL,

Totius Ordinis FF. Prædicatorum

GENERALIS MAGISTER.

Q*VO majora ſunt*, Beatiſſime Pater, *immortalia beneficia, quibus* Sanctitas Tua *Fratrum Prædicatorum familiam, benevolentia ſingulari, ſæpius ornat, eo fre-*

frequentius venio, gratias acturus, &, ut Hieronymus *excuſabat ſe* Damaſo *Deceſſori tuo,*
Epiſt. 57. *ſic ego Tuæ Beatitudini:* Quanquàm Tuí me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. *Ut enim cetera ſilentio prætermittam cedro digna Diplomata, quibus nos,* Sanctiſſime Pater, *locupletaſti, quæque, ut erat in votis, ſub auguſtiſſimo nomine* Sanctitatis Tuæ *hoc in Volumine publici juris fiunt,* invitat *aurea Conſtitutio, qua,* Florentiæ *decus, ac ornamentum, Sacratiſſima Virgo* Catharina de Ricciis *in numerum Beatarum refertur. Quam lætus, Urbe tota plaudente, Catholicus*
Conſtit. XIV. *Orbis audivit hæc fauſtiſſima verba:* Indulgemus, ut eadem Serva Dei Catharina de Ricciis in poſterum Beatæ nomine nuncupetur, ejuſque corpus, & reliquiæ venerationi fidelium ..... exponantur, Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, ac de ea ſub ritu duplici recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Virgine non Martyre ſingulis annis ..... die XIII Februarii. *Quanto tunc gaudio fruebar ego, qui ab annis triginta in ejuſdem Virginis cultu promovendo deſudaveram. Sed & Sanctitas Tua,* Beatiſſime Pater, *quantam percipiebat animi voluptatem, cum, Divino plane*

con-

conſilio, factum videret, ut his potiſſimum temporibus hæc Sanctiſſima Virgo ſacris Altaribus admoveretur. Qua tempeſtate Matrem Eccleſiam omni maledictorum genere lacerabant hæretici, ipſam Deus Optimus Maximus ſuſcitaverat olim, ut ad refellendas illas calumnias evidens, ac ipſis prorſus oculis patens, eſſet argumentum: eam innumeris cœleſtibus donis inſignem, hiſce diebus inter Beatas relatam voluit Deus Omnipotens, cum tot improbi, quibus ſola terrena ſapiunt, impares omnino ad res ſpirituales percipiendas, quæ Dei ſunt, Cœli munera, majori audacia, contemtui, ac ludibrio habent. Quod ad eorum inſaniam redarguendam luculentius argumentum, quam hujuſce Virginis vita?

Invitat *alia Conſtitutio cujus ſingula verba dici poſſunt oracula. Quis tam temperans gaudii, feræque lætitiæ fuit, quin exultaret hæc audiens:* Verbo Dei ſcripto, & tradito innixam ſcientiam, res divinas, & mores, chriſtiano homine dignos, ad rectam Eccleſiæ miniſtrorum inſtitutionem, & ſalutem animarum, ſolide pertractantem, ejuſque Doctores, ac Magiſtros, pietate venerabiles, commendari tunc maxime convenit, cum, ingruente falſorum dogma- Conſtit. XXII.

tum

tum illuvie, Fides Catholica, & chriſtiani mores, ſupremæ curæ noſtræ commiſſi, periclitantur. *Iſtud vero quam inſigne, quod ſequitur*: Quo loco Deceſſores noſtri Romani Pontifices Sanctum Chriſti Confeſſorem Thomam Aquinatem, Ordinis Prædicatorum, & Eccleſiæ Doctorem, honoris cauſa Angelici cognomento appellatum, ſemper habuerunt: eum propterea juſtis laudibus in ſuis Diplomatibus proſequuti. *Hinc eorundem Summorum Pontificum ſeries quam recenſet* Sanctitas Tua. *Eos inter laudat* Alexandrum IV *qui* Thomam, *adhuc viventem, per Dei gratiam theſaurum literalis ſcientiæ adeptum pronunciavit, alioſque nonnullos Romanos Pontifices, in ejuſdem Alexandri IV veſtigia ſubinde incurrentes, Johannem XXII, Clementem VI, Urbanum V, Nicolaum V, Pium IV, Sanctum Pium V, Sixtum V, Clementem VIII, Paulum V, Alexandrum VII, Innocentium XII, & Benedictum XIII, qui omnes, uno eum ore adprobantes, in ſacris Eccleſiæ faſtis juxta, ac magnos Eccleſiæ Doctores, Gregorium, Ambroſium, Auguſtinum, & Hieronymum, Thomam quoque, ut vitæ probitate, & ſanctioris Theologiæ ſcientia venerabilem, miraque eruditione Eccleſiam Dei*

cla-

clarificantem, ac ſancta operatione fœcundantem, coli voluerunt.

His utique, Beatiſſime Pater, *doctrinam, conſtanti Summorum Pontificum teſtimonio commendatam populis orthodoxis, illuſtras, dum mederis erroribus. At quem honorem dicendi Magiſtris? Quam dignitatem ſapientiæ Doctoribus habes inſuper, dicens:* Itaque tanti viri doctrinam, in Conciliis etiam œcumenicis celebratam, debitis præconiis, rei publicæ cauſa, Nos quoque ornare cupientes &c. *Ornaſti. Nec ulla intercipiet oblivio, ſed monumentis æternæ laudis diſcet ſera poſteritas, quantum tibi debeat Thomiſtica ſchola.*

Vigebit etiam memoria ſeculorum omnium, quam ſimus obſtricti vigilantiſſimo Protectori noſtro, ſpectatiſſimæ virtutis Eminentiſſimo S. R. E. Cardinali Nereo Corſino, qui, cum nihil præter verum decus, veramque gloriam cogitet, ea de cauſa ſubmiſſas preces obtulit Sanctitati Tuæ. Hujuſmodi precibus, pietate, ac juſtitia ſubnixis, *annuiſti Beatiſſime Pater, &, ut metiris omnia dignitate tua*, ad amplificandum ſub tanto Magiſtro, *Thoma Aquinate*, probæ, incorruptæque doctrinæ ſtudium inter juvenes, Divino famu-

mulatui per ſacratiores diſciplinas addictos ..... in quibuſcunque gymnaſiis, ſcholis, ſtudiis, & Collegiis Ordinis Fratrum Prædicatorum ..... Decernimus, *inquis*, pro externis quibuſcunque ſecularibus, in iiſdem gymnaſiis theologicæ facultati toto triennio abſolutam operam dantibus, omnia, & ſingula Apoſtolica privilegia ..... ut poſt præmiſſum diligens probationis examen, Laurea Doctoralis, ſeu Magiſtralis, Præſentatura, Licentia, Baccalaureatus, atque alii gradus conſueti in ſacra Theologia, libere, & licite conferantur &c. *Quid magnificentius? Quid gravius? Quid ſplendidius pro ſchola noſtra decerni poterat? Eant in ſecula tot illa præclariſſima verba. Ipſa referat honor æternus Annalium, & de Sanctitate Tua*, Beatiſſime Pater, *omnes certatim dicant, quod olim celebris Orator Romanus aſſerebat de optimo Principe:* ſub Te ſpiritum, & ſanguinem (*addebat Plinius, quod non auſim ego*, & patriam) ſtudia receperunt.

Plinius in Panegyrico Trajano dicto.

XXIII. Invitat *& alia Conſtitutio, qua gaudia renovaſti*, Beatiſſime Pater, *redintegraſti lætitiam, nullamque requiem gratulationis datam nuper vidimus. Laudes, quibus Sanctorum*

Pa-

Patrum Auguſtini, & Thomæ Aquinatis *doctrina celebratur, confirmat: Ne quis eandem calumnietur, cavet: ſcholarum Catholicarum paci conſulit.*

Quid præſtantius? Quid uberius? Quid illuſtrius verbis iſtis gratisſimis dici potuit? Laudes Tomiſticæ ſcholæ delatas iterato noſtro judicio comprobamus, & confirmamus: *Quam multa paucisſimis iſtis dixiſti* Beatiſſime Pater? *Hoc uno ſcholam Thomiſticam cumulaſti tot innumeris illis laudum ornamentis amplisſimis, quibus illam Summi Pontifices toties illuſtrarunt. Sit hoc felicitatis noſtræ. Cum tot illi Deceſſores Sanctitatis Tuæ ſumma voluntate, ae ſingulari ſtudio laudes ſcholæ Thomiſticæ magnificentisſime ſæpius proſequuti ſunt, ipſos omnes hoc uno verbo* CONFIRMAMUS *aſſequutus es. Faxit Deus Optimus Maximus, auctor omnis ſalutis, ut* Sanctitatem Tuam *Eccleſiæ ſuæ, literis, & Orbi, diu ſoſpitem, & incolumem ſervet.*

APPROBATIO.

INclinante licet re diplomatica Ordinis Auctor eximius in paucis illis, quæ ad illuſtranda Apoſtolica Oracula noviſſimis hiſque clariſſimis temporibus data conducere poterant, ſemper ſibi ſimili chriſtianæ eruditionis greſſu procedens, exhibet Bullarii Tomum cum ea inſcriptione -- *Bullarium Ordinis FF. Prædicatorum, ſub auſpiciis SS. D. N. D. CLEMENTIS XII, Opera Reverendiſſimi Fr. Thomæ Ripoll Magiſtri Generalis editum, & ad autographam fidem recognitum, variis Appendicibus, Notis, Diſſertationibus, ac Tractatu de Conſenſu Bullarum, illuſtratum a P. Fr. Antonino Bremond, S. T. M., Provinciæ Toloſanæ Ordinis memorati alumno, ac ejuſdem Reverendiſſimi P. Generalis Socio pro Galliarum Regno: Tomus VI ab an.* 1621 *ad an.* 1735. Eapropter quum, juſſus per eundem Reverendiſſimum Ordinis Magiſtrum, nihil in eorundem lectione conſpexerim, quod Lectori offenſioni eſſe poſſit contra Catholicam Fidem, aut mores catholicorum, digna cenſeo quæ typis edantur. Ita ſentio, ſalvo &c. Romæ in Conventu ad S. Mariam ſupra Minervam die 29 Decembris 1734.

Fr. Johannes Dominicus de Agnanis, Ordinis Præd., S.T.M., Bibliothecarius Caſanatenſis, ac Sacræ Congregationis Indicis Conſultor.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanen. Viceſgerens.

APPROBATIO.

BUllarium inclyti Prædicatorum Ordinis, demandante Reverendiſſimo Patre Fr. Jo: Benedicto Zuanelli Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro, debita Summorum Pontificum Oraculis cum veneratione legi: doctaſque Notas, & luculentas Diſsertationes, quibus illud accurate illuſtravit, atque auxit Admodum Reverendus Pater Fr. Antoninus Bremond ejuſdem Ordinis Sac. Theologiæ Magiſter, non ſine ingenti animi mei voluptate percurri. In his enim, non modo ſolida eruditio, verum etiam eximia pietas Auctoris mirifice elucet; adeo ut nihil, quod ab orthodoxæ Fidei Dogmatibus, aut caſtæ Ethices regulis, vel minimum diſcrepet, in ipſis deprehendere potuerim. Quamobrem egregium hoc Opus, atque omni ex parte, mea quidem ſententia, abſolutum, typis mandari poſse cenſeo.

Tibure die 18 Julii 1729.

Fr. Placidus indignus Caſæ-Marii Abbas Epiſcopus Tiburtinus.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

BUL-

BULLARIUM
ORDINIS FF. PRÆDICATORUM.

GREGORIUS XV.

Alexander de Ludoviſiis, Bononienſis, electus (*a*) eſt die IX Februarii MDCXXI. Coronatus (*b*) fuit die XIV ejuſdem Menſis. Obiit (*c*) die VIII Julii MDCXXIII. Sedit Annos II, Menſes IV, Dies XXIX.

(a) *O'doinus in Additionibus ad Ciaconium.* (b) Idem. (c) Idem.

Quæ pro Confraternitate SS. Roſarii in Neapolitano Cœnobio S. Petri Martyris ſancita ſunt firmat. Anno 1621 Die 6 Julii.

Ex Archivo* (1) *Ordinis.

I.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario ven. fratris noſtri Archiepiſcopi Neapolitani in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DE paſtoralis officii noſtri debito his, quę pro regularium locorum, & Confraternitatum utilitate, & commodo inter Religioſas, aliaſque devotas perſonas, provide facta fuiſſe dicuntur, Apoſtolici muniminis firmitatem adjici, ac alias deſuper officii noſtri partes favorabiliter interponi mandamus, prout locorum, & perſonarum qualitatibus debite penſatis conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exordium. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum Prioris, & Fratrum domus regularis S. Petri Martyris Neapolitani Ordinis Fratrum Prędicatorum S. Dominici, ac Theſaurariorum, necnon Decurionum, & Confratrum Confraternitatis in clauſtro dictę domus ſub invocatione Sanctiſſimi Roſarii canonice inſtitutę, petitio continebat, Diplomatis cauſa. quod alias tunc exiſtentes Prior, & Fratres domus hujuſmodi ad ſonum campanellę, ut moris eſt, unanimiter ad infraſcripta peragenda coadunati, & congregati, certiſque rationalibus cauſis, animos eorum moventibus, adducti, uſum loci Capituli nuncupati, in quo divina officia quotidie celebrare ſolent, eiſdem Theſaurariis, Decurionibus, & Confratribus prædictis, ad effectum inibi Pſalterium, ſive Roſarium Beatę Marię Virginis certis cujuslibet hebdomadę diebus, & horis recitandi in hunc, qui ſequitur, modum, videlicet quod quotieſcunque prędicti Confratres Pſalterium, ſive Roſarium inibi recitabunt, Prior ultimo dictę domus pro tempore exiſtens, aut ab eo deputandus, qui Litanias ejuſdem Beatę Marię cantabit, puncta meditationis proponet, ac orationem, donec quinque Poſtę, ut dicitur, videlicet tertia pars Roſarii, recitatę fuerint, debet aſſiſtere, illiſque finitis, Miſſam intuitu dictorum Confratrum ter in hebdomada, in diebus Jovis, Martis, & Sabbati, celebrare debeat, & poſt primam horam diei, iidem Confratres in dicto loco nec jus, nec auctoritatem habeant, reliqui vero tres dies hujuſmodi hebdomadę ſint, & eſſe intelligantur eorundem Prioris, & Fratrum, unico duntaxat excepto inter eos convento, ſeu conveniendo, quo inſimul ſe ſe congregare, ac officium defunctorum pro animabus Confratrum dictę Confraternitatis pro tempore morientium, necnon aliis duobus diebus cujuslibet anni, uno videlicet ſecunda Dominica Octobris, aliiſque Lunę, & Martis diebus baccanalium occaſione quadraginta horarum in prędicta Eccleſia apponendarum, ante cujus principium ipſi Confratres Campanam majorem decem, vel duodecim ictibus continuis pro qualibet vice ad effectum Confratres ejuſdem Confraternitatis convocandi pulſare debeant, ... poſſint, ac ipſi Prior, & Fratres quatuor Miſſas cum totidem anniverſariis, & libera me Domine de morte ęterna, in dicta Eccleſia pro refrigerio ſalutis animarum Confratrum defunctorum prędictorum decantare, Theſaurarii vero, & Decuriones, ac Confratres prędicti tam occaſione conceſſionis uſus loci, quam Miſſarum, necnon anniverſariorum celebrandorum hujuſmodi ſexaginta quatuor ducatos monetę Regni Neapolitani modernis, ac pro tempore exiſtentibus Priori, & Fratribus prędictis quotannis, in quatuor paghis videlicet de trimeſtri in trimeſtre a Menſe Januarii anni Domini milleſimi ſexcenteſimi decimi noni inchoando certis tunc expreſſis modo, & forma in perpetuum perſolvere, ac ipſi Prior, & Fratres, donec iidem Confratres paramenta ad ornatum Altaris Sanctiſſimi Roſarii hujuſmodi neceſſaria comparaverint, illa eis mutuo dare. Si vero Confratres prędicti a ſolutione ſexaginta quatuor ducatorum hujuſmodi per annum defecerint, tunc idem Prior, & Fratres contra bona ejuſdem Confraternitatis via juris, ac aliter, omni meliori modo procedere, ac omnia illius paramenta, & bona ex pacto ſpeciali, & expreſſo, necnon omnes eleemoſynę eidem Confraternitati ad effectum celebrandi Miſſas relictę, integraliter ad favorem, & commoditatem dictę domus Regularis, donationes vero, & legata, & pro-

promiſſiones dictę Confraternitati pro tempore faciendę, in utilitatem ejuſdem Confraternitatis cedant; & cedere cenſeantur, ac demptis expenſis in illorum recuperatione, & exactione faciendis, Prior, & Fratres quartam illorum partem conſequantur, Decuriones vero, & Theſaurarii prędicti, qui pro tempore erunt, reſiduum, quod ſupererit, omneſque alias pecuniarum ſummas, ad quarum ſolutionem quolibet menſe; ſuper taxas inter eos faciendas, ſe ſe obligabunt, aut eorum majorem partem, ad eorum libitum, de voto tamen; & conſilio Fratrum dictę domus, qui curam ipſius Confraternitatis pro tempore gerent, & in ejuſdem Confraternitatis, Confratrum, aliorumque pauperum dictę Confraternitati vicinorum beneficium convertere valeant; non poſſint tamen ſtatuta, & Capitula prędictę Confraternitatis condere, minuſque eleemoſynas pro maritandis pauperibus puellis deſtinandas, abſque licentia dicti Prioris, ſeu deputandis pauperibus ſemper pręferendo pauperes parentes, & conſanguineos, ac affines Confratrum dictę Confraternitatis diſtribuere, & ſi inter ſe diſcordes, aut votorum pares fuerint, tunc Prior, ſeu deputandus prędictus votum parti, quam elegerit, dare poſſit, Prior autem, & Fratres, Decurionibus, & Theſaurariis, ac Confratribus hujuſmodi nunc, & pro tempore exiſtentibus, quandam Capellam una cum ſepultura a latere ſiniſtro majoris Altaris Eccleſię dictę domus regularis ſiti, ad effectum illam ejuſdem Confraternitatis expenſis, picturis, & ornamentis decorandi, ac eandem ſepulturam lapidibus marmoreis ornandi, de ſuiſque neceſſariis manutenendi, certis, & tunc expreſſis modo, & forma in infinitum, & in perpetuum concedere, & aſſignare, Theſaurarii vero, & Decuriones, aut Confratres, occaſione poſterioris conceſſionis hujuſmodi eiſdem Priori, & Fratribus trecentos, & quinquaginta ducatos monetę prędictę in ipſius Eccleſię fabricam, aut in alios uſus Superioribus dicti Ordinis bene viſos convertendos, unica duntaxat vice, prout jam forſan effectualiter, perſolverunt, & exburſarunt, perſolvere, & exburſare, ac in Capella Miſſas celebrare, ſeu celebrari facere, & in ea capſam pro conſervandis eleemoſynis a Chriſti fidelibus dictę Confraternitati pro tempore elargiendis, & erogandis, de licentia tamen Ordinarii ponere, & tenere, necnon in ſepultura corpora Confratrum hujuſmodi pro tempore morientium, abſque aliquo ſtipendio, aut aliqua alia pecuniarum ſolutione, ſine tamen Parochi, & jurium Parochialium pręjudicio ſepelire, dictamque ſepulturam quoties eis videbitur, evacuare poſſint, necnon Prior, & Fratres corpora prędicta ad ſepulturam eccleſiaſticam quotieſcunque requiſiti fuerint, data tamen eis eleemoſyna pro candelis dari ſolita, aſſociare, ipſi quoque etiam requiſiti unum ex dictę domus Fratribus ad effectum infirmorum dictę Confraternitatis Confratrum Confeſſiones, dummodo tamen ad id ab eodem Ordinario approbatus fuerit, audiendi, & apud eos per aliquod temporis ſpatium remanendi, eoſque conſolandi mittere teneantur; Decuriones vero, & Theſaurarii, ac Confratres prędicti ſcholam, ſuper parte poſteriori ſacriſtię, ejuſdem Eccleſię, ac Cathedram pro Magiſtro lectore, qui ſumptibus ipſius Confraternitatis legere, necnon ſedilia pro auditoribus, & cameram, quę pro ſacriſtia dictę Confraternitatis inſervire debeat, ſumptibus, & expenſis ipſius Confraternitatis fabricari facere, necnon intus locum hujuſmodi januam abſque aliqua recognitione ejuſdem Fratribus propterea facienda, aperire, & quoties ad recitandum Pſalterium, ſive Roſarium, locum hujuſmodi ingredientur per ſcalam Oratorii prędictę Confraternitatis ingredi, & egredi poſſint, & ſi aliquando per januam dicti loci intrabunt, & exibunt, id non ex obligatione, ſed ex mera voluntate Prioris, & Fratrum prędictorum factum eſſe ſciant, ac in omnibus actionibus per eos in dicta Congregatione pro tempore faciendis dictus Prior, ſeu deputandus intervenire, & quę in ea proponenda erunt, illa proponere, ac in omnibus primus votum ſuum dare debeat. Si vero Decuriones, & Theſaurarii, ac Confratres prędicti aliquid in dicta Congregatione, quod non ſit confirmatum ab eodem Priore, ſeu deputando decreverint id omne nullius ſit roboris, vel momenti. Occurrente vero occaſione novi Provincialis Ordinis, aut Prioris domus regularis hujuſmodi, ſeu obitu alicujus ex dictis Fratribus, iidem Confratres prędictum Roſarium uno die ante hujuſmodi electionem, recitare teneantur, nec ſupradicti Fratres in hujuſmodi electione impediantur, nec corpus Fratris demortui prędicti e Capitulo, donec illud ſepulturę eccleſiaſticę, ut convenit, tradatur, amovere queant, ſub noſtro, & Sedis Apoſtolicę beneplacito ſumptibus ipſius Confraternitatis impetrando, conceſſerunt, prout in ſcripturis deſuper confectis plenius dicitur contineri.

Confirmatio. Quare pro parte eorundem modernorum Prioris, ac Confratrum, aſſerentium conceſſionem hujuſmodi in augmentum cultus divini tendere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus illam pro ejus ſubſiſtentia inviolabili approbare, & confirmare, ac alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur certam de pręmiſſis hujuſmodi notitiam non habentes, ipſoſque modernos Priorem, & Theſaurarios, ac Decuriones, eorumque, ac domus regularis, & Confraternitatis hujuſmodi ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, necnon earundem ſcripturarum tenores cum inde ſequutis quibuſcunque pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę, de qua in his ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus conſtito tibi legitime de pręmiſſis conceſſionem, & ſcripturas deſuper confectas prędictas, necnon omnia in eis contenta quęcunque, auctoritate noſtra perpetuo, dummodo tamen propter pręmiſſa divinus cultus in Eccleſia dictę domus nullatenus minuatur, nec interrumpatur, approbes, & confirmes, illiſque perpetuę, & inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicias, necnon omnes, & ſingulos defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſuppleas, ac modernos, & pro tempore exiſtentes (2) Decuriones, Theſaurarios, etiam Ordinario loci, vel Generali, ſeu Provinciali, aut Priore domus hujuſmodi quomodolibet moleſtari, perturbari, impediri, aut inquietari, nullatenus unquam poſſe, conceſſionemque hujuſmodi ſemper, & perpetuo validam, & efficacem eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac tam a modernis, quam pro

pro tempore exiſtentibus Generali, Provinciali Ordinis, ac Priore, Fratribuſque, Decurionibus, Theſaurariis, & Confratribus prędictis, quam quibuſvis aliis ad quos nunc ſpectat, & ſpectare poterit quomodolibet in futurum, perpetuo, firmiter, & inviolabiliter obſervari, & adimpleri, nec ab illa unquam reſiliri, vel recedi poſſe, ſicque per quoſcunque judices, & commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, etiam de latere Legatos, & vice Legatos, dictęque Sedis Nuncios, judicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, dicta auctoritate noſtra decernas. Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Vigeſimo Primo, Pridie Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Neapoli* aſſervato.

2. *Exiſtentes.*) Aliquid deeſt.

Anno 1621 Die 17 Auguſti.
II.

Quonam modo nova Cœnobia ſint conſtituenda (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CUm alias felicis recordationis Clemens Papa VIII decreverit, Ordinarios locorum licentiam ad novos Conventus cujuſcunque, prę ſertim Mendicantium, Ordinis in civitatibus, & locis eorum ordinarię juriſdictioni ſubjectis erigendos impartiri non poſſe, niſi vocatis, & auditis aliorum in eiſdem civitatibus, & locis exiſtentium Conventuum Prioribus, ſeu procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus, & cauſa ſervatis ſervandis cognita in eiſdem civitatibus, & locis, novos hujuſmodi erigendos Conventus ſine aliorum detrimento commode ſuſtentari poſſe conſtiterit. Si vero ab eorum ſententiis ad Sedem Apoſtolicam provocari, & appellari contigerit, ipſos Ordinarios tandiu erectionem novorum Conventuum ſuſpendere debere, quandiu a dicta Sede in ea cauſa pronunciatum extiterit, ac alias prout in Decreto hujuſmodi plenius continetur. Verum per pię memorię Paulum Papam Quintum accepto, pleroſque ex Ordinariis prędictis favore, vel nimia expoſcentium importunitate ad novos Conventus, ſeu Domus, pręter, & contra tenorem prędicti Decreti erigendos plerumque adduci, quo fit, ut non habita debita eleemoſynarum, ſeu redditruum cujuſcunque Monaſterii, Conventus, ſeu Domus ratione, Monachi, ſeu Fratres, aut Religioſi ibi degentes, manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur, ut cultus Divinus in eorum Eccleſiis deſtituatur, ibique regularis diſciplina, ut convenit, conſervari non valeat, Sacra Congregatio Illuſtriſſimorum DD. Cardinalium negotiis Regularium prępoſitorum, ad quos idem Paulus Papa Quintus negotium hujuſmodi rejecerat, tot incommodis obviam ire, eiſque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, Decreti hujuſmodi veriores, ac totos tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pro plene, & ſufficienter expreſſis habens, vivę vocis oraculo a S. D. N. Gregorio Papa XV habito, Decretum prędictum, quatenus opus ſit, innovat, & in uſum reducit. Volens, quod de cetero Monaſteriorum, Conventus, Domus, Congregatio, vel ſocietas Religioſorum, ſeu Regularium cujuſcunque etiam Mendicantium Ordinis, ſocietatis, & inſtituti quocunque nomine nuncupentur, etiam ſi de illis particularis, expreſſa, & ſpecifica mentio habenda eſſet, in quacunque civitate, vel oppido, ſeu quocunque alio loco non erigantur, niſi in eo ſaltem duodecim Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi inhabitare, ac ex reditibus, & ex conſuetis eleemoſynis ſuſtentari valeant, ac Priores, ſeu Procuratores aliorum Monaſteriorum, Conventuum, ſeu Domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut ſocietatum, ſeu inſtitutorum hujuſmodi, non ſolum in prędictis, ſed etiam in aliis per quatuor millia paſſuum circumvicinis locis ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni conſenſerint, vel alias Ordinariis locorum conſtiterit, Religioſos Monaſterii, Conventus, ſeu Domus regularis ſic erigendi, ſeu erigendę, abſque detrimento Religioſorum in Monaſteriis, ſeu Domibus antea in civitatibus, ſeu locis hujuſmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commode, & congrue manuteneri, & ali poſſe. Si vero novi Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas hujuſmodi inſtituendę erunt, nullique alii Regulares inibi reperiantur, Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum Incolę, & habitatores, quorum & conſenſum requirant, ac adhibeant, hujuſmodi duodecim Religioſos in Conventibus, ut prę mittitur, inſtituendis commode alere, & manutenere valeant. Si vero a Decreto, ſeu Decretis per Ordinarios prędictos in cauſis hujuſmodi ferendis legitime appellari contigerit, ex nunc prout ex ea die, qua appellatio interponetur, ad eandem Sacram Congregationem una cum toto negotio principali devoluta cenſeatur, appellationeque hujuſmodi pendente, nihil innovandum eſſe, irritumque & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernens, quibuſcunque in contrarium facien. non obſtantibus. Romę XVII Auguſti MDCXXI.

Ant. Card. Saulius.

N. Zambeccarius Secret.

1. *Conſtituenda.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar impreſſum *Romæ* typis Rev. Cameræ Apoſtolicæ *MDCXXI.* In *Bullario Romano* eſt *XXXI.*

Anno 1621 Die 27 Auguſti.

III.

Ut Novicii Provinciæ Lombardiæ duntaxat admittantur in numerum Fratrum Neapolitani Conventus (1) S. Catharinæ de Formello.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus S. Catharinę de Formello nuncupatę Neapolitan. Ordinis Fratrum Prędicatorum.

GREGORIUS PP. XV.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis zelus, vitę ac morum, honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita ſuper quibus apud nos fide digno commendamini teſtimonio, Nos inducunt, ut votis veſtris, quantum cum Domino poſſumus, libenter annuamus. Itaque vos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, ac veſtrum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtitis, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus veſtro nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium Prępoſitorum conſilio, vobis, ut de cetero alios novicios, quam Provincię Lombardię ad habitum per vos geſtari ſolitum admittere juxta veſtra privilegia minime teneamini, nec ad id a quoquam, quavis auctoritate fulgente, cogi, vel compelli, poſſitis, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes, pręſentes literas, validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, vobiſque in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque per quoſcunque judices, Ordinarios, vel delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, Domus, & Ordinis veſtrorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Auguſti MDCXXI, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Conventus.*) Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Neapolitano*.

Anno 1621 Die 16 Septembris.

IV.

Pampilonenſis (1) Univerſitatis fundatio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Cæleſtis Patris providentia ad ſummi Apoſtolatus apicem evecti tanquam de excelſo monte ad ima agri irrigui militantis Eccleſię noſtrum dirigentes intuitum, ac conſiderantes, quod per literarum ſtudia ad bene, beateque vivendum via prębetur, adeptaque ſcientiarum cognitione juſtitia colitur, ſuum cuique tribuitur, ac belli, & pacis tempore domi, foriſque, res ęquitate geruntur, ac omnis humanę conditionis proſperitas augetur, fides, atque Religio propagatur, & Divini nominis cultus protenditur, ad ea, per quę ſtudia ipſa florere valeant, libenter intendimus, & in his Apoſtolicę providentię partes conferimus, prout catholicorum Regum vota expoſcunt, & Nos, locorum, & temporum qualitatibus debite penſatis, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sane cariſſimus in Chriſto filius Noſter Philippus IV Hiſpaniarum Rex Catholicus, ſuo, & dilectorum filiorum Syndicorum, & deputatorum Regni Navarrę nominibus, Nobis nuper exponi fecit, quod cum aliquos jam ante annos, deputati, & Syndici dicti Regni Navarrę glorioſę memorię Principi Philippo III Hiſpaniarum Regi Catholico totius Regni nomine expoſuiſſent, quod licet Regnum illud florentiſſimum, illiuſque incolę in literarum ſtudia, & ſcientiarum cognitionem propenſiſſimi eſſent, quia tamen nullum in eo aderat ſtudium Generale, in quo ſcientiarum omnium lectiones haberentur, quamplurimi pręſtantiſſimorum ingeniorum adoleſcentes, pręcipue vero pauperes, & virorum tenuioris fortunę filii, guſtato humaniorum literarum, & diſciplinarum fructu, & de his jam benemeriti, ad graviora Philoſophię, Juriſprudentię, Theologię, & Medicinę ſtudia aſpirantes, deficientibus eis facultatibus, ad remotas Univerſitates, in quibus harum ſcientiarum doctrinę incumbitur, ſtudiis vacandi gratia ſe conferre non valentes, pedem ſiſtere, & in obſcuro, & tenebris jacere cogebantur, proindeque ab eodem Philippo III Rege in Civitate Pampilonę unam ſtudii Generalis Univerſitatem inſtitui, ſupplices petiiſſent, idem Philippus III Rex, etſi honorificis illis ſubditorum ſuorum votis, Regio animo gratulabatur, ſeque ea in re, quam & ipſe, pro eo quod Regna, & Dominia omnia temporali ſuo dominio, & gubernio ſumma cum poteſtate ſubjecta, eorumque incolas amore proſequebatur, ſummopere deſiderabat, facile exorari paſſurus eſſet, nihilominus tamen quia ad felicem hujus rei ſucceſſum, loci ſelectum non parum conducere arbitrabatur, ſuo tunc

tunc in dicto Regno Proregi, & Capitaneo generali, atque conſiliariis commiſit, ut cum aſſiſtentia ſui procuratoris Fiſcalis, & patrimonialis ejuſdem Regni, ad eum de loci opportunitate, aliiſque ad ſtatum Univerſitatis ſtabiliendum, requiſitis referrent; quorum relatione eum accepiſſet, Civitatem Pampilonen. utpote ampliſſimam, & in medio Regni ſitam, opportuniſſimum locum, ubi talis Univerſitas fundari poſſet, jamque pro illius fundatione tum ab univerſo Regno, tum a particularibus perſonis duodecim mille ducatos hujus fundationis principio inſervituros oblatos fuiſſe, & quondam Martinum de Abaurrea ſuo teſtamento conventui Fratrum Ordinis Sancti Dominici dictę Civitatis ſex mille ducatos ea conditione reliquiſſe, ut ſi in dicta Civitate Univerſitas inſtitueretur, duas Cathedras ſeu Lectiones, Artium nempe unam, & Theologię alteram, facere tenerentur, ipſamque civitatem eo opportuniorem eſſe, quod in ea jam adeſſet unum Collegium Religioſorum Societatis Jeſu, in quo iidem Religioſi pro laudabili eorum inſtituto, juventutem humaniores literas, & diſciplinas edocebant, a quingentis, & amplius ſcholaribus continuo frequentatum, atque relationi pręſenti Prorex, & Conſiliarii quędam Capitula, ſeu ſtatuta, & conſtitutiones ab eis exarata, quę in ipſo inſtitutionis dictę Univerſitatis primordio rerum, & temporum, atque etiam loci qualitatibus penſatis, proponenda, & obſervanda judicaverant, modum legendi, docendi, ſcholas frequentandi, gradus conferendi, & recipiendi, ſalaria, & jura ſolvendi, & alia felix regimen, & gubernium futurę Univerſitatis concernentia adjunxiſſent, illaque ad eundem Philippum III Regem tranſmiſiſſent, prędictus Philippus III Rex illis accurate perſpectis, & proinde conſideratis quantum ex literarum ſtudiis Catholica fides, tenebroſa ignorantię caligine expulſa, augeatur, divini numinis cultus protendatur, veritas agnoſcatur, juſtitia colatur, reliquęque virtutes illuſtrentur, ac bene beateque vivendi via paretur, ut prędicti ſui Regni adoleſcentes adepta humanarum literarum cognitione, ad excelſum doctrinę faſtigium aſpirantes, eo facilius illud attingere poſſent, quo pręſentiorem haberent ſtudendi commoditatem, prędictis deputatis, & Syndicis unam Univerſitatem ſtudii generalis, in quo Philoſophia, jus civile, & Canonicum, ac Medicina, & Theologia docerentur, & in qua Capitula, ſtatuta, & conſtitutiones antedicta, quę etiam ipſe confirmavit, obſervarentur, in dicta civitate inſtituendi facultatem conceſſit, ſeque, ac Succeſſores ſuos Hiſpaniarum Reges Catholicos illius patronos, & protectores conſtituit, illaque ſub ſua, & eorum regia protectione ſuſcepit, in illius vero Cancellarium Epiſcopum Pampilonen. tunc, & pro tempore exiſtentem deputavit, ipſique Univerſitati, illiuſque Cancellario, Lectoribus, Doctoribus, graduatis, ſcholaribus, miniſtris, & aliis perſonis, omnia privilegia, libertates, & exemptiones, immunitates, & gratias quibuſcunque Univerſitatibus ſtudiorum Generalium Regnorum Hiſpanię tam per ipſum, quam per ejus Prędeceſſores Reges conceſſa attribuit, cum hoc tamen quod Doctores, Lectores, graduati, ſcholares, miniſtri, & alię dictę Univerſitatis perſonę prętextu privilegiorum hujuſmodi, ſeu quia in ipſa Univerſitate matriculati eſſent, proprium forum, & eorum Judicum competentium juriſdictionem declinare non poterunt, ſed illis non obſtantibus, ſuis legitimis Superioribus, Clerici, & presbyteri nempe, Ordinario loci, & Eccleſiaſticis, laici vero ſecularibus, & laicis, judicibus ſubjecti remanerent, & alias prout in ejuſdem diplomate Regio plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Philippus IV Rex cui probe innoteſcit, quod Philippus III Rex ejus genitor non multo ab hinc tempore rebus humanis exemptus, prędictam Univerſitatem Apoſtolica auctoritate erigi deſiderabat, jamque deſuper felicis recordationis Paulo PP. V Prędeceſſori noſtro ſcripſerat, hujuſce cariſſimi ſui genitoris, qui & prędicto diplomate Regio, & ipſi ejus filio prędictam Univerſitatem commendavit, intentionis conſcius, & per ejus veſtigia incedere intendens, ut quod ipſe jam animo conceperat, & morte pręventus tempore ſuo aſſequi non potuerat, ipſo ejus filio quaſi in ipſo ſuſcepti hęreditariorum Regnorum, & Dominiorum gubernaculi principio procurante, noſtris auſpiciis ad effectum perducatur, plurimum cupiat, perpetuam Univerſitatem per Nos, ut infra erigi. Quare pro parte dicti Philippi IV Regis nominibus prędictis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, quibus nihil magis cordi eſt, quam ut temporibus noſtris literarum ſtudia floreſcant, prędictum Philippum Quartum Regem, & dictorum Syndicorum, & deputatorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ex voto Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, in prędicta Civitate Pampilonen. Univerſitatem ſtudii Generalis, in qua Philoſophia, Medicina, jus civile & Canonicum, atque Theologia doceantur, & in his facultatibus publice lectiones habeantur, & cujus Cancellarius ſit, & eſſe debeat Venerabilis Frater modernus, & pro tempore exiſtens Epiſcopus Pampilonen., qui in caſu abſentię, aut impedimenti unum ex Canonicis profeſſis Eccleſię Pampilonenſis in Vicecancellarium deputare, poſſit Apoſtolica auctoritate, ad inſtar Salamantin., Compluten., & aliarum Hiſpanię Univerſitatum ſine alicujus prejudicio, perpetuo erigimus, & inſtituimus, illique ſic erectę, & inſtitutę, ac ejus pro tempore exiſtentibus Cancellario, Vicecancellario, Rectori, Magiſtris, Doctoribus, Lectoribus, pręceptoribus, graduatis, ſcholaribus, Bedellis, Nunciis, & aliis officialibus, & perſonis, necnon membris, & ſubditis, quod omnibus, & ſingulis indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, honoribus, ac pręeminentiis Salmanticen., & Compluten. ac quibuſvis aliis Hiſpanię Univerſitatibus prędictis, illarumque pro tempore exiſtentibus Cancellariis, Vicecancellariis Lectoribus, Magiſtris, Doctoribus, pręceptoribus, graduatis, Scholaribus procuratoribus, Bedellis, Nunciis, aliiſque officialibus, ac perſonis, necnon membris, & ſubditis in genere, & ſpecie, tam Apoſtolica quam Imperiali, & Regia auctoritatibus, aut alias quomodolibet conceſſis, ſeu legitime pręſcriptis, aut in poſterum concedendis, ac quibus illę, & illa utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, cum hoc quod prętextu privilegiorum hujuſmodi, ſeu quia in ipſa Uni-

Mandatum.

Uni-

Univerſitate matriculati fuerint, proprium forum, & eorum judicum competentium juriſdictionem declinare non poſſint, ſed illis non obſtantibus ſuis legitimis ſuperioribus, clerici, & presbyteri nempe, Ordinario, & Eccleſiaſticis, laici vero ſecularibus & laicis judicibus ſubjecti remaneant, uti, potiri, & gaudere, necnon iis, qui in prędicta, atque etiam iis, qui in quavis alia univerſitate diſciplinis, & facultatibus prędictis ſtudere inceperint, ut ſtudia ſua in ea continuare, & qui in Univerſitate per pręſentes erecta hujuſmodi per tempus debitum ſtuduiſſe, & in ſcientia, ac moribus idonei comperti fuerint, in Artibus, & Medicina, Philoſophia, Theologia, necnon juribus, & facultatibus prędictis, Baccalaureatus, etiam formati, & licentiaturę, necnon Doctoratus, & Magiſterii, & quoſvis alios ipſius Univerſitatis ſolitos gradus earum ſcientiarum, in quibus ſtuduerint a Cancellario, ſeu Vicecancellario, necnon Rectore, & Doctoribus Univerſitatis per pręſentes erectę, ab his ad quos ſpectabit, recipere, & ipſorum graduum ſolita inſignia, ſibi exhibere facere, & poſtquam hujuſmodi gradus, & illorum inſignia ſuſceperint, ſcientias in quibus graduati fuerint, docere, & interpretari, ac in eis diſputare, necnon quoſcunque actus gradui, ſeu gradibus per vos conceſſis benemeritis (3) facere, & exercere, aliiſque omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, favoribus, prerogativis, & indultis quibus alii in Salamantin., & Compluten., ac quibuſvis aliis Hiſpaniarum Univerſitatibus approbatis juxta illarum conſtitutiones, & mores promoti de jure, uſu, conſuetudine, aut alias utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, etiam uti, frui, potiri, & gaudere poſſint in omnibus, & per omnia perinde ac ſi gradus hujuſmodi in Salamantin., ſeu Compluten., aut aliis Univerſitatibus prędictis juxta illarum conſtitutiones, & conſuetudines hujuſmodi ſuſcepiſſent, necnon moderno, & pro tempore exiſtenti Epiſcopo Pampilonen., hujuſmodi Univerſitatis per pręſentes erectę futuro Cancellario, ut per ſe, vel alios, quos ad id duxerit deputandos, ultra prędicta quęcunque alia pro dictę Univerſitatis per pręſentes erectę directione, & conſervatione, ac Rectorum, Magiſtrorum, Lectorum, Pręceptorum, Bedellorum, Nunciorum, ac aliorum officialium electione, ſcholarium promotione, quęcunque ſtatuta, & ordinationes, licita tamen, & honeſta, ac ſacris Canonibus pręcipue vero Concilii Tridentini decretis, non contraria, facere, edere, ac pro rerum, temporum, & perſonarum qualitate, & varietate, mutare, corrigere, alterare, reformare, caſſare, & alia de novo condere, ac ſuper illorum obſervatione quaſcunque pęnas imponere, libere, & licite valeant dicta Apoſtolica auctoritate concedimus, & indulgemus, decernentes pręſentes literas, etiam ex eo quod intereſſe habentes, ſeu pretendentes ad hoc vocati non fuerint, nec pręmiſſis conſenſerint, aut quocunque alio pretextu, ſeu alias ex quavis cauſa de ſubreptionis, & obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut quovis alio defectu, impugnari, invalidari, ad terminos juris reduci, in jus, vel controverſiam revocari, ſeu adverſus illas quodcunque juris, facti, vel quodvis remedium impetrare non poſſe, nec ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, a Nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus quandocunque, & ſub quibuſcunque tenoribus, & formis pro tempore emanatis, comprehendi, & quoties illę emanabunt toties in priſtinum, & eum, in quo antequam emanarent, erant, ſtatum, reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac de novo ſub quacunque, etiam poſteriori data, quandocunque eligenda, de novo conceſſas, validaſque, & efficaces fore, & eſſe, ac ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, ſicque per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Apoſtolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod ſinguli Magiſtri, Doctores, & Lectores Univerſitatis per pręſentes erectę hujuſmodi in principio cujuslibet anni, ſeu renovatione ſtudiorum, facta prius per ipſorum, & eorum quemlibet in manibus Ordinarii Catholicę fidei profeſſione juxta articulos a Sede Apoſtolica propoſitos, ſe nihil quod illi quovis modo repugnet, aut ſit contra bonos mores, lecturos, docturos, aut interpreraturos, ſolemni juramento ſe aſtringere debeant, in hocque idem Ordinarius ſedulam operam juxta dicti Concilii decreta adhibere teneatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, erectionis, inſtitutionis, conceſſionis, Indulti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Vigeſimo Primo, Sexto decimo Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Pampilonen.*) In *Navarræ Regno*.
2. *Archivo*.) In quo exemplar authenticum ex autographo *Pampilonen.*
3. *Per vos conceſſis benemeritis*.) Turbatus locus: Adderem *competentes*.

Anno 1621 Die 22 Septembris.

Forolivien. Extenſionis Officii B. Jacobi Salomonii (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

V. PRopoſita in Sacra Rituum Congregatione Sereniſſimę Reipublicę Venetę, unaque totius Ordinis Fratrum Prędicatorum petitione, qua Beati Jacobi Salomonii feſtivitatem, quę felicis recordationis Clementis Septimi, primum, ac deinde Julii Tertii conceſſione in Civitate Forolivien., nuper vero ex indulto Pauli Papę V, ac voto ejuſdem Congregationis Venetiis quoque celebratur, in omnibus eorundem Fratrum Eccleſiis, ac Provinciis celebrari poſſe ſupplicabant, eadem Congregatio votum Illuſtriſſimi Cardinalis Sacrati referentis amplexata, petitum indultum, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit, cen-

cenſuit concedendum. Decere ſcilicet arbitrati ſunt Illuſtriſſimi Patres, iis, qui vitę ſanctitatem longa temporis diuturnitate comprobarunt, non in ſolo natali, vel iis in locis duntaxat ubi corpora eorum aſſervantur, ſed etiam ubique, ab omnibus, qui idem cum iis profitentur inſtitutum venerationem deberi. Idem vero Sanctiſſimus audita Sacrę Congregationis in Beatum Virum propenſione pręſens indultum Apoſtolico beneplacito roboravit. Die XXII Septembris MDCXXI.

Franciſcus Maria Cardinalis a Monte.

Loco ✝ Sigilli.

Jo: Baptiſta Rinuncinus Secretarius.

1. *Salomonii.*) De quo ſæpius dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Firmat ea, quæ vitæ regularis (1) gratia ſancita ſunt a Capitulo Generali.

Anno 1621, Die 27 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

GREGORIUS PP. XV.

VI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

UT ea, quę pro Religioſorum bono, & quiete per ipſorum Superiores, pręſertim in Capitulis Generalibus ſtatuta, & ordinata ſunt, firma, & illibata perſiſtant, illis noſtrę confirmationis robur libenter adjicimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Prior Provincialis, & Fratres Ordinis Prędicatorum Provincię Luſitanię, quod alias in Capitulo Generali in domo regulari ejuſdem Ordinis Civitatis Valliſoletan., de anno MDCV celebrato editum fuit decretum, ſeu ſtatutum tenoris ſubſequentis videlicet. Cæterum quia magis bona ſpiritualia, quam temporalia in Conventibus noſtris conſervari debent, declaramus pro reformatione obſervantię regularis iſtud a Bonifatio IX, & a B. Raymundo Capuano Generali olim Magiſtro ſtatutum, & poſt in Capitulo Salmanticenſi MDLI, Romano MDLVIII, Bononienſi MDLXIIII, Romano MDLXIX, & Valliſoleti MDCV ſtrictiſſime mandatum eſſe omnibus RR. admodum PP. Provincialibus, ut unuſquiſque in ſua Provincia unum, vel plures, Conventum juxta qualitatem, & numerum Fratrum deputet, in quibus regula, & conſtitutiones Ordinis noſtri cum omni rigore ab omnibus illic degentibus ad unguem obſerventur. Ne vero contingat, ſicut plerumque maligni ſpiritus ſuggeſtione ſolet devenire, ut qui ſpiritu cęperunt poſtmodum carne conſummant, & qui ad meliora aſcendere videbantur, al quando ſuperba elatione, & aliorum contemptu ad deteriora trahantur, & unde quęrunt meliores fieri, inde inobedientes, & ſuis Superioribus rebelles efficiuntur. Volumus, & pręſenti ſtatuto in perpetuum ordinamus, quod omnes in prędictis Conventibus commorantes in omnibus, & per omnia ſuis Provincialibus cenſeantur, & ſint ſubditi, qui eos viſitare, aſſignare, & removere poſſint, ſicut antea conſueverunt, & omnia alia tam in dictis Conventibus, quam Fratribus facere valeant, quę dicto vivendi modo, & regulari obſervantia, non repugnent. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, nonnulla hactenus contra decretum, & ſtatutum hujuſmodi innovata, variaque exinde inconvenientia orta fuerint, & propterea quo illa e medio tollantur, ac decretum, ſeu ſtatutum hujuſmodi ab omnibus, melius obſervetur, Prior Provincialis, & Fratres prędicti, plurimum cupiant illud Apoſtolicę noſtrę confirmationis robore communiri, Nos eorum votis in pręmiſſis benigne annuere, ipſoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus etiam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici nomine ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum, ſeu ſtatutum hujuſmodi, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, decernentes decretum, ſeu ſtatutum hujuſmodi in prędicto Ordine ab omnibus, ad quos ſpectat inviolabiliter obſervari debere, irritumque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Octobris MDCXXI, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Regularis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar authenticum.

In-

Anno 1621 Die 26 Novembris.

VII.

Indulgentia (1) pro Capitulo Generali.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

GREGORIUS PP. XV.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, Capitulum Generale univerſi Ordinis Fratrum Prędicatorum in Conventu Eccleſię Sancti Euſtorgii Mediolanen. in Feſto Pentecoſtes Anni MDCXXII, benedicente Domino, celebrandum ſit, Nos felici dicti Capituli directioni, & animarum Chriſti fidelium ſaluti paterna caritate proſpicere volentes, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis ejuſdem Ordinis ubicunque exiſtentibus in Nativitatis, & Paſchatis Reſurrectionis Dominicę Feſtis diebus, & ſingulis diebus infra Octavas eorundem, ac die Feſto Annunciationis Beatę Marię Virginis, Dominica Palmarum, & feria quinta in Cęna Domini devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prędictorum id egerint, Plenariam, iis vero, qui in feſto Pentecoſtes, & ſingulis diebus actualis celebrationis dicti Capituli Eccleſiam prędictam S. Euſtorgii viſitaverint, & ut pręfertur, oraverint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus poſt celebrationem dicti Capituli minime valituris. Volmus autem, quod pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę, ſeu Generalis, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis, aut Provincialis alicujus Provincię obſignatis eadem fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Novembris MDCXXI, Pontificatus noſtri Anno Primo.

S. Card. S. Suſannę.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria *Romæ* typis Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCXXI.*

Anno 1621 Die 20 Decembris.

VIII.

Valentin. Canonization. B. Ludovici Bertrandi (1):

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

DIſcuſſa diligenter, & mature perpenſa de mandato SS. Domini Noſtri in ordine ad Canonizationem cauſa B. Ludovici Bertrandi Valentin., Ordinis Prędicatorum, Congregatio S. Rituum, pluribus deſuper habitis Seſſionibus, Illuſtriſſimo Cardinale Pignatello referente, cenſuit, tuto poſſe Sanctiſs. Dominum Noſtrum, quandocunque ſibi placuerit, ad ſolemnem ejuſdem B. Ludovici Canonizationem juxta S. Romanę Eccleſię Ritum, & Sacrorum Canonum diſpoſitionem devenire, eumque definire Sanctum cum Deo regnantem, atque univerſali Eccleſię proponere colendum, & venerandum. Die XX Decembris MDCXXI.

Franciſcus Maria Card. a Monte.

Loc. ✝ Sigilli.

Johannes Baptiſta Rinuncinus Secretarius.

1. *Bertrandi.*) Sancti de quo ſæpius dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur in Actis Capituli Generalis *MDCXXIX.*

Anno 1622 Die 2 Julii.

IX.

Revocat conceſſiones quaſcunque vivæ vocis oraculo, non tamen S.R.E. Cardinalibus factas, vel ipſorum manu firmatas.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

GREGORIUS PP. XV.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ROmanus Pontifex in ſpecula militantis Eccleſię divina providentia conſtitutus, gratias, & indulta a ſe, & Prędeceſſoribus ſuis conceſſa, juſtis interdum ſuadentibus cauſis, juxta creditum ſibi Paſtoralis officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum, & temporum qualitatibus debite penſatis conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Itaque Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula indulta, facultates, privilegia, gratias, & conceſſiones quaſcunque ſpirituales, & eccleſiaſticas, tam ad forum interius, quam ad exterius ſpectan., ac tam ad ſupplicationem partium, quam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus a Sede Apoſtolica, quę tamen vivę vocis oraculo hactenus quandocunque, & qualitercunque ex qua-

ex quavis etiam de neceſſitate exprimenda cauſa quibuſvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Societatibus etiam Societati Jeſu, ac Congregationibus quibuslibet, ſive eorum, & earum reſpective Prępoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Pręlatis, Prioribus, Rectoribus Generalibus, vel Provincialibus quocunque nomine nuncupatis, Superioribus etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prędictę immediate ſubjectis, cujuſcunque dignitatis, pręeminentię, aut quovis privilegio munitis non tamen ad ſupplicationem Regum conceſſas, in iis videlicet quę non ſunt ſortita effectum, tenore pręſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque, & effectu vacua perpetuo fore, & eſſe, neque in poſterum cuiquam ſuffragari poſſe, vel debere, neque aliquem iis de cetero uti ullo modo poſſe, etiamſi expreſſa, & ſpecifica mentio etiam de verbo ad verbum de iis facienda eſſet, decernimus, & declaramus, firmis tamen, & in ſuo robore permanentibus omnibus indultis, & aliis conceſſionibus prędictis, vivę vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus, ad ipſorum, vel aliorum quorumcunque favorem propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipſis, vel aliis factis, & de quibus iidem S. R. E. Cardinales teſtimonium in ſcriptis prębuerunt. Decernentes pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque etiam ex eo quod quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prętendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtrę, ſeu alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, aut in jus, vel controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adverſus illas quodcunque juris, gratię, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere. Sicque per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prędictis, eorumque Prępoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Pręlatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus prędictis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma, ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra illud quę pręſentibus adhiberetur ſi forent exhibitę, vel oſtenſę, quodque eędem pręſentes literę, ſeu illarum exempla, ad valvas Baſilicarum S. Johannis Lateranen., ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Florę affixę, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatę fuiſſent. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die II Julii MDCXXII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

S. Card. S. Suſannę.

Anno a Nativitate D. N. Jeſu Chriſti MDCXXII. Indictione V. die vero prima Menſis Septembris Pontificatus Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorii divina providentia Papę XV Anno ejus II retroſcripta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicarum S. Johannis Lateranen., Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Florę, ut moris eſt, per me Brandimartem Latinum Apoſtolicum Curſorem.

Octavius Spada Mag. Curſ.

1. *Archivo.*) In quo exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtol. ex impreſſa anno *MDCXXII*. Huc ſpectat ſequens Inſtrumentum.

Johannes Dominicus Spinula, Protonotarius Apoſtolicus, utriuſque Signaturę SS. D. N. PP. Referendarius, necnon Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius, ſententiarum quoque, & cenſurarum, tam in eadem Romana Curia, quam extra eam latarum, ac literarum Apoſtolicarum quarumcunque univerſalis, ac merus executor ab eodem SS. D. N. ſpecialiter deputatus, univerſis, & ſingulis quarumcunque civitatum, terrarum, caſtrorum, villarum, ac aliorum quorumcunque locorum Reverendiſſimis, & RR. Protheſaurariis Apoſtolicis, & dictæ Signaturæ Referendariis, ac Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Theſaurariis, Sacriſtis, Canonicis tam Cathedralium, quam Collegiatarum Eccleſiarum, necnon Judicibus ſynodalibus juxta formam Concilii Tridentini in unaquaque Diœceſi deputatis, Notariis, & Tabellionibus publicis quibuſcunque, ubilibet conſtitutis, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ literæ pervenerint, ſeu quomodolibet præſentabuntur, ſalutem in Domino. Noſtris, immo verius Apoſtolicis firmiter obedire mandatis.

NOveritis, quod pro parte A. R. P. Fratris Magiſtri Dominici de Molina Ordinis Prædicatorum, Procuratoris Generalis omnium Religionum Mendicantium, & non Mendicantium Hiſpaniæ, & præcipue Provinciæ Bæthicæ, nomine RR. Admodum Patrum Priorum, Guardianorum, Miniſtrorum, Commendatorum, & aliorum Patrum,

Patrum, & ſingulorum eorum in domibus, ſeu Monaſteriis dictorum Ordinum, & Provinciæ, & cujuslibet eorum ubilibet commorantium, comparitum fuit coram Nobis, & expoſito, quod cum eorum ſacri Ordines, & præcipue Ordo Prædicatorum, & Minorum, & Eremitarum S. Auguſtini, & Fratrum S. Mariæ de Monte Carmelo, & Minimorum S. Franciſci de Paula, & ceterorum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, & Monachalium, & magis præcipue Provinciæ Bæthicæ, ob vera, & præclara geſta, ſalutiferoſque, & innumeros fructus, quos in Dei Eccleſia produxerunt, fuerint a S. Sede Apoſtolica, quantum ad omnes Conventus Fratrum, & Sororum, eorumque Eccleſias, & domos condecorati variis, & diſtinctis gratiis, privilegiis, indultis, extenſionibus, conceſſionibus, confirmationibus, participationibus, exemptionibus ab Ordinariorum juriſdictione, & Legatorum de latere Apoſtolicorum, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, tam in foro conſcientiæ, quam in foro fori, ut conſtare aſſeritur per varias Bullas, & literas Apoſtolicas, & præcipue per vivæ vocis oracula, ut dicitur, facta non ſolum Illuſtriſſimis RR. S R. E. Cardinalibus, de quibus teſtimonium in ſcriptis faciunt, ſed etiam Magiſtris, & Miniſtris; Commiſſariis, Vicariis, & Prioribus, Generalibus, aliiſque Superioribus dictarum Religionum, necnon Referendariis, ceteriſque perſonis in aliqua dignitate conſtitutis ad favorem ſupradictarum Religionum, Provinciarum, Conventuum, & perſonarum particularium utrumque forum concernentia, tam ſpiritualia, quam temporalia, & præſertim vivæ vocis oraculum bon. mem. Leonardi Card. S. Petri ad Vincula, Summi Pœnitentiarii pro Provincia Bæthica Ordinis Prædicatorum Provinciali ejuſdem Provinciæ per fel. rec. Leonem Papam X ſub datum Romæ apud S. Petrum ſub ſigillo Officii Pœnitentiariæ Quarto Idus Septembris, Pontificatus ſui Anno Quinto, quod incipit. Leonardus miſeratione divina tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis dilecto in Chriſto Provinciali Provinciæ Bæthicæ Ordinis Prædicatorum ſalutem in Domino. Pro parte tua fuit propoſitum: necnon aliud vivæ vocis oraculum bon. mem. Laurentii tit. SS. Quatuor Coronatorum Presbyteri Card. per eundem Leonem Papam ad favorem Vicariorum Generalium, & Provincialium, ac aliorum Fratrum Ordinis Minorum regularis obſervantiæ conceſſum ſub datum Romæ in Sac. Palatio Apoſtolico, & Camera ſuæ ſolitæ reſidentiæ ſub Anno a Nativitate Domini MDXVIII Indictione VI die vero prima Menſis Septembris, Pontificatus ejuſdem Leonis Papæ Anno VI, quod incipit: Laurentius miſeratione divina: & aliud bon. mem. Gabrieli Merino Archiepiſcopo Baren., & Epiſcopo Legionen. conceſſum per eundem D. Leonem PP. ad favorem eorundem, & inſtantiam Franciſci de Quinones ſub datum Romæ MDXVII Indictione V die XXI Julii, Pontificatus ejuſdem Anno Quinto, quod incipit: Univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes literas viſuris: & aliud eidem Gabrieli Merino Archiepiſcopo in favorem eorundem Fratrum conceſſum ſub datum MDXX die prima Martii, Pontificatus ejuſdem Anno Septimo, quod incipit: Univerſis, & ſingulis Miniſtris Provincialibus Ordinis Fratrum Minorum &c., & aliud bon. mem. Franciſco Epiſcopo Albanen. S.R.E. Card. Surrentino nuncup. in favorem eorundem Fratrum Minorum conceſſum ſub datum MDXVII die IV Julii, Pontificatus ejuſdem Anno Quinto, quod incipit: Univerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis: & aliud bon. mem. Chriſtophoro de Forlivio S.R E. Cardinali de Aracæli nuncupato in favorem eorundem conceſſum ſub datum MDXVII die XXX Julii, Pontificatus ejuſdem Anno Quinto, quod incipit: Univerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis, & alia vivæ vocis oracula per eundem D. Leonem PP. conceſſa ad favorem eorundem Fratrum, prout etiam videri poteſt in collectione Privilegiorum Apoſtolicorum edita a Fratre Manuele Rodriguez Salmanticæ Anno MDCV fol. 727 uſque ad 735, & aliud Fratri Ferdinando Salcedo Procuratori Generali Ordinis Minorum in favorem eorundem Fratrum Minorum ſub datum Romæ in Conventu Aracæli die III Martii MDXXV per fel. rec. Clementem PP. VII conceſſum, quod incipit: Fr. Ferdinandus, & aliud bonæ me. S. R. E. Card. Campeſio, tunc Religionis Fratrum Minorum Protectori conceſſum in favorem eorundem Fratrum, Bononiæ MDXXX in Menſe Martio, quod incipit: Reverendiſſimus Cardinalis: & aliud bon. mem. Antonio S.R.E. Card. SS. Quatuor Coronatorum nuncup. in favorem Sororum Tertii Ordinis nuncupatarum conceſſum ſub datum Romæ apud S. Petrum ſub ſigillo Pœnitentiariæ quarto Nonas Auguſti MDXXXIX. Pontificatus fel. rec. Pauli PP. III Anno Quarto (Quinto) quod incipit: Antonius, & aliud Fratri Jo: Calvo Commiſſario Generali Fratrum Minorum in favorem eorundem conceſſum per eundem Paulum PP. III, ſub datum XX Julii MDXXXV apud S. Marcum, quod incipit: Ego Fr. Johannes, & alia etiam ejuſdem Pauli PP. eidem Johanni Commiſſario ſub diverſis datis in favorem eorundem conceſſa, prout continetur in dicta Collectione Fr. Emanuelis Rodriguez a fol. 819 uſque 822, & aliud bon. mem. Rodulpho Pio S.R.E. Card. Portuen. in favorem eorundem Fratrum conceſſum per fel. rec. D. Pium IV ſub datum MDLX die vero XXIV Menſis Martii, Pontificatus ejuſdem Anno Primo, quod incipit: Nos Rodulphus, & alia ejuſdem Pii PP. in favorem eorundem Fratrum, Fr. Ferdinando de Armellones dudum Provinciali del Perù conceſſa, prout continetur in dicta Collectione Fr. Emanuelis Rodriguez a fol. 880 uſque 881, & aliud bon. mem. Alexandro tit. S. Johannis ante Portam Latinam Presb. Cardinali Cribellio nuncupato in favorem eorundem Fratrum S. Franciſci per fel. rec. Pium PP V conceſſum, ſub datum Romæ Anno MDLXVIII die XXV Menſis Maii, quod incipit: Nos Alexander, & alia, etiam ejuſdem Pii V dicto Card. Cribellio in favorem eorundem Fratrum conceſſa, quæ habentur in dicto libro Collectionis a fol. 979 uſque 984, & aliud Fr. Franciſco de Soſa totius Ordinis Minorum Generali Miniſtro in favorem eorundem Fratrum conceſſum per fel. rec. Clementem PP. VIII ſub datum Mediolani in Conventu Pacis die II Octobris Anno MDC, quod incipit: Fidem facimus, & aliud bon. mem. Franciſco Card. de Avila in favorem eorundem Fratrum per dictum Clementem PP. conceſſum ſub datum die X Decembris, Pontificatus ejuſdem Anno VIII, & aliud Fratri Johanni de Capiſtrano in favorem eorundem Fratrum per fel. rec. Eugenium PP. IV

con-

conceſſum ſub dat. Florent. Anno MCCCCXXXIV die XXIII Julii, quod incipit: Eugenius PP. IV, ad ſupplicationem, & alia, quæ poſſunt videri in dicta Collectione Fr. Emanuelis Rodriguez a fol. 148 uſque ad 258, & aliud Fr. Angelo de Vulſena in favorem eorundem Fratrum per fel. me. Calixtum PP. III ſub datum Romæ apud S. Petrum MCCCCLVII die XXVI Aprilis hora diei 17, quod incipit: D. Calixtus, & aliud Fr. Angelo de Vulſena in favorem eorundem Fratrum, per piæ me. Pium PP. II, conceſſum ſub datum Mantuæ apud S. Mariam de Gratiis MCCCCLX, quod incipit: Pius PP. II, & aliud bon. mem. Petro tit. SS. Coſmæ, & Damiani S.R.E. Diacono Cardinali Fox nuncupato in favorem Patrum Prædicatorum per fel. rec. Innocentium PP. VIII conceſſum ſub datum Anno MCCCCLXXXIX die ultima Februarii, quod incipit: Petrus miſeratione divina, necnon alia, quę videri poſſunt in eadem Collectione Fr. Emanuelis Rodriguez a fol. 532 uſque ad 534 & aliud Patri Fr. Ludovico de Vicentia in favorem Fratrum Minorum per fel. rec. Sixtum PP. IV conceſſum Anno MCCCCLXXXI die VIII Januarii, quod incipit: Sixtus IV, & aliud Fratri Bernardino de Guaza in favorem eorundem conceſſum per fel. rec. Alexandrum PP. VI, prout videri poteſt in dicta Collectione fol. 554, quod incipit: Beatiſſime Pater, & aliud bon. mem. Johanni Epiſcopo Raguſinen. per eundem Alexandrum PP. in favorem eorundem Fratrum conceſſum ſub datum Romæ &c quod incipit: Nos Johannes, Dei: fol. eodem, & ſequenti, & aliud Fratri Thadeo de Hipporregia Vicario Generali Fratrum Eremitarum S. Auguſtini in favorem dictæ Religionis per eundem Pontificem conceſſum, ut videtur fol. 555 in eadem Collectione, quod incipit: Beatiſſime Pater, & alia, quæ videri poſſunt in eadem Collectione a fol. 555 uſque ad 556, & aliud R. P. Fr. Franciſco Zeno in favorem dictorum Fratrum Minorum per fel. rec. Julium II ſub datum Romæ X Auguſti MDIV, quod incipit: Julius II, & alia, quæ videri poſſunt in eadem Collectione a fol. 621 uſque ad 623, & aliud bon. me. Oliverio Epiſcopo Hoſtien. S R. E. Card. Neapolitano in favorem Fratrum Prædicatorum ſub datum MDV, decimaquarta Novembris, quod incipit: Oliverius miſeratione divina, & aliud bon. me. Laurentio tit. SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Card. in favorem Fr. Minorum conceſſum per fel. rec. Leonem PP. X ſub datum Romæ apud S. Petrum XV Aprilis MDXVI, Pontificatus ejuſdem Anno Quarto, & aliud eidem Card. per eundem Leonem PP. X in favorem eorundem Fratrum conceſſum ſub Dat. Romæ MDXVIII prima Septembris, Pontificatus ejuſdem Anno VI, quod incipit: Laurentius miſeratione divina, & aliud bo. me. Cardinali Cribello in favorem Fratrum Minorum, aliorumque regularium per fel. rec. Pium PP. V conceſſum MDLXVIII, XII Maii, quod incipit. Fratres Minores, & aliud eidem Cardinali in favorem dictorum Fratrum per eundem Pontificem conceſſum ſub datum MDLXIX, XXVII Aprilis, quod incipit: Conceſſit, & aliud Fratri Aloyſio Petro Miniſtro Generali totius Ordinis Minorum in favorem eorundem Fratrum per eundem Pium PP. V, ſub datum MDLXVII, XXIII Martii, quod incipit: Ego Frater Aloyſius Petrus, & alia, prout habentur in eadem ſumma a fol. 984, & aliud R. P. Fr. Ludovico Y Stella Vicario Generali totius Ordinis Prædicatorum in favorem Provinciæ Bæthicæ ejuſdem Ordinis per fel. rec. Paulum PP. V, quod Provincia Bæthica cum Provinciali poſſit nominare quatuor Præſentaturas pro illius Provinciæ eximiis Prædicatoribus, quos ſic nominatos ad numerum Graduatorum ipſius Provinciæ cooptare poſſint, ſub Datum XVI Julii MDCVII, quod incipit: Nos Fr. Ludovicus Y Stella Valentinus, & aliud R. P. Fr. Riphoz dicti Ordinis Prædicatorum Generali Vicario per eundem Pontificem in fovorem Fr. Johannis Marini dicti Ordinis Provinciæ Bæthicæ conceſſum, quo promovetur ad Gradum Præſentaturæ titulo Prædicationis ſub datum Romæ XXIII Decembris MDCXIV, quod incipit: In Dei filio ſibi dilecto R. P. Fr. Johanni Marino, aliaque tria eidem P. Vicario Generali per eundem Pontificem in favorem aliorum trium Fratrum Ordinis, & Provinciæ Prædicatorum conceſſa, quibus ſimiliter promoventur ad gradus Præſentaturæ titulo Prædicationis ſub diverſis datis ejuſdem Anni MDCXIV, & cum fuerit expoſitum, quod fel. rec. Gregorii XV per ſuas literas Apoſtolicas in forma Brevis ſub datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub die X Julii MDCXXII, omnia, & ſingula privilegia, gratias, & conceſſiones quaſcunque ſpeciales, & eccleſiaſticas, tam ad forum interius, quam exterius conceſſas quibuſvis Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Monaſteriis, Prioribus, Generalibus, vel Provincialibus quibuſcunque non tamen ea, quæ ad ſupplicationem Regum fuerunt conceſſa in iis, quæ non ſunt ſortita effectum, firmis tamen, & in ſuo robore permanentibus omnibus indultis, & aliis conceſſionibus prædictis vivæ vocis oraculo S. R E. Cardinalibus ad ipſorum, vel aliorum quorumcunque favorem propria S.R.E. Cardinalium manu firmatis, pro ipſis, vel aliis factis, & de quibus iidem S.R.E. Cardinales teſtimonium in ſcriptis præbuerunt conceſſis, prout latius in ipſa Bulla continetur, & prætendentes nonnulli, tam Ordinarii locorum, quam alii Prælati, & in ſpecie aliqui Superiores Ordinis S. Dominici Provinciæ Bæthicæ, quod occaſione ejuſdem Bullæ revocatoriæ, fuiſſent omnia privilegia, conceſſiones, gratiæ, indulta, exemptiones, extenſiones, confirmationes, gradus, præſentaturæ, & alia quæcunque ad favorem ſupradictorum inſtantium emanata fuiſſent, revocata, ex eo quod erant conceſſa vivæ vocis oraculo facto prædictis Superioribus Religionum, ideoque prædictos inſtantes ſuper præmiſſis, moleſtare, inquietare velle, ſe ſe, jactaverint, & jactant, & forſan decreta, & leges, etiam in Provincialibus Capitulis, aliiſque publicis, & privatis eorum Congregationibus contra formam dictæ Bullæ, & privilegiorum, & gratiarum, atque indultorum, quæ in eadem Bulla expreſſe excipiuntur, fecerunt, & conſtituerunt, privilegia, & gratias prædicta ſic excepta, irrita, & nulla declarantes, licet nulliter, & indebite, dictoſque vexantes inſtantes in eorum pacifica poſſeſſione utendi, & fruendi dictis privilegiis, & in ſpecie gradu præſentaturæ, & Magiſterii, ſeu Doctoratus in Theologia, eo prætextu, vel quod jam per dictam Bullam ſunt revocata, vel quod licet a principio ſortita fuerint ſuum effectum, quia tamen tales gratiæ, & privilegia habebant tractum, & effectum ſucceſſivum, impediebant pro-

proſecutionem privilegiorum, gratiarum, & graduum prædictorum, & ſic moleſtarunt, & perturbarunt, ac moleſtant, & perturbant, prædicti inſtantes, mediante prædicto P. Magiſtro Fr. Dominico de Molina ad S. Congregationem Cardinalium negotiis regularium, & Epiſcoporum præpoſitam, pro declaratione ſuper præmiſſis, recurſum habuerunt, quæ quidem S. Congregatio, ſuam fecit declarationem tenoris ſequentis, videlicet:

Declaratio Sac. Cong. circa Oracula vivæ vocis.

Pro parte Fratris Dominici de Molina Magiſtri Ordinis Prædicatorum, & Procuratoris Generalis omnium Religionum Mendicantium, & non Mendicantium Provinciæ Bæthicæ ſtante Conſtitutione fel. rec. Gregorii XV revocatoria oraculorum vivæ vocis, petitur declarari, an gratiæ, & privilegia vivæ vocis oraculo facta Magiſtris Generalibus, Vicariis Generalibus, & Procuratoribus Generalibus conceſſa eorum Ordinibus, quæ ſortita fuerunt effectum, licet habeant tractum ſucceſſivum, vel alias reſpiciant particulares perſonas, ut ſunt Præſentaturæ, vel Magiſteria, non obſtante prædicta revocatione, maneant in ſuo robore, & valida cenſeantur, uti in dicta revocatoria Conſtitutione non comprehenſa, vel aliqua indigeant revalidatione, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus? Sac. Congregatio Cardinalium negotiis regularium præpoſita, Illuſtriſſimo de Cremona referente, prædictas gratias, & privilegia in dicta revocatoria Conſtitutione non comprehendi, nullaque revalidatione indigere, proindeque validas, & valida fore, & eſſe, eiſdemque ſecure uti poſſe, cenſuit, prout alias fuit reſponſum: die XI April. MDCXXV. Octavius Card. Vandinus. Loco † ſigilli. Epiſcopus Caſertan. Secretarius. Denique ad Nos, tanquam executores quarumcunque ſententiarum, decretorum, declarationum, literarum Apoſtolicarum, & aliarum quarumcunque tam in Romana Curia, quam extra eam latarum, pro omnimoda obſervatione præinſertæ Declarationis dictæ Sac. Congregationis recurſum ſimiliter habuerunt, debite nos requirentes, quatenus eis de opportuno juris remedio ſuper præmiſſis providere dignaremur. Nos igitur Jo: Dominicus Spinula Protonotarius Apoſtolicus, tanquam judex, & ſpecialis executor prædictus, attendentes, requiſitionem prædictorum inſtantium fore juſtam, & rationi conſonam, quodque juſta petenti non eſt denegandus aſſenſus, ac prædictis inſtantibus, eorumque juribus, jure medio providere volentes, vobis omnibus committimus, quatenus ſtatim viſis his, & poſtquam præſentium vigore fueritis requiſiti, ex parte noſtra, immo verius Apoſtolica auctoritate moneatis omnes, & ſingulos locorum Ordinarios, Vicarios Generales, Provinciales, Diffinitores, Priores, necnon alios quoſcunque in executione præſentium nominandos, & cognominandos, eiſque præcipiatis, prout Nos tenore præſentium præcipimus, quatenus infra ſex dierum ſpatium, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio, ultimo, & peremptorio termino de Monitione Canonica vobis aſſignamus, & vos aſſignetis eiſdem, ſub quingentorum ducatorum auri locis piis arbitrio noſtro applicandorum, & pro illis mandari executive, & privationis officiorum, & vocis activæ, & paſſivæ, & in juris ſubſidium excommunicationis, quatenus opus ſit, aliiſque pœnis, quo vero ad Reverendiſſimos Epiſcopos, interdicti eccleſiaſtici, & ingreſſus Eccleſiæ debeant a quibuſvis jactationibus, vexationibus, perturbationibus, & impedimentis ſuper præmiſſis, ſeu præmiſſorum occaſione contra formam præinſertæ declarationis Sac. Congregationis prædictarum, & aliarum quarumcunque literarum Apoſtolicarum, gratiarum, indultorum, privilegiorum, quæ ſub dicta declaratione veniunt comprehenſa, vel eorum cuilibet illatis, factis, & præſtitis, ac fieri, & inferri comminatis, ac inferendis, in futurum, deſtitiſſe, ceſſaſſe, & ſe ſe abſtinuiſſe, prædictoſque inſtantes in realem, actualem, & corporalem poſſeſſionem utendi, fruendi, & gaudendi, omnibus, & ſingulis ſupradictis privilegiis, gratiis, indultis juxta formam dictarum literarum, & oraculorum in dicta declaratione S. Congregationis comprehenſorum, & juxta formam illius manutenuiſſe, defendiſſe, & conſervaſſe, ac per nos manuteneri vidiſſe, illiſque uti, & frui, ut ſupra permiſiſſe, & mandaſſe, præſentibuſque noſtris monitorialibus literis, ac dictæ declarationi S. Congregationis, in omnibus, & per omnia paruiſſe, deque paritione hujuſmodi Nos certioraſſe, & inſuper inhibeatis, prout Nos tenore præſentium inhibemus, omnibus, & ſingulis ſupradictis, & aliis quibuſcunque in executione præſentium nominatis, & nominandis, ne ſub eiſdem ſententiis, cenſuris, & pœnis audeant, ſeu præſumant, aut eorum aliquis audeat, ſeu præſumat dictos inſtantes, eorumque Conventus, Eccleſias, domos, Fratres, & Sorores, contra formam dictæ declarationis, & prædictarum, & aliarum quarumcunque literarum Apoſtolicarum, gratiarum, indultorum, privilegiorum, quæ ſub dicta declaratione comprehenduntur, moleſtare, vexare, vel perturbare, inquietare, aut quidquam innovare, attentare, aut innovata, & attentata proſequi, per ſe, vel alium, ſeu alios, ſub quovis prætextu, quæſito colore, vel ingenio, tacite, vel expreſſe, directe, vel indirecte, ſed illa in omnibus, & per omnia obſervaſſe, & adimpleviſſe, & debitæ executioni demandaſſe, alioquin prædictos ſic monitos, ſi in prædictis ſe fore gravatos ſenſerint, modo, & forma præmiſſis citetis, & citare curetis, prout Nos, etiam citamus eoſdem quatenus ſexageſima die poſt citationem noſtram hujuſmodi, per vos eiſdem factam, immediate ſequen., ſi dies ipſa juridica fuerit, alioquin prima die juridica ex tunc proxime futura compareant Romæ in judicio coram Nobis, ſive noſtro Reverendiſſimo Locumtenente infraſcripto, cauſam ſui gravaminis allegaturi, aliaque dicturi, facturi, & accepturi, prout juſtitia ſuadebit, & ordo dictaverit rationis, certificantes eoſdem ſic citatos, & monitos, & alios prædictos inhibitos, quod ſive in dicto citationis termino, ut præmiſſum eſt, comparuerint, ſive non, Nos nihilominus, vel R.P.D. Locumtenens noſter præfatus, ad hujuſmodi cauſæ deciſionem, necnon ad omnes, & ſingulos actus, & terminos judiciales, uſque ad ſententiam diffinitivam incluſive, etiam lite non conteſtata, procedemus, ſive procedet juſtitia mediante, dictorum citatorum contumacia, vel abſentia, in aliquo non obſtante, quod ſi ſecus factum fuerit, ultra pœnarum prædictarum incurſus, omnino revocabimus juſtitia mediante, abſolutionem vero in præmiſſis, Nobis, vel Superiori noſtro tantummodo reſervamus. In quo-

quorum ſidem has præſentes fieri, & per infraſcriptum Curiæ noſtræ Notarium ſubſcribi, ſigilloque R. C. Apoſtolicæ. quo in talibus utimur, juſſimus, & fecimus appenſione muniri. Datum Romæ in Ædibus noſtris Anno MDCXXV Indictione Octava die vero XXII Menſis Maii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Urbani divina providentia PP. VIII Anno II. Antonius Muſca Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius, Camillus Meltius. Monitorium pro obſervatione literarum Apoſtolicarum S.Congregationis Regularium.

Loco † Sigilli.

Concedit Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut inter ſe tractare poſſint de opinione affirmativa Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

Anno 1622 Die 28 Julii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

GREGORIUS PP. XV. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXimii, atque ſingulares fructus, quos dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum in militanti Eccleſia, cujus regimini Divina diſponente clementia pręſidemus, attulerunt, & in dies afferunt, promerentur, ut eoſdem Fratres, ſpecialibus favoribus, & gratiis, quantum cum Domino poſſumus, libenter proſequamur. Alias, ſiquidem felicis recordationis Paulus Papa V, Prędeceſſor noſter, poſt longam, & maturam diſcuſſionem, auditis votis Ven. Fratrum noſtrorum tunc ſuorum S. R. E. Cardinalium contra hęreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, re accurate, ac diligenter perpenſa, provide conſiderans, quod quamvis in Conſtitutione felicis recordationis Sixti Papę IV, etiam Prędeceſſoris noſtri, ſuper Conceptione B. Virginis Marię, pro ſubmovendis inter Chriſti fideles ſcandalis, rixis, & contentionibus edita, a Sancta Tridentina Synodo innovata, & deinde in alia Conſtitutione Sanctę Memorię Pii Papę Quinti, ſimiliter Prędeceſſoris noſtri ſuper eadem re, quas idem Paulus Prędeceſſor innovavit, cum quibuſdam proviſionibus, & adjectionibus pęnarum, pro efficaciori earum obſervatione, relinquebatur unicuique libera facultas tenendi, & etiam aſſerendi utramque partem, quod ſcilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra veluti erronea, aut hęretica damnaretur; Nihilominus ex occaſione aſſertionis affirmativę in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & actibus publicis, quod eadem B. Virgo fuiſſet cum peccato originali concepta, oriebantur in populo Chriſtiano, cum magna Dei offenſa, ſcandala, jurgia, & diſſenſiones, propterea, volens hujuſmodi ſcandalis ex debito ſui muneris providere, decrevit, & pręcepit omnibus, & ſingulis cujuſvis Ordinis, & inſtituti regularibus, & aliis quibuſcunque tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus perſonis cujuſvis conditionis, ſtatus, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam eccleſiaſticę, quam ſecularis, etiam ſi ſpecialis, ſpecifica, & individua earum eſſet neceſſario mentio facienda, ut in poſterum, donec Articulus hujuſmodi a Sancta Sede Apoſtolica fuiſſet diffinitus, vel per eundem Paulum Prędeceſſorem, & Sedem Apoſtolicam fuiſſet aliter ordinatum, non auderent in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliis quibuſcunque actibus publicis aſſerere, quod eadem B. Virgo fuiſſet concepta cum peccato originali. Contrafacientes autem dictus Paulus Prędeceſſor voluit, & declaravit ſubjacere debere, & ſubjecit cenſuris, & pęnis contentis in ſupradictis Conſtitutionibus ſuorum Prędeceſſorum, & ſua, ipſo facto incurrendis. Per hujuſmodi tamen proviſionem idem Paulus Prędeceſſor non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorſus pręjudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus tunc reperiebatur, pręterquam quoad ſupra diſpoſita. Ulterius ſub eiſdem cenſuris, & pęnis mandavit, quod negativam opinionem, videlicet quod non fuerit concepta cum peccato originali in pręfatis publicis actibus aſſerentes, aliam opinionem non impugnarent, nec de ea aliquo modo agerent, ſeu tractarent. Inſuper voluit, & expreſſe mandavit, ut extra hos caſus expreſſos publicorum actuum, in reliquis omnibus ſupradictæ Conſtitutiones firmę, & illeſę remanerent, & exacte obſervarentur, perinde ac ſi decretum hujuſmodi non emanaſſet. Nuper vero Nos ſub die videlicet XXIV Maii MDCXXII in Generali Congregatione S.Romanę, & Univerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico in Monte Quirinali, coram nobis, & Cardinalibus pręfatis, ex eiſdem cauſis evitandi ſcandala, diſſenſiones, atque diſcordias in populo Chriſtiano, quę pari ratione oriri poſſunt, & ut accepimus, in aliquibus regionibus jam ortę ſunt ex ſermonibus privatis occaſione aſſertionis affirmativę, ſupradictum Pauli Prędeceſſoris Decretum extendimus, & ampliavimus etiam ad privata colloquia, & ſcripta, mandantes, & pręcipientes omnibus, & ſingulis ſupradictis, ne de cetero, donec Articulus hujuſmodi a Sede Apoſtolica diffinitus, vel per Nos, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in ſermonibus, & ſcriptis privatis audeant aſſerere, quod eadem B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, ſeu tractare exceptis tamen quibus a Sancta Sede Apoſtolica fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum. Per hoc tamen non intendimus reprobare hanc opinionem, nec ei ullum prorſus pręjudicium inferre, eam relinquentes in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus reperitur, pręterquam quoad in ſupradicto dicti Pauli Prędeceſſoris Decreto diſpoſita. Voluimuſque & expreſſe mandavimus, ut in reliquis omnibus ubi hujuſmodi Decretis non adverſantur Conſtitutiones Sixti, ac Pii, & Pauli præfatorum, necnon recolendę memorię Alexandri Papę VI Prędeceſſorum noſtrorum, ſuper Conceptione B. Virginis firmę, & illibatę remaneant, ac exacte obſerventur, perinde ac ſi hujuſmodi Decretum non emanaſſet. Et inſuper cum S. R. E. De beatiſſimę Virginis Conceptione feſtum ſolemniter, & officium celebret, omnibus, & ſin-

ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tam ſecularibus quam cujuſvis Ordinis, & inſtituti Regularibus, mandavimus, ac pręcepimus, ut in ſacroſancto Miſſę ſacrificio, ac Divino officio celebrandis, tam publice, quam privatim, non alio quam Conceptionis nomine uti debeant. Contravenientes autem volumus, & declaravimus ſubjacere debere, & ſubjecimus, cenſuris, & pęnis contentis in ſupradictis Conſtitutionibus, ac pręfato Decreto noſtrorum Prędeceſſorum, ipſo facto incurren. Et ita decrevimus, & mandavimus ubique inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus in hac parte Conſtitutionibus ſupradictis, Decreto pręfato Pauli Prędeceſſoris, conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, necnon omnibus, & ſingulis, quę Prędeceſſores pręfati voluerunt non obſtare, ac aliis quibuſcunque in contrarium facientibus. Volentes, & decernentes, pro obſervatione, & exequutione noſtri hujuſmodi Decreti, & omnium in eo contentorum, quod contra hujuſmodi tranſgreſſores, etiam Regulares, cujuſvis Ordinis, & inſtituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quaſcunque eccleſiaſticas, & ſeculares perſonas, cujuſcunque ſtatus, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticę, quam ſecularis, tam Epiſcopi, & Pręlati ſuperiores, aliique Ordinarii locorum, quam hęreticę pravitatis ubique locorum deputati Inquiſitores procedant, & in eos ſevere animadvertant. Tribuentes eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, ac pęnis coercendi, & puniendi. Nunc autem, Nos eoſdem Fratres Ordinis Prędicatorum, quos in viſceribus gerimus caritatis, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Prędicatorum Fratribus, ut de cetero in quibuſcunque privatis eorum colloquiis, ſeu conferentiis, inter ſe duntaxat, & non inter alios, aut cum aliis, de materia ejuſdem Conceptionis B. Marię Virginis diſſerere, & tractare, abſque ullo pęnarum in dictis decretis contentarum incurſu, libere, & licite poſſint, & valeant Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, licentiam concedimus, & impartimur. Decernentes Fratres pręfatos a quoquam quavis auctoritate deſuper moleſtari, perturbari, vel inquietari nullatenus poſſe, aut debere, ſicque, & non aliter per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores ubique judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus ſingulis pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die XXVIII Julii MDCXXII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

S. Card. S. Suſannę.

1. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria Romæ typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCXXII.*

Anno 1622 Die 24 Septembris.

XI.

De celebrando feſto B. Alberti Magni (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

Nos Carolus miſeratione divina Tituli S. Cęſaręi Presbyter Cardinalis Madrutius nuncupatus.

CUm P. F. Petrus Baptiſta (3) Ulyſſiponenſis Provincialis Theutonię Ordinis Prędicatorum exhibuiſſet Sanctiſſimo D. N. Gregorio Divina providentia Papę XV cedulam tenoris ſupradicti, & humiliter ſupplicaſſet Sanctitatem ſuam, ut dignaretur ampliare, & extendere feſtum B. Alberti Magni Magiſtri S. Thomę Aquinatis Doctoris Eccleſię ad Dięceſim Ratisbonenſem ad inſtantiam Sereniſſimorum Ducum Bavarię, Neoburgi, & Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Epiſcopi Ratisbon. Sanctitas Sua in audientia particulari per nos habita die XXI Menſis Septembris Anni MDCXXII ad petitionem noſtram vivę vocis oraculo conceſſit ut prędictum feſtum B. Alberti Magni (pro nunc) celebrari etiam poſſit per Capitulum, & Clerum in Eccleſia Cathedrali Ratisbon. modo, & forma, quibus celebratur (4) in prędicto Conventu, Provincię prędictę Theutonię Ordinis Prędicatorum ſicut de uno Confeſſore Pontifice, de qua extenſione, ne aliquando dubitari contingat auctoritate nobis à pręfato S D N. vivę vocis Oraculo attributa, fidem facimus indubiam per pręſentes quas ad hujuſmodi effectum propria manu ac Secretarii noſtri infraſcripti ſubſcriptas, noſtrique ſoliti ſigilli impreſſione communitas fieri juſſimus. Datum Romę ex ędibus noſtris ſub anno a Nativitate Domini MDCXXII Die vero XXIV Menſis Septembris, Pontificatus pręlibati S. D. N. Papę Gregorii XV Anno II.

C. Cardinalis Madrutius.

Loco ✝ Sigilli. Auguſtinus Peregrinus Secret.

1. *B. Alberti Magni.*) De quo ſæpius dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo exemplar typis impreſſum.
3. *Petrus Baptiſta.*) Ipſius mentio in Inſtrumento cujus autographum aſſervatur in *Archivo* Ordinis. Hujus tenoris eſt.

IN Nomine Domini Amen. Tenore præſentis publici Inſtrumenti cunctis id ipſum viſuris, lecturis, ſeu legere audituris, pateat evidenter, & ſit notum, quod Anno a Nativitate D.N.J.C. Milleſimo Sexcenteſimo vigeſimo Indictione Tertia Pontificatus Sanctiſſimi Domini Pauli Papæ V Anno Decimo Sexto, die quidem Sabathi Prima Menſis Auguſti hora decima ante meridiana, vel circiter, coram me Notario, & Teſtibus infraſcriptis perſonaliter conſtitutus admodum Reverendus, digniſſimus, & eximius Dominus Petrus Baptiſta SacroSanctę Theologię Doctor, necnon Ordinis Sancti Do-

Dominici univerſæ ſuperioris,& Inferioris Germaniæ Provincialis, exponens, qualiter ad majorem Dei gloriam, Sanctorumque illius Cælicolarum exaltationem, honorem, & reverentiam teſtimonio veritatis indigeat, quod annua celebritas Feſtivitatis B. Alberti Magni Confeſſoris, & Doctoris Coloniæ Agrippinæ in Conventu Patrum Dominicanorum, ibidem ſolemniter die decima quinta Novembris annua celebrari conſueverit, & celebretur, adhuc accedente ad hujuſmodi feſtivitatem magna populi magnitudine, & frequentia, & quod hujuſmodi Feſtivitas, præſentibus, & videntibus Reverendiſſimis, & Illuſtriſſimis Patribus, ac Dominis Dominis Nunciis Apoſtolicis Coloniæ reſidentibus, celebrata, continuata, & habita fuerit, celebretur, continuetur, & habeatur in annos ſingulos. Hinc ad probanda præmiſſa, nominavit in teſtes Reverendiſſimum in Chriſto Patrem, ac Dominum Dominum Otthonem Gereon Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopum Cyrenenſem, Reverendiſſimi, & Sereniſſimi Principis, & Archiepiſcopi Colonienſis Suffraganeum, ac in Pontificalibus Vicarium Generalem, Reverendos, & eximios viros, ac DD. Dominos Adolphum Sculkenium ante memorati Reverendiſſimi, & Sereniſſimi Archiepiſcopi Vicarium in Spiritualibus Generalem, Henricum Heſtorffium Burſæ Laurentianæ, & Johannem Ghelenium Burſæ Montanæ Regentes omnes Sacroſanctæ Theologiæ Doctores eximios, & Metropolitanæ, ac Diverſarum Collegiatarum Eccleſiarum Colonienſium, reſpective Canonicos, Teſtes omni exceptione majores petendo, quatenus Ego Notarius infraſcriptus in præſentia Teſtium fide dignorum præmemoratos Dominos ſuper præmiſſis, ac eorundem circumſtantiis diligenter examinare, eorundem dicta annotare, in notam ſumere, ac uti ex debito mei Officii obligatus ſum ſuper eorundem reſolutionibus Inſtrumentum, & Inſtrumenta communicare, vellem; Unde Ego Notarius debito officii mei, uti obligor, ſatisfacere volens, benememoratos DD. Teſtes acceſſi, ac in præſentia infraſcriptorum Teſtium ſuper præmiſſorum veritate, & quid ſibi de illis conſtaret interrogavi, & examinavi. Qui quidem Reverendiſſimi Admodum RR., & eximii DD. mei, ſic uti præfertur, nominati, ac in Teſtes producti dixerunt, & depoſuerunt, prout dicunt, & deponunt, Feſtivitatem Beati Alberti Magni hic Coloniæ Ubiorum in Eccleſia Dominicanorum annue ſervari, & celebrari, & ad hujuſmodi feſtivitatem magnam Populi multitudinem accedere, necnon etiam almam facultatem Theologicam Colonienſem ad hujuſmodi feſtivitatem celebrandam per Bedellum Almæ Univerſitatis Colonienſis convocari, ac regulariter ejuſdem ſtudioſos præter alios accedentes, ac devotionem ſuam ſingularem ob hoc exercentes, ibidem comparere. dicentes hæc reſpective, tam ex præſentia, & quod interfuerint, quam aliorum relatione fide digna præſcripta vera eſſe, & quod feſtivitas præfata intereſſentibus, & videntibus Reverendiſſimis, & Illuſtriſſimis DD. Nunciis Apoſtolicis pro tempore Coloniæ exiſtentibus, & e regione Collegii Dominicanorum commorantibus, habita, & celebrata fuerit, prout habetur, & celebratur in annos ſingulos, offerendo, quatenus opus, hujuſmodi ſuam factam depoſitionem medio juramento corporali coram quocunque legitimo Superiore affirmare, & corroborare; ſuper quibus petivit prænominatus Dominus requirens, ſibi a me Notario unum, vel plura, publicum, ſeu publica Inſtrumentum, & Inſtrumenta communicari. Acta ſunt, & fuerunt hæc Coloniæ Agrippinæ Anno, Menſe, & Die quibus ſupra, ac reſpective in ædibus DD. Deponentium præſentibus ibidem Admodum Reverendis Clariſſimis, & Conſultiſſimis viris, ac DD. Dominis Joanne Goiz Colonienſi Sacroſanctæ Theologiæ licentiato, Joanne a Falſkembergh, & Gualtero Gymnico Juris utriuſque licentiatis, & Senatoribus Colonienſibus Teſtibus fide dignis ad præmiſſa vocatis, ſpecialiter, atque rogatis &c.

Gerardus Thimerſum Notarius.

4. *Celebratur.*) Hac de re legendi *Brevis Relatio Apoſtolicarum Gratiarum Prædicatorum Ordini concellarum ad honorem B. Alberti Magni Epiſcopi Ratisbonen.* Prodiit Neapoli anno *MDCXXVIII*, & *MDCXXXIV*. Hujus tenoris eſt.

Beatus Albertus Magnus Ordinis Prædicatorum ſplendor, virtutibus ornatus, & miraculis clarus, migravit ad Dominum anno ſalutis 1280. 16. Novemb. ætatis vero ſuæ 87. quorum in Religione ſanctiſſime tranſegerat 71: ejus corpus ſepultum fuit Coloniæ, ante majus altare. Poſt multum vero temporis viſitatum, inventum fuit genibus flexis, ut conſueverat vivens orare. *Chroniſtæ Ordinis*.

Pius Papa II in oratione Mantuæ habita, ore proprio illum titulo Beati decoravit, & inter Doctores Eccleſiæ, poſt Sanctum Thomam recenſuit, *lib. epiſt. ejus num. 397. Caſtellin. de certitudine gloriæ Sanctorum fol. 68.*

Sixtus IV data legatione P. F. Salvio Caſſetta Generali Ordinis Præd. in Theutoniam, inter alia, corpus Beati Alberti ab antiqua ſubterranea ſepultura, in qua per annos 200. jacuerat, in illuſtriorem locum transferri juſſit, & inventum eſt incorruptum. *Chronica conſtit. fol. 68. Franciſcus Peña in vita S. Raymundi lib. 3. cap. 13. obſerv. 2.*

Pontifici prędicto, a Legato Apoſtolico Caſſetta, brachium dexterum B. Alberti delatum eſt, quod pia veneratione acceptum, poſtea dono dedit Religioni, hodieque Bononiæ aſſervatur, in ſacello Sacrarum Reliquiarum. *Chronica conſtit. fol. 68. Caſtellinus fol. 68*

Innocentius VIII de prædictis, & continuata veneratione certior factus, conceſſit Fratribus Ordinis Prædicatorum Coloniæ, & Ratisbonæ degentibus, ut poſſent Altare erigere, feſtum celebrare, & Divinum Officium recitare de B. Alberto Magno, ſicut de uno Confeſſore Pontifice. *Taegius P. 5. monumentorum Ordinis, Acta Cap. Generalis Romæ celebrati anno 1608 fol. 28. Pio Par. 2. Vir. Ill. lib. 3. col 70.*

Dominus Albertus Epiſcopus Ratisbonenſis ſummis, & iteratis precibus obtinuit tandem, anno Domini 1619. a Patribus Cap. Provincialis Theutoniæ celebrati, brachium ſiniſtrum Beati Alberti, quod honorifice in Cathedrali Ratisbonenſi conditum, fideles venerantur. *Lopez P. 5 fol. 17.*

Gregorius XV ad inſtantiam Sereniſſimorum Ducum Bavariæ, Neoburgi, Epiſc. Ratisb. & Religionis Dominicanæ extendit prædictam feſti celebrationem ad Capitulum, & Clerum Cathedralis Ratisb. vivæ vocis oraculo facto Illuſtriſs. Domino D. Cardinali Madrutio, *ut ex ſequentibus*.

Vi-

Vivæ vocis oraculum. Sanctiſſimi D. N. Papæ Gregorii XV de celebratione feſti Beati Alberti Magni, in Cathedrali Ratisbonenſi, in Germania.

Nos Carolus &c. (ut ſupra).

Urbanus VIII dictas gratias confirmavit, & extendit hoc modo. Neubergen. Dux Neuburgi ſupplicavit extendi licentiam jam conceſſam per felicem recordationem Gregorii XV celebrandi feſtum B. Alberti Magni cum officio pro civitate Ratisbonæ ad Civitatem Lavigen. patriam dicti Beati, & Sacra Rituum Congregatio conceſſit, ſi Sanctiſſimo placuerit. Sanctiſſimus annuit die ſecunda Aprilis Milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo primo. Carolus Epiſcopus Portuen. Cardinalis Pius.

Loco ✝ Sigilli.

Tegrinus Tegrimlus Epiſc. Aſſiſſienſis Secr.

Sacra Rituum Congregatio circa hujuſmodi extenſiones tale votum protulit. Decere ſ. arbitrati ſunt Illuſtriſſimi Patres iis, qui vitæ ſanctitatem, longa temporis diuturnitate comprobarunt, non in ſolo natali, vel iis in locis duntaxat, ubi corpora eorum aſſervantur, ſed etiam ubique ab omnibus, qui idem cum iis profitentur inſtitutum, venerationem deberi. Die 22 Septembris 1622.

Franciſcus Maria Card. a Monte.

Loco ✝ Sigilli.

Jo. Baptiſta Rinuccinus Secr.
Apud Caſtell. fol. 143.

Anno 1622 Die 8 Octobris.

De Feſto B. Ambroſii (1) Sanſedonii celebrando.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XII. Nos Scipio miſeratione divina tituli Sancti Chriſogoni Cardinalis Burgheſius nuncupatus, major Pœnitentiarius, Signaturę Gratię Pręfectus, ac totius Ordinis Prædicatorum Protector, Univerſis, & Singulis Chriſti fidelibus pręſentes noſtras inſpecturis, lecturis, & audituris.

FIdem indubiam facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, fuiſſe diebus elapſis nomine totius antedicti Ordinis Sanctiſſimo D. N. Gregorio Papę XV exhibitum Libellum ſupplicem quo humiliter petebatur, ut dignaretur ejus Sanctitas concedere, ut poſſent omnes Fratres, ac Moniales Ordinis pręfati celebrare Feſtum, & recitare Officium B. Ambroſii Sanſedonii Senenſis profeſſi dicti Ordinis Theologi, & Concionatoris eximii, Vitę Sanctitate, & Miraculorum gratia inſignis, quemadmodum fit a dictis Fratribus in Civitate Senenſi ab immemorabili; eundemque libellum ab ejus Sanctitate Nobis fuiſſe remiſſum, pro ejus maxima benignitate. Nos igitur attendentes, duo potiſſimum requiri in aliquo Dei Servo qui publico cultu in Eccleſia Dei ſit honorandus, nempe virtutem morum, & virtutem ſignorum, hoc eſt Sanctitatem, & miracula; Quę duo in B. Ambroſio Sanſedonio ita ſplendeſcunt, ut nihil prętерea ſit, quod exoptari queat, ſiquidem in Romano Martyrologio juſſu Clementis VIII felicis recordationis die XX Martii hęc ipſiſſima leguntur verba. Senis in Tuſcia B. Ambroſii Senenſis Vitę Sanctitate, prędicatione, & miraculis clari. Inſuper, & a Sancto Antonino Archiepiſcopo Florentino, & a B. Raymundo Capuano olim præfati Ordinis Generali Magiſtro, ejus Sanctitatem, & Miracula egregie celebrari, & extare pręter alias ſcripturas, & monumenta, quamplurima inſtrumenta publica manu publici Notarii conſcripta de ejus Miraculis, impetrata etiam prius ad id faciendum ab Ordinario opportuna facultate; fuiſſe prętereа conſcriptum opus a quatuor dicti Ordinis pręſtantiſſimis Theologis ſuper Sanctitate, & miraculis dicti B. Viri, Honorio Quarto Summo Pontifice id demandante, eo conſilio, ut ipſum in Sanctorum numerum referret, quod morte immatura pręreptus perficere non potuit. Summam quoque eſſe Populi Senenſis utriuſque ſexus in B. Ambroſium devotionem per annos trecentos, & amplius nunquam interruptam, immo ſemper magis, magiſque virentem, & maxima cum pompa, atque applauſu feſtum illius celebrari: Quin etiam per Summos Pontifices Gregorium XIII, Sixtum V, Gregorium XIV, & Paulum V. Sacras ejus reliquias, & Sacellum devote viſitantibus Indulgentiam omnium peccatorum plenariam fuiſſe conceſſam. Eidem Sanctiſſimo retulimus in audientia ſecreta nobis data die V Octobris labentis anni MDCXXII attentis pręfatis poſſe petitam gratiam concedi, ſi Sanctitati ſuę placuerit. Qui Sanctiſſimus honeſtę ac pię petitioni dicti Ordinis, noſtriſque precibus benigne annuens vivę vocis Oraculo Nobis facto conceſſit, ut in toto Prędicatorum Ordine pręfato Feſtum agi, & Officium recitari queat de dicto B. Ambroſio, ſicuti fiebat a Fratribus prefatis in Urbe Senarum prędicta, In quorum omnium, & ſingulorum teſtimonium has noſtras dedimus. Tuſculi in ędibus noſtris die VIII Octobris MDCXXII. Quas etiam manu propria, necnon Secretarii noſtri ſubſcriptas, ſigillo noſtro juſſimus communiri.

Scipio Card. Burgheſius.

Locus ✝ Sigilli.

Ludovicus Sart. Secretarius.

1. *Ambroſii.*) De quo ſæpius dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

De

De exemptorum privilegiis (1) circa animarum curam, & Sacramentorum adminiſtrationem, ſanctimonialium Monaſteria, & Prædicationem Verbi Dei.

Anno 1623 Die 5 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIII.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

INſcrutabili Dei providentia univerſalis Eccleſię regimini, meritis licet imparibus, prędſidentes, Paſtoralis noſtrę ſolicitudinis partes eſſe dignoſcimus, in eam curam pręcipue incumbere, ut a dignis, & probatis tantum ſacerdotibus ſancte adminiſtrentur Eccleſiaſtica Sacramenta, atque ut Virginum Deo ſacrarum Monaſteria diligentiſſime cuſtodiantur, & viri aſſumantur idonei ad prędicationis officium ſalubriter exequendum. Sane Tridentinę Synodi decretis provide cautum eſt, nullum Presbyterum, etiam regularem, poſſe Confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quę gratis detur, obtineat, necnon ut in Monaſteriis, ſeu domibus virorum, ſeu mulierum, quibus imminet animarum cura perſonarum ſecularium, pręter eas, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum, ſeu locorum familia, perſonę, tam regulares, quam ſeculares ejuſmodi curam exercentes, ſubſint immediate in iis, quę ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cujus Diœceſi ſunt ſita, itemque ut Epiſcopi univerſi ſub obteſtatione Divini judicii, & interminatione maledictionis ęternę in omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apoſtolicę auctoritate clauſuram ſanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maxime procurent, inobedientes, atque contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pęnas, quacunque appellatione poſtpoſita, compeſcentes, atque ut regulares in Eccleſiis ſuorum Ordinum prędicare volentes, ſe coram Epiſcopis pręſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, in Eccleſiis vero, quę ſuorum Ordinum non ſunt, nullo modo prędicare poſſint ſine Epiſcopi licentia, contradicente autem Epiſcopo, nulli, etiam in ſuorum Ordinum Eccleſiis, prędicare pręſumant. Verum quia experientia compertum eſt, eccleſiaſtici regiminis rationes poſtulare, ut decretis ejuſmodi aliquid adjungatur, matura deliberatione noſtra, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, hac generali, ac perpetuo valitura Conſtitutione decernimus, ſtatuimus, & declaramus, ut deinceps tam regulares, quam ſeculares quomodolibet exempti, ſive animarum curam perſonarum ſecularium Monaſteriis, ſeu domibus regularibus, aut quibuſvis aliis Eccleſiis, vel beneficiis, ſive regularibus, ſive ſecularibus incumbentem exerceant, ſive alias eccleſiaſtica Sacramenta, aut unum ex illis miniſtrent pręvia Epiſcopi licentia, & approbatione, ſive quoquomodo in dictę curę exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis adminiſtratione de facto abſque ulla auctoritate ſe ingerant, in his, quę ejuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt, omnimodę juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicę delegati, plene in omnibus ſubjiciantur. Ad hęc tam regulares, quam ſeculares hujuſmodi nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri ſe poſſint, quo minus, ſi deliquerint circa perſonas intra ſepta degentes, aut circa clauſuram, vel circa bonorum admiſtrationem Monaſteriorum Monialium, etiam regularibus ſubjectarum, ab Epiſcopo loci, ſimiliter tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicę delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant. Confeſſores vero ſive regulares, ſive ſeculares, quomodocunque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii ad Confeſſiones Monialium, etiam regularibus ſubjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Dięceſano idonei judicentur, & approbationem, quę gratis concedatur, obtineant. Sed & Adminiſtrantes bona ad ejuſmodi Monaſteria Sanctimonialium, ut prętertur, etiam regularibus ſubjectarum pertinentia, ſive regulares extiterint, ſive ſeculares, quomodolibet exempti, Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant. Liceatque Epiſcopo, ex rationabili cauſa Superiores regulares admonere, ut ejuſmodi Confeſſores, atque Adminiſtratores amoveant, iiſque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem, prędictos Confeſſores, & Adminiſtratores amovendi quoties, & quando opus eſſe judicaverit. Ac ſimiliter poſſit Epiſcopus, una cum Superioribus regularibus, quarumcunque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Prętectarum, vel Prępoſitarum eorundem Monaſteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac prędſidere, abſque ulla tamen ipſorum Monaſteriorum impenſa. Ac demum habeat Epiſcopus, tanquam dictę Sedis delegatus, auctoritatem coercendi, ac puniendi quoſcunque exemptos tam ſeculares, quam regulares, qui in alienis Eccleſiis, aut quę ſuorum Ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſiis ſuis, aut ſuorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente, prędicare pręſumpſerint. Itaut Epiſcopi in ſupraſcriptis caſibus, & in pręnominatas perſonas, in pręmiſſis omnibus, & ſingulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem, per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pęnas, uti ejuſdem Sedis delegati, procedere, omnemque juriſdictionem exercere libere, & licite valeant. Decernentes ſic per quoſcunque judices, quavis auctoritate fungentes, etiam Sacri Palatii Auditores, necnon Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis, aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nota.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcunque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Johannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuſvis alterius inſtituti, etiam neceſſario, & in individuo exprimendi, Monaſteriorum, Conventuum, Capitulorum, Eccleſiarum, & aliorum quorumcunque tam ſecularium, quam regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clauſis, aut ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis; Conſervatorum deputationibus, eorumque atque aliis inhibitionibus, quibus Epiſcopi deferre minime teneantur, & quibuſvis aliis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, pręſentibus pro expreſſis habentes, quibus quoad ea, quę eiſdem pręſentibus adverſantur, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ceterum quia difficile foret, pręſentes literas ad ſingula quęque loca deferri, ut eę tamen omnibus innoteſcant, mandamus, illas ad valvas Lateranen., & Principis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, atque Cancellarię Apoſtolicę, & in acie Campi Florę publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis ſpatium dimitti, eiſque detractis, earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Pręlati, ſeu perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, in judicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quę ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Vigeſimo Secundo (3), Nonis Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

V. Dat.

S. de Urſinis.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

In Nomine Domini Amen. Anno a Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti MDCXXIII Indictione ſexta, die vero octava Menſis Februarii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri D. Gregorii divina providentia Papę XV Anno Secundo, retroſcriptę literę Apoſtolicę affixę, & publicatę fuerunt ad valvas Baſilicarum Sancti Johannis Lateranen., Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cancellarię Apoſtolicę, & in acie Campi Florę, dimiſſis ibidem earundem literarum originalibus appenſis per aliquod temporis ſpatium, & exinde remotis, deinde dimiſſis earundem literarum copiis affixis, ut moris eſt, per nos Coſmum Modium, & Alexandrum de Rocchis Sanctiſſimi Domini Noſtri Papę Curſores.

Octavius Spada Magiſter Curſorum.

1. *Privilegiis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo.*

2. *Archivo.*) In quo exemplaria *Romæ* typis R.Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCXXIII*.

3. *Vigeſimo Secundo.*) Stylo Bullarum, æra communis *MDCXXIII*.

Huc etiam ſpectant ſequentes declarationes.

Declarationes aliquot Sacræ Congreg. Concilii ſuper Conſtitutione ſa.me.Gregorii XV. De exemptorum privilegiis &c.

Poſita Conſtitutione fel. rec. Gregorii XV de exemptorum privilegiis &c. Dubitatur.

I. AN liceat Epiſcopis viſitare Altaria regularium Eccleſiarum, quibus cura animarum perſonarum ſecularium non incumbit, aut loca, ubi in iiſdem Eccleſiis aſſervatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel ubi audiuntur Confeſſiones perſonarum ſecularium?

II. An Epiſcopi poſſint Regularibus præſcribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum Confeſſiones audiant, vel alias illorum privilegia reſtringere, ac moderari in Sacramentis adminiſtrandis?

III. An facultas Epiſcopis per Conſtitutionem attributa in exemptos tam ſeculares, quam regulares, intelligatur etiam tributa in perſonas nullius Diœceſis?

IV. An eadem facultas competat inferioribus Prælatis, proprium territorium, ac juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus?

V. An per eandem Conſtitutionem in illis verbis, poſſit Epiſcopus una cum Superioribus regularibus quarumcunque Abbatiſſarum &c electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere, jus Abbatiſſas confirmandi Epiſcopis attributum cenſeatur?

VI. An

VI. An Confeſſores Monialium ante editam Conſtitutionem deputati, debeant ab Epiſcopo examinari, & approbari.

VII. An ſuperiores regulares ſimiliter ante ipſius Conſtitutionis publicationem electi, ſeu deputati, alia indigeant Epiſcopi approbatione pro Confeſſionibus ſanctimonialium ſibi ſubjectarum audiendis?

VIII. Ad Confeſſiones, quas audiunt Superiores regulares electi, ſeu deputati, vel confirmati poſt publicationem, & ſcientiam tenoris dictæ Bullæ, non obtenta Epiſcopi approbatione, ſint nullæ, atque irritæ, necne?

IX. An regulares generaliter ab Epiſcopo approbati ad Confeſſiones perſonarum ſecularium audiendas, cenſeantur etiam approbati ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum?

X. An regularis ad audiendas Confeſſiones Monialium unius Monaſterii ab Epiſcopo approbatus Confeſſiones Monialium alterius Monaſterii audire poſſit?

XI. An Confeſſores regulares extraordinarii ſemel ab Epiſcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium Confeſſiones pro una vice infra annum ad præſcriptum Sacri Concilii Tridentini, poſſint, virtute dictæ approbationis, pluries tanquam Confeſſores extraordinarii earundem Confeſſiones audire abſque nova Epiſcopi licentia?

XII. Cum in eadem Conſtitutione ſtatutum ſit, ut liceat Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores regulares admonere, ut amoveant Confeſſores Monialium, atque Adminiſtratores bonorum ad earundem Monialium Monaſteria pertinentium, iiſque Superioribus id facere detrectantibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores, & Adminiſtratores amovendi quoties, & quando opus eſſe judicaverit: An ejuſmodi cauſam Epiſcopus Superioribus regularibus ſignificare teneatur?

XIII. An eadem Conſtitutio qua parte ſupponit Epiſcopi juriſdictioni regulares delinquentes circa perſonas degentes intra ſepta Monaſteriorum Monialium, aut circa clauſuram, vel bonorum adminiſtrationem eorundem Monaſteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an vero ſolum in notoriis, & cum ſcandalo populi?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit, Conſtitutionem ſan. mem. Gregorii XV de exemptorum privilegiis, nequaquam ſubjicere regulares exemptos, quibus cura animarum perſonarum ſecularium non incumbit, Epiſcoporum juriſdictioni in his, quæ Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, niſi cum in Sacramentis perſonis ſecularibus adminiſtrandis iidem regulares delinquunt, ac propterea.

AD primum dubium reſpondit, Epiſcopis non licere in vim ejuſdem Conſtitutionis viſitare Altaria Eccleſiarum regularium, quibus non incumbit animarum cura perſonarum ſecularium, nec loca, ubi in iiſdem Eccleſiis aſſervatur S. Euchariſtiæ Sacramentum, vel ubi Confeſſiones perſonarum ſecularium audiuntur.

Ad II. Hac in parte Conſtitutionem nihil novi juris induxiſſe, nec ullam novam auctoritatem Epiſcopis in regulares attribuiſſe. Ideoque in vim ipſius Conſtitutionis non poſſe Epiſcopos regularibus præſcribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum Confeſſiones audiant, vel alias illorum privilegia in Sacramentis adminiſtrandis reſtringere, aut moderari. Quod ſi aliunde Epiſcopis hujuſmodi facultas competat, illam non fuiſſe ab eadem Conſtitutione ſublatam.

Ad III. Cenſuit ejuſmodi facultatem non intelligi tributam Epiſcopis in perſonas nullius Diœceſis.

Ad IV. Non competere.

Ad V. Jus confirmandi Abbatiſſas minime fuiſſe Epiſcopis per Conſtitutionem attributum.

Ad VI. Confeſſores quidem extraordinarios Monialium nullatenus poſſe poſt Conſtitutionem illarum Confeſſiones audire, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur, & approbentur. Ordinarios vero Confeſſores ante Conſtitutionis publicationem deputatos poſſe, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in Confeſſionibus Sanctimonialium audiendis abſque alio examine, & approbatione Epiſcopi. Quod ſi contingat, ut illorum facultas a Sede Apoſtolica ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Epiſcopo examinari, & approbari.

Ad VII. Superiores regulares electos, ſeu deputatos ante ipſius Conſtitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, poſſe, durante eorum officio, pergere ſine alia Epiſcopi approbatione in Confeſſionibus audiendis illarum tantum, quæ ſponte, ac proprio motu id ab eis petierint. At vero eos, qui poſt Conſtitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officiis, ſeu dignitatibus, expleto jam tempore a Conſtitutionibus cujuſque Ordinis, vel alias legitime præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam poſſe Sanctimonialium Confeſſiones audire, niſi prius a Diœceſano Epiſcopo idonei judicati, atque approbati fuerint.

Ad VIII. Confeſſiones hujuſmodi nullas, atque irritas eſſe.

Ad IX. Regulares generaliter ab Epiſcopo approbatos ad Confeſſiones perſonarum ſecularium audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione.

Ad X. Regularem ad audiendas Confeſſiones Monialium unius Monaſterii ab Epiſcopo approbatum, minime poſſe audire Confeſſiones Monialium alterius Monaſterii.

Ad XI. Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe pluries in vim approbationis ejuſmodi illarum Confeſſiones audire, ſed ab Epiſcopo toties eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit.

Ad XII. Non teneri ejuſmodi cauſam ſignificare Superioribus regularibus, ſed hoc relinqui arbitrio, & pruden-

prudentiæ Epiſcoporum, quorum conſcientiam Sacra Congregatio ſerio oneravit, ne facultate ſibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, ejus rei in diſtricto Dei judicio rationem reddituri.

Ad XIII. Conſtitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum, & cum populi ſcandalo.

Quæ Sacræ Congregationis reſponſa ad ſe relata fel. record. Gregorius XV, & Sanctiſs. D. N. Urbanus VIII, in omnibus approbarunt.

A. Card. Caetanus. *Proſper Fagnanus S. Cong. Secr.*

Ex Archivo Ordinis in quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCXXIII*.

Anno 1623 Die 15 Martii.

De Cæſarauguſtano Cœnobio S. Ildephonſi conſtruendo (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIV.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiſcopo Cęſarauguſtano, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ALias felicis recordationis Paulus Papa V, Prędeceſſor noſter, certis tunc expreſſis cauſis adductus, & ſupplicationibus dilectorum filiorum Didaci Fecet, & Martini Frances, Laicorum Cęſarauguſtanorum, ſeu alterius civitatis, vel Diœceſis executorum teſtamentariorum quondam Alphonſi de Villalpando ſibi tunc porrectis inclinatus, Fraternitati tuę per ſuas literas dedit in mandatis, quatenus nonnullos infraſcripti Ordinis Fratres in certis ędificiis in civitate Cęſarauguſtana, & Platea de Meliz nuncupata poſitis, ac per eundem Alphonſum in ultimo ſuo teſtamento ad effectum inibi unam domum Regularem Ordinis Fratrum Prędicatorum conſtruendi relictis a pluribus annis, jam tunc degentes, qui fructibus bonorum pro ejuſdem Domus conſtructione, & dotatione ab eodem Alphonſo erogatorum, valorem centum, & viginti millium ſcutorum monetę excedentium gaudebant, Domum tamen ipſam non extruxerant; minuſque illius fabricę principium dederant: omnibus juris, & facti remediis opportunis ad eandem domum decenter, & venuſte fabricari faciendum, Apoſtolica auctoritate cogeres, & compelleres, ac ſuper ipſa fabrica certis modo, & forma tunc expreſſis provideres, & ex tunc, poſtquam illa perfecta foret, domum prędictam in domum Regularem dicti Ordinis erigeres, & inſtitueres, illique omnia bona ei a dicto Teſtatore relicta applicares, & appropriares, necnon, quod dicta domus ſic in Domum Regularem erecta, & inſtituta perpetuis futuris temporibus alicui alteri ejuſdem, vel alterius Ordinis Domui Regulari, aut loco pio uniri, illiuſque bonorum fructus applicari nequirent, ſtatueres, & ordinares; ac alias prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Didaci, & Martini prędictorum petitio continebat, literis prędictis, quę per annum ante obitum dicti Prędeceſſoris expeditę fuerunt, executioni minime demandatis, dictus Prędeceſſor, ſicut Domino placuit, rebus fuerit humanis exemptus, & propterea illas abſque novo Sedis Apoſtolicę mandato exequi poſſe dubites: pro parte eorundem Didaci, & Martini Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur teſtamenti, ac literarum hujuſmodi tenores etiam veriores, ac ipſarum literarum Datam pręſentibus pro expreſſis habentes, dictoſque Didacum, & Martinum, ac eorum quemlibet, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis, ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa, latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, poſterioribus hujuſmodi ſupplicationibus etiam inclinati, eidem fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam dictę literę tibi pro parte dictorum Didaci, & Martini pręſentatę fuerint, ad illorum executionem, ſervata alias earum forma, auctoritate noſtra procedas, in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi dictus Prędeceſſor adhuc viveret. Non obſtantibus omnibus, quę idem Prędeceſſor in dictis literis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Vigeſimo Secundo (3), Idibus Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Conſtruendo.*) Conſulenda Conſtitutio *XC Pauli V*, data die *XIII* Decembris *MDCXVI*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Cæſarauguſtano*.
3. *Vigeſimo Secundo.*) Stylo Bullarum æræ communis *MDCXXIII*.

Anno 1623 Die 27 Martii.

Quæ pro Cæſarauguſtano (1) Collegio ſancita ſunt firmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XV.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiſcopo, & dilecto filio Officiali Cęſarauguſtano, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. AD ea, quę pro felici Collegiorum quorumcunque, prę ſertim Regularium perſonarum pia, & laudabili Chriſti fidelium elargitione ad juventutem inſtruendam, boniſque moribus, & ſcientiis imbuendam, fundatorum proſpera directione, fideli que gubernio, ex rationabilibus cauſis provide facta fuiſſe dicuntur, conſiderationis noſtrę indaginem, ex paſtoralis Officii, noſtris humeris ſola prępotentis Dei benignitate impoſiti, propenſe convertimur, illiſque, ut firma perpetuo, & illibata perſiſtant, ac invio-

inviolabiliter ab omnibus obſerventur, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici mandamus adjici muniminis firmitatem prout perſonarum, rerum, & locorum qualitatibus debite penſatis, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Rectoris, & Collegialium Collegii S. Vincentii Ferrer Ordinis Fratrum Prędicatorum Cęſarauguſtani, petitio continebat, quod alias quondam Hieronymus Ferrer, Laicus dum vixit Cęſarauguſtan. civitatis, vel Dięceſis, & dilecta in Chriſto filia Anna Clavero Conjuges pio devotionis zelo ducti, pręfatum Collegium cum hoc quod ipſę eorum vita durante de biennio in biennium Rectorem dicti Collegii ſibi bene viſum eligere, ac eundem reeligere, necnon futuros poſt eorum obitum ipſius Collegii perpetuos Collegiales & unum duntaxat Rectorem etiam perpetuum nominare poſſent, & quilibet eorum ſuperſtes poſſet, ipſoque Rectore perpetuo vita functo electiones ejus Succeſſorum futurorum ejuſdem Collegii Rectorum juxta dicti Ordinis conſuetudinem fieri debeant, aliiſque certis tunc expreſſis pactis, conditione adjecta, quod Rector, & Collegiales ejuſdem Collegii confirmationem, electionum, & nominationum, ac pactorum hujuſmodi a Sede Apoſtolica ipſius Collegii propriis ſumptibus, & expenſis impetrare tenerentur, fundaverunt, & ſucceſſive dicta Anna Clavero prętato Hieronymo prędefuncto, & etiam tunc exiſtentes Miniſter Provincialis dicti Ordinis Provincię Aragonię, ac Rector, & Conſiliarii dicti Collegii in correctione prefatorum, aut ordinatione aliorum novorum factorum unanimi conſenſu decreverunt, quod ipſius Collegii Rector, & Collegiales pręfati ad confirmationem pręfatam ut ſupra impetrandam, obligati minime remanerent. Tandem ipſi Rector, & Collegiales, attendentes pręcipuam dictę Annę intentionem eſſe, ut ſingulę electiones, & nominationes hujuſmodi ſuſtineri poſſent, & Apoſtolico munimine roborarentur, ipſamque Annam per hujuſmodi Decretum ſua hujuſmodi intentione defraudatam venire, & propterea eidem Annę rem gratam facere, ejuſque intentioni inhęrere, ac ei ſe in quantum valebant conformare volentes, ſub die V menſis Februarii Anni Domini MDCXXII in unum, ut moris eſt, capitulariter congregati, uno ore, nemineque eorum diſcrepante, ſtatuerunt, quod deinceps Confirmatio nominationum Rectorum dicti Collegii, quos per dictam Annam quoad vixerit ad tempus, eligi, & reeligi contigerit, ac etiam nominationis ab eadem Anna de futuro poſt ejus obitum Rectore perpetuo, & Collegialibus etiam perpetuis faciendę ab eadem Sede peti, & etiam dicti Collegii impetrari, & reputari debeat, & qui in Collegiales perpetuos, & Rectorem etiam perpetuum ejuſdem Collegii per ipſam Annam in ejus Teſtamento, vel alia ſcriptura nominati fuerint, pro talibus habeantur, & cenſeantur, ac ab eis, ad quos ſpectabit, haberi, & cenſeri debeant, ac prout in dicto ſtatuto, & ſcripturis publicis, vel privatis deſuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, firmiora ſint ea, quę a Sede pręfata approbantur, pro parte dictorum Rectoris, & Collegialium Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus dictum ſtatutum pro firmiori ejus ſubſiſtentia, & obſervatione inviolabili approbare, & confirmare, atque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui honeſtis fidelium, quorumlibet, pręſertim Regularium perſonarum votis, libenter intendimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, dictos Rectorem, & Collegiales, eorumque, ac Collegii hujuſmodi ſingulares perſonas, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, dictarumque ſcripturarum tenores, etiam veriores, pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę, Frater Archiepiſcope, ſeu diſcretioni tuę, fili Officialis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus conſtito tibi de pręmiſſis, dictum ſtatutum, & prout illud concernunt, ſcripturas deſuper confectas, licitas tamen, & honeſtas, auctoritate noſtra approbes, & confirmes, ac illis inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicias, omneſque, & ſingulos, tam juris quam facti, & quoſvis alios, etiam quantumvis ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint in eiſdem ſuppleas; necnon ſtatuta, & ſcripturas hujuſmodi valida, & efficacia eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac tam per eoſdem, quam etiam pro tempore exiſtentes ejuſdem Collegii Rectorem, & Collegiales, quam etiam dicti Ordinis Superiores, ac quoſcunque alios, ad quos nunc quomodolibet ſpectat, & ſpectabit pro tempore, firmiter, & inviolabiliter obſervari, & adimpleri debere, ab illiſque quovis prętextu, colore, vel ingenio, cauſaque, & occaſione, reſiliri, aut recedi non poſſe, ſicque per quoſcunque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane, dicta auctoritate noſtra decernas. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod ipſius Collegii Rector non perpetuus, ſed ad tempus nominari debeat, & per pręſentes non intendimus facultatem eligendi, ſed nominandi tantum Rectorem, & Collegiales hujuſmodi concedere. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Vigeſimo Tertio, Sexto Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

1. *Cęſarauguſtano.*) Juris eſt *Aragoniæ Provinciæ.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Cęſarauguſtano.*

De

Anno 1623 Die 6 Aprilis.

XVI.

De electionibus (1) Canonicis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

GREGORIUS PP. XV.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Seraphinus Siccus Papien. Magiſter Generalis Fratrum Ordinis Prędicatorum, quod alias in Capitulo Generali dicti Ordinis de anno MDXCVI, in Civitate Valentin. celebrato, Apoſtolica auctoritate ſtatutum fuit, quod nullus dicti Ordinis profeſſor in qualibet electione canonica vocem activam, & paſſivam haberet, niſi a completis duodecim annis ante profeſſionem, per dicti Ordinis Fratres emitti ſolitam, expreſſe emiſiſſet, ac in Capitulo Generali ejuſdem Ordinis in Civitate Neapolitan. de anno MDC celebrato ſtatutum hujuſmodi ad Moniales; & ſucceſſive in Capitulo Generali ipſius Ordinis de anno MDCI in Alma Urbe noſtra celebrato ad Sorores Tertii habitus Ordinis hujuſmodi, quę profeſſionem ſolemnem emittunt, extenſum fuit. Subinde vero in Capitulo Generali Ordinis prędicti in dicta Urbe de anno MDCVIII celebrato eadem Apoſtolica auctoritate pariter ſtatutum fuit, ut omnes dicti Ordinis profeſſores, dummodo in ſacro Presbyteratus ordine conſtituti eſſent, & a ſex annis integris profeſſionem prędictam emiſiſſent, in qualibet electione canonica vocem activam habere poſſent, excepta tamen Domo regulari ejuſdem Ordinis Civitatis Pariſien., ubi tam electores, quam electi duodecimum profeſſionis annum expleviſſe deberent, ſtatutumque hujuſmodi in Conſtitutionibus dicti Ordinis noviter impreſſis inſertum, & in toto Ordine prędicto in uſu, prout in dictis Conſtitutionibus poſitum reperitur, exiſtit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, a nonnullis dubitetur, ſtatuta prędicta, & illorum extenſiones in vim conceſſionis, ſive indulti vivę vocis oraculo Romanorum Pont. Prędeceſſorum noſtrorum emanati, edita fuiſſe; & propterea ad omne dubium e medio tollendum; & quo ſtatuta hujuſmodi firmius ſubſiſtant, & ab iis, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſerventur, Magiſter Generalis prędictus per Nos, ut infra, opportune provideri ſummopere deſideret; Nos proſpero, & felici Ordinis hujuſmodi gubernio, & regimini quantum cum Domino poſſumus, conſulere, dictumque Magiſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, primodictum quoad illius extenſionem ad Moniales, & Sorores prędictas, necnon in Conſtitutionibus dicti Ordinis inſertum, ut pręfertur, ſecundo dictum ſtatutum hujuſmodi quoad Fratres prędictos dicta auctoritate tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus; ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes, ſtatuta prędicta ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter obſervari debere, pręſenteſque literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, dictoque Ordini in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI Aprilis MDCXXIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Nota.

S. Card. S. Suſannę.

1. *Electionibus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria *Romæ* typis Rev. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa.

Anno 1623 Die 12 Maii.

XVII.

Firmat ea quæ pro Provincia S. Jacobi de Mexico ſancita ſunt a Capitulo Generali.

Ex Archivo (1) Ordinis.

GREGORIUS PP. XV.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

IN ſupremo Apoſtolatus ſolio, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione, conſtituti; votis illis, per quę locorum regularium quorumlibet, ac perſonarum in eis ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium proſpero ſtatui, felicique directioni conſulitur, benigne annuimus, & iis, quę propterea, pie, & provide facta, & ordinata fuiſſe dicuntur, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolicę confirmationis robur adjicimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Frater Joſephus de Quintana Duenas Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, Provincię S. Jacobi de Mexico ejuſdem Ordinis procurator, quod alias Provincia prędicta, attento pauco numero Religioſorum, ac regularium domorum ejuſdem Ordinis in illis partibus exiſtentium, Ca-

Diplomatis cauſa.

Capitulo Generali ipſius Ordinis de Menſe Maii anni proxime præteriti in civitate Mediolanenſi celebrato per eundem Joſephum inſtitit, quatenus concederetur, ut Vicarii trium Domorum Regularium dicti Ordinis, ſcilicet Chimalhuacan, Chalco, & de Quautla delas Amilpas, & de Tequeciſtepec, ſuffragium habere poſſent in electione Provincialis, ac tres Priores Conventuum de Zacatecas, Guadalaxara, & Veracruz, eligerentur a Provinciali cum Diffinitorio, aut ſex patribus Provinciæ; inſuper ut vocales ad electionem Prioris Conventuum de la Puebla, & de Mexico duodecim annos a profeſſione habere debeant. Præterea Decretum, quod in eodem Capitulo Generali editum fuit, tenoris ſubſequentis, videlicet. Confirmamus ordinationem de alternativa electionis Provincialis ex natis in Hiſpania, & ex natis in Indiis, itaut ſi aliter fiat, ipſo facto electio ſit nulla, & inanis. Mandamus autem ſub pæna abſolutionis ab officio Patri Provinciali pro tempore, ut juſtitiam diſtributivam, & æqualitatem, ſervari curet in poſtulandis gradibus, & recipiendis ad habitum, quod ſi modo plures ex altera dictarum partium recepti inveniantur, nullus admittatur, quoad uſque totidem ex altera parte admiſſi fuerint. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, petitiones hujuſmodi regularibus ejuſdem ordinis inſtitutis ab Apoſtolica auctoritate confirmatis adverſentur, Nobis propterea, ac etiam pro majori dicti decreti validitate, & ſubſiſtentia, dictus Joſephus ejus Provinciæ nomine, de ipſius Capituli licentia, humiliter ſupplicari fecit, ut deſuper opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, dictum Joſephum ſpecialibus favoribus proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pænis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis regularium præpoſitorum conſilio, eidem Provinciæ quod Vicarii trium Domorum ſcilicet de Chimalhuacan, Chalco, & de Quautla de las Amilpas, & de Tequeciſtepec ſuffragium habere poſſint in electione Prioris Provincialis, quodque tres Priores Conventuum de Zacatecas, Guadalaxara, & Veracruz eligantur a Provinciali cum diffinitorio, aut ſex Patribus Provinciæ, ac inſuper quod Vocales ad electionem Prioris Conventuum de la Puebla, & de Mexico, duodecim annos a profeſſione habere debeant, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus, & inſuper præinſertum decretum hujuſmodi auctoritate, & tenore ſimilibus approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus; decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter obſervari debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon prædictis, & quibuſvis aliis dicti Ordinis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, eorum tenores pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII Maii MDCXXIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Confirmatio.

S. Card. S. Suſannæ.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiſcopi, & Epiſcopi Dignitates, Gregorio XV Summo Pontifice, promotos exhibens.

ARCHIEPISCOPI.

F. Auguſtinus Bagienſis, aliis Pacenſis, Armenus, Archiepiſcopus Myrenſis, *Strumita*, in Lycia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXIII pag. 86, ex Galano. Cavalerius Tomo I pag. 605 num. CVII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLIII pag. 572.* Anno circiter 1622.

IDem Coadjutor fuit Archiepiſcopi Naſcivanen., in Armenia. Quam Eccleſiam rexit Anno MDCXXVII mortuo Paulo Maria Citadino Bononienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. IX pag. 58, Echard*, & *Cavalerius* mox laudati.

EPISCO-

EPISCOPI.

Anno 1621. F. Hieronymus Ruſca, Patavinus, ex Epiſcopo, *Catharenſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Pauli V* dictum fuit, Epiſcopus Juſtinopolitanus, *Capo d' Iſtria*, in Iſtria, ſub Aquilejenſi Patriarcha. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCVII pag.* 208. *Ughellus in Epiſcopis Juſtinopolitan. Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 393 *edition. Venetæ*. *Cavalerius Tomo I pag.* 574 *num. LII.*

Anno 1621. F. Petrus de Herrera, Salmanticenſis, Epiſcopus Canarienſis, in ejuſdem nominis Inſulis, ſub Archiepiſcopo Hiſpalenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXIX pag.* 153. *Cavalerius Tomo I pag.* 574 *num. LIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXXX pag.* 467, & in *Addendis pag.* 997. Variis Eccleſiis præfuit, ut poſtea dicetur.

Anno 1621. F. Paulus Pucciarellus, Querquenſis Cœnobii Viterbienſis alumnus, Epiſcopus Andrenſis, *Andro*, in ejuſdem nominis Inſula Maris Ægæi, ſub Archiepiſcopo Naxenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXXII pag.* 124, *ex Actis Conſiſtorialibus*. *Cavalerius Tomo I pag.* 578 *num. LIX.*

Anno 1622. F. Innicus a Brizuela, Salmanticenſis, Epiſcopus Segobienſis, *Segovia*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXL pag.* 293, *ex Actis Conſiſtor.*, & ex *Ægidio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 572 *num. XLIX.*

Anno 1622. F. Abraham Siladehouski, Polonus, Epiſcopus Citrenſis, *Chitro*, in Macedonia, ſub Archiepiſcopo Theſſalonicenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXXIV pag.* 170, *ex Actis Conſiſtorialibus*. *Cavalerius Tomo I pag.* 558 *num. XXVII. Simon Okolski in Ruſſia Florida pag.* 59. *Dominicus Frydrychowicz in S. Hyacintho &c. pag.* 224.

Anno 1622. F. Nicolaus Coeffeteau, ex Epiſcopo *Dardanienſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Pauli V* dictum fuit, Epiſcopus Maſſilienſis, *Marſeille*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Arelatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXII pag.* 230, *ex Gallia Chriſtiana, & le Febvre in Manuali Hiſtorico*. *Echard*, aliique ſupra laudati.

Anno 1622. F. Hieronymus Baptiſta de la Nuza, ex Epiſcopo *Barbaſtrenſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Pauli V* dictum fuit, Epiſcopus Albaracinen., in Hiſpania Tarraconenſi, ſub Archiepiſcopo Valentino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XVIII pag.* 118. *Cavalerius*, & *Echard* ſupra laudati.

Anno 1622. F. Hyacinthus Petronius, nobilis Romanus, Epiſcopus Melphitenſis, *Molfetta*, in Regno Neapolitano, immediate ſub S. Sede. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXIX pag.* 233. *Ughellus in Epiſcopis Melphiten. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 919 *edition. Venetæ*. *Cavalerius Tomo I pag.* 597 *num. XCI. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXLVII pag.* 553.

Anno circiter 1622. F. Gaſpar Soares, Epiſcopus Targenſis, *Targa*, in Africa. *Franciſcus de Fonſeca in Evora Glorioſa pag.* 316 *num. DLXIV*. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Archiepiſcopi *Eborenſis*. Obiit anno *MDCXXV*.

Anno 1623. F. Franciſcus Maria Burrattus, Romanus, Epiſcopus Vulturarien., & Montis Corbini, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Ughellus in Epiſcopis Vulturarien. Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.* 397 *Edition. Venetæ*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXCIX pag.* 240, *& Tit. DCLI pag.* 328. *Cavalerius Tomo I pag.* 559 *num. XXX*. Addit *Ughellus* quod *Franciſcus* noſter *ſedit Menſes V*, *defunctus Octobri Menſe*. *De eo Chartarius in Syllabo Advocatorum Conſiſtor. pag.* 275.

URBA-

URBANUS VIII.

(a) *Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium.*
(b) Idem.
(c) Idem.

Maphæus de Barberinis, Florentinus, electus (*a*) eſt die VI Auguſti MDCXXIII. Coronatus (*b*) fuit die XXIX Septembris. Obiit (*c*) Die XXIX Julii MDCXLIV. Sedit Annos XX, Menſes XI, Dies XXIV.

Indulgentiæ conceſſæ.

Anno 1623 Die 13 Decembris.

Ex Archivo* (1) *Ordinis.

I.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DE ſalute gregis Dominici curę noſtrę &c. Cum itaque, ſicut accepimus, in Eccleſia Domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Valentin. una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas ſub invocatione Sancti Raymundi de Peñafort &c. Nos cupientes, ut dicta Confraternitas majora in dies ſuſcipiat incrementa, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis qui de cetero dictam Confraternitatem ingredientur, die prima illorum ingreſſus ſi Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſumpſerint, & tam ipſis, quam nunc, & pro tempore exiſtentibus dictę Confraternitatis confratribus in cujuslibet eorum mortis articulo pariter vere pęnitentibus, & confeſſis, ſacraque communione, ſi id commode fieri poterit, refectis, piumque Nomen Jeſu corde, ſi ore nequiverint, invocantibus, eiſdemque confratribus, etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, dictaque communione refectis, qui dictam Eccleſiam in ejuſdem Sancti Raymundi feſtivitate, a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei feſtivitatis hujuſmodi annis ſingulis devote viſitaverint, & ibi pro hęreſum extirpatione, hęreticorum converſione, ſanctęque Matris Eccleſię exaltatione, & principum chriſtianorum concordia, ac Romani Pontificis ſaluto pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium, concedimus, & elargimur. Inſuper eiſdem Confratribus ſimiliter vere pęnitentibus, & confeſſis, ac prędicta communione refectis, qui Eccleſiam prędictam in Sancti Vincentii Martyris, & Sancti Michaelis Archangeli, ac Inventione Sanctę Crucis, & Sancti Joſephi feſtivitatibus, etiam devote viſitaverint, &, ut pręfertur, oraverint, quo die hujuſmodi prędictarum feſtivitatum id pro tempore fecerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas: qui vero Miſſis, & aliis Divinis officiis in dicta Eccleſia pro tempore celebrandis, & recitandis, ſeu Congregationibus publicis, vel ſecretis ejuſdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, vel pauperes peregrinos hoſpitio exceperint, aut pacem cum inimicis compoſuerint, necnon corpora in Chriſti caritate defunctorum tam confratrum, quam aliorum ad ſepulturam eccleſiaſticam aſſociaverint, vel quaſcunque de licentia Ordinarii faciendas Proceſſiones, dictumque Sanctiſſimum Sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur, comitati fuerint, aut ſi impediti, Campanę ad id ſigno dato, ſemel orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro eodem infirmo racitaverinta,ut etiam quinquies orationem, & toties ſalutationem prędictas pro animabus in Chriſti caritate defunctorum dictę Confraternitatis, ſimiliter recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes Dei pręcepta, & quę ad ſalutem ſunt docuerint, toties pro quolibet pręmiſſorum piorum operum exercitio ſexaginta dies de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis pęnitentiis, auctoritate, & tenore prędictis miſericorditer in Domino relaxamus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod ſi dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata ſit, vel in poſterum aggregetur, ſeu quavis alia ratione pro Indulgentiis illius conſequendis, aut de illis participandis uniatur, vel etiam quomodolibet inſtituatur, priores, ſeu quęvis alię literę deſuper obtentę pręter has pręſentes nullatenus ei ſuffragentur, ſed ex tunc prorſus nullę ſint eo ipſo, quodque ſi Confratribus prędictis ratione pręmiſſorum, vel alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius ſint roboris, vel momenti. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Vigeſimo Tertio, Idibus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Valentino.*

Anno 1631 Die 1 Februarii.
II.

PRo Cœnobio S. Onuphrii Valentin. Conſtitutio ſic incipit: *Urbanus &c. Illius vices &c. Cum itaque, ſicut accepimus, in Eccleſia Monaſterii S. Onuphrii Ordinis Fratrum Prædicatorum Valentinæ Civitatis, vel Diœceſis, una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas, ſub invocatione ejuſdem S. Onuphrii, ad Dei Omnipotentis laudem, & animarum ſalutem, proximique ſubventionem canonice, non tamen pro hominibus unius ſpecialis artis inſtituta, exiſtit, cuius dilecti filii Confratres quamplurima caritatis, pietatis, & miſericordiæ opera exercere conſueverunt. Nos igitur, cupientes, ut ipſi, ac pro tempore exiſtentes dictæ Confraternitatis Confratres, in hujuſmodi piorum operum exercitio confoveantur, ac magis ad ea in poſterum exercenda, necnon alii Chriſtifideles ad dictam Confraternitatem de cetero ingrediendam, per am-*

amplius invitentur, dictaque Eccleſia in debita veneratione habeatur, de ejuſdem Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, vere pœnitentibus, & confeſſis, qui dictam Confraternitatem de cetero ingredientur, & in ea recipientur, die prima illorum ingreſſus, & receptionis hujuſmodi, ſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ac tam ipſis, quam nunc, & pro tempore exiſtentibus dictæ Confraternitatis Confratribus, vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione, ſi commode fieri poterit, refectis, ubilibet decedentibus, vel ſaltem contritis, in eorum mortis articulo pium nomen Jeſu corde, ſi ore nequiverint, invocantibus, necnon dictis Confratribus ſimiliter vere pœnitentibus, & confeſſis, ac eadem Communione refectis, qui Eccleſiam præfatam in feſtivitate ejuſdem Sancti Onuphrii, a primis veſperis ad occaſum ſolis diei feſtivitatis hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & inibi pro Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, hæreſum extirpatione, infidelium converſione, & inter Principes Chriſtianos concilianda, & facienda pace, ac Romani Pontificis ſalute, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium, & ſingulorum peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, concedimus, & elargimur. Præterea præfatis Confratribus pariter vere pœnitentibus, & confeſſis, qui ſumpto eodem Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, eandem Eccleſiam in omnium Sanctorum, & Sancti Dominici, ac Sanctorum Abdon, & Sennen, necnon Sancti Vincentii Ferrerii feſtivitatibus, ſingulis annis viſitaverint, & oraverint, ut ſupra, ſeptem annos, & totidem quadragenas. Poſtremo ipſiſmet Confratribus quoties divinis officiis in Eccleſia præfata, ſeu dictæ Confraternitatis Oratorio more Confratrum celebrandis, aut Congregationibus publicis, vel ſecretis ipſius Confraternitatis pro quotunque opere pio exercendo, ubivis faciendo, interfuerint, aut ipſum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur aſſociaverint, vel hoc facere impediti, campanæ ad id ſigno dato, genibus flexis ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, pro eodem infirmo dixerint, aut Proceſſionibus ordinariis, & extraordinariis, tam præfatæ Confraternitatis, quam quibuſvis aliis de licentia Ordinarii celebrandis, ac ſepeliendis mortuis officioſe interfuerint, vel pauperes peregrinos hoſpitio exceperint, aut pacem cum inimicis compoſuerint, ſeu devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, ac ignorantes Dei præcepta, & quæ ad ſalutem ſunt docuerint, aut quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam præfatas pro animabus Confratrum dictæ Confraternitatis in Chriſti caritate defunctorum, recitaverint, toties pro quolibet præmiſſorum piorum operum exercitio, ſexaginta dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis auctoritate, & tenore præſentium, miſericorditer in Domino relaxamus, præſentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod ſi dicta Confraternitas, alicui Archiconfraternitati aggregata ſit, vel in poſterum aggregetur, ſeu quavis alia ratione pro illius Indulgentiis conſequendis, aut de illis participandis uniatur, vel alias quomodolibet inſtituatur, priores, ſeu quævis aliæ literæ Apoſtolicæ præter has nullatenus ei ſuffragentur, ſed ex nunc prorſus nullæ ſint eo ipſo, quodque ſi Confratribus præfatis ratione præmiſſorum, aut alias aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus non dum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, eædem præſentes nullius ſint roboris, vel momenti. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Sexcenteſimo Trigeſimo, Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo. Ex Archivo Ordinis in quo exemplar.

Anno 1635 Die 22 Decembris. III.

PRo Cordubenſi Cœnobio. Conſtitutio ſic incipit: *Urbanus &c. Cum, ſicut accepimus, in Eccleſia Scala Cœli nuncupata domus Fratrum Ordinis Prædicatorum prope, & extra muros Civitatis Cordubenſis, una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas ſub invocatione S. Dominici &c. Nos ut Confraternitas hujuſmodi, majora in dies ſuſcipiat incrementa, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui dictam Confraternitatem ingredientur, die prima eorum ingreſſus, ſi vere pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, Plenariam, necnon deſcriptis, & deſcribendis in eadem Confraternitate Confratribus, & Conſororibus, in cujuſlibet eorum mortis articulo, ſi vere etiam pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti nomen Jeſu, ore ſi potuerint, ſin autem corde, devote invocaverint, etiam Plenariam, ac præfatis, necnon & pro tempore Confratribus, & Conſororibus, vere quoque pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui præfatæ Confraternitatis Eccleſiam, vel Capellam, ſeu Oratorium in die feſto Omnium Sanctorum, a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei feſti hujuſmodi, ſingulis annis devote viſitaverint, & pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper eiſdem, vere pariter pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, Eccleſiam, vel Capellam, ſeu Oratorium hujuſmodi in Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ, SS. Antonii, Sebaſtiani, & Martini, feſtis diebus, ut præfertur, viſitantibus, & orantibus, quo die præfatorum id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas, quoties vero Miſſis, ac aliis divinis officiis in dicta Eccleſia, vel Capella, ſeu Oratorio pro tempore celebrandis, & recitandis, aut Congregationibus publicis, vel privatis ipſius Confraternitatis, ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procuraverint, ac etiam qui corpora defunctorum, tam Confratrum, & Conſororum hujuſmodi, quam aliorum ad ſepulturam aſſociaverint, aut quaſcunque Proceſſiones, de licentia Ordinarii faciendas, Sanctiſſimumque Euchariſtiæ Sacramentum, tam in Proceſſionibus, quam cum ad infirmos, aut alios, ubicunque, & quomodocunque, pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut ſi impediti, campanæ ad id ſigno dato, ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem, & Salutationem eandem pro animabus defunctorum Confratrum, & Conſororum prædictorum, recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes præcepta Dei, & ea, quæ ad ſalutem ſunt docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, vel caritatis opus exercuerint, toties*

pro

pro quolibet præfatorum operum ſexaginta dies, de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus, præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII Decembris MDCXXXV, Pontificatus noſtri Anno Decimo Tertio.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Ordinis in quo exemplar authenticum ex autographo *Cordubenſi*.

PRo Lucentenſi Cœnobio. Conſtitutio ſic incipit. *Urbanus PP. VIII &c. Ad augendam &c. Omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus qui Septem Altaria in Eccleſia Corporis Domini Domus Fratrum Ordinis Prædicatorum Oppidi de Luchent, Valentin. Diœceſis, per Ordinarium loci ſemel tantum deſignanda, devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quoties id egerint, omnes & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes conſequantur, quas conſequerentur ſi ſeptem Altaria in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe etiam ad id deſignata perſonaliter, & devote viſitarent, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus literis noſtris de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, ceteriſque &c. Præſentibus ad Septennium tantum valituris &c. Volumus autem &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII Junii MDCXXXVI, Pontificatus noſtri Anno Decimo Tertio.* Ex Archivo Ordinis in quo exemplar authenticum ex autographo *Lucenten.*

Anno 1636 Die 1 Junii. IV.

PRo Bononien. Cœnobio. Conſtitutio ſic incipit. *Urbanus PP. VIII &c. Cum, ſicut accepimus, in Eccleſia S. Dominici Civitatis Bononien. Fratrum Ordinis Prædicatorum una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas, ſeu Congregatio ſub invocatione S. Dominici de Suriano nuncupata &c. Nos, ut præfata Confraternitas, majora in dies ſuſcipiat incrementa, de Omnipotentis Dei miſericordia ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui dictam Confraternitatem in poſterum ingredientur, die prima eorum ingreſſus, ſi vere pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint Plenariam, necnon tam deſcriptis, quam pro tempore deſcribendis in dicta Confraternitate Confratribus, & Consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi vere pœnitentes, & confeſſi, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti, nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin minus corde devote invocaverint, etiam, Plenariam, ac eiſdem nunc, & pro tempore exiſtentibus. Confratribus, & Consororibus, vere quoque pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui præfatæ Confraternitatis Eccleſiam, vel Capellam, ſeu Oratorium Dominica immediate poſt Feſtum Nativitatis B. M. Virginis a primis Veſperis, uſque ad occaſum Solis Feſti hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper eiſdem pariter pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui Eccleſiam, vel Capellam ſeu oratorium hujuſmodi in Nativitatis, & Aſcenſionis Domini, ac in Nativitatis, & Aſſumptionis B. M. Virginis Feſtis diebus, ut præfertur, viſitaverint, & oraverint, quo die prædictorum id egerint ſeptem annos, & totidem quadragenas. Quoties vero Miſſis, & aliis Divinis Officiis in dicta Eccleſia, vel Capella, ſeu Oratorio pro tempore celebrandis, vel recitandis, aut Congregationibus publicis, vel privatis ipſius Confraternitatis, ubivis faciendis interfuerint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, aut componi fecerint, vel procuraverint, ac etiam qui corpora defunctorum tam Confratrum, quam Consororum hujuſmodi, ac aliorum ad ſepulturam eccleſiaſticam aſſociaverint, aut quaſcunque Proceſſiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctiſſimumque Euchariſtiæ Sacramentum, tam in Proceſſionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicunque, aut quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut ſi impediti campanæ ad id ſigno dato, ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Salutationem, & orationem prædictas, pro animabus Defunctorum Confratrum, & Consororum prædictorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam Salutis reduxerint, & ignorantes præcepta Dei, & ea, quæ ad ſalutem ſunt, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, vel caritatis opus exercuerint toties pro quolibet prædictorum operum ſexaginta dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XV Octobris MDCXXXVI, Pontificatus noſtri Anno Decimo Quarto.* Ex Archivo Ordinis in quo exemplar in Bullario *Bononien. pag.* 117.

Anno 1636 Die 15 Octobris. V.

PRo Barchinonen. Cœnobio. Conſtitutio ſic incipit: *Urbanus PP. VIII &c. Cum ſicut accepimus in Eccleſia Sanctæ Catharinæ Martyris domus Fratrum Ordinis Prædicatorum Barchinonen. una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſtifidelium confraternitas ſub invocatione ejuſdem Sanctæ Catharinæ &c. Nos, ut Confraternitas præfata majora in dies ſuſcipiat incrementa, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, Omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus qui dictam Confraternitatem in poſterum ingredientur, poſtquam erit canonice inſtituta, die prima eorum ingreſſus, ſi vere pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, Plenariam: necnon tam deſcriptis, quam pro tempore deſcribendis in dicta Confraternitate Confratribus, & Consororibus in cujuslibet eorum Mortis articulo, ſi vere pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti, nomen Jeſu, ore, ſi potuerint, ſin minus corde devote invocaverint, etiam Plenariam;*

Anno 1638 Die 22 Maii. VI.

Ac eiſdem nunc, & pro tempore exiſtentibus Confratribus, & Conſororibus, etiam vere pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui præfatæ Confraternitatis Eccleſiam vel Capellam, ſeu Oratorium die feſto Sanctæ Catharinæ a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis feſti hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper eiſdem vere pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis Eccleſiam, vel Capellam ſeu Oratorium hujuſmodi in Sancti Antonii Abbatis, ac Sanctarum Mariæ Magdalenæ, Apolloniæ, & Eulaliæ feſtis diebus, ut præfertur, viſitantibus, & orantibus, quo die prædictorum id egerint ſeptem annos, & totidem quadragenas. Quoties vero Miſſis, & aliis Divinis officiis in dicta Eccleſia, vel Capella, ſeu Oratorio pro tempore celebrandis, & recitandis, aut congregationibus publicis, vel privatis ipſius Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, aut componi fecerint, vel procuraverint, ac etiam qui corpora defunctorum, tam Confratrum, & Conſororum hujuſmodi, quam aliorum ad ſepulturam aſſociaverint, aut quaſcumque Proceſſiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctiſſimumque Euchariſtiæ Sacramentum, tam in Proceſſionibus quam cum ad infirmos, aut alias ubicunque, & quomodocunque pro tempore deferetur comitati fuerint, aut ſi impediti, campanæ ad id ſigno dato ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem, & Salutationem eaſdem pro animabus defunctorum Confratrum, & Conſororum prædictorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes præcepta Dei, & ea quæ ad Salutem ſunt, docuerint, aut quodcunque pietatis, vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum ſexaginta dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ſi alias dictis Confratribus, & Conſororibus præmiſſa peragentibus aliquam aliam Indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapſum duraturam conceſſimus; quodque ſi prædicta Confraternitas alicui Confraternitati aggregata jam ſit, vel in poſterum aggregetur, vel quavis alia ratione uniatur, ſeu etiam quomodolibet inſtituatur, priores, & quævis aliæ literæ Apoſtolicæ illis nullatenus ſuffragentur ſed ex tunc eo ipſo prorſus nullæ ſint. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII Maii MDCXXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Decimo Quinto. Ex Archivo Ordinis in quo exemplar authenticum ex autographo Barthinonen.

Anno 1639 Die 18 Martii. VII. PRo Modilian. Cœnobio. Conſtitutio ſic incipit: Urbanus &c. Cum, ſicut accepimus, in Capella S. Dominici de Soriano in Eccleſia Fratrum Ordinis Prædicatorum ſita Terræ de Modian. F. Diœceſis, una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas, ſeu Congregatio ſub invocatione S. Dominici de Soriano &c. Nos, ut Confraternitas prædicta, majora in dies ſuſcipiat incrementa, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus fidelibus, qui dictam Confraternitatem in poſterum ingredientur, die prima eorum ingreſſus, ſi vere pœnitentes, & confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, Plenariam, necnon tam deſcriptis, quam pro tempore deſcribendis in dicta Confraternitate Confratribus, & Conſororibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti, nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin minus, corde devote invocaverint, etiam Plenariam, ac nunc, & pro tempore exiſtentibus Confratribus, & Conſororibus, vere quoque pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui prædictæ Confraternitatis Eccleſiam, vel Capellam, ſeu Oratorium in die feſto principali ipſius Confraternitatis a primis veſperis, uſque ad occaſum ſolis feſti hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro concordia Principum Chriſtianorum, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, inſuper eiſdem vere pariter pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, Eccleſiam, vel Capellam, ſeu Oratorium hujuſmodi in Nativitatis, & Aſcenſionis Domini, ac in Nativitatis, & Aſſumptionis B. M. Virginis feſtis diebus, ut præfertur, viſitantibus, & orantibus, quo die prædictorum id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas, quoties vero Miſſis, & aliis divinis officiis in dicta Eccleſia, vel Capella, ſeu Oratorio, pro tempore celebrantur, & recitantur, aut Congregationibus publicis, vel privatis ipſius Confraternitatis ubivis faciendis, interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, aut componi fecerint, vel procuraverint, ac etiam qui corpora defunctorum tam Confratrum, & Conſororum hujuſmodi, quam aliorum ad ſepulturam aſſociaverint, aut quaſcunque proceſſiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctiſſimumque Euchariſtiæ Sacramentum, tam in Proceſſionibus, quam cum ad infirmos, aut alios, ubicunque, & quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut ſi impediti, campanæ ad id ſigno dato, ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Salutationem, & Orationem eaſdem pro animabus defunctorum Confratrum, & Conſororum prædictorum recitaverint, aut devium aliquem, ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes præcepta Dei, & ea, quæ ad ſalutem ſunt, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum, ſexaginta dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus &c. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Martii MDCXXXIX, Pontificatus noſtri Anno Decimo Sexto.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Ordinis in quo exemplar.

Pro

PRo Marcionen. Cœnobio. Conſtitutio ſic incipit: *Urbanus &c. Ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cœleſtibus Eccleſiæ theſauris pia caritate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui Septem Altaria, ſita in Eccleſia domus Fratrum Ordinis Prædicatorum Oppidi de Marcheva nuncupat. Hiſpalen. Diœceſis, per Ordinarium loci, ſemel tantum deſignata, devote viſitaverint, ibique pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quoties id egerint, ut eas omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pœnitentiarum relaxationes conſequantur, quas conſequerentur, ſi Septem Altaria in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, perſonaliter, & devote viſitaverint, miſericorditer in Domino concedimus. Non obſtante regula noſtra, de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Præſentibus ad ſeptennium tantum valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium, aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint eo ipſo. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die ſeptima Januarii MDCXLIII, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo.*

Anno 1643 Die 7 Januarii. VIII.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Ordinis in quo exemplar ex autographo *Marcionen.*

PRo Minervitano Cœnobio. Conſtitutio ſic incipit: *Urbanus &c. Cum, ſicut accepimus, in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam Fratrum Ordinis Prædicatorum de Urbe una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas ſub invocatione S. Dominici &c. Nos, ut Confraternitas hujuſmodi majora in dies ſuſcipiat incrementa, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui dictam Confraternitatem in poſterum ingredientur, poſtquam erit canonice inſtituta, die prima eorum ingreſſus, ſi vere pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, Plenariam, necnon tam deſcriptis, quam pro tempore deſcribendis in dicta Confraternitate Confratribus, & Consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti, nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin minus corde devote invocaverint, etiam Plenariam: Ac eiſdem nunc, & pro tempore exiſtentibus Confratribus, & Consororibus, etiam vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui prædictæ Confraternitatis Eccleſiam, Oratorium, vel Capellam Dominica infra octavam feſti S. Dominici a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper dictis Confratribus, & Consororibus, vere etiam pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, dictam Eccleſiam, Oratorium, ſeu Capellam, in S. Mariæ Magdalenæ, & S. Catharinæ V., & M. feſtis diebus, ac die XV Septembris, & die XXIV Maii, ut præfertur, viſitantibus, & orantibus, quo die prædictorum id egerint ſeptem annos, & totidem quadragenas, quoties vero Miſſis, & aliis divinis officiis in dicta Eccleſia, Oratorio, vel Capella pro tempore celebrandis, & recitandis, ſeu Congregationibus publicis, & privatis ejuſdem Confraternitatis ubivis faciendis, interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, aut componi fecerint, vel procuraverint, necnon etiam qui corpora defunctorum tam Confratrum, & Consororum dictæ Confraternitatis, quam aliorum ad ſepulturam aſſociaverint, aut quaſcunque Proceſſiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctiſſimumque Euchariſtiæ Sacramentum, tam in Proceſſionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicunque, & quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut ſi impediti campanæ ab id ſigno dato ſemel orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem, & ſalutationes eaſdem pro animabus defunctorum Confratrum, & Consororum prædictorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes Dei præcepta, & ea quæ ad ſalutem ſunt, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, vel caritatis opus exercuerint toties pro quolibet prædictorum operum ſexaginta dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIV Januarii MDCXLIV, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo Primo.* Ex Archivo Ordinis in quo autographum.

Anno 1644 Die 24 Januarii. IX.

Firmat ea quæ pro Barchinonenſi (1) Cœnobio ſancita ſunt a Capitulo Generali.

Anno 1624 Die 13 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

X.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX injuncti Nobis deſuper Apoſtolici muneris debito, religioſorum omnium proſperum ſtatum, feliciemque directionem ſincero deſiderantes affectu, ea, quę propterea, pręſertim in eorum Capitulis Generalibus provide facta fuiſſe dicuntur, ut firma perpetuo remaneant, libenter, cum a nobis petitur, Apoſtolicę noſtrę confirmationis robore communimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sane nomine dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Sanctę Catharinę Barchinonen. Ordinis Fratrum Pręedicatorum, Nobis nuper expoſitum fuit, quod alias in Capitulo Generali ejuſdem Ordinis de anno MDCI Romę celebrato juſſu felicis recordationis Clementis Papę Octavi Prædeceſſoris noſtri

Exordium.

Diplomatis cauſa.

noſtri ſtatutum, & decretum fuit, ne eorundem Fratrum filiationes vulgo nuncupatę de uno conventu ad alium, ex quacunque cauſa transferrentur, ſed ejuſdem duntaxat Conventus filii eſſent, qui in illo profeſſionem regularem emiſiſſent. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Prior, & Fratres prędicti plurimum cupiant, ſtatutum, & decretum hujuſmodi, pro firmiori illius ſubſiſtentia, & obſervantia Apoſtolicę confirmationis patrocinio communiri, aliaſque, ut infra indulgeri, Nos, felici ac proſpero dictę domus gubernio, & directioni conſulere, ac Priorem, & Fratres prędictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum preſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ſtatutum, & decretum hujuſmodi Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Et nihilominus omnibus, & ſingulis ejuſdem Ordinis Fratribus, ne eorum filiationes e Domo regulari, in qua habitum ſuſceperint, vel profeſſionem emiſerint, etiamſi a noſtris, & Apoſtolicę Sedis Nunciis, aliiſve Miniſtris ad id facultatem habuerint, ad pręfatam Domum Sanctę Catharinę abſque ſpeciali Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis licentia, & expreſſo Fratrum tam dictę Domus Sanctę Catharinę, quam ejus, ex qua filiatio ipſa transferenda erit, ac etiam Provincialium utriuſque Provincię ipſius Ordinis conſenſu, & nemine contradicente transferre audeant, ſeu pręſumant, in virtute Sanctę Obedientię ac ſub arbitrii noſtri pœnis interdicimus, & prohibemus; Decernentes pręſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, firmiter, & inviolabiliter obſervari debere; irritumque, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & ſingulis, eorum omnium tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII Februarii MDCXXIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Confirmatio.

1. *Barchinonen.*) Juris eſt *Aragoniæ* Provinciæ. 2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Barchinonenſi*.

Anno 1624 Die 8 Junii.

XI.

Raguſinus Conventus arx eſt Chriſtianæ Religionis.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Hiſpaniarum Regi.

URBANUS PP. VIII.

Cariſſime in Chriſto fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Raguſinus Dominicanorum Fratrum Conventus Arx eſſe videtur Chriſtianę Religionis in Turcarum ſęvientium finibus conſtituta quam Pontificis Maximi patrocinio, & Catholicorum Principum beneficiis armari par eſt. Nunc autem ab ea familia allegatur ad majeſtatem tuam dilectus filius Religioſus Sacerdos Frater Deſiderius Nenchius ſubſidium aliquod Auſtriaci pietate dignum a Regali magnanimitate petiturus. Ex fertiliſſimis Apulię campis triticum aſportare Raguſium Dominicani Cœnobitę cupiunt, & cum paupertatem colant, a ſe nullum exigi vellent ob eam rem vectigal. Porro autem cum duo Monaſteria extruere in ea regione cęperint, ſentiunt ſe piis tanti Regis eleemoſynis egere. Ea certe moliuntur, tanquam caſtra pietatis, unde in finitimis Turcarum Provinciis immittere poſſint Sacerdotes gladio ſalutis armatos, ne illas Chriſtianorum miſere ſervientium reliquias infernalis prędo crudelius populetur. Cauſę jus ſatis hortatur Majeſtatem tuam, ut beneficium aliquod ab eo Conventu deberi ſibi velit. Teſtamur tamen ſolatia noſtra fore ea auxilia, quę illi prębebit pietas Majeſtatis tuę, cui Apoſtolicam Benedictionem amantiſſime impartimur. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VIII Junii MDCXXIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Raguſino*.

De penſione ſolvenda Dertuſenſi (1) Collegio SS. Dominici, & Georgii.

Anno 1624 Die 6 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XII.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro Mutio de Roſis in utraque Signatura noſtra Referendario, & Priori Majoris Eccleſię Dertuſen., ac Officiali Tarraconen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum felicis recordationis Paulus PP. V, Prędeceſſor noſter, tunc, & pro tempore exiſtentibus Rectori, & Collegialibus Collegii Sanctorum Dominici, & Georgii Dertuſen. penſionem annuam perpetuis futuris temporibus duraturam ducentorum ducatorum monetę Hiſpanię ſuper menſę Epiſcopalis Dertuſen. fructibus, redditibus, & proventibus per venerabilem Fratrem noſtrum Ludovicum Epiſcopum Dertuſen., de cujus perſona tunc dictus Prędeceſſor Eccleſię Dertuſen., quę de jure Patronatus cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici ex privilegio Apoſtolico, cui non erat eatenus derogatum, fore dignoſcebatur, certo tunc expreſſo modo paſtoris ſolatio deſtitutę Apoſtolica auctoritate providerat, pręficiendo ipſum illi in Epiſcopum, & paſtorem, & Succeſſores ſuos dictę Eccleſię Pręſules, ſeu adminiſtratores pro tempore exiſtentes annis ſingulis in certis, & tunc expreſſis terminis, ſub interdicti ingreſſus Eccleſię, & deinde ſuſpenſionis a regimine, & adminiſtratione dictę Eccleſię ſententiis, pro rata temporis integre perſolvendam, motu proprio, dicta auctoritate reſervavit, conſtituit, & aſſignavit, prout in quibuſdam dicti Prędeceſſoris ſuper proviſione, pręfectione, & aliis noſtris ſuper reſervatione, conſtitutione, & aſſignatione hujuſmodi confectis literis, cum dictus Prędeceſſor antequam ejus literę deſuper conficerentur, ſicut Domino placuit rebus fuiſſet humanis exemptus, plenius continetur. Quocirca diſcretioni veſtrę motu ſimili per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſi, & poſtquam dictę noſtrę literę vobis pręſentatę fuerint, per vos, vel alium, ſeu alios faciatis eadem auctoritate dictam penſionem Rectori, & Collegialibus in perpetuum, vel procuratori prędictis, juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis prędictarum, ac Decreti ejuſdem Prędeceſſoris in dictis noſtris literis appoſiti continentiam, & tenorem, integre perſolvi, & nihilominus quemlibet ex Ludovico Epiſcopo, & Succeſſoribus prędictis, quem Interdicti, & ſuſpenſionis ſententias hujuſmodi incurriſſe vobis conſtiterit, quoties ſuper hoc pro parte dictorum Rectoris, & Collegialium fueritis requiſiti, tandiu Dominicis, & aliis feſtivis diebus in Eccleſiis dum major inibi populi multitudo ad Divina convenerit, interdictum, & ſuſpenſum publice nuncietis, & faciatis ab aliis nunciari, donec Rectori, & Collegialibus prędictis, vel procuratori hujuſmodi de penſione hujuſmodi tunc debita fuerit integre ſatisfactum, ipſeque interdictus, & ſuſpenſus interdicti, & ſuſpenſionis hujuſmodi relaxationis beneficium meruerit obtinere. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus omnibus, quę dictus Prędeceſſor voluit non obſtare, ſeu ſi Ludovico Epiſcopo, & ſucceſſoribus prędictis, vel quibuſvis aliis communiter, aut diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Vigeſimo Quarto, Octavo Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Dertuſen.*) In *Hiſpania Tarraconen.*

2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar authenticum ex autographo *Dertuſenſi*.

Quæ pro domibus religioſis conſtruendis ſervanda ſint præſcribit (1).

Anno 1624 Die 28 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

XIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ROmanus Pontifex, cui Salvator, & Dominus noſter, qui caritas eſt, & Deus pacis, univerſalis Eccleſię credidit principatum, ea interdum, quę certis etiam rationabilibus de cauſis a Sede Apoſtolica conceſſa ſunt, ipſa ſubinde rerum experientia ſuadente, & majoribus ex cauſis, quibus pręſertim perſonarum ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium paci, & quieti conſulitur, litibuſque, ac controverſiis inter eas obviam itur, revocat, & immutat, in hiſque paſtoralis ſolicitudinis, & providentię ſuę ſtudium interponit, prout rerum, & temporum qualitatibus debite penſatis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut Nobis innotuit, complures licentię, ſive facultates a nonnullis Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris per diverſos Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum regularium inſtitutorum Superiores, ſeu alios eorum nomine, ubique locorum Monaſteria, domos, Collegia, Conventus, & alia loca regularia, quovis nomine nuncupata, ſervata duntaxat Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini decretorum forma, de ſola ordinarii licentia, ſeu etiam forſan non ſervata forma, & abſque licentia hujuſmodi, & contra decreta a Sede Apoſtolica ſuper pręmiſſis edita fundandi, erigendi, & inſtituendi importunis precibus, ſeu etiam motu proprio, vel alias obtentę, & exortę fuerint. Idcirco Nos, omnes, & quaſcunque licentias, ac facultates hujuſmodi, literaſque deſuper tam ſub plumbo, quam in hujuſmodi forma Brevis,

Brevis, deſuper expeditas, earumque tenores etiam veriores, & dat. pręſentibus, ac ſi ſpecifice, & ſigillatim exprimerentur, & infererentur, pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, juſtis de cauſis animum noſtrum moventibus, Motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, omnes, & quaſcunque licentias, & facultates hujuſmodi, literaſque deſuper tam ſub plumbo, quam in eadem forma Brevis expeditas, omniaque, & ſingula in eis quomodolibet contenta, & expreſſa, etiam quoad erectiones, fundationes, & inſtitutiones Monaſteriorum, Collegiorum, domorum, Conventuum, & aliorum regularium locorum hujuſmodi; quę ſuum nondum ſortitę ſunt effectum, tenore pręſentium perpetuo revocamus, caſſamus, abrogamus, & annullamus, viribuſque, & effectu prorſus evacuamus. Pręterea Ordinum, etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum inſtitutorum regularium Superioribus, quocunque nomine nuncupatis, ceteriſque perſonis, ad quos ſpectat, in virtute ſanctę obedientię, ac ſub pęna privationis vocis activę, & paſſivę, necnon officiorum quorumcunque, ac inhabilitatis ad illa, & in alia in futurum obtinen. necnon etiam excommunicationis ipſo facto incurrendis pęnis interdicimus, & prohibemus, ne licentiarum, ſeu facultatum per Nos, ut prefertur, revocatarum, & annullatarum, ſive alio quovis prętextu, vel cauſa, etiam quantumvis privilegiata, nova Monaſteria, Collegia, domos, Conventus, & alia loca regularia hujuſmodi, niſi de expreſſa Ordinariorum licentia, ac ſervata in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, necnon Conſtitutione felicis record. Clementis VIII, quę incipit: Quoniam ad inſtitutam, ſub datum Romę apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Julii MDCIII, ac decretorum de mandato ejuſdem Clementis, necnon ſimilis me. Gregorii XV Romani Pontificis Prędeceſſorum deſuper editorum, forma, recipere, erigere, fundare, ſeu alias quomodolibet inſtituere, ſeu incepta finire, & abſolvere audeant, ſeu pręſumant. Decernentes pręſentes literas etiam ex eo, quod cauſę, propter quas illę emanarint, expreſſę, verificatę, & juſtificatę, aut quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prętendentes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque illis conſenſerint, vel alias ex quocunque capite, prętextu, colore, ingenio, vel cauſa, de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtrę, vel alio quovis defectu notari, & impugnari, redargui, infringi, retractari, in jus, vel controverſiam vocari, in terminos juris reduci, aut contra eas quodvis gratię, vel juſtitię remedium impetrari, ſeu concedi nullatenus poſſe, ſed eas, ac omnia, & ſingula in eis contenta ſemper, & perpetuo valida, & firma, & efficacia eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque & non aliter per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios, quavis auctoritate fungentes ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis per preſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque ſolemniter publicantes, faciant, illas, & illa ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pręmiſſis, ac regula noſtra de jure quęſito non tollendo, & rec. me. Bonifatii Papę VIII, ſimiliter Prędeceſſoris noſtri, de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate pręſentium ad judicium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quorumcunque Ordinum, Congregationum, Societatum, & inſtitutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, etiam Mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis, & literis Apoſtolicis, illis, eorumque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam Motu proprio, & conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet conceſſis, confirmatis, & ſępius innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum omnium tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod pręſentes in valvis Baſilicarum S. Johannis Lateran., & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in acie Campi Florę, ut moris eſt, affixę, omnes, quos illę concernunt, ita arctent, & afficiant, perinde, ac ſi unicuique perſonaliter intimatę fuiſſent. Quodque earundem pręſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Auguſti MDCXXIV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Praſcribit.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar. In *Bullario Romano* eſt *XXV.*

Licen-

Licentias Mulieribus Secularibus conceſſas, & concedendas pro ingreſſu in Monialium Monaſteria nullius valoris eſſe, niſi ab eiſdem Monialibus capitulariter, & per ſecreta vota aſſenſus præbeatur, declarat (1).

Anno 1624 Die 27 Octobris.

XIV.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

SAcroſanctum Apoſtolatus Miniſterium, quod ineffabilis divinę Sapientię providentia humilitati noſtrę nullo licet meritorum ſuffragio, credidit, jugiter poſtulat, ut inter multiplices paſtoralis officii curas, illam ſedulo amplectamur, qua ſanctimonialium quieti opportune conſulitur. Cum itaque plures licentię Monaſteria Monialium ingrediendi, diverſis mulieribus ſecularibus, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis a Nobis, & diverſis Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris conceſſę fuerint, eędemque Mulieres in vim licentiarum prędictarum, Monaſteria hujuſmodi, nonniſi de expreſſo earundem monialium, & illorum Superiorum conſenſu ingredi poſſint, ſeu debeant; Nos omnem dubitandi materiam, quę ſuper modo, conſenſum hujuſmodi pręſtandi, forſan oriri poſſet, e medio tollere volentes; motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, harum ſerie decernimus, atque declaramus; Conſenſum dictarum Monialium, de cetero per eaſdem Moniales capitulariter, & per ſecreta ſuffragia pręſtandum eſſe, & pręſtari debere, alias licentię hujuſmodi mulieribus, quibus conceſſę fuerunt, nullatenus ſuffragentur, & quę Sanctimonialium Monaſteria vigore licentiarum prędictarum abſque conſenſu capitulariter, ut pręfertur, pręſtito, ingredi pręſumpſerint, ſententias, cenſuras, & pęnas contra clauſuras Monaſteriorum Monialium violantes inflictas, ſe noverint incurſuras. Sicque, & non aliter per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi, facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, in contrarium facien. non obſtantibus quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę vel oſtenſę. Datum Tuſculi, ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Octobris MDCXXIV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Declarat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar. In *Bullario Romano* eſt. *XXXI.*

Ne Gregoriana Conſtitutio (1) *Inſcrutabili* executioni mandetur in Hiſpaniis.

Annu 1625 Die 7 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Venerabili Fratri Julio (3) Epiſcopo Gravinen. Noſtro, & Sedis Apoſtolicę in Regnis Hiſpaniarum Nuncio.

URBANUS PP. VIII.

XV.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ALias a felicis recordationis Gregorio PP. XV Prędeceſſore noſtro emanarunt literę tenoris ſubſequentis, videlicet. Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Inſcrutabili Dei providentia &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę MDCXXII. Nonis Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Cum autem, ſicut accepimus, circa executionem literarum prędictarum in Regnis Hiſpaniarum faciendam nonnulla per dilectum filium nobilem virum Rodericum de Silva. Ducem Paſtranę, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Oratorem, ejuſdem Philippi Regis nomine, coram dilectis filiis noſtris Dominico Sanctorum duodecim Apoſtolorum Ginnaſio, Johanne Garcia Sanctorum quatuor Coronatorum Millino, ac Scipione Sanctę Suſannę, necnon Antonio S. Onuphrii titulorum Presbyteris Cardinalibus reſpective nuncupatis, ad id a Nobis ſpecialiter deputatis, deducta fuerint, idcirco donec deducta, ut pręfertur, & ſi quę deducenda fuerint, per Dominicum, Johannem Garciam, Scipionem, & Antonium Cardinales prędictos, ſeu alios a Nobis ſuper his deputandos maturius, & plenius videantur, atque conſiderentur, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, Fraternitati tuę per pręſentes committimus, & mandamus, ut in Regnis Hiſpaniarum prędictis tantum ad executionem pręinſertarum literarum hujuſmodi ſuperſederi, auctoritate noſtra cures, & facias (4) donec aliter a Nobis, ſeu Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris, proviſum fuerit. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac tibi in hoc non parentes, per ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus prę-

pręinſertis literis hujuſmodi, ceteriſque in contrarium facientibus, quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VII. Februarii MDCXXV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Conſtitutio.*) *XIII.* Legitur *pag. 17 hujuſce Tomi.*
2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar typis impreſſum.
3. *Julio.*) Cujus mentio apud *Ugbellum* in *Epiſcop. Gravinen.*
4. *Facias.*) Mandatum hac de re a *Julio* datum legitur in exemplari typis impreſſo mox laudato. Incipit. *Nos Don Julio Sacchetti por la gracia de Dios &c. Dadas en la Villa de Madrid a veinte y un dias del Mes de Avil de Mil y Seiſcientos y veinte y cinco años. Epiſcopus Gravinen. Nuncius. Per mandado de ſu Señoria illuſtriſſima. Franciſco Gutierrez Zurilla Notario Secretario.* Huc etiam ſpectat hujuſce tenoris Inſtrumentum.

Julius Sacchettus Dei, & Apoſtolicę Sedis gratia Epiſcopus Gravinen., & Sanctiſſimi D. N. Urbani Divina Providentia Papę Octavi, ejuſdemque Sedis in Hiſpaniarum Regnis cum poteſtate Legati de Latere Nuncius, juriumque Camerę Apoſtolicę Collector Generalis, Univerſis, & ſingulis Ven. in Chriſto Fratribus Noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, necnon diſeretis viris locorum quorumcunque Ordinariis per hęc Hiſpaniarum Regna, aliiſque quibuſcunque perſonis, quas infraſcripta quomodolibet tangunt, ſeu tangere poterunt in futurum, Salutem, & ſinceram in Domino caritatem.

NOveritis, nuper pro parte dilecti Nobis in Chriſto Magiſtri Fratris Dominici de Molina Ordinis S. Dominici profeſſoris nomine, ac uti Procuratoris omnium Religionum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, etiam Monachalium eorundem Regnorum, quaſdam Literas Apoſtolicas in forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris expeditas, ſanas, & integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas coram Nobis una cum ſupplici libello preſentatas, ac per Nos receptas fuiſſe hujuſmodi ſub tenore, videlicet - Tenor Literarum a tergo. Ven. Fratri Julio Epiſcopo Gravinen. noſtro, & Sedis Apoſtolicę in Regnis Hiſpaniarum Nuncio: Intus vero - Urbanus PP. VIII. Ven. Frater Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem -- Alias a felicis recordationis Gregorio Papa XV, Prędeceſſore noſtro emanarunt &c. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę MDCXXV Septima Februarii. Pontificatus noſtri Anno Secundo. -- Tenor literarum Gregorii eſt.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Inſerutabili Dei Providentia Univerſalis Eccleſię Regimini &c. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Nonis Februarii MDCXXII Pontificatus noſtri Anno Secundo,

TENOR LIBELLI.

Illuſtriſſime Domine -- Magiſter Fr. Dominicus de Molina Ordinis S. Dominici profeſſor, nomine omnium Religionum Mendicantium, & non Mendicantium ac Monachalium horum omnium Regnorum, meliori forma cui ſit in jure locus; Dico, quod alias felicis recordationis Gregorius PP. XV certam edidit conſtitutionem, ſive motum proprium

V. Theatinus.

ſub Datum Romę Nonis Februarii MDCXXII, qua, ſeu quo Sacri Trid. Concilii circa materiam regularium decretis adjungendo diſpoſuit, ſtatuit, & ordinavit nonnulla ad Epiſcoporum favorem Decreta.

1. Specialiter vero, quod deinceps, tam Regulares, quam Seculares quomodolibet exempti, ſive curam Animarum in ſuis Monaſteriis, Domibus Regularibus, ſeu in aliis quibuſcunque Eccleſiis, aut Beneficiis, ſive Regularibus, ſive ſecularibus incumbentem exerceant, ſive Sacramenta Eccleſiaſtica, aut unum ex illis precedente licentia, & approbatione Ordinarii, ſive abſque de facto, ſeu alio quovis modo in exercitio hujuſmodi, ſive adminiſtratione dictorum Sacramentorum, aut cujuslibet illorum ſe ingeſſerint, in omni eo, quod curam, ac adminiſtrationem hujuſmodi concernit plenarie omnimodę juriſdictioni, & correctioni Epiſcopi Dięceſani, uti Sedis Apoſtolicę Delegati, ſubjecti remaneant.

2. Nec non ſtatuit, quod tam dicti Regulares quam Seculares exempti non poſſint ſe tueri ullis privilegiis, ſive exemptionibus quominus puniantur, & corrigantur ab Epiſcopo quoties, & quando neceſſarium fuerit caſu quo ipſi in perſonas intra Septa degentes, vel in Clauſura aut adminiſtratione bonorum Monaſticorum Monialium etiam Regularibus ſubjectarum delinquant.

3. Addit inſuper, quod Confeſſores Regulares, ſive Seculares exempti tam Ordinarii, quam extraordinarii, non poſſint deputari, ad Confeſſiones Monialium etiam Regularibus ſubjectarum audiendas, niſi prius per Ordinarium Dięceſanum approbati fuerint.

4. Diſpoſuit etiam quod Adminiſtratores bonorum Conventuum Monialium etiam regularibus ſubjectarum, quamvis ipſi Adminiſtratores ſint regulares, ſive ſeculares, quomodolibet exempti, teneantur computa, & rationem ſuę adminiſtrationis, quotannis Epiſcopo conjunctim cum Superioribus regularibus reddere, quodque ad id juris remediis cogi, & compelli poſſint.

5. Diſpoſuit pariter, quod Epiſcopus admoneat ſuperiores regulares, ut removeant, quando rationabilis ad id adeſt cauſa, hujuſmodi Confeſſores, & Adminiſtratores, ac dictis Superioribus, id facere denegantibus, Epiſcopus habeat facultatem eoſdem Confeſſores, & Adminiſtratores amovendi, quoties, & quando judicaverit convenire.

6. Diſpoſuit ſimiliter, quod poſſit Epiſcopus conjunctim cum Superioribus Regularibus intereſſe, ac prędſidere, licet abſque Monaſteriorum expenſa, per ſe, ſeu interpoſitam perſonam omnibus electionibus Abbatiſſarum, Prioriſſarum, ac Prefectarum, ſive Prępoſitarum eorundem Monaſteriorum.

7. Denique diſpoſuit, quod Epiſcopus uti Delegatus Sedis Apoſtolicę habeat poteſtatem coercendi, ac puniendi quoſcunque Exemptos, tam Seculares, quam Regulares, qui in Eccleſiis alienis, aut quę non ſunt ſuorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut contradicente Epiſcopo prę-

prędicare prętenderint. Itaut Epiſcopi in illis caſibus, & contra hujuſmodi perſonas per cenſuras eccleſiaſticas, & alias quaslibet pęnas poſſint procedere, ac libere exercere omnem juriſdictionem].

Cumque ad prędictum S. nctiſſimum D. N. Urbanum VIII nomine Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis Catholici per Ducem de Paſtrana ſuę Regię Majeſtatis Oratorem recurſus fuiſſet habitus, obtinuit ad favorem Religionum expediri hoc Breve originale, quod pręſente motu proprio ſub Annulo Piſcatoris expeditum ſub Datum Romę Septima Februarii hujus pręſentis anni, quo idem Sanctiſſimus D. V. Illuſtriſſimę committit, ut jubeat, quod in iſtis Regnis Hiſpaniarum non procedatur in executione dictarum literarum, ac Decretorum felicis recordationis Gregorii XV, ſed in ea ſuperſedeatur, donec aliud in contrarium per Sedem Apoſtolicam proviſum fuerit.

Peto, & ſupplico, Illuſtriſſimę Dominationi veſtrę, velit acceptare juriſdictionem vigore dicti Brevis ei conceſſam, ac ad illius executionem, & adimplementum procedendo, pręcipiat expedire literas, ac mandata ſub pęnis, & cenſuris contra Archiepiſcopos, Epiſcopos, necnon Ordinarios horum Regnorum, aliaſque perſonas, ad quas ſpectat, ad effectum, ut non utantur dictis literis felicis recordationis Gregorii XV, neque illas exequantur, mandando ſpecialiter, ut ſuperſedeant in executione omnium, & ſingulorum dictorum caſuum hic relatorum, ac in dictis literis contentorum, cum illorum expreſſione, ac ſingulorum ſuſpenſione; Et ſuper omnia peto adimplementum juſtitię, ac pro eo &c.

Frater Dominicus de Molina.

Quibus quidem Literis coram Nobis, ut pręfertur, pręſentatis, & per Nos receptis, fuit pro parte dicti Magiſtri Fratris Dominici de Molina, prout in pręinſerta ſupplicatione inſtatum, ut ad illarum executionem procedere dignaremur.

Nos igitur, attendentes petitionem hujuſmodi fore juſtam, & rationi conſonam, volenteſque Mandatum Apoſtolicum, ut tenemur, exequi, Fraternitatibus veſtris, Ven. Fratres Archiepiſcopi, & Epiſcopi, in virtute S. Obedientię, & ſub ingreſſus Eccleſię interdicti ac mille Ducatorum pęna, quo vero ad alios ſupra ſalutatos excommunicationis majoris latę ſententię, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, Auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium diſtricte pręcipiendo mandamus, quatenus deinceps, poſtquam vigore pręſentium fueritis requiſiti in executione pręfatarum Literarum felicis recordationis Gregorii XV, ac omnium, & ſingulorum earum Capitulorum, juxta formam pręinſertarum prędicti Sanctiſſimi D. N. Urbani, ſuperſedeatis.

1. Ac conſequenter ad executionem illius, quo diſponitur, ut deinceps, tam regulares, quam ſeculares quomodolibet exempti, ſive animarum curam perſonarum ſecularium, Monaſteriis, ſeu Domibus regularibus, aut quibuſvis aliis Eccleſiis, vel Beneficiis, ſive regularibus, ſive ſecularibus incumbentem exerceant, ſive alias eccleſiaſtica Sacramenta, aut unum ex illis miniſtrent, pręvia Epiſcopi licentia, & approbatione, ſive quoquomodo in dictę Curę exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis adminiſtratione de facto, abſque ulla auctoritate, ſe ingerant, in his quę ejuſmodi Curam, ſeu adminiſtrationem concernunt, omnimodę juriſdictioni viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi, tanquam Sedis Sedis Apoſtolicę Delegati, plene in omnibus ſubjiciantur.

2. Necnon illius, quo ſtatuitur, quod tam regulares, quam ſeculares nullis privilegiis, aut exemptionibus ſe tueri poſſint, quominus ſi deliquerint circa perſonas, intra Septa degentes, aut circa Clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum Monialium, etiam regularibus ſubjectarum, ab Epiſcopo loci ſimiliter, tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicę Delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

3. Ac etiam alterius diſponentis, quod Confeſſores, ſive regulares, ſive ſeculares quomodocunque exempti, tam Ordinarii, quam extraordinarii, ad Confeſſiones Monialium, etiam regularibus ſubjectarum audiendas, nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur, & approbationem, quę gratis concedatur, obtineant.

4. Illius ſimiliter ſtatuentis, quod Adminiſtrantes bona ad ejuſmodi Monaſteria Sanctimonialium, ut pręfertur, etiam regularibus ſubjectarum pertinentia, ſive regulares extiterint, ſive ſeculares quomodolibet exempti Epiſcopo loci, adhibitis etiam ſuperioribus regularibus, ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant, liceatque Epiſcopo ex rationabili cauſa ſuperiores regulares admonere, ut ejuſmodi Confeſſores, atque Adminiſtratores amoveant, iiſque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem, prędictos Confeſſores, & Adminiſtratores amovendi, quoties, & quando opus eſſe judicaverit.

5. Ejuſque pariter ordinantis, quod poſſit Epiſcopus una cum Superioribus regularibus quarumcunque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Pręfectarum, vel Prępoſitarum eorundem Monaſteriorum quocunque nomine appellentur, electionibus, per ſe, vel per alium intereſſe, ac pręſidere abſque ulla tamen ipſorum Monaſteriorum impenſa.

6. Ac demum illius concedentis, ac facultatem, & juriſdictionem tribuentis, quod Epiſcopus tanquam dictę Sedis Delegatus habeat auctoritatem coercendi, ac puniendi quoſcunque exemptos tam ſeculares, quam regulares, qui in alienis Eccleſiis, aut quę ſuorum Ordinum non ſunt abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſiis ſuis, aut ſuorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente, prędicare pręſumpſerint, itaut Epiſcopi in ſupraſcriptis caſibus, & in pręnominatas perſonas in pręmiſſis omnibus, & ſingulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pęnas, uti ejuſdem Sedis Delegati procedere, omnemque juriſdictionem exercere, libere, & licite valeant; Non procedatis, & quilibet veſtrum non procedat, & ſuperſedeat.

Ac nullo quęſito colore, prętextu, ingenio, cauſa, ratione, vel occaſione iiſdem Literis prędicti Sanctiſſimi D. N. Urbani contraveniat, ſed in eis contenta, in omnibus, & per omnia obſervet, & obſervari faciat, donec aliter a prędicto SS. D. N., ſeu aliis Romanis Pontificibus ejus

ejus Succeſſoribus proviſum fuerit. Alioquin ſi mandatis noſtris hujuſmodi, immo verius Apoſtolicis, non parueritis realiter, & cum effectu; Nos in contradictores quoslibet, & rebelles, iiſdemque mandatis noſtris non parentes, ad aggravationem, & reaggravationem, necnon declarationem, ac executionem dictarum Cenſurarum, & pęnarum procedemus, contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Mandamus inſuper ſub excommunicationis majoris latę ſententię, ac ducentorum Ducatorum arbitrio noſtro applican. pęna univerſis, & ſingulis Notariis, ac Scribis, qui vigore pręſentium fuerint requiſiti, quatenus eaſdem pręſentes, perſonis, quibus neceſſe erit, notificent, & inſinuent, ac de notificatione, & inſinuatione hujuſmodi fidem faciant, illaſque ſtatim, ſolutis ſibi debitis juribus, parti reſtituant. Volumus autem, quod pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Abbreviatoris noſtri infraſcripti, ſubſcriptis, ac ſigillo noſtro munitis, eadem prorſus in judicio, & extra fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent originaliter exhibitę, vel oſtenſę. Datum Matriti Toletanę Diœceſis Anno Domini MDCXXV die vero decima quinta Menſis Septembris Pontificatus SS. D. N. Papę Anno Tertio.

Loco † Sigilli.

Julius Epiſcopus Gravinen. Nuncius Apoſtolicus.

Urſinus Abbreviator.

Ex Archivo Ordinis in quo exemplar authenticum.

Anno 1625 Die 13 Maii.

Ordinem laudibus ornat, & ipſi conceſſa privilegia firmat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVI.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Ordinis laus.

IN plenitudinem poteſtatis Apoſtolicę nullis noſtris meritis; ſed ſola Dei benignitate aſſumpti, varios in militanti Eccleſia regularium perſonarum Ordines diverſimode pro quorumlibet Chriſti fidelium devotione inſtitutos, contemplantes, ad Sacrum Beati Dominici Prędicatorum Patris, & Ducis inſtitutum, quaſi fax ardens, & matutinum ſydus irradians, totumque Chriſtianę Reipublicę firmamentum illuſtrans, mentis noſtrę potiſſimum dirigimus aciem. ac dignum, quinimmo ęquum, & rationi conſonum reputamus, ut ea, quę a compluribus Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris ad favorem tam glorioſi inſtituti, illiuſque domorum regularium, & in eis ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium perſonarum, juſte, rationabiliterque conceſſa fuiſſe dignoſcuntur, ne longęvi temporis curſu obveterata ſepeliantur, ſed jugiter in viridi obſervantia firma perſiſtant, favoris noſtri pręſidio confoveantur, ac etiam gratia Sedis Apoſtolicę innovata reviviſcant. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Dominici (3) de Molina Ordinem Fratrum Prędicatorum S. Dominici expreſſe profeſſi, ac ejuſdem Ordinis pro Provincia Bęthica Procuratoris Generalis, petitio continebat, quod dudum diverſa privilegia, immunitates, eorumque confirmationes, ac libertates, prerogativę, favores, gratię, conceſſiones, etiam contra apoſtatas, indulgentię, & indulta tam ſpiritualia, quam temporalia, exemptiones a quacunque impoſitione, collecta, decima, ſubſidio, quarta, quinta funerali, aliaque diverſa privilegia etiam per ſolam ſignaturam, & alia diverſimode eidem Ordini, illiuſque Pręlatis, Magiſtris, & Vicariis Generalibus, ac Provincialibus, necnon aliis perſonis, & domibus regularibus, Monaſteriis, Provinciis, Congregationibus, ac aliis locis regularibus, locis etiam Monialium ſub cura, & gubernio, ac habitu Fratrum eorundem degentium per felicis recordationis Urbanum II, Alexandrum III, ac Innocentium etiam III; necnon Gregorium IX, & Innocentium IV, ac Alexandrum etiam IV, necnon Urbanum ſimiliter IV, ac Clementem pariter IV, & Benedictum XI, ac Clementem VI, & Urbanum V, necnon Gregorium etiam XI, ac Eugenium etiam IV, & Sixtum itidem IV, ac Innocentium VIII, & Alexandrum etiam VI, & Julium etiam II, necnon Leonem X, ac Clementem VII, & Paulum pariter III, ac Julium etiam III, necnon Paulum pariter IV, & Pium etiam IV, necnon Pium etiam V, ac Gregorium XIII, & Sixtum ſimiliter V, necnon Clementem pariter VIII, & Paulum ſimiliter V, & Gregorium XV, ac etiam tam per alios Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, quam per nos conceſſa fuerunt. Et licet illa hactenus in viridi obſervantia fuerint, & ſint, nihilominus dictus Dominicus procurator pro firmiori illorum omnium robore, & ſubſiſtentia plurimum cupit, ſibi, dictoque Ordini, ut infra, per nos, & Sedem Apoſtolicam provideri. Quare pro parte ejuſdem Dominici Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus privilegia, aliaque pręmiſſa approbare, & confirmare, ac etiam illa innovare, & denuo concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictum Dominicum a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula privilegia, exemptiones, libertates, confirmatorias facultates, indulgentias, gratias, & indulta quęcunque tam ſpiritualia, quam temporalia dicto Ordini, illiuſque Magiſtris, & Vicariis Generalibus, ac illius Superioribus, & perſonis, & pręcipue dictę Provincię Bęthicę, Congregationibus, Monialibus, & aliis perſonis utriuſque ſexus, ejuſdem Ordinis, & ab eo dependentibus Monaſteriis, domibus, Conventibus, Eccleſiis, & locis quibuſcunque conjunctim, vel ſeparatim, in genere, vel in ſpecie, etiam per ſolam ſignaturam ad favorem pręfati Ordinis facta, & quę ſuum ſortita fuerunt effectum, aut alias tam per prędictos Romanos Pontifices quam etiam per nos, & Sedem Apoſtolicam ſub quibuſcunque verborum formis, & expreſſionibus, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis quomodolibet conceſſa, necnon ipſorum privilegiorum, & indultorum declarationes, & decreta a Congregationibus venerabilium

Confirmatio.

Fra-

Fratrum noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium, deſuper legitime emanata, dummodo tamen privilegia hujuſmodi ſint in uſu, nec hactenus revocata, nec ſub aliqua revocatione comprehenſa, Sacrique Concilii Tridentini decretis minime adverſentur, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium approbamus, confirmamus, & innovamus, ac denuo concedimus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti, & quoſvis alios quantumvis ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper intervenerint, ſupplemus. Et nihilominus, pro potiori Fratrum ejuſdem Ordinis cautela, omnia, & ſingula privilegia, gratias, & illorum confirmationes, exemptiones, & indulta prędicta dicto Ordini conceſſa, & in ſpecie illa, quę in quibuſdam Urbani II incipientibus: Cum univerſis (4), & aliis Eugenii IV: Et ſi Monaſteria: ac aliis ejuſdem Eugenii IV incipientibus: Injunctum: & aliis ipſius Eugenii IV incipientibus: Regularem: necnon aliis dicti Eugenii IV incipientibus etiam: Regularem: necnon aliis Sixti IV incipientibus: Regimini Univerſalis ſub datum Romę milleſimo quadringenteſimo Septuageſimo quarto: & aliis ejuſdem Sixti IV incipientibus: Dum attenta meditatione penſamus: ſub datum Romę milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto, ac aliis ipſius Sixti IV incipientibus: Sacri Prędicatorum, & Minorum: ſub datum Romę milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono: necnon aliis ejuſdem Sixti IV incipientibus: Circunſpecta Apoſtolicę Sedis: ſub datum Romę MCCCCLXXX Kalendis Decembris, & aliis Innocentii VIII incipientibus: Sacrę Religionis: ac aliis Julii II incipientibus: Nihil: ſub datum Romę XXIV Septembris MDVIII, aliiſque Leonis X incipientibus: Univerſis: ſub datum Romę XXV Junii MDXVIII, & aliis Julii III incipientibus: In Sacra Beati Petri Sede: ſub datum Romę MDLI die decima Menſis Julii: ac aliis Pauli IV incipientibus: Ex Apoſtolicę Sedis: necnon aliis Pii V incipientibus: Etſi Mendicantium Ordines: ſub datum Romę VI Octobris MDLXVII, Pontificatus ejuſdem Pii V Anno Secundo, aliiſque Gregorii XIII incipientibus: Nihil in unaquaque religioſa: ac aliis ejuſdem Gregorii XIII pro Societate Jeſu incipientibus: Æquum reputamus: ſub datum Romę MDLXXXV, Kalendis Maii (5), ac aliis Clementis VIII incipientibus: Ex injuncti: ſub datum Rome Anno MDXCVII die decima Septembris: necnon aliis Pauli V incipientibus: In ſupereminentis: aliiſque ejuſdem Pauli V incipientibus: Divina diſponente clementia: ac aliis Sixti IV, & Pii V, & Sixti V pręfatorum, aliiſque Alexandri IV incipientibus: Neque inſolitum eſt: ac aliis recolendę memorię Bonifatii VIII incipientibus: Sacrę Reliquię: necnon aliis ſimilis memorię Adriani VI incipientibus: Dilecti: ſub datum Romę duodecimo Septembris MDXXII, aliiſque paris me. Gregorii XIV incipientibus: Ex injuncto: ſub datum XXIV Septembris Anno MDXCV (6), aliiſque aliorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum, ac etiam aliis a nobis emanatis literis Apoſtolicis incipientibus: In Sacra Beati Petri Sede: ſub datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem MDCXXIV, Nonis Julii, necnon etiam privilegia, gratias, indulta, & immunitates in literis Apoſtolicis, quę appellantur, Mare magnum, Ordinis Prędicatorum, ceterorumque pręfatorum Fratrum, ac quibuſdam literis bonę memorię Leonardi tituli S. Petri ad Vincula Presbyteri Cardinalis de Forlivio, nuncupati ſuper gratia ab eodem Leone X ad favorem dicti Ordinis facta pro Provincia Bęthica ejuſdem Ordinis conceſſa, ſub datum Romę quarto Idus Septembris, Pontificatus dicti Leonis X Anno Quinto continentur, auctoritate, & tenore pręmiſſis de novo concedimus, ſeu innovamus, decernentes privilegia, exemptiones, & indulta hujuſmodi ſemper, & perpetuo valida, & efficacia eſſe, & fore, ac a locorum Ordinariis, ac quibuſcunque aliis, quavis auctoritate fungentibus inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, ſicque per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. Romanę Eccleſię Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Vicelegatos, dictęque Sedis Nuncios, judicari, & diffiniri debere, irritumque, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis cauſarum Curię Camerę Apoſtolicę Generali Auditori, ac Theſaurario, ac Archidiacono Eccleſię Hiſpalen. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, quoties, ubi, & quando pro parte Magiſtri, vel Vicarii, aut Procuratoris Generalis ejuſdem Ordinis, aut alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem pręſentes noſtras literas, & in eis contenta quęcunque ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit in futurum, firmiter, & inviolabiliter obſervari, non permittentes eoſdem Magiſtrum, aut Vicarium, vel Procuratorem Generalem, aut aliquam ejuſdem Ordinis perſonam, vel aliquos eorum deſuper, a quoquam quomodolibet moleſtari, indebite impediri, aut perturbari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac pręmiſſis contravenientes per ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, necnon alia opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pęnas hujuſmodi, etiam iteratis vicibus, ſervata forma ejuſdem Concilii Tridentini, aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio. Non obſtantibus pręmiſſis, ac ejuſdem Bonifatii VIII, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Dięceſim niſi in certis caſibus tunc expreſſis, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Dięceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede prędicta deputati extra Civitatem, vel Dięceſim, in quibus deputati fuerunt contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere pręſumant, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis vigore earundem pręſentium ad judicium non trahatur, necnon quibuſcunque Apoſtolicis, etiam in provincialibus, & Generalibus Conciliis editis conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinis, & domorum, ac locorum regularium hujuſmodi, juramento, confirmatone Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, illorumque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam irritantibus, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, illorumque tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac individua, etiam de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes

men-

mentio, ſeu quęvis alia habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat harum ſerie derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Per pręſentes autem non intendimus approbare, & confirmare alia privilegia dicti Ordinis, quam illa duntaxat, quę ſunt in uſu, nec ſub ullis revocationibus comprehenſa, nec etiam ejuſdem Concilii Tridentini decretis contraria eſſe dignoſcuntur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, innovationis, conceſſionis, roboris, adjectionis, ſuppletionis, decreti, mandati, derogationis, & intentionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Vigeſimo Quinto, Tertio Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Firmat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *Dominici.*) Viri clariſſimi, maximis ornatus fuit animi dotibus. Adeas *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXXVI pag.* 442.
4. *Cum univerſis.*) Legitur hæc Conſtitutio apud *Emmanuelem Rodericum* in *Nova Collectione, & Compilatione Privilegiorum Apoſtolicorum &c.* in *Urbano II*. Ceteræ quæ Ordinem Fratrum Prædicatorum ſpectant, reperiuntur in hoc *Bullario*. Conſtitutiones vero hac in Bulla laudatas, & aliorum Ordinum gratia datas refert idem *Rodericus* hac de re conſulendus.
5. *Maii.*) Anno *MDLXXXV* Kalendis Maii *Sixtus V* Corona Pontificia redimitus fuit: &, ut notis eſt, Conſtitutiones, quas Prædeceſſor *Gregorius*, morte præventus, nondum vulgaverat, promulgavit: Hinc iſta Conſtitutio *Gregorio XIII* aſcribitur, licet a *Sixto V* fuerit promulgata.
6. *MDXCV.*) Legendum *MDXCI*.

Anno 1625 Die 26 Junii.

Firmat ea, quæ pro Piſſiacenſi (1) Monaſterio ſancita ſunt a Generali Magiſtro.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

IN ſupremo Apoſtolatus ſolio meritis licet imparibus divina diſpenſatione pręſidentes, inter multiplices paſtoralis officii noſtri curas ad ea, per quę divinus cultus, & devotio, necnon regularis diſciplinę obſervantia in quibuslibet, pręſertim vero ſanctimonialium Monaſteriis conſerventur, majoraque in dies ſuſcipiant incrementa, ejuſdem officii partes ſedulo intendimus, ac iis, quę propterea, pręſertim ab eorum Superioribus pie, & provide ſtatuta ſunt, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Diplomatis cauſa.

Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Seraphinus Siccus (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſter Generalis, quod ipſe proſperę, felicique Monaſterii Monialium S. Ludovici loci Piſſiacen. ejuſdem Ordinis Carnoten. (4) Dięceſis directioni, & priſtinę regularis diſciplinę obſervantię in eo fere collapſę reſtitutioni pro commiſſo ſibi munere invigilans, nonnulla ſtatuta, ſeu decreta ab ejuſdem Monaſterii Prioriſſa, & Monialibus perpetuo obſervanda edidit, tenore ſubſequentis videlicet.

Statuta.

Imprimis omnes, & ſingulas in Domino hortamur, ut animo repetentes quemadmodum ſe ipſas Domino devoverint, & conſecraverint, unitatem cordis magnopere a noſtra regula, & conſtitutionibus commendatam complecti, moreſque ſuos ad normam ejuſdem regulę, & conſtitutionum componere velint, potiſſimum vero vota ſua, ſcilicet obedientiam, paupertatem, & caſtitatem, quibus veluti fundamentis tota nititur regularis diſciplina, Domino ſuo fideliter reddant. Secundo mandamus, ut clauſuram ſeveriſſime cuſtodiant, & ſervent, itaut nec Prioriſſa, nec ulla unquam alia Monialis quocunque pretextu Monaſterio egrediatur, neque perſona aliqua intra illud admittatur, niſi quatenus per decreta Sacroſancti Concilii Tridentini, & Summorum Pontificum Conſtitutiones, permittitur. Tertio ordinamus, ut nulla ſcilicet, nec Prioriſſa, nec alia quęvis Monialis habeat aliquid proprium, ſed omnes pecunię in commune depoſitum conferantur, tribus diverſis clavibus firmatum, quarum una Mater Prioriſſa pro tempore, duarum vero aliarum ſingulam penes ſe cuſtodiant duę Moniales diſcretę a Capitulo ipſarum Monialium ad hoc electę. Ex illis autem pecuniis, quas in depoſitum unaquęque contulerit ejuſdem Religioſis neceſſitatibus annuente Matre Prioriſſa ſubveniatur, mortua vero, vel Prioriſſa, vel quacunque alia Moniali, pręfictę pecunię, ceteraque ipſarum, quando quidem ad Monaſterium pertinent, ſint eidem Moneſterio applicata, prout ea ex nunc Nos applicamus, & tradimus. Quarto in uſum revocentur ceremonię, & obſervantię Conſtitutionum noſtrarum, & ordinationum Apoſtolicarum pro Monialibus editarum, pręſertim, quę pertinent ad victum, & veſtitum communem, ad vitandas colloquutiones, & familiaritates tam ſecularium, quam clericorum, & religioſorum cujuſcunque Ordinis, atque ad ſervitium Chori die noctuque, quod ſi aliquę Moniales ſtrictiorem hujuſmodi vitam ſponte ſuſcipere noluerint, ad eam ſuſcipiendam minime compellantur, ſed nihilominus ipſę ſint ſubjectę Matri Prioriſſę, & ad clauſuram ſervandam, ut ceterę omnes teneantur, neque liceat ipſis ea, quę ad ſubſtantiam regularis vitę pertinent, ulla ratione violare, quamquam in ceteris, quoad ſine offenſa Dei, aut ſcandalo proximi fieri poſſit, tolerari poterunt. Quinto Mater Soror Ludovica de Gondi, pręſens Prioriſſa, perſeveret in officio, prout ſibi ab Apoſtolica Sede indultum eſt. Si vero ipſa Prioratui ceſſerit, vel ex hac vita migraverit, eligatur a Sororibus vocalibus nova Prioriſſa, juxta pręſcriptum Sacri Concilii Tridentini, Conſtitutionum noſtrarum, & Capitulorum Generalium. Quę ſic electa, & a Patre Provinciali confirmata, ſit tantum trien-

triennalis. Et hoc de electione, & duratione Prioriſſarum deinceps perpetuo obſervetur, ita tamen, ut illę duntaxat Moniales vocem habeant ad Prioriſſam pro tempore eligendam, quę arctiori vitę, ut ſupra, ſe ſe addixerint, Subprioriſſę vero, & alię officiales de conſilio, & aſſenſu Matrum a conſiliis inſtituantur, trienni oque pariter officia ſua conficiant. Sexto Novicię, quę ad habitum fuerint receptę, inſtituantur, & educentur juxta prędictam ſtrictiorem diſciplinam, & ne forte moribus laxioribus imbuantur, nullo unquam tempore converſentur cum Monialibus ab arctiori diſciplina regulari alienis. Septimo, quo facilius ſtrictior hęc vivendi ratio, poſtquam fuerit introducta, conſervetur, tres, vel quatuor Sorores antiquiores alicujus alterius Monaſterii Ordinis noſtri, quę vitam regularem ſeverius obſervare conſueverint, a nobiſque nominandę, ad iſtud Monaſterium Piſſiacen., ſi ipſis libuerit, transferantur, quarum una in Subprioriſſam, alia vero in Magiſtram Noviciarum, tertia in Sacriſtam, poſtrema vero in Janitricem inſtituantur. Tandem ubi primum hę noſtrę ordinationes Matri Prioriſſę prędicti Monaſterii Piſſiacen. traditę, atque notificatę fuerint, eas coram tota communitate promulgari, & tranſumpta aliqua publicis ipſius Monaſterii locis affigi. Hoc autem originale in Archivo diligenter cuſtodiri faciat, ſub pęna abſolutionis ab officio, eaſque, tam ipſa, quam ceterę pro tempore Prioriſſę obſervent, & ab omnibus Monialibus ſervari curent, ſub eadem abſolutionis pęna. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Seraphinus plurimum cupiat, ſtatuta, ſeu decreta hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtant, exactiuſque obſerventur, Apoſtolicę confirmationis robore communiri. Ideo Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut deſuper opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, piis ejuſdem Seraphini votis in prę miſſis annuere, illumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis regularium prępoſitorum conſilio, ſtatuta, ſeu decreta pręinſerta hujuſmodi Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, perpetuo approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes, eadem ſtatuta, ſeu decreta, necnon pręſentes literas valida, firma, & efficacia eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, ac ab ejuſdem Monaſterii Prioriſſa, & Monialibus, nunc, & pro tempore exiſtentibus, ceteriſque, ad quos ſpectat, firmiter, & inviolabiliter perpetuo obſervari debere, irritumque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa venerabilibus Fratribus Lingonen. (5), Carnoten., & Melden. (6) Epiſcopis per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Seraphini moderni, & pro tempore exiſtentis dicti Ordinis Magiſtri Generalis fuęrint requiſiti, ſolemniter publicantes, eique in prę miſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes faciant, auctoritate noſtra, ſtatuta, ſeu decreta hujuſmodi ab omnibus ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter obſervari. Contradictores quoslibet, & in prę miſſis non parentes, per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate pręſentium ad judicium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Junii MDCXXV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Confirmatio.

M. A. Maraldus.

1. *Piſſiacen.*) Aliis *Piſciacen.*, vulgo *Poiſſy*. Juris eſt Provinciæ *Franciæ*.
2. *Archivo*.) In quo exemplar.
3. *Seraphinus Siccus*.) De quo dictum fuit.
4. *Carnoten.*) Vulgo *Chartres*, in *Gallia*.
5. *Lingonen.*) Vulgo *Langres*.
6. *Melden.*) *Meaux*.

Anno 1625
Die 28 Julii.

De reformandis Provinciis Calabriæ, Apuliæ, & Siciliæ.

Ex Archivo (1) Ordinis.

XVIII.

Dilecto filio Seraphino Sicco Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum.

URBANUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

CReditum humilitati noſtrę inperſcrutabili divinę ſapientię providentia Apoſtolicę ſervitutis miniſterium poſtulat, ut Chriſti fidelium ſub ſuavi religionis jugo Altiſſimo famulantium, votis, quę ad reſtituendos in priſtinum decorem Ordines regulares in Eccleſia Dei a Sanctis Patribus inſtitutos, & inſtaurandam, ubi in eis collapſa reperitur, regularis obſervantię diſciplina, pertinere dignoſcuntur, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, tu pro incumbentis tibi officii debito reformationem in domos, & alia loca regularia tui Ordinis Pro-

Supplex petitio.

Provinciarum Apuliç, Calabriç, & Siciliç introducere, & quo laudabilem intentionem tuam hujuſmodi exequutioni facilius demandare valeas, tibi per Nos in prçmiſſis opportune provideri ſummopere deſideres. Nos, te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pçnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum prçſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, tibi, ut pro introducenda in dictas Provincias reformatione hujuſmodi Miniſtros Provinciales earundem Provinciarum e Provinciis reformatis Lombardiç, Hetruriç, Aprutin., ſeu Congregationis Sanitatis Neapolitan. conſtituere, & deputare, ceteraque omnia, & ſingula in prçmiſſis, & circa ea neceſſaria, & quomodolibet opportuna facere, dicere, gerere, & exequi, ſervata in reliquis, in omnibus, & per omnia ſtatutorum ejuſdem Ordinis Apoſtolica auctoritate confirmatorum forma, libere, & licite poſſis, & valeas, dicta auctoritate tenore prçſentium facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romç apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Julii MDCXXV, Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

V. Theatin.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1625 Die 9 Augusti.

De Generali Capitulo (1) habendo omni ſexennio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIX.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Apoſtolici muneris ſolicitudo, divina diſpenſatione, nullo licet meritorum ſuffragio Nobis impoſita, poſtulat, ut circa ſtatum Religioſorum Ordinum in Eccleſia Dei militantium proſpere dirigendum ſedulo invigilantes, in his, per quç felici eorum profectui, ſalubrique directioni conſulitur, ejuſdem muneris partes propenſius impendamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque ſicut dilecti filii quamplures Priores Provinciales, & Fratres diverſarum Provinciarum Ordinis Fratrum Prçdicatorum Nobis nuper exponi fecerunt, juxta regularia ejuſdem Ordinis inſtituta apoſtolica auctoritate confirmata; Capitulum Generale de triennio in triennium pro una vice citra, pro altera ultramontes celebrari debeat, ex hoc autem Provincias ipſas in Fratribus ad hujuſmodi Capitulum mittendis gravia incommoda, & diſpendia cum non modico regularis diſciplinç obſervantiç detrimento pati compertum ſit, & propterea per Nos, ut infra, provideri ſummopere deſiderent; Nos proſpero, felicique ipſius Ordinis ſtatui, & directioni, quantum cum Domino poſſumus, conſulere, ac Priores Provinciales, & Fratres prçdictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pçnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatç exiſtunt, ad effectum prçſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; Quod de cetero perpetuis futuris temporibus Capitulum Generale hujuſmodi de ſexennio in ſexennium celebretur, ſive a Magiſtro Generali ejuſdem Ordinis pro tempore exiſtente ad ſexennium hujuſmodi prorogari, prout ſibi videbitur poſſit, & valeat, dictoque ſexennio elapſo, & non antea dictum Capitulum Generale celebretur, & celebrari debeat, ordine tamen in celebratione hujuſmodi ſervari ſolito ſervato, in eoque, quç de more fieri ſolent, fiant, & obſerventur, dicta auctoritate, tenore prçſentium ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes, prçſentes literas, & in eis contenta quçcunque, ſemper, & perpetuo valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ac ab omnibus ad quos ſpectat inviolabiliter obſervari debere, irritumque, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Superioribus, & Fratribus in contrarium prçmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores prçſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut prçſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonç in dignitate eccleſiaſtica conſtitutç munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quç prçſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitç, vel oſtenſç. Datum Romç apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IX Auguſti MDCXXV, Pontificatus noſtri Anno Tertio,

V. Theatin.

1. *Capitulo.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Hiſpa-

Hiſpalenſis (1) Cœnobii Reginæ Angelorum Privilegia declarat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Anno 1625 Die 27 Auguſti.

XX.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

IN ſupremo Apoſtolatus ſolio, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione pręſidentes, inter multiplices paſtoralis Officii curas, ad ea, per quę Divinus cultus, & devotio, regulariſque diſciplinę obſervantia conſerventur, majoraque in dies ſuſcipiant incrementa, ſolicitis ſtudiis intendimus, atque his, quę propterea provide facta fuiſſe comperimus, quo firma, & illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Dominicus (3) de Molina Ordinis Fratrum Prę dicatorum profeſſor, ac Fratrum ejuſdem Ordinis Provincię Bętic ę Procurator Generalis, quod dilectus etiam filius Prior Provincialis Provincię hujuſmodi provide conſiderans, Domum Regularem Reginę Angelorum (4) nuncupatam Hiſpalen. ejuſdem Ordinis a ſexaginta circiter annis erectam, & a felicis recordationis Gregorio Papa XIII, Pręděceſſore Noſtro, diverſis ei conceſſis privilegiis, quę per pię memorię Clementem Papam VIII, etiam Pręděceſſorem noſtrum, confirmata, partim vero reformata fuerunt, confirmatam, in eorundem privilegiorum poſſeſſione perſeveraſſe, pro majori vero regularis diſciplinę obſervantię conſervatione, privilegia ipſa, moderatione aliqua tam circa eſum carnium, ac horarum matutinarum, recitationem, quam alia quędam in ipſis privilegiis contenta indigere, ipſius, mediante etiam opera dicti Dominici; reformationem in dictam domum, circa hujuſmodi privilegia introduxit, prout plenius continetur in publicis ſcripturis deſuper confectis, quarum tenor eſt, qui ſequitur videlicet.

Diplomatis cauſa.

PRIMUM PRIVILEGIUM

Inter alia, quę continentur in Bullis Sixti V, Gregorii XIII, & Clementis VIII eſt, quod comedant carnes Prior, & Fratres illius Conventus omnibus diebus non prohibitis ab Eccleſia. Circa hoc privilegium in favorem obſervantię regularis ſupplicatur Suę Sanctitati, utdignetur concedere, quod ipſo privilegio non obſtante, Fratres Conventuales ejuſdem Conventus, & Prior reducantur ad jus noſtrę Regulę, & conſtitutionis Ordinis Pręedicatorum, pręcipientium comedere piſces, vel ova in omnibus diebus Mercurii totius anni, exceptis diebus, in quibus celebrantur feſta principalia, ut ſunt Natalis Domini, Epiphania, & feſta D. N. Jeſu Chriſti, & feſta Dominę noſtrę, & S. Patris Dominici, & Sanctorum noſtri Ordinis, necnon quod ipſi Prior, & Fratres Conventuales non gaudeant pręedicto privilegio comedendi interiora animalium, ut eſt conſuetudo in Provinciis Caſtellę, & Bętic ę omnibus Sabbatis totius anni, exceptis etiam predictis diebus feſtis, necnon etiam, quod non gaudeant pręedicto privilegio comedendi carnes pręedicti Prior, & Fratres omnibus diebus Adventus D. nec feria II, & III, ante diem Cinerum, nec tribus diebus Rogationum, neque in vigilia P. N. S. Dominici, neque in prima hebdomada S. Crucis Exaltationis. quod feſtum celebratur die XIV Septembris, incipiendo hebdomadam ab ipſo die Exaltationis Sanctiſſimę Crucis, & ut pręedicti Prior, & Fratres Conventuales ejuſdem Conventus Reginę Angelorum Hiſpalen. omnibus diebus predictis, ut explicatum eſt, abſtineant a carnibus, & interioribus animalium, maneantque ad jus conſtitutionum Ordinis Pręedicatorum. Secundum, quod ſupplicatur Suę Sanctitati eſt, quod Novicii, qui ſecundum ſcripturam fundationis ejuſdem Conventus confirmatam pręedictis Bullis Gregorii XIII, Sixti V, & Clementis VIII, recipiuntur, & aluntur, educantur, & profitentur in eodem Conventu, & qui poſtea recipientur in perpetuum, & educabuntur, & profitebuntur, necnon, & eorum Magiſter, & Pedagogus, non gaudeant pręedicto privilegio, ſed pro tempore maneant ad jus Conſtitutionum Ordinis Pręedicatorum abſtinendo a carnibus, & interioribus animalium, niſi in caſibus ab ipſis Conſtitutionibus, & actis Capitulorum generalium permiſſis.

SECUNDUM PRIVILEGIUM

Seu Scripturę fundationis confirmatum etiam per pręedictas Bullas Grrgorii XIII, & Sixti V &c. Cujus uſus eſt in viridi obſervantia, etiam per actum manutentionis Judicis Apoſtolici eſt. Quod Prior, & Fratres ejuſdem Conventus teneantur dicere Matutinas de prima nocte, & non de media nocte &c. Circa iſtud privilegium ſic confirmatum ſupplicatur Suę Sanctitati in favorem obſervantię Regularis, quod reformetur in hunc modum, quod temporibus Quadrageſimę, & Adventus Domini, & diebus Natalis Domini, ac Epiphanię, & Aſcenſionis Domini, & in feſto Pentecoſtes prima die, & in feſto Omnium Sanctorum, & in feſto Sanctiſſimi Roſarii, & prima hebdomada, in qua celebratur feſtum Exaltationis Sanctę Crucis, quod omnibus his diebus dicantur horę matutinę de media nocte, remanente Conventu ad jus Conſtitutionum Ordinis Pręedicatorum, excepto, quando dicti Domini Marchiones Patroni ejuſdem Conventus pro ſua devotione, vel pro alia cauſa voluerint, ut dicantur de prima nocte. Circa idem privilegium ſupplicatur Suę Sanctitati in favorem obſervantię regularis, quod in Officio Divino cantentur Completoria hora ſeparata a Veſperis, videlicet hora quinta de ſero, ſive in hyeme, ſive in ęſtate, ut fit in omnibus Conventibus Religioſis ſupradicti Ordinis, & Provincię Bętic ę, exceptis Dominicis diebus, & feſtis de precepto, & octo diebus ante Adventum, & octo ante Quadrageſimam, in quibus ſolent relevari Fratres aliquantiſper, nam his tantum diebus, & illis etiam diebus, quibus ſecundum Ordinarium noſtri Ordinis dicuntur Matutinę de ſero hora quinta, poterunt dici inſimul cum hora Veſperarum immediate poſt finitas Veſperas, ſed ſemper, & irremiſſibiliter dicantur decantatę, & non recitatę.

TERTIUM PRIVILEGIUM

Seu conditio Scripturę fundationis ejuſdem Conventus eſt, confirmata etiam auctoritate Apoſtolica prędictarum Bullarum; Quod in prędicto Conventu obſerventur omnes Conſtitutiones, Acta, Pręcepta, Ordinationes quorumcunque Superiorum noſtri Ordinis, exceptis illis, quę contradicunt conditionibus, & Privilegiis, quę exprimuntur in ſcriptura Fundationis. Circa hanc conditionem, ſeu Privilegium ſupplicatur Suę Sanctitati in favorem obſervantię Regularis ejuſdem Conventus, pręcipue educationis Noviciorum, qui ibi recipiuntur, & aluntur; Quod Magiſter Noviciorum, qui nunc eſt, vel pro tempore fuerit, eligi debeat juxta diſpoſitum actorum Capitulorum Generalium antiquorum, & modernorum, pręcipue juxta decretum Capituli Generalis noſtri Ordinis celebrati Romę anno MDLXXXIX, & auctoritate Apoſtolica confirmatum, quique debeat habere omnes partes, & qualitates, ſpecialiter in conditione, ętate, Religione, & virtute juxta diſpoſitionem Bullę Clementis VIII, & Pauli V, & modo juſſu Sanctiſſimi Urbani D. N., & Papę renovatę pro reformatione Regularium, & quę adduntur in actis noſtrorum Capitulorum Generalium antiquorum, & modernorum, videlicet, quod eligatur, vel in Capitulo Provinciali a toto Definitorio, ſi electio ejuſdem Magiſtri Noviciorum illo tempore celebrationis Capituli occurrerit, ſi vero extra Capitulum, quod non eligatur ullo modo, niſi a Patribus Conſilii ejuſdem Conventus, neque electum poſſit, nec Prior, nec Pater Provincialis de ſe ſolis mutare, niſi de conſilio eorundem Patrum per vota deciſiva, & ſecreta, & cum cauſa cognita, ad hoc quod deponatur ab Officio, & ſub gravibus pęnis, pręter taxandas, ac in ſupradictis taxatas, & totum in contrarium ſit irritum, & inane. Item quod ſi in eodem Conventu fuerit aliquis aſſertus Noviciorum Magiſter, qui non ſit electus modo ſupradicto, intra tres dies deponatur ab officio, ipſum non eſſe Magiſtrum Noviciorum declarando, & ille, qui inventus fuerit electus prędicto modo a Patribus Conſilii ejuſdem Conventus loco illius ponatur, ſub pęnis in eiſdem actis contentis, quas ipſo facto incurrant Superiores, contrarium facientes, & eos, qui contrarium fecerunt eas incurriſſe declaretur. Et in poſterum non liceat alicui Superiori conſtituere in Magiſtrum Noviciorum in dicto Conventu, & per breve tempus niſi fuerit electus modo, & forma, ac qualitatibus, & ętate ſupradictis. Item ſupplicatur Suę Sanctitati, quod dicto Magiſtro Noviciorum, qui ita, ut pręfertur, fuerit electus, obſerventur punctualiter omnia privilegia, indulta, gratię, immunitates, exemptiones, & .... circa Novicios, quę conceduntur dd. Magiſtris Noviciorum virtute decreti Sanctitatis Clementis Papę VIII, & Pauli V, & quę conceduntur virtute noſtrarum Sacrarum Conſtitutionum, & actorum Capitulorum Generalium, & Provincialium ſpecialiter, quod ſit unus ex Patribus conſilii ejuſdem Conventus, & quod habeat locum, & vocem poſt omnes Patres graduatos, & poſt eos, qui fuerunt Priores in aliquo Conventu, licet non ſit graduatus, ſingulariter ei concedatur, quod non teneatur eſſe hebdomadarius, neque ad ſe induendum pro Diacono, aut Subdiacono, ad hoc quod totus occupetur in educatione prędictorum Noviciorum, abſque eo, quod faciat aliquam abſentiam ab illis, ſeu Noviciatu, & quod eidem Magiſtro obſerventur omnia prędicta privilegia, gratię, & indulta, & ſi fuerit neceſſe de novo confirmentur, & innoventur, & ei concedantur. Item ſupplicatur circa idem tertium privilegium, ſeu conditionem, quod in illius conformitatem omnes Officiales dicti Conventus, ſcilicet Superior, Vicarius, Procurator de la hazienda, Nuncius, & Procurator coquinę, Sacriſtanus, Portarius, & Eleemoſynarii, & Religioſi, qui cuſtodiunt poſſeſſiones, & Vineas dicti Conventus, & quicunque alii Officiales, quibus in adminiſtratione ſuorum Officiorum reſervata eſt fidelitas, & punctualitas, eligentur juxta Acta Capitulorum Generalium, & Provincialium ejuſdem Provincię Bęticę, videlicet de conſilio Patrum ejuſdem Conventus, & habeant partes, & qualitates requiſitas juxta ſeriem noſtrarum Conſtitutionum, & actorum Capitulorum Generalium, & qui non fuerint electi hac forma, ac modo, & qualitatibus, ſtatim amoveantur, & eligantur, ut pręfertur, & hoc pręter pęnas poſitas in eiſdem actis, & in iſta noſtra conſtitutione, quas ipſo facto incurrant, totum ſit irritum, & inane. Item ſupplicatur Suę Sanctitati circa eandem conditionem, & privilegia contenta in ſcriptura fundationis, & prędictis Bullis, & in Actis Capitulorum Generalium, quod teneantur Pręlati Conventus prędicti Reginę Angelorum omnibus diebus Dominicis, & feſtis de pręcepto, abſque eo quod nullus dies deficiat, vel prędicare, vel facere, quod Fratres Prędicatores ejuſdem Conventus prędicent abſque eo, quod nullus Religioſus poſſit ſe excuſare, niſi prętextu infirmitatis, aut ſenectutis, aut alio ſimili reſpectu, aut quod non habeat licentiam, & expoſitionem ad prędictum officium exercendum, itaut quater in anno diſtribuantur conciones habendę in prędictis diebus per ſingulos Patres Prędicatores Conventuales ejuſdem Conventus, habita ſemper attentione ad qualitates, & eruditionem perſonarum, & ſolemnitatem dierum, taliter quod juxta qualitatem Patrum Prędicatorum Conventualium adaptentur conciones in diebus minoris, vel majoris ſolemnitatis, quę omnia, & ſingula debent per Patrem Priorem, & quatuor antiquiores Patres a conſilio examinari, propter quem continuum laborem ſupplicatur Suę Sanctitati, ut concedere dignetur Prędicatoribus Generalibus prędicti Conventus, ſive ſint pro dicto Conventu deſignati, ſive pro aliis Conventibus ejuſdem Provincię fuerint inſtituti, quod dum manent in dicto Conventu Reginę Angelorum gaudeant omnibus privilegiis Prędicatorum Generalium, & voce videlicet in Capitulis Provincialibus, quibus gaudent Prędicatores Generales commorantes in Conventu Montis Sion Hiſpalen. ejuſdem Ordinis, licet non inſerviant Conventibus, pro quibus ſunt inſtituti, cum uterque iſte Conventus habeat eaſdem obligationes in audiendis confeſſionibus, & concionibus ad populum habendis, ac eadem ſtatuta, & privilegia, vel quaſi, & quod hoc obſervetur non obſtante quacunque ordinatione. Item eſt

QUARTUM PRIVILEGIUM

Eidem Conventui conceſſum, quod numerus Fratrum Conventualium ejuſdem Conventus non extendatur ultra quadraginta Fratres. Quod quidem privilegium eſt conceſſum conformiter ad ſcripturam funda-

fundationis Bullę Clementis VIII ſupradictę, & decreti cujuſdam Reverendiſſimi P. N. Generalis Seraphini Sicci de Pavia. Circa hoc privilegium ſupplicatur Suę Sanctitati, quod numerus prędictus quadraginta Religioſorum, qui juxta Bullam Clementis VIII eſt pręfixus, & juxta decretum Reverendiſſimi Generalis Fr. Seraphini Sicci de Pavia in favorem prędicti Conventus, extendatur ad quinquaginta Religioſorum, itaut deinceps in eodem Conventu ſint triginta Sacerdotes, ut poſſint ſatisfacere obligationibus Miſſarum ejuſdem Conventus, & ſint ſex Novicii, qui maneant in eodem Conventu, & poſt Profeſſionem, uſquedum mittantur ad ſtudendum, & ſint tres alii Religioſi, ſive Diaconi, ſive Subdiaconi, ſive Sacerdotes cum hoc onere tamen iſti recipiantur, quod teneantur alternative per ſuas hebdomadas inſervire altari in officio Diaconatus, vel Subdiaconatus reſpective ad omnes Miſſas, & Miſſam majorem cantandas, taliterquod ſi bis vocati renuerint in hujuſmodi miniſterio Altaris Diaconatus videlicet, & Subdiaconatus inſervire, ab ipſa domo, ipſo facto Prior, ſive Pręſidens Conventus expellat ſub gravibus pęnis contrarium facientibus, & intra decem dies eligantur alii in eorum loco, & undecim Religioſi, qui reſtant ad complendum prędictum numerum quinquaginta videlicet Religioſorum ſint Fratres converſi, vel laici, ſub quo numero non comprehenditur Pater Prior ejuſdem Conventus, ſi contigerit de foras advenire, quandiu exercet officium Prioris. Quo finito, non poterit amplius eſſe, neque pernoctare in eodem Conventu, & tam Prior, quam decem Fratres, qui modo augentur, ſed & omnes Conventuales ejuſdem Conventus recipiantur per electionem canonicam ea forma, & qualitatibus, & conditionibus, quibus diſpoſitum eſt tam in ſcriptura fundationis, quam in Bulla Sixti V, & prędicta Bulla Clementis VIII, relinquaturque Patri Provinciali, & Patri Priori ejuſdem Conventus, & Patribus conſilii ejuſdem Conventus, de aſſenſu tamen Excellentiſſimi Marchionis de Ayamonte Patroni ejuſdem Conventus, & non aliter, quod prędictus numerus augeatur, vel diminuatur, juxta neceſſitatem, & quantitatem redditaum Conventus, ſecundum quod diſponitur in dicta Bulla Clementis VIII data in favorem Conventus ad petitionem ejuſdem Conventus, & patroni, de conſenſu, & voto Illuſtriſſimi Alexandrini tunc Protectoris Ordinis, & acceptata a Patre Provinciali, tunc, & nunc, & juxta decreta ejuſdem Sanctitatis Clementis VIII de reformatione Regularium, & acta Capitulorum Generalium. Item circa idem Privilegium ſupplicatur Suę Sanctitati, quod conformiter ad acta Capitulorum Generalium, & ut ſatisfaciat Conventus prędictis oneribus Miſſarum, tam quę pro animabus Fundatricis, quam Patronorum, dici, & cantari debent, quam pro aliis obligationibus ejuſdem Conventus pręcipiat, quod omnis Sacerdos Conventualis, & Prior ejuſdem Conventus cujuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis ſint, ſive Magiſtri, ſive Preſentati, ſive filii ejuſdem domus, ſive non, ſive Pręlati, ſive ſubditi, teneantur dicere per quamlibet hebdomadam quinque Miſſas pro obligationibus ejuſdem Conventus, nulloque prętextu, neque reſpectu releventur ab iſto onere, niſi titulo infirmitatis, quę excuſet eos a celebrando ſacro, vel titulo abſentię ex Conventu, annullans omnes licentias quorumcunque Superiorum, quacunque auctoritate factas, vel confirmatas, hucuſque conceſſas Conventualibus, vel alicui Conventuali ejuſdem Conventus, prohibens ſub graviſſimis pęnis, & cenſuris, omnibus Superioribus ejuſdem Conventus Provincię Bęticę, vel Ordinis, ut nullatenus deinceps tales licentias concedant, immo conſtringant omnes Conventuales, & Priorem ejuſdem Conventus, ut adimpleant prędictam obligationem, taliter quod eleemoſyna, quę pro dictis Miſſis dicendis a fidelibus confertur, Conventui applicetur, & incorporetur, ſine eo, quod applicetur alicui Fratri in particulari, & contrarium facientibus, ſive Pręlati, ſive ſubditi, quicunque illi ſint, & non fideliter reddiderint eleemoſynam prędictarum quinque Miſſarum, quam acceperint, in manibus Pręlati, & Clavigerorum depoſiti ejuſdem Conventus ad prędictum finem, pręter pęnas, quas ipſo facto incurrunt infra taxandas, totum ſit irritum, & inane, & licentia ſic data, vel ab eis extorta, invalida ſit, ipſique adhuc tenebuntur reſtituere Conventui in conſcientia. Item ſupplicatur Suę Sanctitati circa idem, quod eodem modo diſponat circa eleemoſynam, quę largitur Religioſis propter conciones, quas prędicabunt, & prędicant ex Conventu, ſive in populis, ſive in villis, ſive in Civitate eadem, permittens pro conſolatione, & neceſſitatibus religioſis dictorum Fratrum Conventualium, quod a Pręlatis Conventus illis tribui poſſit medietas eleemoſynę dictarum concionum, quas prędicabunt, arbitrando ſimul cum Patribus conſilii ejuſdem Conventus quantitatem eleemoſynę, quę talibus debet conferri, ſublata facultate a prędictis Superioribus aliter arbitrandi, vel dandi. Item etiam eſt

QUINTUM PRIVILEGIUM

Ejuſdem Conventus contentum in prędicta Bulla Sanctitatis Clementis VIII, videlicet, quod nullus Conventualis recipiatur ad commorandum in eodem Conventu, niſi prius eligatur per electionem canonicam a Conventualibus ejuſdem Conventus, quemadmodum fit in Conventu Montis Sion Hiſpalen. ejuſdem Ordinis. Pro iſto privilegio ſupplicatur Suę Sanctitati, quod reformetur illud, ut tollantur inconvenientia multa, & in favorem juriſdictionis Pręlatorum in hunc modum, quod prędicta electio canonica reducatur ad minorem numerum Conventualium ejuſdem Conventus videlicet, ad octo Patres, qui dicuntur Patres conſilii ejuſdem Conventus, necnon, & ad Priorem ejuſdem Conventus, itaut Electores, qui debent eligere Fratrem Conventualem ejuſdem Conventus debent eſſe Prior ejuſdem Conventus, Magiſtri, Pręſentati, Subprior, & Prędicatores Generales, & qui fuerunt Priores in aliquo Conventu, & Magiſter Noviciorum ejuſdem Conventus, & ſi adhuc non ſit adimpletus numerus prędictus electorum, aſſumantur ex antiquioribus Conventus habitu, vel profeſſione uſque ad numerum prędictum novem Electorum cum Priore, qui eligent canonice, ſervando omnes conditiones electionis canonicę, hac tamen lege, ut ſi Pater Provincialis fuerint pręſens Hiſpali, & non aliter teneantur illum admittere ad ipſam electionem, qui prędidebit ipſi electioni, & habebit vocem in illa, ſi tamen ipſe Provincialis voluerit intereſſe, ſine eo, quod teneantur Electores pręſtolari ipſum, vel vocare, hac etiam lege, quod Pater Provincialis, ſi voluerit, mittat Epiſtolam, in qua nominet quatuor ad minus, vel ſex

ſex ex Fratribus Provinciȩ Bȩticȩ, dum tamen nullus ſit graduatus, niſi fuerit filius ejuſdem Conventus ex quibus tenentur Electores eligere unum pro Conventuali ejuſdem Conventus intra duos dies poſtquam acceperint prȩdictam nominationem a Patre Provinciali, quod ſi intra prȩdictum terminum non elegerint Conventualem in loco vacante, devolvatur totum jus ad Patrem Provincialem, itaut in iſto caſu, & pro iſta vice ſola poſſit dare aſſignationem, cui voluerit, dum tamen non ſit graduatus, niſi fuerit filius domus, & Conventus prȩdicti. Pater autem Provincialis tenebitur intra decem dies a notitia loci vacantis mittere nominationem prȩdictam, ſi vero intra iſtum terminum non miſerit, poterunt prȩdicti Electores eligere libere, cui ſic electo tenebitur Pater Provincialis dare aſſignationem, quam non poterit dare idem Pater Provincialis, niſi prȩvia prȩdicta electione Conventualium ejuſdem Conventus, & ſit quemadmodum ſit in Conventu Montis Sion Hiſpalen. ejuſdem Ordinis, & totum, quod in contrarium fuerit, ſit irritum, & inane.

SEXTUM PRIVILEGIUM

Ejuſdem Conventus contentum in Bulla Sanctitatis Clementis VIII, conformiter ad ſcripturam fundationis eſt, Quod in prȩdictis electionibus Conventualium, qui debent ingredi in prȩdictum Conventum prȩferentur filii ejuſdem Conventus. Circa hoc etiam privilegium ſupplicatur Suȩ Sanctitati, quod propter pacem Provinciȩ, & ſolatium Fratrum, & propter conſervandam unionem, & caritatem cum ceteris Patribus Provinciȩ, quod iſtȩ electiones, quibus eliguntur Conventuales prȩdicti fiant alternative, taliter, quod una vice proponatur, & eligatur filius ejuſdem Conventus Reginȩ Angelorum, altera vice filius Provinciȩ, vel Sancti Pauli Hiſpalen., vel Sancti Pauli Corduben., ea tamen lege, ut nunquam poſſit proponi, neque eligi aliquis graduatus, neque Magiſter, nec Prȩſentatus, niſi fuerit filius domus ejuſdem Conventus Reginȩ Angelorum, vel niſi ſit Provincialis prȩdictȩ Provinciȩ, ſive de prȩſenti, & actu, ſive de preterito videlicet, quod jam Provincialis exercuerit officium Provincialis in eadem Provincia, vel niſi Excellentiſſimus Marchio de Ayamonte voluerit aliquem Patrem graduatum nominare pro ſuo Conſultore, vel Confeſſore, & quod omnis graduatus, ſive Magiſter, ſive Prȩſentatus, qui fuerit aſſignatus in prȩdicto Conventu, a notitia prȩſentis ſit ipſo facto revocatus ab hoc Conventu, & aſſignatus in ſuum Conventum originalem, excepto, ſi talis graduatus, Magiſter, vel Prȩſentatus fuerit filius Conventus prȩdicti Reginȩ Angelorum, nam in tali caſu debet permanere, tanquam vere aſſignatus, & prȩſenti decreto confirmamus aſſignationem, & totum quod factum, vel attentatum fuerit in contrarium ſit irritum, & inane.

SEPTIMUM PRIVILEGIUM

Eſt contentum etiam in ſcriptura fundationis, & in Bulla Sixti V, & Sanctitatis Clementis VIII, & in decreto Reverendiſſimi Generalis, quod ſcilicet in iſto Conventu non ſint hoſpites, neque aliquis, neque ſecularis, nec Frater poſſit hoſpitari, nec pernoctare in prȩdicto Conventu, neque invitari ad comedendum, vel cȩnandum expenſis Communitatis, niſi qui revera fuerit aſſignatus in prȩdicto Conventu. Circa hoc privilegium ſupplicatur Suȩ Sanctitati, quod reformetur illud in hunc modum, & dignetur prȩcipere ſtrictiſſime, & ſub gravibus penis, quod nullus, qui non fuerit aſſignatus in prȩdicto Conventu, ſive ſecularis, ſive Frater, ſive Prȩlatus, ſive ſubditus poſſit admitti, neque ad pernoctandum, neque ad comedendum, neque ad cȩnandum expenſis Communitatis, excludens tanquam frivolam explicationem quorundam Superiorum, qui parvi pendentes prȩdictum privilegium admittunt omnes venientes, quos ſibi volunt, tam ſeculares, quam Fratres ad comedendum, & cȩnandum expenſis extraordinariis Communitatis, putantque ſatisfacere prȩcepto, remittendo prȩdictos hoſpites ad dormiendum in domibus ſecularium cum magno diſpendio rerum temporalium, & ſpiritualium ejuſdem Conventus, & cum ſcandalo, ſed quod obſervetur hoc ſtatutum, quemadmodum obſervatur in Collegio S. Thomȩ Aquinatis ejuſdem Ordinis, & Civitatis. Aliud

OCTAVUM PRIVILEGIUM

Contentum in decreto prȩdicto Reverendiſſimi Generalis, & ſcriptura fundationis, quod ſcilicet Pater Provincialis in viſitatione ejuſdem Conventus non poſſit eſſe in eodem Conventu niſi per duodecim, vel quindecim dies. Circa hoc ſupplicatur Suȩ Sanctitati, quod dignetur concedere, quod Patres Provinciales teneantur in ſuis viſitationibus ejuſdem Conventus ſervare decretum Reverendiſſimi Patris noſtri Generalis Fratris Seraphini Sicci de Pavia, quod videlicet in qualibet viſitatione ejuſdem Conventus non poſſint conſumere plus temporis, quam duodecim, vel quindecim dies ad plus, ea tamen lege, quod addatur, quod iſte numerus prȩfixus debent eſſe duodecim, vel quindecim dies continui, & non interpollati, numerando de hora in hora, & quod poſt illos non poſſit pernoctare amplius in eodem Conventu, bene autem ter, vel quater in anno invitari ad prandium unius diei, & in prȩdictis quindecim diebus poſſit eſſe in prȩdicto Conventu cum uno ſocio, & uno famulo tantum, & quod non poſſit viſitare Conventum, niſi ſemel in anno, niſi caſus ſe obtulerit, poſtulante viſitationem majori parte ejuſdem Conventus, & totum, quod factum fuerit in contrarium ſit irritum, & inane, & transgreſſores puniantur, juxta pȩnas taxandas in prȩdictis Bullis, & taxatas.

NONUM PRIVILEGIUM

Ejuſdem Conventus contentum in ſcriptura fundationis, & in Bullis Gregorii XIII, & Sixti V, & Clementis VIII, & in actu manutentionis Judicis Apoſtolici eſt. Quod antequam aliquis, ſive induatur habitu Novicii, & profiteatur in eodem Conventu, & antequam Prior intret ad exercendum ſuum officium, & antequam quilibet Religioſus intret ad commorandum, ut ſit Conventualis ejuſdem Conventus, quod fiat ſufficiens informatio juridica, legalis, & rigoroſa, non ſolum ex genere, ſed etiam de moribus, & vita. Supplicatur Suȩ Sanctitati, ut circa hoc privilegium dignetur concedere Prioribus ejuſ-

ejuſdem Conventus, & quatuor Patribus ejuſdem Conventus antiquioribus in gradu, vel in Profeſſione, ſi tot graduati deſint, quod ipſi ſimul poſſint nominare Notarium legalem ad faciendum prędictas informationes, tam de genere, quam de moribus, & vita, cui detur tanta fides, ſicut ceteris Notariis Apoſtolicis, & ejus teſtimonium ſit ita authenticum, & faciat tam indubitatam fidem, ſicut teſtimonia ceterorum Notariorum ſecularium, cum omnibus gratiis, & privilegiis, quibus ceteri Notarii gaudent, & quod nominetur pro qualibet informatione facienda, cui ſub pęna excommunicationis latę ſententię precipiatur, ut eam faciat pie, fideliter, legaliter, ſecluſo odio, vel amore, vel alio reſpectu, & illam faciat in ſcripto, licet ſecrete, qua informatione, ſive de genere, ſive de moribus facta, approbetur ab ipſo Priore ejuſdem Conventus, & ab eiſdem quatuor Patribus privative, & non ab aliis, & approbanda erit per vota ſecreta pręſente Notario, quibus omnibus pręcipiantur eadem ſub eiſdem pęnis.

DECIMUM PRIVILEGIUM

Ejuſdem Conventus eſt etiam contentum expreſſe in Bulla prędicta Sanctitatis Clementis VIII, & conformatur ad ſcripturam fundationis videlicet. Quod electio novi Prioris in eodem Conventu, eo ipſo, quod fit a majori parte Conventus, ipſamet electio ſit confirmatio, itaut non indigeat confirmatione novus Prior electus alicujus Superioris, vel Provincialis, quemadmodum fit in Conventu Montis Sion Civitatis Hiſpalen. ejuſdem Ordinis. Circa hoc privilegium ſupplicatur Suę Sanctitati, ut reformetur illud in favorem obſervantię regularis, & juriſdictionis Provincialis in hunc modum, quod videlicet addatur hęc qualitas, ſcilicet, quod Electores non poſſint eligere in Priorem ejuſdem Conventus, niſi ex propoſitis a Patre Provinciali, ea tamen lege, ut Pater Provincialis teneatur proponere vocalibus, adminus ſex Religioſos, ex quibus tres ad minus ſint filii ejuſdem Conventus Reginę Angelorum, ut diſponitur in eadem Bulla Clementis VIII, quod ſi Electores nullum ex propoſitis ab ipſo elegerint, ſed alium extra propoſitos, tunc in tali caſu, duntaxat devolvatur jus ad confirmandam prędictam electionem ad Patrem Provincialem juxta tenorem noſtrarum conſtitutionum, & acta Capitulorum Generalium, vel ad caſſandam illam. Secundum, quod ſupplicatur eſt, quod dignetur reformare circa hoc privilegium videlicet, quod Prior Conventualis, qui eligi debet in Priorem prędicti Conventus, ſive ſit filius domus, & Conventus prędicti, ſive alterius Conventus, debet habere qualitates ſequentes, debet eſſe, vel graduatus Magiſter, vel Pręſentatus, vel qui alias in aliquo Conventu Provincię fuerunt Priores, aut ſunt Prędicatores Generales, vel qui ſunt, vel fuerunt Regentes in aliquo ſtudio Generali Provincię, & Pater Provincialis teneatur proponere prędictos ſex eligendos, tres ex filiis domus, & tres ex aliis Patribus Provincię cum prędictis qualitatibus, & totum quod contrarium factum fuerit ſit irritum, & inane, & tranſgreſſores hujus ſtatuti, ſive Prelati, ſive ſubditi incurrant pęnas taxatas in prędictis Bullis, & in iſta nova Conſtitutione. Ultimo quod ſupplicatur Suę Sanctitati, eſt, quod dignetur hęc omnia concedere, & declarare in favorem obſervantię regularis, declarando, quod cetera omnia contenta in ſcriptura fundationis, & in Bullis prędictis Sixti V., Gregorii XIII, & Clementis VIII, ac omnia privilegia, conditiones, pacta facta a prędictis exequutoribus, & Commiſſariis teſtamentariis prędictę Duciſſę devotę nobilis Dominę Thereſię de Zuniga primę fundatricis, ac omnia, & ſingula prędictorum confirmare, ac ſi neceſſarium eſt, Motu proprio, & certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis concedere, & innovare, ſupplendo quoſcunque defectus juris, vel facti, obreptionis, vel ſubreptionis, habendoque pro expreſſis prędictas Bullas, & omnes conditiones, pacta, privilegia, & immunitates contenta in prędicta ſcriptura, & Bullis, ac ſi de verbo ad verbum fuerint expreſſa. Item ſupplicatur Suę Sanctitati, ut de plenitudine poteſtatis extinguat omnes lites hucuſque exortas, omneſque Bullas hucuſque in favorem prędictarum partium conceſſas pręter iſtas Gregorii XIII, Sixti V, & Clementis VIII, prima de anno MDLXXXV prima Maii, ſecunda de anno MDXCVII, XVI Octobris, & iſtam, necnon & actum manutentionis, & ut exequutioni hęc omnia mandentur, poſtpoſita appellatione, & ſupplicatione, quod quicunque Religioſus, ſive Prelatus, ſive ſubditus, ſive Prior, qui his omnibus, & reformationi huic non paruerit, vel contradixerit, vel non acceptaverit omnia contenta in prędictis Bullis cum moderationibus hic expreſſis in hac Conſtitutione nunc, & pro tempore aliquo ipſo facto abſque aliqua declaratione ſit revocatus auctoritate Apoſtolica a prędicto Conventu Reginę Angelorum, & aſſignatus in ſuum Conventum originalem, vel in Conventum deſignandum a Patre Provinciali, &, ſi fuerit Prior, vel alius Officialis, vel graduatus, privatus ipſo facto ab officio, & gradu irremiſſibiliter exiſtat, & pęnas nihilominus taxatas in prędictis Bullis ipſo facto incurrat. Non obſtantibus &c. Et ut hęc etiam, & ſingula exequutioni demandentur, Prior, qui eſt, & pro tempore fuerit ejuſdem Conventus, antequam ſumat poſſeſſionem ſui Officii, & exerceat aliquem actum, teneatur emittere juramentum in publicum Capitulum, quod obſervabit omnia verba, & quod non contradicet, neque petet relaxationem aliquorum, quę in prędictis Bullis continentur, & quod repugnantibus non conſentiat aliquo tempore: idem juramentum emittatur a Patribus Provincialibus antequam incipiant Viſitationem, itaut non poſſint in eodem Conventu aliqua nocte pernoctare, antequam in Capitulo emittant hoc juramentum, & idem juramentum emittetur a Patribus Conventualibus ejuſdem Conventus, ſive qui ſunt, ſive qui erunt ſub pęna expulſionis ab eodem Conventu ipſo facto incurrenda, & ut nemo pretextu ignorantię excuſetur ab omnibus, vel ab aliquo horum prędictorum legatur quotidie in menſa unum ex his ſtatutis in perpetuum. Supplicaturque Suę Sanctitati, ut deputet Judices pro exequutione horum omnium, & pręcipue hujus Conſtitutionis, preter aſſignatos in prędictis Bullis Gregorii, Sixti, & Clementis, deputet pariter Decano, & Capitulo Eccleſię Cathedralis Hiſpalen., vel Judicibus Synodalibus ejuſdem Dięceſis Hiſpalen., & eorum cuilibet cum pleniſſima poteſtate, quę omnia ſunt in favorem obſervantię Regularis, & majoris ſervitii Dei. Cum autem, ſicut eadem diſpoſitio ſubjungebat, reformatio hujuſmodi ad Omnipotentis Dei laudem, fęlicioremque ejuſdem Domus, & illius Fratrum progreſſum introducta fuerit, & propterea dictus Dominicus illam, quo firmius ſubſiſtat, & exactius obſervetur, Apoſtolicę

noſtrę

noſtrę confirmationis patrocinio communiri, aliaſque, ut infra, opportune provideri ſummopere deſideret. Nos piis ejuſdem Dominici votis in pręmiſſis annuere, illumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ipſius Dominici, tam Superiorum, & Fratrum dictę Domus, quam etiam dilecti filii moderni Marchionis de Ayamonte ejuſdem Domus Patroni nominibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, reformationem in dictam domum, ut pręfertur, introductam cum omnibus inde ſequutis Apoſtolica auctoritate tenore, pręſentium approbantes, & confirmantes, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint ſupplentes, quod de cetero perpetuis futuris temporibus Prior, & Fratres dictę Domus pro tempore exiſtentes prędictis, & quibuſvis aliis privilegiis minime obſtantibus, conſtitutiones, & inſtituta ejuſdem Ordinis Apoſtolica auctoritate confirmata, in omnibus, & potiſſimum in victu, & veſtitu, videlicet, ut in Refectorio nunquam comedant carnes, lineis vero non utantur ad carnes, niſi ut Conſtitutiones, & inſtituta hujuſmodi permittunt, ſervare omnino debeant; Decretum autem a dilecto etiam filio Seraphino Sicco moderno dicti Ordinis Magiſtro Generali in viſitatione ejuſdem domus pro illius reformatione, cum alias Collegium eſſet ſub die XXV Martii MDCXIX factum, juxta declarationes ipſius Seraphini, quibuſdam Ordinationibus ab eo alias ſub die XXX Menſis Aprilis proxime pręteriti ad ejuſdem Dominici, uti Provincię prędictę Procuratoris factis, quas etiam approbamus, & confirmamus inſertas inviolate obſervetur. In ceteris vero idem Prior, & Fratres ſuis privilegiis, quatenus ſcilicet regulari obſervantię non adverſentur, gaudeant, auctoritate, & tenore prędictis ſtatuimus, & ordinamus decernentes, reformationem hujuſmodi, necnon pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque ſemper, & perpetuo valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum firmiter, & inviolabiliter obſervari, & adimpleri debere, ſicque per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quicquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, domus, & Ordinis prędictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, prędictis quoque, & quibuſvis aliis privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, & pręſertim Gregorii, & Clementis prędeceſſorum prędictorum ſuper eiſdem pręmiſſis emanatis, ac alias in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Auguſti MDCXXV, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

V. Theatinus.

1. *Hiſpalen.*) In *Hiſpania Batica*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *Dominicus.*) De quo dictum fuit.
4. *Regina Angelorum.*) In hujuſce Conventus album relatus fuerat *Dominicus de Molina*.

Anno 1625 Die 25 Septembris.

XXI.

De libris Choralibus imprimendis.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Alias a felicis recordationis Clemente Papa VIII Prędeceſſore noſtro emanarunt literę tenoris ſubſequentis videlicet: a tergo, dilecto filio Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum. Intus vero: Clemens Papa VIII. Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum ſicut &c. (2). Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XI Aprilis MDCII, Pontificatus noſtri Anno Undecimo. Subinde vero pię memorię Paulus Papa V etiam prędeceſſor noſter pręinſertas literas hujuſmodi ſub certis modo, & forma tunc expreſſis approbavit, & confirmavit, prout in ejus literis deſuper in ſimili forma Brevis expeditis, quarum tenores pręſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, ſicut dilectus filius Seraphinus Siccus ejuſdem Ordinis Magiſter Generalis nobis nuper exponi fecit, tempus viginti annorum prędictorum jam expiraverit, ipſe vero libros chorales hujuſmodi emendatiores, & ad meliorem formam redactos typis de novo mandare intendat, & propterea ſibi per Nos deſuper opportune provideri, & indulgeri ſummopere deſideret. Nos dictum Seraphinum amplioribus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, pręſertim vero Typographis, Impreſſoribus, & Bibliopolis ubique terrarum, & locorum exiſtentibus ſub pęnis ſupra expreſſis inhibemus, ne infra viginti annos, a die, quo Miſſale, Breviarium, Diurnum, Mar-

Martyrologium, Rubricarium, Proceſſionale, Pſalmiſta, Officium Beatę Marię Virginis, ac Calendarium perpetuum, ceterique libri Chorales hujuſmodi, quibus Religioſi utriuſque ſexus dicti Ordinis utuntur in meliorem formam redacti, ut pręfertur, in lucem prodierint computan illos, vel eorum aliquem ſine ſpeciali, & typis expreſſa prędicti Seraphini moderni, & pro tempore exiſtentis ejuſdem Ordinis Magiſtri Generalis licentia imprimere, aut ab alio, vel aliis impreſſos vendere, aut venales habere, vel tenere quoquo modo audeant, vel pręſumant. Mandantes propterea univerſis, & ſingulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, ſeu Officialibus in ſpiritualibus Generalibus, & aliis quibuſvis in quacunque dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ut quandocunque ab eodem Magiſtro Generali fuerint requiſiti pęnas prędictas contra quoſcunque inobedientes irremiſſibiliter exequantur, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus omnibus illis, quę in literis pręinſertis hujuſmodi conceſſa ſunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod pręſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quę eiſdem pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXV Septembris MDCXXV, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

V. Reatin.

1. *Archivo.*) In quo autographum.

2. *Cum ſicut &c.*) Ut in *Conſtitutione XCIX Clementis VIII.* Legitur *Tomo V hujuſce Bullarii pag.* 601.

Excommunicatio latæ ſententiæ contra extrahentes, ſeu permittentes, ut extrahantur libri, ac etiam manuſcripta a Bibliothecis (1) Fratrum Ordinis Prædicatorum.

Anno 1626 Die 23 Martii.

XXII.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Cum, ſicut dilectus filius Lucas Caſtellinas (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum Procurator Generalis, Nobis nuper exponi fecit, hactenus compertum fuerit nonnullos conſcientiarum ſuarum prodigos Libros ex Bibliothecis domorum Regularium dicti Ordinis furto ſubripuiſſe, ac ſubripere, & ſeu extrahere, atque apud ſe uti proprios in grave animarum ſuarum periculum, & dictarum Bibliothecarum prejudicium retinere. Nos pręmiſſis, quantum Nobis ex alto conceditur, obviare, & ipſarum Bibliothecarum conſervationi, & manutentioni conſulere volentes, ſupplicationibus dicti Lucę nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: Ne de cetero quiſquam, quavis auctoritate fungens Libros, quinterna, folia, ſive impreſſa, ſive manuſcripta, Bibliothecis domorum Regularium dicti Ordinis hactenus donata, ſeu aſſignata, & in poſterum donanda, ſeu aſſignanda, ex eiſdem Bibliothecis extrahere, ſeu, ut extrahantur permittere, aut conſentire, ſub quovis quęſito colore, pretextu, vel ingenio audeat, ſeu pręſumat, ſub excommunicationis, necnon privationis vocis activę, & paſſivę pęnis, per contrafacientes eo ipſo incurren., Apoſtolica Auctoritate tenore pręſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, & illius Domorum Regularium quarumcunque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quę eiſdem pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę vel oſtenſę, quodque tranſumpta hujuſmodi in valvis dictarum Bibliothecarum, vel aliquo alio perſpicuo loco, unde ab omnibus cerni poſſint continuo affixa remaneant. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Martii MDXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

V. Theatin.

1. *Bibliothecis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.I.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum typis impreſſum.

3. *Lucas Caſtellinas.*) Aliis *Caſtellinus*, vir clariſſimus de quo ſæpe dicetur.

Vitæ

Anno 1626
Die 30 Julii.

Vitæ Regulari contraria privilegia quibuſdam conceſſa revocat.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXIII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

PAſtoralis Officii Nobis divinitus commiſſi ſolicitudo jugiter Nos admonet, ut omni cura, & vigilantia ad ea ſemper intendamus per quę Regularium perſonarum, quę relicto ſeculo divini Numinis obſequiis ſeſe manciparunt, quieti, felicique ſtatui, ac regularis diſciplinę conſervationi conſulitur, ut ipſę perſonę juxta regularia ſuorum Ordinum Inſtituta tranquillis mentibus gratum Altiſſimo impendere poſſint famulatum. Cum itaque ſicut accepimus in Regnis Hiſpaniarum diverſa privilegia, prerogativę immunitates, atque exemptiones diverſorum Ordinum Religioſis, tam ab ipſorum Superioribus, quam a Sede Apoſtolica, illiuſque in dictis Regnis Nunciis pro tempore exiſtentibus, conceſſa reperiantur, per quę iidem Religioſi ab eorum Prelatorum obedientia eximuntur, ex Monaſteriis, & regularibus domibus ad eorum libitum, ac cum Sociis ſibi beneviſis, & etiam deſtinatis, etiam Superiorum ſuorum non petita licentia, egrediuntur, abſque eo quod iidem Superiores tam hujuſmodi egreſſum, quam ſecularium perſonarum quibuſvis horis ad illorum cellas, acceſſum, atque ingreſſum impedire poſſint. Prеterea de uno ad aliud Monaſterium, ſeu Regularem domum etiam ipſis Superioribus invitis tranſeunt, nec Choro, & aliis ſpiritualibus exercitiis, minuſque refectorio cum aliis interſint, ex hoc autem graviſſima inconvenientia, & ſcandala in non modicum regularis obſervantię, & diſciplinę detrimentum exoriantur. Nos premiſſis, quantum in Domino poſſumus, obviare volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, omnia, & ſingula, ac quęcunque hujuſmodi privilegia, prerogativas, & immunitates, exemptioneſque quorumcunque Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum Religioſis tam per Sedem Apoſtolicam, illiuſque in eiſdem Regnis Nuncios, quam per illorum Superiores, ex quacunque cauſa, ac ſub quibuſcunque verborum formis, & expreſſionibus quomodolibet conceſſa, Apoſtolica auctoritate, tenore prеſentium perpetuo revocamus, caſſamus, & abrogamus, ac revocata, caſſata, & abrogata, viribuſque, & effectibus vacua eſſe, & fore, nec illa cuiquam ſuffragari, nec de cetero abſque noſtra, vel Sedis Apoſtolicę licentia concedi poſſe, ſicque, & non aliter per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Auditores, ubique judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obſtantibus premiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum hujuſmodi, & quibuſvis aliis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Religioſis, ſub quibuſcunque tenore, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in contrarium premiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio habenda eſſet, illorum tenores prеſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod prеſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę eiſdem preſentibus adhiberetur, ſi fuiſſent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXX Julii MDCXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

V. Theatin.

1. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum typis impreſſum. In *Bullario Romano* eſt *LVII.*

Anno 1626
Die 30 Julii.

De Capitulo Provinciale Provinciæ S. Johannis Baptiſtæ Peruan.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXIV.

Dilecto filio Seraphino Sicco Ordinis Fratrum Predicatorum Magiſtro Generali.

URBANUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſti, quod cum de Menſe Octobris proxime preterito Capitulum Provinciale Provincię S. Johannis Baptiſtę Peruan. Ordinis Fratrum Predicatorum in Civitate Curcan. in Indiis pro novi Prioris Provincialis electione facien. inſtaret, jamque multi ex vocalibus in eo congregati in dicta Civitate preſentes eſſent, licet dilectus filius Michael de Leon, ejuſdem Ordinis profeſſor, quoddam decretum vivę vocis oraculo a Nobis emanatum, quo expreſſe cavebatur, ne Prior Provincialis dictę Provincię tunc exiſtens Capitulum hujuſmodi indiceret, ſed illius celebrationem uſque ad preſen-

præſentem Menſem Julii differret, interimque idem Michael dictæ Provinciæ Vicarius, & Præſidens reputabatur, præſentaſſet, nihilominus idem Prior Provincialis, attendens decretum hujuſmodi ſubreptitium exiſtere, tum ex eo, quod te inſcio emanaſſet, tum etiam, quia dilatio Capituli hujuſmodi ad Capituli Provincialis ejuſdem Provinciæ inſtantiam falſo peteretur, ad ipſius Capituli celebrationem, congregatis in eo quadraginta, & amplius vocalibus devenit, in eoque novus Prior Provincialis electus fuit. Cum autem Fratres Provinciæ prædictæ partim novo Priori Provinciali hujuſmodi, partim vero dicto Michaeli obediant, eoſque in Superiores recognoſcant, ex hoc vero graviſſima inconvenientia, perturbationes, & tumultus cum Chriſti fidelium ſcandalo in dies oriantur, Nos pro noſtri paſtoralis Officii debito præmiſſis, quantum cum Domino poſſumus, obviare, ac paci, & quieti eorundem Fratrum conſulere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, tibi electionem novi Prioris Provincialis hujuſmodi, ſic, ut prædicitur, factam, ac inde ſequuta quæcunque auctoritate noſtra Apoſtolica approbandi, & confirmandi, omneſque, & ſingulos, tam juris, quam facti, & quoſvis alios, etiam quantumvis ſubſtantiales, defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplendi, ſive etiam omnem, & quamcunque Prioris Provincialis hujuſmodi electionem, tam jam factam, quam quomodolibet faciendam eadem auctoritate caſſandi, ac irritandi, novumque Priorem Provincialem dictæ Provinciæ pro hac vice duntaxat creandi, & inſtituendi, ſeu alias in præmiſſis, & circa ea faciendi, & exequendi, prout ad felicem, proſperamque ipſius Provinciæ directionem expedire in Domino cognoveris, plenam, & amplam facultatem, auctoritate prædicta, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub privationis Officiorum per eis obtentorum, aliiſque arbitrio noſtro infligendis, pœnis, omnibus, & ſingulis dictæ Provinciæ Superioribus, & Fratribus, ut tibi in omnibus quæ eis circa præmiſſa ordinanda, & per eos exequenda duxeris, prompte pareant, & obediant, alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon decreto prædicto, ac, quatenus opus ſit, dictæ Provinciæ, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis dictæ Provinciæ, illiuſque Superioribus, & Fratribus prædictis, & quibuſvis aliis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXX Julii MDCXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

V. Theatin.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

De electione Provincialis Provinciæ S. Catharinæ Quiten.

Anno 1626 Die 17 Septembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

URBANUS PP. VIII.

XXV.

Ad Futuram Rei Memoriam.

IN ſuprema militantis Eccleſiæ ſpecula a Domino nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio conſtituti, illis, quæ pro ſubmovendis inter perſonas regulares diſcordiarum materiis provide ordinata dicuntur, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut dilectus filius Seraphinus Siccus Ordinis Fratrum Prædicatorum Magiſter Generalis Nobis nuper exponi fecit, in electione ultimi Prioris Provincialis Provinciæ S. Catharinæ dicti Ordinis Quiten. in Indiis graves diſcordiæ, & diſſenſiones inter ejuſdem Provinciæ Fratres ſequutæ fuerint, ipſe vero, ut omnem diſcordiarum, & diſſenſionum hujuſmodi materiam in futuris Priorum Provincialium dictæ Provinciæ electionibus ſubmoveat, infraſcriptam in eadem Provincia alternativam ſtatuerit: videlicet: Fr. Seraphinus Siccus Papien. S. Theologiæ profeſſor, & totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus. Quoniam non ſolum exemplo Prædeceſſorum noſtrorum, ſed ipſis etiam rerum eventibus edocti didicimus, quam utile, immo neceſſarium ſit aliquibus Provinciis noſtris, præſertim Indiarum Occidentalium, in quibus Religioſi alii in ipſis Indiis, alii vero in Hiſpania nati reperiuntur, alternativam in electione Provincialium ad conciliandos animos, religioſamque pacem præſcribere. Idcirco ea incommoda, quæ in electione præſentis Provincialis Provinciæ noſtræ S. Catharinæ Martyris de Quito exorta fuerunt, in poſterum præcavere, necnon Catholico Hiſpaniæ Regi, cujus literas die IX Aprilis anni præſentis in hanc rem ad nos datas nuper accepimus, quantum in Domino poſſumus, morem gerere cupientes, infraſcriptam Alternativam ſtatuere, ac ſtabilire decrevimus. His itaque noſtris mandamus, decernimus, ac ſtatuimus, ut in dicta Provincia noſtra S. Catharinæ Martyris de Quito proxima electio Provincialis fiat ex filiis Provinciarum Hiſpaniæ, poſtea vero ſequens immediata electio ſit ex natis in Indiis. Deinceps autem perpetuis futuris temporibus ipſa electio Provincialis fiat alternative ex natis in Hiſpania, ſive ſint filii Provinciarum Hiſpaniæ, ſive ſint filii Provinciarum Indiæ, & ex natis in Indiis; Quod ſi aliter fiat, eo ipſo electio nulla ſit, & inanis. Sub natis in Hiſpania comprehendentes etiam natos in Inſulis Tertiariis, ſive Azo-

Azorum, & Inſulis Fortunatis, quę vulgo Canarię dicuntur. Nomine vero Indiarum intelligentes reliquas Inſulas, & continentem novi Orbis, ſeu Americę, Nobis tamen, ac Succeſſoribus noſtris auctoritatem, & facultatem reſervantes ſuper hujuſmodi alternativa ex cauſis urgentibus diſpenſandi: Auferentes facultatem a quocunque noſtro inferiori, pręſentes literas noſtras aliter quam ſonant interpretandi, gloſandi, explicandi, aut in alios ſenſus retorquendi. Quibuſcunque in contrarium non obſtantibus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem his Officii noſtri ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Datum Romę die VI Auguſti MDCXXVI. Nos inviolabili dictę Alternativę obſervationi, quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere volentes, ſupplicationibus dicti Seraphini Magiſtri Generalis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; Alternativam pręinſertam Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui in illa quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, illaſque, necnon dictam Alternativam a dictę Provincię Fratribus inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fratri Epiſcopo Quiten. per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſe per ſe, vel alium, ſeu alios pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorundem Fratrum, ſeu alicujus eorum fuerit requiſitus ſolemniter publicans, faciat illa ab eis, ad quos pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari: Contradictores per ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri de una, & a Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate pręſentium ad judicium non trahatur, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Provincię prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium premiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII Septembris MDCXXVI, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

V. Theatin.

1. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

Anno 1627 Die 30 Aprilis.

Privilegia conceſſa Miſſionibus (1) Ruthenorum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXVI.

URBANUS PP. VIII.

Dilecte fili (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UT tam tu, qui alias a Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus negotio propagandę fidei Prępoſitis Ruthenarum caput, & Pręfectus deputatus fuiſti, quam alii Miſſionum hujuſmodi Miſſionarii a te deputan. in commiſſo vobis munere ad Dei gloriam, & honorem, animarumque Chriſti fidelium illuc commorantium ſalutem vos utilius exercere valeatis, ſupplicationibus tuo nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de eorundem Cardinalium conſilio, tibi, ut in locis Miſſionum hujuſmodi, ubi non ſunt Parochi, vel ubi ſunt de eorum licentia, & etiam ſine hujuſmodi licentia, ubi ob locorum diſtantiam recurſus ad Parochos haberi non poteſt, & periculum eſt in mora, omnia, & quęcunque Sacramenta, quę ipſi Parochi adminiſtrare poſſunt, Chriſti fidelibus prędicti adminiſtrandi: Pręterea ad fidem catholicam noviter converſis die, qua peccatorum ſuorum Sacramentalem Confeſſionem primo fecerint, ſi Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſumpſerint, Plenariam, necnon eiſdem in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi vere pęnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin autem corde devote invocaverint, etiam Plenariam. Ac inſuper eiſdem vere pariter pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam Domus alicujus Regularis Ordinis Fratrum Prędicatorum Eccleſiam per ſe in illis partibus deſignandam in SS. Dominici, & Hyacinthi feſtis diebus a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis dierum hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hereſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſię exaltatione, necnon hęreticorum, & Schiſmaticorum converſione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino auctoritate noſtra concedendi, & elargiendi facultatem, quam aliis Miſſonariis a te deputandis prędictis communicare poſſis, & valeas, eadem auctoritate, tenore pręſentium, concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ceterum te in Domino hortamur, ut in aliquo, ſeu aliquibus dicti Ordinis Regularibus Domibus in Ruſſia exiſtentibus ſtudia linguę Armenę, Vallaſchę, & Tartarę inſtituere cures: Nos enim hujuſmodi linguarum Lectores, & Studentes, iiſdemmet facultatibus, & privilegiis, quę alias felicis recordationis Paulus Papa V Prędeceſſor noſter

Lec-

Lectoribus, & Studentibus linguis Hębraicę, Gręcę, Chaldęę, & Arabicę conceſſit ornare, & communicare non deerimus. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXX Aprilis MDCXXVII., Pontificatus noſtri Anno Quarto.

V. Theatin.

1. *Miſſionibus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

3. *Dilecte fili.*) Inſcriptio deeſt, ſed ad aliquem ex alumnis Fratrum Prædicatorum Ordinis ſcriptum videtur hocce Diploma.

Anno 1627 Die 20 Novembris.

XXVII.

Quæ in gratiam Bononien. Monaſterii S. Lucæ ſancita ſunt, firmat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, jam pridem felicis recordationis Leoni Papę X Prędeceſſori noſtro pro parte tunc exiſtentium Priorisſę, & Conventus Monaſterii S. Lucę in Monte Guardię nuncupat., Bononien. expoſito, quod licet a longiſſimo tempore, cujus contrarii memoria hominum non exiſtebat quędam Imago glorioſę Dei Genitricis Virginis Marię a Beato Luca Evangeliſta, ut pie creditur, depicta, in Eccleſia Monaſterii nutu divino apparuiſſet, ſeu inibi repoſita fuiſſet, quę ſingulis annis tempore Rogationum per Civitatem Bononien. ſumma cum veneratione, & devotione proceſſionaliter deferri, & hujuſmodi Rogationibus finitis ad ipſam Eccleſiam referri conſueverat, ibique tanquam res ſacra decenter ſub cura, & cuſtodia Priorisſę, & Conventus hujuſmodi eatenus conſervata fuerat, prout tunc temporis etiam conſervabatur, nihilominus cum nonnulli laici officiales, & Confratres Confraternitatis Hoſpitalis Beatę Marię de morte nuncupatę Bononien., minus vere aſſerentes, Prioriſſam, & Conventum prędictas nimium faciliter Imaginem ipſam oſtendere, prętextu quarundam literarum per eos a bo. me. Franciſco Cardinale Papien. tunc in dicta Civitate Sedis Apoſtolicę de Latere Legato deſuper extortarum curam, & cuſtodiam dictę Imaginis ſibi ipſis appropriare, & claves, vel ſaltem unam ex clavibus tabernaculi, in quo ipſa Sacra Imago reponebatur, penes ſe retinere, ac alias ipſas Prioriſſam, & Conventum ſuper hujuſmodi Sacrę Imaginis ſolita, & eatenus obſervata, cuſtodia diverſimode perturbare, & impedire niterentur, bo. me. Rolandus (3) Archiepiſcopus Avenion. tunc in eadem Civitate Vicelegatus, provide conſiderans, decens, & conveniens non eſſe, dictos Confratres laicos, & ſeculares ſub prętextu curę, & retentionis clavium prędictarum cum ipſis Prioriſſa, & Conventu converſari, neque ipſos in locis, rebus, & juribus ad eaſdem, & illarum Monaſterium pertinen. ſe intromittere. Idcirco, & aliis de cauſis, literas predictas eiſdem Confratribus, ut ſupra, conceſſas revocaverat, ac citra prędjudicium jurium earundem Priorisſę, & Conventus ipſis ex antiqua, & continuata poſſeſſione, & alias quomodolibet quęſitorum, quod Prioriſſa, & Conventus hujuſmodi duntaxat, ſicut pręteritis conſueverat, ſic etiam futuris temporibus ipſam Imaginem decenter, & devote in loco ſolito retinerent, cuſtodirent, & gubernarent, abſque eo, quod officiales, & Confratres dictę Confraternitatis pro tempore exiſtentes, & quicunque alii, etiam prętextu dictarum literarum, aut in eis contentorum, aut alia quavis occaſione, vel cauſa ullo unquam tempore de gubernio, retentione, & cuſtodia prędictę Imaginis, & clavium tabernaculi prędicti ſe aliquo modo intromittere, aut eaſdem Prioriſſam, & Conventum deſuper moleſtare, vel perturbare poſſent, ſeu quovis modo pręſumerent, aliaſque ſtatuerat, ordinaverat, inhibuerat, & decreverat, dictus Leo Prędeceſſor ſupplicationibus Priorisſę, & Conventus hujuſmodi ea in parte inclinatus, literas prędictas ipſis Confratribus per dictum Franciſcum Cardinalem, & Legatum, ut ſupra conceſſas, Apoſtolica auctoritate de novo revocavit, ipſiſque Priorisſę, & Conventui, ut dictam Imaginem in loco ſolito decenter, prout ante conceſſionem dictarum literarum Franciſci Cardinalis, & Legati obſervabatur, cuſtodirent, & gubernarent, de novo eadem auctoritate conceſſerit, prout in Leonis Prędeceſſoris, ac Rolandi Archiepiſcopi prędictorum deſuper confectis literis plenius dicitur contineri. Subinde etiam pię me. Paulo Papę III, etiam Prędeceſſori noſtro pro parte earundem Priorisſę, & Conventus ſimiliter expoſito, quod licet literę prędictę in viridi obſervantia exiſterent, nihilominus Prior, & Confratres dictę Confraternitatis, qui tempore Rogationum prędictarum, & aliarum Proceſſionum, quę in dicta Civitate pro tempore fiebant, Imaginem prędictam per eandem Civitatem deferre, & per tres dies Rogationum hujuſmodi in eorum Eccleſia retinere conſueverant, ac certo tempore citra Imaginem prędictam noctibus dierum Rogationum hujuſmodi ad alia Monaſteria Monialium, & alio, quo mallent, abſque ſcitu, & contra voluntatem Priorisſę, & Conventus prędictarum deferre, ac inibi comeſſationes, & diverſa alia ſcandalum in populo generantia facere pręſumerent, & eandem Imaginem Monialibus Monaſterii S. Matthię Bononien. in Eccleſia earum Monaſterii juxta ſolitum conſignare, eamque illis per tempus conſuetum dimittere recuſarent, ſed eam ipſis Monialibus ſolum in eorum pręſentia videndam, & adorandam exhiberent, ob idque fieret, ut eędem Moniales, ne eorundem Confratrum aſpectui ſe ſubjicerent, eandem Imaginem videre nequirent, & ulterius cum ad Eccleſiam Monaſterii S. Lucę hujuſmodi, ut eandem Imaginem aſportarent, accedebant, non exinde ſtatim juxta ſolitum recederent, ſed inibi odioſas moras traherent, & alias Confraternitates, quę illuc pro aſſocianda Imagine prędicta accedebant, ad Societatem hujuſmodi admittere recuſarent, & diverſa alia liberam adminiſtrationem, & gubernium Imaginis hujuſmodi ad ſe trahentia facere velle niterentur, in ipſarum Priorisſę, & Conventus vilipendium, & ſcandalum plurimorum. Ideo pro parte Prio-

Prioriſſę, & Conventus earundem dicto Paulo Prędeceſſori humiliter ſupplicato, quatenus revocationem, & ſtatutum, ac decreta, aliaque omnia, & ſingula in prędicti Rolandi Archiepiſcopi, & Vicelegati literis contenta, & inde ſequuta quęcunque Apoſtolica auctoritate confirmare, & quatenus opus eſſet illa omnia de novo revocare, ſtatuere, & decernere, ac quod deinceps Prior, & Confratres prędicti quoties dictam Imaginem habere voluiſſent, per duos dies ante, cautionem idoneam ſub pęna ducentorum ducatorum quoties contraveniſſent incurren. de Imagine prędicta in illius delatione ad dictam Civitatem in Eccleſia dicti Monaſterii S. Matthię collocan., & inibi more ſolito dimitten., ac toto tempore, quo in Eccleſia, ſeu Oratorio dictorum Confratrum retineretur, ad alia loca etiam religioſa, aut alio, prętcrquam ad Proceſſiones ſolitas, & a quadraginta regiminis dictę Civitatis pręſidentibus ordinatas, abſque conſenſu ipſarum Prioriſſę, & Conventus die, vel nocte non aſportanda, ac in reportatione ejuſdem Imaginis ad Eccleſiam Monaſterii S. Lucę in prędicta Eccleſia S. Matthię ſpatio conſueto in poſſe illius Monialium etiam dimittenda, aliiſque etiam Confraternitatibus dictam Imaginem ſociare volentibus tam eundo, quam redeundo ad Societatem hujuſmodi admittendis, & eis ſecum etiam in Eccleſia Monaſterii S. Lucę ſtare permitten., ac aliis licitis, & honeſtis per ipſas Prioriſſam, & Conventum pro veneratione ipſius Imaginis, ac conſervatione earum honoris, & Religionis tunc ſpecificare facien., & exequen. pręſtare tenerentur, nec abſque cautione hujuſmodi eandem Imaginem habere deinceps debuiſſent, perpetuo ſtatuere, & ordinare, necnon ipſis Prioriſſę, & Conventus, ſi dicti Confratres in pręmiſſis defeciſſent, aliam Confraternitatem, quę Imaginem prędictam, quoties opus fuerit, deferret, eligere, & nominare poſſent, facultatem concedere, aliaſque deſuper opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaretur. Idem Paulus Prędeceſſor hujuſmodi ſupplicationibus tunc inclinatus bon. me. Bonifatio Epiſcopo Portuen. Cardinali Ipporrigen. nuncupato, tunc in Civitate Bononien. Sedis Apoſtolicę de Latere Legato dedit in mandatis, quatenus in pręmiſſis faceret, & confirmaret, prout ſibi viſum fuiſſet, & alias prout in ipſius Pauli Prędeceſſoris in ſimili forma Brevis expeditis literis plenius continetur. Et ſicut pariter accepimus, licet ab eo tempore citra Prioriſſa, ac Vicaria, & Moniales S. Matthię, & S. Lucę Monaſteriorum invicem unitorum hujuſmodi in pacifica poſſeſſione dictę Imaginis, & pręſertim in his, quę ad illius cultum, & ornatum pertinent, poſſeſſione fuerint, cum nimirum illę ſolę privative quoad dictos Confratres, & quoſcunque alios eandem Imaginem antequam tempore Rogationum hujuſmodi proceſſionaliter, ut permittitur, deferatur, veſtire, & ſpoliare, ac decenter, & magnifice ornare conſueverint, nihilominus moderni Prior, & Confratres dictę Confraternitatis liberam ejuſdem Imaginis adminiſtrationem, & gubernium dictę Prioriſſę, & Conventui competen. in his pręcipue, quę ad ipſius Imaginis cultum, & ornatum ſunt, ut permittitur, impedire, & perturbare non vereantur, & ad ſe trahere moliantur, quin etiam deſuper inter ipſos, ac Prioriſſam, necnon Vicariam, & Moniales prędictas nonnullę ad pręſens urgeant controverſię in non modicum earundem Prioriſſę, ac Vicarię, & Monialium pręjudicium, & ſcandalum plurimorum. Nos jus ſuum unicuique illęſum ſervari, ac pręmiſſis, quantum cum Domino poſſumus, obviam ire, necnon Prioriſſam, ac Vicariam, & Moniales prędictas ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, earumque ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris omnia, & ſingula tam per Leonem, & Paulum Prędeceſſores, quam Rolandum Archiepiſcopum, ac Bonifatium Cardinalem, & Legatum prędictos revocata, ſtatuta, decreta, pręcepta, & mandata quęcunque, necnon deſuper confectas ſingulas literas prędictas cum omnibus inde ſequutis Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus. Ac inſuper, quatenus opus ſit, pro potiori cautela innovamus. Pręterea, quod de cetero perpetuis futuris temporibus Imago prędicta a quocunque cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtat, e dicto Monaſterio S. Lucę abſque expreſſo pro tempore exiſtentium Prioriſſę S. Matthię, ac Vicarię S. Lucę Monaſteriorum prędictorum conſenſu in ſcriptis obtinendo amoveri, extrahi, vel aſportari nequaquam poſſit, quin etiam Prior, & Confratres dictę Confraternitatis pro tempore exiſtentes quoties Imaginem hujuſmodi per dictam Civitatem occaſione Rogationum prędictarum, aut alio quovis tempore deferri opus fuerit, eandem Imaginem nomine dictę Civitatis, & in gratiam ab ipſis Prioriſſa, ac Vicaria, & Monialibus flagitare, illamque deferre, reponere, ſeu collocare, & cuſtodire modo, & forma ſupradictis debeant, & teneantur, cum aſſiſtentia quoque duarum perſonarum pro dictis Monialibus agentium ad dictę Imaginis curam, & cuſtodiam, abſque eo, quod illas ipſi Prior, & Confratres quavis occaſione, vel pretextu, etiam, quod tunc temporis Imago hujuſmodi in eorum Eccleſia, ſeu Oratorio depoſita ſit, deſuper quomodolibet moleſtare, impedire, aut perturbare, ſive in eleemoſynis, & piis fidelium oblationibus, quę occaſione dictę Imaginis pro tempore fient, ſe ſe intromittere, aut ingerere quovis modo audeant, ſeu pręſumant, ſed ſtatim atque ipſam Imaginem in Eccleſia Monaſterii S. Matthię hujuſmodi dimiſerint, inde diſcedere, ejuſdemque Imaginis curam, & gubernium ipſius Monaſterii Monialibus, earumque Capellanis, & Presbyteris relinquere debeant, ita quod feria ſecunda Rogationum hujuſmodi duntaxat ſolemni Proceſſione peracta, dicta Imago eiſdem Priori, & Confratribus a dicta Prioriſſa concedetur, conceſſioque hujuſmodi per authenticas ſcripturas, ac facta obligatione, & cautione idonea per dictos Priorem, & Confratres de Imagine hujuſmodi bene, & fideliter modo, & forma, pręmiſſis cuſtodienda, ac de ejuſdem Imaginis, indumentis, ſeu paramentis, & ornamentis per Moniales eidem Imagini pro tempore impoſitis nullo modo ſe ingerere, nec illis, vel eorum aliquo amovendis, vel tollendis, nec prędictis aſſiſtentibus a Prioriſſa, & Monialibus prędictis pro tempore deputan. in aliquo unquam moleſtare, ac feria quarta Rogationum hujuſmodi ad S. Matthie, & deinde ſequenti die feſto Aſcenſionis Domini ad S. Lucę Monaſteriorum hujuſmodi reſpective Eccleſias, prout hacte-

hactenus fieri conſuevit, deferenda, & referenda, fiat, & fieri debeat, ſicque, & non aliter in pręmiſſis obſervari, & ita per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac dictę Sedis in Civitate prędicta de Latere Legatos, ac Vicelegatos, & quoſcunque alios, quavis auctoritate fungentes, judicari, & diffiniri debeat, irritumque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quocunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate, & tenore prędictis decernimus, ſtatuimus, & declaramus. Diſtrictius inhibentes eiſdem modernis, & pro tempore futuris dictę Confraternitatis Priori, & Confratribus, ne Imaginem prędictam, etiam dum in eorum Eccleſia, ſeu Oratorio depoſita erit, veſtire, ornare, ſpoliare, aut quid ſimile per ſe, vel alium, ſeu alios, quavis occaſione, vel prętextu, aut quęſito colore, vel ingenio circa dictę Imaginis cultum, ſeu ornatum moliri, aut attentare, aut alias in paramentorum, ornamentorum, veſtimentorum, jocalium, aut aliorum quorumcunque dictę Imaginis, ſive illius intuitu hactenus quomodolibet donatorum, vel in poſterum donandorum, cura, gubernio, retentione, aut adminiſtratione ſe ſe ingerere quoquo modo audeant, ſeu pręſumant. Et nihilominus venerabili Fratri Archiepiſcopo Bononien., ac dilecto filio noſtro, & Apoſtolicę Sedis in dicta Civitate de Latere Legato pro tempore exiſtentibus, ſive ejus Vicelegato per pręſentes injungimus, ac reſpective mandamus, quatenus ipſi, vel alter eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Prioriſſę, ac Vicarię, & Monialium prędictarum fuerint requiſiti . . . . icantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra Prioriſſam, ac Vicariam, & Moniales prędictas pręmiſſorum omnium, & ſingulorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, eademque pręmiſſa ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, firmiter, & inviolabiliter obſervari, & adimpleri. Non permittentes Prioriſſam, ac Vicariam, & Moniales prędictas deſuper a quocunque, quavis auctoritate, quomodolibet indebite moleſtari. Contrafacientes quoslibet, & rebelles, per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Confraternitati, illiuſque Priori, & Confratribus, ac quibuſvis aliis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi de illis ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda eſſet, illorum omnium, & ſingulorum tenorem pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX Novembris MDCXXVII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Firmat.*) Conſulenda *Conſtitutio II Leonis X.* Legitur *Tomo IV* hujuſce Bullarii *pag.* 296.

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Bononienſi.*

3. *Rolandus.*) In Conſtitutione mox laudata legitur *Orlandus.*

Anno 1627 Die 24 Novembris.

XXVIII.

Indulgentia (1) pro Capitulo Generali.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

URBANUS PP. VIII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ſicut accepimus Capitulum Generale univerſi Ordinis Fratrum Prędicatorum S. Dominici Toloſan. in feſto Pentecoſtes anni MDCXXVIII, benedicente Domino, celebrandum ſit, Nos felici dicti Capituli directioni, & animarum Chriſti fidelium ſaluti paterna caritate proſpicere volentes; Omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęniten., & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis ejuſdem Ordinis ubique exiſten. in Nativitatis, & Paſchatis Reſurrectionis Dominicę feſtis diebus, & ſingulis diebus infra Octavas eorundem feſtorum, ac die feſto Annunciationis B. Marię Virginis, Dominica Palmarum, ac feria quinta in Cęna Domini devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prędictorum id egerint, Plenariam; Iis vero, qui in Feſto Pentecoſtes, & ſingulis diebus actualis celebrationis dicti Capituli Eccleſiam dictę Domus viſitaverint, &, ut prefertur, oraverint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus poſt celebrationem dicti Capituli minime valituris. Volumus autem, quod pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę, ſeu Generalis, vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis, aut Provincialis alicujus Provincię obſignatis eadem fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV Novembris MDCXXVII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Gratis pro Deo, etiam Scriptura. M. A. Maraldus.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria authentica typis impreſſa.

In

Anno 1628 Die 26 Januarii.

In Fratres Romam petentes ſine Generalis Magiſtri facultate (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXIX.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

SAcroſanctum Apoſtolatus Officium humilitati noſtrę, nullo licet meritorum ſuffragio, per ineffabilem Divinę Sapientię providentiam, commiſſum poſtulat, ut inter graviſſimas, multipliceſque Apoſtolicę ſervitutis curas, illam peculiari ſtudio amplectamur, per quam perſonę ſub ſuavi Religionis jugo, Salvatoris, & Domini Noſtri obſequiis famulantes, majoribus in dies in obedientię cultu, ac Regularium inſtitutorum obſervantia, necnon ſanctitate vitę proficiant incrementis. Hinc eſt, quod Nos felici Fratrum Ordinis Prędicatorum ſtatui, proſperęque directioni, & gubernio, quantum Nobis ex alto conceditur, proſpicere volentes, ſupplicationibus dilecti filii Procuratoris Generalis ejuſdem Ordinis nomine totius Ordinis prędicti, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, ne de cetero, ulli ejuſdem Ordinis profeſſores, quavis ex cauſa, etiam quamtumvis rationabili, privilegiata, & juſta, ſive ſub quocunque prętextu, niſi prius a dilecto filio Magiſtro Generali ejuſdem Ordinis duntaxat licentiam in ſcriptis impetraverint, ad Romanam Curiam venire audeant, ſeu prężumant, ſub privationis vocis, activę, & paſſivę per biennium, tam per eoſdem Fratres Romam, abſque licentia hujuſmodi venientes, quam eos, qui dictos Fratres admiſerint, & receperint, ipſo facto incurren., a qua nonniſi a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore exiſten., abſolvi poſſint, necnon aliis pęnis Superiorum arbitrio infligen. Apoſtolica Auctoritate tenore pręſentium interdicimus, & prohibemus. Mandantes propterea in virtute S. Obedientię Magiſtro, ſeu Procuratori, Generalibus, hujuſmodi, ut prężentes literas, in omnibus dicti Ordinis Provinciis, & ſingulis illarum Domibus, & aliis locis Regularibus, publicent, & publicari faciant, ac decernentes prężentes literas, validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus dicti Ordinis profeſſoribus, & aliis, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari. Sicque, & non aliter per quoſcunque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ubique judicari, & deffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores prężentibus pro ſufficienter expreſſis haben., illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod prężentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quę ipſis prężentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Januarii MDCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

M. A. Maraldus.

1. *Facultate.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1628 Die 9 Auguſti.

De præcedentia (1), ſeu potiori loco dando Confratribus SS. Nominis Jeſu.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilectis filiis Judicibus Synodalibus Gadicenſibus deputatis, & eorum cuilibet.

XXX.

URBANUS PP. VIII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii ęconomus, & Confratres Confraternitatis ſub invocatione Sanctiſſimi Nominis Jeſu in Oppido civitatis nuncupatę de Xerez de la Frontera, Hiſpalen. Dięceſis canonice inſtitutę, quod licet dilectus filius noſter, & Sedis Apoſtolicę Nuncius in Regnis Hiſpaniarum commorans, debuiſſet pręcedentiam, ſeu potiorem Locum dictis exponentibus, excluſis Confratribus alterius Confraternitatis ſub invocatione S. Bartholomęi ejuſdem oppidi adverſariis adjudicare, ſecus in agendo ſuam diffinitivam in ſecunda, ſeu alia ulteriori inſtantia, non tamen aliarum duarum Confirmatoriam, ad favorem dictorum Adverſariorum Sententiam protulit, eoſdem manuteneri mandando. Quare pro parte eorundem exponentium infra legitima, ut ipſi aſſerunt, tempora, fuit ad Sedem Apoſtolicam appellatum, Nobiſque humiliter ſupplicatum, ut eis in pręmiſſis de opportuno juris remedio ſubvenire, paterna ſolicitudine curaremus. Nos igitur juſtitiam unicuique, ut decet, miniſtrare cupientes, ipſoſque exponentes, & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſ-

aliiſque eccleſiaſticis Cenſuris, & pęnis, quavis occaſione, vel cauſa latis, a jure, vel ab homine, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, vocatis ad id, qui fuerint evocandi, & cauſam, & cauſas appellationis prędictę, ac nullitatis ex tribus iniquitatis, & injuſtitię, necnon attentatorum, & innovatorum quorumcunque, & reſtitutionis in integrum, prout de jure adverſus quęcunque pręjudicialia, ſaltem ex Clauſula generali, ſi qua veſtra cauſa videbitur, necnon quam, & quas dicti exponentes ſuper pręmiſſis contra prędictos Confratres S. Bartholomęi, omneſque alios ſua intereſſe putantes, habent, & movent, habereque, & movere volunt, & intendunt, cum omnibus ſuis incidentiis, & dependentiis, emergentiis, annexis, & connexis, totoque negotio principali, auctoritate noſtra audiatis, cognoſcatis, fineque debito terminetis, & decidatis. Nos enim vobis, & cuilibet veſtrum dictos Confratres S. Bartholomęi, omneſque alios, quos opus fuerit, citandi, eiſque inhibendi, etiam ſub Cenſuris, & pęnis, ac inobedientes in illas incidiſſe, ſervata forma Concilii Tridentini, declarandi, approbandi, & reaggravandi, auxiliumque brachii ſecularis invocandi, necnon attentata, & innovata quęcunque, prout de jure revocandi, ac talia quoque, ſi egerint, veſtro, & cujuslibet veſtrum adjutorio prorogandi, & quatenus lapſa ſint, exponentes prędictos in integrum, prout de jure, reſtituendi, ceteraque in pręmiſſis neceſſaria, & opportuna faciendi, & exercendi, plenam, & liberam Apoſtolica Auctoritate tenore pręſentium concedimus facultatem, non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IX Auguſti MDCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Pracedentia*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo*.) In quo exemplar.

De Secularium Confeſſionibus (1) non excipiendis a Religioſis non approbatis ab Ordinario.

Anno 1628 Die 12 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXI.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, aliquibus Religioſis quorundam Ordinum, ſeu Congregationum a Sede Apoſtolica indultum fuerit, ut Sacramentales perſonarum ſecularium Confeſſiones audire valeant, etiamſi ab Epiſcopis Diœceſanis ad id examinati, & approbati non fuerint; nec deſint, qui temere aſſeverent, hoc ipſum privilegium ceteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere, ex ampliſſimis privilegiorum communicationibus, quas ab eadem Sede Apoſtolica, obtinuerunt, & hinc ſaluberrimum Sacri Concilii Tridentini Decretum deſuper ſancitum penitus evertatur. Nos huic malo opportune providere volentes, de Vener. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium, prępoſitorum conſilio, omnia, & ſingula indulta hujuſmodi, audiendi ſecularium Confeſſiones abſque Ordinarii examine, & approbatione, quibuſvis Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, & etiam Societati Jeſu, Congregationibus, & Ordinibus tam Mendicantium, quam non Mendicantium, necnon Monachorum quorumcunque, etiam Sancti Benedicti, Ciſtercien., & Carthuſien., ac etiam quibuſvis Militiis, etiam Hoſpitalis S. Johannis Hieroſolymitani, ac quibuſcunque Eccleſiis etiam Patriarchalibus, & Metropolitan., Monaſteriis, ceteriſque locis piis, ſive eorum, & earum reſpective Abbatibus, Prępoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Pręlatis, Prioribus, Rectoribus, etiam Generalibus, vel Provincialibus, Capellanis, Confeſſariis, aut aliis quocunque nomine nuncupatis Superioribus, & perſonis quibuſcunque, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi Apoſtolicę immediate ſubjectis, cujuſcunque dignitatis, pręeminentię, & conditionis exiſtentibus, & quovis privilegio munitis, & tam ad ſupplicationem partium, quam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine hactenus quandocunque, & qualitercumque ex quavis etiam de neceſſitate exprimenda cauſa, & alias quomodolibet conceſſa, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, viribuſque, & effectu evacuamus, ac revocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque, & effectu vacua eſſe, & fore, nec Religionibus, Societatibus, etiam Societati Jeſu, Congregationibus, Ordinibus, ac Militiis, & Eccleſiis, Monaſteriiſque prędictis, eorumque Superioribus, & perſonis quibuſcunque in poſterum ullo modo ſuffragari, minuſque illos, & illas, etiamſi de iis ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio haben. foret, indultis hujuſmodi uti poſſe. Pręſentes vero literas, & in eis contenta quęcunque, etiam ex eo quod quicunque in pręmiſſis intereſſe haben., ſeu habere pętendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis vitio, aut intentionis noſtrę, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, in jus, vel controverſiam revocari, ad terminos Juris reduci, aut adverſus illas quodcunque juris, gratię, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere. Sicque per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judican., & interpretan. facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel

vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prędictis, eorumque Prępoſitis, Decanis, Magiſtris, Abbatibus, Miniſtris, Pręlatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus, Capellanis, aliiſque prędictis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio haben., aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis haben., illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Quodque eędem pręſentes literę, ſeu illarum exempla ad valvas Baſilicarum S. Johannis Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & in Acie Campi Florę affixa, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimata fuiſſent. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII Septembris MDCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Confeſſionibus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar. In *Bullario Romano* eſt *XCII.*

Anno 1628 Die 10 Novembris.

De Generali Capitulo celebrando.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXXII.

URBANUS PP. VIII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, Capitulum Generale univerſi Ordinis Fratrum Prędicatorum in domo regulari Sanctę Marię ſupra Minervam ejuſdem Ordinis in feſto Pentecoſtes Anni MDCXXIX, benedicente Domino, ſit celebrandum. Nos, ut Chriſti fideles ad Eccleſias ejuſdem Ordinis viſitandas, & alia pia opera exercen. promptiores reddantur, quo ex hoc dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui in Circumciſionis Domini, Pentecoſtes, & Annunciationis Beatę Marię proxime futuris feſtivitatibus, ac in earum ſingulis feriis octavarum Eccleſias, loca, & domos Fratrum dicti Ordinis ubicunque exiſtentes devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prędictorum id egerint, Plenariam. In feſto autem Pentecoſtes, ac ſingulis diebus actualis celebrationis dicti Capituli Eccleſiam Sanctę Marię ſupra Minervam hujuſmodi etiam devote viſitaverint, &, ut pręfertur, oraverint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Pręſentibus poſt celebrationem dicti Capituli minime valituris. Volumus autem, quod ſi pro pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, ipſę pręſentes nullę ſint, eo ipſo. Uſque etiam pręſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die X Novembris MDCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

1. *Archivo.*) In quo exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCXXVIII.*

Anno 1628 Die 23 Decembris.

De Magiſtris (1) Baccalaureis, & Prædicatoribus Generalibus Provinciæ S. Petri Martyris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXIII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

PAſtoralis ſolicitudinis cura nobis, licet immeritis, ex alto commiſſa poſtulat, ut circa ſtatum regularium perſonarum ſalubriter dirigendum mentis noſtrę aciem aſſidue intendentes, ea ſtatuamus, & de-

decernamus, per quę regulares ipſę perſonę proſpere dirigantur, ac felicioribus in dies proficiant incrementis. Hinc eſt, quod Nos proſpero, felicique dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię S. Petri Martyris ſtatui, & directioni, quantum cum Domino poſſumus, conſulere volentes. De venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis regularium prępoſitorum conſilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in dicta Provincia duodecim Magiſtri, ſex Baccalaurei, & octo Prędicatores Generales duntaxat eſſe poſſint, nullus vero poſtulari, ſeu creari Magiſter cum voce, loco, & aliis privilegiis valeat, qui in Studio Generali Sancti Euſtorgii Mediolanen. Regens, ſeu ſaltem actu Baccalaureus non fuerit, neque Baccalaureus, niſi prius in eodem ſtudio Magiſter ſtudii, & deinde actualis Baccalaureus extiterit, Inquiſitoribus tamen, ac Theologo Univerſitatis Studii Generalis Taurinen., quibus ſervitium, quod officio Inquiſitionis, ac dictę Univerſitati reſpective impendunt, juxta antianitatem eorum profeſſionis ſupplere debet, duntaxat exceptis, nullusque etiam ad hujuſmodi gradus jam admiſſus, privilegiis, loco, voce, & quavis alia exemptione gaudere poſſit, ſed ad locum ſuę profeſſionis redire, & ita manere debeat, quouſque in ſtudio prędicto, ut ſupra dictum eſt, laboraverit, tollentes, & annullantes ad hunc effectum quamcunque conſuetudinem, uſum, vel abuſum, quę, ſeu qui hactenus irrepſerit, licet fuerit, vel futurus ſit Magiſter Provincialis, & deinde eum locum, quem in dicto ſtudio ſibi ſuo tempore comparaverit, non autem eum, quo nunc ex gratia gaudet, tantum obtinebit. Pręterea gradus ſtudii, ſeu Magiſterii dictę Provincię peti nequeant, niſi per vota ſecreta cum interventu Patrum ejuſdem Provincię, qui ſcrutinium uniuſcujuſque legitimi prętendentis juxta gradum ſuę antianitatis faciant, nec ulli injuriam fieri patiantur. Ad hęc Prędicatores Generales creari, ſeu hujuſmodi Prędicatorum Generalium gradus peti non poſſint, niſi clare conſtet, hos gradus prętendentes ſaltem decem Quadrageſimis in aliqua Civitate, aut loco inſigni cum dicti Ordinis laude quotidie verbum Dei prędicaſſe. Ac demum nullus in Priorem domus regularis Sancti Euſtorgii Mediolanen. dicti Ordinis eligi, poſtulari, confirmari, aut dari poſſit, qui quadrageſimum ſuę ętatis annum non expleverit, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, mandantes propterea dilectis etiam filiis dicti Ordinis Vicario Generali, aliiſque Superioribus Provincię hujuſmodi ſub pęna privationis vocis activę, & paſſivę ipſo facto incurrenda, necnon ſuorum officiorum, ac perpetuę inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, quatenus prędicta omnia, & ſingula obſervent, atque ab iis, ad quos pertinet, obſervari procurent. Ac decernentes, pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque ſemper, & perpetuo valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter obſervari, & adimpleri, atque ita per quoſcunque judices, & commiſſarios, quavis auctoritate fungentes judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quocunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, Ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis Apoſtolicis, illis, eorumque Superioribus, & Fratribus, ac quibuſvis aliis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Decembris MDCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

1. *Magiſtris.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplaria typis impreſſa.

De confirmando Rectore Orioleníis (1) Collegii.

Anno 1629 Die 14 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

URBANUS PP. VIII.

XXXIV.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus Rodulphius (3), Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter, ac Ordinis Prędicatorum Vicarius Apoſtolicus Generalis, quod non ita pridem decem Electores in Collegio B. Marię de Succurſu, & S. Joſeph nuncupato Orioleníi, ejuſdem Ordinis Provincię Aragonię pro electione Rectoris ejuſdem Collegii facienda congregati, ſeptem ex illis Petrum Sains de Armora, reliqui vero tres Dominicum Domenec dicti Ordinis profeſſores dilectos filios, in Rectorem hujuſmodi elegerunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Petrus ex eo quod per tempus á felicis recordationis Julio Papa II Prędeceſſore noſtro ſtatutum non vacaverit, ac alias juxta dicti Ordinis conſtitutiones Apoſtolica auctoritate confirmatas, necnon antiqua, ac quęcunque legitima, & vera ſtatuta dicti Collegii eligi non potuerit, prędictus vero Dominicus eligibilis ſit, proindeque dictus Nicolaus electionem de perſona dicti Dominici, ut pręfertur, factam dicta auctoritate per Nos confirmari deſideret. Nos dictum Dominicum, apud Nos de religionis zelo, vitę, ac morum honeſtate, aliiſque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi qui-

ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus dicti Nicolai ejuſdem Dominici nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis regularium prępoſitorum conſilio, electionem de perſona dicti Dominici in Rectorem prędicti Collegii, ut pręfertur, factam, etſi a minori electorum hujuſmodi numero facta fuerit, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac prędictum, necnon omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, mandantes propterea in virtute ſanctę obedientię, omnibus, & ſingulis dicti Collegii Fratribus, & perſonis, ceteriſque, ad quos ſpectat, ut dictum Dominicum in Rectorem hujuſmodi, juxta pręſentium tenorem recipiant, admittant, & recognoſcant, illique pareant, obediant, & aſſiſtant, alioquin ſententiam, ſive pęnam quam rite tulerit, ſeu ſtatuerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Collegii, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, eidem Collegio, & Ordini, ac electoribus, & quibuſvis aliis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, eorum omnium tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIV Februarii MDCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

1. *Orialen.*) Juris eſt *Aragoniæ* Provinciæ.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *Rodulphius.*) Vir egregius, Generalis Magiſter poſteà renunciatus.

Anno 1629 Die 26 Aprilis.

De electione (1) Provincialis Peruanæ Provinciæ:

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Nicolao Ridolpho (3), Ordinis Fratrum Prędicatorum Vicario Apoſtolico Generali.

XXXV.

URBANUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Alias Nobis pro parte quondam Seraphini Sicci Ordinis Prędicatorum dum vixit Magiſtri Generalis expoſito, quod cum de Menſe Octobris anni MDCXXV Capitulum Provinciale Provincię S. Johannis Baptiſtę Peruanę dicti Ordinis in Civitate Cuzcan. in Indiis pro novi Prioris Provincialis electione facienda inſtaret, jamque multi ex vocalibus in eo congregandi in dicta Civitate pręſentes eſſent, licet dilectus filius Michael de Leon ejuſdem Ordinis profeſſor, quoddam decretum vivę vocis oraculo a Nobis emanatum, quo cavebatur expreſſe, ne Prior Provincialis dictę Provincię tunc exiſtens Capitulum hujuſmodi indiceret, ſed illius celebrationem uſque ad Menſem Julii ex tunc proxime futurum differret, interimque idem Michael dictę Provincię Vicarius, & Pręſidens deputabatur, pręſentaſſet, nihilominus idem Prior Provincialis, attendens decretum hujuſmodi ſubreptitium exiſtere, tunc ex eo, quod dicto Seraphino inſcio emanaſſet, tum etiam, quia dilatio Capituli hujuſmodi ad Capituli Provincialis ejuſdem Provincię inſtantiam falſo peteretur, ad ipſius Capituli celebrationem congregatis in eo quadraginta, & amplius vocalibus devenerat, in eoque novus Prior Provincialis electus fuerat, & in eadem expoſitione ſubjuncto, quod Fratres dictę Provincię partim novo Priori Provinciali hujuſmodi, partim vero dicto Michaeli obediant, eoſque in Superiores recognoſcant, ex hoc autem graviſſima inconvenientia, perturbationes, & tumultus cum Chriſti fidelium ſcandalo in dies oriantur, Nos pręmiſſis obviam ire volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris eidem Seraphino electionem novi Prioris Provincialis hujuſmodi ſic, ut pręfertur, factam, ac inde ſequuta quęcunque auctoritate noſtra Apoſtolica approbandi, & confirmandi, ſive illam caſſandi, & irritandi, novumque Priorem Provincialem dictę Provincię pro ea vice duntaxat creandi, & inſtituendi, & alias ſub certis modo, & forma tunc expreſſis facultatem conceſſimus, & impartiti ſumus, prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores pręſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, ſubinde dictus Seraphinus literis noſtris prędictis inhęrendo electionem novi Prioris Provincialis pręfatam confirmaverit, paratus tamen ex amore paterno, quo alios dicti Ordinis Fratres proſequebatur, opportunam aliis afferre conſolationem prout expedire judicaſſet, poſtquam ſibi conſtitiſſet, quod decretis, & expeditionibus a ſe factis acquieviſſent, ſeque filios obedientię oſtendiſſent, dictuſque Seraphinus nonnullis gravibus dicti Ordinis Patribus declaraverit, ſi velle illum, qui pretextu dicti Oraculi etiam Prior Provincialis electus fuerat, poſt finitum tempus Provincialatus Prioris Provincialis a ſe confirmati Priorem Provincialem ejuſdem Provincię abſque alia electione deſuper facienda conſtituere, & deputare, prędictus vero Seraphinus morte pręventus pręmiſſa exequutioni demandare nequiverit, Nos ad ea, quę ad proſperam dictę Provincię directionem, illiuſque Fratrum pacem, & quietem faciunt, favorabiliter intendentes, motu,

ſcien-

ſcientia, & deliberatione ſimilibus, tibi eum dicti Ordinis profeſſorem, qui prętextu dicti decreti in Priorem Provincialem, ut pręfertur, electus fuit, in Priorem Provincialem dictę Provincię abſque alia electione deſuper facienda, poſt quam tamen Prior Provincialis per dictum Seraphinum, ut pręfertur, confirmatus, munus ſuum hujuſmodi expleverit, auctoritate noſtra Apoſtolica hac vice duntaxat, ac conſultis gravioribus dicti Ordinis Patribus abſque alia electione deſuper facienda creandi, & inſtituendi, aliaque in pręmiſſis, & circa ea facien., & exequen., prout ad felicem, & proſperam ipſius Provincię directionem expedire in Domino cognoveris, plenam, & amplam facultatem auctoritate pręfata, tenore pręſentium concedimus, & impartimur, mandantes propterea in virtute ſanctę obedientię, ac ſub privationis officiorum per eos obtentorum, aliiſque arbitrio noſtro infligendis pęnis dictę Provincię Superioribus, & Fratribus, ut Priorem Provincialem per te pręſentium vigore creandum, & inſtituendum recipiant, admittant, & recognoſcant, tibique in omnibus, quę eis ordinanda, & per eos exequenda duxeris, prompte pareant, & obediant, eaque exequantur, alioquin ſententiam, ſive pęnam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino uſque ad condignam ſatisfactionem inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Aprilis MDCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

1. *Electione.*) Conſulenda Conſtitutio *XXIV.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *Nicolao Ridolpho.*) Seu *Rodulphio*, *Rodulfio*, *Redulpho*, & *Rudolpho*, vulgo *Ridolfi*. In ipſis autographis diverſe ſcribitur. Vir fuit avita nobilitate claro, egregiiſque dotibus, ac virtutibus præditus. Generalis Magiſter creatus fuit in Comitiis Generalibus habitis anno *MDCXXIX.*

Anno 1629 Die 2 Maii.

Pro Bononien. Monaſterio Sancti Lucæ.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXXVI.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ALias a Nobis emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Urbanus PP. VIII. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Cum ſicut accepimus &c. (2) Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX Novembris MDCXXVII, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Cum autem, ſicut dilecti filii Philippus de Sanctopetro Prior, cetericque Officiales, & Confratres dictę Confraternitatis, necnon etiam dilectę in Chriſto filię Paula Iſiſille de Caſtellis Prioriſſa, ac Vicaria, necnon reliquę Moniales Monaſteriorum SS. Matthię, & Lucę prędictorum Nobis denuo exponi fecerunt poſt emanatas preinſertas literas prędictas controverſię, & differentię hujuſmodi, non modo non ſedatę, & terminatę fuerint, verum etiam lite deſuper in Sacro Rotę Auditorio, & aliis forſan Tribunalibus introducta recruduerint, tandem vero ad evitandos ulteriores litium anfractus, & involucra, ac pro bono pacis ad amicabilem inter ſe devenerint concordiam, ſeu tranſactionem in nonnullis Capitulis ab utraque parte ſubſcriptis contentam, cujus tenor eſt qui ſequitur videlicet. La Madre Priora, & Monache di S. Maria precedendo la ſolita inſtanza da farſi per li Signori Priore, e Confrati dell' Oſpedale della Morte in voce ſono pronte, in occaſione delle proceſſioni delle Rogazioni conſegnare la Domenica mattina per tempo precedente alli tre giorni delle rogazioni dopo ſarà ſtata celebrata la meſſa conforme il ſolito la Santiſſima Imagine di noſtra Signora conſervata nella loro Chieſa del Monte della Guardia ſotto la loro cuſtodia, e dipinta da S. Luca, a detto Signor Priore, e Confrati, ad effetto di portarla a Bologna ornata con quegli abellimenti, & Manto, che dalle Monache reſidenti in S. Luca ſarà ſtata ornata con promiſſione, & obligo di riconſegnare, e reſtituire detta Santiſſima Imagine alla Madre Vicaria di S. Luca il Giovedì mattina ſeguente, come dalle Madri di S. Mattia le ſarà conſegnata. Che debba detto Signor Priore d'otto giorni prima far conſapevole la Madre Priora di S. Maria del viaggio, che dovrà farſi in occaſione delle proceſſioni delle Rogazioni, l'ordinazione, e dichiarazione de' quali in tutto ſpetti a detto Signor Priore. Che detto Signor Priore, e Confrati s'obblighino di portare la medema Domenica mattina detta Santiſſima Imagine nella Chieſa delle RR. Madri di S. Mattia ſopra l' Altar maggiore nel luogo ſolito, dove ſtia eſpoſta tutto il giorno alla divozione del Popolo. Che la ſera della medeſima Domenica alle ore XXIII detto Signor Priore, e Confrati debbano conſegnar detta Santiſſima Imagine alla Madre Priora, & Monache di S. Mattia al luogo ſolito, acciò poſſino riveſtirla, & ornarla dentro il Monaſtero la notte, come più le piacerà. Che la mattina del Lunedì precedendo l'inſtanza ſudetta, la Madre Priora conſegnarà di nuovo detta Santiſſima Imagine con quelli ornamenti, gioje, & manto le parerà, con obbligo di detto Signor Priore, & Confrati di reſtituire il mercordì ſeravenente detta Santiſſima Imagine con tutti detti ornamenti, & gioje, manto, & come ſi dirà abbaſſo, e detti Signori Priore, e Confrati debbano il medeſimo Lunedì dopo la conſegna ſudetta portare detta Santiſſima Imagine ſopra l' Altar maggiore di detta Chieſa di S. Mattia, dove debba ſtare ſino ſia celebrata la meſſa conforme il ſolito, dopo la quale ſi porterà proceſſionalmente alla Chieſa deſtinata per cele-

celebrarvi la Meſſa delle Rogazioni, & dopoi alla Chieſa dell' Oſpedale della Morte, dove dovrà reſtare per tutti li giorni delle Rogazioni ſopra l' Altar maggiore di detta Chieſa, ſempre da' quei tempi, & ore in poi, che ſi portarà in proceſſione per l' occaſione delle Rogazioni, e agl' Infermi di detto Oſpedale conforme il ſolito. Che tanto durante tutto detto tempo, quanto dal dì, & ora, che ſarà ſtata conſegnata detta Santiſſima Imagine a detti Signori Priore, & Confrati, eſſi non poſſino in modo alcuno ingerirſi in veſtire, o ſveſtire, o movere, o levare coſa alcuna d' intorno a detta Santiſſima Imagine, ma laſciarla nel ſtato, e termine, che le ſarà ſtata conſegnata, & in tal modo debba portarſi in proceſſione, poiche detto miniſtero in tutto, e per tutto ſpetta a dette R.R. Monache, conforme l' uſo, e ſtile antichiſſimo. Che durante detto tempo ſia lecito alla Madre Priora, & Monache ritenere in detta Chieſa dell' Oſpedale della Morte li loro Fattori, & agenti, alli quali ſia lecito ricercar elemoſine conforme il ſolito, & di ſtare in detta Chieſa tutto il tempo, che vi ſia conſervata detta Santiſſima Imagine, & il ſimile in ogn' altra Chieſa dove ſarà portata conforme il ſolito. Che tutte l' obligazioni, & elemoſine, che ſaranno fatte à detta Santiſſima Imagine in qualſivoglia occaſione, & luogo, ſpettino alle Monache in tutto, ſenza detrattione alcuna, a loro debbano eſſer conſegnate conforme il ſolito. Che il mercordì ſera dopo le rogazioni debba detto Signor Priore, e Confrati ritornare detta Santiſſima Imagine nel modo, e con gl' ornamenti medeſimi, che li fu conſegnata il Lunedì precedente alla medeſima Chieſa di S. Mattia, & ad eſſe Monache al luogo ſolito, acciò poſſino la notte ritenerla in Moniſtero per ſpogliarla, e riveſtirla come più le piacerà. Che il giovedì mattina a buon' ora fatta l' iſteſſa inſtanza, la Madre Priora conſegnarà la detta Santiſſima Imagine al Signor Priore con gl' ornamenti, e manto: la quale dovrà eſſere collocata ſopra l' Altar maggiore di S. Mattia, ad effetto di far celebrar la Meſſa conforme il ſolito, & celebrata dovranno detti Signori Priore, & Confrati riportare detta Santiſſima Imagine a S. Luca, & conſegnarla con detti ornamenti alla Madre Vicaria di quel luogo. Che in ogn' altra occaſione di portarſi detta Santiſſima Imagine a Bologna fuori di dette rogazioni, debbano puntualmente oſſervarſi tutte le ſudette Capitolationi. Che tutti gl' oblighi, e promiſſioni contenuti nelli preſenti Capitoli ſiano confermate con Inſtromento, in modo, che obblighino li Signori Priore, & Confrati moderni, e ſuoi ſucceſſori in perpetuo. Dichiarando, che per il preſente accordo, & confermatione Apoſtolica non ſia fatto pregiudizio di ſorte alcuna alle ragioni, quali competono alle parti, tanto in vigore di poſſeſſo, come di Privilegio. e Breve, quale vogliono dette Parti, che ſiano, e s' intendano preſervate nel ſtato, e termine, che ſi ritrovano, & tali quali ſono, così per patto eſpreſſo, & concordato, nelle parti non contrarie alli preſenti Capitoli, & rinunziano vicendevolmente ad ogni lite moſſa nella Sagra Ruota di Roma, & ad ogn' altra, che foſſe moſſa in altro luogo. E finalmente, che a ſpeſe di detti Signori Priore, & Confrati ſi debba procurare, & ottenere da Noſtro Signore la confermatione delle ſuddette Capitolationi, delle quali detti Signori Confrati debbano dare o l' originale, o tranſonto in forma autentica a dette Monache a tutte loro ſpeſe. Io Suor Paola Iſifille Caſtelli Priora a nome di tutte l' altre ſorelle, & di loro volontà affermo, & prometto quanto ſi contiene nelli ſopraſcritti Capitoli, & per fede ho ſcritto di propria mano queſto dì XIII Marzo MDCXXIX. Io Suor Ottavia Corona Coſti Sottopriora affermo quanto di ſopra. Io Suor Arcangiola Mirandoli Sindica affermó quanto di ſopra. Io Filippo Sampieri Priore della Compagnia della Morte affermo, e prometto quanto in queſto ſi contiene. Io Camillo Geſſi Dottore, & Senatore Sindico a vita, & uno degl' aſſonti. Io Carlo Fantuzzi Sindico a vita di detto Oſpitale, & aſſonto al ſuddetto negozio affermo quanto in queſto. Io Camillo Duglioli Sindico a vita di detto Oſpedale, & aſſonto al ſudetto negozio affermo quanto in queſta ſi contiene &c. Io Filippo Muſotti uno degl' aſſonti al ſudetto negozio affermo quanto in queſta ſi contiene. Nos qui noſtri paſtoralis officii debito, pacem, & concordiam inter Chriſti fideles quoslibet vigere, & conſervari ſinceris deſideramus affectibus inviolabili pręmiſſorum ſubſiſtentię, & obſervationi, quantum nobis ex alto conceditur, providere, ac exponentes prędictos ſpiritualibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes ſupplicationibus illorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, concordiam, ſeu tranſactionem prędictas cum omnibus, & ſingulis in dictis Capitulis contentis, & expreſſis, ac Inſtrumentum, ſeu ſcripturas deſuper confecta hujuſmodi Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuę, & inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, necnon omnes, & ſingulos tam juris, quam facti, ac ſolemnitatum, & alios quoſvis defectus, ſi qui in pręmiſſis, aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut interveniſſe dici, vel cenſeri poſſint ſupplemus. Decernentes concordiam, ſeu tranſactionem, necnon Capitula hujuſmodi ſemper, & perpetuo valida, firma, & efficacia eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac a partibus prędictis, ceteriſque omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, firmiter, & inviolabiliter perpetuo obſervari debere, eoſque ab illis nullo unquam tempore reſilire, aut recedere poſſe quovis prętextu, cauſa, vel occaſione, ſicque, & non aliter in pręmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctę R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Vicelegatos, necnon alios quoſcunque quavis auctoritate fungentes judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quatenus opus ſit pręinſertis literis noſtris prędictis aliiſque omnibus, & ſingulis, quę in eis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die II Maii MDCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

I. Ar-

1. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum. 2. *Accepimus &c.*) Ut in *Conſtitutione XXVII.*

Argentinen. (1) Monaſterium S. Nicolai in Undis unitur Provinciæ Teutoniæ.

Anno 1629 Die 9 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXVII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Ordinis laus.

AD uberes fructus, quos Fratres Ordinis Prędicatorum in vinea Domini inter ceteros illius cultores proferunt, conſiderationis noſtrę intuitum dirigentes merito inducimur, ut ad ea libenter intendamus, quę eorum neceſſitatibus, & oneribus ſublevandis cognoſcimus fore opportuna, ac in his paſtoralis officii noſtri partes favorabiliter interponimus, prout Catholicorum Principum vota id expoſcunt, Noſque, rerum, & temporum qualitatibus debite penſatis, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut dilectus filius Petrus Canadilla, Diffinitor Capituli Provincialis per Fratres dicti Ordinis Provincię Teutonię nuper celebrati, Fratrum dictę Provincię nomine Nobis exponi fecit, in eadem Provincia aliquę domus regulares dicti Ordinis, & etiam ad majorem Fidei Catholicę propagationem Collegia non pauca erecta ſint, & propterea quo hęc deſideratum finem facilius conſequantur, Fratres prędicti Monaſterium Monialium S. Nicolai in Undis nuncupatum Argentinen. dicti Ordinis, quod cum omnibus annexis, & redditibus ſuis ab hęreticis a multis annis uſurpatum fuit, cujuſque nulla Monialis ſuperſtes reperitur, pręvia illius ſuppreſſione, & extinctione eidem Provincię per Nos, ut infra, uniri, & incorporari ſummopere deſiderent. Nos, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum communem ęſtimationem tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis, quorum intereſt, & idem obſervari voluimus in quibuſvis ſuppreſſionibus, perpetuis conceſſionibus, & diſmembrationibus, & de quibuſvis fructibus, & bonis eccleſiaſticis, Fratres Provincię, & Ordinis prędictorum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, necnon fructuum, reddituum, & proventuum ejuſdem Monaſterii, ejuſque forſan annexorum veros annuos valores, verumque, & ultimum dicti Monaſterii vacationis modum, etiamſi ex illo quęvis generalis reſervatio, etiam in corpore Juris clauſa reſultet, pręſentibus pro expreſſis habentes, ſupplicationibus etiam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinandi Romanorum Regis, in Imperatorem electi, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Monaſterium prędictum, ut prędicitur, deſtitutum quovis modo, & ex cujuſcunque perſonę, ſeu per liberam reſignationem, vel ceſſionem cujuſvis de illo, illiuſque regimine, & adminiſtratione in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus proviſio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii, aut alias canonicas ſanctiones, ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta exiſtat, & illa ex quavis cauſa ad Sedem eandem ſpecialiter, vel generaliter pertineat, & ſuper illius regimine, & adminiſtratione, ſeu illorum poſſeſſorio inter aliquos lis, vel quaſi, moleſtia, cujus ſtatum etiam pręſentibus pro expreſſo haberi volumus, pendeat indeciſa, dummodo tempore datę pręſentium non ſit in eodem Monaſterio de Abbatiſſa, vel Prioriſſa canonice proviſum, illiuſque denominationem, ac Ordinem prędictum, & Regulam, omnemque illorum ſtatum, & dependentiam regulares auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium perpetuo ſupprimimus, & extinguimus, Monaſteriique ſic ſuppreſſi, & extincti omnia, & ſingula bona, tam mobilia, quam immobilia, cum illius annexis, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis univerſis dictę Provincię per Definitorium Capituli Provincialis dictę Provincię, Collegiis, & Noviciatibus in dicta Provincia canonice erigen., accedente Magiſtri Generalis dicti Ordinis conſenſu, ſeu approbatione, applicamus ita tamen, quod ſi contingat Vicariatum Auſtrię Ordinis prędicti, ad pręſens dictę Provincię incorporatum ab eadem Provincia ſeparari, quinta pars bonorum dicti Monaſterii ad eum ſpectet, & Collegii, ac Noviciatibus hujuſmodi per illius definitorium modo, & forma pręmiſſis applicetur, Apoſtolica auctoritate, & tenore prędictis ſimiliter perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus, ita quod liceat dictis Priori Provinciali, & Fratribus, aliiſque, ad quos ratione applicationis, ut ſupra, facien., pro tempore ſpectabit, per ſe, vel alium, ſeu alios eorum nomine corporalem, & actualem poſſeſſionem, ſeu quaſi, dicti Monaſterii, illiuſque bonorum propria auctoritate libere apprehendere, & apprehenſam perpetuo retinere, ac illorum fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta quęcunque, percipere, exigere, levare, recuperare, locare, arrendare, adminiſtrare, atque in uſus, neceſſitates, & utilitatem Collegiorum, & Noviciatuum hujuſmodi convertere, Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia deſuper minime requiſita. Decernentes eaſdem pręſentes literas, etiam ex eo quod Superiores dicti Monaſterii, vel alii quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prętendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, nec etiam cauſę propter quas illę emanarunt, coram loci Ordinario, etiam tanquam dictę Sedis delegato, ſeu alias examinatę, verificatę, vel juſtificatę fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtrę, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, retractari, annullari, vel invalidari, ſeu in jus, vel controverſiam voca-

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci, ſeu adverſus illas quodcunque juris, gratię, vel facti remedium impetrari, aut concedi nullatenus unquam poſſe, ſed illas ſemper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces fore, & eſſe, neque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, ac Sedem prędictam, ſub quibuſcunque verborum expreſſionibus, & formis pro tempore quomodolibet factis, nullatenus unquam comprehendi, ſed ab illis ſemper excipi, & quoties illę emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam ſub quacunque poſteriori data per Priorem Provincialem, & Fratres prędictos quandocunque eligenda, conceſſas eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos quacunque auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vicelegatos, dictęque Sedis Nuncios, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa dilectis filiis cauſarum Curię Camerę Apoſtolicę Generali Auditori, ac Argentinen., & Paſſavien. Officialibus, per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Prioris Provincialis, & Fratrum prędictorum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, pręſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ac ſingulos, quos ipſę literę concernunt, illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes ipſos, ſeu eorum quempiam per quoſcunque deſuper quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti, remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus pręmiſſis, ac priori voluntate noſtra prędicta, necnon felicis recordationis Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, & Lateranen. Concilii noviſſime celebrati, uniones perpetuas niſi in caſibus, a jure permiſſis fieri prohiben., aliiſque quibuſvis Apoſtolicis, & in univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Monaſterii hujuſmodi, illiuſque Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis illis, eorumque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac conſiſtorialiter, & iteratis vicibus in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda foret, illorum omnium tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IX Maii MDCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

1. *Argentinen.*) Vulgo *Strasbourg* in *Alſatia*. 2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1629 Die 1 Junii.

De Magiſtris, Baccalaureis &c. Provinciæ Bæticæ.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXXVIII.

Dilecto filio Nicolao Rodulpho Ordinis Fratrum Prędicatorum Vicario Apoſtolico Generali.

URBANUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INjuncti Nobis per abundantiam divinę gratię paſtoralis officii ſolicitudo, poſtulat, ut in his, per quę Chriſti fidelium ſub ſuavi Religionis jugo, Altiſſimo famulantium, proſpero ſtatui conſulitur, ejuſdem officii partes ſedulo intendamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Itaque felici, ac proſpero Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię Bęticę regimini, & directioni, quantum cum Domino poſſumus, conſulere, ac dilectos filios Magiſtrum Provincialem, & Fratres Provincię prędictę dicti Ordinis, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę ſunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, tibi in Diffinitorio Capituli Generalis dicti Ordinis proxime celebrandi, omnia, & ſingula, quę ad proſperum dictę Provincię regimen, & gubernium, tam quoad ſtudiorum, & graduum, ſive Magiſterii, ſive Baccalaureatus proviſionem, quam ad Socios ad Capitulum Provinciale ejuſdem Provincię euntes, tollendos, quomodolibet ſpectant, & pertinent, dummodo tamen petitio Provincialis, & Diffinitoris ejuſdem Pro-

Provinciȩ accedat, faciendi, ſtatuendi, & diſponendi, plenam, & amplam facultatem, Apoſtolica auctoritate, tenore prȩſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus felicis recordationis Pii V, & Pauli V, Romanorum Pontificum Prȩdeceſſorum noſtrorum circa graduum numerum, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Provinciȩ hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prȩmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores prȩſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prȩmiſſum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romȩ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die prima Junii MDCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

} 2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Cordubenſi*.

Ut Nicolaus Rodulphius Magiſter Generalis ad terminos Conſtitutionum Ordinis reducere poſſit (1) ea quæ ſancita fuerunt etiam Apoſtolica auctoritate.

Anno 1629 Die 4 Junii.

XXXIX.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Nicolao Rodulphio Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prȩdicatorum.

URBANUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut nobis nuper exponi feciſti, celebratio Capituli Generalis iſtius Ordinis Fratrum Prȩdicatorum, in quo ejuſdem Ordinis Magiſter Generalis electus fuiſti, ut multa pro felici ipſius Ordinis gubernio juxta ſolitum componantur, continuet, & propterea multa quȩ juxta temporum exigentiam ordinata, & per tuos in hujuſmodi Generalatus officio prȩdeceſſores, ſeu ejuſdem Ordinis apud hanc S. Sedem Protectores, ſeu Viſitatores, aut Commiſſarios, cum ejuſdem S. Sedis participatione, & auctoritate publicata fuerunt, vel revocanda, vel limitanda, ſeu ad terminos Conſtitutionum dicti Ordinis reducenda ſint: ideoque pro parte etiam dicti Capituli Nobis humiliter ſupplicari feceris, ut tibi de opportuna in prȩmiſſis facultate providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, votis tuis, quantum cum Domino poſſumus, annuere, teque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pȩnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum prȩſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus tuo, & dicti Capituli nominibus nobis per te ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, tibi, ut in continuatione Capituli Generalis hujuſmodi, omnia, & ſingula, quȩ, ut prȩfertur, juxta temporis exigentiam ordinata, & per tuos in hujuſmodi Generalatus officio Prȩdeceſſores, ſeu Protectores, aut Viſitatores, ſeu Commiſſarios prȩfatos publicata fuerunt, & quȩ pro felici ejuſdem Ordinis gubernio, vel revocanda, vel limitanda, ſeu, ut prȩfertur, ad terminos prȩfatarum Conſtitutionum Ordinis reducenda erunt, revocare, limitare, vel prout prȩfertur reducere poſſis, & valeas, Apoſtolica auctoritate tenore prȩſentium, plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus prȩmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prȩmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores prȩſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romȩ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IV Junii MDCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

1. *Poſſit.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar inter Acta Capituli Generalis *Romæ* celebrati anno *MDCXXIX.*

De

Anno 1629
Die 6 Junii.

De Magiſtris, Baccalaureis &c. Provinciæ Portugalliæ.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Dilecto filio Nicolao Rodulpho Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſtro Generali.

XL.

URBANUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INjuncti nobis per abundantiam divinę gratię paſtoralis officii ſolicitudo poſtulat, ut in his per quę Chriſti fidelium ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium proſpero ſtatui conſulitur, ejuſdem Officii partes ſedulo intendamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Itaque felici ac proſpero Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię Portugallię regimini, & directioni, quantum cum Domino poſſumus, conſulere, ac dilectos filios Magiſtrum Provincialem, & Fratres Provincię prędictę dicti Ordinis ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, tibi in Diffinitorio Capituli Generalis dicti Ordinis, quod ad pręſens hic in Urbe celebratur, omnia, & ſingula, quę ad proſperum dictę Provincię regimen, & gubernium circa eorundem Fratrum dictę Provincię ad in Sacra Theologia Magiſterii ſive Baccalaureatus gradus promotionem, ſpectant, & pertinent, dummodo tamen petitio Provincialis, & Diffinitoris ejuſdem Provincię ad id accedat, faciendi, ſtatuendi, & diſponendi, plenam, & amplam facultatem Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium, concedimus, & impartimur. Non obſtantibus felicis recordationis Pii V, & Pauli V, Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum circa graduum numerum, ac quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis eorum tenorem pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI Junii MDCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

1. *Archivo.*) In quo autographum.

Anno 1629
Die 9 Junii.

De Confraternitate S. Mariæ Magdalenæ loci S. Balmæ (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLI.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, in Eccleſia Sanctę Marię Magdalenę loci Sanctę Balmę, nullius Dieceſis, Provincię Arelaten., una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſti fidelium confraternitas ſub invocatione ejuſdem Sanctę Marię Magdalenę, non tamen pro hominibus unius ſpecialis artis canonice inſtituta, ſeu inſtituenda exiſtat, cujus Confratres, & Conſorores quamplurima pietatis, & caritatis opera exercere conſueverunt. Nos, ut Confraternitas prędicta majora in dies ſuſcipiat incrementa, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui dictam Confraternitatem in poſterum ingredientur, die primo eorum ingreſſus, ſi vere pęnitentes, & confeſſi ſanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſumpſerint, Plenariam, necnon tam eiſdem, & pro tempore deſcribendis, quam jam deſcriptis in dicta Confraternitate Confratribus, & conſororibus in cujuſlibet eorum mortis articulo, ſi vere pęnitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti, nomen Jeſu, ore, ſi potuerint, ſin autem corde, devote invocaverint, etiam Plenariam, ac eiſdem nunc, & pro tempore exiſtentibus Confratribus, & Conſororibus, etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui prędictę Confraternitatis Eccleſiam, vel Capellam, ſeu Oratorium die feſto prędictę S. Marię Magdalenę a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper dictis confratribus, & conſororibus etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac eadem ſacra communione refectis Eccleſiam, vel Capellam, ſeu Oratorium hujuſmodi in ſecundo Pentecoſtes, ac Nativitatis Sancti Johannis Baptiſtę feſtis, & feria quin-

quinta in Cęna Domini, necnon prima die poſt Nativitatem Beatę Marię Virginis, ut pręfertur, viſitantibus, & ibidem orantibus quo die prędictorum id egerint ſeptem annos, & totidem quadragenas. Quoties vero Miſſis, & aliis divinis officiis in dicta Eccleſia, vel Capella, ſeu Oratorio pro tempore celebrandis, & recitandis, ſeu congregationibus publicis, vel privatis ejuſdem Confraternitatis ubivis faciendis, interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procuraverint, necnon etiam qui corpora defunctorum, tam Confratrum quam Consororum dictę Confraternitatis, quam aliorum ad ſepulturam aſſociaverint, aut quaſcunque Proceſſiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum tam in proceſſionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicunque, & quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut, ſi impediti, campanę ad id ſigno dato, ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem, & Salutationem prędictas pro animabus defunctorum Confratrum, & Consororum dictę Confraternitatis recitaverint, aut peccatorem aliquem ad viam ſalutis reduxerint, ignorantes Dei pręcepta, & ea quę ad Salutem ſunt, docuerint, aut aliud quodcunque pietatis, vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet prędictorum operum ſexaginta dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod ſi alias dictis confratribus, & consororibus pręmiſſa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum duratura per Nos conceſſa fuerit, pręſentes nullę ſint, utque etiam, ſi dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam ſit, ſeu in poſterum aggregetur, vel quavis alia ratione inſtituatur, priores, & quęvis alię literę Apoſtolicę illis nullatenus ſuffragentur, ſed ex tunc eo ipſo prorſus nullę ſint. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die IX Junii MDCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

1. *S. Balmæ.* Sic vocatur ſpecus ille ſacer in quo *S. Maria Magdalena* pœnitentiam egit. Ibi Fratres Prædicatores habent Vicarialem domum. Juris eſt *San-Maximinenſis* Cœnobii.

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *San-Maximinen.*

Anno 1629 Die 11 Junii.

Indulgentiæ pro Confraternitate (1) SS. Nominis Jeſu.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII. XLII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, in Eccleſia S. Petri Martyris oppidi de Marcheva, Hiſpalen. Diœceſis, una pia, & devota utriuſque Sexus Chriſti fidelium Confraternitas ſub invocatione Nominis Jeſu, non tamen pro hominibus unius ſpecialis artis canonice inſtituta exiſtat, cujus Confratres, & Consorores, quam plurima pietatis, & caritatis opera exercere conſuevęrunt. Nos, ut Confraternitas prędicta, majora in dies ſuſcipiat incrementa, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui dictam Confraternitatem in poſterum ingredientur, die primo eorum ingreſſus, ſi vere pęnitentes, & confeſſi, & Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſuſceperint, Plenariam, necnon, tam eiſdem, & pro tempore deſcribendis, quam jam deſcriptis, in dicta Confraternitate Confratribus, & Consororibus, in cujuslibet mortis articulo, ſi vere pęnitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti Nomen Jeſu, ore, ſi potuerint, ſin autem, corde invocaverint, etiam Plenariam; ac eiſdem, nunc, & pro tempore exiſtentibus Confratribus, & Consororibus, vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui prędictę Confraternitatis Eccleſiam, vel Capellam, ſeu Oratorium, in die Feſto S. Mauritii, & Sociorum, a primis veſperis, uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis, devote viſitaverint, & ibi pro chriſtianorum principum concordia, hęreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, miſericorditer in Domino concedimus; Inſuper dictis Confratribus, & Consororibus, etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac eadem Sacra Communione refectis Eccleſiam, vel Capellam, ſeu Oratorium hujuſmodi, in prima, & ſecunda, ac tertia, necnon quarta Quadrageſimę Dominicis diebus, ut pręfertur, viſitantibus, & ibidem orantibus, quo die prędictorum id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas; Quoties vero, Miſſis, & aliis Divinis Officiis in dicta Eccleſia, vel Capella, ſeu Oratorio pro tempore celebrandis, & recitandis, ſeu Congregationibus publicis, vel privatis ejuſdem Confraternitatis, ubivis faciendis, interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, vel componi fecerint, vel procuraverint, necnon etiam, qui Corpora Defunctorum, tam Confratrum, & Consororum dictę Confraternitatis, quam aliorum ad Sepulturam aſſociaverint, aut quaſcunque Proceſſiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctiſſimumque Euchariſtię Sacramentum, tam in Proceſſionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicunque, & quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut ſi, impediti, Campanę ad id ſigno dato, ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem, & Salutationem prędictas, pro animabus defunctorum Confratrum, & Consororum dictę Confraternitatis recitaverint, aut peccatorum aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes Dei precepta, & ea, quę ad ſalutem ſunt docuerint, aut aliud quodcunque pietatis, vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet prędictorum operum ſexaginta dies, de injunctis eis, ſeu alias

alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus. Pręſentibus perpetuis, futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod ſi alias dictis Confratribus, & Conſororibus pręmiſſa peragentibus, aliqua alia Indulgentia, perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum duratura per Nos conceſſa fuerit, pręſentes nullę ſint, ut pręfertur, utque etiam ſi dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam ſit, ſeu in poſterum aggregetur, vel quavis alia ratione uniatur, ſeu etiam quomodolibet inſtituatur, priores, & quęvis alię Literę Apoſtolicę, illis, nullatenus ſuffragentur, ſed ex tunc eo ipſo prorſus nullę ſint. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI Junii MDCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

1. *Confraternitate.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo lit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1629 Die 10 Julii.

XLIII.

De Conventibus Provinciarum Provinciæ (1) & Occitanæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Ut ea, quę pro Religioſorum bono, ac pace, & quiete inter ipſos ſervanda facta fuiſſe dicuntur, firma perpetuo, & illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolicę firmitatis munimine roboramus, aliaſque deſuper officii noſtri partes interponimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Innocentius Berardy Provincię, & Antonius Maſculus Occitanę Provinciarum Ordinis Prędicatorum reſpective Priores Provinciales, quod cum Provincia Occitana hujuſmodi ex domibus regularibus confuſiſſime intermixtis, & partim per Galliam Narbonenſem, partim vero per Provinciam ſparſis conflata reperiatur, dictęque domus regulares longiſſime inter ſe diſſitę, nonniſi ſummo cum labore, gravioribuſque difficultatibus per Superiores viſitari poſſint, idcirco Priores pręfati malis hujuſmodi de congruo remedio conſultum eſſe cupientes, ad infrapoſitam inter ſe devenerunt concordiam, quod nimirum domus regulares dicti Ordinis, quas habet Provincia Provincię in Occitania, ſeu citra Rhodanum ſcilicet Albenacii (3), Alesti (4), Morologii (5), Milialti (6), Genoliaci (7), Podii (8), & Pratellarum (9) Provincię Occitanę omnino uniantur: Domus vero regulares, quas ipſa Provincia Occitana in Provincia, ſeu cis Rhodanum habet nimirum Maſſilien. (10), Arelaten. (11), Cavallicen. (12), & Carpentoracten. (13) Civitatum, in Provinciam Provincię hujuſmodi omnino reintegrentur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Priores pręfati plurimum cupiant concordiam hujuſmodi per Magiſtrum Generalem, ac Definitorium Capituli Generalis dicti Ordinis noviſſime celebrati approbatam, tum pro firmiori illius ſubſiſtentia, & validitate, tum etiam pro pace inter ipſas Provincias componenda, earumque reſtauratione promovenda, Apoſtolicę noſtrę confirmationis robore communiri, Nos Priores pręfatos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, concordiam hujuſmodi Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, perpetuo approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti, & quoſvis alios defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Pręterea ne Provincię pręfatę per convocationem Capitulorum Provincialium extraordinarie graventur, eidem moderno Magiſtro Generali dicti Ordinis, Priores Provinciales Provinciarum hujuſmodi pro hac vice tantum auctoritate noſtra Apoſtolica cum omnibus, & ſingulis privilegiis, facultatibus, auctoritatibus, preeminentiis, pręrogativis, favoribus, gratiis, & indultis, quibus alii dicti Ordinis Priores Provinciales utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, eligendi, & inſtituendi facultatem auctoritate, & tenore prefatis impartimur, ac de eorundem ſic electorum, & inſtitutorum Priorum Provincialium perſonis eiſdem providemus. Decernentes concordiam pręfatam, ac pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque perpetuo valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac in eiſdem Provinciis ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, firmiter, & inviolabiliter obſervari, & adimpleri, ſicque & non aliter per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordini, & Provinciis, illorumque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque con-

contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die X Julii MDCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

1. *Provinciæ.*) Vulgo *Provence.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *Albenatii.*) Vulgo *Aubenas*. Juris eſt Provinciæ *Provinciæ*.
4. *Aleſti.*) *Alais*. Juris eſt Provinciæ *Toloſanæ*.
5. *Morologii.*) *Marologii*, vulgo *Marueges*. Juris eſt Provinciæ *Provinciæ*.
6. *Milialti.*) *Millaud*. Juris eſt Provinciæ *Provinciæ*.
7. *Genoliaci.*) *Genouillac*. Juris eſt Provinciæ *Provinciæ*.
8. *Podii.*) *Le Puy en Velais*. Juris eſt Provinciæ *Toloſanæ*.
9. *Pratellarum.*) *Pradelles*. Juris eſt Provinciæ *Toloſanæ*.
10. *Maſſilien.*) *Marſeille*. Juris eſt Provinciæ *Provinciæ*, ad quam pertinent etiam *Arelaten.*, *Cavallicen.*, & *Carpentoraſten.* Cœnobia.
11. *Arelaten.*) *Arles*.
12. *Cavallicen.*) *Cavaillon*.
13. *Carpentoraſten.*) *Carpentras*.

Facultatem concedit inſtituendi Priorem Provincialem Provinciæ S. Jo: Baptiſtæ Peruan.

Anno 1629 Die 16 Julii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Dilecto filio Nicolao Rodulpho Ordinis Fratrum Prędicatorum Generali.

URBANUS PP. VIII. XLIV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper a Nobis emanarunt literę, tibi directę tenoris ſubſequentis, videlicet, a tergo: Dilecto filio Nicolao Rodulpho Ordinis Fratrum Prędicatorum Vicario Apoſtolico Generali. Intus vero. Urbanus Papa Octavus. Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Alias Nobis pro parte quondam Seraphini Sicci Ordinis Prędicatorum dum vixit Magiſtri Generalis expoſito, quod cum de Menſe Octobris anni MDCXXV Capitulum Provinciale Provincię Sancti Johannis Baptiſtę Peruan. &c. (2) Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Aprilis MDCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Cum autem, ſicut denuo Nobis exponi feciſti, tu in vim pręinſertarum literarum hujuſmodi, & ſervata illarum forma, dilectum filium Ludovicum Bilbao, ejuſdem Ordinis profeſſorem in dictę Provincię Priorem Provincialem creaveris, & inſtitueris prout in patentibus tuis literis deſuper expeditis dicitur contineri, ſubinde vero ad tuam pervenerit notitiam, quondam Salvatorem Ramirez prędictę Provincię Priorem Provincialem per dictum Seraphinum, ut ſupra, confirmatum, diem vitę extremum obiiſſe, ac ejuſdem Provincię Fratres alium Priorem Provincialem ipſius Provincię forſan elegiſſe, & propterea ad omnem in pręmiſſis difficultatem, & dubitationem caſu quo dictus Ludovicus in Priorem Provincialem hujuſmodi a dictis Fatribus electus non ſit, e medio tollen., tibi per Nos de infraſcripta facultate provideri, ſummopere deſideres, Nos proſpero, feliciqué ejuſdem Provincię ſtatui, & directioni, quantum cum Domino poſſumus, conſulere, teque amplioris gratię favore proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, tibi, eundem Ludovicum in Priorem Provincialem dictę Provincię per te, ut pręfertur, electum, caſu, quo in Priorem Provincialem hujuſmodi ab eiſdem Fratribus immediate poſt dictum Salvatorem jam electus non ſit, de novo in Priorem Provincialem dictę Provincię, poſtquam illius Prior Provincialis a dictis Fratribus noviter electus munus ſuum expleverit, aut illo ceden., vel deceden., ſive alias quomodolibet Prioris Provincialis hujuſmodi officio ex perſona noviter electi prędicti vacante, auctoritate noſtra Apoſtolica, creandi, & inſtituendi, ad hunc effectum quamcunque aliam electionem ad officium Prioris Provincialis dictę Provincię, de cujuſvis alterius perſona tunc forſan factam, ſeu facien., itaut prędictus Ludovicus Priori Provinciali noviter electo hujuſmodi in eventum pręmiſſum omnino ſuccedat, & ſuccedere debeat, caſſan., & annullan. plenam, & amplam facultatem eadem auctoritate, tenore pręſentium concedimus, & impertimur. Mandantes propterea in virtute ſanctę obedientię, ac ſub privationis officiorum, per eos obtentorum, aliiſque arbitrio noſtro infligen. pęnis dictę Provincię Superioribus, & Fratribus, ut eundem Ludovicum per te in Priorem Provincialem hujuſmodi juxta tenorem pręſentium creandum, & inſtituendum recipiant, & admittant, eique in omnibus ſuum hujuſmodi officium concernen. prompte pareant, & obediant, ejuſque ſalubria monita, & mandata ſuſcipiant, ac humiliter, & efficaciter adimplere procurent. Non obſtantibus pręmiſſis, ac omnibus illis, quę in dictis literis voluimus, non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI Julii MDCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.
2. *Peruan. &c.*) Ut in *Conſtitutione XXXV.*

Anno 1629
Die 21 Julii.

Facultates varias concedit Reverendiſſimo Rudolpho viſitanti Ordinem.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Dilecto filio Nicolao Rudolpho Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum.

XLV.

URBANUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, ex injuncto tibi munere Generalis Magiſterii Ordinis Fratrum Prędicatorum intendas domos, & loca, ac Monaſteria, necnon Fratres, & Sorores ipſius Ordinis viſitare &c. (2) Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXI Julii MDCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar authenticum.

2. *Viſitare &c.*) Ut in Conſtitutione *CXXVII Gregorii XIII* paucis exceptis. Legitur *pag.* 419 Quinti Tomi hujuſce Bullarii.

Anno 1629
Die 28 Julii.

Ne Socii Priorum Conventualium in Capitulis Provincialibus Provinciæ Hiſpaniæ jus habeant ferendi ſuffragia (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLVI.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

UT ea, quę pro Religioſorum bono, proſperaque directione, pręſertim in eorum Capitulis Generalibus provide facta fuiſſe dicuntur, firma, & illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolicę confirmationis robore communimus, aliaſque deſuper diſponimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Expoſitum ſiquidem Nobis nuper fuit, nomine dilectorum filiorum Prioris Provincialis, & Fratrum Provincię Hiſpanię Ordinis Prędicatorum, quod in proximo pręcedente ejuſdem Ordinis Capitulo Generali in Civitate Toloſana celebrato, ordinatum fuit, ut ſuffragia Sociorum Conventualium, ne Capitulum Provinciale adeant, ſupprimerentur, prout in decreto deſuper emanato plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Prior, & Fratres prędicti plurimum cupiant decretum hujuſmodi pro illius firmiori ſubſiſtentia, Apoſtolicę noſtrę confirmationis robore communiri, ideo Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eorum votis hujuſmodi annuere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, Priorem, & Fratres prędictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & penis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, decretum prędictum, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, perpetuo approbamus, & confirmamus, illique perpetuę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus: Injungimus tamen onus Prędicatori Generali cujuslibet Conventus dicti Ordinis deferendi ſcrutinium ad Congregationem Provincialem, & alia faciendi, quę ad Socium ſpectabant. Preterea dilecto filio moderno, & pro tempore exiſtenti Priori domus S. Ildephonſi loci Taurenſis, Zamorenſis Diœceſis, in qua, ut aſſerunt, Congregationes Provinciales fieri debent, quod de cetero in hujuſmodi Congregationibus intermediis votum habeat, auctoritate, & tenore prędictis concedimus. Decernentes premiſſa, ac preſentes literas, valida, firma, & efficacia eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, inviolabiliter obſervari, & ita per quoſcunque judices, & commiſſarios, quavis auctoritate fungentes judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provincię prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Julii MDCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

1. *Suffragia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Salmanticenſi.*

De

De Noviciis recipiendis (1) in Galliarum Regno.

Anno 1629 Die 22 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLVII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

UT ea, quę pro Religioſorum bono, felicique, ac proſpero illorum ſtatu, & directione, pręſertim in Capitulis Generalibus, ſtatuta, & ordinata fuiſſe dicuntur, firma, perpetua, & illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolicę confirmationis robore communimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sane dilectus filius nobilis vir Philippus de Bethune (3), Cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici (4) Francorum Regis Chriſtianiſſimi, apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Orator, ejuſdem Ludovici Regis nomine, Nobis nuper exponi fecit, quod licet alias ad inſtantiam ipſius Ludovici Regis, in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum in Civitate Mediolanenſi anno MDCXXII celebrato decretum fuerit, ut in Provinciis, & Congregationibus Regni Gallię Novicii ad habitum, & profeſſionem, nonniſi in Conventibus ſtrictioris obſervantię dicti Ordinis recipiantur, idque etiam a quondam Seraphino Sicco, dicti Ordinis, dum vixit, Magiſtro Generali, ſemel, atque iterum injunctum fuerit, nihilominus Superiores aliorum Conventuum, a recipiendis Noviciis ad habitum, & profeſſionem non deſtiterint. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, prędictus Philippus, dicti Ludovici Regis nomine, plurimum cupiat decretum hujuſmodi, pro inviolabili ipſius obſervatione, & ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolicę noſtrę confirmationis robore communiri. Nos piis ejuſdem Ludovici Regis votis hujuſmodi, quantum in Domino poſſumus, benigne annuere volentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, de venerabilium noſtrorum Fratrum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium, negotiis regularium prępoſitorum conſilio, decretum hujuſmodi, ac deſuper confectas ſcripturas, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, perpetuo approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti, & quoſvis alios defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, & nihilominus quaſcunque Noviciorum ad habitum, & profeſſionem receptiones, aliter, vel alibi, quam in Conventibus ſtrictioris obſervantię hujuſmodi deputatis, & a Magiſtro Generali dicti Ordinis deſignatis, vel deſignandis, pro tempore futuro quomodolibet faciendas, nullas, & irritas, nulliuſque roboris, vel momenti fore. Superiores vero contravenientes, pęnas in literis felicis recordationis Clementis Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri deſuper editis contentas incurrere, pręſentes quoque literas, & in eis contenta quęcunque, ſemper, & perpetuo valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, inviolabiliter obſervari, & ita per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri poſſe, ac debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, illiuſque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcunque eorum tenore, & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibus, & aliis decretis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro ſufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut alia aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorumque tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII Auguſti MDCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

M. A. Maraldus.

1. *Recipiendis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & varia exemplaria authentica. In uno typis *Pariſien.* impreſſo anno *MDCXLV* reperiuntur, & Regium Diploma, & alia inſtrumenta hac de re data.

3. *Bethune.*) Gens eſt antiqua nobilitate clara.

4. *Ludovici.*) *XIII*, cognomento *Juſti*.

Firmat

Anno 1629 Die 19 Septembris.

XLVIII.

Firmat ea, quæ pro Piſſiacenſi (1) Monaſterio ſancita fuere.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

UT ea, quę pro felici Monaſteriorum quorunlibet, pręſertim vero ſanctimonialium ſtatu, proſperaque directione pie, & provide per ſuos Superiores ſtatuta ſunt, firma perpetuo ſubſiſtant, exactiuſque obſerventur, libenter cum a Nobis petitur Apoſtolicę confirmationis robore communimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Alias ſiquidem pro parte quondam Seraphini Sicci Ordinis Fratrum Prędicatorum, dum vixit, Magiſtri Generalis, Nobis expoſito, quod ipſe pro felici Monaſterii Monialium S. Ludovici loci Piſſiacen. ejuſdem Ordinis, Carnoten. Dięceſis, directione, ac priſtinę regularis diſciplinę obſervantię, in eo fere collapſę, reſtitutione, nonnulla decreta, ſeu ſtatuta tunc expreſſa ediderat, Nos dicti Seraphini ſupplicationibus ea in parte inclinati, decreta, ſeu ſtatuta prędicta ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, Apoſtolica auctoritate perpetuo approbavimus, & confirmavimus, prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis expeditis literis, quarum tenorem pręſentibus pro expreſſo haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, ſicut dilectę in Chriſto filię Prioriſſa, & Moniales dicti Monaſterii ſtrictioris obſervantię Nobis nuper exponi fecerunt, dictus Seraphinus anno proxime elapſo, adhuc in humanis agens, in ejuſdem Monaſterii viſitatione ad reformationem in eo introduci cęptam firmius ſtabiliendam, nonnulla alia ediderit decreta tenoris ſubſequentis videlicet. Frater Seraphinus Siccus Papienſis Sacrę Theologię Profeſſor, ac totius Ordinis Prędicatorum Magiſter Generalis. Ea, quę a Nobis pro bono ſtatu Conventuum, & Monaſteriorum ordinata ſunt, interdum pro rerum, ac temporum exigentia innovamus, extendimus, & declaramus, prout in Domino conſpicimus expedire. Cum igitur in viſitatione noſtri Monaſterii S. Ludovici Piſſiacenſis multa noverimus, quę nulla ratione pręteriri, aut tolerari poſſunt, officii noſtri, necnon Apoſtolica, quatenus opus ſit, auctoritate, Nobis indulto ſpeciali, intuitu reformationis, collata ſubjicimus infraſcripta in eo Monaſterio inviolate ſervanda.

DE CULTU DIVINO.

Omnes Moniales, nulla excepta, horas canonicas conſtitutis per Sacros Canones temporibus in Choro attente, & devotę abſque aliqua confabulatione, ſeu diverſione perſolvant. Orationi Mentali poſt Matutinas per dimidium, aut ſeſquiquadrantem horę, & per tantundem temporis poſt completorium vacent. Et nulla a Choro, ſeu Oratione prędicta, niſi ex urgentiſſima neceſſitate, & obtenta licentia a Matre Prioriſſa recedere poſſit. Sacra Communio ſtatutis in Rubrica Miſſalis de Communione diebus ſumatur ab omnibus, pręmiſſa Confeſſione Sacramentali, petita ex animo venia, & facta animorum reconciliatione, ſi qua offenſio mutuam caritatem imminuerit.

DE UNIFORMITATE IN VICTU, ET VESTITU, ET COMMUNITATE RERUM.

Forma communis veſtium, veli, & totius habitus exterioris ea ſit, qua Mater Prioriſſa cum majori parte Communitatis utitur. Atque adeo ad ſcandalum, quod ex diverſo, & minus modeſto habitu exoritur, evitandum, omnes, nulla dempta, prędictam formam, plicis ſcapularium, caudis tunicarum, & omni extrinſecus capillatura amputatis, & reſecatis, ſuſcipiant, & geſtent, ſub pęna privationis vocis activę, & paſſivę. Singulis vero menſibus toto capite tondeantur. Ad refectorium, & communiter menſam eodem tempore omnes conveniant, eodem cibo, & potu veſcantur, & ab eiſdem officialibus repective tempore ſanitatis, & infirmitatis procurentur. In commune dormitorium omnes, relictis privatis habitaculis, ſe recipiant, & in eodem Prioriſſa ipſa cellam ad audiendes commodius Moniales deligat. Nulla habeat aliquid proprium, ideſt a Communitate ſeparatum, ſed omnia bona in commune depoſitum, juxta alias ordinata conferantur, ſimulque confundantur, ipſum autem depoſitum nunquam aperiatur, niſi pręſentibus Sororibus depoſitariis, quarum ſi aliqua ex infirmitate, aut alio legitimo impedimento intereſſe non poſſit, tradatur interim clavis alteri Sorori diſcretę, quę loco illius pręſens adſit, atque ſecundum hanc ipſam legem tribus diverſis clavibus, una apud Prioriſſam, & reliquis duabus apud duaş Moniales diſcretas a Capitulo electas remanentibus claudantur, & aperiantur archiva, in quibus inſtrumenta, & ſcripturę omnes ad Monaſterium pertinen. cuſtodiantur.

DE PUELLIS, ET CONVERSIS.

Puellę educationis gratia receptę, quę pro victu, & veſtitu ſumptus Monaſterio non rependunt, in eo ulterius non retineantur. Alię vero juſtam contributionem ſolventeş, meneant in loco ſeparato, & eo veſtitu utantur, qui modeſtię virginali, & honeſtati conveniat, nempe veſte, & capitis velamine albis abſque extrinſeca capillatura, & intortis crinibus. Is numerus Converſarum quamprimum recipiatur, qui ſervitio Monaſterii ſufficiat, & Servę omnes ſeculares inde emittantur pro numero receptarum Converſarum, quibus deinceps velum nigrum in profeſſione nulla ratione conferatur, immo ab illis, quibus conceſſum eſt, auferatur, ſi protervę fuerint, & contumaces, aut ſuperbe ſe erexerint.

DE

DE PRIORISSA, ALIISQUE OFFICIALIBUS.

Iis, quę de Prioriſſa in aliis ordinationibus noſtris ſtatuta ſunt, nunc addimus, ut bonorum operum, ut facit, ſe prębeat exemplum, omnes Religioſas tanquam filias ſine acceptatione amplectatur, & diligat, maternaque humanitate, ſalva regendi auctoritate, & rigore diſciplinę, pertractet. Omnes vero ipſę Moniales viciſſim ſuam Matrem Priorisſam amore, ac debita veneratione proſequantur. Quod ſi aliquę in animę ſuę damnationem, ac ſanctę obedientię contemptum contra illam ſe erigere, aut ab ipſius obedientia ſe ſe ſubducere pręſumpſerint, pęnis per noſtras conſtitutiones pręſcriptis graviſſime puniantur, ipſius Priorisſę conſcientiam, ne hujuſmodi punitionem pręternittat, onerantes. Omnes officiales ad pręſcriptum aliarum ordinationum noſtrarum triennio ad ſummum officia ſua conficiant. Quod ſi Matri Priorisſę, & Matribus a conſilio expediens viſum fuerit, ut alię officiales pręter Suppriorisſam, & Magiſtram Noviciarum, quę ſemper erunt triennales, breviori tempore in officio perſeverent, illas ad biennium tantum eligere poſſint. Numerus autem Matrum a conſilio ſit duodenarius tantum ex antiquioribus, declarantes, & decernentes, eas tantum eſſe, & fore electrices, eligique poſſe ad omnia officia, quę in Communitate vivunt. Ceteras vero in hujuſmodi Communitate non viventes voce activa, & paſſiva in communi Capitulo, in conciliis, in receptione Noviciarum, & in aliis quibuſcunque electionibus, & tractationibus, eſſe privatas, prout ex nunc eas privamus.

DE CLAUSURA SERVAN., ET COLLOCUTIONIBUS VITAN.

Clauſura omni rigore, ut in aliis ordinationibus noſtris explicatum eſt, obſervetur. Ideoque muri hortorum, & ſi qui alii ſint, altius quamprimum extollantur judicio Matris Priorisſę, ac diſcretarum Matrum. Feneſtrę omnes proſpectum extra Monaſterium habentes muro obſtruantur, & ſi quę Moniales in tantum progreſſę fuerint malum, quod Deus avertat, ut clauſuram violaverint, pręter eccleſiaſticas cenſuras, quas incurrent, carceri mancipentur, & ibi pęnis gravioribus ſubjectę tamdiu detineantur, ut noſtris legibus pręſcriptum eſt. Nulla poſſit alloqui ſeculares, etiam conſanguineos, niſi de licentia Matris Priorisſę, & ſacro velo ante oculos deducto, ac Socia ſeniore aſſiſtente, & audiente ab ipſa Priorisſa ſpecialiter deputata. Quod ſi velum coram dictis conſanguineis viris elevandum ſit, & Socia arbitra, ex aliqua urgente cauſa ſit removenda, id fiat de expreſſa pariter ipſius Priorisſę licentia, quę hujuſmodi collocutioni moram temporis pręfigat. Fratres vero cujuſcunque Ordinis ad colloquendum non admittantur, niſi Superiores, Viſitatores, Confeſſarii, Ordinarii, & Extraordinarii Ordinis noſtri, juxta decreta Apoſtolica. Tandem, ut hę ordinationes, & alię omnes a Nobis emanatę inviolate ſerventur, mandamus, ut ad contradicentes, & protervas compeſcendas, & coercendas, quamvis nullas fore in Domino confidimus, idonei carceres quamprimum extruantur. Si vero pro Monialibus juſte intra Monaſterium punien., vel aliquibus ipſarum pro omni pace, aut earundem ſolamine ad alia Monaſteria transferen. opus fuerit, invocetur auxilium Reverendiſſimi D. Epiſcopi Carnoten. Ordinarii, vel demum etiam Chriſtianiſſimi Regis, ejuſque juſtitię ſecularium miniſtrorum, & Regni officialium, Nobis tamen ſuper hujuſmodi translatione prius conſultis, vel Apoſtolica facultate obtenta. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem his noſtri officii ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Dat. Pariſiis die III Auguſti MDCXXVIII. Cupiant autem Priorisſa, & Moniales pręlictę pręinſerta decreta hujuſmodi pro firmiori illorum ſubſiſtentia, inviolabilique obſervatione, Apoſtolicę noſtrę confirmationis robore communiri, Nos proſpero ipſius Monaſterii regimini, & incremento conſulere, ac Priorisſam, & Moniales pręfatas ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, earumque ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illarum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, decreta pręinſerta hujuſmodi Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, perpetuo approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, eademque decreta ſemper, & perpetuo valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, atque a modernis, & pro tempore exiſtentibus dicti Monaſterii Priorisſa, & Monialibus, ceteriſque, ad quos ſpectat, inviolabiliter perpetuo obſervari debere, irritumque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quocunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus pręmiſſis adverſentur, literis noſtris pręlictis, ac omnibus illis, quę in eis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX Septembris MDCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

M.A. Maraldus.

1. *Piſſiacen.*) Vulgo *Poiſſy*. Juris eſt Provinciæ *Franciæ*. 2. *Archivo*.) In quo exemplar.

Anno 1630 Die 27 Aprilis.

De Provinciæ Lombardiæ Provinciale conſtituendo.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XLIX.

Dilecto filio Nicolao Rudolphio Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſtro Generali.

URBANUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes pro noſtro Paſtoralis officii debito felici, ac proſpero Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię Lombardię ſtatui, & gubernio, quantum cum Domino poſſumus, providere, juſtis de cauſis animum noſtrum moventibus, tibi Priorem Provincialem dictę Provincię, etiam abſque alia Capituli Provincialis electione, aut conſenſu, conſultis tamen aliquibus patribus gravioribus tibi bene viſis, ad tempus per regularia dicti Ordinis inſtituta, Apoſtolica auctoritate confirmata, pręfixum, ac cum omnibus, & ſingulis honoribus, oneribus, pręeminentiis, exemptionibus, & pręrogativis, quibus alii dictę Provincię Priores Provinciales de jure, uſu, conſuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet uſi ſunt, ſeu uti potuerunt, auctoritate noſtra Apoſtolica, hac vice duntaxat, creandi, conſtituendi, & deputandi: Ac inſuper cum pro bono ejuſdem Ordinis ita expedire judicaveris, aliquibus ipſius Ordinis privilegiis juxta rei, & caſus exigentiam, derogandi facultatem, eadem auctoritate, tenore pręſentium, concedimus, & impartimur. Mandantes propterea in virtute S. Obedientię aliis ſuperioribus, & Fratribus dictę Provincię, ut Priorem Provincialem ſic per te vigore pręſentium conſtitutum, ad officium hujuſmodi recipiant, & admittant, illique pareant, ac debitam reverentiam, & obedientiam exhibeant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcunque tenore, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium tenores pręſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Dięceſis ſub Annulo Piſcatoris, die XXVII Aprilis MDCXXX, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Archivo.*) In quo autographum.

Anno 1630 Die 30 Maii.

Ferrandinen. Cœnobium S. Dominici unitur Provinciæ S. Thomæ.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

L.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius a Ferranda Ordinis Prędicatorum profeſſor, dilectorum filiorum Fratrum ejuſdem Ordinis Provincię S. Thomę, & Univerſitatis, & hominum Terrę Ferrandę Acheruntin. Dięceſis, nominibus, quod ſuperioribus annis domus S. Dominici Terrę, & Ordinis hujuſmodi a Provincia prędicta Apoſtolica auctoritate ſeparata, & diſmembrata, ac Congregationi Sanitatis nuncupatę, Provincię Neapolitanę ejuſdem Ordinis unita, & aggregata fuit. Cum vero poſtmodum experientia compertum eſſet prędictę domus commodum maximum fore, ut illa ob ejus a Superioribus, & Congregatione prędicta diſtantiam, eidem Provincię de novo uniretur, & incorporaretur, dilecti filii, Magiſter Generalis, ac Provinciales, & Diffinitores ejuſdem Ordinis in illius ultimo Capitulo Generali de Urbe celebrato, prędictam Domum eidem Provincię S. Thomę, reſervato noſtro, & Sedis Apoſtolicę beneplacito, reſtituerunt, ſeu de novo univerunt. Cum autem, ſicuti eadem expoſitio ſubjungebat, reformatio, & obſervantia Regulę dicti Ordinis in omnibus illius Domibus regularibus uniformiter obſerventur; proindeque dictus Vincentius pro reſtitutione, ac novę unionis hujuſmodi ſubſiſtentia, & validitate, illas Apoſtolicę noſtrę confirmationis robore communiri, plurimum deſideret; Nobis id circo nominibus prędictis humiliter ſupplicari fecit, ut deſuper opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Vincentium, & primodictę Provincię hujuſmodi Fratres prędictos ſpecialibus gratiis, & favoribus proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtant, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, reſtitutionem, ſeu novam unionem dictę domus primodictę Provincię ut ſupra factam, Auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper

deſuper quomodolibet intervenerint ſupplemus. Decernentes pręmiſſa, ac pręſentes literas valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Domui, & primodictę Provincię hujuſmodi in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque per quoſcunque judices Ordinarios, & commiſſarios quavis auctoritate fungentes judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon domus, Provincię, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis, quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXX Maii MDCXXX, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

De numero Fratrum Toletani (1) Cœnobii S. Petri Martyris.

Anno 1630 Die 30 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

LI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut dilecti filii Fratres Domus Regalis nuncupatę Sancti Petri Martyris, Toletan., Ordinis Prędicatorum nobis nuper exponi fecerunt, Domus hujuſmodi ęre alieno pro ſumma quadraginta circiter millium ſcutorum gravata reperiatur ita, ut propterea non ultra quinquaginta Religioſos alere, & manutenere poſſit, cupiantque idcirco iidem Fratres per Nos deſuper, ut infra, opportune provideri: Nos Domus hujuſmodi neceſſitatibus opportuna aliqua ratione proſpicere, ac Fratres pręfatos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine, nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis regularium prępoſitorum conſilio, dilectis filiis Superioribus Ordinis hujuſmodi, ac aliis Fratribus, ad quos ſpectat, Apoſtolica auctoritate per pręſentes injungimus, ut de cetero in Conventu is numerus Fratrum duntaxat aſſignetur, qui ex redditibus ejuſdem Conventus abſque conſuetis eleemoſynis commode ſuſtentari valeant, dummodo tamen non ſit ultra quinquaginta. Non obſtantibus conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Domus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium tenorem pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXX Octobris MDCXXX, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Toletani.*) Juris eſt Provinciæ *Hiſpaniæ*. 2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Toletano*.

De ſervanda Clementina Conſtitutione pro Noviciis (1) edita.

Anno 1631 Die 2 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

LII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

REligioſos viros, qui ſpretis hujus ſeculi vanitatibus, Divini Numinis obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo ſeſe manciparunt, paſtorali benignitate complectimur, utque in vocatione, qua vocavit eos Dominus, permaneant, juxta creditum nobis Apoſtolicę ſervitutis munus, ſedulo impendimus, ac deſuper ejuſdem muneris partes, propenſis ſtudiis, intendimus, prout ad Dei laudem, Catholicęque Eccleſię decus, & exaltationem, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut accepimus, quamplures Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum Regularium profeſſores ad habitum regularem recepti, probationis annum in monaſteriis, ſeu Domibus Regularibus ad id deſignatis, vel ab Apoſtolica Sede approbatis, minime fecerint, proindeque juxta conſtitutionem felicis recordationis Clementis Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri deſuper editam, profeſſio per eos ſubinde emiſſa, invalida exiſtat; Nos Religioſos prędictos ex hujus Sanctę Sedis benignitate ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel

cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, venerabilibus Fratribus noſtris Scipioni Epiſcopo Sabinen. Cardinali Burgheſio nuncupato, majori Pęnitentiario, vel Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ceteriſque Ordinariis locorum, in quibus eorundem Religioſorum Monaſteria, Domus, ſeu Conventus, aliave Regularia loca conſiſtunt, ſive ipſorum Religioſorum Pręfectis, vel Superioribus Generalibus per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus omnes, & ſingulos Religioſos pręd ictos, qui ad habitum regularem alias canonice recepti, annum probationis in Monaſteriis, ſeu Domibus Regularibus ad id deſignatis, minime fecerunt, ſubindeque profeſſionem nihilominus emiſerunt, ad profeſſionem denuo, ſervatis alias ſervandis, emittendam, quę ſic emiſſa illis, & eorum cuilibet, tam in foro interiori, quam exteriori ſuffragari debeat, abſque novo probationis anno, ex ſpeciali hujus S. Sedis benignitate, auctoritate noſtra Apoſtolica recipiant, & admittant, eoſdemque poſtquam profeſſionem denuo, ut pręfertur, emiſerint, ad omnes gradus, honores, dignitates, pręeminentias, atque habilitates, quas ſi ab initio valide profeſſi eſſent, legitime obtinerent, eadem auctoritate reſtituant, ac reſtitutos eo ipſo eſſe, & cenſeri declarent, itaut habeant eundem locum, ſeſſionem, & votum, prout haberent, ſi priores profeſſiones validę fuiſſent; & nondum promoti ad omnes, etiam Sacros, etiam Presbyteratus Ordines, ſervatis alias ſervandis, promoveri, & tam ipſi, quam alii ad eoſdem Ordines jam rite promoti, in ſuſceptis Ordinibus hujuſmodi, etiam in Altaris miniſterio, miniſtrare libere, & licite valeant: necnon omnes actus, ſive contractus, quos contraxerunt, & legitime contraxiſſent, vel cum Laicis, vel cum aliis Monaſteriis, ſeu alterius Religionis viris, ſi nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, niſi ex eo ſolum, quia initi, aut contracti ſunt invalide ab iis, qui contra dictam Conſtitutionem in Domibus non deſignatis, ſive ab eadem Sede non approbatis, profeſſi ſunt, auctoritate noſtra pręd icta confirment, & approbent, ac validos omnino declarent; ſuper quibus omnibus, & ſingulis plenam, & amplam facultatem, dicta auctoritate tenore pręſentium tribuimus, & impartimur; Decernentes pręſentes literas, & in eis contenta, atque illarum vigore in pręmiſſis facienda, & exequenda quęcunque, valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, obtinere, ac omnibus, & ſingulis, quos illa concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, eoſque pręmiſſorum occaſione, vel pretextu quomodolibet moleſtari, perturbari, aut inquietari nullatenus poſſe, nec debere; ſicque, & non aliter ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere legatos, dictęque Sedis Nuncios in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac pręfata Clementis Prędeceſſoris, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum hujuſmodi, & quibuſvis aliis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, eorumque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, aliiſque decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & alias quomodolibet iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret; illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe, harum ſerie derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ceterum ſimilibus in poſterum conſultum eſſe volentes, dilectis filiis Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum hujuſmodi Superioribus Generalibus, quocunque nomine cenſeantur, ac Procuratoribus etiam Generalibus per pręſentes diſtricte pręcipimus, & mandamus, quatenus ſtatim, viſis pręſentibus, loca, Monaſteria, vel Conventus in quibus Novicii probationis annum agant, & alia, quę dictus Clemens Prędeceſſor ſuper hac re obſervari juſſit, obſerventur, deſignari, ſive confirmari omnino curent, & faciant. Ut autem pręſentium notitia ad omnes facilius perveniat, volumus, ut illarum exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die II Aprilis MDCXXXI, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Noviciis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. In *Bullario Romano* eſt *CXLVI.*

De

De Peruanæ Provinciæ Capitulo celebrando.

Anno 1631 Die 2 Junii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

LIII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

IN ſupereminenti militantis Eccleſię ſpecula, Divina diſpoſitione, conſtituti, ea, quę pro felici chriſti fidelium Altiſſimo ſub ſuavi Religionis jugo famulantium regimine facta fuiſſe dicuntur, ut firmius ſubſiſtant, & exactius obſerventur, Apoſtolici roboris munimine libenter communimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Fratrum Provincię S. Johannis Baptiſtę del Perù in Indiis Occidentalibus Ordinis Prędicatorum, quod a dilecto filio Nicolao Rodulphio dicti Ordinis Magiſtro Generali emanavit Statutum tenoris ſubſequentis, videlicet. Cum nobis conſtet ex bona, & legitima informatione tempus magis accommodatum pro celebratione Capituli Provincialis in dicta Provincia eſſe Vigiliam S. Jacobi die XXIV Julii, ne deinceps cum tanta inconſtantia contingat variari Capitula, cum gravia damna enaſcantur, in perpetuum pręfigimus dictum diem, & tempus, ſcilicet vigiliam S. Jacobi pro celebratione Capituli Provincialis, itaut ſi contingat mori, vel amoveri Provincialem ante feſtum Purificationis B. Marię, eodem die, & anno ſupradicto celebretur Capitulum Provinciale. Si autem mori, vel amoveri, contigerit poſt feſtum Purificationis, illo anno ſuperſedebitur a celebratione Capituli, reſervantes in ſequentem, pro dicta vigilia S. Jacobi, ut ſufficiens tempus convocationis vocalium concedatur. Declarantes, quod ſi mors, vel amotio Provincialis contingat extra Provinciam, dictum Statutum intelligatur a die notitię. Si autem in Provincia moriatur, vel amoveatur, intelligatur a die carentię. Datum Ferrarię in Conventu S. Marię Angelorum die XXIX Martii MDCXXXI. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Procurator ſtatutum pręinſertum pro illius validitate, & ſubſiſtentia firmioribus, Apoſtolicę noſtrę confirmationis robore communiri ſummopere deſideret; Nos dictum Procuratorem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus illius nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ſtatutum pręinſertum Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, Decernentes illud, necnon pręſentes literas valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ac ab omnibus ad quos ſpectat inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque judices Ordinarios, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, ac diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provincię prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum omnium tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die II Junii MDCXXXI, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

M. A. Maraldus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

Ut Fratres Ordinis Prædicatorum veniant in poſſeſſionem Eccleſiæ S. Mariæ de Arcu.

Anno 1631 Die 1 Septembris.

Ex Archivo (1) Ordinis.

LIV.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Neapolitani in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

REgimini militantis Eccleſię, meritis licet imparibus, diſponente Domino, pręſidentes, ad ea, per quę divinus cultus, & Chriſti fidelium devotio augeri, Religio propagari, & Regulares Domus multiplicari valeant, libenter intendimus, & quę propterea provide conceſſa, & diſpoſita fuiſſe dicuntur, ut firma, & illibata perſiſtant, cum a Nobis petitur, Apoſtolico munimine roborari mandamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Horatii Barreſii Rectoris ſine cura Eccleſię, ſeu Capellę S. Marię de Arcu nuncupatę loci Miani Neapolitanę Diœceſis, ac Vicarii, & Fratrum Congregationis S. Marię Sanitatis nuncupatę Neapolitan. Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod dictus Horatius provide conſiderans ad Eccleſiam, ſeu

ſeuCapellam prędictam frequentem populi concurſum ob eximiam,quam erga eandemB.MariamVirginem gerunt devotionis affectum haberi, & ut in ipſa Eccleſia, ſeu Capella, Divina pie recitentur, & Chriſtifidelium Confeſſiones audiantur, eadem Eccleſia, ſeu Capella, illiuſque fabrica reſtauretur, & amplietur, ſicque divinus cultus, ac eorundem Chriſti fidelium devotio augeatur, expediens eſſe in prędicta Eccleſia, ſeu Capella aliquos Ordinis a Sede Apoſtolica approbati Religioſos introduci, ac his, & aliis rationabilibus cauſis adductus, dictę Eccleſię, ſeu Capellę perpetuum uſum vicario, & Fratribus prędictis perpetuo ſub noſtro, & dictę Sedis beneplacito, ac infraſcriptis pactis, & conditionibus, poſſeſſione tamen minime tradita, conceſſit, videlicet quod per hujuſmodi conceſſionem Titulus collativus Eccleſię, ſeu Capellę hujuſmodi nullatenus extinguatur, ſed ille omnino illęſus remaneat, ipſiuſque Eccleſię, ſeu Capellę collatio, & omnimoda alia diſpoſitio ad Sedem prędictam, ſeu Ordinarium loci, ut antea, ſpectare debeat, & quotieſcunque pro tempore exiſtens Rector ejuſdem Eccleſię, ſeu Capellę, in ea Miſſam celebrare voluerit, Fratres prędicti ornamenta, & paramenta eccleſiaſtica, aliaque ad uſum celebrationis Miſſę neceſſaria, illi ſubminiſtrare, ipſumque honorifice recipere, & pertractare teneantur, & in redditibus certis ejuſdem Eccleſię, ſeu Capellę, illiuſque Rectori debitis, ſeu per eum hactenus percipi ſolitis, nullatenus ſe intromittere debeant, ſed illi integre Rectori pro tempore exiſtenti, ejuſdem Eccleſię, ſeu Capellę remaneant. Et inſuper iidem Fratres quotannis in Feſto Purificationis ejuſdem B. Marię Virginis eidem Rectori exiſtenti pro tempore, candelam cerę albę ponderis unius librę, necnon Palmam unam in Dominica Palmarum, ſi tunc in prędicta Eccleſia, ſeu Capella, pręſens fuerit, dare debeant; oblationes vero fidelium, ac eleemoſynę in prędicta Eccleſia, ſeu Capella fieri ſolitę, dictis Fratribus cedere debeant, cum hoc tamen, quod ipſi Fratres eandem Eccleſiam, ſeu Capellam, quandocunque opus fuerit, reſtaurare, ac ſacris paramentis inſtruere debeant, prędicti quoque Fratres prope dictam Eccleſiam, ſeu Capellam, Conventum, ſeu Domum Regularem Ordinis, & Congregationis conſtrui facere, quem, ſeu quam, pręvia tunc exiſtentis Ordinarii loci licentia, ac ſervata Conſtitutionum Apoſtolicarum forma, conſtrui fecerunt, ac intuitu conceſſionis prędictę, ac occaſione oblationum, & eleemoſynarum dictis Fratribus, ut pręfertur, cedentium, ultra fructus certos ejuſdem Eccleſię, ſeu Capellę, qui integre illius Rectori pro tempore exiſtenti cedere debeant, quotannis, triginta Horatio, quoad vixerit, ejus vero Succeſſoribus dictam Eccleſiam, ſeu Capellam pro tempore quomodolibet obtinentibus, in perpetuum quindecim Ducatos monetę Regni Neapolitani in duabus ſolutionibus pro una, videlicet in S. Johannis Baptiſtę, & altera medietatibus in S. Johannis Evangeliſtę Feſtivitatibus, necnon ſimiliter annis ſingulis in perpetuum Parochiali Eccleſię Aſſumptionis ejuſdem B Marię prędicti loci Miani quinque Ducatos ſimiles in utilitatem, ſeu res neceſſarias ipſius Parochialis Eccleſię convertendos perſolvere, ac demum poſtquam ipſi Fratres primo dictę Eccleſię, ſeu Capellę poſſeſſionem apprehenderint, unum pro prędicto Horatio, & alterum, loca in primo dicta Eccleſia, ſeu Capella pro perſona nominanda, ad effectum inibi duas Capellas, cum ſepulturis conſtrui faciendi aſſignare, ulteriuſque pro tempore exiſtenti Archiepiſcopo Neapolitan. annis ſingulis in Feſto Purificationis hujuſmodi unam candelam cere albę ponderis duarum librarum in ſignum recognitionis, perſolvere teneantur, & primo dictę Eccleſię, ſeu Capellę poſſeſſionem capere nequeant, niſi aſſenſu Apoſtolico, ac ejuſdem Ordinarii ſuper hujuſmodi conceſſione, prius obtento, & ex tunc ſolutio triginta prędicto Horatio, & quindecim ejus ſucceſſoribus, ac quinque Ducatorum hujuſmodi Parochiali Eccleſię prędictis ut ſupra, facienda currere incipiat, & alias, prout in ſcripturis deſuper confectis plenius dicitur contineri. Quare pro parte Horatii, & Vicarii, ac Fratrum prędictorum, aſſerentium, conceſſionem hujuſmodi pro Divini Cultus, & devotionis Chriſti fidelium augmento factam eſſe, ac prędictos Vicarium, & Fratres, Conventum, ſeu Domum hujuſmodi, pręvia ejuſdem Ordinarii licentia, ac ſervata Conſtitutionum Apoſtolicarum forma prope primo dictam Eccleſiam, ſeu Capellam conſtrui feciſſe, Nobis fuerit humiliter ſupplicatum, quatenus conceſſionem prędictam approbare, & confirmare, aliaſque in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictos Horatium, & Vicarium, eorumque, ac Fratrum prędictorum, ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus conceſſionem, ac deſuper confectas ſcripturas, & in eis contenta quęcunque, licita tamen, & honeſta, arbitrio tuo, ſine tamen alicujus pręjudicio, & ſalvis remanentibus, ſemper, & in perpetuum Horatio collatione primo dictę Eccleſię ſeu Capellę, ac facultate eidem Horatio, & ejus in primo dicta Eccleſia, ſeu Capella ſucceſſoribus in illa celebrandi, ſeu celebrari faciendi, quandocunque eis videbitur, Auctoritate noſtra approbes, & confirmes, illaque omnia, & ſingula ſemper, & perpetuo valida, & efficacia eſſe, & fore, ac ab iis, ad quos uſus ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter, & inviolabiliter obſervari debere, nec ab iis, quovis pretextu reſiliri poſſe, ac quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane eadem auctoritate noſtra decernas. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Congregationis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. DatumRomę apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicę MDCXXXI Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Mandatum.

1. *Archivo*.) In quo exemplar.

Pro-

Provinciæ Romanæ Capitulum transfert (1) ad annum. Anno 1631 Die 27 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII. LV.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut pro parte dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię Romanę Nobis nuper expoſitum fuit, Capitulum Provinciale ejuſdem juxta dicti Ordinis Conſtitutiones Apoſtolica auctoritate confirmatas infra certum tempus celebrandum ſit, ob contagii vero ad pręſens graſſantis impedimenta vocales ejuſdem Provincię nonniſi difficillime congregari queant, cupiantque propterea Fratres prędicti per Nos deſuper, ut infra, opportune provideri. Nos proſpero dictę Provincię ſtatui, felicique gubernio conſulere, ac Fratres prędictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, celebrationem Capituli Provincialis hujuſmodi, uti ſupra faciendam, ad annum a die, quo erat celebrandum, computandum, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, extendimus, & prorogamus. Pręterea dilectum filium Franciſcum Magdalenium modernum ejuſdem Provincię Priorem Provincialem in officio Provincialis hujuſmodi ad annum per pręſentes prorogatum hujuſmodi cum omnibus, & ſingulis privilegiis, honoribus, pręeminentiis, pręrogativis, & indultis ſibi ratione officii prędicti quomodolibet competentibus, eiſdem auctoritate, & tenore confirmamus. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, ut eundem Franciſcum in Priorem Provincialem hujuſmodi ſic per Nos confirmatum juxta tenorem pręſentium habeant, & recognoſcant, eique pareant, faveant, & aſſiſtant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenorem pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Septembris MDCXXXI, Pontificatus noſtri Anno Nono.

M. A. Maraldus.

1. *Transfert.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo autographum.

Quod Conſtitutiones Apoſtolicæ in concernentibus Fidem Catholicam, & Sanctæ Inquiſitionis Officium hactenus editæ, & in poſterum etiam ſuper quacunque alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant, niſi illi in edendis ſpecialiter excipiantur. Anno 1631 Die 5 Novembris.

Ex Archivo (1) Ordinis.

URBANUS PP. VIII. LVI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, Sancti Benedicti, Ciſtercien., Pręmonſtraten., Sancti Antonii de Sancto Antonio Viennen., Societatis Jeſu, ac aliorum forſan Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum regularium Profeſſores vigore, ſeu pretextu privilegiorum, & indultorum ſibi, dictiſque Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, ab hac Sancta Sede Apoſtolica tam per viam merę conceſſionis, quam communicationis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine etiam conſiſtorialiter conceſſorum in Conſtitutionibus generalibus a Nobis, & dicta Sede hactenus editis, & de cetero edendis ſe minime comprehendi pretendant, niſi de eis ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa mentio fiat. Nos qui inter graviſſimas, multipliceſque Apoſtolatus noſtri curas in eam pręcipuo, ac peculiari ſtudio jugiter incumbimus, ut extirpatis hęreticarum pravitatum erroribus, Catholica Fides ubique gentium conſervetur, & propagetur, ambiguitates, & dubia de medio tollere, & opportunę diſpoſitionis miniſterio providere volentes, ut tot, tanteque conſtitutiones generales a Nobis, & hac ſancta Sede, & pręſertim ad favorem Fidei Catholicę, illiuſque propagationem, & Officii ſanctę Inquiſitionis contra hęreticam pravitatem editę, & de cetero edendę, ſublatis quibuslibet exceptionibus, ſubterfugiis, & impedimentis ad majorem Dei gloriam, Sanctęque Matris

Ec-

Eccleſię exaltationem debitum, ut par eſt, ſortiantur effectum, necnon quorumcunque privilegiorum, gratiarum, & indultorum, dictis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam quantumlibet extraordinariis, & cautelis quomodolibet, & ex quacunque cauſa conceſſorum, etiamſi in corpore juris clauſa ſint, tenores pręſentibus, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in eis tradita obſervata inſerti forent, eiſdem pręſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, quod quęvis generales conſtitutiones, diſpoſitiones, & ordinationes Apoſtolicę per Nos, & quoſcunque Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros in concernentibus Fidem Catholicam, illiuſque propagationem, & ſanctę Inquiſitionis Officium pręfatum, pręſertim quoad ea, quę in Congregationibus ſancti Officii, & de propaganda Fide coram Nobis tractari ſolent, hactenus editę, omnes, & ſingulos tam Sancti Benedicti, Ciſtercien., Pręmonſtraten., Sancti Antonii de Sancto Antonio Viennen., & Societatis Jeſu pręfatorum, quam quorumcunque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum profeſſores omnino comprehendant, perinde ac ſi pręfati, & alii quantumlibet privilegiati in eis nominatim expreſſi fuiſſent, edendę vero in poſterum per Nos, & Romanos Pontifices Succeſſores noſtros, tam in favorem pręfatę Fidei Catholicę, illiuſque propagationis, & ſancti Officij Inquiſitionis pręfati, quam ſuper quacunque alia re, negotio, ſeu materia, conſtitutiones, diſpoſitiones, & ordinationes hujuſmodi ſimiliter omnino comprehendant pręfatos eorundem Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum profeſſores, niſi in edendis conſtitutionibus hujuſmodi ſpecialiter, & expreſſe excipiantur, etiamſi ipſi privilegiati forent magis ſpeciali nota, & expreſſione digni, eiſque privilegia, gratię, & indulta, a Sede Apoſtolica pręfata, etiam ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu, ſcientia, ac de poteſtatis plenitudine ſimilibus, & conſiſtorialiter, etiam contemplatione, vel ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, tam per viam merę conceſſionis, quam communicationis, & alias quomodolibet conceſſa reſpective ſint, quorum, ſeu quarum vigore, vel prętextu ſint excepti, ſeu ſe minime comprehendi prętendant in conſtitutionibus generalibus, vel aliis non facientibus plenam, & expreſſam eorum mentionem. Pręſentes vero literas, omniaque, & ſingula in eis contenta, etiam ex eo quod Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum hujuſmodi profeſſores, vel alii quicunque in prę miſſis intereſſe habentes, ſeu quomodolibet habere pretendentes ad hoc vocati, & auditi, ac cauſę propter quas eędem pręſentes emanarunt, adductę, verificatę, ſeu alias juſtificatę non fuerint, ullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtrę, vel alio quovis, etiam quantumvis ſubſtantiali defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut aliud quodcunque juris, facti, gratię, vel juſtitię remedium impetrari nullatenus poſſe, neque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, ſemperque validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales etiam de latere Legatos, dictęque Sedis Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus regula noſtra de jure quęſito non tollendo, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon tam Sancti Benedicti, Ciſtercien., Pręmonſtraten., Sancti Antonii de Sancto Antonio Viennen., & Societatis Jeſu pręfatorum, quam quorumcunque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, & privilegiis, necnon pręfatis, & quibuſvis aliis privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mare magnum, & alias quomodolibet nuncupatis eiſdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, eorumque Superioribus, bonis, rebus, Monaſteriis, locis regularibus, & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod pręſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę, quodque eędem pręſentes literę, ſeu illarum exempla ad valvas Baſilicarum Sancti Johannis Lateranen., ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Florę affixa, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimata fuiſſent. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die V Novembris MDCXXXI, Pontificatus noſtri Anno Nono.

M. A. Maraldus.

Die, & Anno ſupradicto affixę, & publicatę fuerunt ſupradictę literę ad valvas Curię, & Camerę Apoſ-

Apoſtolicę, ac in acie Campi Florę, & aliis locis ſolitis, & conſuetis, ut moris eſt, per me Andream Scalmanum Sanctiſſimi D. N. Papę Curſorem.

1. *Archivo*.) In quo exemplar impreſſum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ anno *MDCXXXII*.

Extenſio Conſtitutionis rec. mem. Gregorii XV revocatoriæ conceſſionum vivæ vocis oraculo factarum.

Anno 1631 Die 20 Decembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

URBANUS PP. VIII.

LVII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Alias felicis recordationis Gregorius Papa XV Prędeceſſor noſter, ut ſubnaſcentibus jugiter variis difficultatibus, & abuſibus ex privilegiis a Sede Apoſtolica vivę vocis oraculo ſępenumero conceſſis obviam iret, Conſtitutionem edidit tenoris ſubſequentis, videlicet. Gregorius Papa XV. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Romanus Pontifex in ſpecula militantis Eccleſię divina providentia conſtitutus, gratias, & indulta a ſe, & Prędeceſſoribus ſuis conceſſa, juſtis interdum ſuadentibus cauſis, juxta creditum ſibi Paſtoralis officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum, & temporum qualitatibus debite penſatis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Itaque Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula indulta, facultates, privilegia, gratias, & conceſſiones quaſcunque ſpirituales, & eccleſiaſticas, tam ad forum interius, quam ad exterius ſpectantibus, ac tam ad ſupplicationem partium, quam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, a Sede Apoſtolica, quę tamen vivę vocis oraculo hactenus quandocunque, & qualitercunque, ex quavis, etiam de neceſſitate exprimenda cauſa, quibuſvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Societatibus, etiam Societati Jeſu, ac Congregationibus quibuslibet, ſive eorum, & earum reſpective Prępoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Pręlatis, Prioribus, Rectoribus Generalibus, Provincialibus quocunque nomine nuncupatis, Superioribus, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prędictę immediate ſubjectis, cujuſcunque dignitatis, prę eminentię, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad ſupplicationem Regum conceſſa, in iis, videlicet, quę non ſunt ſortita effectum, tenore prę ſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque, & effectu vacua perpetuo fore, & eſſe neque in poſterum cuiquam ſuffragari poſſe, vel debere, neque aliquem iis de cetero uti ullo modo poſſe, etiamſi expreſſa, & ſpecifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda eſſet, decernimus, & declaramus. Firmis tamen, & in ſuo robore permanentibus omnibus indultis, & aliis conceſſionibus prędictis, vivę vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipſorum, vel aliorum quorumcunque favorem, propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipſis, vel aliis factis, & de quibus iidem S. R. E Cardinales teſtimonium in ſcriptis prębuerunt. Decernentes prę ſentes literas, & in eis contenta quęcunque, etiam ex eo, quod quicunque in prę miſſis intereſſe habentes, ſeu habere prętendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtrę, ſeu alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, in jus, vel controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adverſus illas, quodcunque juris, gratię, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere. Sicque per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prę miſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prędictis, eorumque Prępoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Pręlatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus prędictis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium prę miſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, prę ſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut prę ſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quę prę ſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Quodque eędem prę ſentes literę, ſeu illarum exempla ad valvas Baſilicarum S. Johannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Florę affixę, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatę fuiſſent. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die II Julii MDCXXII, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Cum autem experientia rerum magiſtra compertum ſit, conceſſiones, & gratias vivę

vo-

vocis oraculo, etiam a S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipſorum manu firmatas ſępe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in diſciplinę eccleſiaſticę detrimentum executioni demandari. Idcirco, quantum cum Domino poſſumus, his, & aliis malis occurrere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, & de conſilio nonnullorum venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium hujuſmodi mature diſcutiendum commiſimus, omnia, & ſingula privilegia, facultates, licentias, & gratias quaſcunque per Summos Pontifices Prędeceſſores noſtros, ac per Nos vivę vocis oraculo, etiam S.R.E. prędictę Cardinalium quorumcunque manu firmata, quibuſcunque Generalibus, Provincialibus, ceteriſque Superioribus, & perſonis cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, ſive ſecularibus, ſive regularibus, vel etiam ipſis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Societati Jeſu, aut ejus clericis, ſeu Presbyteris, aliiſque perſonis prędictis quacunque de cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda, occaſione, prętextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, ſeu ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorumcunque, aut alias quomodolibet conceſſa, illorum tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, tenore pręſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac de cetero revocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque, & effectu vacua eſſe, & fore, nullique prorſus deinceps ſuffragari poſſe, neque debere declaramus. Prӕterea, ut pręſentes literę omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, quantocitius innoteſcant, omnibus, & ſingulis Generalibus, & aliis quocunque nomine nuncupatis Superioribus quorumcunque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Jeſu, & Inſtitutorum, ſub excommunicationis, ac privationis officiorum, & dignitatum, necnon vocis activę, & paſſivę pęnis, ipſo facto incurrendis, pręcipimus, & mandamus, ut infra tres menſes proximos a die publicationis pręſentium computandos, omnes, & ſingulos Provinciales eorundem ſuorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Jeſu, & Inſtitutorum, de eiſdem pręſentibus literis certiores faciant, earundemque pręſentium exemplaria illis tranſmittant, qui quidem Provinciales ſub eiſdem pęnis teneantur ſingulis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, domorum, & locorum regularium pręcipere, ut eaſdem pręſentes ſubditis ſuis, ut moris eſt, publicent. Decernentes pręſentes literas etiam ex eo, quod quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, vel habere pretendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtrę, ſeu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, redargui. in jus, vel controverſiam vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci, ſive adverſus illas quodcunque juris, gratię, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręinſertis literis hujuſmodi, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, &, quatenus opus ſit, etiam regula noſtra de non tollendo jure quęſito, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, eiſdem Cardinalibus, ac Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, eorumque Superioribus, quocunque nomine nuncupatis ſub quibuſcunque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod pręſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quę pręſentibus ipſis adhiberetur ſi forent exhibitę, vel oſtenſę, quodque eędem pręſentes literę, ſive illarum exempla ad valvas Baſilicarum prędictarum, & in acie Campi Florę hujuſmodi ſimiliter affixa, omnes, quos concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimata fuiſſent. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX Decembris MDCXXXI, Pontificatus noſtri Anno Nono.

M. A. Maraldus.

Die, & Anno ſupradicto affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicarum S. Johannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, ac in acie Campi Florę, aliiſque locis ſolitis, & conſuetis, ut moris eſt, per me Andream Scalmanum Sanctiſſimi D. N. Papę Curſorem.

1. *Archivo.*) In quo exemplar typis impreſſum.

De

De transferendo Provinciali Capitulo Provinciæ Lombardiæ.

Anno 1632 Die 17 Januarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

LVIII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut dilecti Fratres Ordinis Prędicatorum Provincię utriuſque Lombardię Nobis nuper exponi fecerunt, Capitulum Provinciale Provincię hujuſmodi utriuſque Lombardię celebrandum ſit, ob graſſantis vero contagii, aliaque impedimenta vocales ſimul convenire nequeant, proindeque per Nos deſuper opportune provideri ſummopere deſiderent, Nos, Fratres prędictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, celebrationem Capituli Provincialis hujuſmodi, ut ſupra faciendi, ad annum proximum computandum a die, quo dictum Capitulum Provinciale celebrandum ſit, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium extendimus, & prorogamus, ac dilectos filios Priorem Provincialem, & alios dictę Provincię Superiores in eodem Capitulo eligi ſolitos in eorum Officiis cum omnibus, & ſingulis facultatibus, auctoritatibus, pręrogativis, pręeminentiis, gratiis, & indultis, quibus hactenus Officiorum ſuorum hujuſmodi ratione quomodolibet uſi, & gaviſi ſunt, ac uti, & gaudere potuerunt, ſive etiam debuerunt, ad Annum per Nos, ut ſupra, prorogatum confirmamus. Mandantes propterea in virtute Sanctę Obedientię, & ſub aliis arbitrii noſtri pęnis dictę Provincię Fratribus, ceteriſque, ad quos ſpectat, ut in Priorem Provincialem, alioſque Superiores per Nos, ut ſupra, confirmatos, juxta tenorem pręſentium recipiant, ac habeant, & recognoſcant, eiſque pareant, faveant, & aſſiſtant; Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII Januarii MDCXXXII, Pontificatus noſtri Anno Nono.

M. A. Maraldus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar in *Bullario Bononienſi pag.* 116 ex autographo *Bononien.*

De transferendis (1) Fratrum filiationibus.

Anno 1632 Die 7 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Nicolao Rudolphio Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum.

LIX.

URBANUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

TUo nomine Nobis nuper expoſitum fuit, quod tu in multis tui Ordinis Prędicatorum Regni Francię Domibus regularibus reformationem perfectę obſervantię Regulę, & Conſtitutionum ipſius Ordinis cum non modica cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici (3) Francorum Regis Chriſtianiſſimi ſatisfactione, ſpiritualique lętitia introduxiſti. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, reformationis hujuſmodi conſervationi, & ſtabilimento id impedimento eſſe comperis, quod nimirum dicti Ordinis religioſi regularem hujuſmodi obſervantiam ſectari cupientes in ſingularibus reformationis hujuſmodi domibus, ex quibus non ſunt filii, nequaquam excipiantur, & propterea quo pręmiſſis obviam eatur tibi per Nos de infraſcripta facultate provideri ſummopere deſideres, Nos, felici reformationis hujuſmodi conſervationi, & incremento, quantum cum Domino poſſumus, conſulere volentes, ſupplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium prępoſitorum conſilio, ut pro tuo arbitrio, & prudentia, & prout magis in Domino expedire arbitraberis, prędictas Fratrum hujuſmodi filiationes de uno ad alium Conventum, etiam abſque conſenſu Fratrum eorundem Conventuum transferre libere, & licite valeas, ita tamen, ut ipſorum Fratrum ſucceſſio in bonis, aliaque jura ad primum Conventum ſpectantia, nullatenus cenſeantur tranſlata ad alium Conventum; ad quem eorundem Fratrum filiationem hujuſmodi transferri contigerit, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ordinis, & Conventuum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores pręſentibus pro plene, & ſuffi- Nota.

ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VII Februarii MDCXXXII Pontificatus noſtri Anno Nono.

M. A. Maraldus.

1. *Transferendis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo lit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum.

3. *Ludovici.*) *XIII.*

Anno 1632 Die 7 Februarii.

De Provincialibus Capitulis tempore peſtis celebrandis (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LX.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Pręd̨icatorum, quod cum juxta regularia ejuſdem Ordinis inſtituta Apoſtolica auctoritate confirmata, Capitula Provincialia Provinciarum Italię ejuſdem Ordinis celebranda ſint, ob graſſantis vero contagii impedimenta vocales in eiſdem Capitulis congregan. inſimul convenire nequeant, idcirco pro pace, & quiete, felicique regimine ipſarum Provinciarum per Nos, ut infra opportune provideri ſummopere deſiderat. Nos proſperum earundem Provinciarum ſtatum, & directionem ſinceris deſiderantes affectionibus, ac proinde illarum Fratres ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus dicti Procuratoris generalis illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis regularium prępoſitorum, dilectis filiis vocalibus Provinciarum hujuſmodi, quod illarum Priores Provinciales modo, & forma aliis per Nos dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci Cappuccinorum nuncupatorum in ſimilibus electionibus faciendis per Nos conceſſis (3) eligere libere, & licite valeant, ſervata tamen forma ab eiſdem Fratribus Cappuccinis, ut ſupra in electionibus hujuſmodi faciendis adhibita, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provinciarum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VII Februarii MDCXXXII, Pontificatus noſtri Anno Nono.

M. A. Maraldus.

1. *Celebrandis.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo lit. III.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

3. *Conceſſis.*) Hujus tenoris eſt hæc Conſtitutio.

URbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. Cum, ſicut dilecti filii Vicarius, & Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Cappuccinorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecerunt, ob contagionem in diverſis Italiæ partibus graſſantem, diverſis ejuſdem Ordinis neceſſitatibus provideri, & ſolita Capitula Provincialia in nonnullis ipſius Ordinis Provinciis celebrari non poſſint, proptereaque Vicarius, & Procurator Generalis præfati, Nobis humiliter ſupplicari fecerint, ut ſuper præmiſſis, modo, & forma infraſcriptis providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, felici Provinciarum dicti Ordinis regimini, gubernio, & quieti, ipſiuſque Ordinis neceſſitatibus, quantum cum Domino poſſumus, providere, ac Vicarium, & Procuratorem Generalem prædictos, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod facta in Provinciis prædictis, in qualibet illarum regulari domo diſcretorum ſolita electione ipſimet diſcreti, & prædictarum domorum regularium Guardiani, & earundem Provinciarum Provinciales ſeparatim, & ſcripto nominare teneantur, illos, quos in Diffinitores in Domino magis judicaverint aſſumendos. Ipſi vero diſcreti, & Guardiani, eos, quos in Provinciales earundem Provinciarum nominandos, etiam judicaverint, ſeparatim, & ſcripto nominare etiam teneantur, ac tam quoad numerum Diffinitorum nominandorum, quam eorum, qui ipſos Diffinitores nominabunt, & formam, deſuper ſervandam, omnia, & ſingula, quæ ſibi ab eiſdem Vicario, & Procuratore Generalibus in præmiſſis præſcribentur in omnibus, & per omnia adamuſſim obſervare, & folia, in quibus dicti Ordinis Fratres ſcribentur, qui ad hujuſmodi officia idonei fuerint, ſigillo munita ad Vicarium, & Procuratorem Generales præfatos tranſmittere debeant, quæ factis, hic in Urbe juxta ſolitum ipſius Ordi-

Ordinis morem, tribus Scrutatoribus, & viſis ſecrete foliis prædictis, nominent in Diffinitores, & Provinciales eos, in quorum favorem plura ſuffragia lata fuerint, etiamſi infra medietatem fuerint. Succedente ſuffragiorum paritate Vicarius & Procurator Generales prædicti, nominare valeant eos, qui ſibi ad hujuſmodi munia, magis habiles, & idonei videbuntur. Quod ſi aliquod foliorum hujuſmodi perdi contigerit, nominationi hujuſmodi quominus ad illam deveniatur, nullo propterea impedimento ſit, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, quos illæ concernunt, & concernent, inviolabiliter obſervari debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provinciarum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VIII Octobris MDCXXXI, Pontificatus noſtri Anno Nono. M. A. Maraldus. *Ex Exemplari authentico in Archivo Ordinis aſſervato.*

De Romanæ Provinciæ Capitulo celebrando.

Anno 1632 Die 15 Julii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

LXI.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Alias pro parte dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię Romanę Nobis expoſito, quod Capitulum Provinciale ejuſdem Provincię juxta dicti Ordinis Conſtitutiones Apoſtolica auctoritate confirmatas infra certum tempus celebrandum erat, ob contagii vero ad pręſens graſſantis impedimenta Vocales ejuſdem Provincię nonniſi difficillime congregari poterant. Nos eorundem Fratrum ſupplicationibus ea in parte inclinati celebrationem Capituli Provincialis hujuſmodi, ut ſupra faciendam, ad annum a die, quo erat celebrandum, computandum, Apoſtolica auctoritate per noſtras in ſimili forma Brevis ſub die XXVII Septembris MDCXXXI expeditas literas extendimus, & prorogavimus, ac Priorem Provincialem ejuſdem Provincię in officio Provinciali hujuſmodi ad annum prorogatum pręfatum confirmavimus: Subinde vero nomine dilecti filii Procuratoris Generalis dicti Ordinis Nobis expoſito, quod cum juxta regularia ejuſdem Ordinis inſtituta dicta auctoritate confirmata, Capitula Provincialia Provinciarum Italię ipſius Ordinis celebranda eſſent, ob graſſantis vero contagii impedimenta Vocales in eiſdem Capitulis congregandi inſimul convenire nequibant, idcirco pro pace, & quiete, feliceque regimine ipſarum Provinciarum per Nos opportune provideri deſiderabat, Nos ejus in hac parte ſupplicationibus inclinati per alias noſtras in eadem forma Brevis ſub die VII Februarii proxime pręteriti expeditas literas (2), de Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium prępoſitorum conſilio, dilectis filiis vocalibus Provinciarum hujuſmodi, quod illarum Priores Provinciales modo, & forma alias per Nos dilectis etiam filiis Fratribus Ordinis Minorum Sancti Franciſci Cappuccinorum nuncupatorum in ſimilibus electionibus faciendis per Nos conceſſis eligere libere, & licite valerent, ſervata tamen forma ab eiſdem Fratribus Cappuccinis, ut ſupra in electionibus hujuſmodi facienda adhibita, auctoritate pręfata conceſſimus, & impartiti ſumus, & alias prout in primo, & ſecundo dictis literis noſtris hujuſmodi, quarum tenores pręſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Nunc autem ne per poſteriores literas hujuſmodi prioribus literis noſtris pręfatis quoquo modo pręjudicatum dici, vel prętendi poſſit, opportune providere volentes, Apoſtolica auctoritate pręd[i]cta, tenore pręſentium, decernimus, & declaramus, per poſteriores literas pręfatas nullum omnino pręjudicium prioribus literis noſtris hujuſmodi illatum fuiſſe, nec eſſe, minuſque id dici, cenſeri, vel prętendi poſſe, ſed eaſdem priores literas hujuſmodi validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuumque plenarium, & integrum effectum ſortiri, & obtinere, ſicque, & non aliter ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate fungentes judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus poſterioribus literis hujuſmodi, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XV Julii MDCXXXII, Pontificatus noſtri Anno Nono.

M. A. Maraldus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

2. *Literas.*) Præcedentes.

Anno 1632 Die 21 Julii.

Ne quis extrahat ſacram ſupellectilem Sacelli, quod a fundamentis excitandum curavit F. Antonius de Sotomajor (1).

LXII.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm, ſicut dilectus filius Antonius de Sotomajor Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici Confeſſarius, Nobis nuper exponi fecit, ipſe in Conventu S. Stephani Salmantini dicti Ordinis unam Capellam ſub invocatione Aſſumptionis B. Marię Virginis a fundamentis conſtrui fecerit, ac in conſtructione hujuſmodi ſummam millium ducatorum monetę Hiſpaniarum expenderit, eidemque Capellę paramenta, & ornamenta eccleſiaſtica, aliamque ſacram ſupellectilem uſque ad ſummam duodecim millium ducatorum ſimilium ultra cenſum annuum ducentorum ducatorum parium, quę pro dictę Capellę conſervatione applicuit, hactenus donaverit, & aſſignaverit, aliaque in poſterum donare, & aſſignare intendat, cupiatque propterea earum conſervationi per Nos, ut infra, conſuli, ac provideri. Nos, dictum Antonium ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus dicti Antonii Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quiſquam, quavis auctoritate fungens, paramenta, & ornamenta eccleſiaſtica, aliamque cujuſvis generis ſupellectilem eccleſiaſticam per dictum Antonium Capellę prędictę hactenus donata, & aſſignata, ac in poſterum donanda, & aſſignanda alienare, ſive pręterquam pro ſervitio dicti Conventus accommodare, aut ut alienentur, vel commodentur permittere ſub quovis quęſito colore audeat, ſeu pręſumat, ſub excommunicationis pęna per contrafacientes incurrenda, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, interdicimus, & prohibemus, volentes, quod quotieſcunque ea pro ſervitio dicti Conventus commodari contigerit, ea ſtatim, poſtquam prędictus Conventus uſus fuerit, ad dictam Capellam ab eis, per quos ſpectabit, ſub eadem excommunicationis pęna deferantur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Conventus, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod pręſentis prohibitionis copia in valvis dictę Capellę, aut aliquo alio loco perſpicuo unde ab omnibus cerni poſſit, continuo affixa remaneat. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXI Julii MDCXXXII, Pontificatus noſtri Anno Nono.

M. A. Maraldus.

1. *De Sotomajor.*) Vir egregius, qui magnis animi dotibus, ac rebus prætlare geſtis *Hiſpaniam* illuſtravit, uti videre eſt apud Auctores, quos laudat *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXLVIII pag. 555.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex autographo *Salmanticenſi*.

Anno 1632 Die 1 Decembris.

Generale Capitulum transfert (1) ad alium annum.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXIII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, Capitulum Generale Ordinis Fratrum Prędicatorum propediem juxta regularia ipſius Ordinis inſtituta, Apoſtolica auctoritate confirmata, celebrandum ſit, Nos, attendentes dilectos filios vocales in eodem Capitulo congregandos, ob vigentes adhuc contagii ſuſpiciones, pręſentiumque temporum calamitates, & incommoda, difficile ſimul convenire poſſe, & propterea pro noſtri paſtoralis officii debito deſuper opportune providere volentes, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, celebrationem Capituli Generalis hujuſmodi, ut ſupra, facien., ad annum a die, quo dictum Capitulum Generale, ut pręfertur, celebrandum ſit, computan., Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium extendimus, & prorogamus, decernentes pręſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenorem pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe dero-

derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die I Decembris MDCXXXII, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

M. A. Maraldus.

1. *Transfert.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum.

Anno 1633 Die 22 Februarii.

De Miſſionibus (1) Sinen. & Japonicis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

URBANUS PP. VIII.

LXIV.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex debito Paſtoralis Officii ſaluti animarum, & fidei Catholicę propagationi proſpicientes, ea, quę provide a Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris propterea ordinata fuerunt, ſi ſubinde experientia doceat, ea mutatione indigere, libenter immutamus, aliaſque diſponimus, prout ad Fidei Catholicę propagationem, & animarum ſalutem hujuſmodi conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Alias ſiquidem felicis recordationis Gregorius Papa XIII, Prędeceſſor noſter, certis tunc expreſſis cauſis adductus per ſuas in ſimili forma Brevis literas ſub dat. Die XXVIII Januarii MDLXXXV Pontificatus ſui anno XIII omnibus Patriarchis, & Epiſcopis, etiam Provincię Chinę, & Japonis, ſub interdicti eccleſiaſtici, & ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſię, & Pontificalium exercitio; aliis vero Sacerdotibus, Clericis, & Miniſtris eccleſiaſticis tam ſecularibus, quam cujuſvis Ordinis Regularibus, cujuſcunque ſtatus, gradus, Ordinis, & conditionis exiſterent, ſub excommunicationis majoris pęnis ipſo facto incurrendis, interdixit, & inhibuit, ne ad earum Regiones, & Provincias Japonicas Evangelii prędicandi, vel doctrinam chriſtianam docendi, aut Sacramenta adminiſtrandi, aliaque munia eccleſiaſtica obeundi cauſa, ſine ſua, & Sedis Apoſtolicę expreſſa licentia proficiſci auderent. Poſtmodum autem recolendę memorię Clemens Papa VIII. Similiter Prędeceſſor noſter, accepto quod tam Chinę, & Japonum, quam alię illius vicinę, & adjacentes Inſulę, Regiones, & Provincię, ac finitima Regna Indię Orientalis ampliſſima, & populis refertiſſima erant, & pro tanta animarum multitudine ad Fidem Catholicam traducenda, & ſpiritualibus alimentis fovenda, plures operarii, ac miniſtri neceſſarii erant, quam ex ſola Religioſorum Societate Jeſu haberi poterant; omnibus, & ſingulis Mendicantium Ordinum Magiſtris, ſeu Prioribus Generalibus, tunc & pro tempore exiſtentibus indulſit, ut, cum neceſſitas poſtulaſſet, quoslibet Ordinis ſui ſpectatę vitę, & eruditionis Religioſos, quos nimirum ad prędicta officia, & miniſteria idoneos, & utiles fore in Domino judicarent, per Luſitaniam duntaxat, & ſuſcepta inde navigatione, in Indias, & civitatem Goan., atque ad Superiores Ordinum in illis partibus exiſtentes tranſmittere, & tam ipſi ſic tranſmittendi, quam alii ſupradictorum Ordinum Religioſi in eiſdem Indiarum partibus exiſtentes, & ad hoc munus obeundum a ſuis Magiſtris, Miniſtris, vel Prioribus Generalibus, ſeu aliis Superioribus electi, & approbati, tam ad Japonicas prędictas, quam ad alias proximas, & adjacentes, etiam Chinę, & finitimorum Regnorum, & terrę firmę Indię Orientalis inſulas, regiones, & Provincias accedere poſſent. Ceterum omnibus, & ſingulis Religioſis cujuſcunque ſtatus gradus, ordinis, & conditionis eſſent, ſub excommunicationis majoris a qua nonniſi a Romano Pontifice, pręterquam in articulo mortis abſolvi poſſent, necnon privationis vocis tam activę, quam paſſivę, ac dignitatum, adminiſtrationum, & officiorum quorumcunque, necnon inhabilitationis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ac exercenda pęnis ipſo facto abſque ulla declaratione incurrendis, interdixit, & prohibuit, ne ex Inſulis Philippinis nuncupatis, ſive qualibet alia Indiarum Occidentalium, vel quę pro partibus Indiarum Occidentalium tunc habebantur, parte ad illas pertinente, in Japonicas, & alias illis proximas, adjacentes, & finitimas inſulas, provincias, & regiones prędictas, etiam quorumcunque Privilegiorum, eis, vel ſuis Ordinibus a dicto Clemente, & Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus ſuis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis in genere, vel in ſpecie, etiam ſuper facultate prędicandi Verbum Dei, per univerſum mundum eatenus conceſſorum, ſeu in poſterum etiam concedendorum, approbandorum, & innovandorum, niſi in illis de prohibitione hujuſmodi, & interdicto, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio, cum ſufficienti derogatione fieret, aut quovis alio pretextu, & queſito colore proficiſci, & tranſire auderent, vel pręſumerent, & ſi qui eatenus, vel in poſterum ſecus facerent, poſtquam moniti eſſent, ſtatim ſub eiſdem pęnis, omni mora, & excuſatione ceſſante, ad dictas Inſulas Philippinas, vel alias partes Indiarum Occidentalium reverti, & redire omnino tenerentur, & ad id per quoſcunque judices eccleſiaſticos ſub eiſdem, & aliis eorum arbitrio infligendis pęnis cogi, & compelli poſſent. Et ſubinde felicis recordationis Paulus Papa V, ſimiliter Prędeceſſor noſter, accepto, experientia compertum eſſe, quod prohibitio accedendi ad Indias, & Civitatem Goan., alias quam per Luſitaniam, nec qui ſperabatur, ex eo fructum protulerat, neque Catholicę Fidei propagationis negotio utilis fuerit, & propterea ut tantum opus Dei, ſublato omni impedimento, libere peragi poſſet, providere volens, omnibus, & ſingulis Mendicantium Ordinum Magiſtris, Miniſtris, ſeu Prioribus Generalibus, aut alio quocunque nomine nuncupatis Ordinum Capitibus tunc, & pro tempore exiſtentibus ut cum neceſſitas poſtularet, quoslibet Ordinis ſui ſpectatę vitę, & eruditionis Religioſos, quos nimirum ad prędicta officia, & munia idoneos, & utiles fore in Domino judicaſſent, ad Superiores Ordinum in illis partibus exiſten. etiam per aliam viam, quam per Luſitaniam, in Japonicas, & alias illis proximas adjacentes, & finitimas inſulas, provincias, & regiones prędictas, ſervata in reliquis dictarum literarum Cle-

Clementis Prędeceſſoris forma in omnibus, & per omnia, & non aliter tranſmittere libere, & licite valerent, indulſit, & alias, prout in Gregorii, & Clementis, & Pauli V Prędeceſſoris prędictorum literis deſuper expeditis, quarum tenores pręſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem experientia plurium annorum compertum fuerit, ordinationes in prędictis literis contentas non ſufficere, caſque aliqua proviſione indigere, ut in prędictas Inſulas, & Regna felicius, ac facilius Sacroſanctum Chriſti Domini Evangelium prędicari, & propagari poſſit, ac valeat: Nos pro officii noſtri debito poſt habitam cum Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus negotio propagandę Fidei per univerſum mundum prępoſitis maturam deliberationem, pręfati Pauli Prędeceſſoris noſtri literis inhęrentes, omnibus, & ſingulis Religionum cujuſcunque Ordinis, aut Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, Magiſtris, Miniſtris, ſeu Prioribus Generalibus, aut quocunque nomine nuncupentur, Ordinum Capitibus, nunc, & pro tempore exiſtentibus auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus, & indulgemus, ut, cum eis expedire viſum fuerit, quoslibet ſuarum Religionum Ordinum, & Inſtituti Religioſos, quos ętate, vita, moribus, & ſcientia idoneos eſſe ad miſſiones judicaverint ad prędictas inſulas, provincias, regiones, & regna Indię Orientalis etiam per alias vias, quam per Luſitaniam, libere, & licite mittere poſſint, ac valeant, ſervata tamen in reliquis pręfatarum literarum Clementis Prędeceſſoris noſtri forma in omnibus, & per omnia, & non aliter. Necnon quoſcunque eccleſiaſticos, & Religioſos cujuſcunque Ordinis, & Inſtituti tam non Mendicantium, quam Mendicantium, etiam Societatis Jeſu, & Seculares, Religioſorum, ut prefertur, mitten. ad Inſulas, Provincias, Regiones, & Regna prędicta acceſſum hujuſmodi impedientes excommunicationis latę ſententię vinculo innodamus. Religioſos vero, ut ſupra mittendos, ac etiam miſſos, & in prędictis locis nunc degentes plurimum in Domino hortamur,

Notā ut in docendo populos, & pręſertim de recenti ad fidem Chriſtianam converſos, uniformes ſint, ne ob Doctrinę diverſitatem prędertim in materiis moralibus Neophiti illi aliquod ſcandalum patiantur: & quia in hac re Generalium prefatorum curam, & vigilantiam plurimum profuturam arbitramur, eiſdem injungimus, ut prędictos ſuos Religioſos ad ſervandam prędictam conformitatem ſępius adhortentur. Ut autem id facilius ſuccedat prefati Religioſi in inſtruendis populis prędictorum locorum Indię Orientalis, Catechiſmum Romanum, & Doctrinam Chriſtianam parvam, & magnam bonę memorię Roberti S.R.E. Cardinalis Bellarmini nuncupati in linguas prędictorum populorum translatas, & impreſſas, ſi fieri poterit, omnino adhibeant. Quoniam autem, ſicut non ſine animi noſtri dolore intelleximus, in Japone a pluribus annis contra Chriſtianos, & preſertim Religioſos, acerrima perſecutio fuit commota, eaque uſque ad pręſens perdurat, & viget, omnibus, & ſingulis Chriſtianis nunc in Japone exiſtentibus, & pro tempore futuris, ut a quibuſvis Sacerdotibus, ut ſupra a Generalibus eorum illuc miſſis, ac mittendis, quorum copiam habere poterunt, Sacramenta, Ordinem tamen Epiſcopalem non requirentia, etiam parochialia, durante pręſenti rerum ſtatu, ſuſcipere libere, & licite valeant, concedimus pariter, & indulgemus. Ceterum quia a Sacris Canonibus, Conciliorum decretis, ac Apoſtolicis Conſtitutionibus,

Nota. omnibus Religioſis, ac etiam aliis Eccleſiaſticis, pręſertim in Sacris Ordinibus conſtitutis, mercaturę, & negotiationes ſeculares diſtricte prohibentur, ac valde damnoſum, indecorum, & indecens exiſtit, hujuſmodi perſonas divino cultui mancipatas, ac pręcipue illas, quę ad prędicandum ſacroſanctum Chriſti Domini Evangelium deſtinatę ſunt, pręfatis mercaturę, & negotiationibus ſe immiſcere, aut operam dare, prędictorum Sacrorum Canonum, ac Decretorum, Conſtitutionumque Apoſtolicarum diſpoſitioni inhęrentes, auctoritate Apoſtolica, earundem tenore pręſentium, Religioſis omnibus cujuſcunque Ordinis, & inſtituti, tam non mendicantium, quam mendicantium, etiam Societatis Jeſu, eorumque ſingulis tam in prędictis locis nunc exiſtentibus, quam in futurum ad illa mittendis, omnem, & quamcunque mercaturam, ſeu negotiationem quocunque modo ab eis fieri contingat, ſive per ſe, ſive per alios, ſive proprio, ſive communitatis nomine, directe, ſive indirecte, aut quovis alio pretextu, cauſa, aut colore interdicimus, & prohibemus ſub excommunicationis latę ſententię pęna ipſo facto incurrenda, ac privationis vocis activę, ac paſſivę, Officiorum, ac graduum, & dignitatum quorumcunque etiam inhabilitatis ad ea, & inſuper amiſſionis mercium, & lucrorum ex eis factorum quę omnia a Superioribus Religionum, ex quibus delinquentes exiſtent, reſervanda erunt ad uſum miſſionum, quas eędem Religiones habent, & habiturę ſunt in futurum in prędictis Indiis, & non in alios uſus, eiſdem Superioribus diſtricte pręcipientes ſub eiſdem pęnis, ut in hoc invigilent, & contra delinquentes ad prędictas pęnas procedant, ſublata eiſdem facultate hujuſmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus, & lucris quantumvis minimum remittendi, aut condonandi. Quod ſi forte aliquę controverſię inter Religioſos dictarum Religionum, quod Deus avertat, oriantur, Epiſcopi locorum prędictorum pro tempore exiſtentes, tanquam Sedis Apoſtolice delegati, illas decidant, & terminent. Si vero graviora quędam negotia occurrerint, ea ad Nos, & Romanos Pontifices Succeſſores noſtros quantocitius ab eiſdem Epiſcopis referantur, ut quod in illis ſtatui, ac decerni debeat, matura conſultatione adhibita, provideri poſſit, ſicque volumus, & ordinamus. Decernentes pręſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari. Sicque per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes propterea univerſis, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis Epiſcopis, ac ceteris Eccleſiarum, & locorum etiam regularium Prelatis per univerſum Orbem conſtitutis, ut pręſentes literas in ſuis quiſque Provinciis, Civitatibus, Dięceſibus, Capitulis, & juriſdictionibus, ab omnibus inviolabiliter obſervari, & quoties ab Ordinum prędictorum Religioſis requiſiti fuerint, ſolemniter publicari curent, & faciant. Non obſtantibus interdicto, & prohibitionibus, ac literis dictorum Prędeceſſorum, aliiſque pręmiſſis, necnon Apoſtolicis, ac in Synodalibus, Provincialibus, &

Uni-

Univerſalibus Conciliis editis, ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, de una, & duabus dietis, ita quod vigore pręſentium, etiam ultra duas dietas quilibet trahi poſſit, necnon prędictę Societatis Jeſu, aliarumque Religionum, Provinciarum, & Regionum prędictarum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, eorumque Pręlatis, Superioribus, & Perſonis etiam particularibus, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, in genere, vel in ſpecie, ac alias quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas Generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, & inſertis, hac vice ſpecialiter, & expreſſe, in quantum noſtris prohibitioni, & interdicto, aliiſque pręmiſſis adverſentur, harum ſerie derogamus, ac derogatum, eſſe, & cenſeri, neque illa eis ullatenus ſuffragari volumus, & declaramus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Declarantes etiam, ac decernentes facultatem eligendi poſteriorem datam quibuſvis Ordinibus, Societatibus, etiam Jeſu nuncupatis, & aliis quibuſcunque, etiam ſpeciali nota dignis conceſſam, nemini adverſus pręſentes noſtras literas poſſe unquam ſuffragari. Et quia difficile foret pręſentes literas ubicunque uſus venerit, oſtendi, & publicari, volumus ut earum exemplis etiam impreſſis manu Notarii Publici, vel alicujus dictarum Religionum Secretarii ſubſcriptis, & perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę, vel cujuſvis ex Generalibus prędictis ſigillo munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitę vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII Februarii MDCXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Miſſionibus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar. In *Bullario Romano* eſt *CLXVII.*

Pro Hiſpalenſi Monaſterio Paſſionis.

Anno 1633 Die 4 Junii

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXV.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

OMnium ſaluti &c. Volentes igitur Eccleſiam Paſſionis Monaſterii Monialium Ordinis S. Dominici Hiſpalen., in qua aliud Altare Privilegiatum non reperitur conceſſum, & in ea ſitum Altare S. Johannis Evangeliſtę &c. quandocunque Sacerdos aliquis ſecularis, vel cujuſcunque Ordinis regularis, Miſſam Defunctorum in die Commemorationis Defunctorum, & ſingulis diebus infra illius Octavam, & feria ſecunda cujuslibet hebdomadę pro anima cujuſcunque Monialis dicti Monaſterii &c. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IV Junii MDCXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Hiſpalenſi*. In Archivo Ordinis duo alia reperiuntur ejuſdem fere tenoris Diplomata.

PRo Eccleſia S. Dominici Terræ de Suriano. Conſtitutio ſic incipit: *Urbanus &c. Omnium ſaluti &c. Volentes igitur Eccleſiam S. Dominici Terræ de Suriano &c. dummodo in ea quatuordecim Miſſæ quotidie celebrentur, & in ea ſitum Altare S. Dominici &c. quandocunque Sacerdos aliquis ejuſdem Eccleſiæ duntaxat Miſſam defunctorum in die Commemorationis defunctorum, & ſingulis diebus infra illius Octavam, ac ſecunda, & ſexta feriis cujuslibet hebdomadæ pro anima cujuſcunque fidelis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Novembris MDCXXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Decimo Sexto.* Ex Archivo Ordinis in quo exemplar authenticum ex autographo *Suriano.* — Anno 1638 Die 27 Novembris. LXVI.

PRo Minervitano Cœnobio. Conſtitutio ſic incipit: *Urbanus &c. Omnium &c. Supplicationibus itaque dilecti filii Bernardini Narii nobilis Romani unius Alæ Equitum Levis armaturæ pro cuſtodia corporis noſtri Capitanei, ac familiaris continui commenſalis noſtri Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ut quandocunque Sacerdos ſecularis, ſive cujuſvis Ordinis regularis, Miſſas Defunctorum pro animabus, tam Patris, Matris, Uxoris, Fratrum, aliorumque dicti Bernardini conſanguineorum defunctorum, quam ipſius Bernardini, ejuſque conſanguineorum, & uxorum eorum, nunc, & pro tempore viventium, poſtquam viam univerſæ carnis ingreſſi fuerint, ad Altare Capellæ S. Johannis Baptiſtæ familiæ ipſius Bernardini in Eccleſia B. Mariæ ſuper Minervam de Urbe nuncupata Ordinis Fratrum Prædicatorum exiſtentis, celebrabit, animæ ipſæ per hujuſmodi celebrationem, eaſdem Indulgentias conſequantur, & ad earum liberationem dictæ Miſſæ operentur, quas conſequerentur, & operarentur, ſi ad Altaria, ab hac S. Sede pro animabus defunctorum Privilegiata, Miſſæ hujuſmodi celebratæ fuiſſent &c. Præſentibus in perpetuum valituris. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Januarii MDCXXXIX, Pontificatus noſtri Anno Decimo Sexto.* Ex Archivo Ordinis in quo exemplar ex autographo *Minervitano.* — Anno 1639 Die 26 Januarii. LXVII.

Exe-

Anno 1633 Die 20 Junii.

Exequias (1) comitari poſſunt Fratres Mendicantes, nec Parochi cogere poſſunt hæredes, ut novennalia, & anniverſaria, quæ celebrantur in Eccleſiis Fratrum, peragantur etiam in Parochia.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXVIII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

NUper pro parte dilectorum filiorum, Procuratorum Generalium Ordinum Prędicatorum, Sancti Franciſci, S. Auguſtini, & B. Marię de Monte Carmelo, Diſcalceatorum nuncupatorum Nobis expoſitum fuit, quod alias a venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, Sacris Ritibus prępoſitis, emanavit decretum tenoris ſubſequentis, videlicet: Inſtantibus Procuratoribus Generalibus Ordinis Prędicatorum, S. Franciſci, S. Auguſtini, & Diſcalceatorum Carmelitarum declarari. Primo an liceat Curatis ſalvis eorum juribus parochialibus impedire contra voluntatem hęredum defunctorum, ne Regulares vocati ad funus corpora defunctorum ad quaſvis Eccleſias deferenda una cum Parochis, & Clericis proceſſionaliter aſſocient. Et ad hoc Sacrorum Rituum Congregatio reſpondit Regulares in caſu propoſito non poſſe impediri. Secundo an prędicti Curati poſſint cogere hęredes, ſeu executores teſtamentarios, ut pro Defunctis, qui tumulantur in Eccleſiis regularium, in ſuis Eccleſiis (3) Parochialibus celebrari faciant novennalia, & anniverſaria, prout celebrantur in Eccleſiis Regularium, in quibus cadavera ſepeliuntur. Et Sacrorum Rituum Congregatio reſpondit non poſſe cogere. Die Vigeſima tertia Aprilis MDCXXXIII. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti exponentes, decretum pręinſertum Apoſtolicę noſtrę confirmationis robore communiri ſummopere deſiderent. Nos, illos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibusquomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum pręinſertum Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes decretum pręfatum, necnon literas pręſentes valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX Junii MDCXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Exequias.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar. In *Bullario Romano* eſt *CLXXI.*
3. *Eccleſiis.*) Hic nonnihil deeſt in *Bullario Romano*.

Anno 1633 Die 21 Junii.

De quibuſdam Cœnobiis (1) ſupprimendis, & eorum bonis ad alia transferendis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXIX.

Dilecto filio Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum.

URBANUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Prędicatorum Nobis nuper exponi fecit, in eodem Ordine nonnulli parvi Conventus reperiantur, ac in eis Fratrum numerus obſervantię regulari ſufficiens nequaquam manuteneri poſſit, & propterea illos ſupprimi, eorumque res, & bona, necnon onera eis incumbentia in majores ipſius Ordinis Conventus transferri poſſe plurimum deſideret, Nobis idcirco humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi de infraſcripta facultate providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos proſpero ejuſdem Ordinis, illiuſque domorum ſtatui, regulariſque diſciplinę incremento conſultum eſſe cupientes, ſupplicationibus ejuſdem Procuratoris nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis regularium prępoſitorum conſilio, tibi parvos Conventus prędictos, illorumque ſtatum, & eſſentiam regulares in eis auctoritate noſtra Apoſtolica perpetuo ſupprimendi, & extinguendi, eorumque res, & bona, ac onera

onera quęcunque eis incumben. in majores ejuſdem Ordinis Conventus, etiam perpetuo transferendi facultatem, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium concedimus, & impartimur. Decernentes pręſentes literas, & illarum vigore facien. ſuppreſſiones, extinctiones, & translationes prędictas, poſtquam factę fuerint, validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac majoribus Conventibus hujuſmodi pleniſſime in omnibus, & per omnia ſuffragari, ſicque per quoſcunque judices Ordinarios, & commiſſarios, quavis auctoritate fungentes judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod pręſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXI Junii MDCXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

M. A. Maraldus.

1. *Cœnobiis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & varia exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCXXXIII.*

Anno 1634 Die 28 Martii.

LXX.

Ut Pruliani (1) Monaſterii Prioriſſa ſit Ordinis Fratrum Prædicatorum, & ad triennium duntaxat eligatur (2).

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

DEcet Romanum Pontificem in ſupremo militantis Eccleſię ſolio, & Apoſtolicę poteſtatis plenitudine immenſa Redemptoris noſtri benignitate conſtitutum, attentę conſiderationis ſuę aciem in agri Dominici, ejus curę commiſſi, circuitu, vigilis Paſtoris more, revolvere, & inter cetera, quod pro Monaſteriorum quorunlibet, pręſertim a Sanctis Dei famulis Spiritus Sancti ductu ad ejuſdem Redemptoris noſtri gloriam, & Eccleſię prędictę exaltationem, piarum Virginum inibi ſub religionis ſuavi jugo Altiſſimo famulantium felici ſucceſſu ſub eorundem Sanctorum continuata tutela inſtitutorum felici directione profectibus, & commoditatibus conferat, diligenter proſpicere, ac Prędeceſſorum ſuorum geſta ad id tendentia, ut firma ſint, & illibata perſiſtant, perpetuoque ſerventur, nedum approbationis ſuę pręſidio communire, ſed eorum etiam aliquo temporis ſucceſſu ex apparentibus cauſis labefactata, atque abrogata, priſtino ſtatui reſtituere, ſeu alias reformare, & in contrarium emanata revocare, & declarare, ac annullare, aliaſque in his providentię ſuę partes favorabiliter interponere, prout Monaſteriorum eorundem, & perſonarum in eis exiſtentium, opportunitatibus, & indigentiis, ac temporum circumſtantiis debite penſatis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Dudum felicis recordationis Pius PP. V, Prędeceſſor noſter, malo exemplo, quod circa electionem Prioriſſę Monaſterii Monialium S. Marię de Pruliano Ordinis Prędicatorum, ſeu Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum S. Papuli Dięceſis a Divo Dominico inſtituti (4) contigerat, & illius pro tempore ſuccedente vacatione contingere poterat, occurrere volens, ne de cetero Moniales aliquo modo exteram Sororem, ſeu Monialem alterius, quam dicti earum Ordinis, in earum Prioriſſam eligere auderent, ſeu pręſumerent, eas deſuper monendas, & in Domino hortandas, cenſuit, eiſque nihilominus in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis latę ſententię, & perpetuę privationis vocis activę, & paſſivę ipſo facto incurrendis pęnis, expreſſe pręcepit, ne deinceps aliquo tempore aliquam Sororem, ſeu Monialem cujuſvis alterius, quam dicti earum Ordinis, & Ordinem ipſum, in dicto Monaſterio, expreſſe profeſſam, & ad alicujus, ſeu aliquarum ſecularium, vel regularium extranearum perſonarum cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel pręeminentię forent, etiamſi Epiſcopali, Archiepiſcopali dignitate, Cardinalatus honore, vel Regali, aut Ducali ſublimitate cenſerentur, interceſſiones, aut alias preces, ſive ſuffragia, vel promotionem, verbo, vel in ſcriptis, ſeu alias quovis modo factam in earum, aut dicti Monaſterii Prioriſſam, eligere pręſumerent, vel auderent, ſeu earum aliqua auderet, vel pręſumeret, & ut hoc eis ſalubriter procedere inciperet, voluit, & eis pariter ſub eiſdem pęnis mandavit, ut, ſi contingeret, tunc exiſtentem Prioriſſam, ex hoc ſeculo migrare, ipſę Moniales aliquam aliam Sororem, ſeu Monialem, niſi eſſet Ordinis ipſius in dicto earum Monaſterio, vel ſi ibi non reperiretur idonea, juxta decreta Concilii Tridentini, ſaltem ex alia domo, ſeu Monaſterio, ejuſdem tamen Ordinis, & Regulę, ac Ordinem, & Regulam ipſam expreſſe profeſſam, ac ad regendum, & gubernandum dictum Monaſterium, ac alias juxta pręfatum Concilium idoneam, in ſuam, & dicti Monaſterii Prioriſſam, eligere non auderent, ſeu deberent, nec deputare poſſent, aut earum aliqua auderet, ſeu pręſumeret, vel poſſet. Et inſuper ſtatuit, & decrevit, quod ſi accideret aliquo tempore, eas aliquam Sororem, ſeu Monialem alterius, quam dicti earum Ordinis, & Regulę expreſſe profeſſam in earum, & dicti Monaſterii Prioriſſam eligere, ſeu deputare, dicta extranea Monialis in Prioriſſam ſic electa, tanquam contra Sacrorum Canonum, & Concilii hujuſmodi decreta, ac mentem, & intentionem ipſius Pii Prędeceſſoris electa, & deputata, nullo modo ad munus Prioratus dicti Monaſterii admitti poſſet, quinimmo, quatenus dicta Monialis cujuſvis pręeminentię, ſtatus, vel conditionis extaret, in Prioriſſam ſic electa extranea, ſive alterius Ordinis, & Regulę foret, & vigore talis electionis ſe in exer-

Diplomatis cauſa.

exercitio, & adminiſtratione muneris Prioratus dicti Monaſterii, & illius Monialium tentaret intromittere, ipſam extraneam Monialem, ſic in Prioriſſam electam, in excommunicationis ſententiam, & privationis dignitatis, ſi quam obtineret, ac vocis activę, & paſſivę, etiam in ſuo Monaſterio pęnam, eo ipſo, incurrere, dictamque electionem nullam, ac nullius roboris, vel momenti exiſtere voluit, & declaravit, ac dicta electione, pręſentatione, nominatione, & promotione, aliquo pacto, dictam exteram ſic electam ſe juvare, vel illa in judicio, aut extra uti minime poſſe, ſive alias, illam ei quoquomodo ſuffragari, ac eas, & Succeſſorum ſuarum ſingulas ad dictam electionem Monialis exterę procedentes, ſive eligentes, vel eligere tentantes, ipſo facto pęnam excommunicationis latę ſententię incurriſſe, ac voce activa, & paſſiva perpetuo privatas eſſe, & cenſeri, ac privavit, & incurriſſe declaravit, ac alias, prout in illius literis ſub datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die duodecima Julii Anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi primi, Pontificatus ſui Anno Sexto deſuper expeditis, plenius continetur, & deinde dilecta in Chriſto filia Soror Maria de Levi de Vantadour (5) pro Abbatiſſa Monaſterii Monialium S. Petri Lugdunenſis Ordinis S. Benedicti ſe gerens, a Nobis ſibi de Prioratu Monaſterii Pruliani hujuſmodi, tanquam per liberam reſignationem, dilectę etiam in Chriſto filię Sororis Johannę a Lotharingia (6) pro illius Prioriſſa ſe gerentis de illo, quem tunc obtinere aſſerebat, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, aut alias certo modo vacante, nulla facta mentione literarum dicti Prędeceſſoris provideri obtinuit. Cum autem, ſicut non ſine maxima animi noſtri moleſtia, & dolore accepimus, licet interim dilectę in Chriſto filię Moniales dicti Monaſterii Pruliani, tunc in humanis agentem Iſabellam de Roquetaillade (7) Monialem dicti Monaſterii Pruliani, Ordinem, & regulam illius expreſſe profeſſam, in ſuam, & dicti Monaſterii Prioriſſam elegiſſent, ipſaque electio, a dilecto filio Magiſtro Generali dicti Ordinis Prędicatorum, ſive ab ejus commiſſario ad id ſpecialiter deputato, confirmata extitiſſet, nihilominus ipſa Maria auſu temerario, ſalutiſque, & ſui ſtatus immemor, ac Dei timore poſtpoſito, non adimpletis conditionibus in literis Apoſtolicis ſuper dicto mandato noſtro expeditis appoſitis, nec ab illarum judice executore deſuper executione expectata, atque obtenta, immo ex cauſis animum noſtrum tunc moventibus per Nos, ſeu de mandato noſtro ea ſpecialiter ſuſpenſa, violenta, & armata manu in ejuſdem Prioratus poſſeſſionem, inde ipſam Iſabellam Prioriſſam canonice electam, & confirmatam ejiciendo, ſe intruſerit in maximam Monaſterii, & illius Monialium hujuſmodi perniciem, & damnum, peſſimumque exemplum, & ſcandalum plurimorum. Nos igitur, qui, ut etiam accepimus, quod in conſtitutionibus Ordinis Prędicatorum hujuſmodi cautum eſt; quod Prioriſſę talium Monaſteriorum triennales eſſe debent, quodque Julius PP. II ita ordinavit, & Clemens PP. VII, etiam Prędeceſſores noſtri juxta privilegia, & indulta per Honorium III, & Gregorium IX, etiam Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, conceſſa, idem exequi voluit, ac etiam indulſit, earundem Prioriſſarum electionis confirmationem ad Magiſtrum Generalem dicti Ordinis Prędicatorum pro tempore exiſtentem pertinere debere, ac alias, prout etiam in ſingulorum Prędeceſſorum, ac noſtris literis, ac conſtitutionibus plenius continetur, necnon quod ipſę Moniales Monaſterii Pruliani prędicta Iſabella, de medio ſublata, dilectam in Chriſto filiam Annam de Villoliſſes Monialem Monaſterii Pruliani hujuſmodi, Ordinem, & Regulam illius in eo expreſſe profeſſam, de novo canonice elegerunt, ipſaque poſterior electio per dilectum filium Generalem dicti Ordinis Prędicatorum, ſeu de ejus mandato confirmata fuerit, pręmiſſa etiam ab intimis ſentientes, ac tot, tantiſque malis, vaniſque ambitionibus, viam pręcludere cupientes, necnon dictas Moniales, & illarum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, necnon ſingularum literarum, conſtitutionum, & electionum, ac confirmationum hujuſmodi tenores, etiam veriores, ac datarum, pręſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, non ad ipſarum Monialium, vel quorumvis aliorum pro eis Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & libera voluntate noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, ſingulas literas Prędeceſſorum prędictorum, ac conſtitutiones, Ordinis, & Regulę primodictorum, quoad ſuperius expreſſa tantum, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, perpetuo, necnon etiam ad triennium tamen tantum pro firmiori electionis, & confirmationis Annę de Villoliſſes in Prioriſſam hujuſmodi ſubſiſtentia, & validitate, ac jura juribus addendo, eaſdem electionem, & confirmationem, ac inde ultimo ſecuta, & ſequenda quęcunque probamus, & confirmamus, illiſque Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos iam juris, quam facti, & ſolemnitatum, ac quoſvis alios defectus, ſi qui principaliter, vel acceſſorie, aut alias quomodolibet intervenerint, aut interveniſſe dici, ſeu pretendi poſſit, in eiſdem ſupplemus, necnon illas, omnes, & ſingulas validas, & efficaces, fore, & eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos nunc ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter, & inviolabiliter obſervari, & adimpleri debere, nec ab illis, ullo unquam tempore recedi, vel reſiliri poſſe, ipſamque Monaſterii Pruliani Prioriſſam, perpetuis futuris temporibus triennalem, & de triennio, in triennium ex gremio Monialium per Conventum domus,
Mandatum. ſeu Monaſterii Pruliani hujuſmodi, illius Ordinem, & regulam in eo expreſſe profeſſam, ſi inibi habilis, & idonea adfuerit, ſin minus ad pręſcriptum Bullę Pii Prędeceſſoris hujuſmodi, ac alias juxta earum regularia inſtituta eligendam, ponendam, & amovendam, & per ipſum Generalem, ſeu Magiſtrum Generalem, vel de ejus ſpeciali mandato confirmandam, & approbandam, & non alias eſſe. Necnon ſimiliter proviſionem, ſeu ad id mandatum noſtrum, & literas Apoſtolicas deſuper confectas hujuſmodi cum omnibus, & ſingulis inde ſecutis, & ſequendis quibuſcunque, tum ex eo quod ipſa Maria, illis male, & ſcandaloſe uſa fuit, tum etiam quia ipſa Maria, extera, & non in domo, ſeu Monaſterio de Pruliano prędicto, minuſque Ordinem, & Regulam S. Dominici hujuſmodi profeſſa exiſtit, tanquam propterea pręter, & contra formam literarum Pii Prędeceſſoris prędictarum, ac etiam mentem,

ac in-

ac intentionem noſtram emanata, & extorta, nulla, & invalida, nulliuſque roboris, firmitatis, efficacię, vel momenti fuiſſe, fore, & eſſe, ipſique Marię nullibi ſuffragari, minuſque ipſam his ſe juvare, nec illis in judicio, vel extra uti, aut illis fidem adhiberi poſſe, vel debere, deſuper, prævia etiam ad Nos hujuſmodi avocatione, eidem Marię, etiam perpetuum finem, & ſilentium imponendo, pręſentes quoque, & deſuper conficiendas literas, etiam ex eo quod dicta Maria, ſeu quicunque alii in eis quomodolibet intereſſe habentes, ſeu habere pretendentes, ad eadem, & ſingula pręmiſſa citati, vocati, auditi, & cauſas, propter quas illę emanarunt, examinatę, verificatę, juſtificatę, & approbatę, ac termini ſubſtantiales deſuper ſervati non fuerint, ſeu alias ex quocunque capite, cauſa, & occaſione, etiam quomodolibet juſta, & rationabili, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtrę, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam vocari, ad viam, & terminos juris reduci, annullari, invalidari, retardari, ſuſpendi, limitari, reſcindi, ſeu refringi, nunquam poſſe, ſeu debere, ſicque ab omnibus cenſeri, ac ita, & non alias, per quoſcunque judices Ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, ſeu honore fulgentes, etiam cauſarum Curię Camerę Apoſtolicę Generales, & Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apoſtolicę Nuncios, ac quoſvis alios, ſublata eis, ac eorum cuilibet, etiam in quolibet judicio, & qualibet inſtantia, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, necnon quicquid ſecus ſuper his a quocunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane, motu, & auctoritate ſimilibus decernimus, & declaramus. Quocirca ven. Fratribus S. Papuli, & Appamiarum, ac Carcaſſonę Epiſcopis, motu pari, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios pręſentes literas, & in eis contenta, quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Annę, ac aliarum nunc, & pro tempore exiſtentium Prioriſſę, & Monialium Monaſterii Pruliani, & Generalis, ſive Magiſtri Generalis Pędicatorum, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, illiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra pędicta, eaſdem pręſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum, firmiter, & inviolabiliter obſervari, necnon Annam, aliaſque Monaſterii Pruliani hujuſmodi Prioriſſas, & Moniales, ac Generalem, & Magiſtrum Generalem pędictos, ac eorum quemlibet eiſdem patentibus literis pacifice frui, & gaudere, non permittentes ipſos, vel eorum quempiam deſuper per Mariam, ſeu quoſcunque alios quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles, per ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitime ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pęnas, ipſaſque etiam iteratis vicibus aggravando, & reaggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis &c. Non obſtantibus dictis noſtris literis, aliiſque pręmiſſis, ac noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę regula de jure quęſito non tollendo, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII ſimiliter Pędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, & Diœceſim, niſi in certis tunc expreſſis caſibus, & in illis, ultra unam dietam a fine ſuę Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede pędicta deputati extra Civitatem, vel Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis ſuas vices committere audeant, vel pręſumant, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas, aliquis vigore pręſentium ad judicium non trahatur, ac quibuſvis etiam in ſynodalibus, generalibus, provincialibuſque Conciliis editis, & edendis, ſpecialibus, vel generalibus, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, ac Ordinum, ac Regularum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis *Apoſtolicis*, illis, eorumque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis per quoſcunque Romanos Pontifices Pędeceſſores noſtros, Noſque, & eandem Sedem, ac illius Legatos pędictos in genere, vel in ſpecie, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, conceſſis, innovatis, approbatis, & confirmatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti fuiſſent, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, harum ſerie, ſpecialiter, & expreſſe, motu ſimili, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine hujuſmodi, latiſſime derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, approbationis, confirmationis, adjectionis, ſuppreſſionis, avocationis, impoſitionis, decretorum, declarationis, mandati, conceſſionis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Trigeſimo Quarto, Quinto Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

S. Balleratus J. B. Ginus .... R. Theſaur.

1. *Pruliani.*) In *Occitania*.
2. *Eligatur.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Iomo ultimo Tit. III.*
3. *Archivo.*) In quo autographum. Pumblum ſericis filis appenditur.
4. *Inſtituti.*) Vide Notas ad *Conſtitutionem I Innocentii III Tomo I hujuſce Bullarii pag. 1.*
5. *Levi de Vantadour.*) Gens eſt antiqua nobilitate clara.
6. *Johanna a Lotharingia.*) Hujuſce familiæ ſplendorem nemo non novit.
7. *Roquetaillade.*) Floret etiam nobilis iſta familia.

Eadem

Anno 1634 Die 28 Martii.

LXXI.

Eadem de re.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

SANCTI PAPULI.

Motu proprio &c.

DUdum (2) felicis recordationis Pius PP. V Prędeceſſor noſter malo exemplo, quod circa electionem Prioriſſę Monaſterii Monialium Sanctę Marię de Prulliano Ordinis Prędicatorum, ſeu Sancti Auguſtini ſub cura Fratrum Prędicatorum, Sancti Papuli Diœceſis, a Divo Dominico inſtituti contigerat, & illius pro tempore ſuccedente vacatione contingere poterat, occurrere volens, ne de cetero Moniales aliquo modo exteram Sororem, ſeu Monialem alterius quam dicti eorum Ordinis, in earum Prioriſſam eligere auderent, ſeu pręſumerent, eas deſuper monendas, & in Domino hortandas cenſuit, eiſque nihilominus in virtute Sanctę Obedientię, & ſub excommunicationis latę ſententię, & perpetuę privationis vocis activę, & paſſivę ipſo facto incurrendis pęnis expreſſe pręcepit, ne deinceps aliquo tempore aliquam Sororem, ſeu Monialem cujuſvis alterius quam dicti earum Ordinis, & Ordinem ipſum in dicto Monaſterio expreſſe profeſſam, etiam ad alicujus, ſeu aliquarum ſecularium, vel Regularium extranearum perſonarum, cujuſcunque ſtatus, gradus, Ordinis, vel pręeminentię forent, etiamſi Epiſcopali, Archiepiſcopali dignitate, Cardinalatus honore, vel Regali, aut Ducali ſublimitate cenſerentur, interceſſiones, aut alias preces, ſeu ſuffragia, vel promotionem verbo, vel in ſcriptis, ſeu alias quovis modo factam, in earum, & dicti ſui Monaſterii Prioriſſam eligere pręſumerent, vel auderent, ſeu earum aliqua auderet, vel pręſumeret, & ut hoc eis ſalubriter procedere inciperet, voluit, & eis pariter ſub eiſdem pęnis mandavit, ut ſi contingeret tunc exiſtentem Prioriſſam ex hoc ſeculo migrare ipſę Moniales aliquam aliam Sororem, ſeu Monialem, niſi eſſet Ordinem ipſum in dicto earum Monaſterio, vel ſi ibi non reperiretur idonea, juxta decreta Concilii Tridentini ſaltem ex alia Domo, ſeu Monaſterio ejuſdem tamen Ordinis, Regulęque, ac Ordinem, & Regulam ipſam expreſſe profeſſam, ac ad regendum, & gubernandum dictum Monaſterium, ac alias juxta prędictum Concilium, idoneam, in ſuam, & dicti Monaſterii Prioriſſam eligere auderent, ſeu deberent, nec deputare poſſent, aut earum aliqua auderet, ſeu pręſumeret, vel poſſet, & inſuper ſtatuit, & decrevit, quod ſi accideret aliquo tempore, eas aliquam Sororem, ſeu Monialem alterius prędicti earum Ordinis, & Regulę expreſſe profeſſam in earum, & dicti Monaſterii Prioriſſam eligere, ſeu deputare dicta extera Monialis in Prioriſſam ſic electa tanquam contra Sacrorum Canonum, & Concilii hujuſmodi Decreta, ac mentem, & intentionem ipſius Pii Prędeceſſoris electa, & deputata nullo modo ad munus Prioratus dicti Monaſterii admitti poſſet, quinimmo quatenus dicta Monialis cujuſvis pręeminentię, ſtatus, vel conditionis extaret, in Prioriſſam ſic electa extera, ſive alterius Ordinis, & Regulę foret, & vigore talis electionis ſe in exercitio, & adminiſtratione muneris Prioratus dicti Monaſterii, & illius Monialium tentaret intromittere, ipſam exteram Monialem ſic in Prioriſſam electam in excommunicationis ſententiam, & privationis dignitatis, ſi quam obtineret, ac vocis activę, & paſſivę, etiam in ſuo Monaſterio, pęnam eo ipſo incurrere, dictamque electionem nullam, ac nullius roboris, vel momenti exiſtere voluit, & declaravit, ac dicta electione, pręſentatione, nominatione, & promotione aliquo pacto dictam exteram ſic electam ſe juvare, vel illa in judicio, aut extra uti minime poſſe, ſive alias illam ei quoquo modo ſuffragari, ac eas, & ſucceſſorum ſuarum ſingulas ad dictam electionem Monialis exterę procedentes, ſive eligentes, vel eligere tentantes, ipſo facto pęnam excommunicationis latę ſententię incurriſſe, ac voce activa, & paſſiva perpetuo privatas eſſe, & cenſeri, ac privavit, ac incurriſſe declaravit, ac alias, prout in illius literis ſub Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XII Julii MDLXXI, Pontificatus ſui Anno Sexto deſuper expeditis, plenius continetur. Et deinde dilecta in Chriſto filia Soror Maria de Levi, de Vantadour pro Abbatiſſa Monaſterii Monialium Sancti Petri Lugdunenſis Ordinis Sancti Benedicti ſe gerens, ut a Nobis ſibi de Prioratu Monaſterii Prulliani hujuſmodi, tanquam per liberam reſignationem, dilectę etiam in Chriſto filię Sororis Johannę a Lotharingia pro illius Prioriſſę ſe gerentis de illo, quem tunc, ut aſſerebat, obtinebat, in manibus noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam, aut alias certo alio modo vacan. nulla facta mentione literarum dicti Prędeceſſoris, provideri obtinuit. Cum autem, ſicut non ſine maxima animi noſtri moleſtia, & dolore accepimus, licet interim dilectę in Chriſto filię Moniales dicti Monaſterii Prulliani tunc in humanis agentem Iſabellam de Roquetaillade Monialem dicti Monaſterii Prulliani, Ordinem, & Regulam illius in eo expreſſe profeſſam, in ſuam, & dicti Monaſterii Prioriſſam elegiſſent, ipſaque electio, a dilecto filio Magiſtro Generali dicti Ordinis Prędicatorum, ſive ab ejus Commiſſario, ad id ſpecialiter deputato, confirmata extitiſſet: nihilominus ipſa Maria auſu temerario, ſalutiſque, & ſui ſtatus immemor, ac Dei timore poſtpoſito, non adimpletis conditionibus in literis Apoſtolicis ſuper dicto mandato noſtro expeditis, appoſitis, nec ab illarum judice executore deſuper executione expectata, ſeu obtenta, immo ex cauſis animum noſtrum tunc moventibus, per Nos, ſeu de mandato noſtro, ea ſpecialiter ſuſpenſa, violenta, & armata manu in ejuſdem Prioratus poſſeſſionem, inde ipſam Iſabellam Prioriſſam canonice electam, & confirmatam ejiciendo, ſe intruſerit in maximam Monaſterii, & illius Monialium hujuſmodi perniciem, & damnum, peſſimumque exemplum, & ſcandalum plurimorum. Nos igitur, qui, ut etiam accepimus, quod in Conſtitutionibus Ordinis Prędicatorum hujuſmodi cautum eſt, Prioriſſę talium Monaſteriorum triennales eſſe debent, quodque Julius PP. Secundus id ordinavit, & Clemens PP. VII etiam Prędeceſſores noſtri juxta Privilegia, & Indulta per Honorium III, & Gregorium IX, etiam Romanos Pontifices, & Prędeceſſores noſtros conceſſa, idem exequi

exequi voluit, & etiam indulſit earundem Prioriſſarum electionis Confirmationem ad Magiſtrum Generalem dicti Ordinis Prędicatorum, pro tempore exiſtentem, pertinere debere, ac alias prout etiam in ſingulorum Prędeceſſorum, & noſtris literis, ac Conſtitutionibus eiſdem plenius continetur, necnon quod ipſę Moniales Monaſterii Prulliani prędicta Iſabella de medio ſublata, dilectam in Chriſto filiam Annam de Villoliſſes Monialem Monaſterii Prulliani, hujuſmodi Ordinem, & Regulam illius in eo expreſſe profeſſam de novo canonice elegerunt, ipſaque poſterior electio per dilectum filium Generalem dicti Ordinis Prędicatorum, ſeu de ejus mandato confirmata fuerit, pręmiſſa etiam ab intimis ſentientes, ac cupientes, tot, tantiſque malis, vaniſque ambitionibus viam pręcludere, motu proprio, non ad ipſarum Monialium, vel quorumvis aliorum pro eis Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & libera voluntate, noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine ſingulas literas Prędeceſſorum prędictorum, ac Conſtitutiones Ordinis, & Regulę primodictorum quoad ſuperius expreſſa tantum, Apoſtolica auctoritate perpetuo, necnon etiam ad triennium tamen tantum, pro firmiori electionis, & confirmationis Annę de Villoliſſes in Prioriſſam hujuſmodi ſubſiſtentia, & validitate, ac jura juribus addendo, eaſdem electionem, & confirmationem, ac inde etiam ſequuta, & ſequenda quęcunque approbamus, & confirmamus, illiſque Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti, ac ſolennitatum, ac quoſvis alios defectus, ſi qui principaliter, vel acceſſorie, aut alias quomodolibet intervenerint, aut interveniſſe, dici, ſeu pretendi poſſit, in eiſdem ſupplemus, necnon illas omnes, & ſingulas validas, & efficaces fore, & eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos nunc ſpectat, & pro tempore ſpectabit firmiter, & inviolabiliter perpetuo obſervari, & adimpleri debere, nec ab illis ullo unquam tempore recedi, ſeu reſiliri poſſe, ipſamque Monaſterii Prulliani Prioriſſam perpetuis futuris temporibus triennalem, & de triennio in triennium ex gremio Monialium per Conventum, Domus, ſeu Monaſterii Prulliani hujuſmodi, illius Ordinem, & Regulam in eo expreſſe profeſſam, ſi inibi habilis, & idonea adfuerit, ſin minus ad pręſcriptum Bullę Pii Prędeceſſoris hujuſmodi, ac alias juxta earum Regularia inſtituta, eligendam, ponendam, & amovendam, & per ipſum Generalem, ſeu Magiſtrum Generalem, vel de ejus ſpeciali mandato confirmandam, approbandam, & non alias eſſe, necnon ſimiliter proviſionem, ſeu ad id mandatum noſtrum, & literas Apoſtolicas deſuper confectas, hujuſmodi cum omnibus, & ſingulis inde ſequutis, & ſequendis, quibuſcunque, tum ex eo quod ipſa Maria illis male, & ſcandaloſe uſa fuit, tum etiam quia eadem Maria extera, & non in Domo, ſeu Monaſterio de Prulliano prędicto, minuſque Ordinem, & Regulam Sancti Dominici hujuſmodi profeſſa exiſtit, tanquam propterea, pręter, & contra formam literarum Pii Prędeceſſoris prędictarum, ac etiam mentem, & intentionem noſtram emanata, & extorta, nulla, & invalida, nulliuſque roboris, firmitatis, efficacię vel momenti fuiſſe, fore, & eſſe, ipſique Marię nullibi ſuffragari, minuſque ipſam eis ſe juvare, nec illis in judicio, vel extra uti, aut illis fidem adhiberi poſſe, vel debere, deſuper pręvia etiam ad Nos hujuſmodi cauſę avocatione, eidem Marię etiam perpetuum finem, & ſilentium imponen. Pręſentes quoque, & deſuper conficiendas literas etiam ex eo quod prędicta Maria de Levi, ſeu quicunque alii in eis quomodolibet intereſſe habentes, ſeu habere prętendentes ad eadem, & ſingula pręmiſſa, citati, vocati, auditi, & cauſę propter quas illę emanarunt, examinatę, verificatę, juſtificatę, & approbatę, & termini ſubſtantiales deſuper ſervati non fuerint, ſeu alias ex quocunque capite, cauſa, & occaſione, etiam quomodolibet juſta, & rationabili de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtrę, vel quopiam alio defectu, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam vocari, ad viam, & terminos juris reduci, annullari, invalidari, retardari, ſuſpendi, limitari, reſcindi, ſeu confringi nunquam poſſe, ſeu debere, ſicque ab omnibus cenſeri, ac ita, & non aliter per quoſcunque judices Ordinarios, & Delegatos, quavis auctoritate fungentes, ſeu honore fulgentes, etiam cauſarum Curię, Camerę *Apoſtolicę* Generales, & Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apoſtolicę Nuncios, ac quoſvis alios, ſublata &c. judicari debere. Irritum quoque &c. decernimus, & declaramus. Non obſtantibus dictis noſtris literis, aliiſque pręmiſſis, ac noſtrę, & Cancellarię Apoſtolicę regula de jurę quęſito non tollendo, ac quibuſvis, etiam in Synodalibus, Generalibus, Provincialibus Conciliis editis, & edendis ſpecialibus, vel generalibus, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum, & Ordinum, ac Regularium hujuſmodi ſtatutis &c. etiam juramento roboratis, privilegiis quoque, indultis, ac literis Apoſtolicis illis &c. conceſſis &c quibus omnibus, etiamſi de illis &c. eorum tenore &c. latiſſime hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe, motu ſimili, & de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque cum clauſulis opportunis &c. Et cum abſolutione a cenſura &c. ad effectum &c. & quod ſingularum literarum, Conſtitutionum, & electionum, ac Confirmationum hujuſmodi tenores &c. veriores, ac datę habeantur pro expreſſis, ſeu in toto, vel parte exprimi poſſent, & perpetuis ac alias approbatione, confirmatione, roboris adjectione, defectuum &c. ſuppletione, ſingulis decretis, declarationibus, ſilentii impoſitionibus, avocatione, derogatione, aliiſque pręmiſſis, ut ſupra latiſſime extenſis &c. & cum opportuna, etiamſi videbitur judicium executorum deputatione, qui aſſiſtant &c. cum poteſtate citandi, & inhibendi &c. ſub ſententiis cenſuris &c. & pęnas aggravandi, reaggravandi, & interdicendi, invocato &c. ad hoc ſi opus fuerit brachii ſecularis auxilio, & derogatione dictarum, dummodo tamen ultra tres dictas ex latitudine extenſas, & quod pręmiſſorum omnium, & ſingulorum &c. denominati qualiter, nuncupati &c. Invocat &c. Ordinum annexorum, aliorumque neceſſariorum major, & verior ſpecialiter, & expreſſe fieri poſſit in illis etiam per Breve noſtrum, ſeu officium minoris gratię expediens &c.

Fiat M.

A. & ex voto Congregationis S.R.E. Cardinalium &c.

Datum Romę apud Sanctum Petrum Quinto Kal. Aprilis Anno Undecimo.

1. *Archivo*.) In quo exemplar.

2. *Dudum*.) Ejuſdem fere tenoris eſt ac præcedens.

De

Anno 1634 Die 8 Maii.

De Proceſſionibus (1), ſeu ſupplicationibus, per clauſtrum Cremonen. Cœnobii faciendis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

NUper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Ordinis Pręedicatorum Cremonen. Nobis expoſitum fuit quod alias de Anno MDLXXXVII per tunc exiſtentem Romanum Pontificem vivę ejus vocis oraculo conceſſum fuit, ut Proceſſiones ſolitę Confraternitatum Roſarii, ac Sanctę Crucis in Eccleſia Domus Fratrum Ordinis Pręedicatorum Cremonen. erectarum tempore pluvię, aut nivis non ſolum per primum ſed etiam per ſecundum clauſtrum dictę domus regularis cum interventu tam virorum, quam mulierum fieri poſſent, attento quod ſi Proceſſiones hujuſmodi per primum clauſtrum tantum fierent ob magnum populi concurſum, confuſio inde generaretur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Nos conceſſiones vivę vocis ocaculo factas revocaverimus, & propterea tam pręfatarum Confraternitatum, quam etiam Confraternitatis Nominis Dei in eadem Eccleſia etiam canonice errectę officiales per Nos ut infra provideri ſummopere deſiderent. Nos eos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtant, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. Quod Proceſſiones per dictas Confraternitates fieri ſolitę tempore pluvię, vel nivis, non ſolum per primum, ſed etiam per ſecundum Clauſtrum dictę Domus cum interventu tam virorum, quam mulierum fieri, libere, & licite poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes, pręſentes literas validas firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac iis, quos concernunt, pleniſſime ſuffragari, ſicque per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Domus, Ordinis, & Confraternitatum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis, ſub Annulo Piſcatoris die VIII Maii MDCXXXIV, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

M. A. Maraldus.

1. *Proceſſionibus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1634 Die 18 Junii.

De non eligendis (1) Sociis Priorum pro Capitulis Provinciæ Quiten.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Nicolao Rodulphio Generali Magiſtro.

LXXIII.

URBANUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Ordinis Pręedicatorum Provincię S. Catharinę Martyris Quiten. quod pro evitandis gravibus expenſis, & aliis, quę oriebantur inconvenientibus, Provinciis Hiſpanię, & Bęticę ejuſdem Ordinis Apoſtolica auctoritate indultum fuit, ut pro celebratione Capitulorum Provincialium non debeant eligi Socii Priorum, non obſtantibus dicti Ordinis conſtitutionibus in contrarium diſponentibus. Quia vero Provincia S. Catharinę Martyris Quiten. pręedicta in Indiis Occidentalibus ob ejus amplitudinem nongentorum ſcilicet milliarium expenſis itinerum, quę ratione Capitulorum Provincialium fiunt, admodum gravatur, & ex electione ſimilium Sociorum in eadem Provincia oriantur alia inconvenientia, quibus, ut obviam irent, primo dictę Provincię Fratres in Capitulo Provinciali primodictę Provincię de anno MDCXXXII celebrato, diffinitores illius cenſuerunt inſtandum eſſe apud Sedem Apoſtolicam pro obtinendo ſimili indulto Provincię Hiſpanię, & Bęticę, ut pręfertur, conceſſo. Quare dicti Fratres Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, dictos Fratres ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa la-

atis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis regularium prępoſitorum conſilio, tibi per pręſentes committimus, & mandamus, ut eiſdem Fratribus Provincię S. Catharinę Martyris Quiten., quod pro celebratione Capitulorum Provincialium Socii Priorum minime eligi debeant, quemadmodum Provinciis Hiſpanię, & Beticę hujuſmodi indultum fuit, ut pręfertur, auctoritate noſtra, arbitrio tamen tuo, concedas, & indulgeas. Non obſtantibus pręmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Junii MDCXXXIV, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

M. A. Maraldus.

1. *Eligendi.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo autographum.

Ne Fratres extra Cœnobia degant (1) in Indiis.

Anno 1634 Die 8 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

LXXIV.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

INjunctum Nobis deſuper Apoſtolicę ſervitutis officium poſtulat, ut Religioſorum quorunlibet felici, proſperoque regimini, atque ſtatui jugiter conſulentes, ea libenter ſtatuamus, quę ad regularis diſciplinę obſervantiam in dies megis promovendam pertinere dignoſcuntur. Cum itaque, ſicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Prędicatorum Nobis nuper exponi fecit, indecens admodum eſſe videatur, ut ejuſdem Ordinis Fratres, pręſertim in partibus Indiarum, extra domorum regularium clauſtra abſque ſuorum Superiorum licentia vivant, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut ſuper pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, dicti Procuratoris Generalis votis, quantum cum Domino poſſumus, annuere, illumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ne de cetero dicti Ordinis Fratres in partibus Indiarum exiſtentes extra Conventuum, domorum, & aliorum dicti Ordinis locorum regularium clauſtra, abſque hujus Sanctę Sedis, & Superiorum ejuſdem Ordinis licentia vivant, ſeu maneant, ſub cenſuris eccleſiaſticis, ac privationis vocis activę, & paſſivę pęnis per eoſdem Fratres extra clauſtra hujuſmodi manentes, ſeu viventes, ut pręfertur, eo ipſo incurrendis, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium prohibemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die VIII Novembris MDCXXXIV, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

M. A. Maraldus.

1. *Degant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ anno *MDCXXXIV*.

Quinam ſint Italiæ Conventus, in quibus Novicii ſunt inſtituendi (1).

Anno 1635 Die 27 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

LXXV.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Prędicatorum, quod cum ipſe ad ſtabiliendas de cetero profeſſiones Fratrum, utque omne ſubterfugium, omniſque difficultas iis auferretur, qui profeſſiones prędictas nullas, & invalidas reddere procurabant. Nobis humiliter ſupplicari feciſſet, ut infraſcriptis Ordinis Provinciis aſſignare dignaremur infraſcriptos Conventus, in

in quibus alias Noviciatus, & poſt Conſtitutionem felicis recordationis Clementis Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri deſuper editam, confirmandi reſpective fuerunt, a venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus negotiis regularium prępoſitis, ad quos ſupplicem libellum ſuper hoc porrectum rejeceramus, emanavit decretum, a dilecto filio noſtro Antonio Sanctę Agathę Diacono Cardinali Antonio Barberino nuncupato noſtro ſecundum carnem ex fratre germano nepote, & dicti Ordinis apud Nos, & Apoſtolicam Sedem protectore, approbatum, prout plenius continetur in ſupplici libello, ac decreto, necnon approbatione tenoris ſubſequentis, videlicet. Beatiſſimo Padre. Per ſtabilire nell' avvenire le profeſſioni de' Frati, e tor via ogni ſotterfugio, è difficoltà a quelli, che cercano d'invalidarle, il Procuratore dell'Ordine de Predicatori umilmente ſupplica la S. V., che ſi voglia degnare ſtabilire all' infraſcritte Provincie dell' iſteſs' Ordine li nominati Conventi, nei quali ſono ſtati altre volte li Novitiati, e doppo il Breve di Clemente VIII confermati, o con autorità Apoſtolica, o della S. Congregazione, o de' Padri Generali dell'Ordine. Che il tutto &c. Nella Provincia Romana. Il Convento della Minerva di Roma. Li Conventi di S. Maria in Gradi, e della Quercia di Viterbo. Il Convento di S. Domenico di Perugia. Il Convento di S. Domenico di Siena. Il Convento di S. Domenico di Fieſole. Li Conventi di S. Maria Novella, e di S. Marco di Fiorenza. Il Convento di S Romano di Lucca. Nella Provincia di Regno. Li Conventi di S. Domenico, di S. Pietro Martire, e del Roſario di Napoli. Il Convento di S. Ludovico d'Averſa. Il Convento di S. Maria della Porta di Salerno. Il Convento di S. Domenico di Bagnuolo. Il Convento di S. Domenico di Seſſa. Nella Provincia di Sicilia. Li Conventi di S. Domenico, e di S. Zita di Palermo. Il Convento di S. Maria della Magra di Catania. Li Conventi di S. Domenico, e di S. Girolamo di Meſſina. Il Convento di Siracuſa. Il Convento dell' Annuntiata di Taurmina. Il Convento di S. Maria della Grotta di Maltauecchia. Il Convento di S. Domenico di Agrigento. Il Convento di S. Domenico di Trapani. Nella Provincia di S. Tomaſo di Puglia. Il Convento di S. Domenico di Monopoli. Il Convento di S. Pietro di Taranto. Il Convento di S. Domenico di Lecci. Il Convento di S. Domenico di Ferrandina. Il Convento di S. Domenico di Neritoni. Il Convento di S. Agoſtino di Lucera. Nella Provincia di Calabria. Il Convento di S. Domenico di Suriano. Il Convento della Nuntiata di S. Giorgio. Il Convento della Nuntiata di Catanzaro. Il Convento di S. Domenico di Altomonte. Il Convento di S. Domenico di Montalto. Il Convento di S. Domenico di Coſenza. Nella Provincia di S. Catarina di Siena d' Abruzzo. Il Convento della Madonna dell' Arco dioc. di Nola. Li Conventi di S. Severo Maggiore, e di Gesù Maria di Napoli. Il Convento di S. Domenico dell' Aquila. Il Convento di S. Domenico di Chieti. Il Convento di S. Domenico di Rieti. Nella Provincia di S. Domenico di Venetia. Il Convento di SS. Gio:, e Paolo di Venetia. Il Convento di S. Agoſtino di Padua. Il Convento di S. Nicolò di Treviſo. Il Convento di S. Domenico de Civitate. Nella Provincia di S. Pietro Martire. Il Convento di S. Euſtorgio di Milano. Il Convento di S. Domenico di Torino. Il Convento di S. Domenico di Chieri. Il Convento di S. Marco d' Aleſſandria. Nella Congregazione di Sardegna. Il Convento di S. Domenico di Cagliari. Il Convento del Roſario della Città di Saſſari. Sacra Congregatio Cardinalium negotiis regularium prępoſita cenſuit, committendum eſſe Eminentiſſimo Cardinali Antonio Barberino, Ordinis hujuſmodi apud hanc Sanctam Sedem protectori, prout pręſentis decreti virtute committit, ut pro ſuo arbitrio, & prudentia, & prout magis in Domino expedire arbitrabitur, petitam confirmationem Noviciatuum hujuſmodi concedat, dummodo ſinguli omnibus ſuis qualitatibus, & partibus ſint inſtructi ad pręſcriptum decretorum felicis recordationis Clementis VIII, atque in eis Novicii recipiantur, ſervata forma decreti S D. N. ſuper receptione, & educatione Noviciorum ultimo loco editi, necnon felicis recordationis Sixti V, ac aliarum Conſtitutionum Apoſtolicarum, ac decretorum pariter ejuſdem ſan. mem. Clementis VIII, inſtitutionumque generalium ſuper receptione, & educatione Noviciorum ipſius Clementis, ac ſanctę memorię Pauli V auctoritate editarum. Romę die prima Septembris MDCXXXIV M. Card. Ginettus. Vigore ſupradicti decreti ego Cardinalis Antonius Barberinus ejuſdem Ordinis Protector ſupradicta loca, & Conventus pro educatione Noviciorum concedo, & approbo Anno Domini MDCXXXIV die XXIX Novembris. Idem Cardinalis Antonius Barberinus. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Procurator Generalis omnia, & ſingula pręinſerta hujuſmodi Apoſtolicę confirmationis robore communiri plurimum deſideret, Nos dicti Procuratoris votis, quantum cum Domino poſſumus, annuere, illumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum a prędictę Congregationis Cardinalibus emanatum, necnon approbationem, & conceſſionem per dictum Antonium Cardinalem, & Protectorem, ut pręfertur, factam, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę auctoritatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes omnia, & ſingula pręinſerta, ac pręſentes literas, valida, firma, & efficacia eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari debere, ſicque, & non aliter per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores ubique judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium tenorem pręſentibus pro expreſſis habentes, hac vice duntaxat ſpe-

ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Januarii MDCXXXV, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

M. A. Maraldus.

1. *Inſtituendi.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & varia exemplaria authentica *Romæ* typis A. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCXXXV.*

Ut rata fiant vota (1) ſolemnia jampridem nuncupata non requiritur conſenſus Conventus Fratrum.

Anno 1635 Die 31 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

LXXVI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ALias per Nos accepto, quod quamplures Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum regularium profeſſores ad habitum regularem accepti probationis annum in Monaſteriis, ſeu domibus regularibus ad id deſignatis, vel ab Apoſtolica Sede approbatis minime fecerant, proindeque juxta Conſtitutionem felicis recordationis Clementis Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri deſuper editam, profeſſio per eos ſubinde emiſſa invalida exiſtebat, Nos, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris bonę memorię Scipioni Epiſcopo Sabinen. Cardinali Burgheſio nuncupato, majori Pęnitentiario, vel venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ceteriſque Ordinariis locorum, in quibus eorundem Religioſorum Monaſteria, domus, ſeu Conventus, aliaque regularia loca conſiſtebant, ſive ipſorum Religioſorum Pręfectis, vel Superioribus Generalibus per noſtras in ſimili forma Brevis ſub die II Aprilis MDCXXXI, expeditas literas commiſimus, & mandavimus, quatenus omnes, & ſingulos Religioſos prędictos, qui ad habitum regularem alias canonice recepti annum probationis in Monaſteriis, ſeu domibus regularibus ad id deſignatis minime fecerant, ſubindeque profeſſionem nihilominus emiſerant, ad profeſſionem denuo ſervatis alias ſervandis emittendam, quę ſic emiſſa illis, & eorum cuilibet tam in foro interiori, quam exteriori ſuffragari deberet, abſque novo probationis anno, ex ſpeciali hujus Sanctę Sedis benignitate, auctoritate noſtra Apoſtolica reciperent, & admitterent, eoſdemque, poſtquam profeſſionem denuo, ut pręfertur, emiſiſſent, ad omnes gradus, honores, dignitates, pręeminentias, atque habilitates, quas, ſi ab initio valide profeſſi eſſent, legitime obtinerent, eadem auctoritate reſtituerent, ac reſtitutos eo ipſo eſſe, & cenſeri declararent, ita ut haberent eundem locum, ſeſſionem, & votum, prout haberent ſi priores profeſſiones validę fuiſſent, & nondum promoti ad omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, ſervatis alias ſervandis, promoveri, & tam ipſi quam alii ad eoſdem Ordines jam rite promoti in ſuſceptis Ordinibus hujuſmodi etiam in Altaris miniſterio miniſtrare libere, & licite valerent. Necnon omnes actus, ſive contractus, quos contraxerant, & legitime contraxiſſent, vel cum laicis, vel cum aliis Monaſteriis, ſeu alterius Religionis viris, ſi nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, niſi ex eo ſolum quia initi, aut contracti erant invalide ab iis, qui contra dictam Conſtitutionem in domibus non deſignatis, ſive ab eadem Sede non approbatis, profeſſi erant, auctoritate noſtra prędicta confirmarent, & approbarent, ac validos omnino declararent, ſuper quibus omnibus, & ſingulis plenam, & amplam facultatem dicta auctoritate tribuimus, & impartiti ſumus, & alias, prout in dictis literis, quarum tenores pręſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, ſicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Prędicatorum Nobis nuper exponi fecit, in nonnullis dicti Ordinis Provinciis novę oriantur difficultates, quę conſcientias multorum ſolicitas habent, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit dictus Procurator Generalis, ut ſuper pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur omnem in pręmiſſis ambigendi, ſeu hęſitandi materiam e medio tollere, dictorumque Fratrum quieti, quantum cum Domino poſſumus, conſulere, ac Procuratorem Generalem prędictum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium prępoſitorum conſilio, Apoſtolica auctoritate prędicta, tenore pręſentium ſtatuimus, atque ordinamus, quod in ratificationibus, ſive novis profeſſionibus faciendis in manibus Prelati, nova Fratrum Vocalium acceptatio nullatenus requiratur, ſed ſtatim profeſſus intelligatur, & filius ejus Conventus, in quo profeſſionem fecerat, ſupplendo cum ſimplici ratificatione, ſeu nova profeſſione qualecunque requiſitum, quod de jure requireretur, ſeu de facto occurreret, cum retentione eorum graduum, officiorum, honorum, dignitatum, vel pręeminentiarum, quibus ad pręſens gaudent, ita tamen, ut qui de facto habitum regularem dimiſerint recipiantur, ſalva Ordinis diſciplina. Decernentes pręſentes literas, validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac omnibus, & ſingulis, quos illę concernunt pleniſſime ſuffragari, irritumque, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac omnibus illis, quę in dictis literis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud

apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXXI Januarii MDCXXXV, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

M A. Maraldus.

1. *Vota.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo autographum. In *Bullario Romano* eſt *CXCI*,

Anno 1635 Die 7 Februarii.

De annua penſione conſtituta Neapolitano Collegio S. Thomæ.

Ex Archivo (1) Ordinis.

LXXVII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Thomas (2) de Avalos de Aquino Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, qui ipſe, ut aſſerit, annis proxime elapſis habitum per Fratres Ordinis Prędicatorum geſtari ſolitum in Domo Regulari Sanctę Marię Sanitatis Neapoli dicti Ordinis ſuſcepit, antequam profeſſionem per eos emitti conſuetam, expreſſe emitteret, eidem domui Regulari quadringentos ducatos annuos poſt mortem legavit, quia vero Magiſter Generalis dicti Ordinis eundem Thomam Collegii Sancti Thomę Aquinatis Neapoli ejuſdem Ordinis ab anteceſſoribus dicti Thomę fundati filium declaravit, & Collegium hujuſmodi pauper exiſtit, ſufficientesque redditus non habet ad manutentionem quadraginta Fratrum dicti Ordinis, quorum major pars in eo bonarum literarum ſtudiis vacat, idcirco dictus Thomas quadringentos Ducatos annuos Collegio prędicto applicari deſiderat, & ad hoc dilecti filii Nicolai Rodulphi Magiſtri Generalis prędicti Ordinis expreſſus accedit aſſenſus, Nobis propterea dictus Thomas humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictum Thomam, pręmiſſorum meritorum ſuorum intuitu, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, attento conſenſu dicti Nicolai Magiſtri Generalis Ordinis hujuſmodi, legatum quadringentorum ducatorum hujuſmodi eidem Collegio Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium applicamus, decernentes pręſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, dictoque Collegio pleniſſime ſuffragari, ſicque per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Domus, Collegii, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis, quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die Septima Februarii MDCXXXV, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

M. A. Maraldus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

2. *Thomas.*) De quo poſtea.

Anno 1635 Die 6 Martii.

De B. Alberti (1) Magni officio recitando.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXVIII.

GERMANIÆ.

CUm alias per Sedem Apoſtolicam conceſſum fuerit, ut de Beato Alberto Magno Ratisbonę, Colonię, & in Civitate Lavingen. recitari poſſit Officium, & Miſſa celebrari, Cęſarea Majeſtas ſupplicavit Sanctiſſimo hujuſmodi gratiam extendi ad omnes Fratres Ordinis Prędicatorum per totam Germaniam, & ſupplicatione per Sanctiſſimum ad hanc Sacram Rituum Congregationem remiſſa, eadem Sacra Congregatio cenſuit concedendum, ſi Sanctiſſimo placuerit, & Sanctitas ſua annuit Die VI Martii MDCXXXV.

C. Epiſcopus Portuen. Card. Pius.

Loco † Sigilli.

Julius Roſpiglioſius.

1. *B. Alberti.*) Conſulenda Conſtitutio *XI Gregorii XV.* Legitur *pag.* 14 hujuſce Voluminis.

2. *Archivo.*) In quo autographum.

Quo-

Quomodo ſit intelligenda revocatio vivæ vocis oraculorum.

Anno 1635 Die 11 Aprilis.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

URBANUS PP. VIII.

LXXIX.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ALias felicis recordationis Gregorius Papa XV Prędeceſſor noſter, ut ſubnaſcentibus jugiter variis difficultatibus, & abuſibus ex privilegiis a Sede Apoſtolica vivę vocis oraculo ſępenumero conceſſis obviam iret, Conſtitutionem edidit tenoris ſubſequentis, videlicet. Gregorius Papa XV. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Romanus Pontifex in ſpecula militantis Eccleſię &c. (2). Et ſubinde per Nos accepto, quod experientia rerum magiſtra compertum erat, conceſſiones, & gratias vivę vocis Oraculo etiam a S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipſorum manu firmatas, ſępe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in diſciplinę Eccleſiaſticę detrimentum executioni demandari; idcirco, quantum cum Domino potuimus, his & aliis malis occurrere volentes; Motu proprio certaque ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine; de conſilio nonnullorum venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, quibus negotium hujuſmodi mature diſcutiendum commiſimus, omnia, & ſingula privilegia, facultates, licentias, & gratias quaſcunque per Summos Pontifices Prędeceſſores noſtros, ac per Nos vivę vocis oraculo, etiam S.R.E. prędictę Cardinalium quorumcunque manu firmata, quibuſcunque Generalibus, Provincialibus, ceteriſque Superioribus, & perſonis cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, ſive ſecularibus, ſive regularibus, vel etiam ipſis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Societati Jeſu, aut ejus clericis, ſeu Presbyteris, aliiſque perſonis prędictis quacunque de cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda, occaſione, prętextu, vel colore, etiam intuitu, & contemplatione, ſeu ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorumcunque, aut alias quomodolibet conceſſa, illorum tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, Apoſtolica auctoritate revocavimus, caſſavimus, ſuſtulimus, abrogavimus, & annullavimus, ac de cetero revocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque, & effectu vacua eſſe, & fore, nullique deinceps ſuffragari poſſe, nec debere declaravimus; prout in aliis noſtris deſuper in ſimili forma Brevis expeditis literis (3), quarum tenores pręſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem pro tempore exiſtentibus nonnullis noſtris, & Sedis Apoſtolicę Officialibus ſeu Miniſtris, qui eorum Officiorum, ſeu munerum ratione, de gratiis, conceſſionibus, & diſpoſitionibus quibuſcunque per Nos faciendis, mandatiſque, & juſſionibus noſtris exequendis, aliiſque rebus, & negotiis gerendis, nobiſcum diverſa tractant per ſe, ſeu de eorum mandato facienda, gerenda, & executioni demandanda vivę vocis Oraculo commiſerimus, & in dies circa ea, quę ad cujuslibet eorum officium, ſeu munus, quo funguntur, pertinent, committamus; Nos firmiori geſtorum de mandato noſtro per eoſdem Officiales, ſeu Miniſtros, validitati, eorundemque Officialium, ſeu Miniſtrorum ſecuritati conſulere volentes; Motu proprio, certaque ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine Officiales, ſeu Miniſtros prędictos, quibus alias ante emanatas prędictas Conſtitutiones, ex Officiorum ſuorum auctoritate, & prerogativa de oraculo per eos a Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus habito fides haberi ſolebat, quoad ea, quę, ut prefertur, ad cujuslibet eorum officium, ſeu munus, quo funguntur, pertinent, in literis etiam noſtris prędictis ſuper revocatione Oraculorum hujuſmodi emanatis minime comprehenſos fuiſſe, nec eſſe, nec comprehendi debere declaramus, & decernimus, & ad abundantiorem cautelam eoſdem Officiales, ſeu Miniſtros adverſus eaſdem Conſtitutiones, quatenus opus ſit, reſtituimus, & plenarie reintegramus in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi quoad illos prędictę Conſtitutiones non emanaſſent. Decernentes, pręſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Gregorii Prędeceſſoris hujuſmodi, noſtriſque literis pręfatis, ac omnibus illis, quę in dictis literis conceſſa ſunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XI Aprilis MDCXXXV, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar. In *Bullario Romano* eſt CXCV. Legitur *pag.* 79.
2. *Eccleſiæ &c.*) Ut in Conſtitutione *LVII Urbani VIII.*
3. *Literis.*) Huc ſpectat ſequens Inſtrumentum.

Decretum Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium.

PRo parte Fratris Dominici de Molina Ordinis Prædicatorum, & Procuratoris omnium Religionum Mendicantium, & non Mendicantium Provinciæ Bæticæ ſtante Conſtitutione felicis recordationis Gregorii XV revocatoria oraculorum vivæ vocis, petitur declarari, An gratiæ, & Privilegia vivæ vocis oraculo facta Magiſtris Generalibus, Vicariis generalibus, & Procuratoribus generalibus, conceſſa eorum Ordinibus, quæ ſortita fuerunt effectum ante revocationem, licet effectus habeat tractum ſucceſſivum, vel alias reſpiciant particulares perſonas, ut ſunt Præſentaturæ, vel Magiſteria, non obſtante prædicta revocatione maneant in ſuo robore, & valida cenſeantur, uti in dicta revocatoria Conſtitutione non comprehenſa vel aliqua indigeant revalidatione, tam in temporalibus quam in ſpiritualibus.

Sac. Congregatio Cardin. negotiis Regularium præpoſita;

Illuſtriſſimo de Cremona referente, prædictas gratias, & privilegia in dicta revocatoria Conſtitutione non comprehendi, nullaque revalidatione indigere, proindeque validas, & valida fore, & eſſe, eiſdemque ſecure uti poſſe cenſuit, prout alias fuit Reſponſum. Romæ Die XI Aprilis MDCXXV.

Ita reperitur in regeſto Sac. Congregationis Card. negotiis Regularium præpoſitæ, & collationat. concordat meliori &c. In quorum Fidem &c. Datum Romæ die II Maii MDCXXV.

A. Epiſcopus Caſert.

Loco † Sigilli.

Ex Caſtellino Tract. de Electione Cap. 5 & ex Reg. Sacræ Congregationis.

Anno 1635 Die 13 Auguſti.

De exemptione (1) Fratrum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Senonen. (3), ac Lexovien. (4), & Antiſiodoren. (5) Epiſcopis, ſive dilectis filiis eorum Officialibus, & eorum cuilibet.

LXXX.

URBANUS PP. VIII.

Venerabiles Fratres, ſive dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Regularium civitatis Rotomagen. petitio continebat, quod alias pro parte dilecti filii Promotoris Fiſcalis curię Archiepiſcopalis Rotomagen. (6) Nobis humiliter ſupplicato, quatenus cauſam, & cauſas appellationis, & appellationum pro dictorum Regularium parte, exemptionem ab Ordinaria juriſdictione prętendentium, interpoſitę, & interpoſitarum, & non commiſſę, quia lapſi erant ſex menſes a Sententiis, & Decretis Venerabilis Fratris Archiepiſcopi Rotomagen. ad favorem, & inſtantiam dicti promotoris Fiſcalis pro intereſſe Menſę Archiepiſcopalis, & contra dictos Regulares adverſarios condemnatos in diverſis pęnis, latius in ſententiis deſuper latis contentis, ad effectum, ut prędictus Archiepiſcopus executioni demandaret Jubileum a Nobis de Anno Domini MDCXXXIV pro Chriſti fidelibus impartitum, latis, ſeu factis, ac nullitatis, & nullitatum ex titulo iniquitatis, & injuſtitię, ac quam, & quas dictus procurator Fiſcalis contra Regulares prędictos, omneſque alios ſua intereſſe putantes, habebat, & movebat, habereque, & movere volebat, & intendebat, audien., & deciden. committere, aliaſque ei in pręmiſſis de opportuno juris remedio ſubvenire paterna ſolicitudine curaremus. Nos ejuſdem Procuratoris Fiſcalis precibus tunc annuentes, vobis per alias noſtras ſub dat. videlicet nona Maii Pontificatus noſtri Anno Duodecimo in ſimili forma Brevis literas dedimus in mandatis, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, vocatis ad id, qui forent evocandi, cauſam, & cauſas prędictas cum omnibus, & ſingulis ſuis inciden., dependen., annexis, & connexis, totoque negotio principali, etiam ſummarie, prout in Beneficialibus, auctoritate noſtra audiretis, cognoſceretis, fineque debito terminaretis, & decideretis, & alias prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut dicta petitio ſubjungebat, tacuerit dictus Promotor Fiſcalis, quod Regulares prędicti cauſam appellationis a diverſis ſententiis dicti Archiepiſcopi Rotomagen., ſive dilecti filii ejus Officialis contra eos latis ſuper eorundem Regularium Privilegiis, & exemptione, jam ante obten. per dictum Promotorem Fiſcalem literas prędictas coram Nobis introduxerant; quodque mandaveramus examinari eorum jura, ad effectum deſuper ſubinde providendi: quod quidem ſi expreſſiſſet, utique dictas literas vobis committi non extorſiſſet; ideo Nobis humiliter ſupplicari fecerunt Regulares prędicti, ut eis in pręmiſſis etiam opportune providere de ſimili benignitate dignaremur. Nos igitur eoſdem Regulares, & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis &c. abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus dictorum Regularium etiam inclinati, eidem Fraternitati veſtrę Fratres Archiepiſcope, & Epiſcopi, ſeu diſcretioni veſtrę dilecti Filii Officiales, per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus is veſtrum, qui hujuſmodi cauſę cognitionem aſſumpſerit, vocatis ad id, qui fuerint evocandi, ſuam inhibitionem moderetur, & revocet, nec in cauſa hujuſmodi ulterius procedat, perinde ac ſi dictę literę non emanaſſent. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII Auguſti MDCXXXV, Pontificatus noſtri Anno Tertiodecimo.

1. *Exemptione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur in *Bullario Carmelitano Parte II pag.* 480.
3. *Senonen.*) Vulgo *Sens*, in Gallia, ubi ceteræ Civitates de quibus hoc in Diplomate.
4. *Lexovien.*) Vulgo *Liſieux*.
5. *Antiſiodoren.*) *Auxerre*.
6. *Rotomagen.*) *Rouen*.

De

De Sacra ſupellectili non extrahenda ex Salmanticenſi (1) Cœnobio.

Anno 1635 Die 20 Auguſti.

LXXXI.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CONſervationi, & manutentioni paramentorum, & ornamentorum Eccleſię, & Sacriſtię Domus S. Stephani Salmantini Ordinis Fratrum Prędicatorum, quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere volentes, ſupplicationibus dilectorum filiorum Franciſci de Arauxo Magiſtri, & Anteceſſoris primarii Sac. Theologię in Univerſitate Studiorum Salmantinorum, ac Prioris, & Patrum a conſiliis dictę Domus, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quiſquam, etiam quavis auctoritate fungens, paramenta, & ornamenta quęcunque, cruces, candelabra, calices, vaſa ſacra, ex auro vel argento confecta, picturas, planetas, & quamcunque aliam ſacram ſupellectilem Eccleſię, & Sacriſtię hujuſmodi per quoſcunque Chriſti fideles hactenus quomodolibet donata, & aſſignata, ſeu in poſterum forſan donanda, ſeu aſſignanda, ex Eccleſia, & Sacriſtia hujuſmodi extrahere, ſeu quibuſvis Eccleſiis Monaſteriis, locis piis, ſeu perſonis ſecularibus, pręterquam Eccleſię Salmantinę ac Univerſitati prędictę commodare, vel ut extrahantur, ſeu commodentur permittere, ſub quovis prętextu, aut quęſito colore, cauſa, ratione, vel occaſione audeat, ſeu permittat, ſub excommunicationis, ac privationis vocis activę, & paſſivę pęnis per contrafacientes incurrendis Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Domus prędictorum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod pręſentis prohibitionis copia in valvis Eccleſię, ſeu Sacriſtię hujuſmodi, aut aliquo alio loco perſpicuo, unde ab omnibus cerni poſſit, continuo affixa remaneat. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX Auguſti MDCXXXV, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

M. A. Maraldus.

1. *Salmanticen.*) Juris eſt Provinciæ *Hiſpaniæ*.

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Salmanticen.*

Ne quis, inſcio Procuratore Generale, negotia (1) pertractet in Curia Romana.

Anno 1635 Die 3 Decembris.

LXXXII.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciſcus Galaſſinus Ordinis Prędicatorum Procurator Generalis, quod licet per decreta Capitulorum generalium dicti Ordinis prohibeatur ejuſdem Ordinis profeſſoribus ſub certis inibi expreſſis pęnis, ne per ſe, vel per alium, pro ſe, vel pro alio, etiam prętextu procurationis, vel commiſſionis ſibi datę a propria Provincia, vel domo Regulari, negotium aliquod, cujuſcunque illud generis ſit, quomodolibet tractare, procurare, inchoare, aut attentare audeant, niſi per pro tempore exiſtentem dicti Ordinis Procuratorem Generalem, vel de ejus ſcitu, & expreſſa in ſcriptis licentia, & alias prout in dictis decretis latius continetur, tenoris ſubſequentis, videlicet. Ex actibus Capituli Generalis Romę MDCXII. Admonemus omnes, ac ſingulos noſtri Ordinis Patres, ac Fratres, cujuſcunque gradus, ſtatus, & conditionis exiſtant, eiſdemque juſtis de cauſis, & ad tollenda, evitandaque incommoda multa, quę in dies oriri cognoſcimus, in virtute Spiritus Sancti, & ſanctę obedientię, & ſub formali pręcepto, necnon ſub pęnis excommunicationis latę ſententię, hac una, pro trina canonica monitione pręmiſſa, a qua nonniſi per Magiſtrum Ordinis, vel ejus Vicarium Generalem, pręterquam in mortis articulo poſſint abſolvi, & ſi Pręlati fuerint, ſub pęna etiam abſolutionis a ſuis officiis ipſo facto incurrenda, pręcipimus, & mandamus, ne in Romana Curia, negotium aliquod, cujuſcunque illud generis ſit, per ſe, vel per alium, pro ſe, vel pro alio etiam prętextu procurationis, vel commiſſionis ſibi datę a propria Provincia, vel Conventu quomodolibet tractare, procurare, inchoare, aut attentare audeant, niſi per prędictum admodum Reverendum Patrem Procuratorem Ordinis, vel de ejus ſcitu, & expreſſa licentia in ſcriptis. Revocantes pręſentium tenore omnes facultates, hactenus in contrarium datas, & ſi quas in poſterum his contrarias dari contingat. Ex actibus Capituli Generali Bononię MDCXV. Confirmamus, & revocamus ordinationem Romę factam MDCXII, & ſub pęnis in eodem Capitulo taxatis, pręcipimus omnibus, & ſingulis noſtri Ordinis Patribus, ac Fratribus, ut nemo ſive per ſe, ſive per alium, ſive ſecularis, ſive noſtri Ordinis Frater fuerit, & cujuſcunque gradus, & conditionis exiſtat, in Curia Romana quicquam ſine ſcitu Rev. admodum P. Procuratoris Ordinis tractare, vel procurare audeat. Nihilominus cum experientia compertum ſit, quod aut ſub prętextu ignorantię dictorum decretorum, aut quod illa non ſint in uſu, parum, aut nihil obſervantur in grave dicti Ordinis prę̨judicium, necnon officii Procuratoris Generalis illius ſpretum, idcirco

ne proviſſo obſervantię regularis adeo ſalutaris, & Ordini prędicto proficua, in deſuetudinem abeat, prędictus Franciſcus Procurator generalis, Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut decreta hujuſmodi, Apoſtolicę noſtrę confirmationis robore communire, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictum Franciſcum Procuratorem Generalem, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, decreta pręinſerta cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes illa, necnon pręſentes literas, valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Fratribus inviolabiliter obſervari debere, ac irritum, & inane ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S.Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Decembris MDCXXXV, Pontificatus noſtri Anno Decimotertio.

M. A. Maraldus.

1. *Negotia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria *Romæ* typis R.Cameræ Apoſtolicæ impreſſa.

Anno 1638 Die 1 Martii.

LXXXIII.

De SS. Sacramenti Confraternitate (1) conſtituta in Eccleſia Monaſterii ſiti in Oppido de Abrantes (2).

Ex Archivo (3) Ordinis.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CONſiderantes noſtrę mortalitatis fragilitatem, & humani generis conditionem, diſtrictique ſeveritatem judicii, percupimus, fideles ſingulos judicium ipſum bonis operibus, & piis precibus prevenire, ut per illa eorum peccata deleantur. Cum itaque, ſicut accepimus, in Eccleſia Monaſterii Monialium S. Marię de Gratia nuncupata, S. Dominici, ſeu alterius Ordinis Oppidi de Abrantes, Egitanenſis Dięceſis, una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas ſub invocatione Sanctiſſimi Sacramenti ad Dei Omnipotentis laudem, & honorem, animarumque ſalutem, non tamen pro hominibus unius ſpecialis artis inſtituta exiſtat, cujus dilecti filii Confratres quamplurima pietatis, caritatis, & meritoria opera exercere conſueverunt. Ut igitur ipſi, ac pro tempore exiſtentes dictę Confraternitatis Confratres in hujuſmodi piorum operum exercitio confoveantur, ac magis ad illa in poſterum exercenda, necnon alii Chriſti fideles ad dictam Confraternitatem de cetero ingrediendam per amplius invitentur, dictaque Eccleſia in debita veneratione habeatur, de ejuſdem Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, vere pęnitentibus, & confeſſis, qui dictam Confraternitatem de cetero ingredientur, die prima illorum ingreſſus, ſi Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſumpſerint, ac nunc, & pro tempore exiſtentibus dictę Confraternitatis Confratribus, ultimo decedentibus, & vere pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione, ſi id commode fieri poterit, refectis, in eorum mortis articulo nomen Jeſu corde, ſi ore nequiverint, invocantibus. Pręterea eiſdem Confratribus, ſimiliter vere pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Eccleſiam prędictam, ac dictę Confraternitatis Capellam, vel Oratorium Dominica infra Octavam Corporis Chriſti a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei Dominicę hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro S. Matris Eccleſię exaltatione, hęreſum extirpatione, infidelium converſione, ac inter Chriſtianos Principes concilianda pace, necnon Romani Pontificis ſalute, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium, & ſingulorum peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem perpetuo concedimus, & impartimur, ac etiam eiſdem Confratribus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Eccleſiam prędictam, ac dictę Confraternitatis Capellam, vel Oratorium in Nativitatis, & Conceptionis, ac Annunciationis B. Marię Virginis, necnon S. Antonii de Padua feſtivitatibus, ſingulis annis devote viſitaverint, &, ut prefertur, oraverint, qua die hujuſmodi quatuor poſteriorum feſtivitatum id pro tempore fecerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas. Poſtremo eiſdem Confratribus, quoties divinis Officiis in eadem Eccleſia, ſeu Capella, vel Oratorio, more Confratrum celebrandis, aut Congregationibus publicis, vel ſecretis ipſius Confraternitatis pro quocunque opere pio exercendo, interfuerint, aut ipſum Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur, aſſociaverint, vel qui impediti, campanę ad id ſigno dato, genibus flexis, ſemel Orationem Dominicam, & Orationem Angelicam pro eodem infirmo recitaverint, aut Proceſſionibus Ordinariis, & extraordinariis, vel ſepeliendis mortuis officioſe interfuerint, vel pauperes peregrinos hoſpitio receperint, aut pacem cum inimicis compoſuerint, ſeu devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes Dei pręcepta, & quę ad ſalutem ſunt, docuerint, aut quinquies Orationem Dominicam, & Salutationem Ange-

Angelicam prędictas pro animabus Confratrum dictę Confraternitatis in Chriſti caritate defunctorum, recitaverint, toties, pro quolibet pręmiſſorum piorum operum exercitio ſexaginta dies, de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pęnitentiis, auctoritate, & tenore pręmiſſorum miſericorditer in Domino relaxamus, pręſentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod ſi dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam ſit, vel in poſterum aggregetur, ſeu quavis alia ratione, pro illius Indulgentiis conſequendis, aut de illis participandis, uniatur, ſeu alias quomodolibet inſtituatur, priores, ſeu quęvis alię literę deſuper obtentę, pręter pręſentes, nullatenus ei ſuffragentur, ſed ex tunc prorſus nullę ſint eo ipſo. Quod ſi Confratribus prędictis ratione pręmiſſorum, aut alias aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, eędem pręſentes literę nullius ſint roboris, vel momenti. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Trigeſimo Septimo (4), Kalendis Martii, Pontificatus noſtri Anno Quintodecimo.

1. *Confraternitate.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Abrantes.*) In *Luſitaniæ* Regno:
3. *Archivo.*) In quo autographum.
4. *Trigeſimo Septimo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDCXXXVIII.*

Quilibet Prior Cœnobiorum Provinciæ Lombardiæ jus habet ſuffragium (1) ferendi in Comitiis Provincialibus.

Anno 1638 Die 28 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXIV.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Prior Provincialis Provincię Lombardię Fratrum Ordinis Prędicatorum, quod cum ſuperioribus annis, Priores Conventuum Provincię, & Ordinis hujuſmodi, in quibus duodecim Religioſi non exiſtebant, voce privati fuerint, propterea nullus dicti Ordinis profeſſor, aliqua ſpeciali nota, ſeu pręrogativa commendatus reperitur, qui quemque ex Prioratibus hujuſmodi acceptare velit, ex quo fit, ut ad dictos Prioratus perſonę illorum regimini, parum idoneę aſſumantur cum notabili Conventuum, totiuſque dictę Provincię detrimento. Quare dictus Prior Provincialis, de nonnullorum ex gravioribus dictę Provincię Patribus conſilio, Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, ut infra de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur proſpero, felicique Conventuum prędictorum regimini, & gubernationi, quantum cum Deo poſſumus, conſulere, ipſum exponentem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati. Quod perpetuis futuris temporibus Priores Conventuum dictę Provincię, Ordinis hujuſmodi, etiam in quibus duodecim Religioſi non exiſtant, vocem in Capitulo, uti olim habere conſueverant, in poſterum habere libere, & licite poſſint, & debeant, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes pręſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet in futurum ſpectabit, inviolabiliter obſervari debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper iis a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, decretis, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium tenores pręſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Martii MDCXXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Decimoquinto.

1. *Suffragium.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar in *Bullario Bononienſ* pag. 118 ex autographo *Bononien.*

Sacel-

Anno 1638 Die 22 Maii.

Sacellum (1), olim Cubiculum S. Catharinæ Senenſis, Indulgentiis ornat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXXV.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, dilectus filius noſter Antonius Sanctę Agathę Diaconus Cardinalis Antonius Barberinus nuncupatus noſter ſecundum carnem ex Fratre germano Nepos, Ordinis Sancti Dominici apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protector, pro eximia ſua in Deum pietate, ac erga Sanctam Catharinam Senenſem dicti Ordinis devotione, Capellam, olim cubiculum dictę Sanctę Catharinę in Urbe exiſtens, cum ſuis parietibus, incruſtationibus, & picturis antiquis in eo exiſtentibus transferri ad Eccleſiam B. Marię ſuper Minervam Domus Regularis dicti Ordinis de eadem Urbe, & prope Sacriſtiam dictę Eccleſię collocari curaverit, Nos eandem Capellam ſpiritualibus Indulgentiarum muneribus decorare volentes, Auctoritate nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi: Ut quandocunque Sacerdos aliquis ſecularis, ſive cujuſvis Ordinis Regularis Miſſam defunctorum, pro anima cujuſcunque fidelis, quę Deo in caritate conjuncta ab hac luce migraverit, ad Altare dictę Capellę celebrabit, anima ipſa de Theſauro Eccleſię per modum ſuffragii Indulgentiam conſequatur. Ita ut Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimę Virginis Marię, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus a Purgatorii pęnis liberetur, concedimus, & indulgemus. Inſuper mulieribus cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtant, ſub excommunicationis latę ſententię pęna, a qua non poſſint niſi a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore exiſtente, pręterquam in mortis articulo abſolvi; ne Capellam prędictam ingredi audeant, ſeu pręſumant, pręter quam in die feſto ejuſdem Sanctę Catharinę Senenſis, quo die mares eo devotionis cauſa confluentes ſub eadem pęna illam ingredi non poſſint, diſtricte prohibemus: Omnibus autem, & ſingulis fęminini ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, quę dictam Capellam die feſto Sanctę Catharinę prędicto a primis Veſperis, uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint Plenariam: Univerſis vero, & ſingulis maſculini ſexus Chriſti fidelibus, etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra eadem Communione refectis, qui eandem Capellam in Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Annunciationis, & Aſſumptionis B. Marię Virginis, necnon Sancti Dominici feſtis diebus a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis dierum hujuſmodi ſingulis annis devote ſimiliter viſitaverint, & ibi, ut prędicitur, oraverint, etiam Plenariam peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Ceterum ſpirituali conſolationi dilectarum in Chriſto filiarum nobilium mulierum, nunc & pro tempore exiſtentium nobilis, & antiquę Domus, & familię noſtrę Barberinę conſulere volentes, eiſdem mulieribus nunc, & pro tempore exiſtentibus, ut una cum aliis mulieribus eas comitantibus, ac cum ſuis matronis, & ancillis prędictam Capellam ultimo dictis quatuor feſtis diebus, abſque ullius pęnę propterea incurſu ingredi, eiſdemque mulieribus etiam comitantibus, ac matronis, & Ancillis vere penitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, quę Capellam hujuſmodi ultimo dictis quatuor feſtis diebus ut prędicitur viſitaverint, & ibi ut ſupra oraverint, quod eandem Indulgentiam Plenariam, & remiſſionem conſequantur, concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XXII Maii MDCXXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Decimo quinto.

M. A. Maraldus.

1. *Sacellum.*) Situm in ima parte Sacrarii *Minervitani* Cœnobii.
2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Minervitano*, & aliud typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſum anno *MDCXL.*

Anno 1639 Die 7 Aprilis.

De fundando Calaritano (1) Monaſterio.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXXVI.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario Venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Calaritani in ſpiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DEbitum Paſtoralis Officii Nobis divina diſpoſitione commiſſi expoſcit, ut ad ea, per quę Monaſteria, & alia regularia loca propagari, & in eis prudentes Virgines, ſpretis hujuſce mundi illecebris, & Religionis habitu aſſumpto uni ſponſo Jeſu Chriſto voto celebri, virginitatem ſuam pręſtare, ac flores honoris, & fructus honeſtatis, ęternamque beatitudinem conſectari valeant, propenſis ſtudiis intendamus, & in his ejuſdem officii noſtri miniſterium favorabiliter interponamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectę in Chriſto filię Antonię Melis Fures vidue

Diplomatis cauſa.

viduę, ac nobilis Calaritanę petitio continebat, quod cum dicta Antonia pro divini cultus augmento, & Religionis propagatione, ſuaque erga Sanctam Thereſiam, & Sanctam Catharinam de Senis devotione, & pietate in civitate Calaritana, ac loco ad id decenti, & opportuno, unum Monaſterium Monialium Ordinis Prędicatorum ſub invocatione Sanctarum Thereſię, & Catharinę, ac ſub regula, & inſtitutis Regularibus ipſius Sanctę Catharinę, necnon ſub cura, & gubernio Fratrum dicti Ordinis, ſuo ſumptu fundare decreverit, & ad ejus effectum jam inibi ſitum ędium ad id convenientium, & opportunarum in formam Monaſterii cum cellis, & officinis pro uſu, & habitatione unius Prioriſſę, & undecim Monialium aptari, & debita clauſura muniri fecerit, ſeu de proximo facere intendat, ac ipſi Monaſterio de Eccleſia ibidem contigua cum choro, & ſacriſtia ad interim providerit, redditumque annuum tutum, & ſecurum duorum millium ſexcentorum, & quadraginta ſcutorum monetę Sardinię, ad rationem decem regalium ejuſdem monetę pro quolibet ſcuto hujuſmodi in cenſibus ſupra civitatem prędictam, in ſumma triginta duorum millium ſcutorum ſimilium impoſitis, conſiſtentem, próprie donaverit, & aſſignaverit, ſeu donare, & aſſignare parata ſit, ita tamen, ut ipſa pluſquam ſexagenaria, & ejus genitrix adhuc vivens octogenaria in idem Monaſterium ingredi, & inter alias Moniales profiteri abſque aliqua dote, vel dotis ſubſidio poſſint, & valeant, dotes vero aliarum Monialium pro tempore introducendarum ſint ſexcentorum, & quinquaginta ſcutorum dictę monetę ad inſtar aliorum dictę civitatis Monaſteriorum, & Puellę educationis cauſa in illud recipiantur, habeantque dormitorium ſeparatum, & prętatio alimentorum non poſſit eſſe minus quinquaginta ſcutis in ſingulos annos, & habito ſupra prędiſſis cum Venerabili Fratre noſtro moderno Archiepiſcopo Calaritano, tractatu, ipſe Archiepiſcopus, ut hoc pium, & laudabile dictę Antonię inſtitutum ad debitum finem, & effectum perduci queat, in hoc libenter conſenſerit, ſub his tamen conditionibus, videlicet, quod in iis diebus, quibus in Eccleſia Metropolitana habebitur concio, non poſſit haberi in Eccleſia Monaſterii, & ſi de mane illa habebitur, poſſit in hac de veſpere haberi, & e contra. Si tamen de mane, & veſpere in illa habebitur, ea die in hac haberi non poſſit. Pręterea, quod nullus poſſit ſepeliri in Eccleſia Monaſterii, niſi cum interventu Cleri, & Capituli dictę civitatis, exceptis tamen Monialibus quę in ea ſepelientur cum interventu Fratrum dicti Ordinis. Et ſi quis in illa ſepelietur, Moniales ne quid minimum accipere poſſint de torciis, candelis, aut aliis rebus circum cadavera exiſtentibus, ſed ea omnia cedant, cui de jure, & idem intelligatur de exequiis, & catafalcis, eo die tantum, quo cadaver ſepulturę tradetur, ac demum, quod dictę Moniales cuique cujuſvis conditionis ſepulturam dare non poſſint, niſi cum licentia pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Calaritani, & in eventu illius conceſſionis, ea ſine menſę Archiepiſcopalis, & Parochię jurium pręjudicio conceſſa intelligatur. Quare pro parte dictę Antonię Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus omnibus his favorabiliter annuere, & omnia pręfata, ſi & poſtquam debita clauſura munita, omnibuſque ſuis numeris, & partibus ad id neceſſariis, & opportunis abſoluta fuerint, in Monaſterium, ut infra erigere, aliiſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis, divinique cultus, ac piorum operum propagationem noſtris potiſſimum temporibus ſinceris exoptamus affectibus, dictam Antoniam a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodata exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutam fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex voto Congregationis venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium prępoſitorum, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus poſtquam dictum Monaſterium omnibus ſuis numeris, & partibus abſolutum, debitaque clauſura munitum, ac ei per dictam Antoniam redditus annuus ſupradictus realiter, & cum effectu, ac perpetuo donatus, & aſſignatus fuerit, & pręſtatus, in Monaſterium Monialium Ordinis Prędicatorum ſub invocatione Sanctę Thereſię, & Sanctę Catharinę de Senis, ac ſub Regula, & inſtitutis Regularibus ipſius Sanctę Catharinę de Senis, ſub cura, & gubernio dictorum Fratrum pro uſu, & habitatione unius Prioriſſę, & undecim Monialium, ac duarum Converſarum ultra Antoniam, & ejus Matrem, conſenſum pręſtes, pro hac prima vice. Ita quod dicti Monaſterii fabrica, & commoditatibus excreſcentibus, illiuſque redditibus ſufficientibus numerus illarum ad proportionem augeri poſſit cum dote tamen, ſeu eleemoſyna ſexcentorum quinquaginta ſcutorum dictę monetę in earum ingreſſu ſolvenda, & ad commodum dicti Monaſterii inveſtienda. Antonia, & ejus Matre, ac quatenus ita expediens videbitur, Converſa, pręfatis exceptis, ultra utenſilia ad earum cameras, & perſonas, neceſſaria, & opportuna recipi, & admitti, ipſęque ſic receptę & admiſſę habitum per Moniales ejuſdem Ordinis geſtari ſolitum, ſuſcipere, & anno probationis elapſo Profeſſionem in manibus earum Prioriſſę pro tempore exiſtentis emittere, perpetuamque clauſuram, ac ritum, mores, conſuetudines, regulariaque inſtituta pręfati Ordinis ſervare, diviniſque laudibus, & Officiis inſiſtere, nec quidquam niſi in communi poſſidere, ipſęque omnes, ac Monaſterii perpetuo erigendi, proprietates, & bona univerſa, mobilia, & immobilia, pręſentia, & futura cujuſcunque quantitatis, generis, & ſpeciei exiſtentia, tam quoad ſpiritualia, quam quoad temporalia, ſub dictorum Fratrum Ordinis Prędicatorum cura, gubernio, regimine, adminiſtratione, correctione, viſitatione, & ſuperioritate ſubjacere, ac vivere debeant, ac ſub conditionibus ſuperius expreſſis, auctoritate noſtra perpetuo, ſine tamen alicujus pręjudicio, & dummodo in idem Monaſterium erigendum non recipiatur major numerus Monialium, quam ibi commode, ali, & manuteneri poſſit, erectus, & inſtitutus, illique ſic erecto, & inſtituto pro ejus dote, ac commodo Prioriſſę, & Monialium prędictarum ſuſtentatione, onerumque illis incumbentium ſupportatione, prefatum redditum duorum millium ſexcentorum, & quadraginta ſcutorum in pręfatis cenſibus conſiſtente, necnon omnia alia, & quęcunque jura, uſufructus, redditus, proventus, livellos, obventiones, & emolumenta, per dictam Antoniam, & alios quoſcunque Chriſtifideles in perpetuum, vel ad tempus, ſimul, vel ſucceſſive pro augmento bonorum illius, & Monialium prefatarum ſemel conceſſa, earum intuitu, & contemplatione, per viam teſtamenti, codicillorum, & do-

Facultas.

donationis inter vivos, & cauſa juris, uſufructus, ſeu alterius cujuſcunque diſpoſitionis, ac etiam in eleemoſynam, vel alias quomodocunque, & qualitercunque donanda, aſſignanda, & eroganda ex nunc, prout poſtquam donata, aſſignata, & erogata fuerint, ita quod liceat Prioriſſę, & Monialibus prędictis, corporalem, realem, & actualem illorum omnium, & jurium, & pertinentiarum ſuarum quarumcunque poſſeſſionem per ſe, vel per alium, ſeu alios, earum, ac dicti Monaſterii nomine libere apprehendere, & apprehenſam perpetuo retinere, fructuſque, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta ex eis provenientia quęcunque percipere, exigere, levare, recuperare, regere, adminiſtrare, locare, arrendare, ac in communes dicti Monaſterii erigendi uſus, & utilitatem convertere, Dięceſani, vel alterius cujuſvis licentia deſuper minime requiſita, eadem auctoritate, & perpetuo applicare, & appropriare. Nos enim ſi erectionem, inſtitutionem, applicationem, & appropriationem prędictam per te, vigore pręſentium fieri contigerit, ut pręfertur, eidem Monaſterio, illiuſque Prioriſſę, & Monialibus, ac perſonis, ut omnibus, & ſingulis facultatibus, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prerogativis, pręeminentiis, antelationibus, conceſſionibus, indultis, indulgentiis, favoribus, & gratiis aliis univerſis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, quibuſvis aliis Monialium pręfati Ordinis Monaſteriis, eorumque Abbatiſſis, Prioriſſis, Monialibus, & perſonis in genere, & in ſpecie, & per viam ſimplicis communicationis, ac alias quomodolibet conceſſis, & in poſterum concedendis, ac quibus illa, & illę de jure, uſu, conſuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ſimiliter, ac pariformiter, & abſque ulla prorſus differentia, uti, frui, potiri, & gaudere poſſint, & valeant, in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi illa Monaſterio erigendo, illiuſque Prioriſſę, & Monialibus, ac perſonis hujuſmodi ſpecialiter, & expreſſe conceſſa eſſent, dummodo tamen ſint in uſu, & non revocata, nec ſub aliqua revocatione comprehenſa exiſtant, ac ſacris canonibus, maximeque Sacri Concilii Tridentini decretis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, dictique Ordinis Regularibus inſtitutis non adverſentur. Necnon Prioriſſę, & Monialibus pręfatis, ut ſtatuta, conditiones, capitula, & decreta quęcunque ad earum, & Monaſterii hujuſmodi, illiuſque perſonarum, rerum, & bonorum temporalium, curam, regimen, gubernium, directionem, adminiſtrationem, ac Monialium pręfatarum receptionem, admiſſionem, ętatem, qualitates, victum, amictum, veſtitum, inſtructionem, & diſciplinam, modumque, & formam recitationis Divinorum Officiorum, precum, orationum, & aliorum ſuffragiorum pertinentia, ac alia utilia, & neceſſaria, licita tamen, & honeſta, ſacriſque canonibus, & inſtitutis regularibus Ordinis hujuſmodi, conſtitutionibuſque Apoſtolicis, ac dicti Concilii decretis minime contraria, & ab Ordinario loci prius examinanda, & approbanda, facere, & edere, ac quotieſcunque pro temporum, & rerum qualitatibus, ac alias expediens videbitur illa immutare, corrigere, moderare, ac in melius reformare, aliaque ex integro per Prioriſſam, & Moniales, aliaſque perſonas pręfati Monaſterii erigendi, & inviolabiliter ſub pęnis in eis infligendis obſervanda, & adimplenda, condere pariter poſſint, & valeant. Necnon Ordinario loci pręfato, pro Monialium in dicto Monaſterio erigendo, pro tempore introducendarum felici directione, ac in ritu, moribus, & regularium inſtitutorum inſtructione, duas, vel tres Moniales, ad arbitrium, electionem, & voluntatem facultatem concedimus educendi ex aliquo pręfati, vel alterius Ordinis Monaſterio pręfatę civitatis expreſſe profeſſas, vitęque integritate, & Regularis diſciplinę peritas, laudatas, ad id voluntarias, de ſuorum ſuperiorum licentia, & conſenſu, & in Monaſterium hujuſmodi erigendum introducendi: Ita quod illę ſic educendę per earum conſanguineas, graveſque Matronas comitari, & aſſociari, ac ab uno Monaſterio ad aliud abſque diverticulo tendere, & cum modeſtia ac earum oris parte velata, prout ſponſas Chriſti decet, incedere debeant, eoque tranſacto per aliquot annos ad firmandam regularem obſervantiam, ibidem permanere, & tempore hujuſmodi elapſo vel ad ſuum Monaſterium, pari comitatu remitti, vel uti Moniales in pręfato Monaſterio erigendo profeſſę, in eodem de earum conſenſu commorari poſſint. Demum locum deſtinatum in ipſo Monaſterio erigendo, & a Monialium cellis prorſus diviſum, & ſeparatum, in quo puellę ſeculares, honeſtę educationis cauſa, ac ſub earundem Prioriſſę, & Monialium cura, & gubernio, cum pręſtatione annua ad minus quinquaginta ſcutorum pręfatorum morari, atque bonis moribus, & doctrinę Chriſtianę rudimentis, aliiſque laudabilibus, & ſuo ſexui convenientibus operibus, & exercitiis inſtrui, & erudiri poſſint, deſignandi, Prioriſſę autem, & Monialibus pręfatis Cappellanum de earum, ac Fratrum pręfatorum auctoritate ponendum, & amovendum, ac ab Ordinario loci pro tempore, & in ſcriptis approbandum, qui dictarum Monialium Confeſſiones excipiat, illiſque Sacramenta eccleſiaſtica adminiſtret, ac Miſſam in earum propria Eccleſia quotidie celebret cum competenti ſalario deputandi, licentiam, ac facultatem, Apoſtolica auctoritate, tenore earundem pręſentium indulgemus, ac reſpective licentiam, & facultatem impartimur. Decernentes, pręſentes literas ſemper, & perpetuo validas, & efficaces fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, neque ab illis ullo unquam tempore reſiliri, vel recedi, ſicque ab omnibus, & ſingulis cenſeri, & ita per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, & de latere Legatos & Vice-legatos, Sediſque Apoſtolicę Nuncios, judicari, & definiri, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, & ab ordinariis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Univerſalibuſque Conciliis, editis, vel edendis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus, dictique Ordinis, & illius Monaſteriorum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod Antonia, & ejus Mater pręfatę, ad munus Prioriſſę abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicę licentia eligi nequeant. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo Nono, Septimo Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Decimo ſexto.

1. Ca-

1. *Calaritano.*) In *Sardinia*.

2. *Archivo.*) In quo triplex exemplar authenticum ex autographo *Calaritano*.

Præfinitio numeri Magiſtrorum (1) Provinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum.

Anno 1639 Die 17 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXVII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

IN his Apoſtolici noſtri muneris partes libenter interponimus, per quę felici regularium perſonarum ſtatui opportune conſuli judicamus. Nuper ſiquidem pro parte dilecti filii Michaelis Mazarini (3) Sac. Theologię Magiſtri, ac Romanę Provincię Fratrum Ordinis Prędicatorum Prioris Provincialis Nobis expoſitum fuit, quod in non mediocre dictę Provincię bonum cederet, ſi quemadmodum in quibuſdam aliis dicti Ordinis Provinciis ſancitum eſt, certus, & determinatus Magiſtrorum in Sacra Theologia Ordinis hujuſmodi cum loco, & voce, qui acceptati communiter nuncupari ſolent, numerus in dicta Romana Provincia per Nos conſtitueretur, Nobis propterea dictus Michael Prior Provincialis hujuſmodi humiliter ſupplicari fecit, ut in prçmiſſis opportune, ut infra providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ejuſdem Provincię felici regimini, & gubernio, quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere, ipſumque exponentem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pręfatis Magiſtris acceptatis in Provincia Romana hujuſmodi numerum vicenarium, qui nonniſi per eos, qui in Studio Generali dictę Provincię Regentis munere functi fuerint, excedi poſſit, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium prçſcribimus, & prefinimus. Ac inſuper quod de cetero nullus niſi Regens, ut ſupra fuerit, in ejuſdem Provincię Magiſtrum acceptari valeat, donec & quoaduſque Magiſtri, qui modo ſunt in dicta Provincia acceptati, quibus per prçſentes nullum prçjudicium inferre intendimus, ad numerum viginti redacti fuerint, auctoritate, & tenore prçſentium interdicimus, & prohibemus. Decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Capitulorum Generalium dicti Ordinis decretis, ſi quæ prçmiſſis adverſentur, ac Ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel ſpecie, ac alias in contrarium prçmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenoribus prçſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prçmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII Maii MDCXXXIX, Pontificatus noſtri Anno Decimoſexto.

M. A. Maraldus.

1. *Magiſtrorum.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ edita anno *MDCXXXIX*. In *Bullario Romano* eſt *CCXXXVII.*

3. *Mazarini.*) Poſtea S. R. E. Cardinalis, ut in *Appendice ad Pontificatum Innocentii X.*

Quod Priores Provinciales Provinciæ Romanæ Ordinis Prædicatorum debeant eſſe Biennales (1).

Anno 1639 Die 28 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXVIII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

NUper pro parte dilecti filii Michaelis Mazarini (3) in Sacra Theologia Magiſtri, ac Romanę Provincię Fratrum Ordinis Prędicatorum Prioris Provincialis Nobis expoſitum fuit, quod dictę Provincię Priores Provinciales ante Capitulum Generale ejuſdem Ordinis in Alma Urbe noſtra noviſſime de Anno MDCXXIX celebratum biennales erant, in eo autem Capitulo Generali ſtatutum fuit, ut Priores Provinciales ab inde quadriennales forent, exceptis tamen Provinciis ſpeciali quoad hoc indulto Apoſtolico gaudentibus. Verum quia dubitari poteſt, an in prędicta Provincia Romana hujuſmodi indultum vi-

vigeat, ad omnem ſcrupulum e medio removendum ſtatutum etiam fuit in dicta nuper in eadem Alma Urbe in domo Regulari, ſeu Conventu S Marię ſuper Minervam dicti Ordinis habita, ſupplicandum eſſe, prout idem exponens Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur felici Provincię hujuſmodi gubernio, quantum cum Domino poſſumus, conſulere, ac eundem Michaelem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati. Quod de cetero perpetuis futuris temporibus dictę Provincię Romanę Priores Provinciales biennales ſint, & eſſe debeant, nec ultra biennium in hujuſmodi Provincialatus officio perdurare poſſint, & quicquid ſecus a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane exiſtat, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium decernimus, ſtatuimus, & ordinamus reſpective. Non obſtantibus prędicta Capituli Generalis ordinatione, ſeu ſtatuto, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium tenoribus pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Maii MDCXXXIX, Pontificatus noſtri Anno Decimoſexto.

M.A. Maraldus.

1. *Biennales.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCXXXIX.* In *Bullario Romano* eſt *CCXXXVIII.*

3. *Mazarini.*) Poſtea S. R. E Cardinalis, ut in *Appendice ad Pontificatum Innocentii X* dicetur.

Anno 1640 Die 17 Februarii.

LXXXIX.

Firmat ea, quæ pro Regni Provincia ſancita ſunt a Generali Magiſtro.

Ex Archivo (1) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Michael Torres Sacrę Theologię Magiſter, ac Provincię Regni nuncupatę Fratrum Prędicatorum Prior Provincialis, quod alias dilectus filius Nicolaus Rodulphius ejuſdem Ordinis Magiſter Generalis in actuali ejuſdem Provincię viſitatione per eum tunc facta, ad felicius regularis diſciplinę incrementum, ac majorem Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, & ad tollenda in eadem Provincia quęvis diſſidia, decrevit, & ordinavit, ut ex tunc in poſterum in prędicta Provincia inter Priores Provinciales, & Priores Conventuum S. Dominici, ac S. Petri Martyris, ac Sanctiſſimi Roſarii Neapolitanorum, ceterorumque tam in ipſa Civitate Neapolitana, quam extra illam exiſtentium, necnon Diffinitores, & Socios eligendos, ſervaretur, alternativa ſemel ex natione Neapolitanorum, & ſemel ex natione exterorum, & inſuper, ne deinceps Priores Provinciales immediate poſt expletum eorum officium ad Prioratus Conventuum dicti Ordinis in dicta Civitate exiſtentium aſſumerentur, neque vice verſa Priores actuales eorundem Conventuum in Priores Provinciales eligerentur, & alias prout in ejuſdem Nicolai Magiſtri Generalis hujuſmodi patentibus literis datis in eadem Civitate ſub die VII Decembris (2) MDCXXXIX, tenore ſubſequentis, videlicet. In Dei filio ſibi dilectis AA.RR.PP. noſtrę Provincię Regni Ordinis Prędicatorum Fr. Nicolaus Rodulphius Sacrę Theologię profeſſor, ac totius ejuſdem Ordinis Generalis Magiſter, & in Domino ſervus, ſalutem, & perpetuam dilectionem, atque animarum tranquillitatem. Cum pro noſtri muneris debito in eam pręcipue curam intendimus, ut totus Ordo, Nobis divina ſit diſponente clementia commiſſus, religioſa pace, ac tranquillitate fruatur, non potuimus petitionem a dilectiſſima Nobis Provincia Regni factam negligere, ob quam ab ultimo Capitulo Generali Romę celebrato in prima pro eadem Provincia ordinatione injunctum Nobis fuit, ut quantum fieri poteſt religioſam, mutuamque animarum unionem inter ejuſdem Provincię Fratres ſtatueremus, & alternativam in electionibus Provincialium, & Diffinitorum, tam Provincialium, quam Generalium, Electorumque, ac Priorum ab eadem Provincia in prędicto Capitulo inſtanter petitam concederemus, quam quidem petitionem in Capitulo intermedio congregati A. R. P. Provincialis tunc temporis P. Fr. Ignatius Ciantes, ac omnes Patres Magiſtri, & Priores Provincię Nobis iterum propoſuerunt, magiſque ſub his verbis explicuerunt, nimirum ut Provinciales in poſterum eligendi in eadem Provincia alternatis vicibus eligantur ſemel ex Fratribus Neapolitanis in eadem Civitate natis, & ſemel ex Fratribus exteris, iis ſcilicet qui extra Urbem Neapolitanam nati ſunt, & ut Definitori eunti ad Capitulum Generale, ſi fuerit Neapolitanus, detur ſocius ex exteris, ſi vero exterus detur ei, ab eis Neapolitanus. Cum vero inſtat electio Magiſtri Ordinis, Definitor, & Socius ſint diverſę nationis ab ea, cujus eſt Provincialis. Definitores Capituli Provincialis, duo ſint Neapolitani, & duo exteri, Prior S. Dominici de Neapoli ſit ejuſdem nationis cujus eſt Provincialis, Priores Sancti Petri Martyris, & Sanctiſſimi Roſarii de Neapoli ſint alterius, & ſic Conventus, & loca, quorum Fratres Nea-

Neapolim advenientes in Conventu S. Dominici, vel S. Petri Martyris hoſpitio recipiuntur, habeant Priores, vel Vicarios ejuſdem nationis Conventus, in quo hoſpitantur, & ita in horum Conventuum, & locorum Prioribus, & Vicariis diſpenſare P. Provincialis non poſſit, niſi de licentia in ſcriptis noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum toties quoties opus fuerit obtinenda, ita tamen, ut juſtitiam diſtributivam ſemper prę oculis habeat. Priores vero Provinciales expleto eorum officio, non poſſint immediate eligi in Priores Conventuum Neapolitanorum, ſicuti nec Priores eorundem Conventuum eligi in Provinciales. Nos igitur, cum divina diſponente bonitate modo in ejuſdem Provincię Regni viſitatione ſimus, ſperamuſque ceſſuram in magnum regularis diſciplinę incrementum, Deique majorem laudem, & gloriam, ut, ſi quę forte adhuc reſident in hac Provincia diſſidia, quantum in Nobis eſt, penitus auferamus, cenſuimus tandem petentium votis annuendum, nec diutius differenda petita munera pacis, hoc pręſertim tempore, quo recurrente Salvatoris noſtri Natali die totus Chriſtianus Orbis novo pacis rore perfunditur. Invocata igitur Spiritus Sancti gratia, qui pacis, & caritatis dator eſt, tenore pręſentium, poſt maturam diſcuſſionem, auctoritate Apoſtolica Nobis in forma Brevis, ſub datum Romę die XXI Julii MDCXXXIX conceſſa, decernimus, & ordinamus, ut in poſterum in prędicta Provincia Regni inter Provinciales, & Priores dictorum Conventuum, tam Neapoli, quam extra Neapolim exiſtentium, ac Diffinitores, & ſocios eligendos ſervetur alternativa, ſemel ex natione Neapolitana, & ſemel ex natione exterorum, juxta ſupraſcriptam Patrum ejuſdem Provincię petitionem. Sicuti, & ordinamus, & decernimus, ne deinceps Priores Provinciales immediate poſt expletum eorum officium ad Prioratus Conventuum Neapoli exiſtentium aſſumantur, neque vice verſa Priores actuales eorundem Conventuum in Provinciales eligantur, conformiter ad ſupra expoſitas petitiones. Decernentes, & declarantes omnem, & quamcunque electionem tam Provincialium, quam Priorum ſupradictorum, quę deinceps aliter facta fuerit, quam hoc noſtrum decretum diſponit, omnino fore irritam, nullam, & inanem. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Quibuſcunque in contrarium facientibus non obſtantibus. Ceteras vero ejuſdem Provincię petitiones ad Generale Capitulum examinandas remittimus. In quorum fidem &c. Datum Neapoli die VII Decembris MDCXXXIX. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Michael pręmiſſa pro illorum firmiori ſubſiſtentia Apoſtolicę noſtrę confirmationis robore communiri ſummopere deſideret, Nos, cupientes, ut inter dictę Provincię Fratres mutua animorum unio, & conſentio vigeat, ipſumque Michaelem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus illius nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum prędictum, ac deſuper confectas, pręinſertas ejuſdem Nicolai Magiſtri Generalis hujuſmodi patentes literas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes pręinſertas, & pręſentes noſtras literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, dictęque Provincię, & illius Fratribus in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII Februarii MDCXL, Pontificatus noſtri Anno Decimoſeptimo.

M. A. Maraldus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Neapolitano*. 2. *Decembris.*) In exemplari legitur *Martii*, mendoſe tamen.

S. P. Dominicus Patronus, & Protector Civitatis, & Regni Neapolitan. conſtitutus.

Anno 1640 Die 23 Auguſti.

Ex Archivo (1) Ordinis.

URBANUS PP. VIII. XC.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſervos ſuos ęterne glorię pręmio donat in cęlis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex injuncto Nobis Paſtoralis officii debito procurare tenemur, ut eorundem ſervorum Chriſti debitus honor, & veneratio in terris in dies magis promoveatur, & laudetur Dominus in Sanctis ſuis. Quamobrem Chriſti fidelium ad eorundem Sanctorum patrocinium confugientium vota, ut optatum ſortiantur effectum, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, ac deſuper ejuſdem officii partes propenſis ſtudiis impendimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis Neapolitanę, aliarumque Communitatum, & Univerſitatum, ac hominum totius Regni Neapolitani, Nobis nuper expoſitum fuit, quod ipſi

ipſi ob ſingularem, quem erga Sanctum Dominicum Ordinis Prędicatorum Inſtitutorem gerunt devotionis affectum (2), eundem Sanctum Dominicum in Patronum, & Protectorem Civitatis, & Regni hujuſmodi elegerunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, exponentes prędicti plurimum cupiant electionem hujuſmodi, quo firma perpetuo ſubſiſtat, noſtro, & hujus Sanctę Sedis Apoſtolicę patrocinio communiri. Nos eorundem exponentium pietatem, & conſilium hujuſmodi plurimum in Domino commendantes, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus exponentium eorundem nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Prępoſitorum, conſilio, electionem prędictam, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod pręſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę eiſdem pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Auguſti MDCXXXX, Pontificatus noſtri Anno Decimo octavo.

M. A. Maraldus.

1. *Archivo.*) In quo exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ edita anno *MDCXL*. In *Bullario Romano* eſt *CCLXIV*. Legitur etiam apud *Paulum Caracciolum* in libro cui titulus: *Il Trionfo di S. Domenico Protettore della Città di Napoli, e di tutto il ſuo Regno.*

2. *Devotionis affectum.*) Hinc ſequens Diploma.

Lettera di S. M. perche ſi ſolennizzi la Feſta di S. Domenico Guſmano alli 4 d' Agoſto.

DOn Phelippe. Por la gracia de Dios, Rey de Caſtilla, de Leon, de Aragon, de las dos Sicilias, de Hieruſalem, de Portugal, de Navarra, y de las Indias &c. Duque de Milan. Illuſtr. Marques de Caracena, pariente, mi Governador, y Capitan General del Eſtado de Milan &c. Siendo tanta la devotion, que todos mis Reynos, y Eſtados deben tener, y tienen à S. Domingo in Soriano Patriarca de tan Sagrada Religion, aſſi por el util que de la doctrina de ſus hijos ſe hà ſeguido à la Yglefia Catholica, y cada die ſe aumenta, como por ſer natural deſtos de Eſpana eſte glorioſo Santo. He reſuelto, que ſu fieſta, que cae en 4 de Agoſto de cadaun año, ſe guarde, y ſolenize, como las de mas, que ay de guarder en eſſe mi Eſtado, y aſſi dareis à los Tribunales del para la execucion deſte deſpacho la orden neceſſaria, y conveniente en virtud de la qual es mi voluntad guarden, y hagan guardar la fieſta del dicho Santo como ſi fuera de precepto de la Yglefia. Y de haverlo executado me dareis aviſo porque quiero tenerlo entendido. De Madrid à XXXI de Mayo de mil y ſeiſcientos y cinquenta y dos años. Firmada Yo el Rey, con rubrica del Preſidente del Conſejo. V. Sobremonte R. V. Comes de Mora Conſ. V. Feolaga R. V. Brandolinus R. V. Anſalone R. V. Cantonus Reg. Subſcr. Gregorio de Tapia. A tergo Al Il. Marques de Caracena, pariente, mi Governador, y Capitan General del Eſtado de Milan, & ſigillat. &c.

Literæ Senatus Excellentiſſimi DD. Prætoribus Civitatum, & Locorum inſigniorum Dominii Mediolani.

Philippus IV Hiſpaniarum &c. Rex, & Mediolani Dux III &c.

DIlecte noſter. Regiis Literis noſtris Matriti datis die XXXI Maii MDCLII juſſimus diem quartam Auguſti, qua ſingulis annis recolitur memoria Glorioſiſſimi Patriarchæ Divi Dominici celebrem fore, ut ex annexo exemplo. Cupientibus autem venerab. Fratribus Sanctæ Mariæ Gratiarum hujus Civitatis, nomine etiam ceterorum Dominicanæ familiæ, eam juſſionem vulgari, & ubique locorum hujus dominii exequutioni demandari, committimus vobis, idem enim etiam injunximus Prætoribus Civitatum, & ceterorum locorum inſigniorum, edicatis juxta ea Regia mandata noſtra, ut artifices tabernas, & apothecas clauſas teneant, & Populi iſtius Civitatis, & diſtrictus abſtineant ab operibus publicis ipſo die feſto dicato S. Dominico prout ſervatur ceteris diebus feſtis ex præcepto. Mediol. die XX Junii MDCLIII.

Philippus Meda.

Anno 1640 Die 16 Octobris.

Confirmatio Declarationis Conſtitutionis Clementis PP. VIII de Largitione munerum (1) Regularibus utriuſque ſexus interdicta.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCI.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

NUper a Congregatione nonnullorum Romanę Curię Pręlatorum, coram dilecto filio noſtro Antonio tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali S. Honuphrii nuncupato, majori Pęnitentiario, ac noſtro

noſtro in alma Urbe Provicario in ſpiritualibus generali, & noſtro ſecundum carnem fratre germano, a Nobis deputata, emanavit declaratio tenoris ſubſequentis videlicet. Cum circa interpretationem Conſtitutionis felicis recordationis Clementis VIII ſub dat. XIII Kal. Julii Pontificatus ſui Anno Tertio, de Largitione munerum Regularibus utriuſque ſexus interdicta, nonnullę difficultates, & ambiguitates ſint exortę; Congregatio ſpecialiter a Sanctiſſimo D. Noſtro Urbano Divina Providentia Papa VIII, coram Eminentiſſimo Cardinali Sancti Honuphrii majori Pęnitentiario, ac Urbis Provicario deputata, auctoritate ſibi attributa declaravit, & declarat, munera a Religioſis utriuſque ſexus tribui poſſe, ex cauſis gratitudinis, conciliationis benevolentię, ejuſque conſervationis erga ipſam Religionem, vel Conventum, aliiſve cauſis ex ſui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modeſte tamen, ac diſcrete, & dummodo id non fiat, niſi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum conſenſu majoris partis conventus, ſi talis conſenſus de jure, vel ex conſtitutionibus, ſeu conſuetudinibus cujuſque Religionis reſpective, in hujuſmodi caſibus requiratur. Conſenſum vero Conventus in §.3. ejuſdem Conſtitutionis ad leviora eſculenta, aut poculenta, ſeu ad devotionem, & religioſitatem pertinentia munuſcula largienga &c. requiſitum, intelligi debere de conſenſu alias de jure requiſito, & ubi concurrit ambitionis ſuſpicio, qua ceſſante, nec in his requiri licentiam Superiorum in ſcriptis in §.4. ejuſdem Bullę requiſitam, ſed ſufficere licentiam, etiam oretenus eiſdem conceſſam, declarat. Comeſſationem autem, compotationes, & convivia in excipiendis pręſertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinariis honorifice, & laute, de quibus in §.5. & 6. ejuſdem Conſtitutionis, cenſeri tantummodo prohibita, ſi decentię ſtatus regularis adverſentur. Reſtitutionem vero receptorum Conventibus faciendam, de qua in §. 7. ibidem cautum eſt, intelligi debere de Conventibus, ad quos data, donata, ſeu miſſa de jure pertinent, ſi id commode fieri poteſt, alias Conventui ejuſdem Religionis viciniori loco, ubi petita fuit abſolutio, reſtituantur. Inſuper eadem facultate ſibi tributa, omnes, qui hucuſque adverſus ſupradictę Conſtitutionis Capitula hic moderata largiti fuerunt, vel receperunt, a pęnis quibuſcunque in eadem Conſtitutione inflictis, & incurſis poſſe, & debere a propriis Confeſſariis abſolvi in foro conſcientię, etiam non facta prius hujuſmodi rerum donatarum, ſeu datarum reſtitutione. Quoad eos vero, qui pręter modum pręd ictum graviori Religionis detrimento largiendo, vel recipiendo tranſgreſſi ſunt, ſed ob inopiam reſtituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit majori Pęnitentiario, ut de pręteritis uſque ad diem datę pręſentium in foro conſcientię abſolvat, diſpenſet, & condonet, ſeu abſolvi, diſpenſari, & condonari mandet, prout in Domino magis expedire judicaverit. Et ne pręd ictę Clementis VIII Conſtitutionis memoria dilabatur, Superiores locales cujuſcunque Monaſterii, Conventus, Domus, ac Collegii Regularis ſub pęna privationis officii, vociſque activę, & paſſivę ipſo jure incurren. efficere teneantur, ut in perpetuum ſingulis annis menſe Januario, non ſolum pręd icta Conſtitutio, quam in reliquis ejus partibus eadem Sanctitas, omnino obſervari jubet, & quatenus opus ſit innovat, quemcunque pręntenſum non uſum, aut pręntenſum uſum, ſeu pręntenſam conſuetudinem, damnando, & irritando, verum etiam hoc decretum in aliqua publica Congregatione, vel ſaltem in publica menſa perlegantur. Omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis etiam Regularibus, quam Laicis cujuſcunque ſint ordinis, conditionis, gradus, ac dignitatis, etiam ſpeciali nota dignis, & qui ſub generali diſpoſitione non comprehenderentur, pręd ictam Clementis Conſtitutionem contra pręſentis decreti tenorem declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta, ſuper quibus Sanctiſſimus mandavit expediri Breve. Datum Romę die XV Septembris MDCXL. Quapropter ut pręmiſſa firmius ſubſiſtant, & inviolabiliter obſerventur, quantum cum Domino poſſumus, providere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, declarationem pręinſertam cum omnibus, & ſingulis in ea contentis, tenore pręſentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, illaque inviolabiliter ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, obſervari, ſicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales etiam de latere Legatos, & quoſvis alios quacunque auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus quoad ea, quę declarationi pręd ictę, & pręſentibus ſunt contraria, vel diverſa, Conſtitutione felicis recordationis Clementis Papę VIII pręd eceſſoris Noſtri pręd icti, ac omnibus illis, quę idem Clemens in Conſtitutione hujuſmodi voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI Octobris MDCXL, Pontificatus noſtri Anno Decimo Octavo.

M. A. Maraldus.

In Nomine, & a Nativitate Domini Milleſimo Sexcenteſimo Quadrageſimo, Indictione Octava, die vero trigeſima menſis Octobris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Urbani Divina Providentia Papę Octavi, Anno Decimo octavo, retroſcriptę literę publicatę, & affixę fuerunt in acie Campi Florę, & aliis locis publicis, & conſuetis, per nos Hieronymum Maſcellam, & Andream Caſtruccium ejuſdem S. D. N. Curſores.

Ita eſt Hieronymus Maſcella S. D. N. PP. Curſ. pro D. Mag.
Ita eſt Andreas Caſtruccius S. D. N. PP. Curſ.

1. *Munerum.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCXL.* In *Bullario Romano* eſt *CCLXVII.*

Anno 1640 Die 6 Novembris.

De eligendo (1) Priore Provinciale Poloniæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

DOmini Noſtri Jeſu Chriſti, qui caritas eſt, & Deus pacis, vices, meritis licet imparibus, gerentes in terris, pacem, & concordiam inter Chriſti fideles quoslibet pręſertim Regulares ſublata diſſidiorum materia confovere ſtudemus, ut ipſi in caritate, & ſic in Deo manentes ei ſua vota reddant in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo. Cum itaque, ſicut dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum Provincię Polonię Nobis nuper exponi fecerunt, graviſſimę in prędicta Provincia diſſenſiones, & controverſię ſuper diſtributione officiorum vigeant, proptereaque ipſi exponentes perpetuam inter ejuſdem Provincię filios, necnon inter conventuales Conventus Cracovien. Ordinis hujuſmodi pacem ſtabiliri ſummopere deſiderent, Nos pro noſtri paſtoralis officii debito deſuper opportune providere volentes, ipſoſque exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. Quod de cetero futuris temporibus ejuſdem Provincię Prior Provincialis, qui biennalis duntaxat ad inſtar Priorum Provincialium Romanę, & Lombardię dicti Ordinis Provinciarum exiſtat, alternis vicibus, primo videlicet, ex Cracovien., ſecundo ex Vilnen., tertio ex Lublinen., quarto ex Poſnanien., ac demum quinto ſucceſſive ex aliis dictę Provincię Conventibus Ordinis hujuſmodi eligi, & aſſumi reſpective debeat, quodque nec Diffinitor Generalis, ſeu Provincialis, nec Socius Diffinitoris, ac Provincialis ſit unquam ex eodem Conventu, cujus erit ipſe Prior Provincialis, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium perpetuo ſtatuimus, mandamus, & ordinamus, ita tamen, ut poſt modernum dictę Provincię Priorem Provincialem, qui, ut aſſeritur, filius Conventus Cracovien. exiſtit, ac cujus Officium Dominica Tertia poſt feſtum Paſchatis Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti MDCXLII expirabit, eligatur, primo loco Prior Provincialis ex Conventu Vilnen. prędicto, & ſic deinceps ordine per nos ſupra conſtituto. Decernentes pręſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad premiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI Novembris MDCXL, Pontificatus noſtri Anno Decimo Octavo.

1. *Eligendo.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar. In *Bullario Romano* eſt *CCLXVI.*

Anno 1641 Die 4 Januarii.

De conſtruendo Cæſarauguſtano (1) Cœnobio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo (3) Cęſarauguſtano.

XCIII.

URBANUS PP. VIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ALias pro parte dilectorum filiorum Prioris Priovincialis, & Fratrum domus regularis Cęſarauguſtan. Ordinis Prędicatorum, venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus Sacri Concilii Tridentini interpretibus expoſito, quod alias quondam Alonſus de Villalpando in ſuo ultimo, ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit, teſtamento, pro fundatione, & fabrica dictę domus regularis ſummam centum quinquaginta millium ſcutorum, & amplius reliquerat, dictę autem diſpoſitionis executio diu ob mutationem Priorum, pro tempore dictę domus regularis retardata fuerat, fabricaque hujuſmodi non creverat, proinde dilectum filium Alonſum de Villalpando primo, dicti Alonſi nepotem, quem in Priorem, alias dictę domus regularis elegerant, ob ſpectatam ejus in promovenda fabrica induſtriam, necnon ſtudium, quo ad illius perfectionem procurandam ferebatur tam pro communi dicti Ordinis bono, quam, ut primodicti Alonſi voluntas adimpleretur in Priorem hujuſmodi confirmaverant, cupiebantque illum in eodem Prioris officio, durante dicta fabrica, perſeverare poſſe, prędicti Cardinales ſub dio

die XXIV Septembris anno MDCXXXIX, auctoritate ſibi attributa petitionem dictorum exponentium ad dilectum filium noſtrum Antonium Sanctę Agathę Diaconum Cardinalem Antonium Barberinum nuncupatum S. R. E. Camerarium, noſtrum ſecundum carnem ex Fratre germano nepotem, dictique Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectorem, qui ſecundodicto Alonſo, attentis narratis, & pręſertim utilitate dictę domus regularis pro ſuo arbitrio gratiam petitam concederet, remiſerunt, ipſe vero Antonius Cardinalis attenta remiſſione negotii hujuſmodi ſibi, ut pręfertur, facta, eidem Alonſo facultatem petitam, veris tamen exiſtentibus, & verificatis ſupra narratis, conceſſit, & alias, prout in ejuſdem Antonii de menſe Decembris ejuſdem anni emanato, ac primodictorum Cardinalium decretis reſpective plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut iidem exponentes Nobis nuper exponi fecerunt, confirmatio dicti Alonſi in priorem hujuſmodi ſi fiat, in notabilem dictę domus, regularis ceſſura ſit utilitatem, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem exponentes, ipſumque ſecundo dictum Alonſum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus conſtito tibi de narratis, eundem Alonſum de Villalpando juxta primodictam reſolutionem, necnon ejuſdem Antonii Protectoris hujuſmodi, Cardinalium licentiam, in dictę domus regularis Priorem, durante dicta fabrica, auctoritate noſtra confirmes. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & domus regularis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum pręmiſſorum, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IV Januarii MDCXLI, Pontificatus noſtri Anno Decimo octavo.

M. A. Maraldus.

1. *Cęſarauguſtano.*) In *Hiſpania Tarraconenſi.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Cęſarauguſtano.*
3. *Archiepiſcopo.*) Huic Metropoli jus dicebat Domnus *Petrus Apaolaca.*

De conſtituendo (1) Provinciale Provinciæ Siciliæ.

Anno 1641 Die 1 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCIV.

Dilecto filio Nicolao Rodulpho Ordinis Prędicatorum Generali Magiſtro.

URBANUS PP. VIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes pro noſtro paſtoralis officii debito felici, ac proſpero Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię Sicilianę, Priori Provinciali ad pręſens, ut accepimus, deſtitutę, ſtatui, & gubernio, quantum cum Domino poſſumus, providere, juſtis de cauſis animum noſtrum moventibus, tibi, Priorem Provincialem dictę Provincię, etiam abſque alia Capituli Provincialis electione, aut conſenſu, conſultis tamen aliquibus Patribus gravioribus tibi beneviſis, ad tempus per regularia dicti Ordinis inſtituta, Apoſtolica auctoritate confirmata pręfixum, ac cum omnibus, & ſingulis honoribus, oneribus, pręeminentiis, & exemptionibus, & pręrogativis, quibus alii dictę Provincię Priores, & Provinciales de jure, uſu, conſuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet uſi ſunt, ſeu uti potuerunt, auctoritate noſtra Apoſtolica, hac vice duntaxat creandi, conſtituendi, & deputandi, facultatem eadem auctoritate, tenore pręſentium concedimus, & impartimur. Mandantes propterea in virtute ſanctę obedientię aliis Superioribus, & Fratribus dictę Provincię, ut Priorem Provincialem ſic per te vigore pręſentium conſtitutum ad hujuſmodi officium recipiant, & admittant, illique pareant, ac debitam reverentiam, & obedientiam exhibeant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus &c. & de illis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die Prima Martii MDCXLI, Pontificatus noſtri Anno Decimo octavo.

1. *Conſtituendo.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1641 Die 18 Septembris.

XCV.

Pro Confraternitate Sanctiſſimi Roſarii (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Confratres Confraternitatis B. M. de Roſario nuncupatę in Eccleſia domus Sancti Johannis de Palco etiam nuncupatę Fratrum Ordinis Prędicatorum terrę Sancti Severini Salernitan. Diœceſis canonice inſtitutę, quod inter ceteras Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pęnitentiarum relaxationes eidem Confraternitati a fel. recordationis Gregorio PP. XIII, Prędeceſſore noſtro, Apoſtolica auctoritate perpetuo conceſſas, tam Confratribus, & Consororibus ipſius Confraternitatis, quam etiam incolis, & habitatoribus dictę terrę, qui vere pęnitentes, & confeſſi, ac ſacra Communione refecti prędictam Eccleſiam prima Dominica Octobris a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis Dominicę hujuſmodi ſingulis annis devote viſitarent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effudiſſent Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino conceſſit, poſtmodum vero felicis recordationis Sixtus PP. V, etiam Prędeceſſor noſter prędictam primam Dominicam Menſis Octobris ad Dominicam primam Menſis Auguſti eiſdem modo, & forma eadem Apoſtolica auctoritate tranſtulit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, quod primo die Sabbati Menſis Auguſti major ſit in dicta terra populi concurſus, quam in ipſa prędicta Dominica ejuſdem Menſis Auguſti, cupiantque propterea Confratres prędicti Indulgentiam hujuſmodi conceſſam, & deinde tranſlatam ad ipſum prędictum diem Sabbati Menſis Auguſti prędicti per Nos, ut infra transferri, Nos Confratrum prędictorum ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Indulgentiam Plenariam hujuſmodi prędictę Dominicę Menſis Auguſti, ut pręfertur, tranſlatam ad prędictum diem Sabbati ejuſdem Menſis Auguſti, ſervata tamen in omnibus, & per omnia literarum prędictarum forma, tenore pręſentium, eadem Apoſtolica auctoritate, etiam perpetuo transferimus, in contrarium non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Septembris MDCXXXXI, Pontificatus noſtri Anno Decimonono.

M. A. Maraldus.

1. *Roſarii.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

Anno 1641 Die 23 Septembris.

XCVI.

Conſtitutionem (1) pro eligendo Poloniæ Provinciale datam revocat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ROmanus Pontifex ęqui bonique ſupremus aſſertor ea interdum, quę certis etiam rationabilibus de cauſis ſtatuit, ſi ſubinde incommodum afferre noſcuntur, non minoribus ex cauſis, quibus pręſertim felici perſonarum ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium ſtatui, & quieti conſulitur revocat, & immutat, prout rerum, & locorum qualitatibus debite penſatis conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Alias ſiquidem emanarunt a Nobis literę in ſimili forma Brevis tenoris ſequentis, videlicet. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui caritas eſt Deus pacis, vices meritis licet imparibus gerentes in terris pacem, & concordiam inter Chriſti fideles quoslibet pręſertim Regulares ſublata diſſidiorum materia confovere ſtudemus, ut ipſi in caritate, & ſic in Deo manentes ei ſua vota reddant in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo. Cum itaque, ſicut dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum Provincię Polonię Nobis nuper exponi fecerunt graviſſimę in prędicta Provincia diſſenſiones & controverſię ſuper diſtributione officiorum vigeant, proptereaque ipſi exponentes perpetuam inter ejuſdem Provincię filios, necnon inter Conventuales Conventus Cracovien. Ordinis hujuſmodi pacem ſtabiliri ſummopere deſiderent. Nos pro noſtri Paſtoralis Officii debito deſuper opportune providere volentes, ipſoſque exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, quod de cetero futurus ejuſdem Provincię Prior Provincialis, qui biennalis duntaxat ad inſtar Priorum Provincialium Romanę, & Lombardię dicti Ordinis Provinciarum exiſtat, alternis vicibus primo videlicet ex Cracovien., ſecundo ex Vilnen., tertio, ex Lublinen., quarto ex Poſnanien, ac demum quinto ſucceſſive ex aliis dictę Provincię Conventibus Ordinis hujuſmodi eligi, & aſſumi reſpective debeat, quodque nec Diffinitor generalis, ſeu Provincialis, nec ſocius Diffinitoris, ac Provincialis, ſit unquam ex eodem Conventu, cujus erit ipſe Prior Provincialis, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, perpetuo ſtatui-

ſtatuimus, mandamus, & ordinamus, ita tamen ut poſt modernum dictę Provincię Priorem Provincialem, qui, ut aſſeritur, filius Conventus Cracovien. exiſtit, ac cujus Officium Dominica tertia poſt feſtum Paſchatis Reſurrectionis D. N. Jeſu Chriſti MDCXLII, expirabit, eligatur, primo loco Prior Provincialis ex Conventu Vilnen. prędicto, & ſic deinceps ordine per Nos ſupra conſtituto. Decernentes prędictas literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſenti pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI Novembris MDCXL, Pontificatus noſtri Anno Decimo octavo. Cum autem, ſicut dilectus filius Nicolaus Rodulphius Magiſter Generalis prędicti Ordinis Prędicatorum Nobis nuper exponi fecit, in dictę Polonię Provincia jam inde a primęva Ordinis prędicti inſtitutione aliarum ultra Montes Provinciarum uſus magna ipſius Provincię tranquillitate ſervatus fuerit, nimirum ut Prioris Provincialis Officium quadriennio duret, ejus vero ad biennium reductio ipſi Provincię detrimento potius quam commodo futura ſit, tum quia ob ejus amplitudinem vix intra biennium viſitari poſſet, tum etiam quia ob Conventuum a ſe invicem diſtantiam Fratres pro celebrandis tam ſępe Capitulis Provincialibus aſſidue itinerari gravi cum ipſorum Conventuum diſpendio oportet, ac ex alternativa inter omnes ejuſdem Provincię Conventus pro dicto Prioris Provincialis officio in ipſis noſtris literis ordinata, ſępenumero eveniret, ut minus dignus ad officium hujuſmodi aſſumeretur, Ordiniſque prędicti Conſtitutionibus Apoſtolica auctoritate confirmatis, & diuturnę dictę Provincię conſuetudini plane contrarium ſit, ut Diffinitor Generalis, ſeu Provincialis, ac ſocius Diffinitoris, & Provincialis non poſſit eſſe ex eodem Conventu, e quo Prior Provincialis ſit, Nobis propterea idem Nicolaus Magiſter Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Provincię prędictę indemnitati, quantum cum Domino poſſumus, conſulere, ipſumque Nicolaum Magiſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis, ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; pręinſertas noſtras literas, ac omnia & ſingula in eis ſtatuta, & ordinata Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, perpetuo revocamus, caſſamus, derogamus, annullamus, viribuſque, & effectu evacuamus, ac in pręmiſſis uſum ejuſdem Provincię inveteratum, & priuſquam literę noſtrę prędictę emanarent ſervatum, prędictaſque dicti Ordinis Conſtitutiones reſpective deinceps inviolabiliter obſervari, perinde, ac ſi dictę noſtrę literę minime emanaſſent, auctoritate, & tenore pręſentis pręcipimus, & mandamus, ſicque per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, irritumque, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus eiſdem noſtris literis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Septembris MDCXLI, Pontificatus noſtri Anno Decimo nono.

M. A. Maraldus.

1. *Conſtitutionem.*) *XCII.*

2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ edita anno *MDCXLI.*

De Generali Capitulo Januæ celebrando.

Anno 1642 Die 7 Martii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

URBANUS PP. VIII.

XCVII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, Capitulum Generale Fratrum Ordinis Prędicatorum in Eccleſia domus Fratrum hujuſmodi civitatis Januen. propediem benedicente Domino celebrandum ſit, Nos, ut tam opus pium majori cum fructu fiat, & ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti; omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui prędictam, vel aliquam ex Eccleſiis domorum Fratrum hujuſmodi, ubique exiſtentium, die quo inchoabitur Capitulum, ac ſingulis diebus actualis celebrationis ejuſdem Capituli devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prędictorum id egerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus poſt celebrationem dicti Capituli minime valituris. Volumus autem,

quod

quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint eo ipſo, quodque pręſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent oſtenſę, vel exhibitę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VII Martii MDCXLII, Pontificatus noſtri Anno Decimonono.

M. A. Maraldus.

1. *Archivo.*) In quo Autographum.

Anno 1642 Die 20 Septembris.

De electione (1) Provincialis Mexican.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCVIII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Johannes a Sancto Jacobo Ordinis Fratrum Prędicatorum professor, & illius Provincię Mexicanę procurator, quod per acta Capituli Provincialis dictę Provincię Anno MDCXXXVII celebrati, ſtatutum fuit, quod ad officium Prioris Provincialis ejuſdem Provincię ſemel unus filius Conventus Sancti Dominici de la Puebla, Tlaxcalenſis Dięceſis, duabus vero aliis vicibus filii Conventus ejuſdem Sancti Dominici Mexicani, ſervatis in hoc Ordine, & forma alternativarum reſpective eligerentur, ſub his verbis videlicet, quod unum quadriennium, ſicut pręſens, pertineat ad filios Conventus Angelopolitani, ex natis in Hiſpania, & ſequens quadriennium ad filios Conventus ex natis in Indiis, & ſubſequens ad filios Conventus Mexicani prędicti ex natis in Hiſpania, poſtea vero ad filios Conventus S. Dominici de la Puebla ex natis in Indiis, & ſic deinceps in perpetuum, ita quod duo Provincialatus dentur filiis Conventus Mexicani, & unus filiis Conventus Sancti Dominici de la Puebla. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ſtatutum hujuſmodi, quod jam, ut idem Johannes aſſerit, cępit obſervari, in maximam ejuſdem Provincię utilitatem, & pacem cedat, Nobis propterea idem Johannes humiliter ſupplicari fecit, ut idem ſtatutum, quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communire, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, eundem Johannem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatutum prędictum, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, decernentes pręſentes literas, validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere. Sicque per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabili Fratri Archiepiſcopo Mexicano, ac dilectis filiis Decano, & Archidiacono Eccleſię Mexicanę per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem pręſentes noſtras literas, & in eis contenta quęcunque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Johannis, ſeu Fratrum dictę Provincię Ordinis hujuſmodi nunc, & pro tempore exiſtentium, fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra ſtatutum hujuſmodi, ac eaſdem pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque ab omnibus, & ſingulis, ad quos nunc ſpectat, & pro tempore expectabit, quomodolibet in futurum inviolabiliter obſervari, ipſamque Provinciam pręmiſſorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes eam, & illius Fratres hujuſmodi deſuper, quomodolibet moleſtari. Contradictores quoſlibet, rebelles, per ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis Apoſtolicis, quibuſvis dicti Ordinis, Superioribus, Fratribus, & perſonis ſub quibuſvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſcunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis irritantibus, & aliis decretis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX Septembris MDCXLII, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo.

M. A. Maraldus.

1. *Electione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Mexicano.*

Electiones, & acta Generalis Capituli Januæ, & Corniliani coacti reſcindit (1).

Anno 1642 Die 9 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XCIX.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, in Capitulo Generali Fratrum Ordinis Prędicatorum nuper in eorum Monaſterio Sancti Dominici Civitatis Januen. celebrato fuerit ſub die XXV Octobris proximi pręteriti facta abſolutio, ſeu amotio dilecti filii Nicolai Rodulphi (3) prędicti Ordinis Magiſtri Generalis, & die XXVI ejuſdem Menſis Octobris electus in Generalem prędicti Ordinis a nonnullis vocalibus, & forſan non vocalibus, dilectus etiam filius Michael Mazarinus (4) Provincialis Provincię Romanę, & deinde XXX ejuſdem Menſis Octobris in Monaſterio loci de Corniliano ejuſdem Ordinis diſtan. a Civitate Januen. per tria milliaria circiter ab aliis Fratribus ejuſdem Ordinis vocalibus,& aliis forſan non vocalibus electus etiam fuerit in Generalem prędicti Ordinis dilectus pariter filius Thomas Rocamora (5) Diffinitor Provincię Aragonię Ordinis hujuſmodi, & deſuper fuerint factę diverſę proteſtationes etiam ſuper nullitate,ſeu invaliditate Diffinitorii,ſeuCapituli prędicti,& interpoſitę appellationes,nedum ad dilectum filium noſtrum Antonium S.Agathę Diaconum CardinalemAntonium Barberinum nuncupatum S.R.E.Camerarium,ejuſdemque Ordinis apud Nos,& Sedem Apoſtolicam Protectorem,ſed etiam ad Nos,& Sedem Apoſtolicam prędictam; Nos illico habita de pręmiſſis, & aliis geſtis, ac decretis notitia, ne inde aliquod majus pręjudicium eidem Ordini propter prędictas amotiones,& electiones diſcordes,& controverſas,ac alia quęcunque actaCapitularia quomodolibet in quocunque loco geſta reſultaret,juſſimus,nec inConventu S.Marię ſuper Minervam, nec alibi occaſione pręmiſſorum aliquid a quoquam innovari, donec hujuſmodi controverſię juſtitia mediante fuerint a Nobis terminatę.Quia vero interim prędicta Religio tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus poſſet maximum pati detrimentum, idcirco volentes, prout in Domino expedire novimus, pręmiſſis, ac eorum ſingulis opportunum adhibere remedium, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulas contentiones, & controverſias, liteſque, & cauſas, ac appellationes interpoſitas, nullitateſque hinc inde allegatas, allegandaſque, & deducendas adverſus quęcunque acta, & geſta etiam Capitularia in quocunque loco, & a quibuſcunque pręmiſſorum occaſione quomodolibet facta, & geſta, illarumque cognitionem, & terminationem ad Nos harum ſerie avocamus, & cognitioni, ac determinationi noſtrę reſervamus, prędictamque juſſionem, ut pręfertur, per Nos, vel de ordine noſtro factam confirmamus, exequutionemque amotionis, & electionum prędictarum, ac aliorum quorumcunque actorum in Capitulo, & alibi factorum, & inde ſequutorum, ipſaſque amotionem, & electiones, & quęcunque alia acta, & geſta, ſine tamen pręjudicio quorumcunque jurium cujuſcunque quomodolibet, & ex quacunque cauſa competentium, & ſine pręjudicio, ſineque retardatione Inquiſitionis, & proceſſus cauſę, & cauſarum, ac litis, & litium pendentium contra prędictum Nicolaum coram judicibus alias per Nos deputatis, ſuſpendimus, ac pro ſuſpenſis donec a Nobis controverſię, cauſęque, & lites hujuſmodi, prout juris fuerit, terminatę fuerint, haberi volumus, & mandamus, inhibentes omnibus, & ſingulis cujuſcunque qualitatis, gradus, ſtatus, conditionis, dignitatis, & pręeminentię, etiamſi ſpeciali nota dignę fuerint, ne ſub nullitatis quorumcunque gerendorum, excommunicationiſque majoris, ac reſpective privationis vocis activę, & paſſivę, ac officiorum quorumlibet eo ipſo incurren. pęnis, audeant in prędictorum omnium, & ſingulorum cognitione, terminatione, & exequutione, ac alias quomodolibet ſe ingerere, nec reſpective tam in Romana Curia, quam alibi coram quocunque alio, quam coram Nobis, & noſtris ad Nobis referendum deputatis, vel deputan., quomodolibet agere, deducere, vel introducere, aut ſuper eis quovis modo experiri. Regimen vero, gubernium, & adminiſtrationem ejuſdem Ordinis, ac ſuperioritatem plenam, & omnimodam, ac quamcunque neceſſariam, & opportunam interim exercen., tam eidem Cardinali Protectori, quam dilecto filio noſtro Hieronymo tituli S. Agnetis in Agone Cardinali Veroſpio nuncupato ejuſdem Ordinis Vice-Protectori, & cuilibet eorum inſolidum, & ubi pro bono gubernio ſibi videbitur cum omnibus, & ſingulis facultatibus, & poteſtatibus opportunis, ac etiam quoſcunque Fratres dicti Ordinis ad comparendum coram ſe citandi, etiam per edictum publicum conſtito ſummarie, ac extrajudicialiter, & quantum ſibi ſufficere videbitur, de non tuto acceſſu, illoſque in jus etiam ultra tres, & plures dietas vocandi, ac quibuslibet ſub pęnis ſibi bene viſis inhibendi, concedimus, & impartimur. Decernentes, pręſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, vel alio quovis defectu, & ex eo quod quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prętendentes illis non conſenſerint, nec ad id vocati fuerint, notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, aut in jus, vel controverſiam revocari, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, vel aliud quodvis juris, facti, vel gratię remedium impetrari, vel etiam Motu proprio conceſſo quempiam in judicio, vel extra uti poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſicque, & non aliter per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, irritumque, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus

opus

opus ſit Regula noſtra de jure quęſito non tollendo, ac quibuſvis aliis Cancellarię noſtrę Apoſtolicę Regulis, necnon felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus, & etiam pluribus dietis, aliiſque quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ſtylis, uſibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, ac illius quibuſvis Superioribus, Fratribus, & perſonis, etiam iteratis vicibus, ac alias motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac etiam conſiſtorialiter, Apoſtolica, & quavis alia auctoritate conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac individua, & de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum pręmiſſorum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IX Novembris MDCXLII, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo.

M. A. Maraldus.

1. *Reſcindit.*) Adeas *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXXIX pag.* 457.
2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.
3. *Rodulphi.*) De quo dictum fuit.
4. *Mazarinus.*) Poſtea S.R.E. Cardinalis.
5. *Rocamora.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

Anno 1642 Die 10 Novembris.

C.

Judices conſtituit qui ſententiam ferant de actis in Generali Capitulo Januenſi (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

NUper, cum Nobis innotuiſſet, quod in Capitulo Fratrum Ordinis Prędicatorum in eorum Monaſterio Sancti Dominici Civitatis Januen. celebrato fuerat die vigeſima quinta Octobris proxime pręteriti facta depoſitio, ſeu amotio dilecti filii Nicolai Rodulfi pręfati Ordinis Magiſtri Generalis, & die vigeſima ſexta ejuſdem Menſis Octobris electus in Magiſtrum Generalem dicti ordinis, a nonnullis vocalibus, & aliis forſan, non vocalibus, dilectus filius Michael Mazarinus Prior Provincialis Provincię Romanę, & deinde die trigeſima ejuſdem Menſis Octobris in Monaſterio loci de Corniliano ejuſdem Ordinis diſtante a civitate Januen. per tria milliaria circiter, ab aliis Fratribus ejuſdem Ordinis Vocalibus, & aliis forſan non Vocalibus electus quoque fuerat in Magiſtrum Generalem pręfati Ordinis dilectus pariter filius Thomas Rocamora Definitor Provincię Aragonię Ordinis hujuſmodi, quodque deſuper factę fuerant diverſę proteſtationes, etiam ſuper nullitate, ſeu invaliditate diffinitoris, ſeu Capituli pręfati, & interpoſitę appellationes nedum ad dilectum filium noſtrum Antonium Sanctę Marię in Via lata Diaconum Cardinalem, Antonium Barberinum nuncupatum S.R.E. Camerarium, Ordiniſque prędicti, apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protectorem, ſed etiam ad Nos, & Sedem pręfatam; Nos illico habita de pręmiſſis notitia, ne inde aliquod majus pręjudicium eidem Ordini propter prędictas, amotionem, & electiones diſcordes, & controverſas, ac alia quęcunque acta Capitularia quomodolibet, ac in quovis loco geſta reſultaret; juſſimus, nec in Conventu Sanctę Marię ſuper Minervam de Urbe ejuſdem Ordinis, nec alibi occaſione pręmiſſorum aliquid innovari, donec hujuſmodi controverſię, juſtitia mediante fuerint a Nobis terminatę, ac ſubinde, omnes, & ſingulas contentiones, controverſias, liteſque, & cauſas, ac appellationes interpoſitas, nullitateſque hinc inde allegatas, allegandaſque, & deducendas adverſus quęcunque acta, & geſta, etiam Capitularia, in quocunque loco, & a quibuſcunque pręmiſſorum occaſione quomodolibet facta, & geſta, illarumque cognitionem, & terminationem ad Nos avocavimus, ac cognitioni, & determinationi noſtrę reſervavimus, pręfatamque juſſionem, ut pręfertur, per Nos, vel de ordine noſtro factam, confirmavimus, executionemque amotionis, & electionem prędictarum, ac aliorum quorumcunque, actorum in Capitulo, & alibi factorum, & inde ſecutorum, ipſaſque amotionem, & electiones, & quęcunque alia acta, & geſta ſine tamen pręjudicio quorumcunque jurium cuicunque quomodolibet, & ex quacunque cauſa competen., ac ſine pręjudicio, ſineque retardatione inquiſitionis, & proceſſus cauſę, & cauſarum, ac litis, & litium pendentium contra prędictum Nicolaum coram judicibus alias per Nos deputatis, ſuſpendimus, ac pro ſuſpenſis, donec a Nobis controverſię, cauſęque, & lites hujuſmodi, prout juris fuerit, terminatę fuerint, haberi voluimus, & mandavimus. Inhibentes omnibus, & ſingulis cujuſcunque qualitatis, gradus, ſtatus, conditionis, dignitatis, & pręeminentię, etiamſi ſpeciali nota dignę fuerint, ne ſub nullitatis quorumcunque gerendorum, excommunicationiſque majoris ac reſpective privationis vocis activę, & paſſivę, ac officiorum quorumcunque eo ipſo incurren. pęnis audeant in pręfatorum omnium, & ſingulorum, cognitione, terminatione, & executione, ac alias quomodolibet ſe ingerere, nec reſpective tam in Romana Curia, quam alibi coram quocunque alio, quam coram Nobis, & Noſtris ad nobis referendum deputatis, vel deputandis quomodolibet agere, deducere, vel introducere, aut ſuper eis quovis modo experiri, & alias prout in noſtris in ſimili forma Brevis, die nona pręſentis menſis Novembris expeditis literis, quarum tenores pręſentibus pro expreſſis haberi volumus, uberius continetur. Quocirca volentes Nos de prę-

prӕmiſſis exactam cognitionem ad Nobis referendum capi, ut facta relatione hujuſmodi quod juſtum fuerit deſuper decernamus, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione, noſtris, deque Apoſtolicӕ poteſtatis plenitudine dilecto filio noſtro Hieronymo tituli Sanctӕ Agnetis in Agone Presbytero Cardinali Veroſpio nuncupato, & Venerabili Fratri Johanni Baptiſtӕ Epiſcopo olim Camerinen., ac dilectis filiis Magiſtris Marco Aurelio Maraldo, Proſpero Fagnano, & Franciſco Paulutio in utraque ſignatura noſtra Referendariis, ac Petro Franciſco de Rubeis Fiſci, & Camerӕ noſtrӕ Apoſtolicӕ Advocato, ſeu eorum majori parti, omnium, & ſingularum prӕmiſſarum, contentionum, controverſiarum, litium, ac cauſarum, & appellationum interpoſitarum, nullitatumque hinc inde allegatarum, allegandarumque, & deducendarum, quarum tenores etiam veriores, ac cauſas, & occaſiones, aliaque etiam neceſſario exprimenda hic pro expreſſis haberi volumus cum omnibus, & quibuſcunque earum incidentibus, emergen., connexis, & annexis, totoque negotio principali cognitionem, & diſcuſſionem, ad referendum Nobis cum facultate procedendi in compilando proceſſu ſuper eiſdem prӕmiſſis etiam ſingulis diebus, & horis, etiam in honorem Dei feriatis, ac quoſcunque etiam per edictum publicum, conſtito ſummarie, & extrajudicialiter, ac quatenus eis conſtare videbitur de non tuto acceſſu citandi, & in jus coram eis etiam ultra tres, & plures dietas, ex quatuor mundi partibus evocandi, etiam ad perſonaliter comparendum ſub ſententiis, cenſuris, & pӕnis, etiam pecuniariis ſibi bene viſis, monendi, & prӕcepta contra quemlibet prӕdictorum electorum, & eligentium, ac quoſcunque alios pro obſervantia & executione prӕdictarum literarum noſtrarum ſub pӕnis, & cenſuris contentis in eiſdem literis, aliiſque ſibi bene viſis faciendis, necnon quaſcunque perſonas tam ſeculares, quam eccleſiaſticas, etiam regulares quamtunlibet, exemptas, ad teſtificandum, in cauſa, & cauſis hujuſmodi, & ad exhibendum, conſignandumque ſcripturas pro compilatione proceſſus hujuſmodi neceſſarias, & opportunas ſub ſententiis, cenſuris, & pӕnis prӕdictis, ac aliis juris, & facti remediis, compellendi, Notariumque, ſeu Notarios ad prӕmiſſa toties quoties opus erit, & ſibi videbitur deputandi, ac quibuſcunque perſonis, etiam ſpeciali nota, & individua expreſſione indigentibus, quoties etiam ipſi expedire duxerint, inhibendi, aliaque omnia, & ſingula pro plena cognitione cauſӕ, ſeu cauſarum hujuſmodi, ac formando deſuper proceſſu neceſſaria, & quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, jubendi, & mandandi, ac generaliter cum quibuſvis aliis facultatibus, quoquomodo neceſſariis, & opportunis ac ſpecialem, & individuam mentionem requirentibus tenore prӕſentium committimus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papӕ Octavi Prӕdeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon ſtylo Curiӕ, ac Urbis, & ordinis prӕfatorum, & quibuſvis aliis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ſtylis, uſibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, eidem Ordini, ac illius ſuperioribus, Fratribus, & generaliter quibuſvis aliis, locis, & perſonis, ſub quibuſcunque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibuſcunque derogatoriarum derogatoriis aliiſque efficacioribus, & efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quӕvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, ac forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, & inſererentur, prӕſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haben., illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum prӕmiſſorum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus conjunctim, vel diviſim ſit ab eadem Sede indultum quod in judicium extra ſuas Provincias, & Diӕceſes evocari, vel quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romӕ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X Novembris MDCXLII, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo.

M. A. Maraldus.

1. *Januen.*) Conſulenda *Conſtitutio precedens*.

1. *Archivo.*) In quo duplex exemplar authenticum.

Anno 1642 Die 29 Novembris.

CI.

Alios nonnullos delegat qui judicium ferant de Actis a Januenſi Capitulo Generali.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EManarunt non ita pridem a nobis literӕ in ſimili forma Brevis tenoris ſequentis videlicet: Urbanus Papa VIII. Ad Futuram Rei Memoriam. Nuper cum nobis innotuiſſet &c: Ut autem eo accuratior prӕdictarum controverſiarum, aliorumque in prӕmiſſis literis contentorum diſcuſſio fiat, quo plures perſonӕ dignitate, & doctrina conſpicuӕ eorum cognitioni incubuerint, idcirco motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus earundem controverſiarum, & aliorum in dictis noſtris literis contentorum cognitionem ad Nobis referendum una cum Hieronymo Cardinale, ac aliis nominatis in li-

literis hujuſmodi etiam dilectis filiis noſtris Bernardino Sancti Petri ad Vincula, Spadę, ac Julio Sanctę Suſannę titulorum Sacchetto, necnon Franciſco Marię Baſilicę duodecim Apoſtolorum Presbyteris Brancaccio reſpective nuncupatis S. R. E. Cardinalibus, ac Magiſtro Julio Roſpiglioſo in utraque ſignatura noſtra Referendario, ſeu eorum omnium tam primo loco, quam nunc deputatorum majori parti cum omnibus, & ſingulis facultatibus in prędictis noſtris literis conceſſis tenore pręſentium committimus, ac eaſdem noſtras literas ad Bernardinum Julium, & Franciſcum Mariam Cardinales, necnon Julium Referendarium prędictos in omnibus, & per omnia extendimus, ac ſi in pręinſertis literis deputati fuiſſent, non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quę in pręinſertis noſtris literis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XXIX Novembris MDCXLII, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo.

M. A. Maraldus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum. 2. *Innotuiſſet &c.*) Ut in Conſtitutione C ad finem uſque.

Anno 1642 Die 6 Decembris.

CII.

De actis in Generali Capitulo (1) Januenſi.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

NUper a Nobis accepto, quod in Capitulo Generali Fratrum Ordinis Prędicatorum in eorum Monaſterio Sancti Dominici Civitatis Januen. celebrato die XXV Octobris proxime pręteriti, facta fuerat depoſitio, ſeu amotio dilecti filii Nicolai Rodulphi prędicti Ordinis Magiſtri Generalis, & die XXVI dicti Menſis electus in Magiſtrum Generalem dicti Ordinis a nonnullis Vocalibus, aliiſque forſan non Vocalibus dilectus filius Michael Mazarinus Prior Provincialis Provincię Romanę, & deinde die XXX ejuſdem Menſis Octob. in Monaſterio loci de Corneliano ejuſdem Ordinis a Civitate Januen. per tria milliaria diſtante, ab aliis Fratribus ejuſdem Ordinis Vocalibus, & aliis forſan non Vocalibus electus quoque fuerat in Magiſtrum Generalem prędicti Ordinis, dilectus etiam filius Thomas Rocamora Diffinitor Provincię Aragonię Ordinis hujuſmodi, quodque deſuper factę fuerant diverſę proteſtationes etiam ſuper nullitate, ſeu invaliditate Diffinitorii, ſeu Capituli prędicti, & interpoſitę appellationes nedum ad dilectum filium noſtrum Antonium Sanctę Marię in Via lata Diaconum Cardinalem Antonium Barberinum nuncupatum, S. R. E. Camerarium, Ordiniſque prędicti apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectorem, ſed etiam ad Nos, & Sedem prędictam. Nos illico habita de pręmiſſis notitia, ne exinde eidem Ordini aliquod majus prędjudicium reſultaret, juſſimus, nec in Conventu Sanctę Marię ſuper Minervam de Urbe ejuſdem Ordinis, nec alibi occaſione pręmiſſorum aliquid innovari, donec hujuſmodi controverſię, juſtitia mediante, fuerint a Nobis terminatę, ac ſubinde omnes, & ſingulas controverſias, liteſque, & cauſas, ac appellationes interpoſitas, nullitateſque hinc inde allegatas, allegandaſque, & deducendas adverſus quęcunque acta etiam Capitularia, in quocunque loco, & a quibuſcunque pręmiſſorum occaſione facta, & geſta, illarumque cognitionem, & terminationem ad Nos avocavimus, cognitionique, & determinationi noſtrę reſervavimus, prędictamque juſſionem confirmavimus, executionemque amotionis, & electionis prędictarum, ac aliorum quorumcunque actorum in Capitulo, & alibi factorum, & inde ſecutorum, ipſaſque amotionem, & electiones, ac quęcunque alia acta prędicta, ſine tamen prędjudicio quorumcunque jurium, cuicunque competen., ac ſine retardatione Inquiſitionis, & Proceſſus cauſę, & cauſarum, litiſque, & litium pendentium contra dictum Nicolaum, ſuſpendimus, donec a Nobis controverſię, cauſęque, & lites hujuſmodi, prout de jure terminatę fuerint, prout in noſtris ſub die IX Novembris proxime pręteriti deſuper expeditis literis, quarum tenores pręſentibus pro expreſſis haberi volumus, uberius continetur. Ac ſubinde volentes Nos de pręmiſſis exactam cognitionem ad Nobis referendum capi, dilecto filio noſtro Hieronymo tituli S. Agnetis in Agone Presbytero Cardinali Veroſpio nuncupato, ac venerabili Fratri Jo: Baptiſtę Epiſcopo olim Camerinen., ac dilectis filiis Magiſtris Marco Aurelio Maraldo, Proſpero Fagnano, & Franciſco Paulutio in utraque Signatura noſtra Referendariis, & Petro Franciſco de Rubeis Fiſci, & Camerę noſtrę Apoſtolicę Advocato, ſeu eorum majori parti omnium, & ſingularum contentionum, controverſiarum, litium, & cauſarum, appellationum interpoſitarum, nullitatumque hinc inde allegatarum, & allegandarum hujuſmodi cum omnibus, & ſingulis earum incidentibus, & emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali cognitionem, & diſcuſſionem ad referendum Nobis, cum facultatibus, ac ſub modo, & forma tunc expreſſis, commiſimus, & alias prout in aliis noſtris etiam in forma Brevis die X ejuſdem Menſis Novembris expeditis literis uberius continetur. Quarum vigore prędicti deputati, ſeu eorum major pars, nedum eidem Michaeli Mazarino perſonaliter primodictas noſtras literas, ac etiam pręceptum pro illarum obſervatione intimari, ſed etiam aliquas Congregationes pro pręmiſſis diſcutiendis fecerunt, in quibus, ut etiam accepimus, ex parte prędictorum Nicolai, & Michaelis, ac Provincialium, qui illum depoſuerunt, & hunc elegerunt, plura fuerunt coram eiſdem deputatis ſimul congregatis ſępius, & voce, & ſcripto deducta, ac etiam ipſemet Michael ſemel perſonaliter in una prędictarum Congregationum comparens fuit auditus. Ut autem accuratior pręmiſſorum diſcuſſio fiat prędictis deputatis pro cognitione eorundem pręmiſſorum ad Nobis referendum dilectos filios noſtros Bernardinum S. Petri ad Vincula Spadam, Julium S. Suſannę titulorum Sacchettum, ac Franciſcum Ma-

Mariam Baſilicę Duodecim Apoſtolorum Presbyteros Cardinales Brancatium reſpective nuncupat., necnon Magiſtrum Julium Roſpiglioſum in utraque Signatura noſtra Referendarium per alias noſtras in ſimili forma Brevis die XXIX dicti Menſis Novembris expeditas literas adjunximus, in quorum omnium pluribus Congregationibus prędicti, & alii Provinciales, qui dictum Nicolaum depoſuerunt, ac prędictum Michaelem elegerunt, fuerunt auditi. Quia vero noſtrę mentis, & intentionis fuit, & eſt, controverſias, & contentiones hujuſmodi, tanquam tendentes in maximum dicti Ordinis, & regularis diſciplinę detrimentum, ſemotis litium, & judiciorum ambagibus, quantocitius radicitus amputari, & tolli, idcirco, ne circa modum cognitionis pręmiſſorum contingat in aliquo hęſitari, Motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, tenore pręſentium declaramus, ejuſdem mentis, & intentionis noſtrę fuiſſe, & eſſe, ut Cardinales, & Pręlati, ac Advocatus Fiſci, & Camerę Apoſtolicę prędicti, in prędictis noſtris literis deputati, ſeu eorum major pars in pręmiſſis non judicialiter procederent, ſed ut partes hinc inde extrajudicialiter nullo juris ordine ſervato, & abſque ulla tela judiciaria, ac non ſervata aliqua judicii forma, aut juris ſolemnitate audiant, illiſque ſic extrajudicialiter auditis, Nobis referant, ſatiſque fore, & eſſe, ſi per extrajudicialem qualemcunque monitionem contra prędictos Nicolaum, & Michaelem, ſi perſonaliter haberi poterunt, ſin minus per dimiſſionem copiarum ad loca eorum habitationis, & affixionem in valvis Monaſterii Beatę Marię ſuper Minervam, adverſus autem alios omnes, & quoſcunque intereſſe habentes, aut quomodolibet habere putantes, ſeu prętendentes, per proclama in eiſdem valvis Monaſterii Beatę Marię ſuper Minervam, ac in acie Campi Florę, & in valvis ędium prędicti Jo: Baptiſtę Epiſcopi olim Camerinen. per unum ex noſtris curſoribus de ordine prędictę Congregationis etiam ex officio ſemel, ut pręmittitur, intimandam, ſeu exequendam, iidemque Nicolaus, & Michael, omneſque, & quicunque alii quomodolibet intereſſe habentes, aut habere putantes, ſeu prętendentes, fuerint moniti ad exhibendum in actis dilecti filii Sebaſtiani Cęſii Notarii Vicarii Urbis, dicendum, & allegandum tam verbo, quam ſcriptis coram ipſa Congregatione, ſeu ejus deputatis infra peremptorium terminum trium dierum a die hujuſmodi intimationis, ſeu executionis reſpective decurren. quicquid volunt, & poſſunt ſuper hujuſmodi negotio, cum comminatione, quod elapſo prędicto triduo, Nobis prędicti deputati relationem facient, & hujuſmodi extrajudiciales monitiones, ſeu certiorationes, ut pręmittitur, faciendas, & exequendas, perinde afficere, ac ſi forent prędictis, & eorum ſingulis perſonaliter intimatę, ac etiam pro potiori cautela, quatenus opus ſit, eiſdem deputatis, ut ſupra, plenam, & amplam, neceſſariamque, & quomodolibet opportunam poteſtatem, & facultatem denuo ſuper prędictis tenore pręſentium concedimus, & impartimur, ac ex nunc omnia, & ſingula, quę earundem vigore facta fuerint, valida fore, plenamque roboris firmitatem obtinere decernimus, & declaramus, illaque approbamus, & & confirmamus, ſupplentes omnes, & ſingulos facti, & juris defectus quantumlibet ſubſtantiales, ſi qui forſan deſuper intervenerint. Decernentes etiam pręſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis noſtrę, aut quocunque alio quantumvis ſubſtantiali defectu ex quovis capite, prętextu, cauſa, & occaſione notari, & impugnari, in controverſiam adduci, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, & quodvis aliud juris facti, vel gratię remedium impetrari, ſeu etiam motu ſimili conceſſo quempiam in judicio, vel extra illud uti poſſe, ſed illas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſicque, & non aliter per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, irritumque, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quę in dictis literis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI Decembris MDCXLII, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo.

1. *Capitulo.*) Conſulenda præcedentia Diplomata.
2. *Archivo.*) In quo exemplar typis editum. Huc etiam ſpectat ſequens inſtrumentum.

De mandato Sacræ Congregationis a Sanctiſſimo D. N. D. Urbano Papa VIII ſpecialiter deputatæ ſuper controverſiis Fratrum Ordinis Prædicatorum, occaſione prætenſæ depoſitionis Magiſtri Generalis Patris Nicolai Rodulphii, & prætenſarum electionum duorum Magiſtrorum Generalium Patris Michaelis Mazarini, & Patris Thomæ Rocamoræ Januæ, & Corniliani factarum.

INtimentur Patri Thomæ Rocamoræ Brevia Originalia Sanctiſſimi D. N. Papæ, ſub datum Romæ diebus nona, decima, & vigeſima nona præſentis Menſis Novembris cum traditione, & dimiſſione copiæ illorum, & deducatur ad ejuſdem Patris notitiam totus tenor dictorum brevium, & præſertim, quod Sanctiſſimus D. N. avocavit ad ſe totum negotium, & ſuſpendit exequutionem omnium, & ſingulorum actorum, & quomodolibet geſtorum in Capitulo Generali, ac extra illud, ac illius occaſione, & inhibuit, ne quiſquam in hujuſmodi cognitione, & exequutione quovis prætextu ſe ingerat ſub pęnis excommunicationis, privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac omnium officiorum eo ipſo incurrendis, ac cum decreto irritante, quodque propterea omnia, & ſingula per dictos electos, ut ſupra, & quemlibet eorum, vel alios quomodolibet geſta, & facta poſt datam prædictorum Brevium, fuerunt, & ſunt ipſo jure nulla, & invalida propter dictum decretum irritans, quod afficit etiam ignorantes, ideoque etiam præcipitur, & inhibetur eidem Patri Thomæ Rocamoræ, omnibuſque aliis, ne audeant, nec quilibet eorum audeat, aliquid innovare, ſeu attentare contra tenorem dictorum Brevium, quodque penitus abſtineat ab uſu, & exercitio cujuſcunque actus ſuperioritatis, juriſdictionis, & præeminentiæ competen. Magiſtro Generali dicti Ordinis, tam quoad ſpiritualia, quam quoad temporalia ſub

ſub pœnis in eiſdem Brevibus contentis, & aliis arbitrio &c. & inſuper ne diſcedat e loco ubi hujuſmodi præceptum eidem fuerit intimatum inconſulta Sede Apoſtolica, ac ſine expreſſa licentia Sanctiſſimi D. N., ſeu Congregationis prædictæ ſub eiſdem cenſuris, & pœnis. Datum Romæ In Palatio Vaticano die trigeſima Novemb. MDCXLII.

B. Card. Spada. J. Card. Sacchetus. Hieronymus Card. Veroſpius. P. Fagnanus deputatus. J.B. Epiſcopus Camerinen. deputatus. M.A. Maraldus deputatus. Franciſcus Paulutius deputatus. Petrus Franciſcus de Rubeis deputatus.

Sebaſtianus Cęſius Notarius deputatus.

Anno 1643 Die 7 Februarii.

De Chiapenſis Provincialis electione (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CIII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ONeroſa Paſtoralis officii noſtri ſolicitudo, meritis licet inſufficientibus, Nobis ex alto commiſſa, Nos inducit, ut ad ſtatum Chriſtifidelium quorumlibet, prȩſertim vitam regularem profitentium, ſalubriter dirigendum, operoſis ſtudiis intendentes, ea, quȩ felici gubernio, proſperęque directioni profutura noſcuntur, provide ſtatuamus, & ordinemus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Ordinis Prȩdicatorum Criolli (3) nuncupati Provincię Guatimalenſis de Chiapa nuncupatę in Indiis Occidentalibus, quod in eadem Provincia pro majori divini cultus ſervitio a nonaginta annis citra Ordo hujuſmodi reperitur introductus, conſtatque duplici virorum religioſorum hujuſmodi genere, quorum alii, qui in Hiſpaniis nati ſunt, inibique habitum per Fratres dicti Ordinis geſtari ſolitum ſuſceperunt, inde ad earundem Indiarum Occidentalium partes tranſeunt, alii vero, qui in eiſdem Indiarum hujuſmodi partibus nati ſunt a Patribus Hiſpanis, inibi ſemper commorati fuerunt, habitumque prȩdictum ſuſceperunt, & vulgo Criolli nuncupantur, qui Fratres Criolli hujuſmodi, licet uti melius, quam ipſi Fratres Hiſpani, de locorum, & perſonarum qualitatibus informati, viros ad capeſcenda, obeundaque Provincialatus, & alia Ordinis, & Provincię hujuſmodi officia habiles, illiſque ob eorum doctrinam, diſciplinęque regularis obſervantiam dignos habeant, nihilominus in prȩdicta Provincia iidem Fratres Criolli hujuſmodi a prȩdictis Provincialatus, & aliis officiis Ordinis hujuſmodi omnino excluduntur in grave dicti Ordinis prȩjudicium, tum quia Nationales earundem Indiarum graviter ferentes ab officiis hujuſmodi excludi ſuos nationales minus propenſo ſunt in eundem Ordinem animo, tum etiam, quia ob hujuſmodi excluſionem perſonę nobiles, & qualificatę a ſuſceptione dicti habitus abſtinent, & qui illum ſuſcipiunt, licet evadant verbi Dei Prȩdicatores, & aliis notis inſignes pro Indorum ad Fidem Catholicam converſorum inſtructione, quos ipſi Fratres Criolli ob idiomatis Indii peritiam facilius, quam dicti Ordinis Fratres in Hiſpaniis nati, & educati, inſtruere poſſunt, ſerioque literis, & ſtudiis ſpiritualibus incumbunt, tamen nedum gradus meritis ſuis convenientes conſequi nequeunt, ſed nec ipſis ſpes ulla ſubeſt illos conſequendi, cum ipſi dicti Ordinis Fratres in Hiſpaniis nati a primeva illius in eadem Provincia introductione regimen Provincię hujuſmodi, primariaque illius officia aſſumpſerint, cum perpetua eorundem Fratrum Criollorum ab officiis hujuſmodi excluſione. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, permulti aliorum Ordinum, & regularium inſtitutorum religioſi alternativam inter ſuos Hiſpanos, & Criollos Religioſos, quoad Provincialatus, & alia officia hujuſmodi introduxerint, experientiaque docuerit, id Ordinibus, & Inſtitutis regularibus prȩdictis apprime utile exiſtere, & ex inductione alternativę hujuſmodi in pluribus dicti Ordinis Prȩdicatorum Provinciis detrimentis gravibus remedium adhibitum, & obviam itum fuerit, indeque uberrimi eidem Ordini fructus provenerint, ne dum pro divini cultus augmento, paciſque, & quietis conſervatione, ſed etiam quia omnes ȩqualiter ad literarum, aliarumque virtutum, bono regimini neceſſariarum, ſtudia incitantur, cum honeſta ſuorum laborum ſperant prȩmia. Propterea, ac etiam, ut aſſiduorum inter eoſdem Hiſpanos, & Criollos Fratres hujuſmodi hac de cauſa diſſidiorum occaſio tollatur, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt Fratres Criolli prȩdicti, ut in prȩdicta Provincia Guatimalenſi unam alternativam quoad prȩdicta Provincialatus, & alia officia ſtatuere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, eoſdem exponentes ſpiritualibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum prȩſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de dilectorum filiorum noſtri Hieronymi tituli S. Agnetis in agone Presbyteri Cardinalis Veroſpii nuncupati, dicti Ordinis apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Comprotectoris, nonnullorumque Romanę Curię Prȩlatorum hac ſuper re a Nobis deputatorum conſilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, occurrente vacatione Prioris Provincialis, aliorumque officiorum Provincię Guatimalenſis prȩdicti Fratres Hiſpani, & Fratres Criolli hujuſmodi ad illa alternis vicibus eligantur, & aſſumantur, hęcque alternativa ab ipſis Fratribus Hiſpanis prima vice incipiat, ac deinde ordine ſucceſſivo ad eoſdem Fratres Criollos deferri, & devenire, ac inter utroſque Fratres hujuſmodi alternatim perpetuo continuari debeat, Apoſtolica auctoritate tenore prȩſentium ſtatuimus, & ordinamus. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis Provincię, & Ordinis hujuſmodi Superioribus Fratribus, & perſonis, ceteriſque, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in futurum, in virtute ſanctę obedientię, & ſub priva-

privatione vocis activę, & paſſivę, & eo ipſo ſine alia declaratione incurren., aliiſque arbitrii noſtri pęnis, ut eandem ſic per Nos ordinatam alternativam perpetuam inviolabiliter obſervent, obſervarique curent, & faciant, ac decernentes pręſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis Decano Eccleſię Chiapenſi, ac venerabilium Fratrum Chiapen., & Guatimalen. Epiſcoporum Vicariis in ſpiritualibus Generalibus per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, ſeu alium, vel alios pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum exponentium fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, illiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra pręſentes noſtras literas ubique in eadem Provincia obſervari, ipſoſque exponentes contentorum in eiſdem literis effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper a quibuſcunque, quavis auctoritate fungentibus quovis prętextu, quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores quoſcunque, eiſque auxilium, conſilium, vel favorem publice, vel occulte, directe, vel indirecte quomodolibet pręſtantes, per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis dictę Provincię, & Ordinis hujuſmodi Superioribus, Fratribus, & perſonis, ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie in contrarium pręmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus adhibeatur fides, quę adhiberetur pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VII Februarii MDCXLIII, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo.

M A. Maraldus.

1. *Electione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

3. *Criolli.*) Sic eos vocant, qui in *Indiis* nati ſunt.

Anno 1643 Die 20 Martii.

CIV.

Declarat amotionem Generalis Magiſtri Nicolai Rudolphii, & electiones Michaelis Mazarini, & Thomæ Rocamoræ nullas, & invalidas eſſe (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EManarunt a Nobis literę in forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris tenoris ſubſequentis, videlicet: Urbanus Papa VIII. Ad Futuram Rei Memoriam. Nuper cum Nobis &c. (3) Quarum literarum, & aliarum in eis relatarum vigore omnes prędicti S.R.E. Cardinales, & Pręlati, ut pręmittitur, in eis deputati auditis, & viſis omnibus deductis, & allegatis voce, & ſcripto ſuper juribus dictas partes tangentibus, ac pluries nonnullis ejuſdem Ordinis Provincialibus etiam in pluribus Congregationibus, in quibus omnes prędicti Deputati interfuerunt, ordinataque prędicta extrajudiciali monitione, illaque modo, & forma pręmiſſis eiſdem Nicolao, & Michaeli perſonaliter, & aliis intereſſe haben. ſeu habere prętenden. quibuſcunque per proclama, & per affixionem intimata, lapſoque prędicto termino peremptorio in eadem monitione pręfixo, viſiſque Conſtitutionibus pręfati Ordinis, juribuſque exhibitis, ac aliis videndis, conſideratiſque conſiderandis, poſt maturam, & exactam totius negotii cognitionem, & diſcuſſionem inter eos habitam, de, & ſuper premiſſis omnibus ad earundem literarum pręſcriptum, plenam Nobis, etiam antea informatis a prędicto Hieronymo Cardinali Veroſpio dicti Ordinis Comprotectore de expoſitis a quibuſdam Provincialibus occaſione proteſtationis ſub die XVII pręſentis Menſis in Actis exhibitę, relationem fecerunt. Qua relatione audita Nos motu proprio, certaque ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine preſentium tenore depoſitionem, amotionem, ſeu abſolutionem prędicti Nicolai a Magiſterio Generali dicti Ordinis factam in prędicto aſſerto Capitulo Generali fuiſſe, & eſſe nullam, & invalidam, nulliuſque roboris, vel momenti, ac nulliter, & invalide factam, proindeque electiones factas in Magiſtrum Generalem ejuſdem Ordinis fuiſſe, & eſſe nullas, & invalidas, nulliterque, & invalide factas, & quęcunque exinde ſequuta itidem fuiſſe, & eſſe nulla, & invalida decernimus, & declaramus, eiſdemque Michaeli, & Thomę, ac aliis quibuſcunque ſuper omnibus, & ſingulis pręmiſſis perpetuum ſilentium imponimus. Ipſiſque Michaeli, & Thomę interdicimus, ac in-

ac inhibemus, ne audeant, nec quilibet ipſorum audeat ſe in gubernio, & adminiſtratione, Magiſtro Generali dicti Ordinis competente, illiuſque exercitio quomodolibet ingerere, nec ſe Magiſtros Generales prędicti Ordinis nominare, neque ullos actus Superioritatis, juriſdictionis, antelationis, prerogativę, facultatis, & pręeminentię Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis tam quoad ſpiritualia, quam quoad temporalia, & alias quoquomodo facere, aut exercere, ſub excommunicationis majoris, privationiſque vocis activę, & paſſivę, ac officiorum quorumcunque, & perpetuę inhabilitatis ad illa in poſterum obtinen. eo ipſo abſque alia declaratione incurren. pęnis, aliiſque arbitrio noſtro imponen. & amplian. etiam perſonalibus. Decernentes prędictas noſtras literas tam pręinſertas, quam in eis relatas, ac pręſentes de ſubreptionis, obreptionis, ac noſtrę intentionis defectu ex quacunque ratione, vel cauſa, & alias quomodolibet ex quovis defectu quarumcunque Juris., ac ejuſdem Ordinis ſolemnitatum etiam ſubſtantialium, a prędictis, & quibuſcunque aliis, etiam prętextu, quod non fuerint citati, nec auditi impugnari, in controverſiam adduci, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, & quodvis aliud juris, facti, vel gratię remedium impetrari, ſeu etiam motu ſimili conceſſo quempiam in judicio, vel extra illud uti nunquam poſſe, ſicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, ac quoſvis alios quacunque auctoritate, & poteſtate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter declarandi, interpretandi, diffiniendi, & judicandi facultate ſemper, & ubique declarari, interpretari, diffiniri, & judicari debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his, a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis etiam in Conciliis Univerſalibus, & generalibus editis, necnon Ordinis prędicti ſtatutis, conſtitutionibus, earumque declarationibus a quocunque, & quandocunque factis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, & quatenus foret opus, noſtra & Cancellarię Apoſtolicę regula de jure queſito non tollendo privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, ac etiam pluries innovatis, uſibuſque, & conſuetudinibus etiam diuturnis, & immemorabilibus, ac etiam, ut prefertur, confirmatis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus. Non intendimus autem per pręſentes in aliquo prejudicare cauſę, & judicio pendenti coram Judicibus alias per Nos deputatis contra prędictum Nicolaum, nec adminiſtrationi, & gubernio dicti Ordinis a Nobis commiſſo eidem Cardinali Antonio Protectori, ſeu prędicto Hieronymo Cardinali Comprotectori, nec ſuſpenſioni ejuſdem Nicolai ab exercitio regiminis, & adminiſtrationis officii Magiſtri Generalis alias factę. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX Martii MDCXLIII, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo.

M. A. Maraldus.

1. *Eſſe.*) Legenda pręcedentia Diplomata. Eadem de re dicetur in Conſtitutionibus ab *Innocentio X* datis.
2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria typis impreſſa.
3. *Nobis &c.*) Ut in *Conſtitutione C* ad finem uſque.

Anno 1643 Die 3 Aprilis.

De non extrahenda ſacra ſupellectile Neapolitani Cœnobii S. Catharinæ a Formello.

CV.

Ex Archivo (1) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CONſervationi, & manutentioni ornamentorum, & paramentorum Eccleſię Domus Sanctę Catharinę a Formello nuncupatę Ordinis Fratrum Prędicatorum civitatis Neapolitanę quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere, ac dilectos filios modernos Fratres dictę domus filios ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis, ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus dictorum Fratrum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; Ne de cetero quiſquam quavis auctoritate fungatur, vaſa, calices, candelabra, & quęvis alia paramenta, & ornamenta, necnon quamcunque ſuppellectilem eccleſiaſticam, tam hactenus dictę Eccleſię per quoſcunque Chriſti fideles donatam, & aſſignatam, quam in poſterum forſan donandam, & aſſignandam, aliis Eccleſiis, Monaſteriis, ſeu locis piis, aut perſonis pręterquam dilecto filio Nobili Viro Nicolao, Principi de Cella a Mare dictę domus benefactori commodare, aut ſub quovis quęſito colore, ingenio, cauſa, ratione, aut occaſione e dicta Eccleſia, ſeu illius Sacriſtia extrahere, vel aſportare, ſive ut commodentur, extrahantur, vel aſportentur concedere, quoquomodo audeat, ſeu pręſumat, ſub excommunicationis, ac privationis vocis activę, & paſſivę pęnis per contrafacientes incurrendis, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit domus, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod pręſentis prohibitionis copia in valvis dictę Sacriſtię, aut aliquo alio perſpicuo loco, quo ab omnibus cerni poſſit, continuo affixa rema-

remaneat. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Aprilis MDCXLIII, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo. M. A. Maraldus.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex autographo *Neapolitano*. Idem ſancitum fuit

PRo *Neapolitano* Cœnobio Sancti Spiritus. Conſtitutio ſic incipit: *Urbanus &c. Conſervationi &c. Eccleſiæ Domus Regularis S. Spiritus Fratrum Ordinis Prædicatorum Civitatis Neapolitan. &c. Datum &c Die XXI Auguſti MDCXLII, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo*. Ex Archivo Ordinis in quo exemplar authenticum ex autographo *Neapolitano*.

Anno 1642 Die 21 Auguſti. CVI.

PRo *Neapolitano* Cœnobio S. Mariæ de Sanitate. Conſtitutio ſic incipit: *Urbanus &c. Conſervationi &c. Eccleſiæ Domus Regularis S. Mariæ de Sanitate nuncupatæ Fratrum Ordinis Prædicatorum Civitatis Neapolitan. &c. Datum &c. Die XVI Octobris MDCXLII, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo*. Ex Archivo Ordinis in quo exemplar authenticum ex autographo *Neapolitano*.

Anno 1642 Die 16 Octobris. CVII.

De Generaliſſimo Capitulo Romæ celebrando.

Anno 1643 Die 8 Aprilis. CVIII.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm inter Chriſti fideles, pręſertim Regulares Dei obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipatos, diſſidia, & contentiones, niſi cito earum origo, & cauſę amputentur, ingentia mala gignere ſoleant, idcirco menſibus pręteritis ſtatim atque Nobis innotuit, quod in Capitulo Generali Fratrum Ordinis Prędicatorum in Monaſterio S. Dominici Civitatis Januę pro die XXVI Octobris proxime pręteriti convocato, & inibi celebrato, fuerat die antecedenti, ſcilicet die XXV ejuſdem menſis Octobris facta amotio, ſeu depoſitio dilecti filii Nicolai Rodulphii Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis, dieque ſequenti ibidem unus, & ſucceſſive die XXX prędicti Menſis Octobris in Conventu loci de Corniliano ejuſdem Ordinis per tria circiter milliaria ab eadem Civitate Januen. diſtante, alter in Magiſtrum Generalem prędicti Ordinis reſpective, electi fuerant, ita quod de facto a diverſis prętendebatur in ſciſſuram prędicti Ordinis extare tres Magiſtros Generales. Propterea ad majora detrimenta, & ſcandala evitanda, juſſimus nedum in Monaſterio B. Mariç ſuper Minervam de Urbe, & alibi nihil innovari, donec a Nobis controverſię deſuper terminatę eſſent, ſed etiam illas omnes, prętenſaſque nullitates omnium geſtorum, ac cognitionem, & terminationem illarum ad Nos avocavimus, executionemque amotionis, electionum, & aliorum, ut pręmittitur, geſtorum ſine alicujus prędjudicio, ac ſine retardatione proceſſus incępti contra prędictum Nicolaum Rodulphium, ſuſpendimus, Congregationique aliquorum dilectorum filiorum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, ac etiam aliquorum dilectorum filiorum Romanę Curię Prelatorum per Nos deputatorum cognitionem, & diſcuſſionem, etiam extrajudicialiter faciendas, omnium, & ſingulorum pręmiſſorum, ad Nobis referendum, commiſimus, cum facultatibus neceſſariis, & opportunis, & alias prout in diverſis Noſtris literis in ſimili forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris expeditis, ſub datum IX, ac X & XXIX diebus Novembris, ac die VI Decembris proxime pręteritorum menſium reſpective uberius continetur. Qui quidem omnes pręfati Cardinales, & Prçlati ſępius auditis omnibus informare volentibus, monitiſque perſonaliter hic Romę eiſdem Nicolao, & uno prędictorum duorum electorum, alteri autem electo eiſdem Noſtris literis perſonaliter Janue intimatis, ceteris vero intereſſe habentibus, vel prętendentibus per proclama generale citatis, ſervatiſque juxta formam a Nobis pręſcriptam ſervandis, viſiſque omnibus deductis, & allegatis voce, & ſcripto, illiſque ad plenum diſcuſſis in quamplurimis ſeſſionibus, cum opportunam, & neceſſariam Nobis deſuper relationem feciſſent, Nos hujuſmodi relatione audita juxta ejus ſeriem motu proprio, certaque ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine depoſitionem, amotionem, ſeu abſolutionem prędicti Nicolai a Magiſterio Generali dicti Ordinis factam in prędicto Capitulo Generali fuiſſe, & eſſe nullam, & invalidam, ac nullius roboris, & momenti, nulliterque, & invalide factam, proindeque electiones factas de Magiſtro Generali ejuſdem Ordinis tam in Civitate Janue, quam in prędicto loco de Corniliano fuiſſe, & eſſe nullas & invalidas, nulliterque, & invalide factas, & quęcunque exinde ſecuta itidem fuiſſe nulla, & invalida decrevimus, & declaravimus, eiſdemque duobus ſic utrobique electis, & aliis quibuſcunque ſuper omnibus, & ſingulis pręmiſſis perpetuum ſilentium impoſuimus, ac illis duobus electis, & eorum cuilibet inhibuimus, & interdiximus, ne auderent, nec quilibet ipſorum auderet ſe in gubernio, & adminiſtratione Magiſtro Generali dicti Ordinis competente, illiuſque exercitio quomodolibet ingerere, nec ſe Magiſtros Generales nominare, nec ullos actus ſuperioritatis, juriſdictionis, antelationis, prerogativę, facultatis, & pręeminentię Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis, tam quoad ſpiritualia, quam quoad temporalia, & alias quoquo modo facere, aut exercere ſub excommunicationis majoris, privationiſque vocis activę, & paſſivę, ac officiorum quorumcunque, & perpetuę inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda eo ipſo, abſque alia declaratione incurrendis, aliiſque arbitrio Noſtro imponendis, & ampliandis, etiam perſonalibus pęnis, & alias, prout in aliis literis Noſtris in ſimili forma Brevis ſub datum die XX menſis Martii proxime pręteriti plenius continetur. Ne autem ſtante annullatione electionum prędictarum, ac ſuſpenſione ejuſdem Nicolai ab exercitio regiminis, & adminiſtratione officii, Ordo hujuſmodi exercitio regiminis, & adminiſtratione Magiſtri Generalis diutius careat; Nos, ut prędicto Ordini, unde tam uberes in Catholica Ec- Laus Ordinis.

Eccleſia fructus, totque viri doctrina, & ſanctitate inſignes prodiere, & quem paterno affectu proſequimur, quantum cum Domino poſſumus conſulamus, etiam de voto eorundem S. R. E. Cardinalium, & Pręlatorum prędictorum, ne dum Capitulum Generaliſſimum ejuſdem Ordinis in Urbe, ac Monaſterio Beatę Marię ſuper Minervam celebrandum convocare, ſed etiam cauſam prętenſorum Nicolai prędicti exceſſuum inceptam a Judicibus, quibus illam commiſeramus avocare, illamque in ſtatu, & terminis in quibus reperitur avocatam eidem Capitulo Generaliſſimo, ut pręmittitur, in Urbe celebrando committere, decrevimus. Quo circa motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine paribus harum ſerie dilectis filiis Prioribus Provincialibus Provinciarum dicti Ordinis, omnibuſque aliis, qui juxta formam Conſtitutionum ejuſdem Ordinis a Sede Apoſtolica confirmatarum ad Capitulum Generaliſſimum convocandi ſunt per univerſum Orbem diffuſis Capitulum Generaliſſimum in Urbe, & Monaſterio Sanctę Marię ſupra Minervam prędictis in Feſto Pentecoſtes futuri anni MDCXLIV, itaut auctoritas Capitularium incipiat in Vigilia ejuſdem Feſtivitatis omnino celebrandum, ad quemcunque effectum Ordini prędicto magis proficuum, opportunum, & neceſſarium, etiam individua, & ſpeciali nota dignum indicimus, & annunciamus, eoſdemque Provinciales, omneſque alios, & ſingulos, qui juxta earundem Conſtitutionum formam in prędicto Capitulo intervenire debent, convocamus, ac ut perſonaliter accedant diſtricte pręcipiendo monemus, ita quod iidem Priores Provinciales, & alii prędicti locum Capituli Dominica infra Octavam Aſcenſionis, vel Sabbato pręcedenti intrare teneantur. Injungentes propterea eiſdem Prioribus Provincialibus, Diffinitoribus, & quibuſcunque aliis prędictis in virtute ſanctę obedientię, ut pręfixo tempore huc ſe conferant cum iis, qui ad Capitulum Generaliſſimum ex vi earundem Conſtitutionum accedere debent, itaut tres vocales ex unaquaque Provinciarum hujuſmodi compareant, & vocem habeant. Pręcipientes, ut nullus alius ad prędictum Capitulum ſine noſtra licentia accedat pręter prędictos, & alios, qui ad pręſcriptum prędictarum Conſtitutionum occaſione celebrationis prędicti Capituli Generaliſſimi accedere poſſunt, ac debent. Interim vero volumus, ut dicti Priores Provinciales in omnibus Conventibus publicas ſupplicationes ad Deum pro felici ejuſdem Capituli directione, & incolumitate Fratrum ad illud confluentium fieri curent, moneantque omnes ſuos ſubditos, ut ipſis Prioribus Provincialibus, & ſociis juxta prędictas Conſtitutiones electis, aliiſque prędictis, ea omnia, quę judicaverint tam pro bono Ordinis hujuſmodi in communi, quam pro ſuis Provinciis, & Conventibus in dicto Capitulo proponenda in ſcriptis exhibeant, dicti vero Priores Provinciales, & reliqui omnes, ad quos ſpectat, exactam relationem ſtatus Provinciarum, & earum Conventuum juxta earundem Conſtitutionum diſpoſitionem afferant; Pręterea, ut quanto citius pro ejuſdem Ordinis bono diſſidia, & controverſię Fratrum pręcidantur, & Ordo ipſe optatę tranquillitati, atque unitati reſtituatur; cauſam prętenſorum dicti Nicolai Magiſtri Generalis exceſſuum, ut pręfertur, inceptam a judicibus, quibus illam commiſimus, in ſtatu, & terminis, in quibus ad pręſens reperitur, tenore pręſentium avocamus, firma in omnibus, & quoad omnia manente ſuſpenſione ejuſdem Nicolai ab exercitio regiminis, & adminiſtratione officii Magiſtri Generalis alias facta, donec cauſa hujuſmodi per Capitulum Generaliſſimum, ut infra, debito fine terminata fuerit, necnon etiam adminiſtratione, & gubernio dicti Ordinis a Nobis commiſſo dilecto filio noſtro Antonio Cardinali Antonio Barberino illius Protectori, ſeu dilecto filio noſtro Hieronymo Cardinali Veroſpio reſpective nuncupatis Comprotectori, quibus ſuſpenſioni, & commiſſioni per pręſentes non intendimus in aliquo pręjudicare, prout, & in antedictis noſtris literis in ſimili forma Brevis ſub datum die XX prędicti menſis Martii expeditis plenius continetur, illamque ſic avocatam eidem Capitulo Generaliſſimo per pręſentes convocato, &, ut pręmittitur, celebrando cum omnibus, & ſingulis ſuis connexis, annexis, dependentibus, & emergentibus, ac toto negotio principali cognoſcendam, ac juxta formam earundem Conſtitutionum Ordinis prędicti, etiam non perfecto proceſſu, jam incępto, ac etiam non ſervata aliqua tela judiciaria, ſed ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, ad formam tamen Conſtitutionum prędictarum, ſola facti veritate inſpecta, terminandam omni, & quacunque appellatione, recurſu, nullitatis etiam ex tribus dictione, in integrum reſtitutione, aliiſque juris, ac prędictarum Conſtitutionum Ordinum remediis, penitus, & omnino remotis committimus cum omnibus, & ſingulis facultatibus neceſſariis, & opportunis, itaut idem Capitulum Generaliſſimum ad relaxationem ſuſpenſionis prędictę, & ad liberationem prędicti Nicolai Magiſtri Generalis, vel ad correctionem, & emendationem, aut etiam ad amotionem, ſeu depoſitionem ejuſdem ab Officio Magiſterii Generalis, ipſo tamen prius ad normam dictarum Conſtitutionum audito, ac monito, & ſubinde ad electionem alterius Magiſtri Ordinis etiam abſque alia Congregatione Capituli electionis, vel citatione, monitione, vel intimatione aliorum quorumcunque intereſſe habentium, ſeu quomodolibet habere prętendentium, poſſit, & debeat procedere, prout relaxationi, & liberationi, vel correctioni, & emendationi, aut amotioni, ſeu depoſitioni, & electioni reſpective locus erit ad earundem Conſtitutionum pręſcriptnm. Cum declaratione quod illi ex convocatis, qui non comparuerint, ſive alias non accedent, habebuntur pro contumacibus, & nihilominus ſine illis tempore prędicto celebrabitur Capitulum, & in eo expedientur omnia, & ſingula pręmiſſa; & alia quę erunt neceſſaria, & opportuna. Decernentes prędictas literas, etiam ex eo quod dictus Nicolaus Magiſter Generalis, ac duo electi, prędicti, & alii quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prętendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, vel auditi fuerint, nullo unquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, vel nullitatis vitio, aut intentionis noſtrę, vel de alio quovis quantumlibet ſubſtantiali defectu notari, redargui, & impugnari, vel adverſus eas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum; aut aliud quodcunque juris, facti, vel gratię remedium impetrari, ſeu impetrato quempiam in judicio, vel extra illud uti poſſe, ſicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritumque, & inane ſi ſecus ſuper his, a quoquam quavis

auc-

auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prędictis noſtris literis, ac felicis recordationis Bonifatii Papę VIII prędeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam in Conciliis Univerſalibus editis, necnon Conſtitutionibus, & ordinationibus prędicti Ordinis, & Provinciarum hujuſmodi ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordini, Nicolao Magiſtro Generali, & duobus electis prędictis, ceteriſque Fratribus, & perſonis hujuſmodi ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, vel aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, ac forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die VIII Aprilis MDCXLIII, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo.

M. A. Maraldus.

Anno a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Sexenteſimo Quadrageſimo tertio, Indictione Undecima, Pontificatus vero S. D. N. D. Urbani Divina Providentia Papę Octavi, Anno ejus Vigeſimo, die vero 11. menſis Aprilis ſupradictę literę Apoſtolicę affixę, & publicatę, fuerunt ad valvas Baſilicę Principis Apoſtolorum de Urbe, in acie Campi Florę, & in Eccleſia S. Marię ſuper Minervam, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Jo: Baptiſtam Riccium ejuſdem S. D. N. Papę Curſorem.

Pro Mag. Curſorum Dominicus Vareſius Curſ.

1. *Archivo.*) In quo varia exemplaria typis edita.

Ut Calabriæ Provinciæ Priores tum Provinciales, tum Conventuales biennales duntaxat ſint (1).

Anno 1643 Die 16 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII. CIX.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut dilectus filius Franciſcus de Caſtroveteri Prior Provincialis Provincię Calabrię Fratrum Ordinis Prędicatorum ex commiſſione dictę ſuę Provincię in illius Capitulo Provinciali in Civitate Conſentina celebrato ſibi facta, & recepta, Nobis nuper exponi fecit, Provinciales dictę Provincię ad pręſens quadriennales, Priores vero Conventuum triennales ſint, ab anno MDCXXIX citra duntaxat, pro communi autem Fratrum dictę Provincię pace per Nos, ut infra, opportune provideri ſummopere deſideret. Nos eundem Franciſcum Provincialem, dictęque Provincię Ordinis hujuſmodi Fratres ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtant, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus dicti Franciſci Provincialis nomine prędicto Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, quod de cetero Provinciales, necnon Priores Conventuum dictę Provincię Calabrię Ordinis hujuſmodi biennales duntaxat ſint, & eſſe debeant, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium concedimus, ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes pręſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in futurum, inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque judices, & commiſſarios quavis auctoritate fungentes judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum pręſentium duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVI Maii MDCXLIII, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo.

M. A. Maraldus.

1. *Sint.*

1. *Sint.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ*.

Anno 1643 Die 7 Julii.

Impoſitum ſibi munus Priores obeant tempore (1) præſcripto, eo non computato quo impediuntur ne fungantur officio ſibi demandato.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CX.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EX incumbenti Nobis Apoſtolicę ſervitutis officio ad ea libenter animum noſtrum convertimus, per quę perſonarum quarumlibet pręſertim vero religioſam vitam ducentium, commodis, & indemnitati opportune conſulatur. Supplicationibus itaque dilectorum filiorum Provincialium, Priorum, & aliorum Officialium Ordinis Fratrum Prędicatorum Nobis humiliter porrectis inclinati. Quod tempus quo iidem Provinciales, Priores, & alii Officiales prędicti ſine propria eorum culpa prohibentur, & impediuntur, quominus ſibi demandata officia, & munera in propriis Provinciis, & Conventibus reſpective perſonaliter exercere poſſint, non computetur in tempore ab ejuſdem Ordinis Conſtitutionibus, Apoſtolica auctoritate confirmatis, ſtabilito, ſed quod ipſi Provinciales, Priores, & alii Officiales hujuſmodi realiter, & cum effectu, in eorum muneribus, & officiis per totum tempus ab eiſdem Conſtitutionibus conceſſum, & pręſcriptum, durare libere, & licite poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium ſtatuimus, concedimus, & indulgemus. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, ut eoſdem Provinciales, Priores, & alios Officiales hujuſmodi pręmiſſorum omnium, & ſingulorum commodo, & effectu frui, & gaudere ſinant, & faciant, ac decernentes pręſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, & ſingulis, quos illę concernunt, & concernent in futurum, inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque judices, & commiſſarios, quavis auctoritate fungentes judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, & illius quorumcunque Provinciarum, & Conventuum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſvis ejuſdem Ordinis Superioribus, Fratribus, & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis in ſpecie, vel in genere quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum pręmiſſorum duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VII Julii MDCXLIII, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo.

M. A. Maraldus.

1. *Tempore.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ edita anno *MDCXLIII.*

Anno 1643 Die 21 Augusti.

Ratam habet, & firmat electionem (1) Provincialis Dalmatiæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXI.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum Provincię Dalmatię, quod ipſi in eorum Capitulo Provinciali dilectum filium Dominicum Gledio a Cattaro dicti Ordinis profeſſorem, virum vitę, ac morum honeſtate conſpicuum, & in Sacra Theologia Magiſtrum in eorum Priorem Provincialem unanimiter elegerunt, verum quia electioni hujuſmodi intenfuerunt nonnulli Priores Conventuales dicti Ordinis, qui cum non tenuerint in ſuis Conventibus numerum duodenarium Fratrum, in vim Conſtitutionis, & decretorum venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium negotiis regularium prępoſitorum, voce carebant, olim per dilectos filios conſultores, & diffinitores domus regularis Sanctę Marię ſuper Minervam de Urbe dicti Ordinis aliqua difficultate ſuper hujuſmodi electionis validitate, & per eos non probato, quod dicti Priores Conventuales ad eam electionem deveniſſent, in vim cujuſdam diſpoſitionis emanatę a dilecto filio Nicolao Ridulfio ejuſdem Ordinis Magiſtro Generali, qui in ſimilibus Conſtitutionibus, pręſertim vero in Provinciis, aut deſolatis, aut diminutis, prętendit etiam auctoritate Apoſtolica diſpenſare poſſe, prędicti conſultores unanimiter decreverunt Nobis ſupplicandum eſſe, ut electionem hujuſmodi, ad majorem cautelam confirmaremus. Quare dicti exponentes, aſſerentes eundem Dominicum his prędictum eſſe virtutum or-

ornamentis, ut eadem Provincia ſperare poſſit ſe ab eo feliciter, & proſpere directam iri, ſimiliter ſupplicare fecerunt, ut in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, eoſdem exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, electionem de perſona dicti Dominici in Priorem Provincialem dictę Provincię Dalmatię, ut pręfertur, factam, licet ad eam, ut ſupra, nonnulli Priores Conventuales voce carentes concurrerint, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium confirmamus, approbamus, & convalidamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, mandantes propterea omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, ut eundem Dominicum in ejuſdem Provincię Priorem Provincialem habeant, & recognoſcant, illique in omnibus ſuum hujuſmodi officium concernen., pareant, faveant, & aſſiſtant, ac decernentes pręſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, eidemque Dominico in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, irritumque, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Provincię hujuſmodi, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum pręmiſſorum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXI Auguſti MDCXLIII, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimoprimo.

1. *Electione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1644 Die 6 Februarii.

CXII.

De Generale (1) Capitulo Romæ celebrando.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, Capitulum Generale Fratrum Ordinis Prędicatorum in Eccleſia S. Marię ſuper Minervam de Urbe domus eorundem Fratrum in proximo feſto Pentecoſtes pręſentis anni MDCXLIV benedicente Domino celebrandum ſit, Nos, ut tam opus pium majori cum fructu fiat, & ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem, cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui pręfatam, aut aliquam ex Eccleſiis domorum Fratrum hujuſmodi ubique exiſten. die quo inchoabitur prędictum Capitulum, ac ſingulis diebus actualis celebrationis Capituli hujuſmodi devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die prędictorum id egerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus poſt celebrationem dicti Capituli minime valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint eo ipſo, quodque pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI Februarii MDCXLIV, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimoprimo.

M. A. Maraldus.

1. *Generale.*) Generaliſſimum, ut vocant, fuiſſe liquet ex Conſtitutione *CXVII*, & alia in ipſa laudata.

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1644 Die 24 Februarii.

Ne filiationes Fratrum ex aliis Cœnobiis ad Neapolitana S. Dominici, & S. Thomæ transferantur (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXIII.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

IN his Apoſtolici noſtri muneris partes favorabiliter interponimus, per quę regularium Ordinum quorumcunque felici ſtatui opportune conſuli judicamus. Cupientes itaque conſtitutionem, ſeu ordinationem felicis recordationis Clementis VIII, Prędeceſſoris noſtri, alias editam circa affiliationes ab uno ad alium Conventum transferendas obſervari, ac fraudibus, quę plerumque eapropter commiſſę fuerunt, obviam iri, illaſque e medio tolli, necnon dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum, Conventus Sancti Dominici, ac Collegii Sancti Thomę Civitatis Neapolitanę ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati. Quod de cetero affiliationes, & translationes filiorum aliorum Conventuum dicti Ordinis, ad dictum Sancti Dominici Conventum (3) nullo ſub prętextu, quęſito colore, vel ingenio fieri, aut ſi quandocunque per Nos, ſeu pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem, aut Sedem Apoſtolicam, affiliationes, & translationes hujuſmodi contra ejuſdem conſtitutionis, ſeu ordinationis formam fieri, & deſuper diſpenſari contigerit, illę non valeant, nullumque effectum ſortiri debeant, niſi de conſenſu omnium, & ſingulorum filiorum, vel eorum majoris partis tam pręſentium, quam abſentium Conventus, in quo affiliatio pręfata fieri debebit, in eadem Civitate exiſtentium, ad diem., & horam determinatos intimatorum, & poſtmodum capitulariter congregatorum, nemine prorſus excepto, per ſecreta ſuffragia, ut moris eſt, pręſtando. Quod ſi, & quando affiliationes hujuſmodi, alias quam juxta pręſentium continentiam, & tenorem fierent, illę nullę, & irritę ſint, & eſſe cenſeantur, & ſi deſuper, ut pręfertur, derogari contingat, premiſſis nullatenus derogatum ſit, aut eſſe intelligatur, niſi de derogatione hujuſmodi, plena, & expreſſa mentio fiat, ſicque, & non aliter &c. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIV Februarii MDCXLIV, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimoprimo.

M. A. Maraldus.

1. *Transferantur.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Neapolitano.*

3. *Conventum.*) Adderem: *& Collegium S. Thomæ.*

Anno 1644 Die 10 Martii.

Confirmatio limitum Provinciæ Ruſſiæ (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXIV.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum Provincię Ruſſię, quod cum alias creſcente vinea Domini in deſerta gentium ſeptemtrionalium Sede, in quam Congregatio Ruſſię eorundem Fratrum non poſtrema inter Religioſos Ordines penetravit, Evangelii verbum diſſeminans uberes fructus in eadem vinea reddidit, felicis recordationis Clemens VIII, & ſubinde Paulus V Romani Pontifices, Prędeceſſores noſtri, animadvertentes, provideque conſiderantes, quanto cum ſtudio, & cura ipſa Congregatio Evangelii ſtadium decurrebat, ad Chriſti fidelium ędificationem, illarumque animarum ſalutem providiſſent, ut ipſa Chriſti athletarum in augmento Fidei Catholicę, ſtrenue, fructuoſeque certantium Congregatio in Provinciam erigeretur, poſtmodum eorundem Clementis, & Pauli Prędeceſſorum auctoritate in certis Generalibus dicti Ordinis Capitulis Pariſien. primum de MDCXI, ac deinde Mediolan. de MDCXXII annis reſpective celebratis, quidam inter Polonię, & Ruſſię Provincias hujuſmodi Ordinis, fines, & limites deſtinati fuerunt, ut ſcilicet dicta Polonię Provincia ſuo gaudens jure in Samogitiam, Pruſſiam, Caſſubiam, Pomeraniam, Livoniam, & alias verbo Fidei amplificaretur, Provincia vero Ruſſię a terminis ſibi deſignatis in eiſdem Capitulis Generalibus in Moldaviam, Tranſylvaniam, Tartariam, Albam Ruſſiam, Moſchoviam, & deſerta infidelitatis ſuos extenderet labores, & fructuoſam S. R. E. excoleret tellurem, ibique cum ex Othomanica infidelitate, tum ex Moſcovitico Schiſmate felicem Catholicę veritatis ſpargens ſementem Chriſto copioſiorem agrum fructificaret. Quare dicti exponentes Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut limitum dictę Provincię factam, ut pręfertur, aſſignationem confirmare, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, felici, proſperoque ejuſdem Provincię Ruſſię ſtatui, quantum Nobis ex alto conceditur,

proſ-

proſpectum eſſe cupientes, ipſoſque exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, limitum, & terminorum, eidem Provincię Ruſſię Ordinis hujuſmodi, tam per ipſa Capitula Generalia, quam alias per ejuſdem Ordinis Magiſtros Generales, qui pro tempore fuerunt, reſpective decretam, & factam aſſignationem, ut pręfertur, cum omnibus, & ſingulis Conventibus tam hactenus ędificatis, quam in poſterum ędificandis, etiam in partibus Lithuanię, quos uſque ad Conventum Oſtrovicen. dicti Ordinis incluſive extendimus, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, decernentes pręſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, & ſingulis, quos illę concernunt, & concernent in futurum, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, ſicque per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinis, Provinciarum, & Conventuum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X Martii MDCXLIV, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimoprimo.

M. A. Maraldus.

1. *Ruſſia.*) Conſulendus *Simon Okolski* in *Ruſſia Florida.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1644 Die 1 Aprilis.

Dietam (1) a Romana Provincia cogendam confirmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBANUS PP. VIII. CXV.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm, ſicut nuper exponi fecit dilectus filius Jacobus Veri, Prior Provincialis Provincię Romanę, Ordinis Pręidcatorum, dicta Provincia ex Conventibus partim in ſtatu noſtro eccleſiaſtico, partim in ea Hetrurię parte, quę Magno Duci ſubeſt, exiſtentibus pro ęquali fere utrimque numero conſtet, indeque admodum difficile, & diſpendioſum foret vocales ejuſdem Provincię pro celebrando Capitulo Provinciali inſimul hoc tempore convenire; Nobis propterea dictus Jacobus Prior Provincialis humiliter ſupplicari fecit, ut deſuper, ut infra, providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ne ejuſdem Provincię negotia eapropter impediantur, quantum cum Domino poſſumus, providere, dictumque Jacobum Priorem Provincialem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Dietę Patrum, & Priorum principalium ejuſdem Provincię, juxta illius uſum, & conſuetudinem propediem congregandę, ut in ea functiones neceſſarię, & conſuetę Provincię hujuſmodi fiant, vim, & auctoritatem Capituli Provincialis, ita ut ea, quę in dicta Dieta fient perinde valeant, ac ſi in Capitulo Provinciali facta eſſent, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium tribuimus, adjicimus, & concedimus. Decernentes pręſentes literas, validas firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die I Aprilis MDCXLIV, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo Primo.

M. A. Maraldus.

1. *Dietam.*) Sic vocant Comitia in quibus non omnes ſed aliqui duntaxat Priores, & Provinciæ Patres de rebus alicujus Provinciæ tractant.

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1644 Die 23 Aprilis.

CXVI.

Indulgentia pro Miſſionibus.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

URBANUS PP. VIII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CÆleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſatores eſſe Nos voluit, nullis licet noſtris meritis, divina clementia, libenter erogamus, cum ad Religionis incrementum, & animarum ſalutem profecturos ſperamus. Sane cum, ſicut accepimus, nonnulli Religioſi Ordinis Fratrum Prędicatorum Diœceſis Neapolitan. ad diverſa loca dictę Neapolitanę diœceſis, de licentia Ordinarii, & ſuorum ſuperiorum, ad fidelium ſalutem curandam ſint acceſſuri; Nos eorundem Religioſorum pietatem, eorumque, ad quos illi mittentur, devotionem ſpiritualibus gratiis fovere, atque augere cupientes, omnibus & ſingulis Religioſis prędictis, ut prędicitur, mittendis, & aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ad quos ipſi mittendi acceſſerint, noſtram, & Apoſtolicam Benedictionem per pręſentes impertimur. Iiſque vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui pro S.R.E. exaltatione, Principum Chriſtianorum unione, infidelium converſione, & hęreſum extirpatione, prout unicuique ſuggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, una vice tempore dictę Miſſionis Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in domino concedimus; pręſentibus pro hoc anno tantum valituris. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Aprilis MDCXLIV, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo primo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur apud *Paulum Caracciolum* in libro cui titulus: *Il Trionfo di S. Domenico Protettore della Città di Napoli, e di tutto il ſuo Regno.*

Anno 1644 Die 27 Aprilis.

CXVII.

Ex Ordinis Generali Magiſterio ad Eccleſiam Cathedralem Nicolaum Rodulphium (1) transferendum decernit.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

URBANUS PP. VIII

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ALias, cum Nobis innotuiſſet, quod in Capitulo Generali Fratrum Ordinis Prędicatorum in Monaſterio Sancti Dominici Civitatis Januę die XXVI Octobris MDXLII celebrato fuerat die antecedenti facta amotio, ſeu depoſitio dilecti filii Nicolai Rodulphii Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis, dieque ſequenti unus,& ſucceſſive die XXX prędicti menſis Octobris in Conventu loci deCorneliano ejuſdem Ordinis alius in Magiſtrum Generalem prędicti Ordinis reſpective electi fuerant, & quod de facto a diverſis prętendebatur in ſciſſuram prędicti Ordinis extare tres Magiſtros Generales, propterea ad majora detrimenta, & ſcandala evitanda, juſſimus, nedum in Monaſterio Beatę Marię ſuper Minervam de Urbe, & alibi, nihil innovari, donec a Nobis controverſię deſuper terminatę eſſent, ſed etiam illas omnes, prętenſaſque nullitates omnium geſtorum, ac cognitionem, & terminationem illarum ad Nos avocavimus, executionemque amotionis, electionum, & aliorum, ut pręfertur, ſine alicujus pręjudicio, ac ſine retardatione proceſſus incepti contra prędictum Nicolaum Rodulphium ſuſpendimus, Congregationique aliquorum dilectorum filiorum noſtrorumS.R.E.Cardinalium,ac etiam aliquorum dilectorum filiorum Romanę Curię Pręlatorum,per Nos deputatorum cognitionem,& diſcuſſionem etiam extrajudicialiter facien. omnium, & ſingulorum pręmiſſorum, ad nobis referendum, commiſimus, cum facultatibus neceſſariis, & opportunis; qui quidem omnes prędicti Cardinales, & Pręlati, ſępius auditis informare volentibus, monitiſque perſonaliter hic Romę eiſdem Nicolao, & uno prędictorum duorum electorum, alteri autem electo eiſdem noſtris literis perſonaliter Januę intimatis, ceteris vero intereſſe habentibus, vel pętendentibus per proclama generale citatis, ſervatiſque juxta formam a Nobis pręſcriptam ſervandis, viſiſque omnibus deductis, & allegatis, voce, & ſcripto, illiſque ad plenum diſcuſſis in quamplurimis ſeſſionibus cum opportunam, & neceſſariam nobis deſuper relationem feciſſent. Nos hujuſmodi relatione audita juxta ejus ſeriem, motu proprio, certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine depoſitionem, amotionem, ſeu depoſitionem prędicti Nicolai a Magiſterio Generali dicti Ordinis factam in prędicto Capitulo fuiſſe, & eſſe nullam, & invalidam, ac nullius roboris,& momenti, nulliterque, & invalide factam, perindeque electiones factas de Magiſtro Generali ejuſdem Ordinis tam in civitate Januę, quam in prędicto loco de Corneliano fuiſſe, & eſſe nullas, & invalidas, nulliterque, & invalide factas, & quęcunque exinde ſequuta itidem fuiſſe, & eſſe nulla, & invalida decrevimus, & declaravimus, & ſubinde, ne, ſtante annullatione electionum prędictarum, ac ſuſpenſione ejuſdem Nicolai ab exercitio regiminis, & adminiſtratione Magiſtri Generalis .... diutius careret, Nos de voto eorundem S.R.E. Cardinalium, & Pręlatorum prędictis motu, ſcientia deliberatione, ac poteſtatis plenitudine paribus, Capitulum Generaliſſimum Fratrum dicti Ordinis in Urbe, & Monaſterio S. Marię

ſuper

ſuper Minervam ejuſdem Ordinis in feſto Pentecoſtes pręſentis an. MDCXLIV celebrandum convocavimus eorumque prętenſorum dicti Nicolai Magiſtri Generalis exceſſuum,ut pręfertur,cognitionem inceptam a judicibus,quibus illam commiſeramus,in ſtatu,& terminis,quibus reperiebatur,avocavimus,illamque ſic avocatam,eidem Capitulo Generaliſſimo,ut pręmittitur,celebran.cum omnibus,& ſingulis ſuis annexis, connexis , dependentiis , & emergentiis, ac toto negotio principali cognoſcendi , ac juxta formam earundem Conſtitutionum Ordinis pręddicti , etiam non perfecto proceſſu jam incepto , ac etiam non ſervata aliqua tela judiciaria , ſed ſummarie , ſimpliciter , & de plano , ſine ſtrepitu , & figura Judicii ad formam tamen Conſtitutionum prędictarum , ſola tantum facti veritate inſpecta , terminan. , omni , & quacunque oppoſitione , recurſu nullitatis etiam ex .... dictione in integrum reſtitutione , aliiſque juribus , ac prędictarum Conſtitutionum dicti Ordinis remediis penitus , & omnino remotis, commiſimus , cum omnibus, & ſingulis facultatibus neceſſariis , & opportunis ; Itaut idem Capitulum Generaliſſimum ad relaxationem ſuſpenſionis prędictę , & cum liberatione prędicti Nicolai Magiſtri Generalis , vel ad correctionem , & emendationem , aut etiam ad amotionem , ſeu depoſitionem ejuſdem ab officio Magiſterii Generalis, ipſo tamen prius ad normam dictarum Conſtitutionum audito,& monito, & ſubinde ad electionem alterius Magiſtri Ordinis prędicti , etiam abſque alia Congregatione Capituli electionis , vel citatione , monitione,vel intimatione,aliorum quorumcunque intereſſe habentium,ſeu quomodolibet habere prętendentium , poſſet , & deberet procedere , prout relaxationi , & liberationi , vel correctioni , & emendationi , aut amotioni , ſeu depoſitioni , & electioni reſpective locus foret , ad earundem Conſtitutionum pręſcriptum & alias prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die VIII Aprilis MDCXLIII expeditis literis , quarum tenores pręſentibus pro plene , & ſufficienter expreſſis haberi volumus , latius continetur ; Nunc vero tranquillitati ejuſdem Ordinis uberius , & quantocitius conſulere cupientes , juſtis de cauſis animum noſtrum moventibus , quę Nobis ſufficienter , & plene innoteſcunt , adducti, Motu proprio , certaque ſcientia , ac matura deliberatione noſtris , & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam veſtigiis aliquorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum inhęrentes , ac eundem Nicolaum a prędicto officio Magiſtri Generalis abſolvere , & ab illo amovere volentes , commiſſionem cauſę prętenſorum dicti Nicolai Magiſtri Generalis exceſſuum prędicto Capitulo Generaliſſimo , ut pręfertur , factam , ac facien. quaſcunque , etiam relaxandi eidem Nicolao Magiſtro Generali ſuſpenſionem prędictam Capitulo Generaliſſimo hujuſmodi per dictas literas noſtras conceſſas , ipſaſque literas quoad iſta , tenore pręſentium , revocamus , caſſamus , irritamus , & annullamus , viribuſque , & omni effectu evacuamus , ipſumque Nicolaum Magiſtrum Generalem ab officio Magiſtri Generalis hujuſmodi , illiuſque adminiſtratione , & exercitio penitus , & omnino , Motu , ſcientia , deliberatione , & poteſtatis plenitudine , & tenore paribus abſolvimus , amovemus , & liberamus , ac pro amoto , & liberato haberi volumus , & mandamus, necnon idem officium per abſolutionem , amotionem , & liberationem prędictas vacare , Capitulumque Generaliſſimum , ut pręfertur , celebrandum poſſe , & omnino debere libere , & licite ad alterius , nunquam autem dicti Nicolai , electionem in Magiſtrum Generalem prędicti Ordinis , ſervata forma , devenire , & procedere decernimus , & declaramus . Intendimus tamen pręvia etiam proceſſus contra eundem Nicolaum fabricati abolitione , quam ex nunc fieri mandamus , provideri ipſum Nicolaum etiam ex cauſis Nos moventibus de Eccleſia Cathedrali , prout eidem per Pręlatos a Nobis deputatos ſignificari fecimus , & ne de pręmiſſis ignorantia a quoquam prętendi poſſit , volumus pręſentes eidem Nicolao , tradita illarum copia , & quibuſcunque aliis vocalibus , & electoribus prędicti Capituli per affixionem duntaxat in valvis prędictę Eccleſię Beatę Marię ſuper Minervam intimari . Per quam affixionem decernimus eaſdem pręſentes omnes , & ſingulos prędictos , & quoſcunque alios cujuſcunque qualitatis , ſtatus , gradus , dignitatis , & conditionis afficere , ac ſi cuilibet ipſorum fuiſſent perſonaliter , traditiſque copiis intimatę . Decernentes literas pręſentes , etiam ex eo quod dictus Nicolaus Magiſter Generalis , & alii quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes , ſeu habere quomodolibet prętendentes , illis non conſenſerint , nec ad ea vocati , neque auditi , neque cauſę propter quas illę emanarunt , adductę , verificatę , & juſtificatę fuerint , ad quamcunque expreſſionem , & juſtificationem neminem teneri , cum Nobis plene , & ſufficienter notę ſint , ſed eaſdem pręſentes literas abſque ulla expreſſione , verificatione , & juſtificatione ſufficere volumus , nullo unquam tempore de ſubreptionis , obreptionis , vel nullitatis vitio , aut intentionis noſtrę , vel de alio quovis quantunlibet ſubſtantiali defectu notari , redargui , & impugnari , vel adverſus eas aperitionis oris , reſtitutionis in integrum , aut aliud quodcunque juris , facti , vel gratię remedium impetrari , ſeu impetrato quempiam in judicio , vel extra illud uti poſſe , ſicque , & non aliter , in pręmiſſis , per quoſcunque judices ordinarios , & delegatos , etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores , & S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos , ſublata eis , & eorum cuilibet , quavis aliter judicandi , & interpretandi facultate , & auctoritate , judicari , & definiri debere , ac irritum , & inane , ſi quid ſecus ſuper his a quoquam , quavis auctoritate , ſcienter , vel ignoranter contigerit attentari . Non obſtantibus prędictis noſtris literis , ac conſtitutionibus , & ordinationibus Apoſtolicis , etiam in Conciliis univerſalibus editis , necnon conſtitutionibus , & ordinationibus prędicti Ordinis , illiuſque ſtatutis , & conſuetudinibus , etiam immemorabilibus , etiam juramento , confirmatione Apoſtolica , vel alia quavis firmitate roboratis , necnon , quatenus opus foret , regula noſtra de non tollendo jure quęſito , privilegiis quoque , indultis , & literis Apoſtolicis eidem Ordini , Nicolao Magiſtro Generali , ceteriſque Fratribus , & perſonis hujuſmodi , ſub quibuſcunque verborum tenoribus , & formis , ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis , aliiſque efficacioribus , & inſolitis clauſulis , ac irritantibus , vel aliis decretis in genere , vel in ſpecie , ac alias in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis , confirmatis , & innovatis , quibus omnibus , & ſingulis , etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis , eorumque totis tenoribus ſpecifica , expreſſa , & individua , ac de verbo ad verbum , nihil penitus omiſſo , non autem per clauſulas generales idem importantes , ſeu alia quęvis expreſſio habenda , aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret , tenores hujuſ-

Anno 1644 Die 30 Junii.

De electione (1) Provincialis Trinacriæ (2).

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

CXX.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

IN his Apoſtolici muneris partes libenter interponimus, per quę Religioſorum Ordinum quorumcunque ſtatui opportune conſuli judicamus. Cum itaque, ſicut dilecti filii Fratres Provincię Sicilię Ordinis Prędicatorum Nobis nuper exponi fecerunt, in Capitulo Generaliſſimo dicti Ordinis noviſſime in alma Urbe noſtra celebrato pro juſtitię ęqualitate circa Capitulorum Provincialium dictę Provincię celebrationem, necnon Priorum Provincialium, & Diffinitorum, electiones ſervanda, proque tuendis pace, & quiete communibus, una alternativa Vallium, Neti, Nemorum, & Mazzarię conſtituta, & ordinata fuerit, ſub modo, & forma, conditionibuſque contentis, & expreſſis in decreto Capitulari deſuper emanato tenoris ſubſequentis, videlicet. Pro juſtitię ęqualitate ſervanda circa celebrationem Capitulorum, & electionem Provincialium, & Diffinitorum, ordinamus alternativam Neti, Nemorum, & Mazzarię, quam ordinamus fieri ſub infraſcriptis legibus videlicet quod ſequens Capitulum Provinciale celebretur, in Valle Neti, cujus erunt duo diffinitores, quod ſit deinceps de jure Vallis, ubi Capitulum celebrari contigerit, Provincialis vero, & alter diffinitor, ſit Vallis Nemorum, quartus tandem Mazzarię, & ſic ſucceſſive juxta ſupradictum ordinem Vallium alternatio fiat. Quo vero ad illos, qui ad Capitulum Generale mittũntur, primus diffinitor, vel ſocius Provincialis, ſi Capitulum Provincialium fuerit, ſit illius Vallis, ubi celebratur Capitulum, ſecundus vero diffinitor, ſive elector, ſit alterius Vallis, nunquam tamen ex eadem ſumantur Valle Provincialis, & Socius ejuſdem, ſive diffinitores, & ſic unaquęque vallis ſuo proprio gaudebit voto. Quod ſi ii, ad quos juxta hanc legem ire ſpectabit, impediti fuerint, tunc juxta profeſſionis antiquitatem ex Valle, cujus deficit, ad diffinitores pręcedentis capituli habeatur recurſus. Quod ſi adhuc deſiderantur tunc ad aliud pręcedens capitulum modo quo ſupra retrogrediatur, & tandem, ſi nullus adhuc ſupereſt, obſerventur circa id conſtitutiones, & ordinationes Capitulorum Generalium. Demum vero ne fraus ex noviſſimis affiliationibus accidat, nullus qui ex una ad aliam Vallem transfertur poſſit niſi poſt quatuor annos completos ad ſupradicta munia eligi. Si vero aliter circa omnia, & ſingula pręmiſſa fieri contigerit, totum ſit irritum, nullum, & inane &c., ipſi vero exponentes pręmiſſa quo firmius ſubſiſtant Apoſtolicę noſtrę confirmationis patrocinio communiri ſummopere deſiderent. Idcirco Nos eoſdem exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, alternativam prędictam in eadem Provincia quoad pręmiſſa in eodem Capitulo Generaliſſimo, ut pręfertur, conſtitutam, & ordinatam, ac deſuper emanatum decretum capitulare hujuſmodi, pręinſertum, cum omnibus, & ſingulis in eo contentis Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes pręſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in futurum inviolabiliter obſervari; ſicque per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ordinis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum pręmiſſorum duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris XXX Junii MDCXLIV, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo primo.

M. A. Maraldus.

1. *Electione*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Trinacriæ*.) Inſularum nempe *Siciliæ*, *Melitenſis &c.*

3. *Archivo*.) In quo exemplar.

Ne Fratres aliorum Conventuum in Neapolitanum Cœnobium Montis Dei transferantur (1).

Anno 1644 Die 15 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXXI.

URBANUS PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

IN his Apoſtolici noſtri muneris partes favorabiliter interponimus, per quę regularium Ordinum quorumcunque felici ſtatui opportune conſuli judicamus. Cupientes itaque conſtitutionem, ſeu ordinationem felicis recordationis Clementis PP. VIII prędeceſſoris noſtri alias editam circa filiationes ab uno ad alium Conventum transferendas, obſervari, ac fraudibus, quę plerumque, ea propter commiſſę fuerunt, obviam iri, illaſque e medio tolli, necnon dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum, Conventus Montis Dei nuncupati, Civitatis Neapolitanę ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtant, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illarum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati. Quod de cetero affiliationes, & translationes filiorum aliorum Conventuum dicti Ordinis ad pręfatum Montis Dei Conventum, nullo ſub prętextu, quęſito colore, vel ingenio fieri, aut ſi quandocunque per Nos, ſeu pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem, aut Sedem Apoſtolicam affiliationes, & translationes hujuſmodi contra ejuſdem Conſtitutionis, ſeu ordinationis formam fieri, & deſuper diſpenſari contigerit, illę non valeant, nullumque effectum ſortiri debeant, niſi de conſenſu omnium, & ſingulorum filiorum, vel eorum majoris partis, tam pręſentium, quam abſentium ejuſdem Conventus Montis Dei, in quo affiliatio pręfata fieri debebit in eadem Civitate exiſtentium ad diem, & horam determinatos intimatorum. Quod ſi affiliationes hujuſmodi, alias quam juxta pręſentium continentiam, & tenorem fierent, illę nullę, & irritę ſint, & eſſe cenſeantur, & ſi deſuper, ut pręfertur, derogari contingat, pręmiſſis nullatenus derogatum ſit, aut eſſe intelligatur, niſi de derogatione hujuſmodi plena, & expreſſa mentio fiat. Sicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, &, quatenus opus ſit, Conventus hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum pręmiſſorum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Julii MDCXLIV, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo primo.

M. A. Maraldus.

1. *Transferantur.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

APPENDIX.

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Dignitates, Urbano VIII Summo Pontifice, promotos exhibens.

CARDINALIS.

F. Vincentius Maculanus, alumnus Provincię Lombardię, ex Magiſtro S. Palatii Apoſtolici S. R. E. Cardinalis tituli S. Clementis. *Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium in Urbano VIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II num. XLII pag. 40. Cavalerius Tomo I pag. 623. num. CXXXV, & Tomo II pag. 236 num. II. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXVII pag. 622*, aliique quos iſti laudant. Præfuit Eccleſiæ *Beneventanæ*, ut in hac *Appendice* videre eſt.

Anno 1641 Die 16 Decembris.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1626. F. Johannes Baptiſta Ferrerius, Archiepiſcopus Taurinen., in Pedemontio. *Ughellus in Archiepiſcop. Taurinen. Tomo IV. Italiæ Sacræ pag.* 1062 *edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. C pag.* 103. *Cavalerius Tomo I pag.*568 *num.XLII.*

Anno circiter 1630. F. Joſephus Gonzalez, ex Epiſcopo *Pampilonen.*, ut in hac *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Compoſtellan., in Gallæcia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XIX pag.*64. *ex Ægidio in Theatro Eccleſiæ Burgen. Cavalerius Tomo I pag.* 575 *num. LIV.*

Anno 1631. IDem ad Eccleſiam Burgenſem, *Burgos*, in Hiſpania, tranſlatus eſt. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XIX pag.* 64, *ex Ægidio. Cavalerius* mox laudatus.

Anno 1631. F. Emmanuel Tellez, Archiepiſcopus Goanus, *Goa*, in Indiis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XLVII pag.* 77, ex *Actis Conſiſtor. Cavalerius Tomo I pag.* 588 *num. LXXVII.*

Anno 16.... F. Antonius de Sotomayor, Generalis Inquiſitor Hiſpaniarum, Archiepiſcopus Damaſcenus, in Syria. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXXVIII pag.* 72, *ex Salelles. Cavalerius Tomo I pag.* 609 *num. CXV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXLVIII pag.*555, *& in Addendis pag.* 997.

Anno 1635. F. Chriſtophorus de Torres, Hiſpanus, Cœnobii Burgenſis alumnus, Archiepiſcopus S. Fidei, in America. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXXVII pag.* 98, *ex Actis Conſiſtorial. Cavalerius Tomo I pag.*604 *num.CV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLIII pag.*573.

Anno circiter 1640. F. Petrus Martyr, ex Epiſcopo *Sanctarien.*, ut in *Appendice ad Pontificatum Pauli V* dictum fuit, Archiepiſcopus Smyrnenſis, in Aſia Minori. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XCI pag.* 100, *ex Michaele Juſtiniano. Echard,* aliique ſupra laudati.

Anno 1642. F. Vincentius Maculanus S.R.E. Cardinalis, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Archiepiſcopus Beneventanus, *Benevento*, in Italia. *Ughellus in Archiepiſcopis Beneventan. Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.* 173 *Edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XIII pag.* 60. *Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Addit *Ughellus*, quod *poſt annum F. Vincentius Romam revocatus a Pontifice, implicituſque curiæ gravioribus negotiis Beneventanum Sacerdotium dimiſit anno MDCXLIII.*

Anno circiter 1643. F. Hyacinthus Subianus, Aretinus, Archiepiſcopus Edeſſenus, in Syria. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XLIV pag.* 74. *Cavalerius Tomo I pag.*610 *num. CXVI.* Ad Archiepiſcopatum *Smyrnen.* tranſlatus fuit, ut in *Appendice ad Pontificatum Innocentii X* dicetur.

EPISCOPI.

Anno circiter 1623. F. Deſiderius Scalia, S R.E. Cardinalis, ut in *Appendice ad Pontificatum Pauli V* dictum fuit, Epiſcopus Comenſis, ſeu Novocomenſis, *Como*, in Inſubria, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXCV pag.* 177. *Ughellus*, aliique ſupra laudati.

Anno 1624. F. Johannes de Robbia, nobilis Florentinus, Epiſcopus Bertinorius, *Bertinoro*, & Foropopilien., *Forlimpopoli*, in Æmilia, ſub Archiep. Ravennaten. *Ughellus in Epiſcopis Foropopilien., & Bertinoriis Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 617 *edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXXVII pag.* 140, *& Tit. CCXLIX pag.* 194. *Cavalerius Tomo I pag.* 589 *num. LXXIX.*

Anno 1624. F. Franciſcus de Lomenie, Epiſcopus Maſſilienſis, *Marſeille*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Arelatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXII pag.* 231, *ex Gallia Chriſtiana, & Regeſt. Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius Tomo I pag.* 587 *num. LXXIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 24.

F. Jo-

F. Joſephus Gonzalez, ex Epiſcopo *Palentino*, ut *in Appendice ad Pontificatum Pauli V* dictum fuit, Epiſcopus Pompelonen., *Pamplona*, in Regno Navarræ, ſub Archiepiſcopo Burgenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXLVIII pag.* 259, *ex Ægidio in Theatro Eccleſiæ Burgen. Cavalerius Tomo I pag.* 575 *num. LIV*. Ad Archiepiſcopatum *Compoſtellanum* tranſlatus fuit, ut in hac *Appendice* videre eſt. Anno 1624.

F. Hippolytus de Hippolytis, nobilis Mantuanus, Epiſcopus Nonen., *Nona*, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Spalatenſi. Alii Sedem illam ſubjiciunt Archiepiſcopo Jaderenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXIX pag.* 250, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius Tomo I pag.* 565 *num. XXXVI.* Anno 1624.

F. Chriſtophorus Martinez, Hiſpanus, Epiſcopus Panamanus, *Panama*, in America, ſub Archiepiſcopo Limano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCL pag.* 259, *ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag.* 565 *num. XXXVIII.* Anno 1625.

F. Johannes de Portugallia, e Comitibus de Vimioſo, Epiſcopus Viſenſis, *Viſeo*, in Portugallia, ſub Archiepiſcopo Bracarenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXL pag.* 325, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ, & ex Actis Capituli Generalis MDCXXIX. Cavalerius Tomo I pag.* 571 *num. XLVII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXXIX pag.* 460. Anno 1625.

F. Hieronymus Zambeccarius, Bononienſis, Epiſcopus Alliſanus, in Samnio, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Ughellus in Epiſcop. Minerbin. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 747 *editionis Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXV pag.* 122. *Cavalerius Tomo I pag.* 578 *num. LVIII.* Ad Epiſcopatum *Minerbenſem* tranſlatus fuit, uti mox dicetur. Anno 1625.

F. Vincentius Martinelli de Riccia, Romanus, Epiſcopus Cuperſanen., *Converſano*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 580 *num. LXII, ex Ughello in Italia Sacra, & Fontana in Monumen. Dominican. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXXXV pag* 484, *& in Addendis pag.* 998. *Fontana* in *Addendis ad Theatrum Dominicanum pag.* 680. Ad *Venafranam* Sedem tranſlatus fuit, uti mox dicetur. Anno 1625.

F. Joſephus a Cornea, ex Ducibus Caſtilioneis, alumnus Minervitani Cœnobii, Epiſcopus Caſertanus, *Caſerta*, in Regno Neapolitano ſub Archiepiſcopo Capuano. *Ughellus in Epiſcop. Caſertan. Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 514 *edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXLIII pag.*158. *Cavalerius Tomo I pag.* 629 *num. CXLIII.* Ad Eccleſiam *Squillacen.* tranſlatus fuit, uti mox dicetur. Anno 1626.

F. Deodatus Scalia, alumnus Cremonenſis Cœnobii, Epiſcopus Melphien., *Melfi*, & Rapollanus, *Rapolla*, in Regno Neapolitano, immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcopis Melphien., & Rapollan. Tomo I Italiæ Sacræ pag.*941 *edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXVIII pag.* 233, *& Tit. CCCCLXXXIII pag.* 271. *Cavalerius Tomo I pag.* 615 *num. CXX.* Ad *Alexandrinam* Sedem tranſlatus fuit, uti mox dicetur. Anno 1626.

F. Michael Ophovius, Epiſcopus Sylvæducen., ſeu Buſeoducen., & Boſcoducen., *Boisleduc*, in Belgio, ſub Archiepiſcopo Mechlinienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XCVIII pag.*144, *ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 596 *num. XC. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXXXVII pag.*496, *& in Addendis pag.* 997. *Belgium Dominicanum pag.* 228. Anno 1626.

F. Thomas Torres, Hiſpanus, Epiſcopus Paraguajanus, *Paraguay*, in America Meridionali. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLIV pag.* 260, *ex Actis Conſiſtor. Cavalerius Tomo I pag.*575 *num. LV.* Thomam iſtum a *Thoma de Tonnes* non diſtinguit *Echard*, uti dictum fuit in *Appendice ad Pontificatum Pauli V Tomo V hujuſce Bullarii pag.* 727. Ad Eccleſiam *Tucumanen.* tranſlatus fut, ut in hac *Appendice* videre eſt. Anno 1626.

F. Johannes Archangelus Baldinus, Florentinus, Epiſcopus Gravinen., in Apulia, ſub Archiepiſcopo Acheruntin., & Materan. *Ughellus in Epiſcopis Gravinen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.*127 *edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXXII pag.* 199. *Cavalerius Tomo I pag.* 573 *num. L.* Anno 1626.

Anno 1627. F. Dominicus ab Aſſumptione, Epiſcopus Congen., *Congo*, in Africa, ſub Archiepiſcopo Ulyſſiponen. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXCIX pag.* 178, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius Tomo I pag.* 569 *num. XLIII.*

Anno circiter 1627. F. Seraphinus Rinaldus, Epiſcopus Mutilen., ſeu Motulen., *Motola*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Tarentino. *Ughellus in Epiſcopis Mutilen. Tomo IX Italiæ Sacræ pag.* 162, *ex Topio in Bibliotheca Neapolitan. pag.* 278. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCVI pag.* 242, *ex Vallio. Cavalerius Tomo I pag.* 569 *num. XLIV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXXVII pag.* 451, *& in Addendis pag.* 997.

Anno 1628. F. Conſtantinus Teſta, ſeu Teſtius, Mutinen., Epiſcopus Satrianen., in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Compſano, & Campanien., *Campagna*, in eodem Regno, ſub Archiepiſcopo Salernitan.. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. I Tit. CXXVI pag.* 152, *& Tit. DXXXI pag.* 290, *ex Ughello, Cavalerius Tomo I pag.* 582 *num. LXV.*

Anno 1628. F. Thomas Torres, ex Epiſcopo *Paraguaiano*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Tucumanen., *Tucuman.*, in America, ſub Archiepiſcopo Limano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit. DCVII pag.* 314, *ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag.* 575 *num. LV*, *ex variis Scriptoribus.*

Anno 1629. F. Lucas Caſtellinus, nobilis Faventinus, Epiſcopus Catacen., *Catanzaro*, in Calabria, ſub Archiepiſcopo Rhegienſi. *Ughellus in Epiſcopis Catacen. Tomo IX Italiæ Sacræ pag.* 378 *num. XXXIV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CL pag.* 160. *Cavalerius Tomo I pag.* 576 *num. LVI. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXXXI pag.* 471, *& in Addendis pag.* 997.

Anno circiter 1629. F. Gabriel de Quiroga, Cœnobii Complutenſis alumnus, Epiſcopus Camorinen., ſeu Novæ Carcerez, *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 28, *ex Franciſco Carrero.* Sedem iſtam non diſtinguendam crediderim a *Caſerenſi*, vulgo *Nueva Caſerez*, in Philippinis, ſub Archiepiſcopo Maniliano.

Anno 1630. F. Dominicus Pimentel, Hiſpanus ex Comitibus Beneventi, Epiſcopus Oxomenſis, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit. CCCCXLIV pag.* 254, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius Tomo I pag.* 606 *num. CVIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLIII pag.* 574. Aliis Eccleſiis præfuit, & S. R. E. Cardinalis fuit, ut poſtea dicetur.

Anno 1631. F. Hieronymus Zambecarius, ex Epiſcopo *Alliſano*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Minerbien., *Minervino*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Ughellus in Epiſcopis Minerbien. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 747. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXXIX pag.* 236. *Cavalerius*, aliique ſupra laudati.

Anno 1631. F. Michael Rangel, Luſitanus, vitæ ſanctimonia, & miraculis clarus, Epiſcopus Cochinenſis, *Cochim*, in Indiis, ſub Archiepiſcopo Goano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXCII pag.* 175, *ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag.* 592 *num. LXXXIV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 28. A nonnullis *Michael* iſte *Raguel*, & *Range*, mendoſe nuncupatur.

Anno 1632. F. Vincentius Martinellus de Riccia, ex Epiſcopo *Cuperſanen.*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Venafranus, *Venafri*, ſub Archiepiſcopo Capuano, in Regno Neapolitano. *Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Ejuſdem meminit *Fontana* in *Addendis ad Theatrum Dominicanum pag.* 680.

Anno 1632. F. Dominicus Pimentel ex Epiſcopo *Oxomenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Cordubenſis, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCII pag.* 179. *Cavalerius*, aliique ſupra laudati. *Hiſpalenſis* Archiepiſcopus, & S. R. E. Cardinalis fuit *Dominicus* noſter, ut in ſequenti *Appendice* dicetur.

F. Jo-

F. Johannes Didacus Advarte, Epiſcopus Novæ Segobiæ, *Cagayan*, in Inſulis Philippinis, ſub Archiepiſcopo Maniliano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXX pag.* 250, *ex Actis Conſiſtorialibus*, *Cavalerius Tomo I pag.* 586 *num. LXXII*. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXXXVII pag.* 493. Anno 1632.

F. Ludovicus Zamagna, Epiſcopus Stagnenſis, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Raguſino. Obiit die *XXIV* Julii *MDCXXXIV*. De Præſule iſto loquuntur monumenta *Raguſini* Cœnobii. Nulla ipſius apud Scriptores, quos legi, mentio. Anno 1632.

F. Johannes de Eſpenier, Epiſcopus S. Marthæ, in America, ſub Archiepiſcopo S. Dominici. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXI pag.* 288, *ex Actis Conſiſtorialibus*. *Cavalerius Tomo I pag.* 579 *num. LX*. Anno 1633.

F. Dominicus Cano, Epiſcopus Gaditanus, *Cadix*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Hiſpalenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLVI pag.* 195, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ*. *Cavalerius Tomo I pag.* 581 *num. LXIII*. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 26. Anno 1633.

F. Ambroſius Cordua, Epiſcopus Tropeien., *Tropea*, in Calabria, ſub Archiepiſcopo Rhegienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCV pag.* 314, *ex Ughello*. *Cavalerius Tomo I pag.* 583 *num. LXVIII*. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXXXVIII pag.* 497. Anno 1633.

F. Johannes Baptiſta Zamoyski, Epiſcopus Bachovien., *Backow*, in Walachia, ſub Archiepiſcopo Leopolien., vel, ut aliis placet, ſub Archiepiſcopo Colocen. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXX pag.* 135, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ*. *Cavalerius Tomo I pag.* 600 *num. XCVI*. *Simon Okolski in Ruſſia Florida pag.* 59. *Dominicus Frydrychowicz in S. Hyacintho &c. Poloniæ Patrono &c. pag.* 221. Anno 1633.

IDem Epiſcopus Præſmilien., *Przemyſl*, in Ruſſia nigra, ſub Archiepiſcopo Leopolien. *Dominicus Frydrychowicz* mox laudatus. Anno ....

IDem Epiſcopus Luceorien., *Lucko*, in Volhinia, ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi. *Dominicus Frydrychowicz* mox laudatus. Anno ....

F. Antonius a Reſurrectione, Luſitanus, Epiſcopus Angrenſis, in Inſula Oceani *Tercera* nuncupata, ſub Archiepiſcopo Ulyſſipponen. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXXV pag.* 124, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ*, *& ex Actis Capituli Generalis Romæ celebrati Anno MDCLVI*. *Cavalerius Tomo I pag.* 600 *num. XCVII*. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCL pag.* 562. Anno 1634.

F. Zenobius Medices, nobilis Florentinus, Epiſcopus Burgi S. Sepulchri, *Borgo San-ſepulcro*, in Italia, ſub Archiepiſcopo Florentino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CIX pag.* 147. *Ughellus in Epiſcopis Burgi S. Sepulchri Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 201 *edition. Venetæ*. *Cavalerius Tomo I pag.* 583 *num. LXVII*. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 22. Anno 1634.

F. Hyacinthus de Ceno, Hiſpanus, Epiſcopus Cajetanus, *Gaeta*, in Regno Neapolitano, immediate ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcopis Cajetan. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 545. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXVI pag.* 149. *Cavalerius Tomo I pag.* 582 *num. LXVI*. Anno 1634.

F. Otto Sentreim, Epiſcopus Azoten., in Palæſtina, ſub Archiepiſcopo Cæſareæ. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXIX pag.* 135. *Cavalerius Tomo I pag.* 618 *num. CXXIII*. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Archiepiſcopi *Trevirenſis*. Anno 1635.

F. Joſephus a Cornea, ex Epiſcopo *Caſertano*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Squillacen., *Squillace*, in Calabria, ſub Archiepiſcopo Rhegienſi. *Ughellus in Epiſcopis Squillacen. Tomo IX Italiæ Sacræ pag.* 448 *edition. Venetæ*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLIX pag.* 298. *Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Ad *Urbevetanam* Sedem tranſlatus fuit, ut poſtea dicetur. Anno 1636.

F. Nata-

Anno 1636. F. Natalis Deslandes, Gallus, Epiſcopus Trecoren., *Treguier*, in Britannia Minori, ſub Archiepiſcopo Turonen. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCVI pag.* 311, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ, & ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 593 *num. LXXXVII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXLV pag.* 545.

Anno 1638. F. Johannes Baptiſta Faleſius, Neapolitanus, Epiſcopus Mutilen., ſeu Motulen., *Motola*, in Regno Neapolitano ſub Archiepiſcopo Tarentino. *Ughellus in Epiſcopis Motulen. Tomo IX Italiæ Sacræ pag* 162 *edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCVI pag.* 242. *Cavalerius Tomo I pag.* 598 *num. XCIV.*

Anno 1640. F. Joſephus Maria Ciantes, Patricius Romanus, alumnus Minervitani Cœnobii, Epiſcopus Marſicen., *Marſico nuovo*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Salernitano. *Ughellus in Epiſcopis Marſicen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 521 *num. LIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXVII pag.* 227. *Cavalerius Tomo I pag.* 631 *num. CXLVII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXX pag.* 634.

Anno circiter 1640. F. Rochus Mac geogain, cognomento a S. Cruce, Hibernus, Epiſcopus Darien., ſeu Derien., *Derry*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Armachano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit. CCXIX pag.* 185, *ex Actis Capituli Generalis Romani MDCLVI. Cavalerius Tomo I pag.* 590 *num LXXX. Belgium Dominicanum pag.* 425.

Anno 1641. F. Antonius Cellius ex Tulſa, Epiſcopus Inſulanen., *Iſola*, in Calabria, ſub Archiepiſcopo S. Severinæ. *Ughellus in Epiſcopis Inſulanen. Tomo IX Italiæ Sacræ pag.* 512 *edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCC pag.* 206. *Cavalerius Tomo I pag.* 593 *num. LXXXVIII.*

Anno 1641. F. Petrus de Tapia, Hiſpanus, Epiſcopus Segobien., *Segovia*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXL pag.* 293, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ, & Ægidio in Theatro Eccleſiæ Segobien. Cavalerius Tomo I pag.* 612 *num. CXVIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLVII pag.* 587. Ad *Seguntinam* Sedem tranſlatus eſt, uti mox dicetur.

Anno 1642. F. Thomas de Avalos de Aquino, Neapolitanus, ex Marchionibus Vaſti, Epiſcopus Lucerinus, *Lucera*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Ughellus in Epiſcopis Lucerin. Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.* 325 *edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXLVIII pag.* 220. *Cavalerius Tomo I pag.* 592 *num. LXXXIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXLIII.*

Anno 1642. F. Chriſtophorus de Calancha Y Velaſio, Epiſcopus SS. Trinitatis *de Buenos Aires*, in America, in Provincia Argentea, ſeu Plata de los Charcas. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 27. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXVI pag.* 289, *ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo II pag.* 593 *num. LXXXV.* Emendandi tamen *Cavalerius*, & *Fontana* mox laudati, qui *Chriſtophorum* noſtrum nuncupant *de Moncha Veloſco*, & cuidam *Corphiro Aiezo* ſucceſſiſſe putant. Deceſſorem habuit *Chriſtophorum de Ariſti Vulliſo*, Ordinis S. Benedicti.

Anno 1643. F. Reginaldus Lucarinus, Epiſcopus Civitatis Plebis, *Città della Pieve*, in Italia, immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcopis Civitatis Plebis Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 595 *edition. Venetæ Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXXXII pag.* 171. *Cavalerius Tomo I pag.* 633 *num. CXLIX. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXI pag.* 641.

Anno 1643. F. Sigiſmundus Miaſzkowski, Epiſcopus Cherſonenſis, & Adminiſtrator Eccleſiæ Theodoſien. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXV pag.* 167. *Cavalerius Tomo I pag.* 601 *num. XCVIII. Dominicus Frydrychowicz in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag.* 232.

Anno 1644. F. Michael Torres, Neapolitanus, Epiſcopus Potentin., *Potenza*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Acheruntino, & Materano. *Cavalerius Tomo I pag.* 594 *num. LXXXIX. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXLV pag.* 545, ex variis Auctoribus, quos iſti laudant.

F. Tho-

F. Thomas de Rocamora, Hiſpanus, ex Comitibus Eldæ, Epiſcopus Majoricen., *Mallorca*, in ejuſdem nominis Inſula Mediterranei. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXI pag. 223. Cavalerius Tomo I pag. 606 num. CIX, Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLIII pag. 577.* Anno 1644.

F. Joſeph Maria Pizzinus, Venetus, Epiſcopus Caprulen., *Caorle*, in Statu Veneto, ſub Patriarcha Veneto. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXXV pag. 155, ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag. 607 num. CX.* Anno 1644

F. Petrus de Tapia, ex Epiſcopo *Segobienſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Seguntinus, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit. DXLI pag. 294, ex Ægidio. Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Aliis Eccleſiis præfuit, ut poſtea dicetur. Anno 1644.

F. Jacobus o Hurly, Epiſcopus Kilmalocen., *Kilmalock*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Caſſilienſi. *Belgium Dominicanum pag. 423.* Anno ....

F. Terentius Albertus o Briain, nobilis Hibernus, Epiſcopus Kilmalocen., *Kilmalock*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Caſſilienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXCVIII pag. 205. Cavalerius Tomo I pag. 602 num. CI. Belgium Dominicanum pag. 423.* Jacobum o Hurly deceſſorem habuit *Terentius* noſter. Cælos petiit anno *MDCLI*, in vigilia omnium Sanctorum ob defenſionem Fidei Catholicæ *Lymerici* ſuſpenſus. Notandum quod Sedes iſta *Kilmalocen.* a nonnullis *Imolacen.* mendoſe vocatur. Anno 1644.

F. Deodatus Scalia, ex Epiſcopo *Melphien.*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Alexandrinus, *Alleſſandria*, in Italia, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXIII pag. 121. Ughellus in Epiſcopis Alexandrin. Tomo IV Italiæ Sacræ pag. 325 edition. Venetæ. Cavalerius Tomo I pag. 615 num. CXX.* Anno 1644.

INNO-

(a) *Oldoinus* in *Additionibus ad Ciaconium*. (b) Idem. (c) Idem.

INNOCENTIUS X.

Johannes Baptiſta Pamphilius, Romanus, electus (*a*) eſt die XIV Septembris MDCXLIV. Coronatus (*b*) fuit IV Octobris eodem anno. Obiit (*c*) die VII Januarii MDCLV. Sedit Annos X, Menſes III, Dies XXV.

Anno 1645 Die 12 Januarii.

Generalem Magiſtrum F. Thomam Turcum (1) privilegiis (2) ornat.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

Dilecto filio Thomę Turco totius Ordinis Prędicatorum Magiſtro Generali.

INNOCENTIUS PP. X.

I.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut accepimus, tu pro injuncto tibi munere Generalis Magiſterii Ordinis Fratrum Prędicatorum intendas domos, ac loca, & Monaſteria, necnon Fratres, & Sorores ipſius Ordinis viſitare, & Religionem ejuſdem Ordinis, quantum in te erit, favente Domino, reformare, & priſtino decori reſtituere, & propterea non ſolum Italiam peragrare, ſed etiam ultra montes ire cogaris. Nos igitur, qui nihil ęque cupimus, quam amputatis vitiorum ſentibus virtutum flores in univerſa Eccleſia, & pręſertim in ipſo Ordine, quem ob uberes ejus in vinea Domini fructus paterne diligimus, emineant, inſtitutum hoc tuum, & viſitandi ſanctum propoſitum plurimum commendantes, ac ſuper hoc Prędeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhęrentes, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, Apoſtolicam tibi, & noſtram benedictionem impartimur, & ut efficacius loca, domos, & Monaſteria ejuſmodi viſitare, & quę opus fuerit reformare, & bonos mores plantare, & quę ad ſtudiorum promotionem conducunt, agere, & exequi valeas, nec in rebus agendis, ſcrupulus tibi aliquis, aut obex opponi poſſit; volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod dum in Generalatus hujuſmodi officio manſeris, ſuper Romanam, ac omnes, & ſingulas Provincias, & Vicarias tam citra quam ultra montes, etiam Regnorum Hiſpanię, utriuſque Lombardię, ac Gallicanę, & Raguſinę, necnon quaſcunque ejuſdem Ordinis Congregationes alias, & ipſarum Provinciarum, Vicariarum, & Congregationum, loca, domos, Collegia ſtudentium, Monaſteria, & bona quęcunque, & utriuſque ſexus perſonas tam Fratres, quam etiam tertii habitus S. Dominici Sorores, ad Provincias, ſeu Congregationes, aut alias quomodolibet ad Ordinem hujuſmodi pertinentes, ſeu ejus curę quovis modo commiſſas, cujuſcunque gradus, & conditionis exiſtant, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus auctoritate, & facultate, ac juriſdictione pleniſſimis, & illis, quibus ceteri Magiſtri Generales juxta dicti Ordinis Inſtituta, & Sacri Concilii Tridentini Decreta, ſeu Conſtitutiones, vel ex jure ordinario, ſeu ex conſuetudine, vel privilegiorum, & indultorum Apoſtolicorum vi hactenus functi fuerunt, ſeu fungi potuerunt, in omnibus, & per omnia fungaris, & fungi, ac illos, illas, & illa viſitare, corrigere, & reformare, necnon omnes, & ſingulas literas Apoſtolicas tam ſuper pręmiſſis, quam amotione, & nova cujuſcunque deputatione Prioris Provincialis, ſeu Vicarii, aut Prioris cujuſvis dicti Ordinis Conventus, & Monaſterii, vel Domus a Nobis, ſeu Prędeceſſoribus noſtris emanatas, exequi, & exequendas curare, & quaſcunque ſententias, cenſuras, & pęnas in illis contentas fulminare, auctoritate noſtra libere, & licite poſſis, & valeas, quodque, cum acciderit reformatio facienda alicujus, ſeu aliquorum Conventuum, ſive Domorum, aut Monaſteriorum dicti Ordinis, etiam nulla alia, quam tua pręcedente electione, toties quoties tibi opportunum viſum fuerit, cum reformatio ipſa fiet, Priorem, ſeu Priores, aut Prioriſſam, ſeu Prioriſſas ad id idoneas, noſtra auctoritate, inſtituere: In Provinciis vero ſeu Congregationibus, & Vicariis, quę tibi non ſatis reformatę videbuntur, cum fuerit Prioris Provincialis, ſeu Vicarii facienda electio, ſeu tres, aut quatuor probatę vitę Fratres dicti Ordinis Electoribus, qui unum ex iis pro ſuę Provincię reformatione eligant in Provincialem, vel Vicarium, proponere, & Electoribus ipſis neminem ex iis qui a te propoſiti fuerint eligentibus, illico caſſata eorum electione, aliquem virum probatę Religionis, ex ejuſdem, vel alterius reformatę Provincię gremio, duntaxat, noſtra ſimiliter auctoritate, in legitimum Provincię, vel Congregationis, aut Vicarię hujuſmodi Provincialem, ſeu Vicarium abſque aliqua electione creare, & inſtituere, & quod illi, quos ex aliis Provinciis ad Provincias, & Vicarias deſolatas, vel etiam laxioris vitę mittendos duxeris, ſtatim vocem habeant tam activam, quam paſſivam, quodque in Provinciis, ſeu Vicariis paucos Conventus, & paucorum Fratrum numerum habentibus, Apoſtolica auctoritate concedimus, ut aliquis ſimul eſſe poſſit alicujus determinati Conventus Prior, & totius Provincię, & Vicarię Provincialis, ſeu Vicarius, reſpective: Si vero in reformationibus hujuſmodi faciendis aliquos Fratres inveneris, qui illis repugnent, & ſecundum regularia inſtituta dicti Ordinis vivere recuſent, eos ſi incorrigibiles per te judicati fuerint ad carceres etiam perpetuos detrudere, Fratres quoque, & Sorores quaſcunque dicti Ordinis prętendentes, ſe etiam per literas Apoſtolicas ſub plumbo, aut annulo Piſcatoris, vel per pęnitentiariam, ſeu alias motu proprio emanatas, exemptas eſſe, ad literas ipſas, etiamſi in eis clauſula ſui ſuperioris licentia petita, etiam non obtenta, appoſita fuerit, exhibendas cogere, ac, ſi eas legitime procedendo ſubreptitias, vel obreptitias inveneris, eis non obſtantibus, Fratres, & Sorores pręfatas ad redeundum ad eorum Do-

Nota.

Domos, ac Monaſteria, ac Regularia dicti Ordinis inſtituta, vel literas Apoſtolicas ſuper Apoſt..is editas obſervan., cogere, & quarumcunque electionum in dicto Ordine pro tempore factarum, dummodo tibi conſtet de voluntate eligen., omnes, & ſingulos defectus ſupplere, necnon ſuper permanentia Priorum tam Provincialium, quam Conventualium, & Vicariorum Generalium, vel Prioriſſarum, Monaſteriorum etiam ultra biennium, vel quadriennium aliqua rationabili, pręſertim conſervandę, vel augendę vitę regularis cauſa, ſubſiſtente diſpenſes, ac Sorores curę dicti Ordinis quomodocunque commiſſas de Monaſterio ad Monaſterium religioſe tranſmittere, necnon Domos, & Monaſteria unius Provincię alteri Provincię, ſeu Congregationi juxta morem aggregare, licite, & libere valeas; &, ſi quę Provincię, tam intra quam ultra montes, aut Congregationes, aut Vicarię Conventus, Collegia, loca, & Monaſteria, & pręſertim Domus Pariſienſis prętextu Privilegiorum eis a Prędeceſſoribus noſtris, & Sede Apoſtolica, vel etiam a Nobis conceſſorum prętenderint, ſe ad ſui viſitationem, nullum alium, quam te ipſum admittere teneri, ne propterea delicta remaneant impunita, aut vigor religionis diminuatur, cum ubique non poſſis aſſiſtere, etiam volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod viſitatores per te in Provinciis, Congregationibus, Vicariis, Conventibus, Collegiis, locis, Monaſteriis, ac Domo Pariſienſi hujuſmodi pro tempore deputati, illos, illas, & illa auctoritate noſtra viſitare libere poſſint; quodque Fratres Provinciarum, Congregationum, Vicariarum, Conventuum, Collegiorum, locorum, & Domus Pariſienſis, ac Sorores Monaſteriorum hujuſmodi ſub excommunicationis majoris latę ſententię, quam in contrafacientes, ex nunc, prout ex tunc, & e contra, ferimus in his ſcriptis, viſitatores per te, ut pręfertur, deputatos, tanquam a Nobis delegatos ſuſcipere, & eorum viſitationem admittere teneantur, quodque quos in Socios, & laborum tuorum participes tam in ejuſmodi viſitationibus, & reformationibus, quam ceteris ad regimen dicti Ordinis facientibus aſſumpſeris debitis cumulati honoribus in comitatu tuo decentius eſſe valeant, juxta antiquam, & approbatam, & in ipſo Ordine diutius obſervatam conſuetudinem, unum ex ipſis Sociis tuis nulla pręcedente, electione, titulo Prioris Provincialis Terrę Sanctę, vel alicujus alterius malitia temporum deſolatę Provincię ipſius Ordinis, ita ut voce, & loco, ac omnibus aliis privilegiis, gratiis, & dignitatibus, quibus ceteri Provinciales dicti Ordinis tam in Capitulis Generalibus, quam extra ea, ſecundum Inſtituta, & conſuetudines ipſius Ordinis gaudere conſueverunt, gaudeat, & potiatur, prędicta auctoritate Apoſtolica inſignire, & quoties continget eum ab eodem comitatu tuo recedere, ab ipſo Provincialatus gradu abſolvere, ſeu deponere, & alium quem loco ipſius in Socium aſſumpſeris eodem titulo, ut prius, inſignire libere, & licite valeas. Inſuper quo melius, & efficacius reformationi totius pręfati Ordinis inſiſtere valeas ex ſpeciali gratia concedimus tibi omnia privilegia, & facultates ſpectantia ad regimen, & reformationem dicti Ordinis conceſſa tam bonę memorię Magiſtro Paulo Conſtabili, quam aliis Magiſtris Generalibus Prędeceſſoribus tuis, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dicti Ordinis Statutis, & Inſtitutis, necnon Privilegiis, indultis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, & literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis quibuſcunque dicti Ordinis, pręſertim Hiſpanię, utriuſque Lombardię, pręſertim, quatenus opus ſit, felicis recordationis Clementis Papę VII, Prędeceſſoris noſtri ſub datum apud S. Petrum die VI Maii MDXXXIII, Pontificatus ſui Anno Decimo, & Romanę Provinciis, ſeu Congregationibus, & Gallicanę, aut earum Conventibus, Domibus, Collegiis ſtudentium, aut Monaſteriis Sororum ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis, etiam per nos, & dictam Sedem, etiam motu ſimili, aut alias quomodolibet conceſſis, & etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, ſeu in poſterum concedendis, approbandis, & innovandis, quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas Generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum omnium, & ſingulorum tenores pręſentibus, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe motu ſimili derogamus, eaque nemini adverſus pręmiſſa ſuffragari volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XII Januarii MDCXLV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

M. A. Maraldus.

1. *F. Thomam Turcum.*) Anno *MDCXLIV* Generalis Magiſter renunciatus fuerat *Thomas* iſte, cujus laudes merito celebrant auctores varii. Adeas *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXLIV pag.*535.

2. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo.*

3. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

Anno 1645 Die 24 Januarii.

Nicienſe (1) Cœnobium ex Provincia Provinciæ ad Lombardiæ (2) *Provinciam transfertur.*

II.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

INNOCENTIUS PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut dilecti Fratres Conventus S. Dominici civitatis Nicien. Ordinis Fratrum Prędicatorum Nobis nuper exponi fecerunt, a multis annis citra, dictus eorum Conventus ab antiqua ſua Provincia Provincię ſuſpenſus fuerit, quia ille eidem Provincię quoad Verbi Divini prędicationes, Confeſſiones Sacramentales, & alia regularia dicti Ordinis exercitia, & ob eandem rationem Conventus dictę Provincię Ordinis hujuſmodi eidem primo dicto Conventui inutiles exiſtunt reſpective cum dictę civitatis cives, & incolę prę ſertim in concionibus, & confeſſionibus Sacramentalibus hujuſmodi Italico, totam vero Provinciam prę ſatam incolentes, gallico idiomatibus utantur, & loquantur; Nobis propterea dicti exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut dictum eorum Conventum Provincię Lombardię Ordinis hujuſmodi unire, & alias, ut infra, opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, eoſdem exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum prę ſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Conventum prędictum a primo dicta Provincia Provincię hujuſmodi Apoſtolica auctoritate tenore prę ſentium ſeparamus, & diſmembramus, illumque ſic ſeparatum, & diſmembratum eidem ſecundo dictę Provincię Lombardię unimus, annectimus, & incorporamus, necnon Priori, & Fratribus dicti Conventus nunc, & pro tempore exiſtentibus, quod ipſi omnibus, & ſingulis privilegiis, prętogativis, gratiis, & indultis, quibus in primo dicta Provincia ante illius ſeparationem, & diſmembrationem, unionem, & incorporationem prędictas reſpective gaudebant, illiſque in eodem Ordine juxta illius Conſtitutiones Apoſtolica auctoritate confirmatas competunt, de cetero gaudere libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate, & tenore prę miſſis concedimus, & indulgemus, decernentes prę ſentes literas, validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, & ſingulis, quos illę concernunt, & concernent in futurum inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Provinciarum, & Conventus hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium prę miſſorum quomolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium tenores prę ſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prę miſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIV Januarii MDCXLV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

M. A. Maraldus.

1. *Nicien.*) In *Gallo-Provincia*, vulgo *Nice en Provence*, Italis *Nizza*.
2. *Lombardia.*) Cujus nunc juris eſt.
3. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Nicienſi*.

Anno 1645 Die 7 Februarii.

De confeſſionibus audiendis (1), & Euchariſtiæ Sacramento adminiſtrando a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis.

III.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

INNOCENTIUS PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Regulares Civitatis Burdegalenſis, quod alias a Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Concilii Tridentini Interpretibus, emanavit Decretum tenoris ſubſequentis videlicet Die IX Julii MDCXLIV, Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpetum, poſt maturam diſcuſſionem cenſuit, Archiepiſcopum Burdegalenſem non poſſe prohibere Regularibus habentibus privilegia Apoſtolica, ut a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſive adminiſtrare non valeant perſonis ſecularibus Sacramentum Confeſſionis, poſſe tamen eiſdem prohibere, ut perſonis Secularibus in die Paſchatis non adminiſtrent Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum, etiamſi dictę perſonę Seculares in alia die ſatisfecerunt prę cepto Eccleſię hac de re edito. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, iidem exponentes, prę miſſa,

quo

quo firmius ſubſiſtant, Apoſtolicę noſtrę Confirmationis patrocinio communiri ſummopere deſiderent; idcirco Nos, eoſdem Regulares ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis &c. abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati: Decretum prǽinſertum Apoſtolica auctoritate, tenore prǽſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, ſalva tamen ſemper auctoritate eorundem Cardinalium. Decernentes, prǽſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, dictiſque Regularibus in omnibus, & per omnia ſuffragari, & ab omnibus, ac ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in futurum inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, qua vis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prǽmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores prǽſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum prǽmiſſorum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VII Februarii Anni MDCXLV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Audiendis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar typis impreſſum. Legitur etiam in *Bullario Carmelitano Parte II pag.* 499.

Firmat ea quæ geſta ſunt pro Univerſitate (1) Collegii S. Thomæ conſtituenda in Sanctæ Fidei (2) Civitate.

Anno 1645 Die 20 Februarii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

IV.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Officiali Venerabilis in Chriſto Fratris noſtri Archiepiſcopi Sanctę Fidei, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

IN ſupremo Apoſtolatus apice, meritis licet imparibus, divina tamen diſpoſitione conſtituti, ut illa, quę per Prędeceſſores noſtros provide facta fuiſſe comperimus, ſublatis dubiorum ambagibus, firma perpetuo, & illibata exiſtant, ac ab illis, ad quos ſpectat inviolabiliter obſerventur, libenter intendimus, eaque quo firmiora exiſtant approbamus, & confirmamus, illiſque Apoſtolicę firmitatis robur perpetuo adjicimus. Alias (4) felicis recordationis Gregorius Papa XIII prędeceſſor noſter, ſupplicationibus, ſibi tunc deſuper pro parte tunc exiſtentium Procuratoris generalis Provincię Sancti Antonini Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Prioris Fratrum Domus Beatę Marię de Roſario nuncupatę Sanctę Fidei in Indiis Occidentalibus humiliter porrectis inclinatus, ut in Domo Fratrum dicti Ordinis, ac prędictę civitatis, quę in eiſdem Indiis in toto Regno Granatenſi caput exiſtit, unam Univerſitatem ſtudii generalis cum Rectore, Lectoribus, & ſolitis facultatibus, & conceſſionibus Apoſtolica auctoritate ſine alicujus prǽjudicio perpetuo erigeretur, & inſtitueretur, & quod in ea omnes, & ſingulę a jure permiſſę ſcientię, & facultates legi, & interpretari, ac Scholares inibi reſidentes, omnes, & quoſcunque curſus pro ſuſcipiendis gradibus Doctoratus, Magiſterii, ſeu Licentiaturę vel Baccalaureatus in qualibet ex dictis a jure permiſſis facultatibus peragere, ac prędictos gradus, cum ſolitis inſigniis poſtmodum in manibus illius Rectoris, ſeu aliorum ad id deputatorum doctorum, Magiſtrorum debite ſuſcipere, ac omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, conceſſionibus, facultatibus, libertatibus, & indultis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, quibus alii in aliis Univerſitatibus ſtudii generalis graduati de jure, uſu, ſtatutis, conſuetudine, aut alias utebantur, potiebantur, aut gaudebant, uti potiri, & gaudere libere, & licite valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi prędictos gradus in qualibet ex aliis Univerſitatibus ſtudii generalis partium Hiſpaniarum ſuſcepiſſent, & deinde pię memorię Paulus Papa Quintus etiam prędeceſſor Noſter, Univerſitatem prǽfatam, ac tunc exiſtentes Rectorem, & Lectores, cum omnibus, & ſingulis ſuis privilegiis, gratiis, conceſſionibus, favoribus, libertatibus, & Indultis tam ſpiritualibus quam temporalibus a dicta domo ad Collegium Sancti Thomę de Roſario nuncupatum, quod ex Teſtamentariis, ſeu alia diſpoſitione quondam Gaſparis Nuñez in loco aptiori, & commodiori dictę civitatis ſatis ſumptuoſum, & cum non mediocri ipſius civitatis civium, incolarum, & habitatorum conſolatione, a fundamentis conſtruebatur, ex nunc prout poſtquam conſtructum, & ad formam Collegii redactum rite eſſet, ſine alicujus prǽjudicio, eadem Apoſtolica auctoritate tranſmiſſam, & tranſlatam fore, & eſſe, decrevit, aut alias prout in literis Apoſtolicis deſuper expeditis, ac Nobis exhibitis, plenius continetur. Cum autem, ſicut oblatę Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum, Rectoris, & Collegialium dicti Collegii jam erecti, ac omnibus ſuis numeris, & partibus, abſoluti, ad quod vigore literarum prędictarum Univerſitas hujuſmodi, tranſlata fuit, ac pro eis Hyacinthi Figaroa Ordinis Prędicatorum prǽfati expreſſe profeſſi, & qui uti Diſinitor Generalis dictę Provincię Sancti Antonini, in qua prǽfata Civitas exiſtit ad Romanam Curiam pro Capitulo Generali celebrando, acceſſit, petitio, continebat, non obſtantibus prędictis, nonnullis ſic forſan ęgre ferentibus, de perpetuis erectione, ac tranſlatione prǽfatis hęſitari contingit. Nos, qui dubia, quantum cum Domino poſſumus, elucidare, ac diſcordiarum, & controverſiarum materias de medio tollere, ſinceris deſideramus affectibus prǽfatos Rectorem, & Collegiales, ac Hyacinthum, & eorum quemlibet a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſ-

exiſtant, ad effectum tantum pręſentium conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus humiliter porrectis inclinati, ex voto Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus conſtito tibi legitime erectionem, & translationem Univerſitatis ſtudii generalis hujuſmodi prędictarum literarum Apoſtolicarum recolendę memorię Pauli Papę Quinti prędeceſſoris hujuſmodi effectum ſortitas eſſe, erectionem, & translationem pręfatas, ac literas Apoſtolicas deſuper, ut pręfertur, confectas, ac omnia, & ſingula inde legitime ſecuta, & ſequenda quęcunque &c. (5) dummodo Generalis dicti Ordinis ad hoc accedat aſſenſus, auctoritate noſtra perpetuo approbes, & confirmes, illiſque perpetuę firmitatis robur, etiam perpetuo adjicias. Nos enim ſemper, & perpetuo validas, & efficaces fore, & eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, neque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, limitationibus, vel aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos, vel ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, vel ſub quibuſcunque verborum expreſſionibus, formis, & decretis pro tempore factis, & faciendis minime comprehendi, vel cenſeri, ſed ab illis ſemper, & perpetuo excipi, ac quoties illę emanaverint toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtituimus, & reſtitutas reintegramus, & de novo etiam ſub quacunque poſteriori data per Provincialem, Rectorem, Lectores, & Secretarium prędictos, quandocunque eligenda conceſſas eſſe, vel fore, ſicque, ac non alias per quoſcunque judices, etiam commiſſarios, quacunque auctoritate fungentes, ac etiam Curię cauſarum Camerę Apoſtolicę generales, ac Palatii Apoſtolici Auditores, etiam Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, etiam de latere Legatos, Vices gerentes, Sedis Apoſtolicę Nuncios, ac quoſvis alios judicari, & deffiniri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, eadem auctoritate decernimus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, & ordinationibus, necnon domorum & Ordinis Prędicatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, ac literis Apoſtolicis, illis, illorumque ſuperioribus, & perſonis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, ac innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac individua mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Quadrageſimo Quarto (6), Decimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Univerſitate*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*
2. *Sanctæ Fidei*.) In *America*.
3. *Archivo*.) In quo exemplar.
4. *Alias*.) Conſtitutione ſcilicet *CVIII.* Legitur *pag.* 399 *V* Tomi. Conſtitutio vero *Pauli V pag.* 650.
5. *Quacunque &c.*) Nonnihil deeſt.
6. *Quadrageſimo Quarto*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MDCXLV.*

Anno 1645 Die 22 Februarii.

De jure ſepeliendi (1) initam a Majoricenſibus (2) concordiam firmat.

Ex Archivo (3) Ordinis.

V.

INNOCENTIUS PP. X.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX injuncto Nobis Apoſtolici muneris debito ad ea libenter intendimus, per quę perſonarum eccleſiaſticarum, tam ſecularium, quam regularium quarunlibet quieti opportune conſulitur, & illis, quę propterea inter eas concorditer facta ſunt, ut firmius ſubſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolicę confirmationis robur adjicimus prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Nuper ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Rectorum Parochialium Eccleſiarum, necnon Cleri, & Regularium Majoricen. Civitatis, & Dięceſis Nobis expoſitum fuit, quod alias poſtquam exortis variis litibus, & controverſiis inter dilectos etiam filios Capitulum, & Canonicos Eccleſię Majoricen. Clerum ſecularem, & Rectores Parochialium Eccleſiarum Civitatis, & Dięceſis pręfatarum ex una, necnon inter Sancti Antonii de Sancto Antonio Viennen., & Prędicatorum, ac Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum Provincię Majoricen., ac Beatę Marię de Monte Carmelo, & Eremitarum S. Auguſtini, necnon Sanctiſſimę Trinitatis, & Beatę Marię de Mercede Redemptionis Captivorum, ac Minimorum S. Franciſci de Paula reſpective Ordinum Fratres, & Religioſos partibus ex altera, ſuper jure, & forma ſepeliendi cadavera defunctorum, qui in ipſorum Regularium Eccleſiis ſepulturam ſibi elegerunt, coram venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitis, ac ſuper quarta funerali, & ſepultura impuberum coram Congregatione etiam venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum. Tandem poſt nonnulla decreta desuper ab eiſdem Cardinalibus emanata partes pręfatę litibus, & controverſiis hujuſmodi, etiam indeciſis pendentibus, opera, & miniſterio certorum Procuratorum ad id electorum, & ſufficientibus facultatibus ſuffultorum, pręvio diligenti deſuper habito tractatu, negotioque hujuſmodi ſępe ſępius ab ipſis partibus hincinde, diu, & mature conſiderato, ut jurgiis, & contentionibus obviam iretur, ſumptibuſque, & expenſis parceretur, ad certam, & amicabilem inter ſe devenerunt concordiam, & compoſitionem tenoris, qui ſequitur, videlicet. Noverint univerſi, quod Nos Doctor Johannes Baptiſta Caforteza Sacriſta, Doctor Marcus Antonius Cotoner Cano-

Canonici Cathedralis Eccleſię Majoricen. electi ab admodum Ill., & Rev. Capitulo ejuſdem Eccleſię, mediante reſolutione Capitulari habita die tertiadecima Aprilis milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono, Doctor Franciſcus Llompard olim Rector Eccleſię loci de Porrers, Doctor Michael Vilanova Rector Parochialis Eccleſię S. Jacobi pręſentis Civitatis, Michael Johannes Sala Beneficiatus in Sede, & in Parochiali S. Crucis, Marcus Antonius Forteza Beneficiatus in Parochiali Eccleſia S. Michaelis electi, mediante reſolutione habita die XII Septembris MDCXXXVI in Congregatione eadem die celebrata de licentia Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Don Fratris Johannis de Santander Epiſcopi tunc Majoricen., quę quidem reſolutio Congregationis in actis penes Notarium infraſcriptum, & in eccleſiaſtica Curia reconditis reperitur, ex una, & ex alia Nos Frater Antonius Rubi Ordinis Prędicatorum Sacrę Theologię Magiſter, & Frater Julianus Ginard Ordinis S. Franciſci de Obſervantia Lector jubilatus, Pater Provincię, & Sacrę Inquiſitionis Qualificator, habentes ad infraſcripta commiſſionem, & ſpecialem poteſtatem, ille pro omnibus Monaſteriis Ordinis S. Dominici, hic pro Conventibus totius Provincię, & Hoſpitalis S. Antonii Viennen., necnon Monaſteriorum B. Marię Carmelitarum, & omnium Ordinis S. Auguſtini, Sanctiſſimę Trinitatis, ac S. Catharinę ejuſdem Ordinis, B. Marię de Mercede, & omnium Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, ut conſtat inſtrumentis publicis receptis die XVI Decembris MDCXLIII, & die VIII Junii MDCXLIV per diſcretum Jacobum Pujol Notarium publicum, de quibus ego Notarius infraſcriptus fidem facio, ſcientes, & attendentes inter Curatos, & Clericos ſeculares, ex una, & regulares ex alia partibus motas fuiſſe varias lites tam ſuper forma ſepeliendi cadavera defunctorum, quam etiam ſuper ſolutione quartę funeralis, & ad inſtandum reſolutionem prędictarum litium ab utraque parte fuiſſe miſſos Syndicos, & Procuratores, qui Romę coram Sacris Congregationibus Cardinalium comparerent, & ad illorum inſtantiam motas fuiſſe ſequentes controverſias. In primis contendebant Parochi inhibendum eſſe Regularibus, ne procederent amplius ad ſepulturam in caſibus ſibi permiſſis, per ſeipſos tantum proceſſionaliter Cruce elevata, ſed cum interventu Parochi, vel eo prius convocato. Allegantes decretum Sacrę Congregationis Regularium de anno MDCIV. Sed regulares contra allegabant pacta, & conventiones de ſepeliendo per ſeipſos tantum, & ingrediendi Parochias ad levanda cadavera Cruce elevata, & proceſſionaliter, dicentes ſe non eſſe ſub regula, ſed potius ſub exceptione decreti Concilii Lateranenſis ſub Leone X pro cujus obſervatione emanatum fuit dictum decretum Sacrę Congregationis, ſibique etiam ſuffragari conſuetudinem immemorabilem, & quod ſtabat pro regularibus relatio Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Epiſcopi Majoricenſis ex commiſſione Sacrę Congregationis Regularium, & allegabatur Breve PP. Pii V ſuper confirmationem conſuetudinis prędictę, & pactorum, & conventionum. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIV Februarii MDLXVII, quod incipit. *Ea, quæ concordia*, juncta prę ſertim ejuſdem Brevis obſervantia. Dicebatur enim per ſubſecutam obſervantiam inſurgere ejuſdem Brevis indubitatam juſtificationem, qua juſtificatione ſuppoſita, non poſſe dubitari de veritate narratorum in eodem Brevi, & illorum probatione. Sed Sacra Congregatio prędicta auditis partibus, & allegatis hinc inde ponderatis die XIX Junii anni MDCXLIII fuit in voto, quod partes plenius jura ſua deducant in eadem Sacra Congregatione, & mandavit interim nihil innovari, & juxta hujuſmodi decretum Epiſcopo pręfato literas dedit. Alię controverſię agebantur in Sacra Congregatione Eminentiſſimorum Interpretum Sacri Concilii Tridentini. Prima. An dicti Regulares teneantur ſolvere integram quartam funeralium Parochis. Secunda. De quibus ſolvi debeat quarta prędicta. Parochi pro ſe allegabant *Clem. Dudum, de Sepultur.* §. *Verum*, & concordiam quandam de anno MCCCXXXIX initam, ut ipſi aſſerebant, inter ipſos Parochos, & Fratres Dominicanos Conventus Sancti Dominici hujus Civitatis, in qua concordia Dominicani promittebant ſolvere dictam quartam funeralem juxta prę ſcriptum Conſtitutionis Bonifatii Papę VIII incipientis. *Super Cathedram*, necnon quandam, ut aſſerebant, Conſtitutionem ejuſdem Bonifatii VIII de anno MCCXCIII, quę incipit: *Olim gravibus*. Datum Avinioni, ſive melius Anagnii, Pontificatus ſui anno octavo in favorem Parochorum contra Regulares S. Dominici, & S. Franciſci pręfatę Civitatis pro obſervantia alterius Conſtitutionis incipien. *Super Cathedram*, in d. Clem. Dudum, de Sepultur. inſertę, quam etiam aſſerebant confirmaſſe Clementem Papam Sextum per quandam aliam Conſtitutionem inſertam in alia aſſerta Conſtitutione Clementis Papę Septimi. Datum Avinioni quinto Kalendas Auguſti, Pontificatus ſui Anno duodecimo, quę incipit: *Tenore quorundam*. Regulares vero allegabant conſuetudinem legitimam reſtringentem d. Clem. Dudum, ad ſola funeralia, & etiam patentiſſima privilegia eximentia a dicta ſolutione quartę, cum derogatione expreſſa dictarum Conſtitutionum, Dudum, de Sepultur. Viennen. Concilii, & ſuper Cathedram Bonifatii prędicti, necnon concordiarum, etiam auctoritate Apoſtolica, juramento, vel qualibet alia firmitate roboratarum, & tandem ſe eſſe in legitima poſſeſſione, & conſuetudine ſolvendi tantum quartam partem cerę intorſtitiorum, reſpectu Monaſteriorum ſolventium, reſpectu vero aliorum, ſcilicet a quadraginta annis citra confirmationem Concilii Tridentini ędificatorum nihil omnino ſolvere. Super quibus, auditis partibus, Sacra Congregatio reſpondit. Ad Primum. Regulares pręfatos teneri ſolvere juxta prę ſcriptum Clem. Dudum, de Sepult. §. *Verum*. Ad Secundum. Teneri ſolvere ex his, quę diſponuntur in dicta Clem. niſi concurrat legitima conſuetudo ad favorem ipſorum ſolvendi ſulummodo quartam partem ex intorſtitiis tantum, ſeu ex alia particulari re. Quod decretum, inſtantibus regularibus prędictis ſuſpenſum fuit, quia Regulares petebant a dicta Sacra Congregatione, utrum prędictum decretum loqueretur de omnibus Monaſteriis indiſcriminatim, ſcilicet, tam de his, quę ſunt ędificata a quadraginta annis ante confirmationem Tridentini, & ſunt in conſuetudine ſolvendi tantum quartam partem ex intorſtitiis, quam de aliis ędificatis a quadraginta annis citra confirmationem Tridentini. Aſſerebant etiam dicti Regulares pro ſe habere valida, & patentiſſima privilegia eximentia dicta Monaſteria ędificata a quadraginta annis citra a dicta confirmatione Concilii a ſolutione quartę, & quintę funeralium. Tertia controverſia. An filii impuberes, dum alibi ſepulchra majo-

majorum non extant, debeant ſepeliri in eorum propria Parochiali Eccleſia. Reſpondit Sacra Congregatio filios impuberes, ſi non extant ſepulchra majorum, ſepeliendos eſſe in propria Parochiali Eccleſia. Quarta. An mater pro filiis impuberibus poſſit eligere ſepulturam. Reſpondit Sacra Congregatio. Non licere matribus eligere ſepulturam pro filiis impuberibus, ceſſante legitima conſuetudine. Quinta. An liceat Regularibus ſepelire in ſuis Eccleſiis Confratres laicos, qui ſepulturam non elegerunt. Reſpondit Sacra Congregatio. Confratres laicos, ſi non præcedat eorum electio ſepulturę, ſepeliendos eſſe in eorum propria Parochiali Eccleſia. Attendentes nos prędicti electi tam Admod. Illuſtris Capituli, Curatorum, & Clericorum ſecularium, quam regularium inter prędictos utriuſque partis Syndicos, & Procuratores in Romana Curia, ad obviandum jurgiis, ſedandum ſcandala, & excuſandum ſumptus, qui ex longiſſimis litium, & dubiorum anfractibus ſperabantur, de conſilio pręſtantiſſimorum Romanę Curię Advocatorum, ac intervenientibus ad id Eminentiſs. D.Card. Cęſarino Ponenti, Illuſtriſſimoque D.Franciſco Pauluccio Congregationis Concilii Secretario, & Perilluſtribus DD. Armindo Riccio, & Stephano Fabretto Juris utriuſque Doctoribus, ac utriuſque cauſę Procuratoribus, ille pro parte Parochorum, hic pro parte Regularium, de conſenſu R. D. Marci Antonii Forteza cauſam pro dictis Parochis in Romana Curia agentis, & Admodum R. P. Fratris Benedicti Ferrer Sacrę Theologię Magiſtri, ac S. Inquiſitionis Qualificatoris Ordinis Prędicatorum agentis pro Dominicanis, & R. P. Fratris Jo: Baptiſtę Meſtre Ordinis S. Franciſci Sacrę Theologię Lectoris agentis pro ceteris Regularibus dictę Diœceſis, actum fuiſſe de concordia prędictarum litium. Et nos habitis quamplurimis colloquiis, ſępe ſępius rebus mature conſideratis, & perpenſis in unam conveniſſe concordiam, quę propoſita fuit Congregationi habitę die vigeſima octava Aprilis anni currentis, in qua aſtiterunt Admodum Illuſtre Capitulum Eccleſię Cathedralis, & omnes Curati, & Syndici omnium Communitatum Eccleſiarum ſecularium prępſentis Inſulę, in qua Congregatione fuit pro majori parte approbata prędicta concordia, & commiſſum Nobis prędictis electis Capituli, Curatorum, & Clericorum ſecularium, ut pro parte totius Cleri illam admitteremus, ut de dicta approbatione, & commiſſione conſtat in actis celebrationis dictę Congregationis penes Notarium infraſcriptum, & in eccleſiaſtica Curia reconditis. Scientes etiam eandem poteſtatem nobis attributam fuiſſe a Pręposito, & Communitate Clericorum ſecularium loci de Ciutadella Inſulę Minoricen. Inſtrumento publico mediante recepto die ſecunda Maii anni currentis per Johannem Companny Notarium publicum, de quo ego Notarius infraſcriptus fidem facio. Et expreſſe declarantes, quod in hac concordia comprehenduntur Parochi, & Clerici locorum de Mahò, & Layòr Inſulę Majoricen. ſi infra quatuor menſes, penes Notarium infraſcriptum, eam ratam habuerint. Nos etiam prędicti Regularium electi utentes facultatibus nobis attributis, ut ſupra, confitemur inter Nos partes prędictas, & nominibus ſupra expreſſis deventum fuiſſe ad concordiam pręfatarum litium in modum ſequentem. Reſpectu cauſę convocationis Parochi, quę agebatur in Sacra Congregatione Regularium concordatum fuit. Quod omnes Regulares poſſint per ſeipſos tantum abſque interventu Parochi, atque Clericorum ſecularium proceſſionaliter Cruce elevata incedere, & Parochis non vocatis, nec requiſitis eorum Parochias ingredi, indeque ad ſua Monaſteria levare, & efferre corpora defunctorum, qui apud ipſos Regulares elegerint ſepeliri, prout hactenus conſuetum fuit, atque adeo in hoc nihil eſſe innovandum, exceptis Regularibus ſex Conventuum, ſcilicet Ordinis Prędicatorum Sancti Dominici locorum de Manacor, Pollenſa, & Inca, ac Minorum S. Franciſci de Petra, S. Auguſtini de Falanitg, & Minimorum Sancti Franciſci de Paula de Campos, qui juxta pacta in limine fundationis non poſſunt abſque interventu Parochi, & Cleri exire ad ſupradicta, & in ſex prędictis locis, & ſi in aliis extra hanc Civitatem fuerint vocati Parochus, & Clerus ſecularis ad aſſocianda cadavera in Eccleſiis Regularium ſepelienda, Regulares adeant Eccleſiam Parochialem, fiatque proceſſio ſicut in Cathedrali in funeribus generaliſſimis, & quando Parochus, & Clerici ſeculares voluntarie vocabuntur pro aſſociatione funeris, ſinguli Clerici non poſſint pluſquam duos ſolidos, & miniſtri, ſcilicet Hebdomadarius, Diaconus, Subdiaconus, & duo Primicerii quatuor ſolidos pro ſuis ſtipendiis recipere. Reſpectu primę, & ſecundę controverſię quartę funeralium concordatum fuit. Quod ea Regularium prędictorum Monaſteria, quę ſunt ędificata a quadraginta annis ante confirmationem Tridentini, & ſunt in conſuetudine ſolvendi tantum quartam partem ex intorſtitiis, eandem ſolvant, & quartam partem de pane, & candelis, quę dum miſſa Conventualis pręſente cadavere cantatur, offeruntur, cum quinque ſolidis pro Rectoris cera, quę comburitur dum Miſſa canitur, ut uſque adhuc ſolitum eſt. Et nunc de novo additur, ut deinceps de panno, quod vulgo dicitur Drap de cos de friſeta negra, de libris, cenſibus, & habitibus militaribus quartam partem dare teneantur, & unum de quatuor cereis, quos quatuor Regulares juxta pheretrum defuncti deferre ſolent. De reliquis autem obventionibus, nempe de habitu regulari, de ſudario, de ſindone, de arca, de panno ſerico, ſeu de alia particulari re Confraternitatum laicorum, ſeu Conventuum ipſorum Regularium, de duobus cereis duorum Acolytorum Crucem comitantium, de aliis cereis, ſeu candelis, quę dantur ad manus Regularium, de eleemoſynis pro Miſſis, Anniverſariis, Reſponſis, vel aliis divinis officiis, piiſque deprecationibus pro defunctis eiſdem celebrandis, de legatis abſolute, vel ad certos uſus, vel etiam datis qualitercunque donatis toti Monaſterio, ſeu alicui ex Regularibus, & de quavis alia re particulari, nihil omnino ſolvere teneantur. Illa vero Monaſteria, quę ſunt ędificata poſt Concilium Tridentinum nihil ſolvere teneantur, niſi aliter concordatum fuit cum ipſis a principio fundationis Monaſteriorum, aut poſtea, quo caſu ſtandum erit concordię legitimę. Reſpectu tertię, & quartę controverſię concordatum fuit, quod juxta Conſtitutionem Synodi Majoricenſis de Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſexto, poſſint Patres eligere ſepulturam pro filiis impuberibus, non vero Matres. Tandem concordatum fuit prędictas conventiones, & concordias ad petitionem ambarum partium approbandas eſſe a Sacris Congregationibus Regularium, & Concilii, & confirmandas a Sanctiſſimo Domino noſtro Papa cum clauſulis neceſſariis pro majori robore dictę concordię, & decreti irritantis, ſi ſecus a quocunque, & quandocunque contigerit attentari, & quod committatur Ordinario Majoricen. omni-

omnimoda juriſdictio pro obſervantia dictę concordię. Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis exemptionis Regularium. Hanc itaque concordiam, & tranſactionem, omniaque in illa contenta inviolabiliter obſervare nos electi prędicti pro utraque parte promittimus, eamque admittimus, & approbamus, & a prima linea uſque ad ultimam acceptamus, ac approbari, laudari, & confirmari promittimus, & Nos obligamus. Super quibus omnibus, & ſingulis ſupradictis ſic complendis, tenendis, & inviolabiliter obſervandis obligamus utraque pars noſtrum alteri ad invicem mutuo, & viciſſim omnia, & ſingula bona noſtra, ſcilicet nos electi prędicti, bona dd. Rectorum, & Cleri, & Nos dicti Regulares bona dd. Conventuum mobilia, & immobilia pręſentia, & ubique futura. Quod fuit actum in pręſenti Civitate Majoricen. die videlicet decimatertia menſis Auguſti Anno a Nativ. Dom. milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quarto. Sig ✝✝✝✝✝ na noſtra. Johannis Baptiſtę Caforteza, D. Doctoris Presbyteri, Canonici, & Sacriſtę Eccleſię Sedis Majoricenſis, & ceterorum electorum. Sig ✝✝ na noſtra Fratris Antonii Rubi Ordinis Prędicatorum, & Fratris Juliani Ginard Ordinis S. Franciſci de Obſervantia, nomine antedicto tranſigentium, & concordantium prędictorum, qui hęc laudamus, concedimus, & firmamus. Teſtes in quorum pręſentia firmarunt dicti Doctores Jo. Baptiſta Caforteza Sacriſta, Marcus Antonius Cotoner Canonicus, Franciſcus Llompard, & Marcus Antonius Forteza Presbyteri, P. Frater Antonius Rubi, & P. Frater Julianus Ginard ſunt Gabriel Cantallops ſtudens, & Petrus Ferrer eccleſiaſticę Curię Nuncius. Teſtes vero firmę dicti Doctoris Michaelis Vilanova Presbyteri Rectoris S. Jacobi, qui firmavit die eadem, fuere R. Michael Sagarra Presbyter, & Sebaſtianus Carbonell dictę Curię eccleſiaſticę Nuncius. Subinde per eoſdem exponentes ſupplicato, primo dictis Cardinalibus hujuſmodi, ut pręmiſſa confirmarent, ab eiſdem Cardinalibus emanavit decretum infraſcriptum, videlicet. Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita, Eminentiſſimo Cardinali S. Cęcilię referente cenſuit, quoad primum punctum, circa formam tranſportandi cadavera ad Eccleſias Regularium, concordiam poſſe confirmari, prout pręſenti decreto confirmat, quoad reliqua vero partes ad Sacram Congregationem Concilii remittit. Romę XXV Novembris MDCXLIV. M. Cardinalis Ginettus. Poſtmodum vero per eoſdem primo dictos Cardinales remiſſis ad ſecundo dictorum Cardinalium pręfatam Congregationem certis aliis punctis, & capitibus in dicta pręinſerta concordia expreſſis pro illorum confirmatione iidem ſecundi dicti Cardinales pariter decreverunt, ut infra, videlicet. Die IV Februarii MDCXLV. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum pręvia reviſione, ac relatione in eadem Sacra Congregatione per Eminentiſſimos Cardinales Cornelium, & Ginettum, cenſuit, confirmationem ſupradictę concordię, quoad decreta ejuſdem Sacrę Congregationis poſſe concedi, ſi Sanctiſſimus D. Noſter annuat. F. Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis. Cum autem firmiora ſint ea, quę Sedis Apoſtolicę patrocinio roborantur, idcirco pręfati Capitulum, & Canonici, Clerus, & Parochi hujuſmodi, dictorumque Ordinum Superiores Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem exponentes, & ſupplicantes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, concordiam pręinſertam, & deſuper confectum inſtrumentum, ſeu ſcripturas, juxta pręinſerta dictarum duarum Congregationum decreta, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illiſque perpetuę, & inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, aut interveniſſe, dici, vel cenſeri poſſint, ſupplemus, ſalva tamen ſemper auctoritate utriuſque Congregationis Cardinalium hujuſmodi. Decernentes pręſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, aut obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtrę defectu, aut quovis alio ex capite, etiam in corpore juris clauſo, ſeu occaſione, vel cauſa quantumvis privilegiata notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci ullatenus poſſe, ſed illas ſemper, & perpetuo validas, & efficaces fore, & eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis ad quos nunc quomodolibet ſpectat, & ſpectabit, ac ſpectare, & pertinere poterit in futurum perpetuo firmiter, inviolabiliter, inconcuſſe obſervari, & adimpleri debere, ſicque per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, ac Sedis Apoſtolicę Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabili Fratri Epiſcopo Majoricen., ac dilecto filio cauſarum Curię Camerę Apoſtolicę generali Auditori per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte exponentium, & ſupplicantium prefatorum fuerint requiſiti, vel eorum alter fuerit requiſitus, ſolemniter publicantes, illiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra illos pręmiſſorum effectu pacifice frui, & gaudere. Non permittentes eos deſuper a quoquam, quavis auctoritate fungente quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles, pręmiſſiſque non parentes per ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pęnas ipſas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc ſi fuerit opus auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pręmiſſis, ac quatenus opus ſit noſtra de non tollendo jure quęſito, aliiſque Cancellarię noſtrę Apoſtolicę regulis, ac quibuſvis Apoſtolicis, necnon in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis, & edendis, ſpecialibus, vel generalibus

conſ-

conſtitutionibus, & ordinationibus, dictęque Majoricen., ac aliarum Eccleſiarum, ac domorum, ſeu locorum Regularium, dictęque Provincię, ac Ordinum prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſvis perſonis, ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in contrarium prędmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum pręmiſſorum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII Februarii MDCXLV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

M. A. Maraldus.

1. *Sepeliendi.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*

2. *Majoricen.*) In ejuſdem nominis Inſula.

3. *Archivo.*) In quo exemplar impreſſum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ *MDCXLV*.

Anno 1645 Die 10 Martii.

VI.

Abulenſis (1) Univerſitatis S. Thomæ privilegia firmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti filii Prior, & Fratres Domus S. Thomę Regalis nuncupati Civitatis Abulenſis Ordinis Prędicatorum, quod pro bono regimine, & felici directione Univerſitatis Studiorum in dicta Domo Regulari Apoſtolica auctoritate inſtitutę nonnulla ſtatuta, & ordinationes, condita reperiuntur, quo vero illa firmiora ſubſiſtant, & ab omnibus exactius obſerventur, Apoſtolicę noſtrę confirmationis robore communiri ſummopere deſiderant. Nos igitur, eoſdem Priorem, & Fratres, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ſtatuta, & ordinationes prędicta, dummodo tamen in uſu, ac licita ſint, & honeſta, & non ſint revocata, nec ſub aliquibus revocationibus comprehenſa, regularibuſque dicti Ordinis Inſtitutis, ſacriſque canonibus, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, ſacrique Concili Tridentini Decretis non adverſentur, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus. Decernentes illa, necnon pręſentes literas, ſemper, & perpetuo valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facien. non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X Martii MDCXLV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

M. A. Maraldus.

1. *Abulen.*) In *Hiſpania*.

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Abulenſi*.

De

De fundando Malacitan. (1) Monaſterio.

Anno 1645 Die 18 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio noſtro, & Sedis Apoſtolicę in Regnis Hiſpaniarum commoranti Nuncio.

VII.

INNOCENTIUS PP. X.

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper pro parte dilectę in Chriſto filię Annę de Chriſto Malacitan. Monialis expreſſe profeſſę Tertii Ordinis S.Dominici expoſitum fuit,quod alias quondamGuiomara de Herrera in ſuo ultimo,ſeu ejus diſpoſitione cum ab humanis deceſſit, teſtamento ex ſuis bonis hęreditariis ad viginti duo millia ducatorum monetę Hiſpaniarum in eorum ſorte principali aſcendentibus, in Civitate Malacitan. unum Monaſterium Monialium Ordinis ejuſdem S. Dominici fundari mandavit, & ad fundationem Monaſterii hujuſmodi, tempus viginti annorum pręfinivit,ea lege,ut elapſis ipſis dictis viginti annis,fundationeque prędicta effectum non ſortita,bona hęreditaria hujuſmodi in alia opera pia erogari deberent.Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat,negotium fundationis prędictę cujus ipſa Anna,ut aſſerit, procuratrix exiſtit,intra tempus prędictum, cujus finis inſtat, ob varias, promulgataſque, difficultates, & prohibitiones circa novorum Monaſteriorum in illis partibus fundationes hactenus terminari minime potuerit, ad pręſens vero dilecti filii communitas, & homines dictę Civitatis Malacitan. dicti Monaſterii fundationem ad exitum perduci poſſe ſummopere deſiderent, nedum pro eo, quo eundem S. Dominicum proſecuntur devotionis affectu, ſed etiam ob utilitatem, quam inde ſe percepturos eſſe ſperant, & nonnullę particulares perſonę dictę Civitatis pro eodem Monaſterio ſe alia viginti quatuor ducatorum monetę prędictę millia donaturos promiſerunt, idcirco Nobis eadem Anna humiliter ſupplicari fecit, ut dictos viginti annos ad aliud nobis benevifum tempus prorogare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, eandem Annam ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque ſententiis eccleſiaſticis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodata exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutam fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi per pręſentes committimus, & mandamus, ut conſtito tibi de narratis prędictum tempus viginti annorum ad aliud biennium a fine dicti temporis computandum intra quod fundatio dicti Monaſterii terminari omnino debeat, auctoritate noſtra Apoſtolica extendas, & proroges. Non obſtantibus prędictę Guiomarę ultima voluntate, quam in, & quoad pręmiſſa ſufficienter commutamus, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Auguſti MDCXLV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

M. A. Maraldus.

1. *Malacitan.*) Vulgo *Malaga*, in Hiſpania. 2. *Archivo.*) In quo exemplar.

F. Dominicus Marinus (1) Generalis Vicarius Ordinis creatur.

Anno 1645 Die 12 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Dominico Marino Ordinis Prędicatorum Profeſſori.

VIII.

INNOCENTIUS PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, dilectus filius Thomas Turcus, totius Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſter Generalis ab Urbe abſens (3) reperiatur,Nos pro noſtri paſtoralis officii munere,dicti Ordinis,ne aliqua propterea in ſpiritualibus, vel temporalibus detrimenta patiatur, proſpero, felicique regimini providere volentes, ac de tua fide, prudentia, integritate, & religionis zelo plurimum in domino confiſi, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, Te ejuſdem Ordinis Vicarium Generalem, etiam dicto Thoma Turco Magiſtro Generali in Urbem, & in Italiam redeunte, & in Italia exiſtente, cum omnibus, & ſingulis facultatibus, auctoritatibus, honoribus, oneribus, pręeminentiis, pręrogativis, & privilegiis, quibus alii, qui pro tempore fuerunt ejuſdem Ordinis Vicarii generales uti, frui, potiri, & gaudere conſueverunt, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium ad noſtrum, & Sedis Apoſtolicę beneplacitum creamus, & deputamus, ita ut a quoquam amoveri non poſſis. Mandantes propterea in virtute Sanctę Obedientię, & ſub arbitrii noſtri pęnis, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Su-

Superioribus, & Officialibus quocunque nomine nuncupatis, ceteriſque Fratribus, & perſonis quibuſcunque, ut Te in ejuſdem Ordinis Vicarium Generalem juxta tenorem pręſentium recipiant, & admittant, ac habeant, & recognoſcant, tuaque monita, & pręcepta reverenter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, ſeu faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis hujuſmodi etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII Octobris MDCXLV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

M. A. Maraldus.

1. *Marinus.*) Seu *de Marinis*. Gens eſt antiqua nobilitate clara. Ejuſdem *Dominici* mentio in *Appendice ad præſentem Pontificatum*. Fuit enim *Avenionen.* Archiepiſcopus.

2. *Archivo.*) In quo Autographum.

3. *Abſens.*) Ordinis viſitandi cauſa.

Anno 1645 Die 20 Novembris.

Manilan. (1) Univerſitatis S. Thomæ fundatio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

IX.

INNOCENTIUS PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

IN ſupereminenti Apoſtolicę Sedis ſpecula, meritis licet imparibus, diſponente Domino conſtituti, & intra mentis noſtrę arcana revolventes, quantum ex literarum ſtudiis Catholica fides augeatur Divini Numinis cultus protendatur, veritas agnoſcatur, ac juſtitia colatur, ad ea, propter quę literarum ſtudia hujuſmodi ubilibet excitentur, & humiles perſonę eis incumbere deſiderantes id efficere poſſint, libenter intendimus, & in eis noſtrę ſolicitudinis partes propenſius impartimur, prout pia Chriſti fidelium, pręſertim Regali dignitate fulgentium, vota expoſcunt, Noſque locorum qualitate penſata in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut nomine cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, nobis nuper expoſitum fuit, in Civitate Manilan. in Inſulis Philippinis Indiarum Occidentalium, unum ſub denominatione S. Thomę Collegium Ordinis Fratrum S. Dominici exiſtat, in quo triginta alumni ſeculares educantur, & Grammatica, Rethorica, Logica, Philoſophia, ac Theologia, Scholaſtica, & Moralis docentur, ſeu leguntur, magna cum incolarum illarum partium utilitate, Civitas vero Manilana pluſquam tribus leucarum millibus a vicinioribus ſtudiorum generalium Univerſitatibus, nempe Limana, & Mexican. diſtet, & propterea idem Philippus Rex in Collegio prędicto, Academiam per Nos erigi, & inſtitui ſummopere deſideret, Nobis idcirco ejuſdem Philippi Regis nomine humiliter ſupplicatum fuit, quatenus incolarum Civitatis prędictę commodis, & in bonis literis inſtitutioni conſulendo, in dicta Civitate, ac Ædibus Collegii prędicti Academiam, in qua Religioſi dicti Ordinis Grammaticam, Rhetoricam, Logicam, Philoſophiam, ac Theologiam Scholaſticam, & moralem publice profiterentur, ac juvenes quoſcunque docerent, Apoſtolica auctoritate erigere, & inſtituere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, piis ejuſdem Philippi Regis votis hujuſmodi favorabiliter annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de nonnullorum dilectorum filiorum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, ac Romanę Curię Prelatorum deſuper a Nobis deputatorum conſilio, in prędicta Civitate Manilan. in Ædibus dicti Collegii ubi nunc ſcholę ſunt, ſeu forſan in ampliorem formam conſtruentur, Academiam in qua Religioſi dicti Ordinis Grammaticam, Rethoricam, Logicam, Philoſophiam, ac Theologiam Scholaſticam, & Moralem publice profiteantur, & juvenes quoſcunque doceant, duraturam duntaxat donec, & quouſque aliqua publica ſtudii generalis Univerſitas in dicta Civitate Manilan., ſeu illius Provincia Apoſtolica auctoritate erecta fuerit, eadem auctoritate tenore preſentium, ſine tamen cujuſcunque prejudicio erigimus, & inſtituimus, ipſamque Academiam, ſic erectam, & inſtitutam, curę, regimini, & adminiſtrationi dicti Ordinis, & illius Magiſtri Generalis pro tempore exiſtentis, ſeu ab eo deputandi, qui totius Academię Rector exiſtat, prędicta auctoritate etiam perpetuo ſupponimus, & ſubmittimus, ac eidem Academię, illiuſque Rectori, Magiſtris, Scholaſticis, aliiſque prędictis Univerſis, & ſingulis, ut omnibus, & quibuſcunque privilegiis, Indultis, libertatibus immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, prerogativis, honoribus, & preeminentiis hujuſmodi Academiis, illarumque pro tempore exiſtentibus Rectoribus, Magiſtris, Lectoribus, Doctoribus, Pręceptoribus, Scholaſticis, Procuratoribus, Bidellis, Nunciis, Officialibus, Miniſtris, & aliis perſonis in genere, vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, non ſolum ad eorum inſtar, ſed pariformiter, & ęque principaliter in omnibus, & per omnia, uti, potiri, & gaudere. Et inſuper Rectori ejuſdem Academię, & Collegii pro tempore exiſtenti, ut, donec hujuſmodi Academia, ut pręmittitur, duraverit, illos, quos in ipſa Academia ſic erecta per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientia, & moribus idoneos eſſe repererit, in prędictis facultatibus, quę in dicto Collegio, ut pręfertur, docentur, ſeu leguntur ad Baccalaureatus etiam formati, Licentiaturę laureę ac doctoratus, necnon Magiſterii gradus, ſervata in omnibus, & per omnia forma Decretorum Viennenſis, & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, & juxta alias laudabiles alia-

aliarum Academiarum conſuetudines promovere, & ipſorum graduum inſignia eis exhibere, utque ad dictos gradus ſic per illum promoti, poſtea publice, privatimque etiam in omnibus aliis Academiis, & Univerſitatibus ſtudiorum generalium facultates prędictas interpretari, & alios docere, de eis diſputare, gradui, ſeu gradibus hujuſmodi convenientes actus exercere, necnon omnibus aliis privilegiis, favoribus, gratiis, prerogativis, & Indultis, quibus alii in prędictis, ſeu aliis Academiis, Univerſitatibus, & alibi juxta illarum conſtitutiones, & mores ad gradus prędictos promoti, de jure, vel conſuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt in futurum in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi gradus in Academiis, ſeu Univerſitatibus hujuſmodi juxta illarum mores, & conſuetudines rite ſuſcepiſſent, uti, potiri, & gaudere, necnon pro tempore exiſtenti dicti Ordinis Magiſtro Generali, ut per ſe, vel dictorum Collegii, & ſic erectę Academię Rectorem, aut alium, vel alios pro ſalubri, & felici dictę Academię directione, ac Rectoris, Magiſtrorum, Procuratorum, Bidellorum, Nunciorum, & aliorum Miniſtrorum, & officialium muneribus, & functionibus, modoque, & forma docendi, & alias ſua officia exercendi, & Scholaſticorum manutentione, quęcunque ſtatuta, & ordinationes, licita tamen, & honeſta, ac ſacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, non contraria edere, & promulgare, eaque pro temporum, rerum, & perſonarum qualitate, mutare, corrigere, & reformare, ſeu illa caſſare, & abrogare, & alia de novo edere, & ſuper illorum obſervatione pęnas ejus arbitrio imponere, dictęque Academię Doctores, Magiſtros, Lectores, Scholaſticos, Procuratores, Bidellos, alioſque Miniſtros, & officiales eligere, & amovere, ſeu electiones factas confirmare libere, & licite, valeant, auctoritate, & tenore prędictis concedimus, & indulgemus. Pręſentes noſtras vero literas validas, firmas, & efficaces fore, & eſſe, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque, & non aliter per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, &, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX Novembris MDCXLV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

M. A. Maraldus.

1. *Manilan.*) In *Indiis*.

2. *Archivo*.) In quo exemplar ex autographo *Manilan.*

Indulgentia pro Miſſionibus (1) obeundis.

Anno 1647 Die 6 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. X.

X.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CÆleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſatores eſſe Nos voluit, nullis licet noſtris meritis, divina clementia, libenter erogamus, cum ad Religionis incrementum, & animarum ſalutem profecturos ſperamus. Sane cum, ſicut accepimus, nonnulli Religioſi Ordinis Fratrum Prędicatorum Neapolitan. Diœceſis, ad diverſa loca dictę Neapolitan. Diœceſis de licentia Ordinarii, & ſuorum Superiorum ad fidelium ſalutem curandam ſint acceſſuri, Nos eorundem Religioſorum pietatem, eorumque, ad quos illi mittentur devotionem, ſpecialibus gratiis fovere, atque augere cupientes. Omnibus, & ſingulis Religioſis prędictis, ut prędicitur, mittendis, & aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ad quos ipſi mittendi acceſſerint, noſtram, & Apoſtolicam Benedictionem per pręſentes impartimur. Iiſque vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui pro S. R. E. exaltatione, principum chriſtianorum unione, infidelium converſione, & hęreſum extirpatione, prout unicuique ſuggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, una vice tempore Miſſionis omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus pro unica vice tantum valituris. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI Decembris MDCXLVII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

M. A. Maraldus.

1. *Miſſionibus*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*

2. *Archivo*.) In quo exemplar.

Anno 1648 Die 13 Octobris.

Generalis Magiſter duos ex Sociis ſuis Provinciales conſtituere poteſt (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Thomę Turco (3) Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum.

XI.

INNOCENTIUS PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UT Fratres expreſſe profeſſi totius Ordinis Prędicatorum, quos in Socios, & laborum tuorum participes, tam in viſitationibus, & reformationibus, quam in ceteris ad regimen dicti Ordinis facientibus aſſumpſeris, debitis cumulati honoribus, & in comitatu tuo decentius eſſe valeant; pro paterno noſtro erga eundem Ordinem, illiuſque profeſſores affectu, quantum cum Domino poſſumus, providere, teque amplioribus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ultra facultatem tibi alias per Nos conceſſam inſigniendi unum ex Sociis tuis hujuſmodi, nulla precedente electione, titulo Prioris Provincię Terrę Sanctę, vel alterius malitia temporum deſolatę Provincię ipſius Ordinis, ut juxta antiquam, & approbatam, ac in ipſo Ordine diutius obſervatam conſuetudinem unum alium ex prędictis ſociis tuis, nulla itidem pręcedente electione, titulo Prioris Provincialis Anglię, vel alicujus alterius malitia temporum ſimiliter deſolatę Provincię dicti Ordinis, itaut voce, & loco, ac omnibus aliis privilegiis, gratiis, & dignitatibus, quibus ceteri Provinciales dicti Ordinis, tam in Capitulis generalibus, quam extra ea, ſecundum Inſtituta, & conſuetudines ipſius Ordinis gaudere conſueverunt, gaudeat, & potiatur, auctoritate noſtra Apoſtolica inſignire, & quoties continget eum ab eodem comitatu tuo recedere, ab ipſo Provincialatus gradu abſolvere, ſeu deponere, & alium, quem loco ipſius in ſocium aſſumpſeris, eodem titulo, ut prędicitur, inſignire, libere, & licite valeas, auctoritate prędicta tenore pręſentium facultatem concedimus, & impartimur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, & Provinciarum illius, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII Octobris MDCXLVIII Pontificatus noſtri Anno Quinto.

M. A. Maraldus.

1. *Poteſt.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.IV.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *Thomæ Turco.*) De quo dictum fuit.

Anno 1649 Die 1 Martii.

De Sipontini (1) Cœnobii Confraternitate Montis Mortuorum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XII.

INNOCENTIUS PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Officiales, & Confratres Confraternitatis Montis mortuorum nuncupatę in Eccleſia Domus S. Marię Magdalenę Fratrum Ordinis Prędicatorum Civitatis Sipontin., quod mons ipſe capſam in qua illius pecunię in certa tantummodo pia opera, ſecundum dictę Confraternitatis pium inſtitutum, diſtribuendę reponuntur, habet, pecunię autem prędictę e capſa hujuſmodi ab ipſius Montis Magiſtris, & aliis Officialibus in alios, quam pios uſus, pro quibus deſtinatę ſunt diſtrahantur, & propterea cupiant exponentes prędicti per Nos deſuper, ut infra provideri. Nos igitur ipſarum pecuniarum conſervationi, quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere, ipſoſque exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc hujuſmodi porrectis inclinati, ne de cetero quiſquam quavis auctoritate fungens, pecunias in eadem capſa repoſitas, & de cetero perpetuis futuris temporibus reponendas, niſi ad effectum illas erogandi in opera pia, pro quibus ſunt deſtinatę, extrahere, ſive ut extrahantur permittere audeat, ſeu pręſumat quovis pretextu, aut quęſito colore, aut ratione, vel occaſione, ſub excommunicationis latę ſententię, ac reſtitutionis de proprio per contrafacientes eo ipſo incurrendę pęnis auc-

auctoritate Apoſtolica tenore præſentium interdicimus, & prohibemus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod præſentis prohibitionis copia in valvis dictæ Eccleſiæ, aut alio perſpicuo loco unde ab omnibus cerni poſſit continuo affixa remaneat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die prima Martii MDCXLIX, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

M. A. Maraldus.

1. *Sipontin.*) In Regno *Neapolitano*. 2. *Archivo*.) In quo exemplar authenticum.

Quoſdam Congregationis S. Ludovici Conventus unit Toloſanæ Provinciæ (1).

Anno 1649 Die 10 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XIII.

INNOCENTIUS PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Thomas Turcus Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod annis ſuperioribus occaſione viſitationis, quam ipſe fecit in Regno Franciæ Conventus Provinciæ Toloſan. dicti Ordinis viſitavit, in qua vivendi normam, & methodum non eum in modum, quem exigit ipſa diſciplina regularis comperit obſervari, proque majori divini cultus incremento, & dicti Ordinis re, & ſervitio Conventus Congregationis Sancti Ludovici nuncupati dicti Ordinis in eodem Regno ex obſervantia regulari, qua illius Religioſi hujuſmodi vivunt, Conventibus dictæ Provinciæ uniendos duxit, & univit, nonnullaque ordinationes, & decreta, illorum vitæ deducendæ rationem in ſtatu obſervantiæ, diſciplinæque Regularium edidit, ſubinde vero prætendentes ſe dicta unione gravatos hujuſmodi Provinciæ Fratres per viam appellationis ad Capitulum Generale dicti Ordinis noviſſime in Civitate Valentina celebratum, a quo geſta in præmiſſis ab ipſo Thoma Magiſtro Generali approbata, confirmataque fuerunt, recurſum habuerunt, non tamen acquieſcentes poſtea deciſioni dicti Capituli generalis circa approbationem, & confirmationem hujuſmodi ad venerabiles Fratres noſtros S. R. E Cardinales negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitos, appellationem deſuper interpoſuerunt, qui illis auditis in ſcriptis, & in voce ſuper pretenſis gravaminibus, viſiſque ordinationibus Capitulorum generalium, ac decretis factis per dictum Thomam Magiſtrum Generalem per ſuum decretum ſub die XXVI Junii anni MDCXLVIII eoſdem dictæ Provinciæ Religioſos mandatis prædicti Thomæ Magiſtri Generalis parere debere, appellatione interpoſita, ac aliis in contrarium deductis, non obſtan., declararunt, ipſi nihilominus dictæ Provinciæ Fratres hujuſmodi mandatis ejuſdem Thomæ Magiſtri Generalis recuſaverunt obedire, non ſine illius auctoritatis magiſtralis Generalis præjudicio, detrimentoque. Quare per eundem Thomam Magiſtrum Generalem eiſdem Cardinalibus iterum ſupplicatur, ut eiſdem præmiſſis oppoſitionibus providerent, ſubinde ab eis emanavit decretum tenoris ſequentis, videlicet: Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita inhærendo decreto alias facto ſub die XXVI Junii MDCXLVIII cenſuit committendum, prout præſentium virtute committit DD. Archiepiſcopo Toloſano, & Epiſcopo Apamienſi, ac ipſorum cuilibet, tam conjunctim, quam diviſim, ut ea, quæ ſuper unione Conventuum Congregationis Sancti Ludovici Ordinis Prædicatorum cis Ligerim exiſtentium ad Provinciam Toloſanam ejuſdem Ordinis per Magiſtrum Generalem in ſua viſitatione fuerunt provide ſtatuta, & a Capitulo Generali Valentiæ de anno MDCXLVII approbata præcipiant, & curent auctoritate Apoſtolica ſibi in hac parte delegata, inviolabiliter obſervari a Provinciali, Prioribus, & Fratribus, ad quos ſpectat, ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ, officiorum, & dignitatum, ac inhabilitatis ad alia obtinenda, quibuſcunque recurſibus, appellationibus, & reclamationibus penitus ſublatis. Romæ hac die XV Januarii MDCXLIX. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Thomas Magiſter Generalis hujuſmodi præmiſſa, quo firmius ſubſiſtant, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis patrocinio communiri ſummopere deſideret, idcirco Nos eundem Thomam Magiſtrum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus illius nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinſertum, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quocunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, Congregationis, & Provinciæ hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus,

& ſin-

& ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die X Martii MDCXLIX, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

M.A. Maraldus.

1. *Provinciæ.*) Adeas *Percinum Monumen. Conventus Toloſan. Seculo V ad an. MDCXLVI pag. 156 &c.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1649 Die 9 Decembris.

F. Nicolaum Rodulphium (1) Vicarium Generalem Ordinis conſtituit.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Nicolao Rodulphio Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori.

XIV.

INNOCENTIUS PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm per obitum Thomę Turci Ordinis Fratrum Prędicatorum dum vixit Magiſtri Generalis, nuper (3) in Romana Curia defuncti, Ordo prędictus Magiſtro Generali deſtitutus remanſerit, Nos pro noſtri paſtoralis officii munere dicti Ordinis, ne aliqua propterea in ſpiritualibus, & temporalibus detrimenta patiatur, felici regimini providere volentes, teque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ac de religionis zelo, pietate, prudentia, integritate, doctrina, aliiſque egregiis virtutum donis, quibus te a Domino multifariam inſignitum eſſe ſcimus, plenam in Domino fiduciam habentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, te Prędidem (4) Generalem univerſi Ordinis prędicti uſque ad novam Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis electionem in Capitulo Generali in proxime futuro feſto Pentecoſtes celebrando, faciendam, cum plena, & omnimoda facultate, auctoritate, & poteſtate univerſum Ordinem hujuſmodi regendi, moderandi, & gubernandi, omniaque, & ſingula, quę pro tempore exiſtens Magiſter Generalis dicti Ordinis de jure, uſu, conſuetudine, ac juxta regularia ejuſdem Ordinis inſtituta, & conceſſiones tibi dum alias Magiſter Generalis dicti Ordinis fuiſti, tuiſque in eodem Magiſtri Generalis munere Prędeceſſoribus, & Succeſſori, Apoſtolica auctoritate factas, & alias quomodolibet facere, gerere, agere, mandare, exequi, & exequutioni demandari curare poteſt, faciendi, gerendi, agendi, mandandi, exequendi, & exequutioni demandari curandi, in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi Ordinis hujuſmodi Magiſter Generalis exiſteres, tenore pręſentium creamus, conſtituimus, & deputamus. Mandantes in virtute ſanctę obedientię, ac ſub arbitrii noſtri pęnis omnibus, & ſingulis Provincialibus, ac aliis quocunque nomine nuncupatis Superioribus, ac Fratribus, & perſonis quibuſcunque dicti Ordinis, ut tibi in omnibus, quę eis ordinanda, & mandanda, ac per eos exequenda duxeris, humiliter pareant, & obediant, tuaque juſſa, monita, & mandata reverenter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam, ſive pęnam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IX Decembris MDCXLIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

1. *Rodulphium.*) Conſulendæ Conſtitutiones Urbani *VIII.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *Nuper.*) Kalendis nempe Menſis Decembris *MDCXLIX.*
4. *Præſidem.*) *Quem omnes ceu virum omnibus animi, & corporis dotibus ornatum a Deo, ſibi regendum, & aſſerendum ordinem datum venerabantur, & præterea, ut patrem amantiſſimum ſinguli deperibant.* Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXXIX pag. 458. De eodem legendum ſequens Diploma.

NOs Cardinales Lantes, Cenninus, Spada, Cornelius, & Franciottus Judices Commiſſarii in cauſa, & cauſis coram Nobis vertentibus inter D. Fauſtum Gallutium S. D. N. PP., & Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Generalem Procuratorem Fiſcalem, & prætenſos illi adhærentes ex una, & Reverendiſſimum P. Nicolaum Rodulphium Ordinis Prædicatorum partibus ex altera ſuper prætenſis exceſſibus, de quibus in literis in forma Brevis S. M. Urbani VIII, ſub datum Romæ die XXIII Aprilis, XX Maii, & XXVII Junii MDCXLII, necnon in proceſſibus contra ipſum deſuper fabricatis, viſa commiſſione S. D. N. Innocentii PP. X, viſis, accurateque diſcuſſis iiſdem proceſſibus ad hunc effectum ex Arce S. Angeli vigore Chirographi S. D. N. extractis ſub die V Januarii præſentis anni MDCXLV, viſis aliis literis in ſimili forma Brevis ejuſdem felicis recordationis Urbani VIII ſuper abolitione eorundem proceſſuum, ſub datum Romæ die XXVII

Apri-

Aprilis MDCXLIV. Item viſis monitionibus vigore noſtrarum literarum miſſivarum per Rev. dictum Nuncium Neapolis Fratribus Thomæ Catoni, & Dominico Eliſio prædicti Ordinis, qui ſupplicem libellum Eminentiſſimis DD. Card. Veroſpio, & Antonio Barberino Protectori porrexerant contra præfatum Reverendiſſimum P. Rudulphium factis ſub diebus XI, & XXIII Aprilis MDCXLV, ſeu &c. ad comparendum, & deducendum coram Nobis per ſe, ſeu per Procuratorem quiequid ſua putarent intereſſe ratione, & ex cauſa dictorum proceſſuum, viſaque reſponſione prædictæ intimationi per dictum F. Dominicum Eliſium, in ſcriptis facta, necnon audito in plena Congregatione dicto Fr. Thoma Catone a præfata Urbe Neapolitana Romam profecto, aliiſque viſis videndis conſideratis conſiderandis.

Chriſti nomine invocato. Pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam ferimus in his ſcriptis dicimus, declaramus, & diffinitive ſententiamus eundem Reverendis. P. Rodulphium a prætenſis exceſſibus in prædictis literis S.M. Urbani VIII enunciatis, & in eiſdem proceſſibus deductis, nihil reperto, quod ejuſdem integritati labem, aut præjudicium inferat, vel inferre poſſit, fore, & eſſe abſolvendum, prout Nos per hanc noſtram diffinitivam ſententiam abſolvimus, & liberamus, & pro liberato haberi volumus, & mandamus, proceſſuſque prædictos de jure caſſandos, & abolendos fore, & eſſe, prout caſſamus, & abolemus, ac olim jure merito caſſatos, & abolitos fuiſſe, declaramus, propter eaque moleſtationes, & perturbationes eidem Reverendiſſimo P. Rodulphio illatas fuiſſe illicitas, & temerarias, & de facto præſumptas, illaſque minime fieri potuiſſe, nec poſſe. Fiſcoque, & prætenſis illi adhæren. perpetuum ſilentium imponen. fore, & eſſe, prout de facto imponimus, & ex dictis proceſſibus, aliiſque contra eundem Reverendiſſimum P. Rodulphium intentatis, nullum prorſus illius optimæ famæ, æſtimationi, atque honori præjudicium illatum fuiſſe, declaramus, & ita dicimus, pronunciamus, declaramus, & diffinitive ſententiamus, non ſolum præmiſſo, ſed omni alio meliori modo &c.

Ita pronunciavi Ego M. Epiſcopus Oſtien. Card. Lantes.
Ita pronunciavi Ego P. Card. Cenninus S. Marcelli nuncupat.
Ita pronunciavi Ego B. Card. Spada.
Ita pronunciavi Ego F. Card. Cornelius.
Ita pronunciavi Ego M. A. Card. Franciottus.

De ſtatu cujuſcunque Conventus Italiæ exhibendo.

Anno 1649 Die 17 Decembris.

Ex Archivo (1) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. X.

XV.

Ad Futuram Rei Memoriam.

INter cetera, quę ad regularem diſciplinam inſtaurandam, conſervandamque Sacroſancta Tridentina Synodus ſalubriter decrevit, illud ſemper pręcipuum, & maximi momenti habitum eſt, quo injungitur, ut in ſingulis Monaſteriis, & domibus Regularibus tantum numerus conſtituatur, & in poſterum conſervetur, qui vel redditibus propriis Monaſteriorum, vel conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari. Quapropter ad ejus uſum inducendum felicis recordationis Clemens VIII, Paulus V, & Urbanus VIII, Romani Pontifices, Predeceſſores noſtri varia decreta ediderunt, ſed quia nihilominus, ſive ob injuriam temporum, ſive ob Superiorum incuriam, ſive alias ob cauſas, illius exequutio hucuſque protracta eſt, non ſine gravi Monaſteriorum in ſpiritualibus, & temporalibus detrimento, ac Religionum jactura, idcirco Nos, nequaquam ignorantes, quantum ex Monaſteriis pie inſtitutis, & recte adminiſtratis in Eccleſia Dei ſplendoris, atque utilitatis oriatur, quantumque dignitati, & commodo eccleſiaſtici Ordinis detrahat multitudo Religioſorum, quę ſine delectu ſupra vires Monaſteriorum in Religiones invehitur, ac proinde arbitrati valde acceptum, Sacriſque Religionibus proficuum fore, ut decretum tam ſalubre debitę exequutioni demandetur. De conſilio nonnullorum venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanę Curię Pręlatorum, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, tenore pręſentium, pręcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis dilectis filiis Generalibus, Commiſſariis, Pręſidentibus, Provincialibus, Miniſtris, Abbatibus, Prioribus, Prępoſitis, Pręfectis, Rectoribus, Guardianis, Correctoribus, Vicariis, & quibuſcunque aliis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, ac domorum quorumcunque Monachorum, & regularium virorum bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſcunque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & Inſtituti etiam neceſſario, & in individuo exprimendi, exiſtentium intra fines Italię, & Inſularum adjacentium, ut ſinguli ad quos pertinet, adhibitis duobus, vel tribus Regularibus ſui Ordinis probatioribus, ac rerum uſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, & proventus omnes Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, ac domorum Regularium hujuſmodi, etiamſi ſint hoſpitia, vel ab alio Monaſterio dependeant, ſintve illius Grancię, ſeu membra, ſex annorum immediate pręcedentium habita ratione, ac detracto omni eo, quod grandines, ſterilitates, reparationes, & alii caſus hujuſmodi abſorbere ſolent, conſuetas item eleemoſynas, & obventiones, item victus, veſtitus, ac medicinalium, & alias quaſcunque tam ordinarias, quam extraordinarias expenſas, ęris quoque alieni, necnon Miſſarum celebrandarum, fabricę, ſacriſtię, annuarum pręſtationum, contributionum, ac procurationum, aliave cujuſvis generis onera diligenter, ac mature recognoſcant, eaque omnia in ſcripturam redigant, exprimentes ipſius Monaſterii titulum, ſeu denominationem, item capacitatem ac ſituationem, videlicet in qua Dięceſi, & an intra męnia Civitatis, vel Oppidi, anve in pa-

in pagis, ſeu villis, vel in ſylvis, ſeu nemoribus, & quantum diſtet a locis frequentibus, & populoſis. Item a quo tempore fundatum fuerit, quave auctoritate, & cujus ſumptibus, anve, & a quo numerus Religioſorum in eo fuerit alias præfixus, & quot ibi Religioſi, & ſervientes in præſentia degant, ſpecificatis uniuſcujuſque nomine, cognomine, & patria, ſcripturamque ſic confectam propria manu ſubſcribant, medio juramento atteſtantes, vera eſſe omnia, quæ in ea continentur, conſuetoque ſigillo obſignatam infra quatuor menſes a publicatione præſentium in hac Alma Urbe noſtra, ut infra facienda, computandos tranſmittant, ſeu conſignent Procuratori Generali ſui Ordinis in Urbe commoranti, qui una cum aliquibus gravioribus Religioſis a Congregatione prædictorum Cardinalium, & Prælatorum ad hoc ſpecialiter deputandis, negotio mature perpenſo, ac computandis hujuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obventionibus univerſis, atque oneribus, ut ſupra, detractis, ſedulo examinent, quot Religioſi homines, connumeratis etiam laicis, aliiſque neceſſariis ſervientibus in unoquoque Monaſterio, Conventu, Collegio, & domo Regulari, quamvis, ut præmittitur, ſit Hoſpitium, ſeu alterius Monaſterii membrum, juxta proprii inſtituti morem, victum, & veſtitum, ac medicinalia in communi habentes commode valeant ſuſtentari, omnibuſque diligenter diſcuſſis, familiæ cujuſque Monaſterii, Conventus, Collegii, ac domus regularis hujuſmodi in qualibet Provincia, vel Congregatione, certum earum tantum perſonarum numerum præfigat, quæ redditibus, eleemoſynis, & obventionibus, ut ſupra competenter ali poſſint, eaſque numeri præfixiones una cum originalibus ſcripturis ſuper ſtatu cujuſque Monaſterii, ac domus regularis a Superioribus, ut præfertur, confectis, infra alios quatuor menſes eidem Congregationi Cardinalium, ac Prælatorum exhibeat, ut ab ea recognoſcantur, & approbentur. Quod ſi memorati Superiores, ac Procuratores Ordinis intra præfixum terminum prædicta adimplere neglexerint, privationis vocis activæ, & paſſivæ, necnon officiorum, quæ tunc temporis obtinebant, & inhabilitatis ad illa, vel alia in poſterum obtinenda, perpetuam pœnam eo ipſo, abſque alia declaratione incurrant, rehabilitatione Nobis, & Sedi Apoſtolicæ reſervata. Interea vero prohibemus, & interdicimus omnibus, & ſingulis Capitulis, & Congregationibus Generalibus, Provincialibus, & Conventualibus, necnon Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, & localibus antedictis, ne deinceps quemquam ad habitum ſuæ Religionis recipiant, nec jam receptos, aut in poſterum contra hujuſmodi prohibitionem forſan recipiendos, ad profeſſionem admittant, donec ſcripturæ prædictæ, & præfixiones numeri familiæ cujuſque Monaſterii, ac domus Regularis hujuſmodi, eidem Congregationi Cardinalium, & Prælatorum realiter, & cum effectu fuerint exhibitæ, ac deinde memorati Superiores licentiam recipiendi ad habitum, & profeſſionem ab eadem Congregatione obtinuerint. Alioquin receptiones, tam ad habitum, quam ad profeſſionem aliter factæ ſint ipſo jure nullæ, nullamque inducant obligationem ad Religionem in ſpecie, vel in genere, aut ad alios quoſcunque effectus. Et nihilominus contravenientes ſententiam excommunicationis incurrant, a qua per alium, quam per Nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, niſi in mortis articulo conſtituti, abſolvi non poſſint. Non obſtantibus, quoad præmiſſa omnia, & ſingula conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcunque perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum, Societatum, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, & Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, domorum, ac locorum regularium quorumcunque, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis, etiam in Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliter nuncupatis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam ad Imperatoris, Regum, ſeu aliorum Principum inſtantiam, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, quoad ea, quæ præſentibus quomodolibet adverſantur, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut quævis alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentes literæ in valvis Eccleſiæ Lateranen., & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ de eadem Urbe publicentur, & affigantur, quæ poſtquam ſic affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent, quodque earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII Decembris MDCXLIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

Inſti-

Inſtituit Cardinalem Capponium (1) Præſidem Capituli celebrandi.

Anno 1650 Die 1 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio noſtro Aloyſio tituli S. Laurentii in Lucina S. R. E. Presbytero Cardinali Capponio nuncupato.

INNOCENTIUS PP. X.

XVI.

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, Capitulum Generale Ordinis Fratrum Prędicatorum propediem, benedicente Domino in hac Alma Urbe noſtra celebrandum (3) ſit; Nos, cupientes, ut Capitulum hujuſmodi recte, & feliciter ad Dei gloriam, & dicti Ordinis utilitatem celebretur, Te, qui ejuſdem Ordinis apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Comprotector exiſtis, ac de cujus prudentia, integritate, & Religionis zelo plurimum in Domino confidimus, in prędicto Capitulo Generali, noſtro, & dictę Sedis nomine Pręſidentem, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, facimus, conſtituimus, & deputamus. Mandantes propterea in virtute S. Obedientię dilectis filiis dicti Ordinis Superioribus quocunque nomine nuncupatis, ceteriſque Fratribus, & perſonis, & ſpecialiter vocalibus in prędicto Capitulo Generali congregatis, aliiſque, ad quos ſpectat, ut te in ejuſdem Capituli, noſtro, & dictę Sedis nomine Pręſidentem reverenter recipiant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut electis Magiſtro Generali (4), & aliis Officialibus dicti Ordinis, Pręſidentia hujuſmodi extincta ſit, & ceſſet. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die Prima Junii MDCL, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

1. *Capponium.*) Principem generis claritudine, probitate morum, conſultiſſima prudentia celeberrimum. Adeas *Olduinum in Additionibus ad Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tom. IV ad an. MDCV pag.* 420.

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

3. *Celebrandum.*) Menſe Junio *MDCL.*

4. *Magiſtro Generali.*) *F. Johannes Baptiſta de Marinis* communibus electorum ſuffragiis Generalis Magiſter illis in Comitiis renunciatus fuit.

F. Johannem Baptiſtam Marinum (1) Generalem ornat ampliſſima facultate (2).

Anno 1650 Die 7 Julii.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

Dilecto filio Johanni Baptiſtę Marino Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum.

INNOCENTIUS PP. X.

XVII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, tu pro commiſſo tibi munere Generalis Magiſterii Ordinis Fratrum Prędicatorum, intendas Domos, & loca, ac Monaſteria, necnon Fratres, & Sorores ipſius Ordinis viſitare, & religionem ejuſdem Ordinis, quantum in te erit, favente Domino relevare, & priſtino decori reſtituere, & propterea non ſolum Italiam peragrare, ſed etiam ultra Montes ire cogaris. Nos igitur, qui nihil ęque cupimus, quam amputatis vitiorum ſentibus virtutum flores in univerſa Eccleſia, & pręſertim in ipſo Ordine, quem ob uberes in vinea Domini fructus paterne diligimus, emineant, inſtitutum hoc tuum, & viſitandi ſanctum propoſitum plurimum commendantes, ac ſuper hoc prędeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhęrentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra Apoſtolicam tibi, & noſtram benedictionem impartimur; Et ut efficacius Domos, & loca, ac Monaſteria hujuſmodi viſitare, & quę opus fuerit reformare, ac bonos mores plantare, & quę ad ſtudiorum promotionem conducunt agere, & exequi valeas, nec in rebus agendis ſcrupulus tibi aliquis, aut obex opponi poſſit, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod dum in Generalatus hujuſmodi officio manſeris, ſuper Romanam, ac omnes, & ſingulas dicti Ordinis Provincias, & Vicarias tam citra, quam ultra Montes, etiam Regnorum Hiſpanię, & utriuſque Lombardię, ac Gallicanę, & Raguſinę, necnon quaſcunque alias ejuſdem Ordinis Congregationes, & ipſarum Provinciarum, Vicariarum, & Congregationum loca, Domos, Collegia Studentium, Monaſteria, & bona quęcunque, ac utriuſque ſexus perſonas tam Fratres, quam etiam Tertii habitus Sancti Dominici Sorores ad Provincias, ſeu Congregationes, aut alias quomodolibet ad Ordinem hujuſmodi pertinentes, ſeu ejus curę quovis modo commiſſas, cujuſcunque gradus, & conditionis exiſtant, tam in ſpiritualibus quam in temporalibus, auctoritate, & facultate, ac juriſdictione pleniſſimis, & illis quibus ceteri Magiſtri generales juxta dicti Ordinis inſti-

inſtituta, & Sacri Concilii Tridentini decreta, ſeu Conſtitutiones, vel ex jure ordinario, ſeu ex conſuetudine, vel privilegiorum, & indultorum Apoſtolicorum vi hactenus functi fuerunt, ſeu fungi potuerunt, in omnibus, & per omnia fungaris, & fungi, ac illos, illas, & illa viſitare, corrigere, & reformare, necnon omnes, & ſingulas literas Apoſtolicas, tam ſuper pręmiſſis, quam amotione, & nova deputatione cujuſcunque Prioris Provincialis, ſeu Vicarii, aut Prioris cujuslibet dicti Ordinis, Conventus, ac Monaſterii, vel Domus a Nobis, ſeu Prędeceſſoribus noſtris emanatas exequi, & exequendas curare, ac quaſcunque ſententias, cenſuras, & pęnas in illis contentas fulminare, necnon incorrigibiles, etiam abſque eo quod eorum qui extra Italiam fuerint, proceſſus ad Urbem tranſmittere tenearis, ſervata in reliquis omnibus, & per omnia decretorum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum ſuper apoſtatis, & ejectis editorum, & editarum forma, ejicere, & inſuper quarumcunque Monialium ſub tua juriſdictione ubique locorum exiſtentium tibi confiteri volentium Sacramentales confeſſiones, etiam abſque ulla Ordinariorum locorum approbatione, ſeu licentia audire, & in Provinciis occurren. earum Provincialatus vacatione, Vicarios Generales uſque ad futurum Capitulum, niſi Conſtitutiones regulares Ordinis, ſeu Provinciarum hujuſmodi Apoſtolica auctoritate confirmatę aliter ad aliquorum favorem diſponant, inſtituere, necnon cum iis, qui alicujus Domus regularis, ſeu Conventus Priores fuerint, ut poſtquam ab officio Prioris hujuſmodi per triennium duntaxat vacaverint, denuo in ejuſdem Domus, ſeu Conventus Priores eligi poſſint, ob penuriam idoneorum, vel aliam legitimam cauſam, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus, diſpenſare. Quodque cum acciderit reformatio facienda alicujus, ſeu aliquorum Conventuum, ſive Domorum, aut Monaſteriorum dicti Ordinis, etiam nulla alia quam tua pręcedente electione, toties quoties tibi opportunum viſum fuerit cum reformatio ipſa fiet, Priorem, ſeu Priores, aut Prioriſſam, ſeu Prioriſſas ad id idoneas noſtra auctoritate inſtituere; In Provinciis vero, & Congregationibus, ſeu Vicariis quę tibi non ſatis reformatę videbuntur, cum fuerit Prioris Provincialis, ſeu Vicarii facienda electio, ſeu tres, aut quatuor probatę vitę Fratres dicti Ordinis, Electoribus, qui unum ex iis pro ſuę Provincię reformatione eligant in Provincialem, vel Vicarium, proponere, & Electoribus ipſis neminem ex iis qui a te propoſiti fuerint, eligentibus, illico caſſata eorum electione aliquem virum probatę religionis ex ejuſdem, vel alterius reformatę Provincię gremio duntaxat noſtra ſimiliter auctoritate in legitimum Provincię, vel Congregationis, aut Vicarię hujuſmodi Provincialem, ſeu Vicarium, abſque aliqua electione creare, & inſtituere, & quod illi, quos ex aliis Provinciis ad Provincias, & Vicarias deſolatas, vel etiam laxioris vitę mittendos duxeris, ſtatim vocem habeant, tam activam, quam paſſivam; Quodque in Provinciis, ſeu Vicariis paucos Conventus, aut paucorum Fratrum numerum habentibus, Apoſtolica auctoritate concedere, ut aliquis ſimul eſſe poſſit alicujus determinati Conventus Prior, & totius Provincię, vel Vicarię Provincialis, ſeu Vicarius reſpective. Si vero in reformationibus hujuſmodi faciendis aliquos Fratres inveneris, qui illis repugnent, & ſecundum regularia dicti Ordinis inſtituta vivere recuſent, ſi incorrigibiles per te judicati fuerint, ad carceres etiam perpetuos detrudere, Fratres quoque, & Sorores quoſcunque dicti Ordinis prętendentes ſe etiam per literas Apoſtolicas ſub plumbo, aut annulo Piſcatoris, vel per Pęnitentiariam, ac alias etiam Motu proprio emanatas exemptos eſſe, ad literas ipſas, etiamſi in eis clauſula ſui Superioris licentia petita licet non obtenta, appoſita fuerit, exhiben. cogere, ac ſi eas legitime procedendo ſubreptitias, vel obreptitias inveneris, eis non obſtantibus Fratres, & Sorores prędictos ad redeundum ad eorum Domos, & Monaſteria, ac regularia dicti Ordinis inſtituta, vel literas Apoſtolicas, ſuper apoſtatis editas, obſervandas cogere, & quarumcunque electionum in dicto Ordine pro tempore factarum, dummodo tibi conſtet de voluntate eligentium, omnes, & ſingulos defectus ſupplere. Necnon ſuper permanentia Priorum, tam Provincialium, quam Conventualium, & Vicariorum Generalium, vel Prioriſſarum Monaſteriorum, etiam ultra biennium, vel quadriennium aliqua rationabili, pręſertim conſervandę, vel augendę vitę regularis cauſa ſubſiſtente, diſpenſare, & Sorores curę dicti Ordinis quomodocunque commiſſas de Monaſterio ad Monaſterium religioſe tranſmittere, necnon Domos, & Monaſteria unius Provincię, alteri Provincię, ſeu Congregationi juxta morem eundem aggregare. Pręterea quod omnem facultatem, & poteſtatem tibi per pręſentes conceſſam uni, ſeu pluribus Viſitatoribus, & Commiſſariis idoneis cum limitatione, vel alias prout tibi videbitur, communicare, illaſque quoties, & quandocunque volueris reaſſumere libere, & licite valeas. Et ſi quę Provincię tam citra, quam ultra Montes, aut Congregationes, vel Vicarię, Conventus, Collegia, loca, & Monaſteria, & pręſertim Domus Pariſien. prętexu privilegiorum eis a Prędeceſſoribus noſtris, & Sede Apoſtolica, vel etiam a Nobis conceſſorum prętenderint ſe ad ſui viſitationem nullum alium quam te ipſum admittere teneri, ne propterea delicta, remaneant impunita, aut rigor religionis diminuantur, cum tu ubique non poſſis aſſiſtere, etiam volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod viſitatores per te in Provinciis, Congregationibus, Vicariis, Conventibus, Collegiis, locis, Monaſterio, & Domo Pariſien. hujuſmodi pro tempore deputati, illos, illas, & illa auctoritate noſtra viſitare libere poſſint, quodque Fratres Provinciarum, Congregationum, Vicariarum, Conventuum, Collegiorum, locorum, & Domus Pariſien., ac Sorores Monaſteriorum hujuſmodi ſub excommunicationis majoris latę ſententię pęna, quam in contrafacientes ex nunc, prout ex tunc, & e contra ferimus in his ſcriptis, viſitatores per te, ut pręfertur, deputatos tanquam a Nobis delegatos ſuſcipere, & ad eorum viſitationem admittere teneantur, quodque quos in Socios, & laborum tuorum participes, tam in hujuſmodi viſitationibus, & reformationibus, quam ceteris ad regimen dicti Ordinis facientibus aſſumpſeris, debitis cumulati honoribus in comitatu tuo decentius eſſe valeant, juxta antiquam, & approbatam, in ipſo Ordine diutius obſervatam conſuetudinem duos ex ipſis Sociis tuis, nulla pręcedente electione, titulo Prioris Provincialis Terrę Sanctę, vel alicujus alterius malitia temporum deſolatę Provincię ipſius Ordinis, ita ut voce, & loco, ac omnibus aliis privilegiis, gratiis, & dignitatibus, quibus ceteri Provinciales dicti Ordinis gaudere conſueverunt, gaudeant, & potiantur, prędicta auctoritate Apoſtolica inſignire, & quoties continget

eos

eos ab eodem comitatu tuo recedere, ab ipſo Provincialatus gradu abſolvere, ſeu deponere, & alios, quos loco ipſorum in ſocios aſſumpſeris eodem titulo, ut pręfertur, inſignire libere, & licite poſſis, & valeas. Inſuper quo melius, & efficacius reformationi totius prędicti Ordinis inſiſtere valeas, ex ſpeciali gratia concedimus tibi omnia privilegia, & facultates ſpectantia ad regimen, & reformationem dicti Ordinis conceſſa tam bonę memorię Magiſtro Paulo Conſtabili, quam aliis Magiſtris Generalibus prędeceſſoribus tuis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis, & inſtitutis, necnon privilegiis, indultis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, & literis Apoſtolicis etiam in forma Brevis quibuſcunque dicti Ordinis, & pręſertim Hiſpanię, utriuſque Lombardię, & etiam quatenus opus ſit felicis recordationis Clementis Papę VII Prędeceſſoris noſtri ſub datum apud S. Petrum die VI Maii MDXXXIII, Pontificatus ſui anno decimo, & Romanę Provinciis, ſeu Congregationibus, etiam Gallicanę, aut earum Conventibus, domibus, Collegiis Studentium, aut Monaſteriis Sororum ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis etiam per Nos, & dictam Sedem, & motu ſimili, aut alias quomodolibet conceſſis, & etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, ſeu in poſterum concedendis, approbandis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quevis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum omnium, & ſingulorum tenores pręſentibus, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe motu ſimili derogamus, eaque nemini adverſus pręmiſſa ſuffragari volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII Julii MDCL, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

M. A. Maraldus.

1. *Marinum.*) Hoc anno *MDCL* Generalem Magiſtrum renunciatum.

2. *Facultate.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

3. *Archivo.*) In quo triplex autographum, variaque exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ*.

Quæ pro Congregatione (1) Sanitatis ſancita ſunt, confirmantur.

Anno 1650 Die 9 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. X.

XVIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

AD ea, quę regularium perſonarum quarunlibet paci, quietique conſulitur, ac litibus, & diſcordiis obviam itur favorabiliter intendimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, quod ex diverſis felicis recordationis Sixti V, necnon Clementis VIII, ac Pauli etiam V Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum conceſſionibus, & indultis, Fratres dicti Ordinis Congregationis Sanitatis nuncupatę Neapolitan., alias in electionibus Priorum Provincialium Provincię Regni nuncupat. dicti Ordinis ab ipſis origine, & primordio dictę Congregationis uſque ad Capitulum generale ejuſdem Ordinis de anno MDCXLIV celebratum, votum, ſeu ſuffragium tulerunt, quo in Capitulo numerus vocalium dictę Congregationis ad duodecim reductus fuit, & cum in noviſſime celebrato dicti Ordinis Capitulo Generali, Procurator ejuſdem Congregationis reclamaſſet, allegaſſetque decretum ſuper hujuſmodi vocalium reductione prędicta emanatum, nullum, nulliterque editum eſſe, quia conceſſionibus, & indultis Pontificiis prędictis adverſabatur, tentavit diffinitorium dicti noviſſimi Capituli Generalis pro terminanda hujuſmodi controverſia eandem Congregationem in Provinciam erigere, cui erectioni uti pernicioſę quieti, pacique ejuſdem Congregationis idem Procurator minime conſenſit, propter quod dicta controverſia remanſit indeciſa, pro qua ſubinde terminanda congregato per eundem Magiſtrum Generalem conſilio multorum ex gravioribus dicti Ordinis profeſſorum, concluſum, decretumque fuit non convenire, quod dicta Congregatio in Provinciam erigeretur, Nobiſque ſupplicandum eſſe, ut declaremus Vicarium, ac duodecim in Sacra Theologia Magiſtros, necnon Priores, & Prędicatores Generales ejuſdem Congregationis, non autem Socios eorundem Priorum in electionibus Priorum Provincialium dictę Provincię votum, ſeu ſuffragium ferre debere, ac demum facta Nobis per eundem Magiſtrum Generalem relatione de decreto conciliari hujuſmodi, congregatiſque de novo nonnullis dicti Ordinis profeſſoribus juſſu noſtro, ut maturius de excluſione Sociorum Priorum Provincialium hujuſmodi decerneretur, tandem etiam illos votum, ſeu ſuffragium in electionibus Priorum Provincialium dictę Provincię habere, & ferre debere, determinatum fuit. Quare Nobis idem Magiſter Generalis, humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, eundem Magiſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitorum conſilio, audito eodem Magiſtro Generali dicti Ordinis, ac inſtantia ſępius examinata, ſervandum eſſe decretum

Capituli Generalis dicti Ordinis de anno MDCI, ab eodem Clemente Prędeceſſore approbatum, nec quicquam contra ipſius formam, & tenorem innovandum eſſe, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, decernimus, & declaramus, contradictoribus perpetuum ſilentium imponimus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate eorundem Cardinalium. Decernentes pręſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, & ſingulis, quos illę concernunt, & concernent in futurum inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & quoſvis alios judices, & commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi quid ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, Congregationis, & Provincię hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda, ſeu quęvis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorumque omnium, & ſingulorum tenores pręſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IX Decembris MDCL, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

M. A. Maraldus.

1. *Congregatione.*) Nunc Provincia. 2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar authenticum.

Anno 1651 Die 3 Aprilis.

De Miſſali, Breviario, & id genus ceteris libris imprimendis.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XIX.

INNOCENTIUS PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Johannes Baptiſta de Marinis Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, ipſe Miſſalia, Breviaria, & alios Chorales libros expenſis dicti Ordinis, & ad ejus uſum typis mandare facere intendat, vereatur autem, ne poſtmodum alii eoſdem libros non ea, qua par eſt ſedulitate, ac cum mendis etiam imprimi curent, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut deſuper opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictum Johannem Baptiſtam ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Johanni Baptiſtę, ut viginti annis proxime duran. ab hoc dictorum librorum, dummodo tamen illi antea a dilecto filio Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici approbati ſint, impreſſione computan., nemo tam in Urbe, & univerſo Statu Eccleſiaſtico mediate, vel immediate Nobis ſubjecto, quam extra Statum hujuſmodi libros prefatos ſine ſpeciali dicti Johannis Baptiſtę, aut ab eo cauſam habentium, licentia imprimere, aut ab alio, vel aliis impreſſos vendere, ſeu venales habere, vel proponere poſſit auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, & indulgemus, inhibentes propterea univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, pręſertim librorum impreſſoribus, & bibliopolis ſub excommunicationis latę ſententię, & quoad perſonas Nobis, & Apoſtolicę Sedi ſubjectas ſub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amiſſionis librorum, & typorum omnium, pro una Camerę noſtrę Apoſtolicę, ac pro alia eidem Johanni Baptiſtę, & pro reliqua, tertiis partibus accuſatori, & judici exequenti irremiſſibiliter applican., & eo ipſo abſque ulla declaratione incurren., pęnis, ne dictis viginti anni duran. libros prędictos, aut aliquam eorum partem, tam in Urbe, & reliquo Statu Eccleſiaſtico prędictis, quam extra dictum Statum, ſine hujuſmodi licentia, imprimere, aut ab aliis impreſſos vendere, ſeu venales habere, aut proponere quoquomodo audeant, ſeu pręſumant, mandantes propterea venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac quibuſcunque locorum Ordinariis, necnon dilectis filiis noſtris, & Apoſtolicę Sedis de latere Legatis, ſeu eorum Vicelegatis, aut Pręſidentibus, Gubernatoribus, Prętoribus, & aliis juſtitię miniſtris Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & locorum Status noſtri Eccleſiaſtici prędicti, quatenus dicto Johanni Baptiſtę, & ab eo cauſam habentibus prędictis, in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſten., quandocunque ab eodem Johanne Baptiſta, ſeu aliis prędictis fuerint requiſiti, pęnas prędictas contra quoſcunque inobedientes irremiſſibiliter exequantur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentium tranſumptis, etiam in ipſis libris impreſſis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur ſi forent exhibitę, vel oſten-

oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die III Aprilis MDCLI, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

J. Ja. Cardinalis Panzirolus.

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Lovanienſis (1) Confraternitas (2) Cinguli S. Thomæ Indulgentiis ornatur.

Anno 1652 Die 27 Martii.

XX.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

INNOCENTIUS PP. X.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, in Eccleſia domus Fratrum Ordinis Prędicatorum Oppidi Lovanii Mechlinienſis Dięceſis, una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas ſub invocatione Cinguli Sancti Thomę Aquinatis, non tamen pro hominibus unius ſpecialis artis canonice ſit erecta, cujus Confratres, & Sorores, quamplurima pietatis, & caritatis opera exercere conſueverunt, Nos, ut prędicta Confraternitas ſuſcipiat incrementa, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus fidelibus, qui dictam Confraternitatem in poſterum ingredientur, die eorum ingreſſus, ſi vere pęnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſumpſerint, Plenariam, necnon deſcriptis, & pro tempore deſcribendis in dicta Confraternitate Confratribus, & Conſororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi vere pęnitentes, & confeſſi, ac ſacra Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin minus corde devote invocaverint etiam Plenariam, ac eiſdem nunc, & pro tempore exiſtentibus Confratribus, & Conſororibus etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui prędictę Confraternitatis Eccleſiam, ſeu Capellam, vel Oratorium die feſto principali ipſius Confraternitatis a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper dictis Confratribus, & Conſororibus, etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis dictam Eccleſiam, vel Capellam, ſeu Oratorium in quatuor aliis anni feſtivis, vel feriatis diebus, per Confratres dictę Confraternitatis ſemel tantum eligendis, & ab Ordinario approbandis, ut pręfertur, viſitantibus, & ibidem orantibus, quo die prędictorum id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas, quoties vero Miſſis, & aliis divinis officiis in dicta Eccleſia, vel Capella, ſeu Oratorio pro tempore celebrandis, & recitandis, ſeu Congregationibus publicis, & privatis ejuſdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procuraverint, necnon, & qui corpora defunctorum tam Confratrum, & Conſororum dictę Confraternitatis, quam aliorum ad ſepulturam aſſociaverint, aut quaſcunque Proceſſiones de licentia Ordinarii faciendas, & Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum, tam in Proceſſionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicunque, & quotieſcunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut ſi impediti campanę ad id ſigno dato ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem, & Salutationem prędictas pro animabus defunctorum Confratrum, & Conſororum prędictorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes pręcepta Dei, & ea, quę ad ſalutem ſunt, docuerint, & quodcunque pietatis, vel ſalutis, ſeu caritatis opus exercuerint, toties pro prędictorum quolibet operum ſexaginta dies de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus, pręſentibus, perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ſi alias dictis Confratribus, & Conſororibus premiſſa peragentibus, aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit, pręſentes nullę ſint, utque etiam ſi dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregetur, vel quavis alia ratione uniatur, ſeu etiam quomodolibet inſtituatur, priores, & quevis alię literę Apoſtolicę illis nullatenus ſuffragentur, ſed ex tunc eo ipſo prorſus nullę ſint. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Martii MDCLII, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Lovanien.*) In *Belgio*.
2. *Confraternitas.*) De qua in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
3. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Lovanien.*

Anno 1652 Die 15 Octobris.

XXI.

De parvis Conventibus (1) ad ſecularem ſtatum tranſferendis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

INſtaurandę regularis diſciplinę opus multis laboribus, ac vigiliis a Romanis Pontificibus, Prędeceſſoribus noſtris, jam pridem aſſumptum Nobis in dies magis magiſque cogitantibus, cur ad optatum finem hucuſque perduci non potuerit, totque ſaluberrima decreta, & ordinationes fere in irritum ceciderint, illa tandem ſeſe obtulit originis cauſa, quod Religiones quamplures ex parvis Conventibus, ac domibus magna ex parte conſtantur, in quibus ſive ob redditiuum, & eleemoſynarum tenuitatem, ſive ob aeris intemperiem, ſive aliam ob cauſam non aluntur, nec ali poſſunt tot Religioſi, quot ad peragendum rite divinum cultum, & regularia munia ex cujuſque Ordinis pręſcripto ſunt neceſſarii. Etenim in tam exiguo numero ibi degentes, nec divinum officium nocturnum pariter, & diurnum in Choro celebrare, nec Orationi mentali, ac ſpiritualibus collationibus, & exercitiis, ac ſtudiis in communi vacare, nec ſilentium, clauſuram, vitam communem, ceteraſque inſtitutiones ſervare poſſunt, quę ad tria principalia vota ordinantur, & ſine quibus conſiſtere vix poſſunt. Quamobrem otio immerſi nullum Religioſę vitę ſpecimen pręſeferunt: ſoli incedunt per Urbes, & loca, cum ſecularibus vagantur, ac mundanis negotiis ſe involvunt. Indeque fit, ut ibi collocari renuant Religioſi probatę vitę, ac diſciplinę, & Superiores cogantur illic familiam conſtituere ex Fratribus vitę laxioris, qui loci licentia pejores fiunt, & ſi quando ad Cęnobia, ſeu Monaſteria regularis obſervantię revocantur a Clauſtro, quaſi a ſquallore carceris abhorrentes, vix adduci poſſunt, ut communem ſervent in moribus diſciplinam, atque aliorum inſtitutionibus ſe conforment; quin potius ceteros avertunt, vel certe reddunt ſuo exemplo ſegniores. Unde relaxationes derivantur in ordines, & ſenſim invaleſcunt in ipſarum Religionum dedecus, & ruinam. Pręterea, quod dolentes referimus, ad hujuſmodi Conventus, pręſertim in locis infrequentibus, & ſolitariis, tanquam ad aſylum facinoroſi homines, & curię contumaces, vel proſcripti in dies confugiunt, ibique loci immunitate freti turpiter, ac diſſolute viventes, atque inde in tempore exeuntes graviora perpetrant flagitia, cum maximo populi ſcandalo. Cumque Conventus, ſive loca parva hujuſmodi in effręnatam quaſi excreverint multitudinem, hinc licet omnibus intelligere, quęcunque reformationis remedia caſſa fore, & irrita, quandiu non fuerint a Religionibus abſciſſa. Quę poteſt enim ſpes eſſe, corpus languidum, & infirmum ad ſalutem reducendi, ſi magna illius pars eſt curationis incapax, quin potius reliquam partem, inficit, atque contaminat. Hęc quippe ſunt zizania, quę cum jam creverint uſque ad meſſem, ſunt in faſciculos alliganda, & a Religionum tritico ſeparanda. Hę ſunt vulpes parvulę, quę demoliuntur vineas. Hoc eſt fermentum, quod totam maſſam corrumpit. Quę omnia, atque alia plura pro paſtorali noſtra ſollicitudine diu, multumque animo revolventes, ut ſacrę Religiones in multitudinem latius incremento fęcunditatis per univerſam Eccleſiam diffuſę a vepribus, & ſpinis emundatę, uberes germinent fructus: Nos etiam ab ipſiſmet Religionum Superioribus reformationem zelantibus crebris precibus interpellati, & frequentibus populorum querimoniis permoti, ſalutare remedium adhibere conſulta ordinatione decrevimus. Itaque de voto Congregationis venerabilium Fratrum noſtrorum S R.E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanę Curię Prelatorum ſuper ſtatu Regularium a Nobis deputatę, cui hoc negotium ſedulo, ac mature examinandum commiſimus, Motu proprio, certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulos Conventus quorumcunque Monachorum, ac Regularium virorum bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſcunque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, etiamſi illis animarum cura perſonarum ſecularium incumbat, ſint vel Hoſpitia, vel Grancię, ſeu alterius Monaſterii membra, exiſtentes intra fines Italię, & Inſularum adjacentium, in literis ab eadem Congregatione propediem expediendis nominatim exprimendos, in quibus ob parvum numerum Religioſorum regularis diſciplina juxta peculiaria cujuſque ordinis Inſtituta ſervari non poteſt, auctoritate Apoſtolica tenore preſentium perpetuo extinguimus, ſupprimimus, & abolemus una cum omnibus eorum dignitatibus, Officiis, ac Miniſteriis, illoſque ab omni proprietate, dominio, ſuperioritate, juriſdictione, ac alio quocunque jure regularium eximimus, & totaliter liberamus, omnemque Conventualitatem, titulum, eſſentiam, ac denominationem regularem in eis penitus extinguentes, illos ad ſtatum ſecularem reducimus. Reſervata tamen ipſi Congregationi facultate conſervandi Religionibus aliquem ex Conventibus expreſſis in memoratis literis, ſi hoc ex aliqua rationabili cauſa expedire judicaverit, ſalvis etiam juribus, quę fundatoribus Conventuum ſic ſuppreſſorum, vel aliis ex Sacrorum Canonum pręſcripto, vel ex privilegio Apoſtolico quomodolibet competunt. Quocirca dilectis filiis quorumcunque regularium Superioribus, tam Generalibus, quam Provincialibus, & localibus quocunque nomine, ac titulo nuncupentur, in virtute Sanctę obedientię diſtricte pręcipimus, & mandamus, ut ſinguli, ad quos pertinet, infra terminum ſex menſium inchoandum a die pręſentationis literarum a prędicta Congregatione, ut pręmittitur, expediendarum, faciendę in Romana Curia Procuratori Generali cujuſque Ordinis, vel Congregationis, aut Societatis, dimittant realiter, & cum effectu coram Ordinariis locorum ſub teſtimonio publico, eidem Congregationi per eoſdem Superiores Regulares exhibendo, poſſeſſionem corporalem Conventuum in eiſdem literis expreſſorum, & reſervata eis facultate ſecum aſportandi prophanam tantum, non autem ſacram ſupellectilem, Religioſos inde amoveant, atque in aliis Monaſteriis ejuſdem Ordinis, vel Congregationis, aut Societatis

collo-

collocent: alioquin pęnas privationis vocis activę, & paſſivę, necnon dignitatum, & Officiorum, quę tunc temporis obtinebunt, & perpetuę inhabilitatis ad illa, vel alia in poſterum obtinenda ipſo facto abſque alia declaratione incurrant. Eoque termino elapſo non liceat Regularibus in Eccleſiis dictorum Conventuum Miſſas, & Divina Officia celebrare, Confeſſiones Sacramentales audire, vel alia ſacramenta adminiſtrare, ac functiones Parochiales exercere, aut Verbum Dei prędicare, vel mortuos ſepelire. Quod ſi ſecus egerint, eo ipſo Eccleſię remaneant ſuppoſitę eccleſiaſtico Interdicto. Et nihilominus locorum Ordinarii, ubi per literas ipſius Congregationis fuerint requiſiti, Religioſos rebelles, & refractarios a prędictis Conventibus ejiciant, etiam invocato, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio: Et exinde Eccleſiarum, Domorum, bonorumque omnium ad Conventus ſic ſuppreſſos quomodolibet pertinentium regimen, curam, cuſtodiam, & adminiſtrationem ſuſcipiant, curentque, ut ex eorum redditibus, & proventibus, univerſis in primis, & ante omnia impleantur onera Miſſarum tam hucuſque non celebratarum, quam in poſterum celebrandarum, & alia quęcunque ex lege fundationis, aut largitione fidelium, vel alias quomodolibet eis incumbentia, quibus nullo modo derogare intendimus, & cura animarum, ſi qua illis immineat per Presbyteros ſeculares idoneos ab ipſis Ordinariis approbandos laudabiliter exerceatur, Eccleſięque debito non fraudentur ſervitio, ceterum intendentes de prędictis bonis, quotquot ſuperfuerint oneribus, ut ſupra detractis ſalubriter providere, eorundem tenore pręſentium bona hujuſmodi applicamus, & applicata eſſe decernimus, & declaramus, piis uſibus in eiſdemmet locis ejuſdem Diœceſis juxta deſignationem, & paritionem, quam eadem Congregatio, ſingulorum Epiſcoporum cum ſuis Capitulis ſententia prius audita, & plena totius negotii relatione habita, de mandato noſtro faciet in ſuis literis ad eoſdem Epiſcopos ſcribendis, & in Cancellaria Epiſcopali regiſtrandis ad perpetuam rei memoriam. Verum quia parum eſt mala pręcidere, niſi etiam malorum cauſa, & radix evellatur, Conſtitutiones felicis recordationis Bonifatii VIII, quę incipit. Cum ex eo, necnon Clementis VIII incipien. Quoniam ad Inſtitutam; aliorumque Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum ſuper erectione novorum Conventuum editas, earundem tenore innovantes, illiſque addentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, in aliqua Civitate, Caſtro, Villa, ſeu loco ad habitandum domos, vel loca quęcunque de novo recipere, ſeu Monaſteria, Conventus, vel Collegia incipere, vel fundare prę́ſumat abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, plenam, & expreſſam faciente de prohibitione hujuſmodi mentionem in ſcriptis, & gratis concedenda, pręvia examinatione Congregationis negotiis Epiſcoporum, ac Regularium prępoſitę. Si ſecus egerint, eo ipſo incurrant pęnas privationis, & Inhabilitatis, ut ſupra, inflictas: & nihilominus receptiones, & fundationes, & erectiones ſint ipſo jure nullę, & invalidę, & Domos, ac loca ipſa, & perſonę in eis degentes omnino eidem juriſdictioni, viſitationi, correctioni Ordinarii loci plene in omnibus ſubjaceant. Intendimus autem in pręmiſſis etiam ultra Italiam, & inſulas adjacentes, prout expedire viderimus, providere. Decernentes pręſentes literas etiam ex eo, quod Superiores Regulares, & ceteri quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet pętendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint, nullo unquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, ac ſubſtantiali, ſive etiam ex eo quod in pręmiſſis, ſeu eorum aliquo ſolemnitates, & quęvis alia ſervanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocunque alio capite a jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſſimę, & totalis lęſionis, aut quocunque alio colore, etiam in corpore juris clauſo, ſeu occaſione, vel cauſa quantumvis juſta, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quę ad effectum validitatis pręmiſſorum neceſſario exprimenda foret, aut quod de voluntate noſtra hujuſmodi, & aliis ſuperius expreſſis, ſeu relatis nihil ullibi appareret, ſeu aliter probari poſſet, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, facti, gratię, vel juſtitię remedium impetrari, ſeu quomodolibet conceſſo, & impetrato quempiam uti, ſeu ſe juvare in judicio, vel extra poſſe, neque ipſas pręſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus pro tempore quomodolibet faciendis, comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac per omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum inviolabiliter obſervari. Sicque, & non aliter in pręmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Sacri Palatii Apoſtolici Auditores, necnon S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Nuncios, ac alios quavis auctoritate, & poteſtate fungentes, nunc, & pro tempore exiſtentes in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere; irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, Regula noſtra de non tollendo jure quęſito, aliiſque Cancellarię Apoſtolicę regulis, ceteriſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis etiam in Conciliis Generalibus editis, etiam ſpecialiter in favorem quarumcunque perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum, Societatum, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, & Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcunque, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, vel conſuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis, & in Mari Magno, ſeu Bulla aurea aut aliter nuncupatis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec-

necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & quorumvis aliorum Principum, & perſonarum quacunque Eccleſiaſtica, vel ſeculari dignitate fulgentium, ſeu eorum intuitu, & contemplatione, ac etiam conſiſtorialiter, & alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis quoad ea, quę pręſentibus quomodolibet adverſantur, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, ſpecialis, individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut quęvis exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine paribus ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod pręſentes literę in valvis Eccleſię Lateranenſis, & Baſilicę Principis Apoſtolorum, necnon Cancellarię Apoſtolicę, ac in Acie Campi Florę de eadem Urbe publicentur, & affigantur, quę poſtquam affixę, & publicatę fuerint, omnes, & ſingulos, quos illę concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatę fuiſſent. Quodque earundem pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę Ordinationis, extinctionis, ſuppreſſionis, abolitionis, exemptionis, liberationis, reductionis, pręcepti, mandati, intentionis, reſervationis, applicationis, declarationis, prohibitionis, derogationis, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexconteſimo Quinquageſimo Secundo, Idibus Octobris Pontificatus noſtri Anno Nono.

Hi. Datarius.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Viſa de Curia N. Humbertus.

G. Gualterius.

C. Bailly.

1. *Conventibus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur in *Bullario Romano*. Eſt L.

Anno 1654 Die 10 Februarii.

Quinam parvi Conventus (1) juris ſint Ordinariorum.

Ex Bullario Romano in Innocentio X. Eſt LVI.

XXII.

INNOCENTIUS PP. X.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

UT in parvis regularium virorum Conventibus a S. D. N. Innocentio Papa X in Conſtitutione, quę incipit: Inſtaurandę, primum ſuppreſſis, ac deinde ad ipſius Conſtitutionis limites ob rationabiles cauſas in priſtinum ſtatum regularem reſtitutis, & ipſis Religionibus denuo conceſſis, pie, & religioſe vivatur, ac regularia inſtituta, quo exactius fieri poteſt, obſerventur, Sanctitas ſua ex ſententia Sacrę Congregationis ſuper ſtatu regularium, omnes, & ſingulos Conventus hujuſmodi ſic, ut pręfertur, reſtitutos, & conceſſos in literis ab eadem Sacra Congregatione expediendis nominatim exprimendis, ac perſonas tam regulares, quam ſeculares in eis degentes viſitationi, correctioni, & omnimodę juriſdictioni Ordinarii loci, tanquam ſuper hoc a Sede Apoſtolica delegati, pręſentis decreti tenore plene in omnibus ſubjecit, ac ſubjectos eſſe declaravit, donec ipſorum redditus eouſque adaucti fuerint, ut in eis commode ſuſtentari valeant, & cum effectu ſuſtententur, duodecim Religioſi ad Apoſtolicorum decretorum pręſcriptum, idque eidem Sacrę Congregationi legitime conſtiterit, & ejus decreto in ſingulis contingentibus caſibus declaratum fuerit, & non aliter. Interea vero voluit Sanctitas Sua, ut in eorum ſingulis ali debeant, & re ipſa alantur ſex ſaltem Religioſi probatę vitę, ex quibus quatuor ad minus ſint Sacerdotes maturę ętatis, alioquin gratia reſtitutionis, & conceſſionis hujuſmodi nulla ſit, & invalida, & Ordinarii locorum in illis exequi poſſint, ac debeant, ea omnia, quę in aliis Conventibus itidem ſuppreſſis per eandem Conſtitutionem ipſis demandantur, perinde ac ſi gratia prędictę reſtitutionis; & conceſſionis non emanaſſet. Inſuper quia multi ſunt Conventus, in quibus etſi pręfixus fuerit numerus Religioſorum ſufficiens ad obſervantiam regularis diſciplinę, & idcirco in ſuppreſſione antedicta non fuerint comprehenſi, nihilominus ſive ob redditum diminutionem, ſive ob Superiorum incuriam, vel malam adminiſtrationem, ſive ob carentiam Religioſorum, aeris intemperiem, vel quamcunque aliam ob cauſam prędictus numerus cum effectu in eis non alitur cum gravi detrimento regularis obſervantię; Sanctitas Sua, intendens huic malo remedium adhibere, omnes, & ſingulos hujuſmodi Conventus, ut pręfertur, non ſuppreſſos, cujuſcunque ſint Ordinis tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationis, & Inſtituti etiam Societatis Jeſu, aut Grancię, ſeu membra alterius Mo-

Monaſterii exiſtentes intra fines Italię, & Inſularum adjacentium, in quibus nunc non aluntur, vel quandocunque actu non alentur ſaltem ſex Religioſi itidem probatę vitę, quorum ad minus quatuor, ut ſupra, ſint Sacerdotes maturę ętatis, eidem viſitationi, correctioni, & omnimodę juriſdictioni Ordinarii loci ſimiliter, ut Sedis Apoſtolicę delegati plene in omnibus pręſentis pariter decreti vigore ſubjectos eſſe ſtatuit, decrevit, & declaravit. Ceterum quoad Conventus cum pauciori numero, quam duodecim Religioſorum erectos poſt diem XXI Junii MDCXXV, & illorum ſubjectionem loci Ordinario, Sanctitas Sua voluit in ſuo robore permanere decretum ſanctę memorię Urbani VIII juſſu editum, cui per pręmiſſa aliquatenus derogare non intendit. Et pręedicta omnia, & ſingula in pręſenti decreto ſtatuta, & ordinata, voluit plenarium ſortiri effectum, & executioni mandari, non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quę in antedicta conſtitutione voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę die X Februarii MDCLIV.

1. *Conventus.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

Huc ſpectant ſequentes Conſtitutiones.

Al R. Padre, il Padre Procuratore Generale de Predicatori.

Anno 1652 Die 24 Octobris.

REverendo Padre. Fra gl' altri Conventi delle Religioni, che nell' Italia, & Iſole circonvicine, la Santità di Noſtro Signore ha ſuppreſſo nella Conſtitutione publicata ſotto li XXII del corrente Meſe di Ottobre MDCLII, la ſagra Congregatione deputata da Sua Beatitudine ſopra lo ſtato de Regolari con la facoltà conceſſale nella medema Conſtitutione ha dichiarato, che in coteſto Ordine de Predicatori di S. Domenico ſono rimaſti ſuppreſſi. & eſtinti li Conventi infraſcritti, cioè nella Provincia di Roma Todi, Norcia, San Felice, Trevi. Nella Provincia di Abruzzo la Guardia, Ortona a Mare, Sangro, Averſa, Amatrice, Tagliacozzo. Nella Provincia della Sanità, Ceſa. Nella Provincia di Lombardia, Sinigaglia, Cagli, Diano, Colorno, Monte Cirnigo, Matelica, Suſano, Mantova gl' Angioli, Fiorenzola, Fontanellato, Bagnaſco, Cingoli, Elci, Rivalda, Mirandola, Piovera, Caſaletta, Dulcedo, Ovada, Calviſano. Nella Provincia di Puglia, San Severo, Novole, San Querico, Gioia, Litri, o Coperchiano, Atella, Turſi, Molfetta, Orſara, Siniſi, Caſarano, Corato, Spechia, Caſal maggiore, Vaglio, Belvedere, San Gio. Rotondo, Sternatia, Martano, Meſuraca, Provincia di Calabria, Verbuano, Caſſano, Cropolati, Latarico, Bonifatio, Caſtel Franco, Verzeria, Pietra, Paola Amanthea, Martorano, San Donato, Cerentia, Lungobuco, Pietra fitta, Machera, Campana, Caccuri, Miſignadi, Candà, Macerato, Squilace, S. Elia, Saracena, Santa Catterina, Gatriano. Neſſuna Provincia, Fiorentino, Terracina. Provincia di Regno, Langano, Marianella, Olevano, Paſetano, Valle di Bonito, Torre del Greco, Ponte Corvo, Acquaro, Polla, Tauraſo, Arpino, San Germano, Caſtel a mare, l'Abbate, Caiuano, Grotta menarda, Vairano, Scala, Ottato, Acqua della Mela, Aquino, Fondi, Ponte Latone, Ichia, Rocca Secca, Cava, Melito, Etoli, Solofra. Provincia di Sicilia, Jaci, Aquilea, Baſſadali, Caltagirone, Vizzini, Narò, Calta Sibetta, Sicli, Mazzara, Melitelli, Monte San Giuliano, Chiuſa. Provincia di S. Pietro Martire, Peccetto, Calceſano, Moncravello, Lavellano. Provincia di Venetia, Montaleſe, Capo d'Iſtria, Soave, Porto Gouano. Lo notifico a V. P. ad effetto, che ne dia ſubito aviſo al ſuo Padre Generale, a i Provinciali, & a Superiori de Conventi ſuppreſſi, perche eſeguiſcano puntualmente quanto in eſſa Conſtitutione vien loro ſtrettamente commandato. V. P. non differiſca di adempir le ſue parti, & alle ſue Orationi mi raccommando. Di Roma a XXIV di Ottobre MDCLII.

Al piacere di V. P.
Il Cardinal Spada.

Loco ✝ ſigilli.

P. Fagnano Segr.

Ex Archivo Ordinis in quo autographum.

Al Rev. Padre, il Padre Procuratore Generale de Predicatori.

Anno 1652 Die 10 Decembris.

REverendo Padre. Nella Bolla di N. S. nuovamente publicata ſopra l'eſtintione, e ſuppreſſione de piccioli Conventi ſono anco compreſi li membri de Monaſteri, e le Grancie di coteſta Religione di S. Domenico, dove per il poco numero de Religioſi non puol ſecondo il ſuo inſtituto oſſervarſi la diſciplina regolare, ancorche abbiano anneſſa la cura dell'anime, o ſiano Parochiali, e ſpecialmente l'infraſcritte, cioè, S. Maria di Gugliano, unita a S. Domenico di Ancona. Santa Felicita in Valle di Tronco, unita a S. Domenico d'Aſcoli. Razzonico, S. Martino, Breglia, unite a S. Gio. di Como, Cantone, unita a S. Gio. di Piacenza. Celavegna unita a S. Pietro Martire di Vigevano, S. Nicola, unita a Santa Sabina di Roma. Caſtelletto, unita a S. Euſtorgio di Milano. E le Grancie di Scorzarolo, Cignano, Guſſago, dipendenti da S. Domenico di Breſcia. S. Venere di Formignano, dipendente da S. Domenico d'Urbino. S. Maria del Soccorſo di Vagliano, S. Maria in Credo, S. Mauro dipendenti da S. Caſtaldo di Rimini. Guignola, dipendente da S. Domenico d'Imola. Toirano, Pietra, & un altra Grangia, dipendenti da S. Catarina di Finario nella Dioceſi di Modena (*Hic error irrepſit, diſtinguendum ſiquidem* Finarium *iſtud, ſitum* Savonam *inter &* Albengam, *ab alio* Finario. *cognomento* de Modena, *ſito in ditione Ducis Mutinen.*) S. Luca dipendente da S. Maria di Caſtello di Genova. La Madonna di Lugo, dipendente da S. Domenico di Lugo, nella Dioceſi di Rimini. Santa Forzeſca, (*Legendum la Sforzeſca*) S. Giacomo in Monte di Brianza, Barſago, Landriano, dipendenti dalle

Gratie di Milano. S. Lucia dipendente da S. Domenico di Genova. Mortara, Cellavegna, Gamballò, dipendenti da S. Pietro Martire di Vigevano. Il Glorioſo, Belforte, dipendenti da S. Maria di S. Severino. Azzanello dipendente da S. Domenico di Cremona. Budrio, Caſola, Ronzano, dipendente da S. Domenico di Bologna. S. Baudolino della Dioceſi d' Aleſſandria dipendente da S. Croce del Boſco. Viſignola di Prelatio, dipendente da S. Gio. di Como. S. Maria Maddalena dipendente da S. Maria di Modigliano Dioceſi di (*Addendum Faenza*) . . . . S. Giuliana, dipendente da S. Anaſtaſia di Verona. Le Grancie di S. Domenico di Savona, di S. Giacomo di Forlì. Di S. Domenico di Lodi. Di S. Lucia di Fabriano, Dioceſi di Camerino, di S. Vincenzo di Sorrento, del Roſario di Fragole Dioceſi di . . . . S. Maria di S. Caſciano, e S. Nicolò di Monte Lupo, dipendenti da S. Maria Novella. S. Maria Maddalena di Val di Mugnone, S. Filippo di Liceto, dipendenti da S. Marco di Fiorenza. S. Maria di Vinaciano, dipendente da S. Domenico di Piſtoja. Paula, dipendente da Mont' Alto, Dioceſi di Coſenza. Firmo, dipendente da Alto Monte Dioceſi . . . . . . Placanica, e Rizzo nella Dioceſi di Mileto, dipendenti da S. Domenico di Soriano. S. Roccho di Cugione, dipendente da S. Euſtorgio di Milano. Moncalieri, dipendente da S. Domenico di Torino. La Grancia di S. Domenico di Chieri della medema Dioceſi. La Grancia di S. Domenico dell'Aquila. Cerlo di S. Domenico di Lentini Dioceſi di Siracuſa. E la Grancia di S. Domenico di Friuli. La Grancia di S. Domenico di Priano nella Dioceſi di . . . . E però il P. Generale, i Provinciali, ed i Superiori de Conventi dovranno fra il termine preſcritto nella detta Bolla rimovere i Religioſi non ſolo dalli membri, Grancie, e Parochiali eſpreſſe di ſopra, ma ancora da ogn' altra non eſpreſſa, che in coteſta Religione ſi trovi, e collocarli di famiglia ne i Monaſterii di oſſervanza, e non permettere, che in quelle abiti per l' avvenire alcun Sacerdote, o Chierico profeſſo, ſotto le pene contenute nell' iſteſſa Bolla. Permettendo ſolamente la Santità Sua, che i Superiori regolari, quando non abbiano perſone ſecolari idonee, e fedeli di loro ſodisfatione, delle quali poſſino ſervirſi per la cura, & amminiſtratione di quei beni, liberamente poſſino in ciò valerſi dell' opera de i loro converſi, o laici profeſſi, fino ad altro ordine di Sua Beatitudine. E con queſto, che abbiano particolare avvertenza di deputarvi perſone di buon eſempio, invigilando, che per il tempo, che ivi dimoraranno, vivino religioſamente, ne diano altrui alcuna occaſione di ſcandalo, ſopra di che s' incarica ſtrettamente la coſcienza de medemi Superiori, i quali dovranno anche aver cura, che nelle Chieſe, o Capelle di detti membri, e Grancie, dove fin ora è ſtato ſolito di celebrarſi la Meſſa, vi ſi celebri anco per l' avvenire almeno le Domeniche, e feſte di precetto da Sacerdoti ſecolari, ed anco da regolari, purche non pernottino fuori de Monaſteri. Parimente nelle Grancie, e membri, che in qualunque modo hanno anneſſa la cura dell' anime, o ſiano Parochiali, non vuole la Santità Sua, che detta cura ſi eſſerciti da Regolari, ma che ivi da Veſcovi Dioceſani, a quali in conformità ſe ne da l' ordine, ſi deputino Sacerdoti ſecolari idonei, in Vicarii amovibili, o perpetui, come parerà loro più eſpediente, per il buon governo delle Chieſe, da nominarſi da Superiori de' Monaſteri, a i quali le dette Grancie, e membri ſi appartengono, e da approvarſi da medemi Veſcovi, con l' aſſegnamento di una congrua portione a loro arbitrio ſopra i frutti degl' iſteſſi membri, o Grancie, conforme alla diſpoſitione del Sacro Concilio di Trento, Non intende però la Santità Sua, che dalla detta eſtintione, e ſuppreſſione nel poſſeſſo, e proprietà de beni, ed altre ragioni di eſſi membri, e Grancie, ſia generato alcun pregiuditio a Monaſteri principali, a quali di ragione ſi devino, ma che detratta la ſudetta congrua, e ſodisfatto a peſi delle Meſſe, ed altri oblighi, che ivi ſaranno, il rimanente reſti ad utilità, e commodo de Monaſteri ſudetti. Tutto ciò notifico a V. P. d' ordine eſpreſſo di N.S., incaricandole di darne ſubito avviſo alli medemi P. Generale, Provinciali, e Superiori, perche adempiſcano in ogni parte la ſanta mente di Sua Beatitudine, ed all' Orazioni di V. P. mi raccomando. Di Roma a X di Decembre MDCLII.

Al piacere di V. P.
Il Cardinal Spada,

Loco † ſigilli.

P. Fagnano Segr.

Ex Archivo Ordinis in quo autographum.

Anno 1654 Die 26 Februarii.

Al Rev. Padre, il Padre Procuratore Generale de Predicatori.

Reverendo Padre. In eſecutione della Bolla di N. S., che comincia: *Inſtaurandæ*, in coteſta Religione de Predicatori furono da principio dichiarati ſuppreſſi, e ſecolarizzati, e poi per cauſe ragionevoli da Sua Santità ridotti al primo ſtato regolare, e di nuovo conceſſi all' iſteſſa Religione gl' infraſcritti Conventi, cioè di Amatrice, Acqua della Mela, Arpino, Attella, Bagnaſco, Badolato, Calviſano, Cingoli, Colorno, Campana, Caſtel Monardo, Caccuri, Caſtel di Sangro, Caſtello a Mare, Caiuano, Copertino, Corato, Caſſarano, Ceſa, Caſſano, Caſtel Vetere, Dulcedo, Diano, Fontanellato, Fiorenzola, Francavilla, Fiumara, Gioja, Militello, Miſſignadi, Martano, Novole, Narrò, Ottati, Ovada, Olevano, Orſara, Pietra Vairano, Polla, Ponte Corvo, Pecceto, S. Felice, Suſano, Sinigaglia, Saracena, Solofra, Specchia, Trevi, Todi, e di Vizzini. Ma però la Santità Sua ha ſottopoſto alla giuriſditione degl' Ordinari de luoghi, come delegati della Sede Apoſtolica, tanto li Conventi predetti, quanto ogn' altro non ſuppreſſo, ove effettivamente non ſi mantenga il numero de Religioſi preſcritto nel decreto di Sua Beatitudine, publicato ſotto il dì XXI del corrente Meſe di Febraro, che ora ſi traſmette qui unito alla P. V. perche non manchi di dar del tutto noti-

notitia al ſuo P. Generale, & a Provinciali. Con che alle ſue orationi mi raccommando. Di Roma a XXVI di Febraro MDLIV.

Al piacere di V. P.
Il Cardinal Spada.

Loco ✝ ſigilli.

P. Fagnano Segr.

Ex Archivo Ordinis in quo autographum.

CUm Sacra Congregatio ſuper ſtatu Regularium alias conſulta. An Epiſcopus viſitans parvos Conventus ſuę juriſdictioni ſuppoſitos, aut perſonas in eis degentes ad pręſcriptum decreti ſanctę memorię Innocentii X, quod incipit: Ut in parvis, poſſit a viſitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia, dixerit expedire, ut Sanctiſſimus Dominus Noſter decernat, & declaret non licere Epiſcopo tales Conventus viſitanti quicquam accipere procurationis nomine: Sanctitas Sua, Congregationis ſententia audita, eam expreſſe approbavit, noluitque licere Epiſcopis hujuſmodi Conventus viſitantibus aliquid accipere procurationis nomine, ſeu in pecunia, ſeu in victualibus, & ita obſervari pręcepit, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam in corpore juris clauſis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę die XXV Junii MDCLXIV.

Marcus Antonius Card. Franciottus.

Loco ✝ ſigilli.

Proſper Fagnanus Secr.

Declarationes Decreti ſanctæ memoriæ Innocentii Papæ X, ſuper ſubjectione nonnullorum Conventuum juriſdictioni Ordinarii loci a Sacra Congregatione ſuper Statu Regularium editæ, atque a SS. D. N. approbatæ.

POſito Decreto felicis recordationis Innocentii Papę X, ſuper ſubjectione nonnullorum Conventuum correctioni, viſitationi, & omnimodę juriſdictioni Ordinarii loci tanquam Sedis Apoſtolicę Delegati, contingit dubitari de infraſcriptis.

I. An Epiſcopus in Conventibus ſuę juriſdictioni ſubjectis poſſit Abbates, Priores, Guardianos, & alios Superiores locales deputare, & familiam conſtituere.

II. An poſſit Epiſcopus a prędictis Conventibus Religioſos amovere.

III. An Regulares eorundem Conventuum compelli poſſint ab Epiſcopo ad exhibendos libros introitus, & exitus, & reddendas rationes adminiſtrationis.

IV. An Epiſcopus in eiſdem Conventibus ſe ingerere poſſit in his, quę regularem diſciplinam concernunt.

V. An Eccleſię dictorum Conventuum, & Capellę Granciarum, in quibus degunt Converſi pro agrorum cultura, ab Epiſcopo viſitari poſſint.

VI. An ipſę Grancię, & Converſi in eis degentes ſubſint Viſitationi Epiſcopi.

VII. Quid in Eccleſiis, ſeu Cappellis Granciarum, in quibus nullus degit Converſus, ſimiliter ſubſint Epiſcopi viſitationi.

VIII. An liceat Epiſcopo viſitare Conventus tam ſuppreſſos, & poſtea reſtitutos, quam non ſuppreſſos, ad effectum cognoſcendi, an in illis reipſa alantur Sex Religioſi.

IX. An Epiſcopus viſitans hujuſmodi Conventus ſuę juriſdictioni ſuppoſitos, aut perſonas in eis degentes poſſit a viſitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia.

X. An juriſdictio Ordinariis locorum tanquam Sedis Apoſtolicę Delegatis attributa in ſupradicto Decreto competat Vicariis Generalibus Epiſcoporum, necnon Abbatibus, & aliis Inferioribus Pręlatis proprium Territorium, ac juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus.

XI. An Provinciales, & alii Superiores Regulares poſſint ejuſmodi Conventus Juriſdictioni Ordinarii ſubjectos, & Religioſos in illis degentes viſitare, corrigere, & punire, omnemque juriſdictionem in eos exercere ſicut poterant ante dictum Decretum.

XII. Si ſuperior Regularis in cauſa pręvenerit contra ſubditum degentem in aliquo ex eiſdem Conventibus Ordinario ſubjectis fabricando proceſſum, vel eum carceri mancipando, an Epiſcopus poſſit hujuſmodi cauſam reaſſumere, ac Superiori inhibere.

XIII. Si e converſo Epiſcopus pręvenerit in cauſa contra religioſum in tali Conventu commorantem; an Superiori Regulari eo caſu liceat illum amovere, & in alio Conventu collocare, & ſi de facto collocaverit, an nihilominus Epiſcopus poſſit cauſam proſequi, ac Religioſum ſic amotum revocare ad primum Conventum.

XIV. Si Provincialis, vel Superior localis voluerit aliquem ex Fratribus a tali Conventu removere an Epiſcopus prohibere poſſit.

XV. Si a Conventu primum ſuppreſſo, ac deinde Religioni reſtituto, abſint ex aliqua rationabili cauſa, & ad breve tempus unus, vel plures ex numero ſex Religioſorum ibi degentium, an gratia reſtitutionis ſit nulla, & Conventus remaneat ſuppreſſus ut prius.

XVI. Quid ſi a Conventu non ſuppreſſo ſimiliter ex Cauſa rationabili, & ad modicum tempus abſit aliquis ex ſex Religioſis ibi exiſtentibus, an durante tali abſentia Conventus ſubjaceat juriſdictioni Ordinarii.

XVII. An Religioſo illo redeunte, vel alias impleto numero ſex Religioſorum, Conventus recuperet priſtinam exemptionem.

XVIII. Si gratia reſtitutionis Conventus ſuppreſſi reddatur nulla ex eo, quod in illo ad formam Decreti cum effectu non alantur ſex Religioſi, & poſtea contingat, ut hujuſmodi numerus impleatur, an gratia reſtitutionis Conventus reviviſcat.

XIX. Ad hoc ut gratia reſtitutionis ſit nulla, & Conventus denuo remaneat ſuppreſſus propterea quod in eo non ſubſtententur ſex Religioſi an debeat precedere declaratoria Epiſcopi ſuper facto prevía cauſę cognitione.

XX. An ab hujuſmodi declaratoriâ liceat regularibus ad Sedem Apoſtolicam appellare ad effectum tam devolutivum, quam ſuſpenſivum.

XXI. Cum ex Decreti preſcripto quatuor Sacerdotes in his Conventibus degentes debeant eſſe maturę ętatis, quęnam dicatur ad hunc effectum ętas matura.

Sacra Congregatio ſuper Statu Regularium ad ſingula dubia ſuperius propoſita hunc in modum reſpondit videlicet.

AD I. Non poſſe.

Ad II. Poſſe ex rationabili cauſa, commonito tamen prius Superiore Regulari, ad quem pertinet, ut eoſdem Religioſos aſſignet in aliis Conventibus.

Ad III. Poſſe compelli.

Ad IV. Poſſe.

Ad V. Poſſe.

Ad VI. Subeſſe.

Ad VII. Itidem ſubeſſe.

Ad VIII Minime licere antequam aliunde conſtet de fundamento intentionis Epiſcopi in deficientia numeri conſtituto:

Ad IX. Expedire, ut S. D. N. decernat, & declaret non licere Epiſcopo tales Conventus viſitanti quidquam accipere procurationis nomine.

Ad X. Competere.

Ad XI. Poſſe ſicut prius, non tamen privative ad Epiſcopum.

Ad XII. Non poſſe niſi ex juxta cauſa, veluti cum videt Superiorem Regularem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia ſeveritate, vel indulgentia quid durius, aut remiſſius conſtituere, quam cauſa depoſcit, in quo ipſius Epiſcopi conſcientia oneratur.

Ad XIII. Non licere Superiori Regulari Religioſum ab Epiſcopo inquiſitum a loco amovere, & ſi amotus fuerit, poſſe Epiſcopum cauſam proſequi, & illum quibuſcunque remediis revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii, & brachio Seculari, ſi opus fuerit, cujuſcunque loci, in quo Religioſus ille reperiatur.

Ad XIV. Non poſſe.

Ad XV. Gratiam ob id non eſſe nullam ceſſante omni fraude, nec Conventum remanere ſuppreſſum.

Ad XVI. Subjacere durante abſentia.

Ad XVII. Recuperare.

Ad XVIII. Non reviviſcere.

Ad XIX. Debere ita precedere, nec ante Declaratoriam licere Epiſcopo Conventus poſſeſſionem apprehendere, aut Religioſos inde expellere.

Ad XX. Licere ad effectum devolutivum tantum, non autem ſuſpenſivum.

Ad XXI. Ætatem maturam dici ad hunc effectum completo anno Quadrageſimo.

Declarationes ſupraſcriptas S. D. N. ad ſe relatas approbavit, & ab omnibus ad quos pertinet obſervari precepit, contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Datum Romę Die XXVII Julii MDCLV.

Anno a Nativitate D. N. Jeſu Chriſti Milleſimo Sexcenteſimo Quinquageſimo Quinto, Indictione Octava Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & Domini N. D. Alexandri Divina providentia Papę VII. Anno ejus primo, die vero VI menſis Auguſti ſupradictam declarationem affixam, & publicatam fuiſſe in Eccleſię Lateranen. Baſilicę Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellarię Apoſtolicę Valvis, ac in acie Campi Florę, & aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Laurentium Lazzonium Apoſt. Curſorem.

Pro D. Mag. Curſ. A. Caſtruccius.

Ex Bullario Romano in Alexandro VII Conſt. IV.

Ut in

Anno 1654 Die 18 Decembris.

XXIII.

Ut in Neapolitano Regno feſtum S. P. Dominici ſit ab opere feriatum.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

INNOCENTIUS PP. X.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

APoſtolatus Officium nullo meritorum ſuffragio Nobis ex alto commiſſum poſtulat, ut in his, per quę Sanctorum Chriſti Confeſſorum cultus, & veneratio in dies magis augeatur, ejuſdem officii partes propenſis ſtudiis impendamus, piiſque Chriſti fidelium in id tendentibus votis benignum prębeamus aſſenſum, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sane nomine dilectorum filiorum Communitatum Neapolitan., & aliarum Civitatum, necnon Univerſitatum, Oppidorum, & Terrarum totius Regni Neapolitani Nobis nuper expoſitum fuit, quod cum ipſi, Sanctum Dominicum in Patronum, & Protectorem Civitatis Neapolis, totiuſque Regni pręddicti canonice elegerint pro eo, quem erga ipſum gerunt devotionis affectu, atque ut grati animi erga illum in poſterum extet monumentum, ejuſdem Sancti feſtum diem de cetero tanquam de pręcepto, ut infra ſervari, & propterea ſibi per Nos deſuper opportune provideri ſummopere deſiderent. Nos piis eorundem Communitatum, & Univerſitatum deſideriis in pręmiſſis annuere, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. De Ven. Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus pręppoſitorum conſilio. Quod de cetero perpetuis futuris temporibus in Civitate Neapolis, ac in toto reliquo Regno Neapolitano pręddicto ipſius S. Dominici natalitius dies tanquam feſtum de pręcepto ab omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus Civitatis, ac Regni pręddicti ſervetur, & ſervari omnino debeat Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium concedimus, & indulgemus, ac decernimus, & declaramus. Quocirca Ven. Fratribus Archiepiſcopis, ac Epiſcopis, ceteriſque locorum Ordinariis in dicto Regno conſtitutis per pręſentes pręcipimus, & mandamus, quatenus eaſdem pręſentes in ſuis quiſque Eccleſiis, & Diœceſibus publicari faciant, ac omnes, & quoſcunque ſibi ſubjectos ad pręddicti feſti celebrationem omnibus juris remediis cogant, atque compellant, ſuper quo plenam, & amplam illis per pręſentes concedimus facultatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę pręſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Decembris MDCLIV, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

G. Gualterius.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar. Huc ſpectant Diplomata quæ ſequuntur.

NEAPOLITANA, ET TOTIUS EJUS REGNI.

CUm electio Sancti Dominici Ordinis Prędicatorum Inſtitutoris in Patronum, & Protectorem Civitatis Neapolis, totiuſque ejus Regni canonice facta in Congregatione Sac. Rit. pręppoſita ad relationem Eminentiſſimi D. Card. Antonii Barberini ſub die XXVII Julii, ac deinde a ſanctę memorię Urbano VIII ſub die XXIII Auguſti MDCXL approbata, & confirmata fuerit, modo nomine pręddicti Regni erga ipſum Sanctum ſingularem pietatis affectum conſervantis eidem Sac. Congregationi humiliter ſupplicatur, declarari ejus feſtum ex pręcepto, tam in dicta Civitate, quam in toto Regno colendum eſſe, cum omnibus pręrogativis principaliori Patrono debitis, & Eminentiſſimi Patres animadvertentes id expreſſe pręcipi in Conſtitutione ejuſdem Urbani VIII de obſervatione feſtorum. Ita ſervari mandarunt die XXIX Aprilis MDCLI.

A. Cardinalis Caponius.

Loco ✝ Sigilli.

Hieronymus Boncompagnus Secretarius.

NEAPOLITANA.

QUęſitum fuit in Sacra Rituum Congregatione: An Civitas, & Regnum Neapolis, debeant recitare Officium Sancti Dominici, ab eis in Patronum electi ſub Ritu duplici primę Claſſis, cum Octava: Et eadem Sacra Congregatio reſpondit ſervandas eſſe rubricas Breviarii Romani die XI Maii MDCLII.

F. Epiſcopus Albanenſis Cardinalis Cornelius.

B. Roccius Sac. Rit. Congr. Sec.

AP-

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Innocentio X Summo Pontifice, promotos exhibens.

CARDINALES.

Anno 1647. F. Michael Mazarinus, Archiepiſcopus *Aquenſis*, ut in hac *Appendice* dicetur, S. R. E. Cardinalis tituli S. Cæciliæ. *Cavalerius Tomo I pag.599. num. XCV, & Tomo II pag.* 238 *num. III. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II num. XLIII pag.*41. Jacet in Choro Cœnobii *Minervitani*, ubi ſequens Epitaphium legitur.

V. T. D.
Fr. Michaeli Mazarino
Ordinis Prædicatorum
Apulo, Romanoque Provinciali
Sacri Palatii Magiſtro
Aquenſi Archiep.
S. R. E.
Cardinali Tit. S. Cæciliæ
Cataloniæ Proregi
A Ludovico XIV Galliæ Rege
Ad Innocentium X Pont. Max.
Oratori electo
Immatura morte ſublato
Kal. Septemb. An. MDCXLVIII
Ætatis ſuæ XXXXIII
Fratres S. M. S. Minervam
Fratri benefactori amantiſs.
Poſ.

Anno 1652. F. Dominicus Pimentel, Hiſpanus, ex Comitibus Beneventi, Archiepiſcopus *Hiſpalen.*, ut in hac *Appendice* dicetur, S. R. E. Cardinalis Tit. S. Silveſtri. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II num. XLIV pag.* 41. *Cavalerius Tomo II pag.* 239 *num. IV*, aliique ſæpius laudati.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1645. F. Michael Mazarinus, Archiepiſcopus Aquenſis, *Aix*, in Gallo-Provincia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. V pag.* 53, *ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 599 *num. XCV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.*24 *Indicis Epiſcoporum*.

Anno circiter 1645. F. Hyacinthus Subianus, ex Archiepiſcopo Edeſſeno, ut in *Appendice ad Pontificatum Urbani VIII* dictum fuit, Archiepiſcopus Smyrnenſis, in Aſia Minori. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.IV Tit. XLIV pag.* 74, *& Tit. XCI pag.* 100, *ex Michaele Juſtiniano*.

Anno 1646. F. Joſephus Maria Bonaldus, Archiepiſcopus Antibarenſis, in Albania. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. III pag.*52, *ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag.* 601 *num. XCIX*.

Anno 1648. F. Dominicus de Marinis, ex Marchionibus Bombæ, Archiepiſcopus Avenionenſis, *Avignon*, in ejuſdem nominis Comitatu. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XI pag.* 59. *Cavalerius Tomo I pag.* 629 *num. CXLIV*.

Anno 1649. F. Dominicus Pimentel, ex Epiſcopo *Cordubenſi*, ut in hac *Appendice ad Pontificatum Urbani VIII* dictum fuit, Archiepiſcopus Hiſpalenſis, in Hiſpania Bætica. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. L pag.* 78, *Echard*, aliique ſupra laudati.

F. Hya-

F. Hyacinthus Macripodanus, Archiepiſcopus Scopienſis, *Scupi*, in Servia. *Cavalerius Tomo I pag.* 604 *num. CIV*. Ejuſdem meminit *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXXVI pag.* 292, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ*, *& Tit. CLXVIII pag.* 169, *ex Abbate Juſtiniano*. Anno 1649.

F. Petrus de Tapia, ex Epiſcopo *Cordubenſi*, ut in hac *Appendice* dicetur, Epiſcopus Hiſpalenſis, in Hiſpania Bætica. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. L pag.* 78. *Cavalerius Tomo I pag.*612 *num.CXVIII.* Anno 1651.

F. Paulus Pyromallus, Archiepiſcopus Naſcivanen., *Naſſivan.*, in Armenia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. IX pag.* 58. *Cavalerius Tomo I pag.* 624 *num. CXXXVII*. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXVII pag.*621. Ad *Biſinianenſem* Eccleſiam translatus fuit, ut poſtea dicetur. Anno 1655.

EPISCOPI.

F. Felix Guſman, Hiſpanus, Epiſcopus Oriolenſis, *Oribuela*, in Hiſpania Tarraconen., ſub Archiepiſcopo Valentino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXXV pag.* 251, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ*. *Cavalerius Tomo I pag.* 593 *num. LXXXVI*. Anno 1644.

F. Marius Ambroſius Capello, Belga, Epiſcopus Antiquaren., in America, ſub Archiepiſcopo Mexicano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXXVII pag.*125, ex *Actis Conſiſtorial. Cavalerius Tomo I pag.*621 *num. CXXIX*. Ad *Iprenſem* Eccleſiam translatus fuit, uti mox dicetur. Anno 1645.

F. Angelus Maldalchinus, Epiſcopus Aquinas, *Aquino*, in Regno Neapolitano, immediate ſub Sancta Sede. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. XLV pag.* 127. *Ughellus in Epiſcopis Aquinatibus Tomo I Italiæ Sacræ pag.*401 *edition. Venetæ*. *Cavalerius Tomo I pag.* 639 *num. CLX*. Anno 1645.

IDem ad Septempedanam ſedem, Sanſeverinen. ſcilicet, vulgo *Sanſeverino*, in Piceno, ſub Archiepiſcopo Firmano, translatus eſt. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXIV pag.* 288. *Ughellus in Epiſcopis Sanſeverinen. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 769 *Edition. Venetæ*. *Cavalerius* mox laudatus. Anno 1646.

F. Johannes de Arguinao, Epiſcopus Sanctæ Crucis, *Santa Croce della Sierra*, in America, ſub Archiepiſcopo Platen., ſeu Argenten., vulgo *Plata*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. DXIII pag.* 285, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ*. *Cavalerius Tomo I pag.* 642 *num.CLXIII*. Ad Archiepiſcopatum *S. Fidei* translatus fuit. Anno 1646.

F. Hyacinthus Serroni, Epiſcopus Arauſicanus, *Orange*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Arelatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XLVI pag.* 128. *Cavalerius Tomo I pag.*648 *num. CLXXV*. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXXVII pag.* 711. Variis Eccleſiis præfuit, ut poſtea dicetur. Anno 1646.

F. Ignatius Ciantes, nobilis Romanus, Epiſcopus Biſacien., & S. Angeli Lombardorum, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Compſano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXII pag.* 284. *Ughellus in Epiſcopis S. Angeli Lombardorum Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 835. *Cavalerius Tomo I pag.* 627 *num. CXXXVIII*. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXVII pag.* 620. Anno 1646.

F. Marius Ambroſius Capello, ex Epiſcopo *Antiquaren.*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Iprenſis, in Belgio, ſub Archiepiſcopo Mechlinienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCIII pag.* 207, *ex Gallia Chriſtiana*. *Cavalerius Tomo I pag.*621 *num. CXXIX*. Ad Antuerpienſem Eccleſiam translatus eſt. Anno 1647.

F. Johannes del Pozo, Hiſpanus, Epiſcopus Lucenſis *Lugo*, in Gallæcia, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXLVII pag.* 219, *ex Regeſt. Cancellariæ Apoſtolicæ*, *& Ægidio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 601 *num. C*. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 26. Variis aliis Eccleſiis præfuit, uti mox dicetur. Anno 1647.

F. Hya-

Anno 1648. F. Hyacinthus Ceulus, Epiſcopus S. Marci, in Calabria, immediate ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcopis Sancti Marci Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 881 *edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXIX pag.* 287. *Cavalerius Tomo I pag.* 603 *num. CII.*

Anno 1648. F. Franciſcus de Arauxo, Epiſcopus Segobienſis, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXL pag.* 293, *ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag.* 607 *num. CXI. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXIV pag.* 609.

Anno circiter 1649. F. Oliverius Darcy, Epiſcopus Ardachaden., in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Armachano. *Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag.* 423. Vide ad annum *MDCLXX* in *Appendice ad Pontificatum Clementis X.*

Anno 1649. F. Ambroſius Viola, Ligur, Epiſcopus Laquedonen., *Lacedogna*, in Regno Neapolitano ſub Archiepiſcopo Compſano. *Ughellus in Epiſcopis Laquedonen. Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 842 *edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXIV pag.* 210. *Cavalerius Tomo I pag.* 603 *num. CIII. Echard Tom. II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLI pag.* 565.

Anno 1649. F. Joſephus Maria Avila, nobilis Romanus, Epiſcopus Campanien., *Campagna*, ſub Archiepiſcopo Salernitano, & Satrianen., *Satriano*, ſub Archiepiſcopo Compſano, in Regno Neapolitano. *Ughellus in Epiſcopis Campanien., & Satrianen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 459 *edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXVI pag.* 152, *& Tit. DXXXI pag.* 291. *Cavalerius Tomo I pag.* 611 *num. CXVII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLVI pag.* 584.

Anno 1649. F. Petrus de Tapia, ex Epiſcopo *Seguntino*, ut in præcedenti *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Cordubenſis, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCII pag.* 179. *Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Ad *Hiſpalenſem* Archiepiſcopatum translatus eſt, ut in hac *Appendice* videre eſt.

Anno 1649. F. Johannes del Pozo, ex Epiſcopo *Lucenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Legionenſis, *Leon*, in Hiſpania. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXII pag.* 213, *ex Ægidio in Theatro Eccleſiæ Lucen. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 26.

Anno circiter 1650. IDem translatus eſt ad Segobienſem Eccleſiam, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. *Echard* mox laudatus. *Cavalerius Tomo I pag.* 601 *num. C.*

Anno 1650. F. Rodericus Cardenas, Epiſcopus Novæ Segobiæ, *Cagayan*, in Inſulis Philippinis, ſub Archiepiſcopo Maniliano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXX pag.* 250, *ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag.* 617 *num. CXXII.*

Anno circiter 1651. F. Gaſpar Catalanus de Monſonis, Epiſcopus Ilerdenſis, *Lerida*, in Catalonia, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXCVII pag.* 205. *Cavalerius Tomo I pag.* 605 *num. CVI. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 26, *ad annum MDCLII pag.* 570, *& in Addendis pag.* 998.

Anno 1652. F. Thomas Tomaſonus, Epiſcopus Umbriaticen., *Umbriatico*, ſub Archiepiſcopo S. Severinæ. *Ughellus in Epiſcopis Umbriaticen. Tomo IX Italiæ Sacræ pag.* 530, *edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag.* 628. *Cavalerius Tomo I pag.* 609 *num. CXII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLIV pag.* 580.

Anno 1652. F. Johannes Thomas Gaſtaldi, vel Caſtaldi, Epiſcopus Brugnaten., in Liguria, ſub Archiepiſcopo Genuenſi. *Ughellus in Epiſcopis Brugnaten. Tomo IV Italiæ Sacræ pag.* 998 *edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CVII pag.* 147. *Cavalerius Tomo I pag.* 609 *num. CXIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLV pag.* 582.

F. Ca-

F. Carolus de Freddis, aliis Jolita, alumnus Raguſini Cœnobii, Epiſcopus Stagnenſis, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Raguſino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXI pag. 299, ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag. 609 num. CXIV. Monumen. Conventus Raguſini*, ex quibus liquet, quod *Carolus* iſte obiit die *III* Novembris *MDCLXIII*. Anno 1653.

F. Marius Ambroſius Capello, ex Epiſcopo *Iprenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Antuerpien., *Anverſa*, in Belgio, ſub Archiepiſcopo Mechlinienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XL pag. 126, ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag. 621 num. CXXIX. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag. 28. Belgium Dominicanum pag. 241.* Anno 1654.

F. Hyacinthus Tarugius, aliis Taurufius, & Taruſius, Epiſcopus Venuſinus, *Venoſa*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Acheruntin., & Materano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXV pag. 319. Ughellus in Epiſcopis Venuſinis Tomo VII Italiæ Sacræ pag. 181 edition. Venetæ. Cavalerius Tomo I pag. 637 num. CLVI. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXIV pag. 654.* Ad Archiepiſcopatum *Myrenſem* translatus fuit, ut poſtea dicetur. Anno 1654.

LEGATUS.

F. Dominicus de Marinis, Archiepiſcopus *Avenionenſis*, ut in hac *Appendice* videre eſt, S. Sedis Legatus. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag. 359. Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Anno ......

ALEXANDER VII.

(a) *Oldoinus* in *Additionibus ad Ciaconium*. (b) Idem. (c) Idem.

Fabius Chiſius, Senenſis, electus (*a*) eſt die VII Aprilis MDCLV. Coronatus (*b*) fuit XXVIII ejuſdem Menſis. Obiit (*c*) die XXII Maii MDCLXVII. Sedit Annos XII, Menſem I, Dies XVI.

Anno 1655 Die 11 Maii. I.

De Noviciis inſtituendis.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

AD propagandam in Ordine Prędicatorum regularem obſervantiam, quę Noviciorum inſtitutioni, & educationi pręcipue innititur, Sacra Congregatio deputata ſuper ſtatu Regularium de mandato Sanctiſſimi D.N. Alexandri Papę VII in ſingulis Italię Provinciis, & Congregationibus ejuſdem Ordinis pręſentis decreti vigore deſignat, ac deputat pro Noviciatibus Conventus infraſcriptos, videlicet. In Provincia utriuſque Lombardię Conventus S. Dominici de Janua, S. Dominici Mantuę, S. Dominici Cremonę, & S. Dominici Anconę. In Provincia Romana Conventus S. Marię ſuper Quercu Viterbii, & S. Marci Florentię. In Provincia Regni, Conventus S. Dominici Neapolis, & S. Marię in Porta Salerni. In Provincia Apulię, Conventus S. Dominici de Monopoli, & S. Dominici Foggiarum. In Provincia utriuſque Calabrię Conventum S. Dominici in Soriano. In Provincia Aprutina Conventus Jeſus Marię Neapolis, & S. Dominici Aquilę. In Provincia S. Petri Martyris Conventus S. Euſtorgii Mediolani, & S. Dominici de Cherio. In Congregatione Sanitatis Conventum S. Marię Sanitatis Neapolis. In Congregatione S. Marci Conventum S. Marię Quercus majoris, & pro Ordine in communi, Conventum S. Sixti Romę.

In quolibet autem ex pręnominatis Conventibus pro Noviciatibus, ut ſupra, deſignatis eadem Sacra Congregatio impartitur, licentiam recipiendi hac vice tantum ſeptem Clericos, & duos Converſos, excepto Noviciatu S. Dominici Soriani Provincię utriuſque Calabrię, in quo recipi poſſint quatuordecim Clerici, & quatuor Converſi, ita tamen, ut hęc, quę ſequuntur inviolate obſerventur.

Primum, ut induendus, habita prius licentia Magiſtri Ordinis, vel Provincialis Provincię, vel Vicarii Generalis Congregationis, in cujus noviciatu recipiendus eſt, a tribus Fratribus, ad id muneris a Capitulo Conventus electis, publice coram Patribus a conſiliis diligenter examinetur, ne dum an linguam latinam calleat, ſed quo ſpiritu, qua mente, & voluntate id regularis vitę genus elegerit, quem ſibi finem propoſuerit, num zelo perfectioris vitę, & ut Deo liberius famulari poſſit, vel levitate, vel humano affectu, aut inordinato animi motu ducatur. Et, ſi ſpectatis natalibus, ętate, ut ſaltem decimumquintum annum expleverit, vita, & moribus anteactis, corporis habitudine, aliiſque juxta Ordinis Conſtitutiones neceſſariis idoneus per ſecreta PP. ſuffragia repertus fuerit, Capitulo Conventus proponatur, ut ab eodem per ſimilia vota ſecreta acceptetur, vel etiam, ſi eidem non idoneus viſus fuerit, rejiciatur. Quibus peractis mox, qui ſub prędicta forma fuerit examinatus, & approbatus tranſmittatur in habitu ſeculari ad Conventum Noviciatus ſibi deputatum, ut in eo habitum Religionis recipiat, & elapſo anno poſt ſuſceptum habitum ad profeſſionem admittatur ſub exacta tamen vita communi ad pręſcriptum regulę, cum ſolita proteſtatione, quod profeſſio ſua eundem obligabit ad tria vota ſecundum Regulam Beati Auguſtini, & Conſtitutiones Ordinis, & non ſecundum quod hodie hic, vel ibi ſervantur, necnon ſervata forma Sacrorum Canonum Concilii Tridentini, Conſtitutionum Apoſtolicarum, & pręcipue decretorum S.M. Clementis PP. VIII, ac ſtatutorum prędicti Ordinis. Fratres vero Converſi juxta ipſius Ordinis Conſtitutiones recipiantur prius vel ad habitum Tertiariorum, vel ad habitum Converſorum, ita tamen ut non admittantur ad annum probationis, niſi fuerint ętatis pręſcriptę a Clemente VIII. Quod ſi aliquem ex dictis Clericis, vel Converſis, poſtquam receptus fuerit, ante profeſſionem a Religione diſcedere, aut expelli contigerit, alius in ejus locum ſubrogari poſſit, ſervatis tamen omnibus ſuperius pręſcriptis. Poſt profeſſionem vero emiſſam Novicii Clerici, vel maneant in eodem Noviciatu, vel in profeſſorio habente requiſita ad Noviciatum in eodem, aut altero Conventu, ibique permaneant juxta Conſtitutiones Ordinis uſque quo ad Sacerdotium promoti fuerint, quo etiam tempore poterunt, quinimmo, & debebunt, literarum ſtudiis operam navare ſub directione, & regimine Magiſtri, qui eas qualitates habeat, quibus Magiſtrum Noviciorum pręditum eſſe oportet, quemadmodum ipſius Clementis decreto provide ſancitum eſt. In ipſis autem Conventibus non collocentur niſi Religioſi graves, devoti, exemplares, & regularis obſervantię, & puritatis Regulę ſtudioſi, pręcipue vero caveatur, ne ibi ponatur aliquis, qui non conſentiat ſervare vitam communem, quę in prędictis Conventibus ad Regulę pręſcriptum exacte cuſtodiatur, indeque amoveantur, qui tam ſanctę ordinationi contradicere, aut quoquo modo ſe opponere auſi fuerint, contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Datum Romę die XI Maii MDCLV.

B. Card. Spada.

Loco ✝ ſigilli.

P. Fagnanus S. Cong. Secr.

1. *Archivo*.) In quo autographum.

Ne

Ne Prior Conventus S. Dominici Terræ Soriani (1) Cenſuras eccleſiaſticas ſubeat ex criminalibus cauſis de quibus ſententiam feret.

Anno 1655 Die 17 Novembris.

II.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut dilectus filius Auguſtinus a Suriano, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, in ſacra Theologia Magiſter, ac Prior S. Dominici Terrę Soriani, in Provincia Calabrię ulterioris dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, quod dictus Conventus alias a cariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico Terram prędictam cum omnibus illi annexis ſanctorum Angeli, & Baſilii, necnon Sanctę Barbarę Caſalibus, & cum juriſdictione civili, criminali, & mixta, gladiique poteſtate emerit, propterea, cum idem Auguſtinus ſuę, ſucceſſorumque ſuorum pro tempore dict. Conventus Priorum, aliorumque dicti ordinis profeſſorum, quos in poſterum pro adminiſtratione juſtitię in cauſis criminalibus ratione dictę juriſdictionis ſuperintendentes, deputari contigerit, conſcientię ſecuritati per Nos in pręmiſſis opportune conſuli ſummopere deſideret. Nos, eundem Auguſtinum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtat, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus, illius nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Auguſtino Priori, ſuiſque ſucceſſoribus dicti Conventus pro tempore Prioribus, & in abſentia Priorum hujuſmodi ſupprioribus, necnon profeſſori dicti ordinis, quem ab ipſo dicti Conventus Priore, & conſilio Religioſorum ejuſdem Conventus in ſuperintendentem, & coadjutorem ejuſdem Prioris in regimine, & gubernio Vaſſallorum Terrę, & Caſalium hujuſmodi pro tempore deputari contigerit, quod ipſe juriſdictionis prędictę ratione, & ut illa rite, & recte a Miniſtris per ſuperiores dicti Conventus pro tempore deputatis adminiſtretur, ſeſe in negotiis, & cauſis criminalibus quibuſcunque, quoties opus fuerit, immiſcere, ac in eis conſilium, mandata, & juſſiones, tam verbo, quam in ſcriptis dare, & debitę executioni demandari facere, etiam ſi ſanguinis effuſio, membrorumque mutilatio, ſeu etiam mors inde ſequatur, libere, & licite, & abſque ullo cenſurarum eccleſiaſticarum, aut irregularitatis incurſu poſſint, & valeant, dummodo tamen a ſententia in cauſa ſanguinis per ſe ipſos ferenda omnino abſtineant, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die Decima ſeptima Novembris MDCLV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

G. Gualterius.

1. *Soriani.*) In *Calabria*. Celeberrimus eſt Conventus iſte de quo conſulendi viri clariſſimi *Antoninus Lembus* in *Chronicis ejuſdem Conventus*, *Dominicus a Seminara* in Addicionibus, & *Martinus Campitellus* qui eadem de re eruditum opus nuper vulgavit.

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Soriano*.

Indulgentia (1) pro Miſſionibus obeundis.

Anno 1656 Die 15 Martii.

III.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CÆleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſatores eſſe Nos voluit, nullis licet Noſtris meritis, divina clementia libenter erogamus, cum ad Religionis incrementum, & animarum ſalutem profecturos ſperamus. Sane cum, ſicut accepimus, nonnulli Fratres Ordinis Prędicatorum Sancti Dominici de licentia Ordinarii, & ſuorum Superiorum in diverſas Chriſtianę Reipublicę Provincias ad procurandam fidelium ſalutem mitti ſoleant, Nos eorundem Fratrum pietatem, eorumque ad quos illi mitterentur devotionem fovere, atque augere cupientes, omnibus, & ſingulis Fratribus prędictis, ac aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ad quos ipſi mittendi acceſſerint noſtram, & Apoſtolicam Benedictionem per pręſentes impartimur, eiſdemque vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui pro Sanctę Romanę Eccleſię exaltatione, Principum Chriſtianorum unione, Infidelium converſione, & hęreſum extirpatione, prout unicuique ſuggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint una vice tempore dictę miſſionis, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus ad ſeptennium tantum valituris, Volumus autem, quod pręſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Martii MDCLVI, Pontificatus noſtri Anno Primo.

G. Gualterius.

1. *Indulgentia*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*

2. *Archivo*.) In quo exemplar authenticum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum. Aliud ejuſdem tenoris datum fuit ab eodem *Alexandro VII* Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Februarii MDCLXIII Pontificatus noſtri Anno Octavo. Autographum & exemplar authenticum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXIII* aſſervantur in Archivo Ordinis. Illud idem renovatum fuit a *Clemente IX* die *II* Martii *MDCLXIX*, a *Clemente X* die VII Februarii *MDCLXXVI*.

Anno 1656 Die 10 Maii.

De Definitoribus ſubrogandis.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Dilecto filio noſtro Aloyſio (2) tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbytero Cardinali Capponio nuncupato.

IV.

ALEXANDER PP. VII.

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, Capitulum Generale Ordinis Fratrum Prędicatorum proxime futuro feſto Penthecoſtes in Alma Urbe noſtra celebrandum ſit, in quo convenire debent Diffinitores Provinciarum omnium dicti Ordinis, qui eorum ſtatum, & neceſſitates referant, ut magis, ac magis diſciplina, & obſervantia regulares, ſtudiaque in eodem Ordine promoveantur, ob pręſentes vero bellorum motus Fratres Provincię Polonię, Ruſſię, Lithuanię, & Gręcię dicti Ordinis pro eligendis earum Diffinitoribus ad dictum Capitulum Generale mittendis congregari minime potuerint, Nos, cupientes, ut ejuſdem Polonię, alięque Provincię prędictę hiſce calamitoſis temporibus opportunum aliquod in ſuis neceſſitatibus recipiant ſublevamen, ſupplicationibus dilecti filii Johannis Baptiſtę de Marinis totius dicti Ordinis Magiſtri Generalis, Nobis deſuper humiliter porrectis inclinati, Tibi, qui dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Comprotector exiſtis, Diffinitores pro Polonię, & aliis Provinciis ſupradictis, eos illarum, aut aliarum Provinciarum ejuſdem Ordinis profeſſores, qui magis ad rem fore judicabuntur pro referendo ſtatu, pertractandiſque in eodem Capitulo Generali Provinciarum hujuſmodi negotiis, auctoritate noſtra Apoſtolica conſtituendi, & deputandi, plenam, & amplam facultatem dicta auctoritate tenore pręſentium tribuimus, & impartimur. Decernentes pręſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper dictis a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Provincię, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſvis Provinciarum, & Ordinis hujuſmodi Superioribus Fratribus, & perſonis, ceteriſque, ad quos ſpectabit, in contrarium pręmiſſorum quomolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad premiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Dięceſis ſub Annulo Piſcatoris die X Maii MDCLVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

G. Gualterius.

1. *Archivo*.) In quo autographum.

2. *Aloyſio*.) Adeas *Oldoinum in Additionibus ad Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tom. IV pag.* 420.

Anno 1656 Die 1 Junii.

Indulgentia Confratribus SS. Roſarii (1) conceſſa.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

V.

ALEXANDER PP. VII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem, cęleſtibus Eccleſię theſauris, pia caritate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui hora ſibi aſſignata Roſarium Beatę Marię Virginis devote recitaverint, & pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſemel in anno duntaxat omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus ad ſeptennium, quo vero ad Indias ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint eo ipſo, quodque pręſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, ea-

eadem prorſus fides adhibeatur, quę præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die I Junii MDCLVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

G. Gualterius,

1. *Roſarii*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo*.) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLVI*. Aliud ejuſdem tenoris datum fuit ab eodem *Alexandro VII* Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XV Januarii MDCLXIII, Pontificatus noſtri Anno Octavo. Autographum, & exemplaria authentica Romæ impreſſa aſſervantur in Archivo Ordinis.

Ruſſiæ Provincia S. Hyacinthi nomine nuncupanda (1).

Anno 1656 Die 26 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VI.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Cum, ſicut dilecti filii Fratres Provincię Ruſſię Ordinis Prędicatorum, Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi pro peculiari, quem erga S. Hyacinthum gerunt, devotionis affectu, eundem S. Hyacinthum in patronum, & tutelarem ejuſdem Provincię, annuente dilecto filio Johanne Baptiſta de Marinis totius dicti Ordinis Magiſtro Generali, elegerint, cupiantque eandem Provinciam, titulo Provincię Ruſſię Sancti Hyacinthi, decorari. Nos pro hac re dictorum exponentium deſiderio, quantum cum Domino poſſumus, benigne annuere, ipſoſque exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum duntaxat pręſentium conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, quod eadem Provincia Ruſſię de cetero perpetuis futuris temporibus Provincia Ruſſię S. Hyacinthi nuncupari, & denominari libere, & licite poſſit, & valeat, & debeat, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, concedimus, & indulgemus, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod pręſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Septembris MDCLVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

G. Gualterius.

1. *Nuncupanda*.) Adeas *Simonem Okolski* in *Ruſſia Florida*.

2. *Archivo*.) In quo exemplar.

De Priore Conventus S. Mariæ Portus Salutis Civitatis Vallettæ (1) a Generali Magiſtro conſtituendo.

Anno 1656 Die 3 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

VII.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Prędicatorum, quod alias dilectus pariter filius Gregorius (3) Aroſtegui, & Areylza, Frater expreſſe profeſſus, ac Viſitator Generalis Provincię Sicilię dicti Ordinis in viſitatione ejuſdem Provincię ordinationem edidit tenoris, qui ſequitur videlicet. Decernimus Priorem Conventus Sanctę Marię Portus Salutis Civitatis Vallettę tempore regiminis pręſentis Reverendiſſimi Patris noſtri Magiſtri Generalis a vocalibus non eſſe eligendum, ſed ab eodem Magiſtro Ordinis immediate dandum, & in ejus abſentia a ſuo Vicario Generali, unde prędicti Patres deputati tam nomine proprio, quam principalium, proprio juri eligendi renunciantes, id ipſum integre tranſtulerunt in eundem Reverendiſſimum, quod ceteri omnes ratificarunt, non vero in ejus ſucceſſores, niſi talis renunciatio per novum conſilium Patrum exiſtentium in Inſula ratificetur, qui Prior pro tempore ſimul exerceat munus Vicarii Inſulę per literas ab eodem Reverendiſſimo, vel ejus Vicario Generali. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Capitulum Generale Ordinis prędicti noviſſime celebratum ad petitionem dictę Provincię pręinſertam ordinationem confirmaverit, & quinque annorum experentia eandem ordinationem inſtaurationi obſervantię regularis in Conventibus Inſulę Meliten ejuſdem Ordinis utilem eſſe, non ſine habitatorum dictę Inſulę ędificatione compertum fuerit, Nobis propterea prędictus Procurator Generalis, etiam nomine dilecti filii Magni Ma-

Magiſtri Hoſpitalis Sancti Johannis Hieroſolymitani, humiliter ſupplicari fecit, ut dictam ordinationem confirmationis noſtrę Apoſtolicę robore communire, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, eoſdem Magnum Magiſtrum, & Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prę-inſertam ordinationem a prędicto Capitulo Generali, ut pręmittitur, confirmatam, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint ſupplemus; decernentes pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari, & illis reſpective pleniſſime ſuffragari, ſicque in prę miſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit, Ordinis, & Provincię, ac Conventuum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prę miſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad prę miſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die III Octobris MDCLVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

G. Gualterius.

1. *Valletta.*) In Inſula *Meliten.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum;
3. *Gregorius.*) Vir magnarum partium, de quo conſulendus *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXCI pag.* 728.

Anno 1656 Die 3 Octobris.

Pœnitentiarius conſtitutus in Eccleſia Conventus S. Dominici Terræ Suriani (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

VIII.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EX incumbenti Nobis Apoſtolicę ſervitutis officio, pia Chriſti fidelium quorunlibet vota, prę ſertim divini cultus incrementum, ipſorumque Chriſti fidelium enimarum ſalutem concernentia, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, illaque favoribus, & gratiis proſequimur opportunis. Cum itaque, ſicut dilectus filius Johannes Baptiſta de Marinis Generalis Ordinis Prędicatorum Nobis nuper exponi fecit, ipſe pro ſpirituali Chriſti fidelium ad Eccleſiam Conventus Sancti Dominici Terrę Suriani ejuſdem Ordinis Miletenſis Diœceſis in Calabria undique, & prę cipue ex utriuſque Sicilię Regnis devotionis cauſa aſſidue confluentium, nec a Confeſſariis dicti Conventus abſolvi valentium, conſolatione, aliquem Pęnitentiarium ad illorum Confeſſiones Sacramentales audiendas deputari plurimum deſideret, Nos pio ejuſdem Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis deſiderio, quantum cum Domino poſſumus, annuere, illumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtat, ad effectum prę ſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, prę fato Johanni Baptiſtę, nunc, & pro tempore exiſtenti dicti Ordinis Magiſtro Generali, ut unum Fratrem expreſſe profeſſum Ordinis prędicti, quem ad id idoneum, vitaque, & moribus conſpicuum cognoverit, in dicta Eccleſia Pęnitentiarium, dummodo tamen ab Ordinario loci prius examinatus, & approbatus fuerit, conſtituere, & deputare valeat, ita quod idem Pęnitentiarius ſic conſtitutus, & deputatus, omnibus, & ſingulis facultatibus, non tamen a caſibus in literis die Cęnę Domini legi ſolitis contentis, neque a cenſuris, contra duellantes, ac ſanctimonialium Monaſteriorum clauſuram, vel libertatem, immunitatem, ſive juriſdictionem eccleſiaſticam violantes fulminatis, abſolvendi, quibus Pęnitentiarii ſacrę domus Lauretanę utuntur, potiuntur, & gaudent, ſimiliter uti, potiri, & gaudere poſſit facultatem ad quinquennium (3) proximum duntaxat duraturam, Apoſtolica auctoritate, tenore prę ſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prę miſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores prę ſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad prę miſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die III Octobris MDCLVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

G. Gualterius.

1. *Suriani*.) De quo ſæpius dictum fuit.

2. *Archivo*.) In quo autographum, & exemplar authenticum ex alio autographo *Suriano*.

3. *Quinquennium*.) Ad aliud quinquennium prorogatum fuit, ut liquet ex ejuſdem *Alexandri VII* Conſtitutione, quæ ſic incipit: *Emanarunt a Nobis: Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris die X Maii MDCLXI, Pontificatus noſtri Anno Septimo*. Autographum aſſervatur in Archivo Ordinis. Idem conceſſit die *XXIII* Auguſti *MDCLXVI*, Pontificatus anno Duodecimo. Autographum eſt in Archivo Ordinis. Ad aliud quinquennium idem Diploma renovatum fuit a *Clemente XI* die XXIII Decembris MDCCXV, Pontificatus anno XVI, ut ex autographo, quod in Archivo Ordinis aſſervatur, liquet.

Anno 1656 Die 12 Octobris.

Angelopolitana Provincia a Mexicana dividitur.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

ALEXANDER PP. VII. IX.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. Secreto ęternę providentię conſilio, meritis licet imparibus, in ſupremo militantis Eccleſię throno conſtituti, animorum concordia, ſine qua non bene colitur Princeps pacis inter Religioſos viros, quos poſtpoſitis contentionibus in humilitatis ſpiritu vota ſua Deo reddere decet, ſolidare, quantum Nobis ex alto conceditur, ſatagimus, & propterea quę a Religioſorum Ordinum Superioribus ad removendas diſſenſiones inter eorundem Ordinum profeſſores exortas, provide facta ſunt, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolicę confirmationis robore communimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit, dilectus filius Johannes de Silva Procurator Conventus Sancti Dominici Civitatis Angelorum in Indiis Fratrum Ordinis Prędicatorum, quod dilectus pariter filius Johannes Baptiſta de Marinis ejuſdem Ordinis Magiſter Generalis, tranquillitati Provincię Sancti Jacobi de Mexico dicti Ordinis conſulendi ergo, eandem Provinciam in duas, unam quidem Sancti Jacobi de Mexico, & alteram Angelopolitanam reſpective nuncupandas, aſſignatis utrique, ſeu alteri illarum, ſuis terminis, & Conventibus, Collegiis, & Vicariis diviſit, dictęque provincię Angelopolitanę noviter erectę diverſa Magiſteria, & pręſentaturas conceſſit, ac pro hac vice de Priori Provinciali providit, & alias, prout continetur in literis patentibus ipſius Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis deſuper expeditis tenoris qui ſequitur. Diplomatis causa. Nos Frater Johannes Baptiſta de Marinis Sacrę Theologię Profeſſor Ordinis Prędicatorum humilis Magiſter Generalis, & ſervus. A primo aſſumptionis noſtrę ad Magiſterium Ordinis exordio de dilecta nobis Provincia S. Jacobi de Mexico ſolliciti, nullum non movimus lapidem, quin ejus tranquillitati, ac pacificę conſervationi, quantum cum Domino poſſumus, eſſet conſultum. Sed proh dolor! etſi non dormiret paterfamilias, & vigilarent homines, inimicus tamen homo ſuperſeminavit, quę apparent, zizania in medio tritici, quibus fructus boni ſeminis ſuffocatus marceſcens ab avita diſciplinę regularis puritate nimium deflexiſſe deprehenditur. Nutriuntur ſiquidem in ipſa veluti in novę Rebecę utero collidentes parvuli, ſeſe ſupplantare conantes, cnm tamen Mater noſtra ſacra Religio non geminam, multoque minus diſcordem agnoſcat, ſed unicam prolem ubique gentium diffuſam, fęcundatam ſanctiſſimi Patriarchę Dominici, immo potius Chriſti Redemptoris caritate, quę diverſitatem gentium in confeſſione ſui nominis adunans arctiori vinculo unius profeſſionis voto viventes filios aſtringit. Quare ergo in hujus provincię utero colliduntur parvuli, & veluti non ejuſdem Parentis filii, alius, alium deprimit; Et is qui Mexicana Religione naſcitur, natis in Angelopolitana pręire feſtinat, & viciſſim quiſque gemellum ſuum deprimere contendit, ut benedictionem, ac privilegia primogeniturę ſolus reportet? Ne igitur ſit jurgium inter vos, Fratres enim eſtis, & Sanctiſſimum Jeſu Nomen, quo gentilium ſuperſtitioſa Religio extinguitur, & errantes oviculę ad Chriſti ovile reducuntur, eo amplius per vos in novo Orbe propagetur, quo ſemotis privatis commodis, & contentionibus, unuſquiſque, non quę ſua, ſed quę Chriſti ſunt, quęrat, ęmulando chariſmata meliora, dividere vobis in funiculo diſtributionis terram decrevimus. Poſt juges igitur Domino fuſas preces, ac profundam mentis noſtrę conſiderationem, adhibito maturo graviorum Patrum conſilio pro pace hujus Provincię in Domino expedire judicavimus, ipſam dividere. Cumque ad hoc perpetuo firmiter, ac felicius ſtabiliendum non ſolum officii noſtri, verum, & Apoſtolicę Sedis robur adjicere, opportunum exiſtimaverimus, harum ſerie, noſtrique auctoritate officii, cum ſpeciali Apoſtolica Sanctiſſimi Domini Noſtri Alexandri divina providentia Papę VII Benedictione, pręfatam Provinciam S. Jacobi de Mexico dividimus in duas, quarum prima antiquum nomen S. Jacobi de Mexico, & locum in Ordine retineat, altera Angelopolitana, ſive SS. Angelorum in Indiis nomine gaudeat in memoriam apparitionis Angelorum a quibus hujus Provincię pręcipua Urbs Angelopolitana appellatur, & ne aliqua in diviſione Conventuum contentio, aut lis oriatur; declaramus, ad Provinciam S. Jacobi de Mexico pertinere Conventus exiſtentes in Dięceſi Archiepiſcopatus Mexicani, & ſunt ſequentes. Regalis Conventus S. Dominici de Mexico, Collegium S. P. N. Dominici de Porta Cęli, Conventus B. Marię de Pietate extra męnia Mexicanę Civitatis, Conventus Cuyoacan. Vicaria de Atzcapucalco, Vicaria de Atlacoayan., Vicaria S. Hyacinthi, Vicaria S. Auguſtini de las Cueuas, Vicaria de Mexico, ac Vicaria de Ameccamecam, Vicaria de Chimahuacaneza, Vicaria de Tepetlaoztoc, Vicaria de Cuitlavac, Vicaria de Tenango, Vicaria de las Amilpas, Vicaria de Oaxtepec, Vicaria de Yauhtepec, Vicaria de Tlaltizapam, Vicaria de Zuchitepec, Vicaria de Tepuſtan, Vicaria de Tlaguiltenango, Vicaria de Acatzingo, Vicaria de Tetela, Vicaria de Guayapan. Inſuper Conventus de Zacatecas in Dięceſi Epiſcopatus Mechoacanenſis, ac Conventus Civitatis, ac Dięceſis Epiſcopatus Guadalaxarę ſunt omnes nume-

numero viginti novem. Ad novam vero Provinciam Angelopolitanam, ſive SS. Angelorum, cujus terminos pręfiximus totum territorium Epiſcopatus Angelopolitani, & inſuper quatuor Domos Mixticę, pertinebunt ſequentes Conventus in Dięceſi Angelopolitana, Conventus S. Dominici Angelopolitan., Conventus S. Pauli ejuſdem Civitatis, Collegium S. Ludovici, Prioratus de Ytzucan, Prioratus de la Vera Cruz, Vicaria de Aguatelco, Vicaria de Tepapayecan, Vicaria de Tilapam Vicaria de Gueguetlan, Vicaria de Tepexic, Vicaria de Chila, Vicaria de Tonalà, Vicaria de Tequiztepec, Vicaria de Yhualtepec, Vicaria de Guaxuapan, in Dięceſi vero Epiſcopatus de Oaxaca Prioratus de Tepozcolulam, Vicaria de Texupam, Vicaria de Cuixtlauac, Vicaria de Tamaculapam. Sunt omnes numero decem, & novem. Concedimus pręfatę Provincię Angelopolitanę, ſive SS. Angelorum noviter erectę ſex Magiſteria, quę ante diviſionem habebat, & ultra iſta duo alia titulo Lectionis. Magiſterium vero titulo Prędicationis, quod multis ab hinc annis fuit conceſſum filiis Conventus Angelopolitani, volumus permanere in ſuo robore, ad ſex autem Pręſentaturas, quas habebat, addimus duas alias titulo Lectionis, & duas titulo Prędicationis, & expreſſe mandamus nullum poſſe in pręfata Provincia poſtulari, promoveri, ac promotum acceptari ad aliquem gradum niſi pro locis actu vacantibus, & quia ad Nos ſpectat pro prima vice providere pręfatę Provincię Angelopolitanę, ſive SS. Angelorum de Priore Provinciali harum ſerie, ac officii noſtri auctoritate damus, creamus, & facimus Priorem Provincialem, caput, & Paſtorem ejuſdem Provincię R. A. P. N. Fr. Franciſcum de Paula, Provincię noſtrę Sanctiſſimi Roſarii Philippinarum, & eo mortuo, quod abſit, ſecundo loco R. A. P. M. Fr. Johannem de Cuença ejuſdem Provincię Angelopolitanę, & iſto, quod Deus avertat, mortuo A. R. P. M. Fr. Ildephonſum Diez de Riego ejuſdem Provincię, cum omni auctoritate, & poteſtate, quam Priores Provinciales in Ordine noſtro habere ſolent, & conſueverunt, ſuper omnes, & ſingulas perſonas, utriuſque ſexus, etiam Tertii Ordinis noſtri, & concedimus huic Provincię, & ſuo ſuperiori pro tempore omnia, & ſingula privilegia, pręrogativas, ac immunitates quibus ceterę Provincię, & eorum Priores, Provinciales in Ordine noſtro de jure, vel approbata conſuetudine, ſeu ex privilegiis habere ſolent, & conſueverunt. Mandantes omnibus, & ſingulis noſtrę curę ſubjectis in virtute Spiritus Sancti, Sanctę obedientię, ſub formali pręcepto, necnon ſub pęna excommunicationis latę ſententię ipſo facto incurrenda, ac una pro trina canonica monitione pręmiſſa, necnon privationis graduum, & utriuſque vocis, ne ſub ullo prętextu, titulo, vel quęſito colore audeant pręſentem diviſionem, ac executionem novę Provincię directe, vel indirecte impugnare, aut aliquid contra quomodolibet attentare. Omnibus vero Patribus, ac Fratribus ſpectantibus ad Conventus, ſupra enumeratos ac deputatos pro nova Provincia Angelopolitan., ſive SS. Angelorum, ſub eodem formali pręcepto, cenſura, & pęnis, mandamus, ut Priori Provinciali ejuſdem Provincię, ut ſupra, a Nobis creato, ejuſque ſucceſſoribus pro tempore, & nullatenus Provinciali Provincię S. Jacobi de Mexico, e cujus obedientia, ac juriſdictione eos totaliter eximimus in omnibus, & per omnia obediant, & pareant. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Quibuſcunque in contrarium non obſtantibus. In quorum fidem his officii noſtri ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Datum Romę in Conventu noſtro Sanctę Marię ſuper Minervam die feſto SS. Angelorum XXIX Septembris milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat prędictam diviſionem Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri ſummopere deſideretur, Nos ipſum Johannem Procuratorem exponentem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, eum a quibuſvis excommunicationis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, diviſionem dictę Provincię S. Jacobi de Mexico in duas Provincias, ſicut pręfertur, nuncupandas, necnon Conventuum, Vicariarum, Collegiorum, & terminorum aſſignationem, ac Magiſteriorum, & pręſentaturarum conceſſionem, & additionem utrique, ſeu alteri, earumque Provinciarum reſpective, Prioriſque Provincialis pręfatę Provincię Angelopolitanę pro hac prima vice creationem, ſeu deputationem, & alia omnia, & ſingula a memorato Johanne Baptiſta Generali, ut prędicitur, facta, conceſſa, declarata, mandata, & ordinata, ac emanatas deſuper literas patentes pręinſertas, cum omnibus, & ſingulis quomodolibet contentis in illis, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui quomodolibet intervenerint in illis, ſupplemus, decernentes eaſdem patentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit reſpective pleniſſime ſuffragari, & ab illis inviolabiliter, & inconcuſſe perpetuo obſervari, ſicque in pręmiſſis, per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis, & Provincię S. Jacobi de Mexico, necnon Conventuum, Vicariarum, & Collegiorum hujuſmodi, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, eidem Ordini, Provincię, Conventibus, Vicariis, Collegiis, illorumque Superioribus, & perſonis quibuſcunque in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores pręſentibus pro expreſſis haberi volentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII Octobris MDCLVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

Indul-

Indulgentia (1) pro Tertiis feriis.

Anno 1657 Die 15 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

X.

ALEXANDER PP. VII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, in diverſis orbis Chriſtiani partibus pia erga Sanctum Dominicum Ordinis Fratrum Prędicatorum Fundatorem, & Roſarii Beatę Marię Virginis auctorem devotio in ipſum inducta fuerit, qua permulti Chriſti fideles tertiis feriis quindecim hebdomadarum in anno peccata ſua confiteri, & Sacroſanctum Euchariſtię Sacramentum ſumere, necnon ipſa tertia feria, aut die illam immediate antecedente jejunare conſueverint, Nos ut de cetero pium opus hujuſmodi ferventius, fructuoſiuſque peragatur, ac ad augendam eorundem Chriſti fidelium religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris paterna caritate intenti, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, qui de cetero vere pęnitentes, & confeſſi in aliqua dicti Ordinis Eccleſia prędictis feriis tertiis Sacroſanctum Euchariſtię Sacramentum devote ſumpſerint, & inibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint,&, ut pręfertur, jejunaverint quoties id egerint, centum dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus. Pręſentibus ad ſeptennium (3) tantum valituris. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XV Novembris MDCLVII,Pontificatus noſtri Anno Tertio. Nota.

G. Gualterius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.I.*
2. *Archivo.*) In quo autographum.
3. *Septennium.*) Ejuſdem tenoris ad aliud ſeptennium Diploma conceſſit *Alexander VII* die *II* Maii *MDCLXIII*, Pontificatus noſtri anno nono. Autographum, & exemplaria authentica typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ*, anno *MDCLXIII* aſſervantur in Archivo Ordinis. Illud idem fuit innovatum a *Clemente IX* die II Martii MDCLXIX: a *Clemente X* die VII Februarii MDCLXXVI &c.

De reſecandis ſumptibus ſuperfluis in Eccleſiis, & Monaſteriis Monialium (1) Urbis.

Anno 1657 Die 24 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XI.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

PRo commiſſo Nobis cęlitus paſtorali munere dilectarum in Chriſto filiarum Monialium Monaſteriorum Almę Urbis noſtrę, quę oblitę domum Patris ſui totas ſe Jeſu Chriſti Domini noſtri earum ſponſi obſequiis devoverunt, quieti, & utilitatibus peculiari ſtudio jugiter invigilantes, ipſaſque Moniales ſuperfluis ſumptibus dierum feſtorum cauſa, vel quando puellę, ſeu mulieres habitum regularem in eiſdem Monaſteriis ſuſcipiunt, profeſſionemve emittunt, fieri ſolitis eximere, & populi ad eadem Monaſteria, ſeu illorum Eccleſias ejuſmodi occaſione confluentis turbam evitari cupientes de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanę Curię Prępolatorum Congregationis ſuper negotiis viſitationis Apoſtolicę a Nobis inſtitutę conſilio, in quibuſcunque earundem Monialium Eccleſiis alias feſtivitates, quam pro Sanctis tutelaribus ipſarum Eccleſiarum, ſive Monaſteriorum hujuſmodi Patronis, & Ordinum, quorum illa reſpective ſunt, fundatoribus inſtitui, ſive ſolemniter celebrari, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium perpetuo prohibemus. Volentes, ut feſtivitates hujuſmodi abſque muſica exteriori omnino celebrentur, adhibito tantum in choro interiori cantu Gregoriano nuncupato, ſive etiam figurato quoad Antiphonas Veſperarum pro currente feſto, aut Canticum Magnificat, pleno tamen choro, & nullis ſumptibus ſub pęnis Abbatiſſę, ſeu Prioriſſę, privationis officii, Monialibus autem canentibus, vocis activę, & paſſivę eo ipſo reſpective incurrendis. Ac eiſdem Abbatiſſis, ſeu Prioriſſis, necnon Sacriſtanis, & Camerariis, aliiſque Miniſtris, & Officialibus dictorum Monaſteriorum ſub eiſdem pęnis reſpective pariter interdicimus,ne pro ornandis Eccleſiis,atque Altaribus apparatu, aut argenteam, aliamque tam pretioſam, quam non pretioſam ſuppellectilem cujuſvis qualitatis, & ſpeciei a quocunque commodato accipiant, neve in pręnarratam cauſam pecunias, aut quęvis alia bona cujuſvis generis, qualitatis, & ſpeciei a quibuſcunque perſonis certis, vel incertis, etiam ſponte dantibus ſub quocunque prętextu gratitudinis, donationis, ſolutionis, debiti, aut reſtitutionis, etiam pro exoneranda conſcientia, aut ex alio contractu, vel quovis quęſito colore, etiam pro eleemoſyna, nequidem a conſanguineis, vel affinibus, etiam in primo gradu, aut benefactoribus Monialium, & aliorum prędictorum etiam occulto nomine petant, vel accipiant, neque in hunc finem vendant induſtrię ipſarum Monialium opera, eorumque pretium in ſumptus hujuſmodi impendant, aut quidquam, tam durante officio, quam eo exacto, Eccleſię, Sacriſtię, aut quibuſvis aliis dono dent, ſed expenſę neceſſarię ab Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, ea qua majori poterunt cum parſimonia fiant, ex ordinariis, & certis redditibus, tantum, vel Monaſteriorum, vel Sacriſtię illorum propriis, ſi adſint. Nullum

Nullum vero prorſus ęs alienum propterea contrahatur. Pręterea eadem auctoritate ſub pęnis prędictis pręcipimus idem ſervari cum puellę, ſeu mulieres ad habitum regularem, & votorum ſolemnium emiſſionem, ſeu profeſſionem admittuntur, ut ſcilicet omnia ſine pompa, ſine ſumptu, & abſque cerarum, aliorumque munuſculorum quorumcunque diſtributione fiant, comprehenſis etiam eſculentis, & poculentis, neque occaſione feſtivitatum Sanctorum, aut ſuſceptionis habitus, & profeſſionis hujuſmodi, vel quovis alio anni tempore diſpenſari, vel dono mitti poſſint flores, fructuſque, ſive veri ii ſint, & naturales, ſive fictitii, & artificiales, aut pharmaca, placentę, liba, ſcriblitę, cruſtula, ſpirulę, & alia id genus edulia cupedię, & bellaria, quibuſcunque perſonis, ſive ſecularibus, ſive eccleſiaſticis etiam regularibus utriuſque ſexus, tam intra, quam extra ſepta Monaſteriorum degentibus, ac etiam Superioribus, & Pręlatis quovis gradu, & dignitate, etiam Cardinalatus fulgentibus, Protectoribus, Vice-Protectoribus, Deputatis, Pręfectis, Viſitatoribus, Confeſſariis, Factoribus, & Officialibus Monaſteriorum hujuſmodi quocunque nomine nuncupentur, aliiſque ab illis quoquomodo dependentibus. Denique mandamus Miſſas ſolemnes in Eccleſiis Monaſteriorum hujuſmodi ab illorum Confeſſariis, vel aliis privatis Secerdotibus decantari, tubarum vero clangores, & timpanorum ſtrepitus, ac tuborum pulvere pyrio oppletorum exploſiones, miſſileſque, & feſtos ignes nulla ratione, nullaque occaſione ante, vel prope, aut circa Eccleſias, ac Monaſteria prędicta permitti, neque tentoria, ſive vela ante januas earundem Eccleſiarum expandi, ſed & omnes alias non neceſſarias expenſas omnino reſecari. Declarantes Abbatiſſas, ſeu Prioriſſas, Sacriſtanas, Camerarias, aliaſque Officiales, & Moniales Monaſteriorum pręfatorum, quę in toto, vel in parte pręſentibus literis, & contentis in illis, quoquomodo reſpective contravenerint, pęnas pręnarratas, aliaſque etiam graviores noſtro, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis arbitrio, durante earum contumacia, ipſo facto incurſuras, abſolutione, condonatione, reintegratione, & diſpenſatione deſuper Nobis, & Romanis Pontificibus Succeſſoribus noſtris duntaxat reſervata. Ceterum ſi quandoque Abbatiſſę, ſeu Prioriſſę, & Moniales prędictę rigorem pręſentis Conſtitutionis in aliquo caſu particulari remitti, & aliquid ex vetitis in illa permitti deſideraverint, non prohibemus, quin id poſtulent a Nobis, & Succeſſoribus prędictis, conceſſuris in ſcriptis, quod in Domino cenſuerimus, ſeu illi reſpective cenſuerint expedire. Demum ut eędem pręſentes literę debitę exequutioni demandentur, illarumque ignorantia a nemine ullo unquam tempore prętendi poſſit, venerabilibus Fratribus noſtris Martio Epiſcopo Albanen. S. R. E. Cardinali Ginetto, nuncupato noſtro in Urbe prędicta Vicario in ſpiritualibus Generali, vel Marco Antonio Epiſcopo Hierapolitan. ipſius Martii Cardinalis Vicarii Viceſgerenti, harum ſerie committimus, & mandamus, ut pręſentes literas, ſeu illarum tenores in idioma vulgare fideliter transferri, ac translatas imprimi, illarumque exemplaria in formam authenticam redacta in ſingulis Monaſteriorum prędictorum ſacriſtiis, ac choris, & loquutoriis in loco conſpicuo, ubi ab omnibus legi poſſint conſtitui, & collocari, ibique perpetuo remanere, & a nemine amoveri curent ſub pęnis ſupradictis eo ipſo per contrafacientes incurrendis. Decernentes eaſdem pręſentes literas, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, neque de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis noſtrę, ſeu alio quocunque defectu, ex quovis capite, vel cauſa etiam ſpeciali mentione digna notari, aut impugnari unquam poſſe, ſed ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, & conditionis exiſtant, inviolabiliter obſervari, ſicque. & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet, quavis auctoritate, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, de jure quęſito non tollendo, aliiſque noſtris, & Cancellarię Apoſtolicę regulis, & ceteris conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam Conciliaribus, necnon Monaſteriorum, & Ordinum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cetetiſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod pręſentes literę per aliquem, ſeu aliquos ex Curſoribus noſtris ad valvas Eccleſię S. Johannis in Laterano, ac Baſilicę Principis Apoſtolorum, & in Acie Campi Floręde Urbe pręfata publicentur, & earum exempla etiam impreſſa ibidem affigantur, quę ſic publicatę, & affixę omnes, & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac ſi illorum unicuique perſonaliter intimatę fuiſſent. Utque earundem pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę pręſentibus ipſis adhiberetur ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV Septembris MDCLVII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

G. Gualterius.

Anno a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti MDCLVII. Indictione decima, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Alexandri divina providentia Papę VII anno tertio, die vero XXVI Septembris, prędicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicę S. Johannis Lateranen., ad valvas Baſilicę Principis Apoſtolorum, & in acie Campi Floręper me Petrum Paulum de Graſſis Apoſt. Curſ.

Andreas Caſtruccius Mag. Curſorum.

1. *Monialium.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Quæ

Quæ pro Goana (1) Miſſione ſancita ſunt, inſerit, & firmat. Anno 1658 Die 17 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VII. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Sacroſancti Apoſtolatus Officii, quo divina diſponente clementia Catholicę Eccleſię regimini, meritis licet imparibus, pręſidemus, ſolicitudo Nos monet, ut noxia quęcunque a Dominico Grege, quantum Nobis ex alto conceditur, removere ſtudeamus. Exordium. Cum itaque ad aures noſtras devenerint querimonię Chriſti fidelium Goę, atque in adjacentibus Inſulis degentium de nonnullis abuſibus Eccleſiaſticorum, eorum pręcipue, penes quos ipſorum Chriſti fidelium ſpirituale regimen, ac cura reſidet, Nos prędictis abuſibus, quatenus irrepſerint, quantocius occurri, aut ſaltem pręcaveri, ne illi in poſterum contingant, volentes, Hujuſce conſtitutionis cauſa. de nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium ex Congregatione negotio propagandę Fidei prępoſita, quibus querimonias hujuſmodi diſcutiendas remiſimus, conſilio, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, ſtatuimus, pręcipimus, & mandamus, ſedulo, inviolabiliter, & exacte ſervari ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & in poſterum ſpectabit, Decreta infraſcripta videlicet. Congregationis Decreta. Primo. Caveant Parochi, aut Eccleſiaſtici quicunque ſive ſeculares ſive regulares, ne in poſterum ullo pacto cogant pauperes ad operas ſeu laborem impendendum pro ſuis Eccleſiis non perſoluta juſta mercede, niſi id ſponte, & ex pietate pręſtare voluerint, multoque minus audeant eos mulctare, qui renuerint. Secundo. Cum iis qui ſacro, aut catecheſi Doctrinę Chriſtianę non interfuerint, ſi mos ſit eos, ut ſupponitur, aliqua pęna mulctare, ea moderatione ſe gerant, ut nonniſi vere contumacibus, & contemnentibus, eaque modica, nec crebro irrogetur. Tertio. Inſtruant populum omni qua decet lenitate, abſtinentes omnino a ferula, & a verbis indecentibus, maxime ſi cum mulieribus, viris nobilibus, ſeu ętate provectis, agatur. Quarto. Ad ſeminarium, niſi ejus inſtitutio, ſeu fundatio obſtet, locus etiam iis, qui ex nobili ſint genere, & congrua, ni pauperes ſint, perſolverint alimenta, concedatur, ne a rectę educationis beneficio prorſus excludantur, habita tamen prudenti diſtinctione a reliquis, ut quieti conſulatur. Quinto. Ad ſcientias addiſcendas, & ſcholas quilibet admittatur, nullo habito nobilitatis, ſeu generis diſcrimine, niſi ex aliqua propria culpa quis indignus cenſeatur. Sexto. Neophytos Deo ſub religionis jugo ſervire volentes ſine rationabili cauſa Regulares non reſpuant, ſed pari caritate omnes, qui ſpiritu Dei aguntur, & ad perfectionem anhelant, amplectantur. Septimo. Presbyteri ſeculares Doctrina, & moribus idonei a beneficiis curatis, & a quolibet alio Eccleſiaſtico munere, ſive prędicationis, ſive adminiſtrandi Sacramenta Pęnitentię minime arceantur, attenta pręſertim indigentia tot animarum millium, quibus longe impares ſunt pauci Regulares illuc ex Europa advenientes. Octavo. Caveant itidem Parochi ſeculares, & Regulares ullo modo ſeſe ingerere in rebus ſpectantibus ad politiam ſecularem, nec ullum ad officia publica proponant, quamvis aptior ceteris videatur, nec unquam interſint comitiis, aut conventibus, ubi de rebus publicis agitur, Nono. Ut majori cum gaudio Verbum Dei ſuſcipiatur, altiuſque radices agat, & fructum afferat, concionentur omnino Regulares pluries in anno idiomate vernaculo, & patrio populorum, utque idipſum facilius, & frequentius pręſtetur curet omnino Vicarius Capitularis, aut Superior qui fuerit, ut etiam Clerus ſecularis ejus Regionis in Verbi Dei prędicatione exerceatur. Decimo. Deputet Vicarius plures ex Sacerdotibus ſecularibus indigenis, quos idoneos repererit ad Confeſſiones excipiendas, quo facilius, & libentius fideles Sacramentum pęnitentię valeant frequentare, nec cogantur ſolis Regularibus, aut exteris ſeſe ſubjicere. Undecimo. Ut autem radicitus evellatur abuſus, qui in pręfatis Regionibus, ut pręfertur, irrepſit, excipiendi Confeſſiones per interpretem, aut lecto pęnitenti catalogo peccatorum, ut nutibus innuat, ſi quę fuerint ab eo commiſſa diſtricte pręcipitur Vicariis Capitularibus graviter etiam onerando conſcientiam ipſorum Regularium, & quorumcunque ad quos pertinet, ut in poſterum id nullo modo permittant, ſed ab iis tantum audiantur Confeſſiones, qui illius idiomatis ſenſum ſufficienter percipiunt, & ad ipſorum numerum pro rei exigentia augendum promoveantur omnino Sacerdotes Seculares ejus Regionis ad Confeſſiones fidelium patrio idiomate excipiendas. Duodecimo. Cumque audiatur maximum Catholicorum numerum contra pręceptum Domini, qui voluit debiles, & claudos admitti, ſub prętextu ignobilitatis, & rudioris ingenii rejici a Sacra Sinaxi, id eadem Sacra Congregatio omnino vetat, ac prohibet, niſi prorſus ejus myſterii ſint incapaces. Decimotertio. Ægrotis morti proximis cujuſcunque ſint conditionis, quamvis in ſordido, ac vili degant loco, aut tugurio, Sacrum Euchariſtię Viaticum deferatur, cum apud Deum nulla ſit acceptio perſonarum, ac pro noſtra ſalute nec ſtabulum, nec Crucis ignominiam exhorruerit. Decimoquarto. Ne ob inſtructionis defectum qui Sacro Baptiſmate initiantur inmaculatam Chriſti legem prophanis, ac gentilitiis inſtitutis ex ignorantia fędent, ac Idololatriam cum Orthodoxa Fide confundant, ut ſępe inibi evenire enunciatum eſt; caveant ii qui iiſdem inſtruendis incumbunt, ne in poſterum ullus ad Baptiſmum admittatur, qui veterem hominem ac gentilitios mores prorſus exutus, Chriſtum plene non induerit, & in Fide ſit ſufficienter inſtructus. Decimoquinto. Quoniam vero, ut veritas ipſa docet, nemo poteſt venire ad Chriſtum, niſi Pater cęleſtis eum traxerit, monentur Eccleſiaſtici tum Seculares, tum Regulares, ceterique qui ethnicorum converſionibus dant operam, ut illos non vexationibus, pollicitationibus, aut vi, ſed Verbi Dei prędicatione, & bonorum operum exemplo ad Baptiſmum inducant, perſcrutantes pręcipue diligenter quo fine, & ſpiritu ducantur, qui baptizari poſtulant. Decimo ſexto. Nihil prorſus, ne quidem ſub prętextu pietatis, Parochi tam Seculares, quam Regulares a ſuis Parochianis quęſtuent, & ſi quid pro Feſtorum celebratione ſpon-

ſponte ab iis tribuatur integre in eam cauſam inſumant, & quicquid ſupereſt pauperibus ejuſdem Parochię, diſpenſetur ita ut quęvis minimę aviditatis ſuſpicio a viris Eccleſiaſticis abſit. Decimo ſeptimo. Pro temporali regimine Confraternitatum exiſtentium in Eccleſiis Regularium deputentur in poſterum Officiales ſeculares, qui reddituum adminiſtrationi incumbant, nullatenus Regularibus ea in re ſeſe ingerentibus. Decimo octavo. Cum Goę, & in adjacentibus Inſulis vetitum ſit Ethnicis ritus gentilitios publice exercere, diſtricte prohibetur Eccleſiaſticis, ne eiſdem permittant, & maxime, quod nefas eſt, turpis lucri gratia, cadavera ethnicorum inde aſportari, ut juxta prophanum eorundem ritum comburantur. Decimo nono. Cadavera pauperum Fidelium gratis omnino poſthac a Parochis ſepulturę tradantur, nec ad extorquendam, aut emendicandam a vicinis, vel affinibus eleemoſynam publice exponantur. Vigeſimo. Diſtricte prohibetur, ne ethnicis ullo pacto permittatur in Eccleſiis ſacrificare, ſerio Vicariis Capitularibus injungendo, ut in contravenientes, & maxime ob lucrum, graviter animadvertant, curentque in poſterum ne Eccleſiis pręficiantur Neophyti parum inſtructi. Vigeſimoprimo. Similiter Regularium Superiores ſedulo curent, ut Parochi extra Conventus in prędictis Regionibus commorantes regularis obſervantię ſpecimen cunctis ubique prębeant, eoſque idcirco ad clauſtra, & regularem diſciplinam aliquando revocent, ne regulari inſtituto paulatim exoleſcente, dum aliis incumbunt, ſe ipſos amittant, ac demum in deſtructionem potius quam ędificationem populorum miſſi videantur. Decernentes ita in pręmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac, quatenus opus ſit, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Collegiorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum quorumcunque, & aliis quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Januarii MDCLVIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Goana*.) In Indiis.

2. *Archivo*.) In quo exemplar. In *Bullario Romano* eſt *XLVI*.

Anno 1658 Die 16 Martii.

De Feſtis S. P. Dominici, & SS. Roſarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XIII.

TARENTINA.

ARchiepiſcopus Tarentinus inſtitit declarari, An attento quod ſanctę memorię Innocentius Decimus indulſerit in toto Regno Neapolitano tanquam de Protectore Regni Feſtum Sancti Dominici Confeſſoris indici, & celebrari, ſit una ſimul in eodem Regno continuandum pręceptum in feſto Sancti Januarii, de quo tanquam de Protectore Regni hactenus feſtum celebrari conſueverat. Secundo autem, an non obſtante Conſtitutione ſanctę memorię Urbani Octavi impreſſa in fine Breviarii Romani ad limites, & in vim Conſtitutionis Gregorii Decimitertii in Eccleſiis, in quibus erecta reperiuntur Altaria, ſeu Capellę in honorem Roſarii Beatiſſimę Virginis, quotannis Dominica prima Octobris poſſit celebrari feſtum Sanctiſſimi Roſarii ſub duplici majori. Et Sacra Congregatio reſpondit, Sanctum Januarium eſſe Protectorem Civitatis Neapolitanę tantum, & non totius Regni: idcirco de eo tanquam de Patrono Regni non licuiſſe, nec licitum, alicubi feſtum celebrare. Et Conſtitutionem Gregorianam quoad feſtum Sanctiſſimi Roſarii ſervari poſſe ad limites Decreti a Sacra Congregatione emanati ad mentem ſanctę memorię Urbani Octavi, ſcilicet cum Officio, & Miſſa B.M.V. ſumendis tamen e Breviario, & Miſſali Romano, non autem propriis de Roſario, Ordini tantum Dominicano indultis, Die XVI Martii MDCLVIII.

J. Epiſcopus Sabinen. Card. Sacchettus.

Franciſcus Maria Phabeus Sac. Rit. Congreg. Secr.

1. *Archivo*.) In quo exemplar typis impreſſum.

Conſ-

Conſtitutio pro quiete, & utilitate Monialium (1) Urbis Regularium curæ ſubjectarum.

Anno 1658 Die 30 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIV.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

SAcroſancti Apoſtolatus officii humilitati noſtrę per abundantiam divinę bonitatis impoſiti debitum expoſcit, ut paternam dilectarum in Chriſto filiarum Monialium Monaſteriorum Almę Urbis noſtrę, quę contemptis ſeculi illecebris, Domini Noſtri Jeſu Chriſti obſequiis ſeſe ſub ſuavi religionis jugo mancipārunt, curam gerentes, illa, quę earum quieti, utilitatibuſque quomodolibet obeſſe conſpicimus, peculiari ſtudio removere ſatagamus. Alias ſiquidem pro quiete, & felici directione Sanctimonialium Regularibus ſubjectarum provide ab hac Sancta Sede ſtatutum fuit, ne Confeſſores, Superioreſve cujuſcunque gradus, viſitatores, eorum ſocii, concionatores, aliique regulares quicunque confeſſionum generalium, viſitationum, concionum, aliorumque exercitiorum intuitu, ſeu quovis alio prętextu apud earundem Monaſteria nedum pernoctare, verum neque refectionem, aut cibum ſumere poſſent, niſi ex urgenti neceſſitate ab Ordinario in ſcriptis approbanda, & tunc quidem nonniſi in manſionibus a Monaſteriorum clauſura diſtantibus, ac prorſus ſegregatis. Pręterea Monialibus prohibitum eſt, ne diurnum victum, ſeu refectionem ſtatutis ad functiones prędictas diebus, aliiſque occaſionibus ordinariis, ſeu extraordinariis, immo neque lineam (3), aliamve quamcunque ſupellectilem ſupradictis regularibus ſubminiſtrarent, ſed pro eorum ſuſtentatione, intuitu ſervitii, ſeu miniſterii quod pręſtant, certam frumenti, ac vini quantitatem conſtituerent ad rationem duorum juliorum monetę Romanę in ſingulos dies miniſterii hujuſmodi, Procuratoribus Conventuum ipſorum regularium reſpective aſſignandam. Vetitum quoque fuit Monaſteriis, ac Monialibus communiter, vel privatim quocunque ſub prętextu, etiam eleemoſynę, ſumptuum, vel celebrationis Miſſarum, aliove titulo prędictis regularibus quidquam tribuere, tametſi Superiores eſſent, & in actu viſitationis verſarentur. Quin etiam quamplurimis Apoſtolicis Conſtitutionibus interdicitur hujuſmodi Regularibus acceſſus ad locutoria Sanctimonialium, necnon cum eiſdem miſcere colloquia ad crates, rotas, portas, & quovis alio in loco, ſub pęnis privationis vocis activę, & paſſivę, aliiſque etiam gravioribus pro rerum, temporumque opportunitate inflictis, cum declaratione quod eaſdem quoque pęnas incurrant Confeſſores ordinarii, & extraordinarii, concionatores, Superiores cujuſcunque gradus, ſeu Viſitatores tam ordinarii, quam delegati, qui colloqui pręſumpſerint cum Monialibus, etiamſi Abbatiſſę, Prioriſſę, aut Officiales Monaſteriorum fuerint, extra actum confeſſionum, concionum, aut viſitationum hujuſmodi, & alias prout in diverſis decretis deſuper emanatis uberius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, ordinationes prędictę, ſub prętextu, quod nimis rigoroſę ſint, in eadem Urbe, ut plurimum non obſerventur, indeque varia incommoda, & perturbationes prędictis Monialibus oriri doceat experientia. Nos opportunum huic malo remedium adhibere cupientes, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, necnon dilectorum filiorum Romanę Curię Pręlatorum ſuper negotiis viſitationis Apoſtolicę Eccleſiarum, ac Monaſteriorum Urbis prędictę a Nobis inſtitutę deputatorum conſilio, ſupradicta decreta innovantes, pręmiſſaque in eis contenta de novo ſtatuentes, atque augentes, omnibus, & ſingulis Superioribus Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, Prępoſitis, Prioribus, & Superioribus localibus dictę Urbis cujuſcunque Ordinis, Congregationis, & inſtituti tam Mendicantium, quam non Mendicantium, & Clericorum regularium, etiam ſpeciali nota, & expreſſione dignis, quibus Sanctimonialium cura incumbit, ſub privationis vocis tam activę, quam paſſivę, necnon eorum officiorum, & dignitatum, ac inhabilitatis ad ea amplius obtinenda pęnis eo ipſo incurrendis, adverſus quas nemo niſi a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore exiſtente reintegrari valeat, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium mandamus, & pręcipimus, ut intra terminum unius menſis a die publicationis earundem pręſentium computandum Confeſſores, eorumque ſocios, concionatores, & alios quoſcunque regulares apud Monaſteria Sanctimonialium in eadem Urbe exiſtentes, vel continue, vel ad tempus quocunque titulo pernoctare ſolitos ad clauſtra revocaſſe debeant, neque de cetero amplius permittant eoſdem, ſeu alios regulares intra, ſeu prope ſepta Monaſteriorum hujuſmodi habitare, idque etiam ſub eiſdem pęnis pręſtare, & obſervare teneantur ipſimet Superiores ſupra nominati, aliique pro tempore eorum ſucceſſores, cujuſcunque gradus fuerint, quibus omnibus expreſſe prohibemus, nedum apud Monaſteria prędicta pernoctare, aut degere, verum etiam ne diurnam quidem refectionem ſumere, pręterquam in caſibus neceſſitatis a Nobis, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice approbandę. Et ut tollatur omnis occaſio tranſgreſſionis, pręcipimus Superioribus ſupradictis, ſub eiſdem pęnis, ut intra eundem terminum quaſcunque cellas, manſiones, ſeu cubicula prope Monaſteria prędicta ad uſum memoratorum regularium exiſtentia, ſi clauſurę Monaſteriorum earundem Sanctimonialium contigua fuerint, eiſdem includi, vel dirui omnino faciant, ſi vero extra ſepta, vendi, pretiumque in Monaſteriorum utilitatem converti, nec in poſterum alia ſimilia aptari, ędificari, aut emi reſpective permittant. Ad hęc iiſdem Superioribus ſub pęnis prędictis mandamus, & pręcipimus, ut nullatenus patiantur coqui, ſeu parari cibos a Monialibus, ſive lintea, aliaque utenſilia tam propriis eorum, quam regularium quorumcunque uſibus ſuppeditari. Confeſſores quoque, & concionatores nihil omnino quovis prętextu a Monialibus accipere poſſint, ſub eiſdem pęnis, pręter duos julios monetę prędictę in pecunia numerata, ſi per inſti-

inſtitutum regulare licuerit, pro quotidianis eorum alimentis ad tempus ſervitii prǫſtiti, & non ultra, Procuratori eorum Conventus reſpective ſolvendos, ſin minus, ǫquivalentem vini, frumentique portionem Syndicis conſignandam. Prohibemus pariter ſub pǫnis prǫdictis, ne dicti regulares tam per ſe, quam per alios mediate, vel immediate a Monialibus, eorumque Monaſteriis dona, ſeu munuſcula quantumvis exigui valoris, necnon eſculenta, aut non eſculenta quǫcunque accipiant, etiam recognitionis, debiti, contributionis, alimentorum, gratitudinis, mutui, eleemoſynǫ, celebrationis Miſſarum, fabricǫ, valetudinarii, veſtiarii, legatorum piorum, aut quocunque alio titulo. Similiter ne cum prǫdictis Monialibus, earumque Monaſteriis ipſorum regularium curǫ mediate, vel immediate ſubjectis, ullos inire poſſint contractus cenſuum tam active, quam paſſive, mutui, locationum, conductionum, emptionum, venditionum, aut alios quoſcunque, tametſi ejuſmodi contractus liciti forent, ac utiles, & de Sedis Apoſtolicǫ licentia inirentur, niſi expreſſe fuerit prǫſentibus literis derogatum, alias prǫter nullitatem contractuum hujuſmodi, tam contrahentes, quam Superiores mandantes, aut quovis modo conſentientes incidant in pǫnam privationis vocis activǫ, & paſſivǫ, ac officiorum ſuorum eo ipſo, reintegratione Nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus reſervata. Prǫterea interdicimus omnibus, & ſingulis prǫdictis ſub eiſdem pariter pǫnis, colloquia quǫcunque cum Sanctimonialibus prǫdictorum Monaſteriorum, comprehenſis etiam Abbatiſſis, Prioriſſis, ac Officialibus, extra actum confeſſionum, concionum, aut viſitationum hujuſmodi, adjecta ſub ſimilibus pǫnis expreſſa prohibitione, ne quoquomodo permittant, ut eorum ſocii, aliique regulares tam profeſſi, quam non profeſſi ſub quovis prǫtextu cum Monialibus colloquantur. Contravenientes autem, prǫter pǫnas prǫnarratas, gravioribus etiam noſtro, ſucceſſorumque noſtrorum Romanorum Pontificum arbitrio punientur. Mandamus inſuper omnibus, & ſingulis Superioribus ſupradictis, ut feriis Quadrageſimalibus, Adventus Domini, quatuor temporum, vigiliarum, feſtorum ſolemnium cum tota eorum octava, necnon diebus Sanctiſſimǫ Euchariſtiǫ ſumendǫ deſtinatis, locutoria quǫcunque prǫdictorum Monaſteriorum clauſa remaneant, nulluſque vir quantumvis ſanguine in quocunque gradu conjunctus ad Monialium colloquia hiſce temporibus, niſi ob prǫciſam neceſſitatem a dilecto filio noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis Vicario in Urbe prǫdicta in ſpiritualibus generali, vel ejus Viceſgerente in ſcriptis approbandam. Et quia in quibuſdam Monaſteriis abuſus invaluit, ut Sacrǫ Communionis, & Confeſſionum feneſtellǫ locutoriorum loco deſerviant, prohibemus omnibus, & ſingulis Abbatiſſis, ſeu Prioriſſis, Confeſſoribus, & ceteris Superioribus regularibus, ſeu Viſitatoribus Monaſteriorum hujuſmodi pro tempore exiſtentibus, cujuſcunque gradus exiſtant, ſub pǫna excommunicationis latǫ ſententiǫ, ne dictas feneſtellas in alium, quam in ſacrum, cujus cauſa inſtitutǫ ſunt, uſum vel adhibeant, vel adhiberi permittant. Mandantes, & prǫcipientes, ut exceptis Communionum, & Confeſſionum diebus, dictǫ feneſtellǫ ſemper obſeratǫ ſint, & quidem duplici clavi interna ſcilicet, & externa, quarum altera penes Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, altera vero penes Confeſſorem aſſervetur, nunquam vero aperiri poſſint, niſi ſtatis horis duntaxat, atque temporibus ad ſacrum miniſterium deſtinatis. Liceat tamen Confeſſori, aut Superiori, cum puellas ad habitum, aut profeſſionem admitti contigerit, hujuſmodi functiones ad Communionis feneſtellam obire juxta ritum, & conſuetudinem Monaſterii. Ceterum, ut prǫſentes literǫ debitǫ executioni demandentur, illarumque ignorantia a nemine prǫtendi poſſit, nec in oblivionem, & deſuetudinem habeantur, memorato Vicario noſtro, ejuſque Viceſgerenti injungimus, ut earundem prǫſentium tenorem in idioma vulgare fideliter transferri, ac translatum imprimi, & ſexto quoque menſe, nempe Dominica prima Adventus, & Dominica tertia poſt Pentbecoſtes in publica menſa prǫdictorum Monaſteriorum reſpective perlegi curent, ſub eiſdem pǫnis privationis vocis activǫ, & paſſivǫ, ac officiorum, tam ab Abbatiſſis, & Prioriſſis, quam a Superioribus localibus eo ipſo incurrendis, ac reintegratione adverſus pǫnas hujuſmodi Sedi prǫdictǫ tantum reſervata. Decernentes ipſas prǫſentes literas, & in eis contenta quǫcunque, etiam ex eo quod quilibet etiam ſpeciali nota, & expreſſione digni, in prǫmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prǫtendentes illis non conſenſerint, aut ad ea vocati, & auditi, ſeu cauſǫ propter quas eǫdem prǫſentes emanarunt, adductǫ, verificatǫ, aut juſtificatǫ non fuerint, aut ex alia quacunque quantumvis pia, & privilegiata cauſa, colore, prǫtextu, & capite etiam in corpore juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrǫ, aliove quolibet defectu notari, impugnari, in jus, vel controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adverſus illas quodcunque juris, facti, vel gratiǫ remedium impetrari poſſe, ſed dictas prǫſentes ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque, & non aliter in prǫmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet, quavis auctoritate, & poteſtate fungentes, & quandocunque functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prǫmiſſis, ac quatenus opus ſit, noſtra & Cancellariǫ Apoſtolicǫ regula de non tollendo jure quǫſito, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſteriorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum hujuſmodi, & aliis quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium prǫmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quǫvis

alia

alia expreſſio facienda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, formas, & occaſiones pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ſervatis, & inſertis reſpective habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut eędem pręſentes literę, ſeu earum exempla ad valvas Baſilicę Principis Apoſtolorum, ac Cancellarię Apoſtolicę, necnon in acie Campi Florę de Urbe prędicta per aliquem ex Curſoribus noſtris, prout moris eſt, publicentur, & affigantur, quę ſic publicatę, & affixę omnes, & ſingulos quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi unicuique eorum perſonaliter intimatę fuiſſent, utque ipſarum pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXX Martii MDCLVIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio. G. Gualterius.

Anno a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti MDCLVIII. Indictione undecima, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Alexandri divina providentia Papę VII Anno Tertio die vero III Aprilis, prędicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicę Principis Apoſtolorum, & Cancellarię Apoſtolicę, & in acie Campi Florę, ut moris eſt, per me Petrum Paulum de Graſſis Apoſt. Curſ. Hieronymus Maſcella Mag. Curſ.

1. *Monialium.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLVIII.*

3. *Lineam.*) Fortaſſis *Lintea.*

Ut Indulgentia Confratribus SS. Roſarii (1) conceſſa mortuis attribui poſſit.

Anno 1658 Die 8 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

ALEXANDER PP. VII. XV.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui hora ſibi aſſignata Roſarium B. Marię Virginis devote recitaverint, & pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſemel in anno duntaxat omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Quam pro animabus fidelium defunctorum, quę Deo in caritate conjunctę ab hac luce migraverint per modum ſuffragii applicari poſſe concedimus, & indulgemus. Pręſentibus ad ſeptennium, quo vero ad Indias ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint eo ipſo, quodque pręſentium tranſumptis etiam impreſſis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die VIII Aprilis MDCLVIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio. G. Gualterius.

1. *Roſarii.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum. Illud idem innovatum fuit a *Clemente IX* die V Martii *MDCLXIX.* a *Clemente X* die *VII* Februarii MDCLXXVI &c.

Ne quis Ordinis diviſionem, vel inſtitutionem Vicarii Generalis Indiarum procuret (1).

Anno 1658 Die 16 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

ALEXANDER PP. VII. XVI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

MIlitantis Eccleſię, regimini, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione pręſidentes, illis, quę pro felici Sacrarum Religionum in eadem Eccleſia pie, ſapienterque inſtitutarum, ubereſque, benedicente Domino, fructus jugiter proferentium directione, & gubernio provide conſtituta ſunt, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjungimus firmitatem. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Magiſter Generalis Ordinis Prędicatorum, quod ad avertendum ejuſdem Ordinis diviſionem, retinendamque illius unionem, quam ab ipſa ſui inſtitutione ad hęc uſque tempora ſub unius Superioris Generalis directione ſervavit, factę fuerunt a diverſis ipſius Ordinis Capitulis Generalibus ordinationes tenoris, qui ſequitur, videlicet, in Capitulo Generali Romę MDLXXXIII ſic dicitur. Ordinamus de communi totius Ordinis conſenſu, & prohibemus, quod nullus procuret Ordinis diviſionem, ſub

ſub pęna excommunicationis latę ſententię, & aliis pęnis gravioris culpę, a quibus non poſſit abſolvi niſi a Magiſtro Ordinis. Mandamuſque ſub eadem pęna quod nullus procuret inſtitutionem Vicarii Generalis Indiarum. Quod idem Romę MDLXXXIX, Venetiis MDLXXXXII, & iterum Romę MDCI, & Pariſiis MDCXI, & Ulyſſippone MDCXVIII, & ultimo Mediolani MDCXXII, his verbis confirmatur. Confirmamus Ordinationem Romę, Venetiis, Pariſiis, & Ulyſſippone factam, & confirmatam, ne ſcilicet ullus ſub pęnis in Capitulo de graviori culpa contentis, ac etiam ſub pęna excommunicationis latę ſententię hac una pro trina Canonica monitione pręmiſſa, cujus abſolutio Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis reſervatur, directe, vel indirecte diviſionem Ordinis, vel inſtitutionem Vicarii Generalis Indiarum quovis prętextu audeat, vel pręſumat procurare. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Magiſter Generalis exponens, Ordinationes hujuſmodi pro firmiori illarum ſubſiſtentia, & obſervatione Apoſtolicę confirmationis noſtrę robore communiri ſummopere deſideret: Nos ipſum Magiſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Ordinationes pręinſertas Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui quomodolibet intervenerint in eiſdem ſupplemus. Decernentes eaſdem pręſentes literas, & pręinſertas ordinationes ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodocunque ſpectabit inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtoli Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, ejuſque provinciarum, & Conventuum quorumvis, & aliis quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI Decembris MDCLVIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

G. Gualterius (3).

1. *Procuret.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.II.*

2. *Archivo.*) In quo duplex autographum.

3. *Gualterius.*) Sic in uno autographo: alteri ſubſcripſit: *S. Ugolinus.*

Anno 1659 Die 3 Maii.

XVII.

Franciſcum Galaſinum (1) Vicarium Generalem Ordinis inſtituit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Franciſco Galaſino Ordinis Prędicatorum Profeſſori.

ALEXANDER PP. VII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, dilectus filius Johannes Baptiſta de Marinis totius Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſter Generalis ab hac Alma Urbe noſtra, Provincias dicti Ordinis viſitaturus, propediem diſcedere intendat, Nos pro noſtri paſtoralis officii munere, Ordinis prędicti, ne propter ejuſdem Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis abſentiam, aliquod in ſpiritualibus, vel temporalibus detrimentum patiatur, proſpero, felicique regimini providere volentes, ac de tua fide, prudentia, integritate, & religionis zelo plurimum in domino confiſi, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, Te ejuſdem Ordinis Vicarium Generalem, durante memorati Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis ab Urbe, hujuſmodi abſentia, cum omnibus, & ſingulis facultatibus, auctoritatibus, honoribus, & oneribus, pręeminentiis, pręrogativis, & privilegiis, quibus alii, qui pro tempore fuerunt ejuſdem Ordinis Vicarii generales, uti, frui, potiri, & gaudere conſueverunt, & potuerunt, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium creamus conſtituimus, & deputamus, tibique, ut una cum munere Vicarii Generalis hujuſmodi Officium Inquiſitoris adverſus hęreticam pravitatem in Civitate Peruſina, & in Provincia Umbrię, quod obtines retinere valeas concedimus, & indulgemus. Mandantes propterea in virtute Sanctę Obedientię, & ſub arbitrii noſtri pęnis, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Superioribus, & Officialibus quocunque nomine nuncupatis, ceteriſque Fratribus, & perſonis quibuſcunque, ut te in ejuſdem Ordinis Vicarium Generalem juxta tenorem pręſentium recipiant, & admittant, ac habeant, & recognoſcant, tuaque monita, & juſſa reverenter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam, ſive pęnam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſ-

Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris die III Maii MDCLIX, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

G. Gualterius.

1. *Galaſinum.*) Cujus meminit *Fontana Theatro Dominicano Parte II pag.* 469. 2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Indulget Clero in Indiis omnia conceſſa quoad Miſſas, Officia &c. Regnis Hiſpaniæ.

Anno 1659 Die 15 Novembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

ALEXANDER PP. VII.

XVIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Piis dilectorum filiorum Peruani Cleri, necnon Terrę firmę Indiarum cariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico ſubjectarum precibus benigne inclinati, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, val cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Sacris Ritibus prępoſitorum conſilio, quod omnia, & ſingula Officia, Miſſę, necnon reliquę divinę preces Regnis Hiſpaniarum hactenus indulta, vel in futurum concedenda, indulta pariter, ac conceſſa extitiſſe, & eſſe cenſeantur univerſo Clero Inſularum, ac Terrę firmę Indiarum prędicto Philippo Regi ſubjectarum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium declaramus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentium tranſumptis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur ubique, quę pręſentibus ipſis adhiberetur ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XV Novembris MDCLI Pontificatus noſtri Anno Quinto.

S. Ugolinus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

De filiationibus (1) transferendis ad Neapolitanum Conventum S. Severi.

Anno 1660 Die 7 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

ALEXANDER PP. VII.

XIX.

Ad Futuram Rei Memoriam.

In illis Apoſtolici noſtri muneris partes favorabiliter interponimus, per quę regularium domorum quarumcunque felici ſtatui opportune conſuli judicamus. Cupientes itaque conſtitutionem, & ordinationem felicis recordationis Clementis PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, alias editam, circa affiliationes ab uno ad alium Conventum transferendas, obſervari, ac fraudibus, quę plerumque ea occaſione commiſſę fuerunt, obviamire, illaſque e medio tolli, necnon dilectos filios Priorem, & Fratres Conventus Sancti Severi Majoris nuncupati Civitatis Neapolitan. Ordinis Prędicatorum, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, quod de cetero affiliationes, & translationes filiorum aliorum Conventuum dicti Ordinis ad dictum Conventum S. Severi Majoris nuncupati, nullo ſub pętextu quęſito colore, vel ingenio fieri poſſint, aut ſi quandocunque per Nos, ſeu pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem, aut Sedem Apoſtolicam affiliationes, & translationes hujuſmodi contra ejuſdem Conſtitutionis, ſeu ordinationis formam fieri, & deſuper diſpenſari contingat, illę non valeant, nullumque effectum ſortiri debeant, niſi de conſenſu omnium, & ſingulorum filiorum, vel eorum majoris partis, tam pręſentium, quam abſentium, memorati Conventus S. Severi in eadem Civitate exiſtentium ad diem,

ad diem, & horam determinatos intimatorum, & poſtmodum capitulariter congregatorum, nemine prorſus excepto, per ſecreta ſuffragia, ut moris eſt, pręſtando, quodque ſi, & quando ejuſmodi affiliationes, alias quam juxta pręſentium continentiam, & tenorem fierent, illę nullę, & irritę ſint, & eſſe cenſeantur. Et ſi deſuper derogari contigerit, pręmiſſis nullatenus derogatum ſit, aut eſſe intelligatur, niſi de pręſentibus literis plena, & expreſſa mentio fiat, ſicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate Apoſtolica earundem tenore pręſentium decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Conventus hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII Januarii MDCLX, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

S. Ugolinus.

1. *Filiationibus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Neapolitano.*

Anno 1660 Die 26 Februarii.

XX.

Alumnus alterius Cœnobii filiationem (1) ſuam transferre nequit in Florentinum Conventum S. Mariæ Novellæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut dilecti filii Fratres Conventus Sanctę Marię Novellę nuncupat. Florentin. Ordinis Prędicatorum Nobis nuper exponi fecerunt, quandocunque de adfiliandis eidem Conventui Religioſis aliorum Conventuum dicti Ordinis tractatum fuit, notabilis inter ipſos exponentes diſſenſio ſemper fuerit ſecuta, ob diſcordiam eorum, qui propoſitum ut adfiliaretur reſpective approbabant, & improbabant; Ipſique Exponentes cuidam felicis recordationis Clementis PP. VIII prędeceſſoris noſtri decreto per Capitula Generalia Ordinis prędicti Romę Anno MDC, & Vallisoleti anno MDCV, celebrata acceptato, quo ejuſmodi adfiliationes in univerſo Ordine hujuſmodi fieri prohibentur, inhęrentes, ut pax, & concordia ſecurius inter ipſos conſervetur opportune a Nobis in pręmiſſis, ut infra provideri, plurimum deſiderent, Nos ſpecialem eiſdem exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ut de cetero perpetuis futuris temporibus nullus Religioſus in ſtatu clericali profeſſus cujuſvis alterius Conventus dicti Ordinis prędicto Conventui S. Marię Novellę Florentin. adfiliari poſſit, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, & Conventus Florentin. hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Februarii MDCLX, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

S. Ugolinus.

1. *Filiationem.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

Nea-

Neapolitan. Monaſterium SS. Petri, & Sebaſtiani committitur curæ Vicarii Generalis Congregationis (1) Sanitatis.

Anno 1660 Die 4 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VII.

XXI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut dilectus filius Johannes Baptiſta de Marinis Magiſter Generalis Ordinis Prędicatorum, Nobis nuper exponi fecit, Monaſterium Monialium Sanctorum Petri, & Sebaſtiani Neapolitan., ejuſdem Ordinis pro tempore exiſtentis Magiſtri Generalis Ordinis hujuſmodi curę ſubjectum, in quo multę Moniales Regularis obſervantię, morumque honeſtatis laude prędantes, nunc vivunt, a ſui fundatione nulli Provincię, aut Congregationi dicti Ordinis fuerit aggregatum, & proinde illud gubernium Fratribus Ordinis prędicti, quandoque ex una, quandoque ex altera Provincia, Congregatione, vel natione exiſtentibus a Magiſtris Generalibus pro tempore demandatum extiterit; Ex hujuſmodi vero varietate factum ſit, ut licet Moniales dicti Monaſterii vita religioſa, bonoque exemplo ſemper floruerint, non ea tamen, ſicut idem Johannes Baptiſta in nupera viſitatione animadvertit, in ipſo Monaſterio vigeat ſpiritus uniformitas, quę perfectioni Communitatis Regularis congrueret; & propterea ipſe Johannes Baptiſta Magiſter Generalis opportune a Nobis in prę̨miſſis, ut infra, provideri plurimum deſideret, Nos piis ejuſdem Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis votis, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter hac in re annuere cupientes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtat, ad effectum prę̨ſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ut de cetero cura, & gubernium Monaſterii prędicti Fratribus Congregationis Sanitatis nuncupatę memorati Ordinis, & non aliis a dicto Johanne Baptiſta, & pro tempore exiſtentibus Ordinis hujuſmodi Magiſtris Generalibus demandari debeat, auctoritate Apoſtolica tenore prę̨ſentium ſtatuimus, & ordinamus, decernentes eaſdem prę̨ſentes literas ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere, & fore, & ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari; ſicque in prę̨miſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prę̨miſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Monaſterii, & Ordinis hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prę̨miſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores prę̨ſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prę̨miſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IV Martii MDCLX, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

S. Ugolinus.

1. *Congregationis.*) Nunc Provinciæ. 2. *Archivo.*) In quo autographum.

Confirmat decreta Sacrarum Congregationum ad ſepulturam (1) pertinentia.

Anno 1660 Die 30 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VII.

XXII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ALias pro parte dilecti filii Antonii Franciſci Tholo, & Pirella Procuratoris Provincię S. Saturnini Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de obſervantia nuncupatorum in Sardinia Congregationi venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitę expoſito, quod dilecti pariter filii Canonici, & Beneficiati Metropolitanę Eccleſię Calaritanę die XI Auguſti MDCLIX Conventum S. Mauri violenter ingreſſi fuerunt ad officiandum in illa Eccleſia contra decreta diverſarum Congregationum ejuſdem S. R. E. Cardinalium tenoris, qui ſequitur videlicet. Sacra Rituum Congregatio juxta alias reſoluta reſpondit, officium ſuper cadaveribus in Eccleſiis Regularium ſpectare, & pertinere ad ipſos Regulares non autem ad Curatos defunctorum & ita in poſterum ſervari mandavit, non obſtante contraria conſuetudine. Die XXVII Novembris MDCXXXVIII. O. Epiſcopus Portuen. Card. Pius. Julius Cincius. Loco † ſigilli. Necnon Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium prępoſita cenſuit, defunctorum cadavera in Eccleſiis dictorum Fratrum ſepelienda ab ędibus defunctorum ad eorundem Fratrum Eccleſias recto tramite deferri licite poſſe, monito tamen prius, & requiſito, ac expectato proprio defunctorum Parocho, a quo benedictionem, & ultimum vale recipere poſſent, quo venire expreſſe recuſante, poſſint,

iidem Fratres etiam ipſo invito dicta cadavera ad ſuas Eccleſias tranſportare, conſanguinei vero talium defunctorum illis parentare in Parochialibus, & aliis Presbyterorum, etiam Eccleſiis Cathedralibus nullo modo poſſint. Si quę vero immemorabilis conſuetudo in contrarium ſuper pręmiſſis exiſtere pretendatur, legitime probetur, & interim pręſens decretum ad unguem ſervetur, prout eadem Sacra Congregatio ſervari mandavit. Romę die XIV, MDCXXXIX, Cardinalis Antonius Barberinus. C. Facchenettus. Loco † ſigilli. Necnon Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum cenſuit quoties cadavera defunctorum ad Eccleſias Fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, & reliqua, quę in hujuſmodi miniſterio adhiberi ſolent, non a Canonicis, neque a Clero, ſed a Fratribus obiri, & peragi debere. H. B. Cardinalis, Franciſcus Paulutius Sacrę Congregationis Secretarius. Loco † ſigilli. Necnon Sacrorum Rituum Congregatio juxta alias reſoluta reſpondit, electionem, & numerum Religioſorum pro aſſociandis cadaveribus ad libitum hęredum defunctorum ſpectare, & pertinere, & ita ubique ſervari debere, declaravit die XIV Januarii MDCXL. P. Card. Creſcentius. Julius Cincius Secretarius. Loco † ſigilli. Quodque in obſervantia decretorum pręinſertorum, & literarum Apoſtolicarum XXIX Auguſti ejuſdem anni MDCLIX emanatarum Fratres Eccleſię S. Marię Jeſu noluerunt permittere, ut Capitulum prędictę Eccleſię Calaritan. dictam Eccleſiam Sanctę Marię Jeſu ingrederetur, ipſum vero Capitulum, & beneficiati cadaver quoddam inde abripuerant, & ad Eccleſiam Sanctę Eulalię tulerant. Et in eadem expoſitione ſubjuncto, quod pręfata decretis pręinſertis adverſentur, ideoque primodictę Cardinalium Congregationi ſupplicato, ut decerneret cadaver hujuſmodi reſtitui, & dicta decreta obſervari, & ſi forte Canonici quoad ſecundum decretum immemorabilem conſuetudinem pretenderent, hoc nihil obſtare niſi legitime probetur, emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita decretum tenoris, qui ſequitur videlicet. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita, attentis narratis, reque, partibus tam verbo, quam ſcripto informantibus auditis, Eminentiſſimo Santacrucio referente, diligenter, ac mature examinata, & diſcuſſa, cenſuit cadaver, de quo agitur reſtituendum eſſe, prout una cum funerali pompa reſtitui mandat, & pręcipit Eccleſię Sanctę Marię Jeſu Fratrum Minorum obſervantię Sancti Franciſci. Nec Capitulo, & Clero Metropolitanę Eccleſię Calaritanę funeralia in dicta Eccleſia Sanctę Marię, neque in Sancti Mauri eorundem Fratrum exercere, & celebrare, ſuper defunctorum ibidem ſepelienda cadavera licere, reſervato tamen jure eidem Capitulo, & choro probandi pretenſam immemorabilem, & ita declaravit, & decrevit, prout pręſentium tenore declarat, & decernit, in contrarium allatis minime obſtantibus. Romę XII Martii MDCLX. M. Card. Ginnettus. Cum autem, ſicut dictus Antonius Franciſcus Nobis nuper exponi fecit, ipſe decretum proxime inſertum pro firmiori illius ſubſiſtentia, & obſervatione Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri, ſummopere deſideret, Nos ipſum Antonium Franciſcum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum pręinſertum die XII Martii proxime pręteriti emanatum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus. Salva ſemper in pręmiſſis auctoritate prędictę Congregationis Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitę. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris die XXX Aprilis MDCLX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Sepulturam.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar. In *Bullario Romano* eſt *XCIII.*

Anno 1660 Die 7 Auguſti.

Lovanienſes laudat quod SS. Auguſtini, & Thomæ Aquinatis præclariſſimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum inconcuſſa tutiſſimaque dogmata ſequi velint (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIII.

Dilectis filiis, Decano, & aliis Theologicę Facultatis, Magiſtris, Regentibus Lovanien.

ALEXANDER PP. VII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Literas veſtras die XX Martii datas accepimus, & in eo ſane, quod quinque Propoſitiones illas tam in felicis recordationis Innocentii X Prędeceſſoris noſtri Conſtitutione, quam in alia noſtra poſtea dam-

damnatas, tantopere deteſtamini, ut neminem admittere ad gradus Academicos velitis, niſi prius religioſam obſervantiam prędictarum Conſtitutionum promittat, & juret, obedientiam, & zelum veſtrum unice commendamus, atque adeo ſperamus, vos nedum id egregie perſanćteque impleturos, verum etiam omnibus aliis in hanc Sedem obſervantię, & obedientię documentis effecturos, ut omni rerum pręteritarum ex hominum animis evulſa, & penitus abolita memoria, priſtinum decus exiſtimationi, & laudi antiquę veſtrę reſtituatur. Ad hanc igitur ſalutaris obſequii gloriam, vere, conſtanterque promerendam, quamvis, ut credimus, eximie currentes, vos, dilecti Filii, etiam atque etiam, quantum poſſumus, hortamur in Domino. De reliquo non dubitamus, quin vos prę ſingulari ſcientię pietatiſque ſtudio, ſanam, & incorruptam, qualem tot Apoſtolicę Sedis Declarationes, & SS. Patrum Traditiones requirunt, doctrinam ſemper amplexuri, & adverſus orthodoxę Religionis hoſtes defenſuri ſitis, necnon pręclariſſimorum Eccleſię Catholicę Doctorum Auguſtini, & Thomę Aquinatis, inconcuſſa, tutiſſimaque Dogmata, ſequi ſemper, ut aſſeritis, ac impenſe revereri velitis; quorum profecto ſanctiſſimorum virorum, penes Catholicos univerſos, ingentia, & omnem laudem ſupergreſſa nomina, novi pręconii commendatione plane non egent. Porro bonorum omnium largitorem Deum oramus, ut vobis, dilecti filii, cum pacis divina tandem clementia reſtitutę proſperitate, cęleſtis gratię munera tueri, & augere quotidie, pro ſua miſericordia velit: ad quod feliciter conſequendum, Apoſtolicam Benedictionem vobis peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die VII Auguſti MDCLX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Velint.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplaria typis impreſſa.

Anno 1660 Die 9 Octobris.

XXIV.

De Conſervatoribus (1) eligendis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Alias pro parte dilecti filii Franciſci de la Roſa Vicarii Generalis Italię, & Sicilię, & Procuratoris Generalis totius Ordinis Fratrum B. Marię de Mercede Redemptionis Captivorum Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitę expoſito, quod licet eidem Ordini ampliſſima communicatio privilegiorum quibus alii Ordines Mendicantes fruuntur a felicis recordationis Leone X, ac Clemente VII, & Sixto V. Romanis Pontificibus prędeceſſoribus noſtris conceſſa reperiretur, & inter alia privilegia hujuſmodi eiſdem Ordinibus indulta eſſet facultas eligendi Judices Conſervatores qui jura eorum tueantur, eoſque ab injuriis, & violentiis defendant, Conſervatorumque hujuſmodi electio veniret ſub communicatione privilegiorum ſicut Congregatio ejuſdem S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die XII Decembris MDCXX, dicitur declaraſſe: nihilominus primodictus Ordo, quando ſe offerebat occaſio, aut neceſſitas, prędictos Judices Conſervatores eligendi varias patiebatur moleſtias, pluraque cogebatur ſuſtinere gravamina pro ſtabilienda prędicta facultate Judices Conſervatores eligendi, cum magno pręjudicio ipſius Ordinis, & graviſſimo detrimento ejus jurium, ac pii operis Redemptionis Captivorum; quod ex proprio Inſtituto, ac ſpeciali quarto, ſolemnique voto adminiſtrat, & profitetur: Et propterea ſupplicato primodictę Cardinalium Congregationi, ut declararet, memorato Ordini B. Marię de Mercede redemptionis Captivorum vigore communicationis privilegiorum ſupradictorum competere facultatem eligendi Judices conſervatores in caſibus a jure, & per ſpeciales Conſtitutiones Apoſtolicas permiſſis, tam pro perſonis, rebus, & bonis ipſius Ordinis, quam pro prefato opere redemptionis Captivorum juxta tenorem Conſtitutionum recolendę memorię Clementis PP. VIII, & Gregorii PP. XV, prędeceſſorum pariter noſtrorum, necnon declarationis dictę Congregationis: emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita Decretum tenoris qui ſequitur videlicet: Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita, attentis narratis, & communicatione privilegiorum hujuſmodi cenſuit, ejus vigore prefatę Religioni B. Marię de Mercede Redemptionis Captivorum competere jus eligendi ſervatis ſervandis ſibi Conſervatorem, prout ei competere pręſentis decreti tenore declarat, & decernit, contrariis quibuſcunque non obſtantibus, ac ſuper pręmiſſis expediri Breve, ſi Sanctiſſimo D N. placuerit. Romę X Septembris MDCLX. M. Card. Ginettus. Cum autem, ſicut dictus Franciſcus Nobis nuper exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia Apoſtolicę confirmationis noſtrę robore communiri ſummopere deſideret: Nos ipſum Franciſcum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum pręinſertum auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate ejuſdem Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari; Sicque in pręmiſſis per quoſ-

Nota.

quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra ubique adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis, ſub Annulo Piſcatoris, die IX Octobris MDCLX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Conſervatoribus.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum an. *MDCLXIII.*

Anno 1660 Die 17 Novembris.

XXV.

Peruanæ Provinciæ comitia prorogat (1) ad annum.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius Gonçalez (3) Frater, ac Procurator Provincię del Peru nuncupatę Ordinis Prędicatorum, quod dilectus filius Magiſter Generalis ejuſdem Ordinis juſtis ex cauſis adductus celebrationem Capituli Provincialis dictę Provincię quod die XXIV Julii proxime venturi Anni MDCLXI celebrari deberet, uſque ad diem XXIV Julii immediate ſequentis anni MDCLXII prorogavit per quaſdam ſuas patentes literas tenoris qui ſequitur, videlicet. Univerſis Patribus, & Fratribus Provincię S. Johannis Baptiſtę del Peru Ordinis Prędicatorum Fr. Johannes Baptiſta de Marinis, Sacrę Theologię Profeſſor ejuſdem Ordinis humilis Magiſter Generalis, & Servus, Salutem, & Paternam Benedictionem. Pervenit tandem ad nos poſt triennium ferme a celebratione noſtri ultimi Capituli Provincialis R. P. Pręſentatus (4) Frater Antonius Gonçalez veſtrę Provincię procurator, cui ob varios caſus, ac diverſa diſcrimina rerum citius huc accedere non licuit. Cum eodem accepimus ſcrutinium electionis veſtrę factę ſub die XXIV Menſis Julii MDCLVII, vixque tempus adfuit tranſmittendi ad vos hac prima claſſe confirmationem electionis in perſonam Admodum R. P. M. Fr. Johannis Lopez, quę utinam tempeſtive iſtuc perveniat, antequam ejus provincialatus expiret. At reliqua veſtrę Provincię negotia, ut maturius decidantur, huc uſque indeciſa manere oportuit; nec enim tempus ſuppetit, ut tam brevi intervallo faciamus ſatis difficultatibus veſtri diffinitorii, & ut ordinationes Capitulorum Generalium noſtrorum Prędeceſſorum, atque a Nobis ab eadem Provincia a ſua erectione, huc uſque pro temporum diverſitate editas, in pauciores, ac inter ſe magis cohęrentes reducamus, ne multitudine ordinationum, & inter ſe pugnantium ulla in vobis oriatur confuſio, ac propter hoc regularis diſciplina aliquod patiatur detrimentum, & ordinationum varietate, quarum aliquas pro diverſitate temporum oportebit e medio tollere, alias moderari, alias vero de novo condere prout magis expedire in Domino pro bono regimine veſtrę Provincię judicaverimus. Stabilienda ſunt inſuper ſtatuta Collegii noſtri Limenſis, quę hactenus nulla ſunt firmitate munita, & ut pręſcriptis legibus literarum ſtudia in eo quamprimum eſfloreſcere incipiant, prout ex toto corde cupimus, oportet etiam nos Sanctam Sedem Apoſtolicam conſulere circa plura, quę Nobis a veſtro ultimo diffinitorio ſunt propoſita. Quę omnia nequeunt mature tam brevi reſolvi, ut eorum deciſio ad vos perveniat ante celebrationem imminentis futuri Capituli Provincialis, ſi illud die XXIV Julii ſequentis Anni MDCLXI celebrari contingat. Cumque pro bono regimine iſtius Provincię neceſſarium exiſtimemus ea omnia in primo Capitulo veſtro Provinciali nota facere, ut omni ſemota dubietate, ac ordinationibus ad meliorem formam redactis, & his temporibus magis accommodatis poſſitis ardentius in lege Domini meditari. Idcirco re mature a nobis diſcuſſa, de graviorum Patrum conſilio, decrevimus proximum veſtrum capitulum ad alium annum prorogandum, prout tenore pręſentium, ac officii noſtri auctoritate, illud prorogamus, ac prorogatum declaramus, & decernimus uſque ad diem XXIV Julii Milleſimi Sexcenteſimi, ſexageſimi ſecundi: Mandantes in virtute Spiritus Sancti, ac Sanctę Obedientię, ſub formali pręcepto, necnon ſub pęna excommunicationis latę ſententię ipſo facto incurren., hac una pro trina canonica monitione pręmiſſa omnibus, & ſingulis ad prędictam electionem ſpectantibus, ne audeant convenire pro celebratione Capituli Provincialis uſque ad pręfixam diem XXIV Julii Milleſimi Sexcenteſimi Sexageſimi Secundi, Declarantes ex nunc pro tunc irritum, & inane quicquid in contrarium fuerit attentatum. Et ne Provincia veſtra expleto quadriennio moderni P. Provincialis ſine legitimo capite permaneat, tenore pręſentium, ejuſdemque officii noſtri auctoritate ex nunc prout ex tunc inſtituimus Vicarium, & Pręſidem Provincię prędictum Admodum R. P. M. Fr. Johannem Lopez actualem Provincialem uſque dum Provincialis de novo canonice electus in Provincia habeatur, dantes ei omnem in ſpiritualibus, & temporalibus poteſtatem, & auctoritatem, quam hujuſmodi Vicarii Generales, & Pręſides Provincię juxta noſtras Sacras Conſtitutiones habere ſolent, & conſueverunt. Non obſtantibus in contrarium quibuſcunque. In quorum fidem &c. Datum Romę in Conventu noſtro S. Marię ſuper Minervam die XII Maii MDCLX. Fr. Johannes Baptiſta de Marinis Magiſter Ord. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Antonius pręmiſſa pro firmiori eorum ſubſiſtentia Apoſtolicę confirmationis noſtrę robore communiri, ſummopere deſideret, Nos ipſum Antonium ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis ex-

excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis, ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus, quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, prorogationem celebrationis dicti Capituli Provincialis uſque ad diem XXIV Julii MDCLXII a memorato Magiſtro Generali, ſicut pręmittitur, factam, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, decernentes eaſdem pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, prędictorum Ordinis, & Provincię, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad pręmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII Novembris MDCLX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

S. Ugolinus.

1. *Prorogat.* Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Antonius Gonçalez.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Clementis X.*
4. *Præſentatus.*) Poſtea S. Theologiæ Doctor renunciatus, ut ex Conſtitutione data die *XX* Novembris *MDCLXIV* videre eſt.

De Confraternitate (1) S. Dominici in Suriano.

Anno 1661 Die 30 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VII.

XXVI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, in Eccleſia Conventus Fratrum Ordinis Prędicatorum Oppidi, ſeu loci Suriani, Miletenſis Diœceſis, una pia, & dovota utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas ſub denominatione S. Dominici in Suriano, vulgo nuncupata, non tamen pro hominibus unius ſpecialis artis canonice erecta, ſeu erigenda exiſtat, cujus Confratres, & Conſorores quamplurima pietatis, & caritatis opera exercere conſueverunt, Nos, ut Confraternitas hujuſmodi majora in dies ſuſcipiat incrementa, auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, Beatorumque Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui dictam Confraternitatem in poſterum ingredientur, die primo eorum ingreſſus, ſi vere pęnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſumpſerint, Plenariam, ac eiſdem tam deſcriptis, quam pro tempore deſcribendis in dicta Confraternitate Confratribus, & Conſororibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi vere pęnitentes, & confeſſi, ac ſacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti, nomen Jeſu ore ſi potuerint, ſin minus corde devote invocaverint, etiam Plenariam. Ac eiſdem nunc, & pro tempore exiſtentibus dictę Confraternitatis Confratribus, & Conſororibus, etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui prędictę Confraternitatis Eccleſiam, ſeu Capellam, vel Oratorium die decima quinta Menſis Septembris a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper dictis Confratribus, & Conſororibus, etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis Eccleſiam, ſeu Capellam, vel Oratorium hujuſmodi in Sancti Dominici, ac Sanctę Marię Magdalenę, ac Sanctę Catharinę Virginis, & Martyris, necnon Sancti Antonii Abbatis feſtis diebus, ut prędicitur, viſitantibus, & ibi orantibus, quo die prędictorum id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas. Quoties vero Miſſis, & aliis officiis in Eccleſia, ſeu Capella, vel Oratorio hujuſmodi pro tempore celebrandis, & recitandis, ſeu Congregationibus publicis, vel privatis ejuſdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procuraverint, vel etiam qui corpora defunctorum tam Confratrum, quam Conſororum hujuſmodi, quam aliorum ad ſepulturam aſſociaverint, aut quaſcunque proceſſiones de licentia Ordinarii faciendas, Sacratiſſimumque Euchariſtię Sacramentum tam in Proceſſionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicunque, & quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut ſi impediti campanę ad id ſigno dato ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem, & Salutationem eaſdem pro animabus defunctorum Confratrum, & Conſororum hujuſmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes pręcepta Dei, & ea, quę ad ſalutem ſunt docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, aut caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet prędictorum operum exercitio, ſexa-

ſexaginta dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus, pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ſi alias dictis Confratribus, & Conſororibus pręmiſſa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit, pręſentes nullę ſint, utque ſi dicta Confraternitas alicui Confraternitati, ſive dictę Archiconfraternitati aggregata jam ſit, vel in poſterum aggregetur, vel quavis alia ratione uniatur, aut etiam quomodolibet inſtituatur, priores, & quęvis alię literę Apoſtolicę illis nullatenus ſuffragentur, ſed ex tunc eo ipſo nullę ſint. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXX Septembris MDCLXI, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

S. Ugolinus.

1. *Confraternitate.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Suriano*.

Anno 1661 Die 23 Decembris.

XXVII.

Ut Ulyſſipponen. (1) Collegium SS. Roſarii, & Monaſterium B. Mariæ Virginis Boni Succeſſus pro Hibernis duntaxat Fratribus, & Monialibus ſint.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Collegii Sanctiſſimi Roſarii, ac dilectę in Chriſto filię Moniales Monaſterii B. Marię Virginis Boni Succeſſus nuncupati, Civitatis Ulixbonen. nationis Hibernię Ordinis Prędicatorum, quod alias dilectus filius Magiſter Generalis dicti Ordinis diſpoſitionibus antea factis inhęrens ordinavit, ac inviolabiliter obſervari mandavit, ut ex tunc in poſterum Collegium, & Monaſterium prędicta eſſent, & forent in perpetuum deputata pro Fratribus, ac Monialibus reſpective nationis, & Ordinis prędictorum, ac alias prout uberius aſſeritur contineri in ejuſdem Magiſtri Generalis literis patentibus, tenoris qui ſequitur videlicet. Nos Frater Johannes Baptiſta de Marinis Sacrę Theologię profeſſor Ordinis Prędicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus. Cum a Nobis, & Prędeceſſoribus noſtris ordinatum fuerit Collegium Sanctiſſimi Roſarii, ac Monaſterium Sanctimonialium noſtrarum Dominę noſtrę Boni Succeſſus in Regno Portugallię manutenenda eſſe, ac fore pro Patribus, ac Sororibus Nationis Hibernię, prout hactenus obſervatum fuit, & obſervatur; ad majorem tamen voluntatis noſtrę expreſſionem attendentes, tam dictum Collegium Sanctiſſimi Roſarii, quam Monaſterium Sanctimonialium noſtrarum Dominę noſtrę Boni Succeſſus pro Regno Portugallię fuiſſe fundata, & erecta pro Patribus, & Sororibus dictę Nationis Hibernę, necnon conſiderantes prędictos Patres, ac Sorores his calamitoſis temporibus ab hęreticis ejectos fuiſſe a toto Regno Hibernię, harum ſerie, ac officii noſtri auctoritate inhęrentes diſpoſitionibus alias factis, ordinamus, ac inviolabiliter obſervari mandamus, in poſterum dictum Collegium, & Monaſterium eſſe, ac fore in perpetuum deputata pro Fratribus, ac Sororibus noſtris reſpective Nationis Hibernę. Pręcipientes in virtute Spiritus Sancti, ac ſanctę obedientię, ſub formali pręcepto, necnon ſub pęna excommunicationis latę ſententię ipſo facto incurrenda, hac una pro trina canonica monitione pręmiſſa, omnibus, & ſingulis noſtrę curę ſubjectis, cujuſcunque ſint gradus, & conditionis, ne ullo modo directe, nec indirecte, nec per ſe, nec per alios audeant quicquam in contrarium attentare, petere, aut exequi. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Quibuſcunque &c. In quorum &c. Datum Romę in Coventu noſtro Sanctę Marię ſuper Minervam die XV Aprilis MDCLV. F. Johannes Baptiſta de Marinis Magiſter Ordinis. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, firmiora ſint illa, quę Sedis Apoſtolicę munimine roborantur, Nobis propterea ipſi exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur illos ſpecialibus &c. volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ordinationem, & mandatum a memorato Magiſtro Generali, ſicut pręmittitur, facta, expeditaſque deſuper ejuſdem literas patentes pręinſertas, cum omnibus, & ſingulis contentis in illis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui in illis quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam &c. Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, prędicti Ordinis, & aliis quibuſvis etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores &c. derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Decembris MDCLXI, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Ulyſſipponen.*) In *Portugallia*.

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Nea-

Neapolitan. Confraternitatem (1) Cinguli S. Thomæ Indulgentiis ornat.

Anno 1662 Die 8 Januarii.

XXVIII.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, in Eccleſia Sanctę Marię Sanitatis nuncupata domus Fratrum Ordinis Prędicatorum in ſuburbiis Civitatis Neapolitanę una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas, ſub denominatione Cinguli Sancti Thomę Aquinatis, non tamen pro hominibus unius ſpecialis artis canonice erecta, ſeu erigenda extat, cujus Confratres, & Conſorores, quamplurima pietatis, & caritatis opera exercere conſueverunt, Nos, ut Confratres hujuſmodi majora in dies ſuſcipiant incrementa, auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui dictam Confraternitatem in poſterum ingredientur, die primo eorum ingreſſus, ſi vere pęnitentes, & confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſumpſerint, Plenariam, ac eiſdem tam deſcriptis, quam pro tempore deſcribendis in dicta Confraternitate Confratribus, & Conſororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi vere pęnitentes, & confeſſi, ac ſacra Communione refecti, aut, quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin minus corde devote invocaverint, etiam Plenariam, ac eiſdem nunc, & pro tempore exiſtentibus dictę Confraternitatis Confratribus, & Conſororibus etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui prędictę Confraternitatis Eccleſiam, vel Capellam, ſeu Oratorium die duodecima Februarii a primis veſperis, uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper dictis Confratribus, & Conſororibus, etiam pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, Eccleſiam, vel Capellam, ſeu Oratorium hujuſmodi in ſecunda Dominica Maii, in octava Commemorationis omnium defunctorum, vigeſima octava Januarii, ac decima quinta Martii diebus, ut pręfertur, viſitan., & ibi oran., quo die id egerint ſeptem annos, & totidem quadragenas, quoties vero Miſſis, & aliis officiis in Eccleſia, ſeu Capella, vel Oratorio hujuſmodi pro tempore celebran., & recitan., ſeu Congregationibus publicis, vel privatis ejuſdem Confraternitatis ubivis facien. intervenerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procuraverint, vel etiam corpora defunctorum, tam Confratrum, & Conſororum, quam aliorum ad ſepulturam aſſociaverint, aut quaſcunque Proceſſiones de licentia Ordinarii facientes, Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum, tam in Proceſſionibus, quam cum ad infirmos, aut ubicunque, & quandocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut ſi impediti, campanę ad id ſigno dato, ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem, & Salutationem eaſdem pro animabus defunctorum Confratrum, & Conſororum hujuſmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes pręcepta Dei, & ea, quę ad ſalutem ſunt, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, & caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet prędictorum operum exercitio ſexaginta dies de injunctis eis, & alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus. Pręſentibus, perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod ſi alias dictis Confratribus, & Conſororibus pręmiſſa peragentibus alia aliqua Indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit, pręſentes nullę ſint, utque ſi dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam ſit, vel in poſterum aggregetur, vel quavis alia ratione uniatur, aut etiam quomodolibet inſtituatur, priores, vel quęvis alię literę Apoſtolicę illis nullatenus ſuffragentur, ſed ex tunc etiam nullę ſint eo ipſo. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VIII Januarii MDCLXII, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

S. Ugolinus.

1. *Confraternitatem.*) De quâ in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Neapolitan.*

Ne quis ex aliis Cœnobiis ad Neapolitan. S. Mariæ Sanitatis transferatur (1).

Anno 1662 Die 1 Martii.

XXIX.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

IN illis Apoſtolici noſtri muneris partes favorabiliter interponimus per quę Regularium domorum quarumcunque felici ſtatui opportune conſuli judicamus. Cupientes itaque Conſtitutionem ſeu ordinationem Clementis PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri alias editam circa affiliationes ab uno ad alium Conventum transferendas obſervari, ac fraudibus, quę plerumque ea occaſione commiſſę fuerunt obviam

obviam iri, illaſque e medio tolli, necnon dilectum filium Franciſcum Piſcopum Fratrem Ordinis Prędicatorum, ac Procuratorem Conventus Sanctę Marię Sanitatis nuncupat. Neapolitan. ejuſdem Ordinis ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, quod de cetero affiliationes, & translationes filiorum aliorum Conventuum dicti Ordinis ad dictum Conventum Sanctę Marię Sanitatis nuncupatum nullo ſub prętextu, quęſito colore, vel ingenio fieri poſſint, aut ſi quandocunque per Nos, ſeu pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem, aut Sedem Apoſtolicam affiliationes, & translationes hujuſmodi, contra ejuſdem Conſtitutionis, ſeu ordinationis formam fieri, & deſuper diſpenſari contingat, illę non valeant, nullumque effectum ſortiri debeant, niſi de conſenſu omnium, & ſingulorum filiorum, vel eorum majoris partis, tam pręſentium, quam abſentium, memorati Conventus Sanctę Marię Sanitatis in eadem Civitate exiſtentium ad diem, & horam determinatos, intimatorum, & poſtmodum capitulariter congregatorum, nemine prorſus excepto, per ſecreta ſuffragia, ut moris eſt, pręſtando. Quod ſi, & quando ejuſmodi affiliationes alias juxta pręſentium continentiam, & tenorem fierent, illę nullę, & irritę ſint, & eſſe cenſeantur, & ſi deſuper derogari contigerit, pręmiſſis nullatenus derogatum ſit, aut eſſe intelligatur, niſi de pręſentibus literis plena, & expreſſa mentio fiat, ſicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate Apoſtolica, earundem tenore pręſentium, decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Conventus hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die I Martii MDCLXII, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

S. Ugolinus.

1. *Transferatur.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1663. Die 30 Maii.

XXX.

Ne Converſi tranſeant (1) ad ſtatum Clericalem, & ne Clerici Fratres Sacros Ordines ſuſcipiant ante legitimam ætatem.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Creditę Nobis ex alto diſpenſationis ratio poſtulat, ut paternam Chriſti fidelium, qui e fluctibus ſeculi in religioſę vitę portum confugerunt, curam gerentes, illa, quę felici eorum directioni, & regulari diſciplinę officere noſcuntur, de medio tollere ſtudeamus, ſicut in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magiſter Generalis Ordinis Prędicatorum, quod in pleriſque dicti Ordinis Provinciis Indiarum non ſine notabili regularis diſciplinę, ſtudiorum, & communis quietis, paciſque detrimento, Fratres ejuſdem Ordinis paſſim ante legitimam ętatem a Concilio Tridentino pręſcriptam mittuntur, & admittuntur ad majores ordines ſuſcipiendos, eo quod prętendant adeſſe illic privilegium ſpeciale deſuper Ordini prędicto, aut alteri Religioni, cum qua Ordo ipſe in privilegiis communicat, a Sede Apoſtolica indultum, circa prima dictarum Provinciarum, & converſionum initia, ſive quod ibidem Epiſcopi, & Archiepiſcopi ex noviſſima quadam conceſſione Apoſtolica ob penuriam operariorum habeant, aut habere putentur, amplam ea in re facultatem. Ac inſuper in eiſdem Provinciis paſſim irrepſit abuſus intolerabilis, quo Fratres Converſi, ſeu Laici, arte, ac ſolertia Clericalem Religionis habitum, ſacroſque Ordines abſque legitima Superiorum dicti Ordinis permiſſione ſuſcipere non verentur, dum videlicet de una in aliam Provinciam commeantes, ſeſe mox Clericos profeſſos fingunt, ac falſificatis dimiſſorialibus literis ſe offerunt Epiſcopis initiandos, tametſi in prędicto Ordine Prędicatorum omnis Converſorum tranſitus ad habitum Clericalem ſit legibus quam ſeveriſſimis interdictus. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Magiſter Generalis agnoſcat, ac deprehendat fore plurimum e re divini obſequii, cultuſque ac decentię, necnon clauſtralis obſervantię, & arctioris educationis, ſi validum adverſus hujuſmodi pręmaturas ordinationes remedium admoveatur, & proinde qualicunque hujuſmodi privilegio, ſi quod in illis partibus, vel prędicto ejus Ordini immediate conceſſum, vel per communicationem ab alio quocunque Ordine participatum habetur, in manibus noſtris renunciet, cupiatque opportune a Nobis in pręmiſſis provideri, & ut infra indulgeri. Nos ipſum Magiſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pę-

& pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes; ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; dictamque privilegii renunciationem ab eodem Magiſtro Generali factam, ut pręfertur, harum ſerie admittentes, & acceptantes, quod de cetero non minus in ſupradictis Provinciis Indiarum, quam in Europa, prędicti Ordinis Prędicatorum regulares univerſi, ac ſinguli, priuſquam ad ſacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordines aſcendant, ętatem, ad tales ordines ſuſcipiendos per Decreta Concilii Tridentini pręd icti reſpective requiſitam, omnino expleviſſe debeant; niſi cum aliquibus nominatim, & in caſu ſingulari per literas Apoſtolicas in ſimili forma Brevis toties quoties impetrandas, & Ordinationi exhibendas ſuper hujuſmodi ętatis defectu canonice diſpenſatum fuerit, quemadmodum fit in Europa, quodque facultates, ſi quę jam datę ſint, ſive in poſterum dentur, illarum Regionum Epiſcopis, & Archiepiſcopis conferendi Majores Ordines hujuſmodi ante legitimam ętatem, ad Fratres dicti Ordinis Prędicatorum nequaquam extendi cenſeantur, neque his ibi, aut ullibi ſuffragari poſſit ad ullum pręmaturę ordinationis effectum, quęcunque communicatio privilegiorum cuicunque Religioni conceſſorum, aut concedendorum auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium decernimus, & declaramus. Pręterea quibuſvis ſupradictarum Provinciarum in Indiis conſiſtentium Ordinis pręd icti Fratribus Laicis, ſeu Converſis, ne ſine legitima Superiorum ejuſdem Ordinis permiſſione e ſtatu Converſorum ad ſtatum, & habitum Fratrum Clericorum dicti Ordinis tranſire, aut etiam ultra ad ſacros ordines ſeſe intrudere audeant, vel pręſumant quovis modo ſub excommunicationis latę ſententię pęna per contraventores eo ipſo abſque alia declaratione incurrenda, auctoritate, & tenore pręſentium prohibemus, & interdicimus. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, pręd ictorum Ordinis, & Provinciarum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXX Maii MDCLXIII, Pontificatus noſtri Anno Nono.

S. Ugolinus.

1. *Tranſeant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſa.

Limana, ſeu Civitatis Regum, Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servæ Dei Roſæ (1) de Sancta Maria Tertii Ordinis S. Dominici.

Anno 1663 Die 4 Auguſti.

XXXI.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

SUpplicante Eminentiſſimo de Aragona nomine Regis Catholici ad Sanctiſſimum, ut reaſſumeretur in Sacra Rituum Congregatione Cauſa Beatificationis, & Canonizationis dictę venerabilis Servę Dei Roſę de Sancta Maria Tertii Ordinis de S. Dominico, ad effectum poſtea ſignandi Commiſſionem ad conficiendum Proceſſum particularem ſuper non Cultu, ad formam Decretorum ſanctę memorię Urbani VIII, & remiſſis precibus a Sanctiſſimo dictę Congregationi; Eadem cenſuit, proponente Eminentiſſimo Azzolino, referendam eſſe cauſam, & ſtatum illius in Pręparatoria hac die IV Auguſti MDCLXIII.

1. *Roſa.*) De qua ſæpius.

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Prohibet Fundationes (1) Conventuum Regularium, intra ſpatium quatuor, vel quinque leucarum a jam erectis.

Anno 1663 Die 6 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXII.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ALias pro parte dilecti filii Petri Roche Commiſſarii Generalis Curię pro familia Ultramontana Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de obſervantia nuncupatorum Congregationi venerabilium Fra-

Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitę expoſito, quod dudum felicis recordationis Clemens PP. VIII, Prędeceſſor noſter, conſiderans in Provincia Carthaginenſi dicti Ordinis tam anguſta, tantam multitudinem Conventuum Regularium diverſorum Ordinum reperiri, ibique nihilominus adeſſe prętenſiones novarum fundationum, ex quibus quamplurima oriebantur inconvenientia, ordinaverat, ne in poſterum ędificari poſſet ullus Conventus intra ſpatium quatuor, vel quinque leucarum a jam erectis, prout in ejuſdem Clementis Prędeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis expeditis plenius dicitur contineri, & in eadem expoſitione ſubjuncto, quod in Provincia Valentina Fratrum de obſervantia, & S. Johannis Baptiſtę Fratrum Diſcalceatorum dicti Ordinis S. Franciſci in Regno Valentię eadem inconvenientia ſequebantur, cum intra ſpatium quadraginta quatuor leucarum longitudinis, & decem latitudinis, viginti tres Fratrum de obſervantia, ac viginti Fratrum Diſcalceatorum, & ſexdecim Conventus Fratrum Minorum ejuſdem S. Franciſci Cappuccinorum nuncupatorum, Hoſpitalia quoque quamplurima pauperum ex eleemoſynis viventium, necnon triginta Monaſteria Monialium continentur, pręter centum Conventus diverſorum Ordinum, quorum major pars eſt Mendicantium, ex quibus, & ſeculares valde gravantur, & quamplurimę ob novarum fundationum prętenſiones prę ſertim Fratrum Cappuccinorum, Carmelitarum, Trinitariorum Diſcalceatorum, & aliorum, tam inter ſeculares, quam inter regulares oriuntur diſcordię, cum maximo regularis diſciplinę detrimento, ac atiam populorum ſcandalo. Ideoque Congregationi prędictę ſupplicato, ut ordinaret, ne in dictis Provinciis, ſeu Regno, ullus Conventus, domus, ſive Hoſpitium Fratrum Cappuccinorum, Carmelitarum, Trinitariorum, ſive quorunlibet Regularium intra ſpatium quatuor, vel quinque leucarum a jam fundatis erigeretur abſque expreſſa Sedis Apoſtolicę licentia, prout in Provinciis Burgen., Granaten., Aragonię, & Majoricen. ſimiliter ordinatum fuit, emanavit ab eadem Congregatione decretum tenoris qui ſequitur, videlicet. *Sacra* Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita, attentis narratis cenſuit, & decrevit ſervandam eſſe formam, & diſpoſitionem memorati Brevis ſanctę memorię Clementis VIII, etiam in Provinciis Valentię Obſervantium, & Sancti Johannis Baptiſtę Diſcalceatorum Ordinis hujuſmodi, atque ita Fratribus cujuslibet Ordinis Mendicantis, novorum Conventuum, Hoſpitiorum, ſeu domorum, & ſub quovis titulo habitantium permanentium erectionem abſque S. Sedis Apoſtolicę licentia contra tenorem dicti Brevis, & Apoſtolicarum Conſtitutionum in prędictis Provinciis eſſe prohibendam, & interdicendam, prout harum ſerie prohibet, & interdicit, contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Romę XXII Junii MDCLXIII. M. Cardinalis Ginettus. Cum autem, ſicut dictus Petrus Nobis nuper exponi fecit, ipſum decretum hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia, & obſervatione Apoſtolicę confirmationis noſtrę robore communiri ſummopere deſideret, Nos ipſum Petrum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum pręinſertum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in prędictis auctoritate prędictę Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI Auguſti MDCLXIII, Pontificatus noſtri Anno Nono.

S. Ugolinus.

1. *Fundationes.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſum anno *MDCLXIII.*

Indic-

Indiarum Provinciales electionis (1) acta mittere tenentur, ut Generalis Magiſter ipſam confirmare, vel reſcindere poſſit. Anno 1663. Die 7 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VII. XXXIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

SAcroſancti Apoſtolatus ſolicitudo, quam, meritis licet, & viribus longe impares, auctore Deo, gerimus, Nos admonet, ut circa ſtatum perſonarum quarumlibet divinis obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipatarum propenſis ſtudiis intendentes, illarum felici directioni, & regulari obſervantię ſalubriter, quantum Nobis ex alto conceditur, conſulere ſatagamus, ſicut rerum, locorum, temporum, & perſonarum qualitatibus mature conſiderationis trutina perpenſis, arbitramur in Domino rationi eſſe conſentaneum. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magiſter Generalis Ordinis Pręedicatorum, quod dudum Provinciis Indiarum dicti Ordinis ob immanem eorum ab hac alma Urbe diſtantiam, mox ab earundem inſtitutionis initio proviſum fuit de Indulto, aut privilegio reſpective, quo illic Capitulis provincialibus conceditur primo Diffinitori, vel Diffinitorio facultas confirmandi ſtatim Provincialem ibidem electum, vel quod ipſa electio ſit ſimul confirmatio. Et ſpecialiter pro Provincia S. Jacobi de Mexico Ordinis hujuſmodi quondam Johannes de Fenario dum vixit Magiſter Generalis ejuſdem Ordinis impetravit a felicis recordationis Clemente PP. VII prędeceſſore noſtro literas in ſimili forma Brevis die XI Julii MDXXXII, expeditas, quarum initium eſt, Paſtoralis officii &c. in quibus diſponitur, ut Prior Provincialis ipſius Provincię juxta Conſtitutionum ipſius Ordinis tenorem eligi, & per Diffinitorium Capituli caſſari, aut confirmari ad officium ipſum acceptandum, cenſuris eccleſiaſticis compelli poſſit; Et ſi contingat Diffinitorium in partes ęquales dividi, tunc eligatur ab eiſdem Diffinitoribus unus alius Religioſus de dicta Provincia, & ea pars Diffinitorii, cui talis electus adhęſerit, Provincialem caſſet, aut confirmet, prout videbitur expedire. Verum, ne hujuſmodi conceſſiones, quę proviſionales ſunt, cum ingenti Ordinis prędjudicio ex ſiniſtra intelligentia traherentur in pernicioſum abuſum, ac ſenſum a mente concedentium alienum, intelligendo quod eſſent ſolemnes, & definitivę, Capitulum generale dicti Ordinis, Romę anno MDLXXXIX celebratum, remedium adhibuit, ac ordinavit, quod Provinciales Provinciarum Indiarum ſtatim poſt eorum electionem, juxta privilegia ipſis Provinciis conceſſa munere ſuo fungerentur, tenerentur tamen ſaltem intra biennium ad Magiſtrum Generalem ejuſdem Ordinis mittere decretum ſuę electionis pro ſui, & totius Ordinis Capitis debita recognitione, & hoc ſub pęna privationis officii ipſo facto incurrenda, & inhabilitatis in poſterum. Quam quidem ordinationem quondam Thomas Turchus dum vixit Magiſter Generalis Ordinis prędfati inter alias, quas pro Provinciis Indiarum ex factis a ſuis prędeceſſoribus, & a Capitulis generalibus compilavit Cęſarauguſtę anno MDCXLVIII, explicavit hoc, adjecto, ut Magiſter Generalis electionem, vel confirmare, vel caſſare poſſet, prout ſibi in Domino videretur. Quę omnia conſiderans Capitulum generale dicti Ordinis, itidem Romę Anno MDCLVI celebratum, innovavit, auxit, & communivit prolixa ordinatione pro Provinciis Indiarum in communi, numero V, tenoris qui ſequitur, videlicet: Cum in Capitulo generali, Romę MDLXXXIX ſic ordinatum fuerit, Provinciales Provinciarum Indiarum ſtatim poſt eorum electionem juxta privilegia ipſis Provinciis conceſſa, munere ſuo fungantur, teneantur tamen ſaltem intra biennium ad Reverendiſſimum Patrem Generalem mittere decretum ſuę electionis pro ſui, & totius Ordinis Capitis debita recognitione, ut electionem, vel confirmare, vel caſſare poſſit, prout ſibi in Domino videbitur expedire, & hoc ſub pęna privationis officii ipſo facto incurrenda, & inhabilitatis in poſterum, Nos hujuſmodi ordinationem velut ſanctę obedientię, & unitati indiviſę noſtri Ordinis ſumme neceſſariam extremo, quo poſſumus, connixu munimus, ſtabilimus, & inſuper ordinando adjicimus, quod Provincialis, quiſquis electionis ſuę ſcrutinium, ſeu decretum intra tempus ſupra expreſſum, ac prędfixum, Magiſtro Ordinis non miſerit, poſt ſuum Provincialatum in omnibus habeatur, ac ſi revera Provincialis non fuiſſet. Proinde in virtute Spiritus Sancti, ſanctę obedientię ſub formali pręcepto, necnon ſub nullitate cujuſcunque actus in contrarium prohibemus, tum ne talis poſt ſuum Provincialatum, potiatur, aut potiri permittatur loco illis alias debito qui quondam Provinciales fuerant, tum etiam ne poſſit deinceps toto vitę ſuę tempore eligi, vel quoquomodo applicari ad officia Prioris, Viſitatoris, Vicarii, Doctrinarii, ſive ad alia munia, etiam Scholaſtica, quorum omnium ex nunc ſimpliciter incapax decernitur, ac declaratur, ita quod tali neque prętacti loci, neque vocis paſſivę jus ullum ſuffragari poſſit, donec Magiſtri Ordinis ſuperveniens confirmatio realiter ipſi Provincię illata, ac notificata plene conſtare fecerit electionem fuiſſe bonam, & ſuprema Ordinis auctoritate ſolemniter, legitimeque agnitam, & approbatam. Quod ſi in aliqua, aut aliquibus, harum Provinciarum, adſit, vel adeſſe prętendatur qualecunque Indultum, Privilegium, exceptio, diſpenſatio, aut qualiſcunque nominis exemptio, tollens, minuens, atque ſuſpendens Ordinationem ſupradictam, ejuſve obligationem, aut pęnas appoſitas, Nos hodie communi, ac publico nomine totius Ordinis Prędicatorum, quem in hoc generali conſeſſu legitime reprępreſentamus, hujuſcemodi privilegio, indulto, exceptioni, diſpenſationi, ac cujuſcunque nominis exemptioni, ſi qua eſt, vel putatur eſſe, tanquam regularis obedientię pernicioſo detrimento, ſeu facillimę ſchiſmatum occaſioni. deliberato, ſerio, ac expreſſe renunciamus, ac renunciatum eſſe denunciamus. Denique obteſtamur Reverendiſſimum Magiſtrum Ordinis, ut quandocunque contingeret ex aliqua harum Provinciarum non tranſmitti ad ſe ſcrutinium, ſeu decre-

decretum electionis novi Provincialis, viciſſim ipſe acta illius Capituli Provincialis, ſi qua forte ſeorſim ad manus ſuas pervenerint, nequaquam approbet, nec ullas graduum poſtulationes exaudiat, aut ullius promotionis patentes expediri jubeat, neque inſtitutiones Prędicatorum Generalium in hujuſmodi actis exponi ſolitas admittat, vel ratas habeat, nec taliter factę inſtitutiones ullum ſortiantur effectum, quoad uſque electus Provincialis fuerit per Magiſtrum Ordinis confirmatus, hujuſque confirmationis patentes in Provincia ſint promulgatę. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, pręinſertis ordinationibus non obſtantibus, pręfata Provincia Sancti Jacobi de Mexico ſub moderno Generalatu deſtiterit ſponte, ac deſciverit a lege, & obligatione transmittendi, & ſubmittendi dicto Magiſtro Generali exponenti decreta, ſeu ſcrutinia electionum duorum Priorum Provincialium proxime prętéritorum, pro obtinenda legitima ipſarum confirmatione, vel ſi in Domino conveniens videretur, caſſatione; Nobis propterea ipſe Magiſter Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eundem Magiſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitorum, ad quos preces hujuſmodi remiſimus, viſis, & mature conſideratis, ac perpenſis per eoſdem Cardinales memoratis Clementis Prędeceſſoris noſtri in forma Brevis literis, & pręinſerto Statuto Capituli Generalis celebrati de anno MDCLVI, ipſum Statutum auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, eique inhęrendo expreſſe decernimus in poſterum Provinciales nedum Mexicanę, ſed etiam aliarum Provinciarum Indiarum Ordinis hujuſmodi immediate poſt eorum, ſeu cujuslibet eorum capitularem electionem munere ſuo fungi debere; teneri tamen ſaltem intra biennium ad Magiſtrum Generalem Ordinis prędicti tranſmittere decreta, & acta ſuarum electionum, ut ipſe Magiſter Generalis eaſdem electiones confirmare, vel caſſare poſſit, prout ſibi juris eſſe, videbitur: Aliter in caſu contraventionis ipſo jure, & ipſo facto, & abſque ulla declaratione intelligantur privati ſuo Provincialatu, & habeantur in omnibus, ac ſi Provinciales non fuiſſent, ſintque pariter privati voce activa, & paſſiva, & inhabiles in perpetuum nedum ad prędictum officium Provincialatus, verum etiam ad quęcunque alia Prioris, Viſitatoris, Vicarii, Doctrinarii, ſive alia munia, etiam Scholaſtica, & ſubjaceant effective omnibus, & ſingulis pęnis in pręfato Statuto contentis. Ne autem ex dubio ſuper validitate, vel nullitate electionum hujuſmodi erga Provinciales electos obedientia denegetur, vel ſubſequantur nullitates, auctoritate, & tenore pręfatis, volumus, & mandamus, eaſdem electiones, dummodo ſufficienti votorum numero a ſuffragantibus capitulariter ſint factę, quicquid forte reclametur, aut opponatur, quoad uſque expectabitur reſponſio Magiſtri Generalis, tanquam canonicas, & legitimas habendas eſſe, ſupplendo pro interim ex nunc pro tunc omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, qui in eis forſan interceſſerint reſpective. Salva ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, inviolabiliter obſervari: Sicque in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus Fratribus illarum partium Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis locorum Ordinariis, & eorum cuilibet per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, & eorum quilibet per ſe, vel alium, ſeu alios, ubi, & quando opus fuerit, & quoties ipſorum aliquis, ſeu aliqui deſuper fuerint requiſiti, ſive etiam ex officio procedentes, eaſdem pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque ſolemniter publicantes, faciant auctoritate noſtra, ipſas pręſentes literas, & in eis contenta hujuſmodi, ab illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit quovis modo in futurum in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcuſſe ſervari, & executioni demandari. Contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, omni appellatione remota, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pęnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus ſupradictis Clementis prędeceſſoris literis, ac recolendę memorię Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris pariter noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate pręſentium in judicium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, pręfatorum Ordinis, & Provinciarum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur quę pręſentibus ipſis adhiberetur ſi forent exhibitę vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII Auguſti MDCLXIII, Pontificatus noſtri Anno Nono.

S. Ugolinus.

1. *Electionis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXIII.*

Li-

Limana, ſeu Civitatis Regum, Beatificationis, & Canonizationis venerabilis Servæ Dei Roſæ (1) a S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici.

Anno 1663 Die 26 Novembris. XXXIV.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

SAcra Rituum Congregatio pro referenda cauſa Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servę Dei Roſę a S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici, cujus commiſſio, referente Eminentiſſimo Azzolino, ſignata fuit in Congregatione habita coram Sanctiſſimo die XXV Septembris proxime pręteriti, iterum deputavit, in relatorem eundem Eminentiſſimum Azzolinum, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit hac die XXIV Novembris MDCLXIII. Et facta de prędictis relatione Sanctiſſimo per Eminentiſſimum Ginettum Pręfectum in Conſiſtorio, Sanctitas Sua benigne annuit die XXVI Novembris MDCLXIII.

1. *Roſæ*.) De qua ſæpius.

2. *Archivo*.) In quo exemplar.

Limana, ſeu Civitatis Regum.

Anno 1663 Die 26 Novembris. XXXV.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CUm, referente Eminentiſſimo Azzolino in Congregatione habita coram Sanctiſſimo die XXV Septembris proxime pręteriti, ſignata fuit commiſſio cauſę dictę (2) Servę Dei, hodie S. Rituum Congregatio pro conficiendo proceſſu particulari ſuper non cultu ad formam decretorum, deputavit Eminentiſſimum Vicarium in Urbe, cum facultate, ipſo impedito, ſubdelegandi aliquem Epiſcopum, & cum aliis facultatibus deſuper neceſſariis, & opportunis, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit hac die XXIV Novembris MDCLXIII. Et facta de prędictis relatione Sanctiſſimo per Eminentiſſimum Ginettum Pręfectum in Conſiſtorio, Sanctitas Sua benigne annuit die XXVI ejuſdem Menſis.

1. *Archivo*.) In quo exemplar.

2. *Dictæ*.) Venerabilis ſcilicet Servæ Dei, nunc Sanctæ, *Roſa a S. Maria*, de qua ſæpius.

Limana, ſeu Civitatis Regum, Beatificationis, & Canonizationis venerabilis Servæ Dei Roſæ (1) a S. Maria Tertii Ordinis Prædicatorum.

Anno 1664 Die 17 Martii. XXXVI.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

COnfecto coram Eminentiſſimo Urbis Vicario Delegato a Congregatione Sacrorum Rituum Proceſſu particulari ſuper paritione decretorum a felicis recordationis Urbano VIII editorum in Congregatione Sanctiſſimę Inquiſitionis, ſuper non cultu, ejuſdemque, ac ſententię ab eodem Eminentiſſimo latę plena relatione facta per Eminentiſſimum Cardinalem Azzolinum, auditoque in voce, ac ſcripto R.P.D. Promotore Fidei, eadem Sacra Congregatio cenſuit, ac decrevit in hac cauſa poſſe ad ulteriora procedi. Hac die XV Martii MDCLXIV. Cui decreto, facta de prœmiſſis relatione Sanctiſſimo per Eminentiſſimum Cardinalem Ginettum Pręfectum in Conſiſtorio, Sanctitas Sua benigne annuit die XVII ejuſdem Menſis, & Anni.

Loco ✝ ſigilli.

M. Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Ginettus.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Sec.

1. *Roſæ*.) De qua ſæpius.

2. *Archivo*.) In quo autographum.

De officio B. Alberti Magni (1) recitando a Fratribus Venetæ ditionis.

Anno 1664 Die 3 Maii. XXXVII.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

V E N E T A.

FRatres Venetę ditionis ſub Regula S. Dominici militantes ob ſingularem devotionem, quam profitentur erga Beatum Albertum Magnum humillimas Sanctiſſimo preces porrexerunt, ut in die illius feſti recitare ſibi liceat in omnibus eorum Eccleſiis Officium, & Miſſam ejuſdem Beati ad formam conceſſionis factę a ſancta memoria Urbani VIII in tota Germania ad preces Cęſareę Majeſtatis de anno MDCXXXV die VI Martii. Et Sanctitas Sua ad majorem dicti Beati gloriam benigne annuit, & prędictum decretum expediri mandavit. Hac die III Maii MDCLXIV.

Loco ✝ ſigilli.

M. Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Ginettus.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *B. Alberti Magni*.) De quo ſæpius.

2. *Archivo*.) In quo autographum, & exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno MDCLXIV.

De

Anno 1664
Die 28 Maii.

XXXVIII.

De Roſario (1) Seraphico, & id genus ceteris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

IN ſupremo militantis Eccleſię ſolio, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinę bonitatis abundantiam conſtituti, exortas inter religioſos viros controverſias opportunis rationibus dirimere ſtudemus ſicut in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Itaque dilectum filium Procuratorem Generalem Ordinis Prędicatorum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus prępoſitorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium declaramus ad favorem dilectorum filiorum Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum Toloſę commorantium non licere dilectis pariter filiis Fratribus Ordinis Minorum Sancti Franciſci de obſervantia nuncupatorum, minuſque Confraternitati in eorum Eccleſia magni Conventus erectę ſub titulo Conceptionis Sanctiſſimę Virginis Immaculatę, illiuſque Confratribus facere Proceſſionem prima Dominica cujuslibet menſis, nec poſſe prędictos Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci de obſervantia novum Roſarium ſub titulo Seraphici, aut novem novendarum, vel alterius rationis inducere, prędicare, & docere, nec in Litaniis B. Virginis aliquid innovare, nec tabellam exponere, in qua Beatiſſima Virgo Dei Mater det Roſarium Sanctis Franciſco, & Clarę, prout etiam pręfata omnia fieri prohibemus, & ſervari mandamus. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę pręſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Maii MDCLXIV, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

S. Ugolinus.

1. *Roſario.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXIV.* In *Bullario Romano* eſt *CXLIX.* Huc ſpectant tria Decreta, quæ refert *Percinus* noſter in *Monumentis Conventus Toloſani Cap. X Opuſculi de Roſario pag.* 132.

VIſa ſententia per Vicarios Generales Toloſæ lata XVI Septembris proximi ſuper diverſis controverſiis inter Fratres Dominicanos, & Franciſcanos, & per Procuratorem Ordinis Sancti Dominici in Sacra Rituum Congregatione exhibita, Eminentiſſimi Cardinales Sac. Congregationi Rituum præpoſiti eandem ſententiam ſervandam eſſe juſſerunt. Hac die XXIV Novembris MDCLXIII. S. M. Cardinalis Ginettus. Bernardinus Caſalius, S. R. C. S.

Cum Fratres Minores obſervantiæ Ordinis Sancti Franciſci Sacræ Rituum Congregationi ſupplicaverint ſe manuteneri in poſſeſſione faciendi Proceſſionem Sanctiſſimæ Conceptionis prima Dominica cuju libet Menſis. Eadem Sacra Congregatio reſpondit. Pareant ſententiæ per Vicarios Generales Toloſæ latæ die XVI Septembris proxime præterita inter ipſos, & Dominicanos, & ita ſervari mandavit hac die XXIV Novembris MDCLXIII, cujus Decreti duplicatum expeditum fuit die III Decembris MDCLXIII. S. M. Cardinalis Ginettus. Bernardinus Caſalius S. R. C. Secretarius.

Referente Eminentiſſimo Cardinali Franciotto Sacra Rituum Congregatio declaravit ad favorem Fratrum Prædicatorum Toloſæ, non licere Franciſcanis obſervantiæ S. Franciſci, minuſque Confraternitati in eorum Eccleſia magni Conventus erectæ ſub titulo Conceptionis Sanctiſſimæ Virginis Immaculatæ, illiuſque Confratribus facere Proceſſionem prima Dominica cujuslibet Menſis. In reliquis ſervandam eſſe ſententiam a Vicariis Generalibus Toloſæ latam XVI Septembris MDCLXIII. Et præcipue non poſſe præfatos Religioſos obſervantiæ S. Franciſci novum Roſarium ſub titulo Seraphici, aut novem novemdenarum, aut alterius rationis inducere, innovare, non tabellam exponere, in qua Beatiſſima Virgo Dei Mater dat Roſarium Sanctis Franciſco, & Claræ, prout etiam præfata omnia fieri prohibuit, & ſervari mandavit hac die XV Martii MDCLXIV. S. M. Epiſcopus Sabinen. Cardinalis Ginettus. Bernardinus Caſalius Sacræ Rituum Congregationis Secretarius.

Feſtum

Feſtum S. P. Dominici, Regni Neapolitan. Patroni, in eodem Regno ex præcepto ſervandum, ejuſque Officium cum Octava recitandum.

Anno 1664 Die 28 Junii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

ALEXANDER PP. VII.

XXXIX.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

COmmiſſi Nobis divinitus ſacroſancti Apoſtolatus Officii ratio poſtulat, ut piis Chriſti fidelium votis, quibus Sanctorum in cęlis regnantium honor, & veneratio in terris augentur paterna benignitate annuamus. Cum itaque ea ſemper fuerit erga Sanctum Januarium dilectorum filiorum Populi Neapolitani religio, ut quamvis idem Populus Sanctum Dominicum Confeſſorem in totius Regni Patronum duxerit aſſumendum, cum tamen Sancto Januario digniori Patrono, utpote Martyri Pontifici, pręferendum nunquam aſſenſerit; Proindeque Congregationi venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus prępoſitorum iterum, atque iterum ſupplicaverit, ut debitas Sancto Januario Martyri, & Pontifici Patronatus Regni pręeminentias decerneret; Et eadem Congregatio ſupplicationibus hiſce die IV Auguſti MDCLXIII, benigne ſubſcripſerit. Nunc vero ne exinde in eodem Regno devotio erga Sanctum Dominicum decrementum aliquod patiatur, Populus pręʼdictus feſtum ejuſdem Sancti Dominici Patroni in toto Regno Neapolitano pariter de pręcepto ſervari, ejuſque Officium cum Octava, ut hactenus ab univerſo Clero inibi recitari ſummopere deſideret: Nos memorati Populi devotionem ſpecialis favore gratię proſequi cupientes, ipſiuſque Populi ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes; ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de pręʼdictorum Cardinalium conſilio feſtum ejuſdem Sancti Dominici Patroni in univerſo Regno Neapolitano pręʼdicto ab omnibus Chriſti fidelibus illic degentibus de pręcepto ſervari, & ſicut alia feſta de pręcepto celebrari, ejuſque Officium cum Octava, ut hactenus, ab univerſo Clero ejuſdem Regni recitari, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium decernimus, pręcipimus, & mandamus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate pręʼdictę Congregationis Cardinalium. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę pręſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die XXVIII Junii MDCLXIV, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

S. Ugolinus.

1. *Archivo.*) In quo exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXIV.* In *Bullario Romano* eſt *CLI.*

Limana, ſeu Civitatis Regum, Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servæ Dei Roſæ (1) Sanctæ Mariæ Tertii Ordinis Prædicatorum.

Anno 1664 Die 26 Septembris.

XL.

Ex Archivo (2) Ordinis.

SAnctiſſimus Dominus noſter Alexander Papa Septimus enixis ſupplicationibus Excellentiſſimi Domini Petri de Aragonia Regis Catholici Oratoris benigne inclinans conceſſit, cauſam Beatificationis, & Canonizationis dictę Venerabilis Servę Dei Roſę proſequi, agi, & diſcuti poſſe ſuper illius meritis uſque ad totalem determinationem, non obſtante, quod a die obitus illius ſequuta die XXIV Auguſti MDCXVII, ſeu &c. non ſint adhuc elapſi quinquaginta anni ad formam decretorum ſanctę memorię Urbani Octavi, quibus expreſſe in hac cauſa derogavit, & ita ſervari, proſequi, agi, diſcuti, & terminari mandavit, dictis decretis, aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Hac die XXVI Septembris MDCLXIV.

M. Epiſc. Sabinenſis Card. Ginettus.

Loco ✱ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congreg. Secr.

1. *Roſa.*) De qua ſæpius.

2. *Archivo.*) In quo exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ* anno *MDCLXIV.*

Anno 1664 Die 27 Septembris.

Angelopolitanum Collegium S. Ludovici juris eſt Mexicanæ Provinciæ.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XLI.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

AD paſtoralis dignitatis faſtigium, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, per ineffabilem divinę bonitatis abundantiam evecti, circa ea, per quę exorta inter Chriſtifideles quoſcunque, & pręſertim Altiſſimi obſequiis, ſub ſuavi Religionis jugo mancipatos diſſidia, juxta ęquitatis, & juſtitię pręcepta dirimuntur, ac paci, fraternęque concordię opportune conſulitur, propenſis ſtudiis intendimus, illiſque, ut firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, libenter, cum a nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjungimus firmitatem. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Fernandus de Monroy frater expreſſe profeſſus, ac procurator Provincię S. Jacobi de Mexico Ordinis Prędicatorum, in Sacra Theologia Magiſter, quod, cum dilectus filius Johannes Baptiſta de Marinis Magiſter Generalis dicti Ordinis per quaſdam ſuas patentes literas die XXIX Septembris MDCLVI emanatas, quę ſubinde nempe die XII Octobris ejuſdem anni a Nobis per noſtras in ſimili forma Brevis literas (2) ſpecifice, totoque illarum inſerto tenore, confirmatę fuerunt, Provinciam S. Jacobi de Mexico Ordinis pręfati in duas, unam quidem S. Jacobi de Mexico, & alteram Angelopolitanam reſpective nuncupandas, Provincias, aſſignatis utrique, ſeu alteri illarum, ſuis terminis, ac Conventibus, Collegiis, ac Vicariis diviſerit, ac inter cetera Collegium S. Ludovici in Civitate Angelopolitana poſitum dictę Provincię Angelopolitanę aſſignaverit, non advertens idem Collegium S. Ludovici, non ſolum vi ſuę fundationis, ſed etiam vigore ſubſecuti contractus ad Conventum S. Dominici Mexicanum dictę Provincię S. Jacobi de Mexico, velut membrum eidem Conventui indiſſolubiliter incorporatum, pertinuiſſe, & pertinere, idem Johannes Baptiſta, Magiſter Generalis, poſtmodum hoc comperto declaravit, nunquam fuiſſe mentis, aut intentionis ſuę derogare juri quęſito pręfati Conventus Mexicani, quod in dicti S. Ludovici Collegium Angelopolitanum ei competere jam compertum eſt, ac ſupradictas ſuas patentes literas, quibus Angelopolitanam a Mexicana Provincia diſterminavit quoad unicum hoc punctum translationis ejuſdem Collegii, ceteris in ſuo robore permanentibus, revocavit, abolevit, & annullavit, & eatenus revocatas, abolitas, & nullas eſſe, ac fore decrevit, ipſum vero Collegium S. Ludovici cum omnibus ſuis pertinentiis juribus, annexis, & connexis, mobilibus, & immobilibus, curę, regimini, juriſdictioni, ac proprietati memorati Conventus Mexicani, & gubernio ſolius Provincię S. Jacobi pręfatę privative ad alios quoſcunque, ipſo Johanne Baptiſta, Magiſtro Generali, inferiores Pręlatos adjudicavit, ac de hujus Conventus Mexicani menſa eſſe, fuiſſe, ac manere pronunciavit, nec poſſe huic invito illud eripi, alienari, aut diſmembrari declaravit, edixit, atque ſtatuit, & alias prout uberius continetur in decreto ipſius Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis deſuper edito tenoris, qui ſequitur videlicet: Fr. Johannes Baptiſta de Marinis, *Sacrę* Theologię Profeſſor, Ordinis Predicatorum humilis Magiſter Generalis, & *Servus*. Ad perennem rei memoriam. Pacem ſolius juſtitię fructum eſſe, neque illam ſine iſta ſeminari poſſe graviter admonuit S. Jacobus in ſua Catholica Cap III. Quando igitur datis anno MDCLV die XIX Septembris literis patentibus novam Provinciam Angelopolitanam in Occiduis Indiis a veteri S. Jacobi Mexicana, ſolo quietis, paciſque ſeminandę ſtudio, diviſimus, utique juſtitiam, a qua totum ſemen mutuandum noveramus, nec ſcienter pręterivimus, nec intendebamus quoquo modo pręterire. Porro meminimus in prędicta Provinciarum disjunctione novę Provincię noſtrę Angelopolitanę, tunc inter alia loca, ſeu regularia domicilia ipſum quoque per nos attributum fuiſſe Collegium noſtrum S. Ludovici, utpote fundatum, ac ſitum in Civitate Angelopolitana, neque enim id nobis poterat non videri juſtiſſimum, quandiu naturam, & ſpeciales Clauſulas, pacta, circumſtantias hujus fundationis, neque per ſomnium exploratas habebamus. Nunc autem ex quo noſter S. Dominici Conventus Mexicanus miſſo in Almam hanc Urbem Procuratore ad id ſpecialiter, & rite inſtructo, jus ſuum quęſitum ſuper dicta fundatione, & Collegio coram Officio noſtro juridice, modeſteque repręſentavit, ac ſeſe in juſta illius poſſeſſione manuteneri, & inſpectis partium momentis, ſeu rationibus controverſiam decidi, factamque translationem aboleri, petiit, ęquum, immo perneceſſarium duximus juris experimento prębere locum, ut ex inviolata juſtitia, tutiorem pacem ſeminemus. Itaque nuperrime die V Julii in pleno collectorum Patrum Conſilio dicti Procuratoris exhibitum memoriale cum reſponſis Provincię Angelopolitanę ad proteſtationes Mexicanę cum Epiſtola Patris Vicarii Generalis ejuſdem Angelopolitanę Provincię nobis, totique conſeſſui clare, & diſtincte perlegi fecimus; ac tandem variis ultro citroque motis, & ponderatis, noſtro, omniumque ſuffragio decretum fuit in re graviſſima, ne quid forte pręcipitaremus, celebrium jureconſultorum maturrima judicia fore exquirenda, ut inde tutius ad definitivam ſententiam, auditis peritorum arbitriis procederemus. Delegimus vero ex omnibus Illuſtriſſimos DD. Nicolaum Severolum, & Proſperum Bottinium (3) Sacrę Aulę Conſiſtorialis Advocatos, viros in hoc genere verſatiſſimos, qui demum audito prolixe totius noſtri Ordinis Procuratore Generali, perlectis, diſcuſſis, examinatis omnibus, ac ſingulis pro utraque parte adductis ſcripturis, expenſiſque rationum ponderibus, ore, ac ſcripto, ſingulorum manibus ſeorſim concepto, ſignatoque, nobis concorditer reſponderunt, ac deduxerunt pręmemoratum noſtrum S. Ludovici Collegium, non ſolum vi ſuę fundationis, & conditionum huic appoſitarum, verum etiam vigore ſubſequentis poſtea contractus oneroſi, ac ultro citroque obligatorii, liquido jure ad pręfatum S. Dominici Conventum Mexicanum hactenus

per-

pertinuiſſe, ac pertinere, velut membrum eidem indiſſolubiliter incorporatum, non obſtantibus, quę in contrarium opponebantur, aut opponi poſſe videbantur, nequidem ipſiſmet literis noſtris patentibus initio citatis, quantumcunque Apoſtolico Brevi inſertis, & communitis, quę tunc denuo coram Nobis Procuratore generali Ordinis, & pręnominatis Illuſtriſſimis DD. Jureconſultis, una cum reliquo ſcripturarum huc pertinentium inſtrumento producte, viſę, ac diligenter ſcrutinatę fuerunt. His ergo, ut pręfertur, ſolicite pręmiſſis, tandem ad definitivam ſententiam Procuratore inſtante citra comperendinationem duximus procedendum. Proinde nos, qui ſupra hac die XXVI Julii MDCLXIV in camera ſolitę noſtrę reſidentię exiſtentes, Chriſti nomine invocato, ſolumque Deum, & juſtitiam prę oculis habentes, pręſentium tenore, & noſtri Officii auctoritate in primis declaramus, nunquam fuiſſe mentem, aut intentionem noſtram derogare juri quęſito pręfati noſtri Conventus Mexicani, quod in dictum S. Ludovici Collegium Angelopolitanum ei competere, jam compertum eſt, deinde pręmemoratas noſtras literas patentes, quibus Angelopolitanam a Mexicana Provincia diſterminavimus, quoad unicum hoc punctum translationis ejuſdem Collegii, ceteris in ſuo robore permanentibus, revocamus, abolemus, annullamus, & eatenus revocatas, abolitas, & nullas eſſe, ac fore decernimus, ipſum vero Collegium S. Ludovici cum omnibus ſuis pertinentiis, juribus, annexis, mobilibus, & immobilibus, curę, regimini, juriſdictioni, ac proprietati Conventus noſtri Mexicani, & gubernio ſolius Provincię S. Jacobi privative ad alios quoſcunque nobis inferiores Pręlatos, adjudicamus, ac de hujus Conventus Mexicani Menſa eſſe, fuiſſe, manere pronunciamus, nec poſſe huic invito illud eripi, alienari, aut diſmembrari declaramus, edicimus, atque ſtatuimus. Denique in virtute Spiritus Sancti, Sanctę obedientię, ſub formali pręcepto, necnon ſub pęna majoris excommunicationis, & privatione utriuſque vocis, graduum, & Officiorum, perpetuaque inhabilitate ad eadem recuperanda, univerſim omnibus noſtrę curę ſubjectis diſtrictiſſime prohibemus, ne quiſquam clam, aut palam, communi, aut privato, ſuove, aut alieno nomine, per ſe, vel per alium, directe, aut indirecte, vel quocunque imaginabili modo, prętextu, aut motivo, audeat huic noſtrę definitivę ſententię refragari, obniti, vel contraire, & quicquid verſus eandem in poſterum quovis colore, aut via geſtum, vel tentatum fuerit, ex nunc inane, caſſum, irritumque eſſe volumus, & declaramus. Sub eodem formali pręcepto, cenſura, & pęnis pręcipimus noſtrę Provincię Angelopolitanę ſuperioribus, quatenus ſine dilatione, replica, aut exceptione pręfatum noſtrum S. Ludovici Collegium cum omnibus ſuis bonis, & attinentiis pacifice, quiete, & fideliter in manus Provincię noſtrę S. Jacobi, & Conventus noſtri Mexicani remittant, nec inde quidquam ſibi, aut Provincię ſuę Angelopolitanę arrogent, reſervent, aut prętendant. Sicque reponimus, & reponere intendimus hunc noſtrum Conventum Regalem Mexicanum integre in eodem ſtatu, dictique Collegii poſſeſſione, uſu, & gubernio quoad omnia, prout erat antequam Provincia Angelopolitana divideretur a Mexicana. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Non obſtantibus in contrarium quibuſcunque. Actum Romę in Conventu noſtro S. Marię ſuper Minervam Anno, Menſe, die quibus ſupra. Fr. Johannes Baptiſta de Marinis Magiſter Ordinis. Fr. Antonius Gonçales Magiſter, & Socius. Cum autem, ſicut eadem diſpoſitio ſubjungebat, ſupradictę patentes literę a Nobis ſpecifice, ut prędicitur, confirmatę fuerint, cupiatque propterea dictus Fernandus Procurator opportune in pręmiſſis a Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri. Nos ipſum Fernandum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ac tam earundem patentium dicti Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis, quam prędictarum noſtrarum ſuper illarum confirmatione emanatarum literarum tenores, & datas, etiam veriores, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, ſupplicationibus ejuſdem Fernandi nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, pręinſertum memorati Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis decretum cum omnibus, & ſingulis in eo quomodolibet contentis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint ſupplemus. Decernentes, eaſdem pręſentes literas, & pręinſertum decretum, ſemper firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopo Mexicano, ac Epiſcopis Angelopolitan., ac Jucatanen., ſeu dilectis filiis eorum Officialibus per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dilectorum filiorum Superiorum, & Fratrum Provincię S. Jacobi, & Conventus Mexicani prędictorum, aliorumque in pręmiſſis intereſſe habentium, ſeu alicujus eorum deſuper fuerint requiſiti, eaſdem pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque ſolemniter publicantes, illiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes faciant auctoritate, noſtra illos, & eorum quemlibet, pręſentium literarum, & in eis contentorum hujuſmodi commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes illos deſuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pęnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus cenſuras, & pęnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus prędictis noſtris literis ſuper confirmatione ſupradictarum patentium literarum expeditis, aliiſque pręmiſſis, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prę-

Prędeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate pręſentium in judicium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, ac Provinciarum, Conventus, & Collegii prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum, inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę pręſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Septembris MDCLXIV, Pontificatus noſtri Anno Decimo. S. Ugolinus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar typis impreſſum.
2. *Literas.*) Conſtitutionem ſcilicet *IX.* Legitur *pag.* 183.
3. *Proſperum Bottinium.*) Virum celeberrimum qui Promotoris fidei munere ſumma cum laude poſtea functus eſt.

Anno 1664 Die 20 Octobris.

XLII.

Quomodo, & quando liceat Superioribus Monialium (1), earumque Confeſſoribus ingredi ſepta Monaſterii, & prope illud commorari.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

FElici Sacrarum Virginum ſtatui, quę contemptis illecebris ſeculi, divinis ſe obſequiis manciparunt, quantum Nobis ex alto conceditur, conſulere volentes, Motu noſtro proprio, non ad alicujus inſtantiam, ſed ex noſtra mera deliberatione, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, de voto tamen nonnullorum venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanę Curię Prelatorum, quibus negotium ſedulo, ac mature examinandum commiſimus, pręſentibus perpetuo valituris ſancimus, ut in poſterum intra fines Italię, & Inſularum adjacentium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, & quibuſcunque aliis Superioribus regularibus, quibus alioqui cura, & regimen Monaſteriorum Sanctimonialium quovis modo incumbit, intra ſepta eorundem Monaſteriorum nullatenus ingredi liceat, niſi ex cauſa viſitationis localis, & hoc ſemel tantum in anno, ita ut in eo anno, in quo unus ex memoratis Superioribus viſitaverit, alius Superior a viſitatione hujuſmodi ſe omnino abſtineat. Quod ſi ob clauſuram, quę a Sancta Tridentina Synodo, etiam in Monaſteriis exemptis curę, & vigilantię Epiſcopi imprimis committitur, aut ob aliam urgentem, ac neceſſariam cauſam oportuerit Superiorem regularem eodem anno pluries ingredi ſepta Monaſterii, tunc non aliter ingrediatur, quam cum pręſentia Epiſcopi Diœceſani, vel alterius perſonę eccleſiaſticę ſecularis boni exempli, ac maturę ętatis ab ipſo Epiſcopo ad hoc ſpecialiter deputatę. Viſitet autem Superior regularis interiorem clauſuram per ſe ipſum, non autem per alium, etiamſi fuerit legitime impeditus, quo caſu differatur viſitatio in aliud tempus, quo ceſſaverit impedimentum, & viſitationem celeriter, & unica die, debita tamen cum diligentia abſolvat, nec ante ortum ſolis eam incipiat, nec poſt occaſum protrahat, neque ipſe viſitator, neque ejus ſocii ullam ſumant in Monaſterio refectionem. Porro ſi viſitet Generalis, poſſit ſecum habere duos ſocios ſui Ordinis, ſi alius a Generali, unum tantum, excluſis omnibus aliis, etiam ratione officii. Qui quidem ſocii aſſumantur exemplares, & maturę ętatis, & in actu viſitationis a viſitatore nunquam ſeparentur, ſed eum aſpicere, & ab ipſo aſpici ſemper poſſint. Ac pręterea viſitatori aſſiſtant quatuor Moniales ex ſenioribus Monaſterii, quę ſimiliter viſitatione durante nunquam ſeparentur a viſitatore, & ſociis. Reliquę vero Moniales, & quęcunque alię mulieres, & puellę ſeculares in Monaſterio degentes, niſi legitimo detineantur impedimento, conveniant omnes in choro antequam viſitator ingrediatur interiorem clauſuram, & in eo permaneant durante viſitatione, & quouſque idem viſitator cum ſociis e Monaſterio exierit. Ideoque curet viſitator, ut tempeſtive admoneatur Abbatiſſa, ſeu Monaſterii Prefecta de pręſtituta die, & hora viſitationis. Viſitatio vero perſonalis fiat ad crates, & omnino extra clauſuram Monaſterii, & per ipſummet Superiorem duntaxat, ut ſupra dictum eſt de viſitatione interioris clauſurę. Ad hęc Confeſſor Sanctimonialium, tam ordinarius, quam extraordinarius minime ingrediatur ſepta Monaſterii, niſi ad Sacramenta Pęnitentię, Euchariſtię, & Extremę Unctionis miniſtranda Monialibus, vel aliis perſonis infirmis ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium, nec unquam ingrediatur, niſi cum ſocio, qui ſit probatę vitę, & maturę ętatis, ſemperque maneat in ea parte Monaſterii, qua Confeſſorem videre, & ab ipſo videri ſemper poſſit. Inſuper diſtricte pręcipimus memoratis Superioribus regularibus, ut infra terminum duorum menſium a publicatione pręſentis Conſtitutionis computandorum revocent ad clauſtra Confeſſores, eorumque ſocios, concionatores, & alios quoſcunque regulares apud Monaſteria Sanctimonialium, vel aſſidue, vel ad tempus quocunque titulo pernoctare ſolitos. Neve permittant eoſdem, ſeu alios regulares, intra, ſeu prope ſepta Monaſteriorum hujuſmodi habitare, vel commorari, quin etiam infra eundem terminum quaſcunque cellas, manſiones, ſeu cubicula prope Monaſteria predicta ad uſum memoratorum regularium exiſtentia, ſi clauſurę Monaſteriorum earundem Monialium contigua ſint, eidem clauſurę includi, vel dirui omnino faciant, ſi vero ſint extra ſepta, vendi, pretiumque in Monaſterii utilitatem converti, nec in poſterum alia ſimilia aptari, ędificari, aut emi permittant. Quod ſi infra dic-

dictum terminum Superiores regulares pręmiſſa cum effectu non adimpleverint, teneatur Ordinarius loci tanquam Sedis Apoſtolicę delegatus illa adimplere, & omnino exequi, etiam invocato, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio. Veruntamen ſi Monaſterium Sanctimonialium ſit extra męnia Urbis, vel Oppidi, & Monaſterium regularium virorum, quibus Moniales ſunt ſubjectę, ſit intra dicta męnia, vel e converſo, habeantur, vel conducantur, ſi commode fieri poſſit, manſiones ad uſum Confeſſoris, quę non ſint conjunctę, ſeu contiguę ipſi Monaſterio Monialium, ſed ab eo penitus disjunctę non ſolum per parietes, ſed etiam per tecta, ſin autem utrumque Monaſterium ſit intra męnia, & unum ab altero Epiſcopi judicio multum diſtans, tunc habeantur, vel conducantur hujuſmodi manſiones, ut ſupra diſtinctę, & ſeparatę a Monaſterio Monialium in diſtantia ab ipſo Epiſcopo recognoſcenda, & approbanda, ita tamen ut in manſionibus Confeſſoris, ſive intra, ſive extra męnia conſtitutis, excepto ipſo Confeſſore cum ſuo ſocio, alii regulares, etiamſi Superiores ſint, minime pernoctent. Si quis vero prędictorum regularium aliquid contra pręſentium tenorem facere, vel moliri preſumpſerit, aut adimplere neglexerit, ipſo facto pęnam excommunicationis, & privationis omnium officiorum, quę obtinet, ac perpetuę inhabilitatis ad illa, vel alia in poſterum obtinenda, vociſque activę, & paſſivę abſque alia declaratione incurrat. Et nihilominus nullis privilegiis, & exemptionibus tueri ſe poſſit, quominus ab Epiſcopo loci, tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicę delegato, quoties, & quando opus fuerit, corrigi, & puniri valeat. Decernentes eaſdem pręſentes, etiam ex eo, quod Superiores regulares, & ceteri quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prętendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, ac ſubſtantiali, ſive etiam ex eo, quod in pręmiſſis, ſeu eorum aliquo ſolemnitates, & quęvis alia ſervanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta non fuerint, aut ex aliquo alio capite quocunque, a jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſſimę, & totalis lęſionis, aut quocunque alio colore etiam in corpore juris clauſo, ſeu occaſione, vel cauſa quantumvis juſta, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quę ad effectum validitatis pręmiſſorum neceſſario exprimenda foret, aut quod de voluntate noſtra hujuſmodi, & aliis ſuperius expreſſis, ſeu relatis, nihil ullibi appareret, ſeu aliter probari poſſet, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, facti, gratię, vel juſtitię remedium impetrari, ſeu quomodolibet conceſſo, & impetrato quempiam uti, ſeu ſe juvare in judicio, vel extra poſſe, neque eaſdem pręſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac per omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum, inviolabiliter obſervari, ſicque, & non aliter in pręmiſſis omnibus, & ſingulis, per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, necnon S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apoſtolicę Nuncios, ac alios quavis auctoritate, & poteſtate fungentes, nunc, & pro tempore exiſtentes, in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, & ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, regula noſtra de non tollendo jure quęſito, aliiſque Cancellarię Apoſtolicę regulis, ceteriſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, etiam ſpecialiter in favorem quarumcunque perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum, Societatum, & cujuſvis alterius Inſtituti, & Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, domorum, & locorum regularium quorumcunque, necnon illorum roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis, & in Mari Magno, ſeu Bulla Aurea, aut aliter nuncupatis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & quorumvis aliorum Principum, & perſonarum quarumcunque eccleſiaſtica, vel ſeculari dignitate fulgentium inſtantiam, ſeu eorum intuitu, & contemplatione, ac etiam conſiſtorialiter, & alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis, conceſſionis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis quoad ea, quę pręſentibus quomodolibet adverſantur, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut quęvis exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, eiſdem pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentes literę in valvis Eccleſię Lateranenſis, & Baſilicę Principis Apoſtolorum, necnon Cancellarię Apoſtolicę, ac in Acie Campi Florę de Urbe publicentur, & affigantur, quę poſtquam affixę, & publicatę fuerint, omnes, & ſingulos, quos illę concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatę fuiſſent, atque earundem pręſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem proſſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę ſanctionis, pręcepti, decreti, derogationis, &

vo-

voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prȩſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum in Arce Gandulphi Diȩceſis Albanen. Anno Incarnationis Dominicȩ Milleſimo Sexceuteſimo Sexageſimo Quarto, Tertio decimo Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

I. Card. Prodatarius.

Viſa de Curia P. Ciampinus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

S. Ugolinus.

D. Ciampinus.

Loco † plumbi pendentis.

Anno a Nativitate D. N. Jeſu Chriſti MDCLXIV, Indictione ſecunda, die IX Menſis Decembris, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & D. N. D. Alexandri divina providentia PP. VII, Anno ejus Decimo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicȩ Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum, de Urbe, & in acie Campi Florȩ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Laurentium Barbigionum SS. D. N. PP. Curſ.

Franciſcus Perinus Curſ. Mag.

1. *Monialium.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXIV.* In *Bullario Romano* eſt *CLIII.*

Anno 1664 Die 8 Novembris.

De Parochis Indiarum Eccleſiis præficiendis a Provinciali Priore de conſilio Fratrum.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XLIII.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Militantis Eccleſiȩ regimini per ineffabilem divinȩ bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, prȩſidentes, in eam prȩcipue ſollicitudinem propenſis ſtudiis incumbimus, ut fidelibus populis cura Paſtoralis non deſit, ſed ejuſmodi cura per operarios idoneos ſalubri, aſſiduaque ſedulitate exerceatur, quo horrea Domini uberiori meſſe, adſpirante ſuperni favoris auxilio, magis, magiſque in dies locupletentur. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magiſter Generalis Ordinis Prȩdicatorum, quod in vaſtis Indiarum partibus variȩ ſparſim illarum gentium ad Fidem Catholicam converſarum Parochiȩ, quas quidem illic uſitatiori vocabulo Doctrinas, & Vicarias appellant, a Religioſis dicti Ordinis ex Indulto Sedis Apoſtolicȩ adminiſtrantur. His autem Religioſis Parochis, ſeu Vicariis de more per ſingulos diſtrictus, prȩfectura ad ſummum bienni, vel trienni reſpective prȩeſt unus ex ipſorum numero Prior vocem in Capitulo Provinciali habens, quem ſtatutis temporibus ipſi canonice eligunt, & ad ejuſcemodi capitularem electionem celebrandam procul a ſuis reſidentiis in certum aliquem locum ſolent evocari. Porro cum juxta Conſtitutiones Ordinis prȩdicti Electoribus Priorum integer menſis debeatur a notitia vacantis officii, ut intra hunc terminum congregentur, deliberent, & eligant, nimis frequenter contingit hoſce Parochos, ſeu Vicarios eo titulo, & longiſſime, & diu abeſſe a ſuis Doctrinis, ſeu Eccleſiis, dum plerique foris tranſigunt totum hunc menſem electionis, immo, & menſes, ſi forte contingat primam electionem a Priore Provinciali ob juſtas cauſas non confirmari, quo caſu alius denuo, aliuſque menſis iiſdem vocalibus debetur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, hȩc longa, & crebra Parochorum abſentia, prȩcipue in illis regionibus fideli plebi, & prȩſertim moribundis, debito interea Sacramentorum Eccleſiȩ miniſterio deſtitutis plurimum noceat, Nobis propterea memoratus Magiſter Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut de opportuno in prȩmiſſis remedio providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piis ejuſdem Magiſtri Generalis votis hac in re quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere cupientes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pȩnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum prȩſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, quod deinceps in prȩdictis Indiarum partibus tales Fratrum dicti Ordinis Parochorum Priores, ſeu Vicarii, non ab ipſiſmet Parochis, ſed a ſingularum Provinciarum Provincialibus in graviori earundem Conventu per vota ſecreta deciſiva duodecim ad minus antiquorum Fratrum, ſi extra Capitulum Provinciale fuerit, rite, & canonice eligantur. Quodque Priores Parochorum ad id muneris aſſumi nequeant, niſi revera ſat calleant proprium idioma plebis, cui tanquam Priores, ſeu Vicarii prȩficientur, & quod iidem ſuo populo continue aſſiſtant, itaut neque Capitulum Provinciale adire, neque alias unquam a ſua Parochiali reſidentia ultra ſpatium trium leucarum elongare ſe poſſint, niſi relicto ibidem idoneo ſubſtituto illius idiomatis bene gnaro, auctoritate Apoſtolica, tenore prȩſentium decernimus, ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes pariter eaſdem prȩſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſer-

obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, & aliis quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem fides in judicio, & extra adhibeatur, quę pręſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VIII Novembris MDCLXIV, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

S. Ugolinus.

1. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXIV*. In *Bullario Romano* eſt *CLII.*

Limana Beatificationis, & Canonizationis, Servæ Dei Roſæ (1) a Sancta Maria Regni Peruani Tertii Ordinis S. Dominici.

Anno 1664 Die 12 Novembris.

XLIV.

Ex Archivo (2) Ordinis.

PIis, & enixis precibus Excellentiſſimi Domini Petri de Aragonia, Majeſtatis Catholicę Oratoris, Sanctitas Domini noſtri Alexandri Papę Septimi benigne inclinata annuit, ut in proxima Sacrorum Rituum Congregatione habenda coram Sanctitate Sua, proponatur cauſa Beatificationis, & Canonizationis dictę Servę Dei Roſę a Sancta Maria Regni Peruani, ſuper dubio, an conſtet de virtutibus tum Theologalibus, tum Cardinalibus. Hac die XII Novembris MDCLXIV.

M. Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Roſa.*) De qua ſæpius.

2. *Archivo.*) In quo exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ* anno *MDCLXIV.*

Ratum habet quod F. Antonius (1) Gonçalez Procurator, & Definitor Peruanæ Provinciæ ſit electus.

Anno 1664 Die 20 Novembris.

XLV.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius Gonçales de Acuña Frater expreſſe profeſſus Provincię Sancti Johannis Baptiſtę Peruanę Ordinis Pręddicatorum, quod in Capitulo Provinciali dictę Provincię die XXIV Julii MDCLVII celebrato, ipſe Antonius in Procuratorem Generalem Provincię, & Diffinitorem futuri Capituli Generalis Ordinis hujuſmodi electus fuit, prout conſtare dicitur ex decreto in actis Capitularibus promulgato tenoris ſequentis videlicet. Denunciamus in hoc noſtro Capitulo Provinciali, plauſibili, & concordi omnium aſſenſu electum fuiſſe in Diffinitorem Capituli Generalis pro hac noſtra Provincia, & Procuratorem Generalem in utraque Curia R. A. P. Magiſtrum Fratrem Antonium Gonçales de Acuña in Regia Univerſitate Doctorem, Prioremque noſtri Conventus de Guanuco. Et ſtatim poſt electionem hujuſmodi, idem Antonius in Hiſpanias, ac inde Romam pro executione dictorum officiorum profectus uſque modo Romę in ſervitio Religionis, & prędictę ſuę Provincię detentus, in eiſdem officiis a dilecto filio Magiſtro Generali dicti Ordinis confirmatus fuit per ejus patentes literas die XXIV Junii MDCLXI, deſuper expeditas, cum clauſula quod dum ipſe Antonius extra Provinciam fuerit, nullus alius Diffinitor, aut Procurator eligi poſſit, annullando, & caſſando, caſſamque, & nullam declarando omnem alterius cujuſcunque, ſeu Procuratoris, ſeu Diffinitoris electionem, ſeu Deputationem, ſi quę forſan ante vel poſt notitiam dictarum literarum patentium attentata ſit, ſeu attentetur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, firmiora ſint illa, quę Apoſtolicę confirmationis patrocinio roborantur: Nobis propterea dictus Antonius humiliter ſupplicari fecit, ut prędictam electionem de ejus perſona in Diffinitorem, & Procuratorem, ut pręfertur, factam, ejuſque confirmationem a memorato Magiſtro Generali emanatam, cum omnibus illius clauſulis confirmare, & quamcunque aliam electionem, ſeu deputationem cujuſcunque alterius Procuratoris, ſive Diffinitoris in prędicta Provincia tam in Capitulo Provinciali, quam extra Capitulum factam, ſeu faciendam, quandiu idem Antonius in Europa, ſive extra Provinciam detentus fuerit, annul-

annullare, & nullam declarare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Antonium ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitorum conſilio, attentis narratis, electionem dicti Antonii in Procuratorem Generalem pręd ictę Provincię Peruanę, & Definitorem pro Capitulo Generali proxime futuro, in Capitulo Provinciali dictę Provincię factam, & a Magiſtro Generali Ordinis confirmatam, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium benigne pariter approbamus, & confirmamus, eique Apoſtolicę auctoritatis robur adjicimus, remoto quolibet alio Procuratore, ſeu Definitore hujuſmodi, ab ipſa Provincia, ſeu a quocunque alio, quovis modo poſtea electo, ſeu deputato, & eligendo, ſeu deputando, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac prędicto Antonio in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Provincię, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris; ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX Novembris MDCLXIV, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

S. Ugolinus.

1. *Antonius.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Clementis X.*

2. *Archivo.*) In quo exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ* anno *MDCLXIV*.

Anno 1665 Die 30 Junii.

Angelorum Congregatio (1) fruatur privilegiis Congregationis (2) Britannicæ.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XLVI.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi nuper fecit dilectus filius Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, quod cum venerabiles Fratres noſtri Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium pręppoſiti, Capitulum in Provincia Provincię dicti Ordinis celebratum, confirmandum eſſe die vigeſima octava Septembris Milleſimi ſexenteſimi ſexageſimi tertii, & die vigeſima quinta Februarii Milleſimi ſexenteſimi ſexageſimi quarti, decreverint: dilectus vero filius Stephanus de Thoro in Sacra Theologia Magiſter, in Priorem Provincialem dictę Provincię per decreta ejuſmodi confirmatus, inde extinctionem Congregationis Angelorum nuncupatam, quę dudum in eadem Provincia ad reſtituendam regularem obſervantiam, cum privilegiis Congregationis Britannicę legitime inſtituta fuit, conſequi pręttendat, ſub pręetextu quod inter alias petitiones a Definitoribus factas, etiam pro extinctione Congregationis Angelorum ejuſmodi inſtantia facta fuerit, ſuper qua tamen nullum emanavit prędictorum Cardinalium decretum, & proinde inſtantia ejuſmodi irrita remanſit, ipſe Magiſter Generalis plurimum cupit declarari non fuiſſe intentionis memoratorum Cardinalium, quod per prędicta decreta extingueretur dicta Congregatio Angelorum nuncupata, ſed potius quod illa conſervaretur, & manuteneretur cum omnibus ſuis privilegiis, prout revera in diſcuſſione cauſę hic articulus ſemper firmus habitus fuit, & eorundem Cardinalium Congregatio defectum, qui inter alia opponebatur, ex eo quod Vicarius dictę Congregationis Angelorum tanquam legitime vocalis ratione ſui Vicariatus officii non interveniſſet, ſua auctoritate ſupplevit. Quare pręfatus Magiſter Generalis nobis humillime ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Magiſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſteret, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ejuſmodi ſupplicationibus inclinati, de conſilio pręfatorum Cardinalium, qui re diligenter conſiderata, declararunt, non fuiſſe eorum mentem in decretis confirmationis Capituli ſupradictę Provincię expeditis confirmare Acta Capitularia, ſed tantummodo intelligi confirmatas electiones in eo factas, memoratam Congregationem Angelorum nuncupatam, in qua viget Regularis obſervantia ac diſciplina, in ſuo ſtatu, ac privilegiis auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, ac conſervari, & manuteneri mandamus, ejuſdemque Congregationis Angelorum Vicarium Generalem habere vocem in Capitulis

Pro-

Provincialibus in futurum celebrandis, prout habet Vicarius Congregationis Britannicę, auctoritate, & tenore prefatis decernimus: decernentes pariter eaſdem pręſentes literas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Provincię, & Ordinis hujuſmodi etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum generaliter conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXX Junii MDCLXV, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

S. Ugolinus.

1. *Congregatio.*) Nunc extincta.
2. *Congregationis Britannicæ.*) Congregationis nempe S. Vincentii Ferrerii.
3. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum typis impreſſum.

Ratum habet quod Neapolitanum Cœnobium S. Catharinæ apud Formellum conſtitutum ſit ſtudium formale.

Anno 1666 Die 21 Januarii.

XLVII.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

ALEXANDER PP. VII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Eccleſię Catholicę regimini divina diſpoſitione pręſidentes, ea quę pro literarum ſtudiis promovendis, provide ordinata, & decreta eſſe noſcuntur, Apoſtolici muniminis pręſidio libenter roboramus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Andreas Rovetta (2) Brixienſis, Prior Conventus Sanctę Catharinę apud Formellum nuncupatum civitatis Neapolitanę Provincię Lombardię, Ordinis Prędicatorum, in Sacra Theologia Magiſter, quod eadem Provincia Lombardię Conventum Sancti Dominici Bononien. pro ſtudio generali habet in quo examinantur omnes ſtudentes, ut vocant formales, ipſius Provincię, & idonei reperti ſubinde fiunt Lectores, ac ad Conventus Provincię hujuſmodi docendi cauſa mittuntur. Quia vero propter amplitudinem dictę Provincię non omnes locum habere, & manere poſſunt in pręfato ſtudio Bononienſi, ideo a diverſis Capitulis Generalibus dicti Ordinis deputati fuerunt pro ſtudiis formalibus quatuor Conventus Provincię Lombardię, & ſpecialiter pręfatus Conventus Sanctę Catharinę apud Formellum Neapolitan. per Capitulum Generaliſſimum Ordinis hujuſmodi Anno MDCXLIV in hac alma Urbe celebratum, quod inter decreta pro Provincia Lombardię facta num. VI edidit ordinationem tenoris ſequentis, videlicet. Deputamus pro ſtudio formali Conventum Sanctę Catharinę apud Formellum Neapolis. Et licet ſecundum hanc ordinationem portio ſtudentium formalium, qui quotidie in prędicto ſtudio Bononienſi examinantur, & inter quatuor Conventus jam dictos pro peragendo ibidem triennio ſui ſtudentatus formalis diſtribui deberent ad ſupradictum Conventum Sanctę Catharinę apud Formellum mittenda eſſet, eadem tamen ordinatio quoad hunc Conventum negligitur nec adimpletur mens Capituli Generalis, quod levamento, & utilitati memoratę Provincię Lombardię conſultum voluit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, prędictus Andreas Prior, & dilecti pariter filii omnes Fratres dicti Conventus Ordinationem hujuſmodi Apoſtolicę confirmationis noſtrę robore communiri ſummopere deſiderent, ut utilitati dictę Provincię perpetuis futuris temporibus proſpiciatur, & idem Conventus re ipſa gaudeat prerogativa ſibi per prędictum Capitulum Generaliſſimum conceſſa, quod non ſolum in majus Dei ſervitium, ſed etiam peropportunum erit commoditati populorum, qui ea ratione plures illic Miſſas audire poterunt, & onera Miſſarum ipſi Conventui incumbentia felicius quoque adimplebuntur. Nos ſpecialem ipſi Andreę Priori, & Fratribus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, pręinſertam Ordinationem Capituli Generaliſſimi hujuſmodi, per quam memoratus Conventus Sanctę Catharinę apud Formellum, pro ſtudio Formali deputatus fuit, ut prefertur, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis, & Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes, eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel igno-

ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, & Provincię, ac Conventus hujuſmodi, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, ac conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXI Januarii MDCLXVI, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

S. Ugolinus.

1\. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Neapolitano.*

2\. *Andreas Rovetta.*) Adeas *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXCI pag.728.*

Anno 1666 Die 8 Februarii.

Ne Trinitarii Fratres Cappam nigri coloris deferant (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLVIII.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX injuncto Nobis cęlitus Apoſtolicę ſervitutis officio controverſias inter viros religioſos exortas, ne pacis, fraternęque caritatis ſerenitatem obnubilent, opportunis rationibus dirimere ſatagimus, quemadmodum omnibus mature conſideratis arbitramur in Domino rationi eſſe conſentaneum. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, quod licet dictus Ordo a S. Dominico fundatus proprio, & peculiari habitu decoretur, nempe tunica, & ſcapulari albis cum caputio pariter albo, & cappa nigra cum caputio item nigro, eumque habitum ſub pręſcriptis forma, colore, modo, & diſpoſitione, publice, & privatim Fratres Prędicatores deferre conſueverint, illoque ab aliis Religionibus diſtinguantur, & ex ſpeciali privilegio decem Romani Pontifices felicis recordationis Prędeceſſores noſtri ſeveriſſime pręceperint, ne aliquis, ſive ſit in Ordine, ſive extra Ordinem conſtitutus, deferat habitum Fratrum Prędicatorum, aut ita conſimilem, quod propter eum Frater Prędicator credi poſſit, abſque ſpeciali Apoſtolicę Sedis mandato, addito decreto irritanti, ſi quid in contrarium factum fuerit, & committendo Dięceſanis locorum, ut per cenſuras eccleſiaſticas, omni appellatione poſtpoſita, cum requiſiti fuerint, compellant quemcunque ad eum deponendum, prout ex eorundem Prędeceſſorum noſtrorum literis Apoſtolicis deſuper expeditis conſtare dicitur, nihilominus Provincię Caſtellę, Aragonię, & Bethicę Ordinis Fratrum Sanctiſſimę Trinitatis Redemptionis Captivorum contra tenorem tot Conſtitutionum Apoſtolicarum, immo & contra uſum majoris partis Provinciarum ſuę Religionis cum ſuo Capite Miniſtro Generali mutavere habitum album primitivum ſuę Religionis, & deferunt cappas, & caputia nigri coloris in nullo diſſimilia ab illis quibus utuntur Fratres Prędicatores, pręterquam in ſigno Crucis, quod minime, aut parum diſcernit eos a Fratribus Prędicatoribus, nec facit quin habeantur pro Fratribus Prędicatoribus, contendentes uſum cappę, & caputii nigri coloris ſibi eſſe licitum per modificationem Regulę factam a recolende memorię Clemente PP. IV, Prędeceſſore pariter noſtro ſub datum Viterbii VII Idus Decembris anni MCCLXVII, & per conceſſionem factam per literas Pęnitentiarię Apoſtolicę ſub pię memorię Pio PP. IV, etiam Prędeceſſore noſtro ſub datum Romę V Nonas Julii, Pontificatus ejus anno primo, in quibus, ut aſſerunt, conceditur color brunus in cappis. Et quoniam hoc eſt libere dictum, quia talis permiſſio non ſolum non reperitur in prędicta modificatione, immo in eadem pręcipitur contrarium, quia in illa ſolummodo leguntur hęc verba, veſtimenta ſint lanea, & alba, ut conſtat ex regeſto originali in Archivo Apoſtolico Vaticano exiſtente, & hoc alias a ſimilis recordationis Innocentio PP. III, in primitiva Regula diſpoſitum erat per ejus literas, quarum initium, Operante divinę diſpoſitionis clementia, datas Laterani VI Kal. Januarii MCXCVIII, Pontificatus ſui anno primo. Et in pręcitatis literis Pęnitentiarię Apoſtolicę permittitur Provincię tantum Caſtellę uſus bruni coloris determinati, illius nimirum qui in illis partibus vulgo dicitur, Buriel, in vim cujus aſſertę permiſſionis, ſive proprio arbitratu, ſive alias prędicti Fratres Ordinis Sanctiſſimę Trinitatis addiderunt Regulę, & Conſtitutionibus in locis ubi tractatur de veſtimentis Fratrum, aliquas clauſulas in grave dictorum Fratrum Prędicatorum pręjudicium, & contra diſpoſitionem tot Summorum Pontificum, & ſignanter in Regeſto num. VI §. Veſtimenta, ad illa verba, Excepta cappa, & in eodem Text. relato cap. XIV titulo de veſtitu, & honeſtate habitus, & in declaratione ejuſdem Text. cap. citato §. II ad illa verba, ſed in modificatione uſque ad fin. §., & in cap. XVI titulo de ſignis in habitu ponendis. Text. VIII §. primo, ad illa verba, ſed neque cappa. Nobis propterea memoratus Magiſter Generalis tam ſuo, quam totius ſui Ordinis Prędicatorum nomine humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Magiſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore

fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus, inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus, Epiſcoporum, & Regularium prępoſitorum, qui rem de mandato noſtro pluries partibus auditis, mature diſcuſſerunt, & examinarunt, conſilio, viſiſque per eoſdem Cardinales Brevibus Apoſtolicis, & ſignanter Regeſto originali literarum prędicti Clementis IV Prędeceſſoris, quarum initium: In Ordine veſtro, ſub datum Viterbii VII Idus Decembris MCCLXVII, Pontificatus ſui anno tertio, necnon privilegiis, ſcripturis, & inſtrumentis hinc inde exhibitis, aliiſque videndis (3) auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium decernimus, & declaramus non licere Fratribus Trinitariis tam dictarum, quam aliarum quarumcunque Provinciarum, uti cappa niſi albi coloris, excepta tamen Provincia Caſtellę, in qua ad pręſcriptum literarum Pęnitentiarię Apoſtolicę memorati Pii IV Prędeceſſoris ſub datum Romę V Nonas Julii, Pontificatus ejus anno primo, licere uti cappa coloris bruni, ejus nimirum, qui in illis partibus, vulgo dicitur Buriel, non autem nigri coloris, & ad tenorem pręſentium literarum corrigendas eſſe Regulam, & Conſtitutiones dicti Ordinis Sanctiſſimę Trinitatis reſpective in locis, textibus, capitulis, & declarationibus, in quibus tractatur de veſtimentis Fratrum. Ut autem earundem literarum executioni firmius conſulatur, auctoritate prędicta committimus, & injungimus Ordinariis locorum, ut quoties pro parte dictę Religionis Prędicatorum fuerint reſpective requiſiti, ſeu quilibet eorum fuerit requiſitus, Fratres dicti Ordinis Sanctiſſimę Trinitatis, qui cappam nigri coloris, ſeu alias contra pręſentium literarum formam deferre pręſumpſerint, ad ipſam deponendam per cenſuras eccleſiaſticas, aliaque juris, & facti remedia, omni appellatione poſtpoſita, invocato etiam, quatenus opus ſit, brachii ſecularis auxilio, per ſe, vel per alios dicta auctoritate cogant, & compellant, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis prędictorum Cardinalium. Decernentes ipſas pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, inviolabiliter obſervari, & dicto Ordini Prędicatorum in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus in contrarium deductis, etiam ſpeciali expreſſione dignis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis Sanctiſſimę Trinitatis, ejuſque Provinciarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę pręſentibus ipſis adhiberetur ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VIII Februarii MDCLXVI, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

S. Ugolinus.

1. *Deferant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXVI*.

3. *Videndis.*) Decretum Sacræ Congregationis, quod habetur authenticum impreſſum typis R. Cameræ Apoſtolicæ eſt hujuſmodi.

In cauſa Fratrum Provinciarum Caſtellæ, Aragoniæ, & Bethicæ Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum ſuper delatione habitus, prætendente, & inſtante ex adverſo Religione Fratrum Prædicatorum, ut inhibeatur Fratribus dictarum Provinciarum, & Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis uti cappa nigra.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, re de mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri pluries partibus auditis mature diſcuſſa, & examinata, viſiſque Brevibus Apoſtolicis, & ſignanter regeſto originali Bullæ ſanctæ memoriæ Clementis IV, quæ incipit: In Ordine veſtro, ſub datum Viterbii VII Idus Decembris anno MCCLXVII, Pontificatus ejus tertio, necnon privilegiis, ſcripturis, & inſtrumentis hinc inde exhibitis, aliiſque videndis, ad relationem Eminentiſſimi Pallotti, cenſuit, & declaravit, non licere Fratribus Trinitariis, tam dictarum, quam aliarum quarumcunque Provinciarum uti cappa niſi albi coloris, excepta tantum Provincia Caſtellæ, in qua ad præſcriptum literarum Apoſtolicarum Sacræ Pœnitentiariæ ſanctæ memoriæ Pii IV, ſub datum Romæ V Nonas Julii, Pontificatus ejus anno primo, licere uti cappa coloris bruni, ejus nimirum, qui in illis partibus vulgo dicitur Buriel, non autem nigri coloris, & ad tenorem hujus Decreti corrigendas eſſe Regulam, & Conſtitutiones dicti Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis reſpective in locis, textibus, capitulis, & declarationibus, in quibus tractatur de veſtimentis Fratrum. Et ita harum vigore declarat, ac decernit, ſervarique mandat, ac præcipit, in contrarium deductis, etiam ſpeciali expreſſione dignis, non obſtantibus quibuſcunque. Ut autem earundem præſentium exequutioni firmius conſulatur, eadem Sacra Congregatio committit, & injungit Ordinariis locorum, ut quoties pro parte dictæ Religionis Prædicatorum fuerint reſpective requiſiti, ſeu quilibet eorum fuerit requiſitus, Fratres dicti Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, qui cappam nigri coloris, ſeu alias contra præſentis Decreti formam deferre præſumpſerint, ad ipſam deponendam per cenſuras eccleſiaſticas, aliaque juris, & facti remedia, omni appellatione poſtpoſita, invocato etiam, quatenus opus ſit, brachii ſecularis auxilio, per ſe, vel per alios cogant, & com-

compellant. Et facta de præmiſſis relatione eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro, Sanctitas Sua Decretum hujuſmodi approbavit, & juxta illius tenorem fieri, & exequi mandavit. Romæ XVI Decembris MDCLXV.

Loco † ſigilli.

M. Cardinalis Ginettus.

E. Epiſc. Camer. Secr.

Anno 1666 Die 23 Martii. XLIX.

Limana, Beatificationis, & Canonizationis venerabilis Servæ Dei Roſæ (1) a S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

PRopoſito per Eminentiſſimum Azzolinum Dubio: An conſtet de ſeptem miraculis in vita, & ſexdecim poſt obitum in Sac. Rituum Congregatione habita coram Sanctiſſimo, idem Sanctiſſimus auditis prius, & poſtea dimiſſis Conſultoribus, & deinde re plene diſcuſſa, aſſentientibus ſingulis Cardinalibus concluſive approbavit miraculum inſtantaneę ſanationis Marię de Jeſu puellę novennis cruribus impotentis, & contractę ſine motu per triennium. Hac die XXIII Martii MDCLXVI.

Loco † ſigilli,

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Sec.

1. *Roſa*.) De quâ ſæpius dictum fuit.

2. *Archivo*.) In quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſum anno *MDCLXVII*.

Anno 1666 Die 9 Junii.

L.

Ne Teutoniæ Provincia dividatur, cavet.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

IN ſupremo militantis Eccleſię ſolio, divina diſpoſitione, conſtituti, illa, quę ab Ordinum Regularium Superioribus ad conſervandam unitatem, avertendaſque ſciſſuras, prudenti ſalubrique diſpoſita eſſe noſcuntur conſilio, ut firmiora ſemper atque ſtabiliora perſiſtant, libenter, cum id a Nobis petitur, Apoſtolici muniminis pręſidio roboramus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Prior Provincialis Provincię Teutonię Ordinis Prędicatorum, quod alias videlicet die ſeptima Maii MDCLXI pro conſervanda unitate, & indiviſione dictę Provincię emanavit a dilecto etiam filio Magiſtro Generali dicti Ordinis pręceptum, quo omnibus ſibi ſubjectis, ubivis locorum intra, vel extra Provinciam morantibus, aut moraturis, cujuſcunque ſint gradus, dignitatis, aut conditionis, prohibet, ne quiſquam per ſe, vel alium, ſeu alios, ſive Religioſos, ſive ſeculares, directe, vel indirecte, clam, vel palam apud Religioſos Ordinis prędicti, vel extraneos quacunque dignitate, faſtigio, officio, aut honore fulgentes, ſub ullo colore, prętextu, titulo, aut motivo tractet, vel tractari faciat, ſuadeat, procuret, aut quoquo modo ſollicitet, vel cooperetur, ad hoc, ut in prędicta Provincia fiat ulla ſeceſſio, diviſio, aut ſeparatio, ſive inter veteres Provincię partes, ſive inter eandem, & partes, quę noviſſime per incorporationem anno MDCLIII die X Martii factam acceſſerunt, ſicque omne diviſionis tentamentum excludit, ac vetat, ſub pęna excommunicationis latę ſententię, privatione utriuſque vocis, graduum, & officiorum, ac perpetuę inhabilitatis ad illa, aliiſque pęnis arbitrariis ipſo facto incurrendis, & alias, prout uberius continetur in ipſius Magiſtri Generalis literis patentibus deſuper expeditis, tenoris qui ſequitur, videlicet. Frater Johannes Baptiſta de Marinis, Sacrę Theologię profeſſor, Ordinis Prędicatorum humilis Magiſter Generalis, & ſervus. Quod apud Eſaiam ipſemet Deus, hęc ſibimet approprìet epitheta: Ego Dominus faciens pacem, & creans malum, nonnullis quidem captu ſat arduum videtur, ſiquidem a Deo non creatur malum, nec niſi bonum eſſe poteſt quicquid a Creatore tam bono producitur. At ex ipſo creandi vocabulo nodum ſolvit Baſilius Magnus, innuens malum creari quando ex ipſo, utpote nihilo, elicitur bonum. Tametſi igitur cauſę Deo inferiores creare, ne quidem ut inſtrumenta poſſint, ſicubi tamen conantur ex malo bonum elicere, optimum cenſentur imitari Creatorem. Hoc porro, & Nos ſatagimus advigilantes, ut in grege Nobis commiſſo, ſi qua erumpant mala, ea ipſa tranſeant in bonam novi boni occaſionem, ac ſuo modo creentur, dum ex confuſione ordo, ex remiſſione diſciplina, ex turbatione tranquillitas formatur, ac reformatur. Nimirum hęc divini artificis quantulacunque Nos decet imitatio faciens pacem, & creans malum. Sane ingenti commodo ſuo id ſuperioribus annis experta eſt Provincia noſtra Teutonię, cujus hodierna quies, pax, unitas, in tanti corporis vaſta amplitudine non utique gauderet, hac firmitate, nexu, munimento, niſi ex ipſiſmet ejus inteſtinis quibuſdam motibus, rimis, ac nutu in rupturam propendulo tempeſtive invigilaſſemus, ad faciendam pacem, & creandum malum, ex ipſo diſſidiorum hiatu educentes illud amicabile gluten, quo in germanam concordiam denuo compaginata, ſaluberrimam, qua & conſervatur, conſervat unionis ſuę integritatem. Verum, ut fluxę ſunt humanarum rerum vices, obſtructo illic periculo, alia, ſed alibi, & ab aliis, erupit novę ſciſſurę tentatio, dum nuper nonnulli ex noſtris in Stiria, ejuſque conterminis dictę Pro-

Provinciæ recentius, at legitime incorporati, rurſus ab illa ſeparari, immo, & ſi fieri poſſet, notabiles ejus partes ſecum abſtrahere quæſierunt. Quorum prætenſionem poſtquam maturrime per complures menſes examinavimus, liquido demum comperimus eam communi Religionis bono neutiquam cohærere, niſi quatenus occaſionem Nobis præbet, ex ea commotione novam eliciendi pacem, qua, & priſtinum illud indiviſæ Teutoniæ gluten ſecurius corroboretur, & Provinciæ illius integritas, etiam adverſus hujus extremi membri detruncationem, vel potius ipſummet hoc membrum a proprio interitu fortiſſime præmuniatur, quod ubi præſtiterimus, divino illo creandi artificio Nos probe perfunctos nemo prudens negabit. Proinde harum ſerie, noſtrique officii auctoritate, omnibus, & ſingulis noſtræ curæ ſubjectis, ubicunque locorum morentur, aut in poſterum moraturi ſint intra, vel extra dictam Provinciam, ad eam pertinentibus, ſive ab ea extraneis cujuſcunque gradus, dignitatis, aut conditionis exiſtant, in virtute Spiritus Sancti, ſanctæ obedientiæ, ſub formali præcepto, item ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ, necnon privatione utriuſque vocis, graduum, officiorum, perpetuaque inhabilitate ad ullam in Ordine promotionem, aut functionem honorificam obtinendam, vel obeundam, aliiſque arbitrio noſtro taxandis pœnis inſimul cum omnibus jam taxatis ipſo facto incurrendis prohibemus, ne quiſquam, per ſe, vel alium, aut alios, ſeu Religioſos, ſeu ſeculares, directe, vel indirecte, clam, vel palam, apud noſtros, vel extraneos quacunque dignitate, faſtigio, officio, aut honore fulgentes, ſub ullo colore, prætextu, titulo, aut motivo tractet, vel tractari faciat, ſuadeat, procuret, aut quoquo imaginabili modo laboret, cooperetur, vel ſollicitet, quod in prænominata noſtra Teutoniæ Provincia ulla fiet ſeceſſio, diviſio, aut ſeparatio, ſive inter veteres Provinciæ partes, ſive inter illam, & partes, quæ recenter ipſi per incorporationem anno MDCLIII die X Martii de noſtra commiſſione factam, acceſſerunt, eumque in finem præſentium tenore verbatim, ac de integro renovamus, & cum omnibus ſuis clauſulis confirmamus patentes noſtras eodem anno die XII Aprilis deſuper expeditas, quibus, & Provinciæ Teutoniæ indiviſionem, & quinque Conventuum Stiriæ cum ea incorporationem ſtabilivimus, & approbavimus, non ſecus, ac ſi dictæ patentes ſillabatim repetitæ hic infererentur. Et ne horum ignorantia cuiquam ſuffragetur, mandamus univerſis per totam dictam Provinciam Prioribus, & Præſidentibus Conventuum ſub eodem formali præcepto, ac pæna abſolutionis ab officio, quatenus harum integrum tenorem intra biduum a receptione coram ſua Religioſa Communitate publice legi faciant, ac inviolabiliter obſervari. Confidimus bonos omnes huic noſtræ enixæ voluntati ingenue, prompteque parituros, ex quo continua tot annorum ſerie jam experti ſumus, quanta cum modeſtia ſuſceperint, quam in Religioſa fide, ac tranquillitate hactenus obſervarint ambæ antiquiores illius Provinciæ portiones, noſtrum reparatæ unionis, & concordiæ ſalutiferum præceptum, adeo quod toto iſthoc octennio nullo omnino ex iis partibus apud Nos delatus fuerit, qui, vel leviter gluten illud diſſolvere, aut ſaltem verbulo arrodere attentarit, quod in illa conſtanti natione amare, atque laudare non deſinimus. Idem incorporatis ſtudium eſto, quorum in hoc præcipue ſpectamus utilitatem, & incrementum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Quibuſcunque in contrarium non obſtantibus. In quorum omnium fidem, ac robur his ſigillo noſtro munitis propria manu ſubſcripſimus, Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die VII Maii MDCLXI. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, præceptum prædictum ubique in dicta Provincia rite notificatum, & communi ejuſdem bono ſalubre, immo perneceſſarium, agnoſcatur, Nobis propterea dictus Prior Provincialis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Priorem Provincialem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, attentis narratis, ac viſis per eoſdem Cardinales literis patentibus Magiſtri Generalis Ordinis hujuſmodi in authentica forma exhibitis tenoris præinſerti, eaſdem literas auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, benigne approbamus, & confirmamus, & omnimodæ executioni demandari jubemus ſub pœnis in ipſis literis contentis, ac perpetuum ſuper præmiſſis ſilentium imponimus, ſalva tamen ſemper in eiſdem præmiſſis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtoli Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dictorum Ordinis, & Provinciæ, hujuſque Conventuum quorumlibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die Nona Junii MDCLXVI, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo. S. Corinthien.

1. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſa anno *MDCLXVI.*

Limen-

Anno 1666 Die 7 Octobris.

LI.

Limenſis (1) Confraternitas SS. Roſarii Indulgentiis ornatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, in Capella, ſeu Oratorio ſito in Porta Eccleſię Conventus Roſarii nuncupati Civitatis Liman. Ordinis Fratrum Prędicatorum, una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas de los Mulatos (3) nuncupata, ſub invocatione B. Marię Virginis de Roſario, non tamen pro hominibus unius ſpecialis artis, canonice erecta, ſive erigenda exiſtat, cujus Confratres, & Conſorores quamplurima pietatis, & caritatis opera exercere conſueverunt, Nos, ut Confraternitas hujuſmodi majora in dies ſuſcipiat incrementa, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui dictam Confraternitatem in poſterum ingredientur, die prima eorum ingreſſus, ſi vere pęnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſumpſerint, Plenariam, ac eiſdem nunc, & pro tempore exiſtentibus, Confratribus, & Conſororibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi vere pęnitentes, ac confeſſi, ac ſacra communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti, nomen Jeſu, ore ſi potuerint, ſin minus, corde, devote invocaverint, etiam Plenariam, ac tam eiſdem deſcriptis, quam pro tempore deſcribendis in dicta Confraternitate Confratribus, & Conſororibus, etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui prędictę Confraternitatis Eccleſiam, vel Cappellam, ſeu Oratorium in die feſto principali dictę Confraternitatis per Confratres ſemel tantum eligendo, & ab Ordinario approbando, a primis Veſperis, uſque ad occaſum ſolis feſti hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper dictis Confratribus, & Conſororibus, etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, dictam Eccleſiam, vel Cappellam, ſeu Oratorium in quatuor aliis anni diebus per dictos Confratres etiam ſemel tantum eligendis, & ab Ordinario approbandis, ut prędicitur, viſitantibus, & orantibus, quo die prędictorum id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas, quoties vero Miſſis, & aliis divinis Officiis in dicta Eccleſia, vel Capella, ſeu Oratorio, pro tempore celebrandis, & recitandis, ſeu Congregationibus publicis, vel privatis ejuſdem Confraternitatis, ubivis faciendis, interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procuraverint, aut etiam qui corpora defunctorum, tam Confratrum, & Conſororum hujuſmodi, quam aliorum ad ſepulturam aſſociaverint, aut quaſcunque Proceſſiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctiſſimumque Euchariſtię Sacramentum, tam in Proceſſionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicunque, & quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut ſi impediti, campanę ad id ſigno dato, ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem, & ſalutationem eaſdem pro animabus Confratrum, & Conſororum defunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes pręcepta Dei, & ea, quę ad ſalutem ſunt, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet prędictorum operum ſexaginta dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus pręſentibus, perpetuis futuris temporibus valituris, volumus autem, quod ſi alias dictis Confratribus, & Conſororibus pręmiſſa peragentibus aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit, pręſentes nullę ſint, utque ſi dicta Confraternitas, alicui Confraternitati aggregata jam ſit, vel in poſterum aggregetur, ſeu quavis alia ratione uniatur, aut etiam quomodolibet inſtituatur, priores, & quęvis alię Literę Apoſtolicę. illis nullatenus ſuffragentur, ſed ex tunc eo ipſo nullę ſint. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII Octobris MDCLXVI, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

S. Corinthien.

1. *Limenſis*.) In Regno *Peruano*.
2. *Archivo*.) In quo exemplar:
3. *Mulatos*.) Sic vocantur qui patre albo, & matre nigrá, vel patre nigro & matre alba nati ſunt.

Anno 1666 Die 21 Octobris.

LII.

Ut Indulgentia conceſſa recitantibus Roſarium (1) hora aſſignata poſſit defunctis attribui.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

ALEXANDER PP. VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ALias Nos, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui hora ſibi aſſignata Roſarium B. M. V. devote recitaſſent, & pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum pre-

preces effudiſſent, Plenariam ſemel in anno duntaxat omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino conceſſimus, prout in literis deſuper in forma Brevis expeditis plenius continetur. Cum autem, ſicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius modernus Generalis Fratrum Ordinis Prędicatorum Indulgentiam prędictam etiam ad animas fidelium Defunctorum per modum Suffragii extendi poſſe ſummopere deſideret, Nos ſupplicationibus dicti moderni Generalis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Indulgentiam prędictam animabus fidelium Defunctorum quę Deo in caritate conjunctę ab hac luce migraverunt, per modum Suffragii applicari poſſe, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, ſervata tamen in omnibus, & per omnia in reliquis prędictarum literarum forma indulgemus, in contrarium facien., non obſtantibus quibuſcunque. Pręſentibus ad tempus in literis hujuſmodi pręſcriptum tantum valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur pręſentes nullę ſint, quodque pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur, pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris die XXI Octobris MDCLXVI, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

S. Corinthien.

1. *Roſarium.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum & exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ* anno *MDCLXVI.*

De non celebrandis Miſſis Defunctorum in duplicibus.

Anno 1667 Die 22 Januarii.

LIII.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

ALEXANDER PP. VII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CReditę Nobis cęlitus diſpenſationis officium ſalubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter ſatagentes, & quamplurima dubia in diverſis mundi partibus orta, & in Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus prępoſitorum deducta occaſione decreti ejuſdem Congregationis die V Auguſti MDCLXII editi, ac a Nobis approbati (2), de non celebrandis Miſſis de Requiem in duplicibus tollere, atque dirimere cupientes. De memoratorum Cardinalium conſilio, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, approbamus in primis aliud decretum prędictę Congregationis editum in una Novarien. die XXII Novembris MDCLXIV, quo declaratum fuit, Anniverſaria, & Miſſas Cantatas de requiem, relictas ex diſpoſitione Teſtatorum quotannis in die ipſorum obitus, etiam in duplici majori contingentis non comprehendi in dicto Decreto. Ulterius quoad Altaria perpetuo privilegiata, & in quibus proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandę ſint Miſſę de Requiem ex obligatione, auctoritate, & tenore prędictis declaramus per celebrationem Miſſarum de Feſto currenti ſatisfieri dictis obligationibus, & ſuffragari cum eiſdem Indulgentiis, perinde ac ſi eſſent celebratę Miſſę de requiem ad formam privilegiorum: ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate ſupradictę Congregationis. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę Regula de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut ipſarum pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę pręſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII Januarii MDCLXVII, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar. In *Bullario Romano* eſt *CLXXI.*

2. *Approbati.*) Decretum eſt hujuſmodi.

Decretum de non celebrandis Miſſis privatis pro Defunctis in Feſtis Duplicibus.

CUm Sanctiſſimus Dominus noſter in viſitatione Eccleſiarum Urbis acceperit, in pleriſque Eccleſiis abuſum irrepſiſſe celebrandi Miſſas privatas pro defunctis etiam in feſtis duplicibus contra præſcriptum Rubricarum Miſſalis Romani, eundem abuſum Decreto Congregationis eliminari præceperit. Innotuerit vero Sacrorum Rituum Congregationi hujuſmodi abuſum, etiam in aliis Eccleſiis ubique gentium exiſtentibus inductum pariter reperiri. Sacra eadem Congregatio, ut Miſſalis Rubricæ inviolate ſerventur, diſtricte præcipit omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, tam ſecularibus, quam regularibus cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & inſtituti etiam neceſſario exprimendi, ut in poſterum omnino dictam Rubricam ſervent, itaut Miſſas privatas pro defunctis, ſeu de Requiem in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel præſumant. Quod ſi ex benefactorum præſcripto Miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidant in feſtum duplex, tunc minime transferantur in

aliam

aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit, ſed dicantur de feſto currenti cum applicatione ſacrificii juxta mentem eorundem benefactorum. Curentque Eccleſiarum Rectores, Sacriſtæ, aliique ad quos pertinet, ut hujuſmodi Decretum inviolate ſervetur, & in Sacriſtia affixum retineatur, ubi commode ab omnibus celebrare volentibus conſpici, & legi poſſit. In eos autem, qui contrafacere auſi fuerint, vel præmiſſa adimplere neglexerint, locorum Ordinarii, tum ſeculares, tum regulares pro modo culpæ animadvertant. Die V Auguſti MDCLXII. Et facta de prædictis Sanctiſſimo relatione, Sanctitas Sua annuit, & cum applicatione ſacrificii ſatisfieri, ac benefactorum mentem impleri voluit. Eadem die V Auguſti MDCLXII.

I. Epiſc. Sabinen. Card. Sacchettus.

Loco ✝ ſigilli.

Franc. Maria Phœbeus Sacr. Rit. Congr. Secr.

Gratis etiam quoad Scripturam.

Die XXX ejuſdem Menſis, & Anni, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ, in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Laurentium Barbigionum Sanctiſſimi D. N. PP. Curſ.

Pro Mag. Curſorum Jo. Antonius Bertarellus Curſor.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiſcopi, & Epiſcopi Dignitates, Alexandro VII Summo Pontifice, promotos exhibens.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1656. F. Thomas de Saria, Archiepiſcopus Tranenſis, in Regno Neapolitano. *Ughellus in Archiepiſcopis Tranen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 915 *Edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CV pag.* 107. *Cavalerius Tomo I pag.* 622 *num. CXXXI.* Archiepiſcopus *Tarentinus* fuit, uti mox dicetur.

Anno 1660. F. Johannes de Arguinao, ex Epiſcopo *S. Crucis de la Sierra*, ut in præcedenti *Appendice* dictum fuit, Archiepiſcopus Sanctæ Fidei, in America. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXXVII pag.* 98, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ.*

Anno 1664. F. Franciſcus a Paula, Archiepiſcopus Manilianus, *Manilla*, in Philippinis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LVIII pag.* 84. *Cavalerius Tomo I pag.* 623 *num. CXXXIV.*

Anno 1665. F. Thomas de Saria, ex Archiepiſcopo *Tranenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Archiepiſcopus Tarentinus, in Regno Neapolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XCVIII pag.* 103. *Cavalerius Tomo I pag.* 622 *num. CXXXI.*

EPISCOPI.

Anno 1655. F. Franciſcus Creſpi, Epiſcopus Vicenſis, *Vich*, in Catalonia, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXXII pag.* 322, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius Tomo I pag.* 619 *num. CXXIV.*

Anno 1655. F. Blaſius Mazzella, Neapolitanus, Epiſcopus Strongylenſis, ſeu Macellenſis, *Strongoli*, in Calabria, ſub Archiepiſcopo S. Severinæ. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXIII pag.* 300, *ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag.* 620 *num. CXXV.* Ad Eccleſiam *S. Agathæ Gothorum* translatus fuit, ut poſtea dicetur.

Anno 1655. F. Cherubinus de Malaſpina, Epiſcopus Burgi S. Sepulcri, *Borgo San Sepolcro*, in Italia, ſub Archiepiſcopo Florentino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CIX pag.* 147. *Ughellus in Epiſco-*

Epiſcopis Burgi S. Sepulcri Tomo III Italiæ Sacræ pag. 203. *Cavalerius Tomo I pag.* 624 *num. CXXXVI. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcoporum pag.* 22.

F. Joſephus a Cornea, ex Epiſcopo *Squillacen.*, ut in hac *Appendice ad Pontificatum Urbani VIII* dictum fuit, Epiſcopus Urbevetanus, *Orvieto*, in Hetruria ditionis Pontificiæ, immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcopis Urbevetan. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 1479 *edition. Venetæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXLVII pag.* 326. *Cavalerius Tomo I pag.* 629 *num. CXLIII.* Anno 1656.

F. Franciſcus Rogerius, Epiſcopus Celſonen., in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLVII pag.* 163, *ex Regeſt. Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius Tomo I pag.* 615 *num. CXIX.* Anno 1656.

F. Franciſcus de la Crux, Hiſpanus, Epiſcopus Sanctæ Marthæ, in America, ſub Archiepiſcopo S. Dominici. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXI pag.* 288, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius Tomo I pag.* 616 *num. CXXI.* Anno 1658.

F. Acatius March de Velaſco, Epiſcopus Oriolenſis, *Oribuela*, in Hiſpania Tarraconenſi, ſub Archiepiſcopo Valentino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXXV pag.* 251. *Cavalerius Tomo I pag.* 622 *num. CXXX. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXV pag.* 613, ex variis auctoribus, ex quibus emendandi *Cavalerius*, & *Fontana*, qui Epiſcopum iſtum vocant *Aſcaſium.* Anno 1659.

F. Cyprianus de Medina, Epiſcopus Guamangen., *Guamanga*, in America, ſub Archiepiſcopo Limano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXXIX pag.* 201. *Cavalerius Tomo I pag.* 622 *num. CXXXII, & CXXXIII.* Anno 1660.

F. Franciſcus a Trinitate Y Arrienta, Epiſcopus S. Marthæ, in America, ſub Archiepiſcopo Sancti Dominici. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXI pag.* 288, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius Tomo I pag.* 621 *num. CXXVIII.* Anno 1661.

F. Alfonſus, ſeu Ildefonſus, Enriquez, a Sancto Thoma, ſanguinis præſtantia, morum candore, & Sacrarum literarum peritia clarus, Epiſcopus Oxomenſis, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXLIV pag.* 254. *Cavalerius Tomo I pag.* 656 *num. CLXXXIV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXCII pag.* 732. Variis Eccleſiis præfuit, uti mox dicetur. Anno 1661.

F. Hyacinthus Serroni, ex Epiſcopo *Arauſicano*, ut in *Appendice ad Pontificatum Innocentii X* dictum fuit, Epiſcopus Mimatenſis, *Mande*, in Gallia, ſub Archiepiſcopo Bituricenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXXVII pag.* 236. *Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Fuit Archiepiſcopus *Albienſis.* Anno 1662.

F. Blaſius Mazzella, ex Epiſcopo *Strongylenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Sanctæ Agathæ Gothorum, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag.* 619. *Ughellus in Epiſcopis S. Agbathæ Gothorum Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.* 357 *edition. Venetæ. Cavalerius* ſupra laudatus. Anno 1663.

F. Ludovicus de Ciferentes, Epiſcopus Emeritenſis, *Merida*, in Jucatan Provincia Americæ, ſub Archiepiſcopo Mexicano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXXXI pag.* 235, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius Tomo I pag.* 621 *num. CXXVII.* Anno 1663.

F. Ambroſius Fracaſſinus, Patricius Brixienſis, Epiſcopus Polenſis, in Iſtria, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXIV pag.* 267. *Cavalerius Tomo I pag.* 640 *num. CXXVI.* Anno 1663.

F. Johannes Lopez, Epiſcopus Villæ Jeſu, in Inſula Cebu, in Philippinis, ſub Archiepiſcopo Maniliano. *Cavalerius Tomo I pag.* 631 *num. CXLV.* Ad Archiepiſcopatum *Manilianum* translatus fuit. Anno 1663.

Anno circiter 1664. F. Ferdinandus Delhove, Epiſcopus Tangrenſis, ſeu Tingenſis, *Tanger*, in Africa, ſub Archiepiſcopo Eborenſi. *Bernardus de Jonghe* mox laudandus.

Anno circiter 1664. IDem Epiſcopus Septenſis, *Ceuta*, in Africa, ſub Archiepiſcopo Ulyſſipponenſi. *Bernardus de Jonghe* mox laudandus.

Anno circiter 1664. IDem Epiſcopus Maderan., ſeu Funchalen., in Inſula Madera, ſub Archiepiſcopo Ulyſſipponen. *Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag.*237, ubi hæc habet: *Ferdinandus Delhove ..... ſucceſſive denominatus ad Epiſcopatus Tangrenſem, Centanum, & Maderanum. Ante conſecrationem obiit Jubilarius menſe Julio anni MDCLXIV.*

Anno 1664. F. Alfonſus, ſeu Ildefonſus, Enriquez, a S. Thoma, ex Epiſcopo Oxomenſi, ut in hac *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Placentinus, in Hiſpania. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CCCCLXIX pag.* 265, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius*, aliique ſupra laudati.

Anno 1664. IDem ex Epiſcopo *Placentino*, Epiſcopus Malacitanus, *Malaga*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Granatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXIII pag.* 224, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius*, aliique ſupra laudati.

Anno 1664. F. Petrus de Godoi, Hiſpanus, Epiſcopus Oxomenſis, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. CCCCXLIV pag.* 256, *ex Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ. Cavalerius Tomo I pag.* 643 *num. CLXIV, & pag.*698 *num.XV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXVII pag.*673.

Anno .... IDem ex Epiſcopo *Oxomenſi*, Epiſcopus Seguntinus, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano. *Cavalerius*, & *Echard* mox laudati.

Anno 1664. F. Paulus Pyromallus, ex Archiepiſcopo *Naſcivanenſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Innocentii X* dictum fuit, Epiſcopus Biſinianenſis, *Biſignano*, in Calabria, immediate ſub S. Sede. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. XCII pag.* 142. *Cavalerius*, aliique ſupra laudati.

Anno 1664. F. Thomas de Monteroſſo, Hiſpanus, Epiſcopus Antiquaren., ſeu Guaxacanus, in America, ſub Archiepiſcopo Mexicano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit CCLXXX pag.* 201. *Cavalerius Tomo I pag.* 628 *num. CXXXIX.*

Anno 1665. F. Dominicus Paulonus, Epiſcopus Buduanen., *Budoa*, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Antibarenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. LXXXIX pag.*141. *Cavalerius Tomo I pag.* 628 *num CXL.*

Anno circiter 1666. F. Franciſcus Varo, Epiſcopus Baſilitanus in Africa, ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi. Fuit Vicarius Apoſtolicus in Miſſionibus Sinen. *Cavalerius Tomo I pag.* 628 *num. CXLI, & Tomo II pag.*45 *num.II Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXXVII pag.*714., *& in Addendis pag.*998.

Anno 1666. F. Sixtus Maria Pironti, Neapolitanus, Epiſcopus Sarnenſis, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Salernitano. *Nicolaus Antonius Tura Epiſcopus Sarnen. in Serie Epiſcoporum Sarnen. Cavalerius Tomo I pag.*636 *num.CLV.*

CLE-

CLEMENS IX.

Julius Roſpiglioſius, Piſtorienſis, electus (a) eſt die XX Junii MDCLXVII. Coronatus (b) fuit die XXVI ejuſdem Menſis. Obiit (c) die IX Decembris MDCLXIX. Sedit Annos II, Menſes V, Dies XX.

(a) *Oldoinus* in *Additionibus ad Ciaconium*. (b) Idem. (c) Idem.

Quæ pro Fratribus Hibernis ſublevandis ſancita ſunt firmat.

Anno 1667 Die 16 Septembris.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CLEMENS PP. IX.

I.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CReditę Nobis cęlitus diſpenſationis ratio exigit, ut paternam virorum religioſorum, eorum pręſertim, qui Evangelicę prędicationi addicti, labores, & pericula pro Fide Catholica alacriter ſubeunt, curam gerentes, illa quę pro eis ſublevandis, piiſque, & laudabilibus eorum ſtudiis fovendis, & promovendis, ab eorum Superioribus Regularibus, pie prudenterque facta, & conſtituta eſſe noſcuntur, ut firma atque illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis patrocinio libenter roboremus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Magiſter Generalis Ordinis Prędicatorum, quod ipſe pro manutentione inſtituti Evangelicę prędicationis, cui dictus Ordo enixe incumbit, ac pro ſublevandis Religioſis Provincię Hibernię, & aliarum ejuſdem Ordinis, qui laboribus, carceribus, minis, & opprobriis pro Catholica Fide vexantur, literas patentes expedivit tenoris, qui ſequitur videlicet. Frater Johannes Baptiſta de Marinis, Sacrę Theologię Profeſſor, Ordinis Prędicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus, in Dei filio ſibi dilecto R. P. Fr. Johanni O Cnojur a Sancto Dominico ejuſdem Ordinis, & Provincię noſtrę Hibernię Procuratori Generali, ſalutem. Hibernia re, & nomine quondam floridiſſima, Sanctorum inſula, ſed poſtremo hoc noſtro ſeculo avitę Religionis triſti paſſim excidio miſerrime deformata tanto ſolicitiorem meretur omnium Chriſti fidelium ubique commiſerationem, quanto periculoſius hodie ſub novo quodam perſecutionis genere ibidem orthodoxa fides laceratur, neque hic Nobis eundem per ſingula, dum in paradigma ſufficiunt noſtrorum illic Fratrum, quas expoſuiſti calamitates, & clades, nimirum ipſo eorum Provinciali ob fidem retruſo in ſequeſtrum, aliiſque alibi in vincula conjectis, miſſionariis diſperſis, communitatibus diſſipatis &c. quibus niſi aliunde per novorum identidem operariorum quotidiana ſupplementa provide ſuccurratur, brevi de Provincia actum erit. Porro, ut prudenter ſuggeſiſti, iis ſuccurri non poterit, niſi extra Inſulam in aliis Catholicorum Principum Regnis, ac ditionibus multiplicentur nationalia Religioſorum iſtorum domicilia, & literarum Collegia, in quibus tum exules noſtri miſſionarii ob fidem proſcripti aſylum inveniant, tum vernacula Hibernorum juventus ſtudiis controverſiarum, & ſacrarum linguarum jugiter ad Apoſtolicam miſſionem erudiatur. Hoc igitur extremum iſtius deſolationis remedium, ut ſuo tandem potiatur uſu, & effectu in quem una tecum undique plurium magnatum vota, inſtantię, promiſſa, munifice, pientiſſimeque conſpirant, ampliuſque in aliis pariter Regionibus conſpiratura putantur, Nos harum ſerie, ac ſuprema officii noſtri auctoritate in primis tibi ſupra nominato, tuiſque in officio Succeſſoribus poteſtatem facimus acceptandi, erigendi, ac formandi apud Madritum Hiſpanię, unicum tuę nativę Provincię Collegium, quale confidis illic ex piorum eleemoſynis, ac liberali fundatione te obtenturum, ad effectum pręcipue ibidem ſub regulari diſciplina educandi miſſionarios Hibernicę nationis indiſcriminatim, ita tamen, ut etiam Angli, & Scoti in eodem Collegio recipiantur, ſuſtententur, & inſtruantur cum poteſtate etiam ibidem recipiendi ad habitum, & profeſſionem juvenes ſupradictorum trium nationum, illoſque educandi in proprio noviciatu ſub exacta obſervantia regulari. Simili ratione, fine, ac modo in aliis quibuſcunque locis tum Hiſpaniarum tum ceterorum per Europam Catholicorum Regnorum, Statuum, ac ditionum ubicunque patronos, fautores, ac fundatores potueris reperire, atque ad tantę pietatis opus inducere, tibi, tuiſque Succeſſoribus in officio amodo liceat huiuſcemodi Collegia procurare, ſuſcipere, eorundem Regnorum nationalibus conſignare, ad effectum, ut ſupra, & cum iiſdem facultatibus. Volumus autem, ac declaramus, quod omnia, & ſingula ejuſmodi Collegia ubicunque, Dei ope, fidelium munificentia, tuaque & Succeſſorum induſtria excitabuntur, ipſo facto ſint, & permaneant vera membra ſolius noſtrę Provincię Hibernię, ita quod nulli alteri Ordini Superiori ſubſint, pręterquam ſuo Provinciali Hibernię, & Magiſtro Ordinis pro tempore, interim donec Fratres noſtri proprias ſeorſim fundationes, ac domicilia, ut ſupra, poſſideant, ne ſtante hac eorum notoria paupertate adigantur ad ſolvendas in Provinciarum Conventibus, aut hoſpitiis taxatas contributiones, quas utique extorres, & egeni ſolvere nequeunt inſtar ceterorum, qui pacatas Provincias habent, mandamus, quod pręſides iſtorum Conventuum, & hoſpitiorum in hujuſmodi alienis Provinciis nihil a Fratribus noſtris Anglis, Hibernis, Scotis apud ſe hoſpitaturis exigant, ultra quotidianę miſſę celebrationem tantum, ubicunque vero iidem Fratres in hoſpitiis, aut Conventibus ſub ea conditione non recipientur licebit ipſis hoſpitari apud quoſcunque alios benevolos receptores eccleſiaſticos, ſive ii ſint regulares, ſive ſeculares, ne ob temporales reſpectus ullibi ſanctum iſtud procurandarum fundationum impediatur negotium, a quo tot animarum ſalus dependet. Denique in virtute Spiritus Sancti, ſanctę obedientię, ſub formali pręcepto, necnon ſub

Nota.

Nota.

pęna majoris excommunicationis ipſo facto incurrenda, aliiſque pęnis Nobis arbitrariis ex nunc ſtrictiſſime prohibemus univerſis, & ſingulis noſtrę curę ſubjectis, quacunque dignitate, gradu, officio, aut qualitate cenſeantur, ne ullibi ſupradictas Collegiorum Hibernicorum pro noſtris fundationes, acquiſitiones incrementa, per ſe, vel per alios directe, vel indirecte, clam, vel palam, ſub quocunque motivo, colore, aut imaginabili prętextu impediant, retardent, aut diſturbent; quin potius enixe hortamur A. RR. PP. tum Hiſpaniarum, tum ceterarum Provinciarum Priores Provinciales, quatenus per ſe, & ſuos ubique tam ſanctum, & pium opus magno ſtudio, & conniſu promoveant, juvent, ac foveant, Fratres noſtros Hibernos in ſuis Provinciis, & Congregationibus libenter, paterneque complectantur, ipſorum ſolatio, & profectibus ſincere faveant, ipſos benefactoribus commendent, omnique opportuno ſubſidio, conſilio, affectu eis opitulari non dedignentur, & quia caritati nulla prefixa eſt menſura, aut limes, hortamur eoſdem Priores Provinciales in viſceribus Jeſu Chriſti, quod his Fratribus ad miſſiones, & martyria pro fide auctoritatis (2) ſponte, ac liberaliter ex ſuiſmet propriis Conventibus unum, aut plures in ſuis Provinciis cedant, ac reſignent. Tales autem Conventus hoc modo reſignatos ex nunc pro tunc iiſdem Fratribus, ipſorumque Provincię applicamus, & incorporamus, Apoſtolica auctoritate ſpeciali, qua in hoc fungimur. Item ſupradictam facultatem procurandi, fundandi, acceptandi, & formandi hęc nationalia Collegia, domos, atque Conventus pariter extendimus ad acquirenda Monialium Cœnobia, ſeu Monaſteria pro Hibernis, Anglis, & Scotis, Deo ubivis locorum conſecrandis, ſiquidem hę in propria ſua Patria hanc relinquendi ſeculi commoditatem ſperare nullibi poſſunt. Quod ſi etiam in aliarum miſſionum pręſertim orientalium ſolatium tibi, vel tuis ſucceſſoribus in officio placuerit, ac ſine incommodo propriorum nationalium pie fieri videbitur, concedimus pariter, quod in prędictis noſtris domibus, Collegiis, & Conventibus recipiantur etiam noſtri Fratres Armeni, ſive ad hoſpitandum, ſive etiam ad commorandum pro ſtudio, & inſtructione, idemque conceſſum eſto quoad alios Religioſos noſtros de terris infidelium adventantes. Porro ut omnibus his, quę
Nota. ſperantur novellis Cœnobiorum plantationibus, de optima, & ſtabili forma regiminis proſpiciatur, ex nunc, harum ſerie, te, tuoſque in hoc tuo Procuratoris Generalis officio ſucceſſores omnibus hujuſmodi Cœnobiis, Collegiis, ac domibus pręficimus cum titulo Vicarii Provincialis Hibernię pro tempore, cumque omni in ſpiritualibus, ac temporalibus juriſdictione, ac poteſtate, quam Priores Provinciales in ſuis Provinciis habere debent, ac ſolent, etiam cum facultate ſubdelegandi, itaut quando contigerit te, tuoſve ſucceſſores longius diſtare, aut alio impedimento detineri, ab adeundo loco, ubi Collegium, ſeu Cœnobium, aut Fratrum, ſeu Monialium, plantandum, acceptandum, formandum, aut viſitandum fuerit, poſſis, iique ſucceſſive poſſint, eo deſtinare Commiſſarium, ac Viſitatorem, quoties, & quando opus fuerit, cum plena, aut limitata auctoritate, prout videbitur, talemque ſeu Commiſſarium, ſeu Viſitatorem a te, ſeu tuis ſucceſſoribus miſſum poſſis, illique poſſint, revocare, aliumque ſubrogare ad effectum ea omnia, & ſingula agendi, diſponendi, atque pręſtandi quęcunque ipſemet ageres, ſi perſonaliter eo acceſſiſſes. Item quantum in Nobis eſt tibi, tuiſque ſucceſſoribus Plenariam concedimus facultatem deſtinandi Prędicatores, & Miſſionarios ad terras infidelium, & hęreticorum pro converſione, & lucro animarum, ſeu pereuntium, ſeu periclitantium. Inſuper tibi, & ſucceſſoribus tuis poteſtatem damus imponendi pręcepta formalia, fulminandi cenſuras, condemnandi ad pęnam carceris, & exercendi omnes illos actus juriſdictionis, quos Provinciales ex ordinaria ſua auctoritate exercere poſſunt in perſonas ſibi ſubjectas. Preterea, ſi contingat ſupradicta Collegia, Cœnobia, Monaſteria, vel aliquod eorum ab ipſo Provinciali Hibernię perſonaliter viſitari, ipſo pręſente, quieſcit ibidem tua, tuorumque ſucceſſorum auctoritas, verum illo inde digreſſo eadem auctoritas ipſo facto redibit ad uſum, ut antea, ſic quod ea non cenſebitur expiraſſe per adventum Provincialis, neque illam tunc, aut alias tibi poſſit auferre Provincialis Hibernię in toto, vel in parte, niſi de expreſſo conſenſu Magiſtri Ordinis, te vero per mortem ſublato ad Provincialem Hibernię pertineat ſubrogare alium Procuratorem Provincię cum iiſdem facultatibus, ut ſupra, & cum prefixione termini quoad durationem officii, quem tamen ſemel, ac pluries poterit prorogare, prout poſtularit neceſſitas. Ulterius ex Apoſtolica auctoritate Nobis ſpecialiter indulta concedimus tibi, & tuis ſucceſſoribus plenariam facultatem, qua in pręmemoratis novis Conventibus, Collegiis, ac Monaſteriis inſtituas, & pręficias Priores, Rectores, Prioriſſas donec ad eum perveniant numerum perſonarum, qui ad electionem canonicam ſufficiat, eadem facultate poſſis electionem approbare, & confirmare, ipſis vero inſtitutis, aut electis terminum officii ſui, quatenus expedire judicaveris, ſemel, & pluries prorogare, vel ut reeligantur habilitare. Similiter poſſis ubique in domibus tibi ſubjectis inſtituere Subpriores, Vicarios, Pręſides, Magiſtros Noviciorum, Lectores, Officiales, ac ſtudiorum moderatores. Eadem proportionabiliter, ac reſpective circa Monaſteria Monialium tibi conceſſa ſunto, & quicquid facultatis, aut juriſdictionis tibi in noſtris literis patentibus conceditur id totum pariter tuis in eodem officio futuris ſucceſſoribus conceſſum intelligatur. Et, ut omnia obſtacula, quantum fieri poteſt, removeantur, denuo ſub formali pręcepto, & anathemate quo ſupra, necnon ſub pęna privationis utriuſque vocis, & graduum, perpetuaque inhabilitate ad ea recuperanda, interdicimus univerſis, & ſingulis, tam Superioribus, quam ſubditis in quacunque Ordinis Provincia, aut Congregatione degentibus, ne huic per Nos tibi, & Succeſſoribus tuis collatę juriſdictionis titulo, & facultati, quiſquam ſe ſe opponat, eamve judicialiter, vel extrajudicialiter impugnet, aut impediat. Ipſis vero Fratribus, & Sororibus prędicta nova Collegia, Conventus, atque Monaſteria reſpective inhabitaturis, aut in iis quoquo modo, vel occaſione commoraturis, pręcipimus ſub eodem formali pręcepto, iiſdemque penis, quod tibi, & Succeſſoribus tanquam legitimis ſuis Pręlatis, ac veris Superioribus exactam pręſtent obedientiam, reverentiam, & honorem. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quibuſcunque in contrarium non obſtantibus. In fidem his officii noſtri ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus Romę ſexta Julii MDCLXVII. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, prędictus Magiſter Generalis literas hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtant, ac ſer-

ac ſerventur exactius, Apoſtolicę noſtrę confirmationis pręſidio communiri plurimum deſideret. Nos ipſum Magiſtrum Generalem ſpecialis favore gratię proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitorum conſilio, attentis narratis, viſiſque, & diligenter per eoſdem Cardinales conſideratis literis patentibus pręinſerti tenoris, eaſdem literas, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium benigne confirmamus, ſuumque effectum ſortiri mandamus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis prędictorum Cardinalium. Decernentes ipſas pręſentes, & pręinſertas literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, & Provinciarum, ac Conventuum, & locorum regularium quorumcunque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem fides adhibeatur ubique, quę pręſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI Septembris MDCLXVII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo exemplaria authentica typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſa anno *MDCLXVII.*

2. *Auctoritatis.*) Turbatus locus.

Valentina, Canonizationis Beati Ludovici Bertrandi (1) Ordinis Prædicatorum.

Anno 1667 Die 4 Octobris. II.

Ex Archivo (2) Ordinis.

DIſcuſſo nunc demum dubio ad formam noviſſimorum Decretorum Sanctiſſimę Inquiſitionis propoſito per Eminentiſſimum D. Card. Gualterium. An conſtaret de relevantia noviſſimi proceſſus Valentię compilati ſuper his, quę ſupervenerunt poſt indultam Beato Ludovico Bertrando venerationem, Sac. Rituum Congregatio habita coram Sanctiſſimo quatuor Miracula approbavit interceſſione ejuſdem Beati, & ad indicandam illius Sanctitatem ab Omnipotenti Deo mirabili in ſervis ſuis pręter naturę vires, ſeu ordinem operata nempe.

Pręſervationis ejus Corporis a corruptione, quamvis in loco alluvionibus obnoxio, non exenterati, aromatibus, & balſamo inconditi, cum inteſtinis ipſis adeo ad corruptionem proclivibus humo traditi: integri tamen, articulati, & tractabilis ſexaginta annorum circulo aſſervati.

Pręſervationis a morte, ſeu ſubitę ſanationis Aloiſii Vincentii Monteſinos Bimi febri valida, vermibus, dyſenteria, & vomitu diuturnis coſtulis jam ſtomacho connexis, ac ſincope correpti: necnon

Geſualdę Gil de Ramirez puellę quadriennis a ſex Mulis raptantibus Currum Carbone onuſtum ponderis quatuormille librarum humi projectę, & ſub duabus rotis adeo compreſſę ſupra Caput, Collum, & humeros, ut inibi clavorum rotarum veſtigia impreſſa cernerentur.

Subitę tandem ſanationis Bartholomęi Chriſtophori Dominguez hernia adeo deformi laborantis, ut ſcrotum cum genuflecteret, humum attingeret, eum inde emittentis fœtorem, ut abdomina corrupta, & ſcrotum ulceribus eroſum pateſcerent.

Quapropter Sac. eadem Congregatio declaravit pleniſſime ſatisfactum fuiſſe noviſſimis decretis, & proinde quandocunque libuerit, tuto poſſe procedi ad ſolemnem ejuſdem Beati Ludovici Canonizationem juxta Ritum S. R. E. & Sacrorum Canonum diſpoſitionem, eumquę cum Deo regnantem in Cęlis Chriſti fidelibus indicare Sanctorum Cultu colendum. Aliis pręterea decem, & octo Miraculis ante indultam venerationem ſequutis, & articulatis, ſed ab ipſa Sac. Congregatione, ſedente olim ſanctę memorię Gregorio XV, poſt conceſſionem Cultus formiter diſcuſſis, & approbatis, pariter admiſſis, & comprobatis. Die IV Octobris MDCLXVII.

M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *B. Ludovici Bertrandi.*) Sancti, de quo ſæpius dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ* anno *MDCLXVII.*

Lima-

Anno 1667 Die 4 Octobris.

Limana, Beatificationis, & Canonizationis, Venerab. Servæ Dei Roſæ (1) a Sancta Maria Tertii Ordinis S. Dominici.

III.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ITerum delato ad Congregationem Sac. Rituum dubio. An conſtaret de miraculis ab Omnipotenti Deo, qui facit mirabilia magna ſolus, operatis interceſſione Servę ſuę Roſę a Sancta Maria; Eadem Sac. Congregatio habita coram Sanctiſſimo concludentes probationes haberi ſuper quatuor ex allatis, & relatis per Eminentiſſimum D. Cardinalem Azzolinum eventibus, eoſque involvere rationem veri miraculi, & interceſſione Servę Dei patratos fuiſſe, declaravit nempe.

Inſtantaneę, perfectęque ſanationis brachii, forti, ac inveterata paralyſi attracti Iſabellę Duranę ad contactum Corporis Servę Dei.

Brachii pariter biennio manci Mauri Didaci de Ayala ad tactum ſepulcri.

Pedum, crurum valida, ac triennali paralyſi aridorum Magdalenę Chamiſo admotis ad ea reliquiis, necnon

A graviſſimis Infirmitatibus Marię de Vera jam jam moriturę ad amplexum Imaginis ejuſdem Servę Dei. Hac die IV Octobris MDCLXVII.

M. Epiſcopus Portuen. Cardinalis Ginettus.

Loco ✝ ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rituum Cong. Secr.

1. *Roſa.*) Sanctæ de qua ſæpius dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo exemplar, typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCLXVII*.

Anno 1667 Die 14 Octobris.

Ut quæ pro Fratribus Hibernis ſublevandis ſancita ſunt executioni mandentur.

IV.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CLEMENS PP. IX.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

NUper emanarunt a Nobis ad favorem dilectorum filiorum Fratrum Provincię Hibernię Ordinis Prędicatorum literę in ſimili forma Brevis tenoris, qui ſequitur videlicet: Clemens PP. IX. Ad Futuram Rei Memoriam. Creditę Nobis cęlitus diſpenſationis ratio exigit &c. (2). Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI Septembris MDCLVII, Pontificatus noſtri Anno Primo. Nunc autem eoſdem Fratres amplioris favore gratię proſequi volentes, eorumque, ac dilecti pariter filii Johannis o Cnojur a Sancto Dominico Procuratoris dictę Provincię Hibernię, ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum preſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus ejuſdem Johannis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati venerabili Fratri Archiepiſcopo Toletan., ac dilectis, etiam filiis Inquiſitoribus hęreticę pravitatis in quacunque Provincia, ſeu loco, auctoritate Apoſtolica deputatis per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum prędictorum, ſeu alicujus eorum, fuerint requiſiti, ſeu aliquis eorum requiſitus fuerit, ipſas pręſentes, & pręinſertas literas, ac in eis contenta quęcunque ſolemniter publicantes, illiſque in pręmiſſis, efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant, auctoritate noſtra, illos, & eorum quemlibet, earundem literarum, & in eis contentorum hujuſmodi, commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper, a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles, per ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis, ſervatis Proceſſibus, cenſuras, & pęnas, ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, de una, & Concilii Generalis de duabus Dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate pręſentium in judicium non trahatur, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quę in literis pręinſertis conceſſimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ceterum volumus pariter, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem fides adhibeatur ubique quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV (3) Octobris MDCLXVII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

J. G. Sluſius.

1 Ar-

1. *Archivo*.) In quo exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXVII*. In *Bullario Romano* eſt *XII*.

2. *Exigit &c.*) Ut in Conſtitutione I ad finem uſque.

3. *XIV.*) In *Bullario Romano* legitur *XIX*.

De S. Vincentii Ferrerii (1) Officio ab omnibus recitando.

Anno 1667 Die 29 Novembris.

V.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

URBIS, ET ORBIS.

REmiſſo per Sanctiſſimum Dominum noſtrum Clementem IX Sacrę Rituum Congregationi ſupplici Libello ſibi porrecto, nomine Sereniſſimę Hiſpaniarum Reginę ab Excellentiſſimo D. Marchione de Aſtorga Catholicę Majeſtatis Oratore, quo ſupplicabatur pro facultate apponendi in Breviario Romano Officium S. Vincentii Ferrerii Ordinis Prędicatorum, eadem Sacra Congregatio re mature perpenſa, ſub die XIX Novembris cenſuit, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit, apponi poſſe ſub ritu ſemiduplici ad libitum recitandum ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur, tum Secularibus, tum Regularibus utriuſque ſexus. De quo facta per me Secretarium Sanctiſſimo relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, & prędictum Decretum promulgari conceſſit. Hac die XXIX Novembris MDCLXVII.

M. Epiſcopus Portuen. Cardinalis Ginettus.

Loco † Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rituum Congregationis Secret.

1. *S. Vincentii Ferrerii*.) De quo ſæpius.

2. *Archivo*.) In quo varia exemplaria typis impreſſa.

De Tertiariis (1).

Anno 1667 Die 10 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLEMENS PP. IX.

VI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ALias propoſitis pro parte dilecti filii Plebani Eccleſię Parochialis S. Martini Civitatis Venetiarum nonnullis dubiis, dilectas in Chriſto filias mulieres Conſervatorii ſub habitu S. Dominici ejuſdem Civitatis, vulgo Pizocheras nuncupatas concernentibus, Congregatio venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita tres ex iiſdem Cardinalibus ad examinanda, & reſolvenda dubia hujuſmodi deputavit, a quibus emanavit Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita, cui a S. Congregatione Concilii, remiſſus fuerat ſupplex libellus nomine Plebani Eccleſię Parochialis S. Martini Civitatis Venetiarum pro reſolutione infraſcriptorum dubiorum porrectus. Primo nimirum, An mulieres Conſervatorii ſub habitu S. Dominici ejuſdem Civitatis vulgo Pizocherę nuncupatę de ſervanda regula Fratrum, & Sororum de Pęnitentia, votum emittentes, ad formam Conſtitutionum dd. Fratrum, & Sororum licite utantur velo ſupra caput quod Suprajectum nuncupant, necnon Pectorale, quod vulgo dicunt Sottogola, ac Patientia in habitu. Secundo. An liceat ad eorum hujuſmodi habitum mulieres recipere, quę ſaltem quadraginta annorum ętatem non attigerint. Tertio, quatenus hoc non liceat, cumque de facto in conſortio earum Pizocherarum receptę fuerint aliquę adoleſcentulę tenerioris ętatis ex quibus exortura ſcandala pertimeſci poteſt, utrum eędem adoleſcentulę ab earundem Pizocherarum cętu dimitti debeant. Quarto An dictis Pizocheris liceat propriam Capellam, ſeu Oratorium habere, in qua Miſſę Sacrificium offeratur. Quinto. Utrum interdicenda ſit Capella hujuſmodi, quam ſibi adſtruxerunt eędem Pizocherę, ex eo potiſſimum, quod vergat, ut aſſeritur, in pręjudicium vicinę Parochialis prędictę, & indecenter maneat. Sexto. An, quatenus liceat dictam Capellam retinere, liceat parvam feneſtram ad ſacrum, e domo ipſarum Pizocherarum abſque Sedis Apoſtolicę Indulto audiendum, & Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſuſcipiendum apertam retinere. Septimo demum: An eędem Pizocherę Cratibus, Parlatoriiſque ac Rotis ad inſtar Sanctimonialium Clauſtralium licite uti valeant. Pro iiſdem inſertis dubiis examinandis, ac reſolvendis deputavit ſub die V Julii proxime pręteriti Congregationem particularem Eminentiſſimorum Cardinalium Brancatii, Sanctacrucii, & Caraſę, qui attenta informatione D. Patriarchę Venetiarum, reque diligenter examinata, viſis videndis, & conſideratis conſiderandis reſponderunt. Ad primum licere. Ad ſecundum libere poſt decimum octavum annum juxta pręfatas Conſtitutiones a ſanctę memorię Clemente VIIJ confirmatas. Ad Tertium eſſe dimittendas illas, quę hujuſmodi ętatem decem, & octo annorum non expleverint ad formam dictarum Conſtitutionum. Ad Quartum licere in caſu, de quo agitur, cum ſit Eccleſia publica. Ad Quintum negative. Ad Sextum licere ſalvis juribus Eccleſię Parochialis. Ad Septimum denique remittendum eſſe prout harum vigore remittitur arbitrio, & prudentię ejuſdem Patriarchę. Romę XXX Auguſti MDCLXVII. M. Card. Ginettus.

Cum

Cum autem, ſicut Pizocherę prędictę Nobis nuper exponi fecerunt, ipſę decretum hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri ſummopere deſiderent. Nos ipſas exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & earum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus earum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, decretum prę-inſertum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate prędictę Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die X Decembris MDCLXVII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

J. G. Slutius.

1. *Tertiariis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1667 Die 21 Decembris.

VII.

Limana, Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servæ Dei Roſæ (1) de Sancta Maria Tertii Ordinis S. Dominici.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

SEdente ſanctę memorię Alexandro VII, cum in cauſa Beatificationis, & Canonizationis Servę Dei Roſę de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici die III Martii MDCLXV Congregatio Sac. Rituum declaraſſet conſtare de Sanctitate vitę, necnon de virtutibus in gradu heroico. Pręterea die XXIII Martii MDCLXVI. Sacra eadem Congregatio cenſuiſſet, ſeptimum ex allatis miraculis probationibus redundare. Subinde vero die videlicet quarta proxime pręteriti Menſis Octobris in ſimili Congregatione habita coram Sanctiſſimo D. Noſtro approbatis aliis quatuor miraculis a Deo operatis interceſſione ejuſdem Servę ſuę Roſę. De mandato Sanctitatis Suę accitis ad Congregationem ordinariam Dominis Conſultoribus, in ea Eminentiſs. D. Card. Azzolinus in eadem cauſa Relator die X Decembris MDCLXVII propoſuit dubium, an videretur eſſe locus decreto Beatificationis in forma conſueta edendo. Cumque Eminentiſſimi Patres audiviſſent Conſultorum ſententiam in affirmativam unanimi ſuffragio collimare, cenſuerunt, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit tuto poſſe quandocunque procedi ad ſolemnem Servę Dei Roſę Canonizationem, ac interim indulgeri, ut eadem in toto Orbe Beata nuncupetur, & de ea tanquam Virgine non Martyre in Civitate, & Dięceſi Limana, necnon in univerſo utriuſque ſexus Ordine S. Dominici Miſſa celebrari, & Officium recitari poſſit die prima non impedita poſt vigeſimam quartam Auguſti, qua Dei Serva Limę obdormivit in Domino anno MDCXVII. Facta autem de prędictis Sanctiſſimo diſtincta relatione, Sanctitas Sua, ſe ad Omnipotentem Deum preces aſſiduas effuſuram reſpondit, ut ſibi quicquid ad ejus gloriam magis conducibile ſit, ſuo digito indicare dignetur. Die XXI Decembris MDCLXVII.

M. Epiſc. Portuenſis Card. Ginettus.

Loco ✻ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congreg. Secr.

1. *Roſæ.*) Sanctæ, de qua ſæpius.

2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ* anno *MDCLXVII.*

Anno 1668 Die 8 Februarii.

VIII.

De celebrando feſto Beatificationis Venerabilis Servæ Dei Roſæ (1),

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LIMANA.

SAnctiſſimus Dominus Noſter Clemens IX, ad pias preces Excellentiſſimi Domini Marchionis de Aſtorga Catholici Regis Oratoris indulſit, ut in omnibus Conventibus, & Monaſteriis Ordinis Prędicatorum utriuſque ſexus totius Orbis, pro primo anno celebrari poſſit feſtum Beatificationis Ven. Servę Dei

Dei Roſę de Sancta Maria Civitatis Limę in Regno Peruano, Tertii Ordinis Sancti Dominici, cum octava ſolemni. Hac die VIII Februarii MDCLXVIII.

M. Epiſc. Portuenſis Card. Ginettus.

Loco ✻ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congreg. Secr.

1. *Roſa.*) Sanctæ, de qua ſæpius.

2. *Archivo.*) In quo exemplaria typis impreſſa.

Breve Beatificationis Roſæ (1) de S. Maria Limanæ in Regno Peruano Indiarum Occidentalium, Tertii Ordinis S. Dominici.

Anno 1668 Die 12 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. IX.

IX.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

SAnctę Matris Eccleſię, quę virgo caſta uni viro deſponſata eſt Chriſto, glorioſa fęcunditas, in omni quidem prole, quam per Dei gratiam quotidie profert, multipliciter gaudet, in ſacris vero virginibus, quę ſtudioſa chariſmatum meliorum ęmulatione expertem carnalis contagionis integritatem virtutum floribus exornarunt, ineffabiliter exultat, atque floret. Illarum, quę accenſis lampadibus exierunt obviam ſponſo, & intraverunt cum eo ad nuptias, ſublimem gloriam condignis honoribus in terris celebrari decet, ut quę ſequuntur agnum quocunque ierit, luctanti cum ſeculi tentationibus infirmitati noſtrę, adjutorii cęleſtis opem atque pręſidium a ſponſo jugiter impetrare dignentur. In hanc curam Nos ex debito paſtoralis officii, quo Catholicę Eccleſię adſtringimur, propenſius incumbentes, piis Catholicorum Regum, aliorumque Chriſti fidelium votis, quibus ancillarum Dei in cęlis regnantium veneratio in terris promovetur, libenter annuimus, ſicut matura deliberatione adhibita, ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſię honorem, Chriſtianę Religionis robur, ac ſpiritualem fidelium conſolationem, atque ędificationem ſalubriter in Domino expedire arbitramur. Cum itaque diligentiſſime diſcuſſis, atque perpenſis per Congregationem venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium ſacris ritibus prępoſitorum proceſſibus, de Sedis Apoſtolicę licentia confectis ſuper vitę Sanctitate, & virtutibus in gradu heroico, quibus Serva Dei Roſa de S. Maria Virgo Limana Tertii Ordinis S. Dominici multipliciter claruiſſe, necnon miraculis, quę ad ejus interceſſionem a Deo patrata fuiſſe aſſerebantur, Congregatio pręfata coram Nobis conſtituta unanimiter cenſuerit, quandocunque Nobis videretur, ad ſolemnem ejuſdem Servę Dei Roſę Canonizationem, juxta ritum ejuſdem S. R. E. tuto poſſe deveniri, interim vero indulgeri; ut in toto Orbe terrarum Beata nuncupetur. Hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, ac cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Mariannę Reginę Viduę ejus Genitricis, & totius Ordinis S. Dominici ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de pręfatorum Cardinalium conſilio, & unanimi aſſenſu, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium indulgemus, ut memorata Dei Serva Roſa de S. Maria in poſterum Beatę nomine nuncupetur, ejuſque corpus, & reliquię venerationi fidelium, non tamen in proceſſionibus circumferenda, exponantur, imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, atque de ea ſub duplici ritu recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Virgine non Martyre ſingulis annis, juxta rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani die vigeſima ſexta Auguſti, quę prima eſt non impedita poſt diem vigeſimamquartam ejuſdem Menſis, qua ſpiritum Creatori reddidit. Hęc vero in locis duntaxat infraſcriptis nempe in Civitate, & Diœceſi Limana, ac in univerſo Ordine S. Dominici tam Fratrum, quam Monialium, & quantum ad Miſſas attinet etiam a Sacerdotibus confluentibus. Prȩterea primo duntaxat anno a datis hiſce literis, & quoad Indias a die quo ȩędem pręſentes literę illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſiis Civitatis, & Diœceſis, ac Ordinis pręfatorum, necnon in omnibus Cathedralibus, & Metropolitanis Hiſpaniarum, & Indiarum ſolemnia Beatificationis ejuſdem cum Officio, & Miſſa ſub ritu duplici majori die ab Ordinariis conſtituta, & intra ſex Menſes promulganda, celebrandi facimus facultatem. Romę vero in Eccleſia S. Jacobi Nationis Hiſpanorum intra bimeſtre, poſtquam tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum celebrata fuerint eadem ſolemnia, pariter celebrari permittimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac decretis ſuper non cultu editis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii pręfatę Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & ſigillo Pręfecti ejuſdem Congregationis munitis, eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quę pręſentibus ipſis haberetur ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Sabinam ſub Annulo Piſcatoris die XII Februarii MDCLXVIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

I. G. Sluſius.

1. *Roſa.*) Conſulenda Conſtitutio, qua *Clemens X* ipſam in Sanctorum numerum retulit.

2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXVIII.* In *Bullario Romano* eſt *XVIII.*

Anno 1668 Die 22 Februarii.

X.

Indulgentiæ conceſſæ Indis Confratribus SS. Roſarii (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLEMENS PP. IX.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Johannes Baptiſta de Marinis, Magiſter Ordinis Prędicatorum quod dudum felicis recordationis Paulus Papa Tertius Prędeceſſor noſter omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus in Regnis Hiſpaniarum degentibus, qui Roſarium, ſeu Pſalterium B. Marię Virginis integrum devote recitaſſent, ut omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pęnitentiarum relaxationes, coronam ejuſdem B. Marię Virginis recitantibus conceſſas conſequerentur, auctoritate Apoſtolica in perpetuum conceſſit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, prędictus Johannes Baptiſta Magiſter Generalis eaſdem Indulgentias ad Confratres Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii in Indiis, cariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Hiſpaniarum Regi Catholico ſubjectis degentes per Nos extendi ſummopere deſiderat, Nos piis ipſius Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & ſingulis Confratribus, & Conſororibus Confraternitatum SS. Roſarii hujuſmodi in Indiis dicto Carolo Regi ſubjectis erectarum, & in futurum erigendarum, qui Roſarium, ſeu Pſalterium B. M. Virginis recitant, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium perpetuo concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus, etiam Cancellarię Apoſtolicę regula de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII Februarii MDCLXVIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

J. G. Sluſius.

1. *Roſarii.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum. Legitur in *Bullario Confraternitatum Ord. Prædicatorum pag.* 140.

Anno 1668 Die 10 Aprilis.

XI.

Indulgentia conceſſa viſitantibus Baſilicam S. Petri Apoſtoli de Urbe die Beatificationis B. Roſæ (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLEMENS PP. IX.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium Religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui Baſilicam Sancti Petri Apoſtoli de Urbe die Decima quinta menſis Aprilis a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus pro hac vice tantum valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione preſentium aliquid, vel minimum, detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint eo ipſo. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X Aprilis MDCLXVIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

J. G. Sluſius.

1. *Roſæ.*) Sanctæ de qua ſæpius.

2. *Archivo.*) In quo autographum. Huc ſpectant hæc alia duo Diplomata.

Martinus Miſeratione Divina Epiſcopus Portuen. S. R. E. Cardinalis Ginettus, Sanctiſſimi D. N. PP. Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejuſque Diſtrictus Judex Ordinarius &c.

L*A Santità di Noſtro Signore Papa Clemente IX, concede Indulgenza Plenaria, e remiſſione di tutti i peccati a tutti li Fedeli dell'uno, e l'altro ſeſſo, che confeſſati, e communicati, Domenica XV del preſente Meſe di Aprile, interveranno alla Meſſa Solenne, che ſi cantarà nella Baſilica di S. Pietro per la Bea-*

Beatificatione della Glorioſa Roſa Monica Domenicana da Lima Metropoli del Perù, o pure parimenti confeſſati, e communicati, divotamente viſitaranno in detto giorno la medeſima Baſilica &c. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Ædibus noſtris. Hac die VII Aprilis MDCLXVIII.

J. De Angelis Archiepiſcopus, Vrb. Vices.

Joſeph Palamolla Secretarius.

Indulgenza Plenaria conceſſa dalla Santità di N. S. Papa Clemente IX, a chi viſitarà la Chieſa di S. Maria ſopra Minerva la Domenica XIII del preſente meſe di Maggio, nel qual giorno ſi celebra la Feſta della Beatificatione della Glorioſa Roſa di Santa Maria Monica Domenicana di Lima Metropoli del Perù.

LA Santità di N. Signore Papa Clemente IX concede Indulgenza Plenaria, e remiſſione di tutti i peccati a tutti li fedeli Chriſtiani dell'uno, e l'altro ſeſſo, che confeſſati, e communicati divotamente viſitaranno la Chieſa di S. Maria ſopra Minerva Domenica XIII del preſente meſe di Maggio, cominciando dal primo Veſpro ſino al tramontar del Sole di detto giorno nel qual ſi celebra la feſta di Beatificatione della Glorioſa R ſa di Santa Maria Monica del Terzo Ordine di S. Domenico della Città di Lima, Metropoli del Perù, Ed ivi pregaranno per la pace, e concordia tra Prencipi Chriſtiani, eſtirpatione delle hereſie, & eſaltazione della Santa Madre Chieſa. Come per il Breve ſpedito apud S. Petrum ſotto li XXVIII Aprile MDCLXVIII.

Indulgentia pro Beatificatione (1) B. Roſæ Virginis Limanæ in Hiſpaniis, & Indiis celebranda.

Anno 1668 Die 28 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XII.

CLEMENS PP. IX.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris, pia caritate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Civitatis, & Dięceſis Liman., ac univerſi Ordinis Sancti Dominici tam Fratrum, quam Monialium, necnon Cathedralibus, & Metropolitanis Hiſpaniarum, & Indiarum, ac etiam Oppidi Matriti, in quibus ſolemnitas Beatificationis Beatę Roſę die per Ordinarios locorum ſpecificanda celebrabitur, a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus pro hac vice tantum valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur pręſentes nullę ſint, quodque pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Aprilis MDCLXVIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

I. G. Sluſius.

1. *Beatificatione.*) Legenda Conſtitutio *IX.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXVIII.*

Japponen. Beatificationis, & Canonizationis, ſeu Declarationis Martyrii Servorum Dei Alphonſi Navarrettæ Ordinis Prædicatorum, Petri de Aſſumptione Minorum S. Franciſci, Ferdinandi de Ayala, ſeu de S. Joſepho Ord. Eremitarum S. Auguſtini, & Caroli Spinolæ Societatis Jeſu, ac Sociorum reſpective tam eorum Ordinum, quam etiam ſecularium pro Fide Catholica in Japponia interemptorum (1).

Anno 1668 Die 1 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIII.

SAcra Rituum Congregatio proponente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Card. Azzolino in ipſa Sacra Congregatione ordinaria ex ſpeciali Indulto Sanctiſs. D. N. Dubium, an conſtet de validitate Proceſſuum ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii dictorum Servorum Dei, Apoſtolica auctoritate peractorum. Et teſtes in eis ſint rite, & recte examinati, cenſuit conſtare de validitate Proceſſuum Chinenſis, Ma-

Manilienſis, & Japponenſis. Et teſtes fuiſſe rite, & recte examinatos, facto tamen verbo cum Sanctiſſimo pro ſanatione cujuſcunque defectus juriſdictionis, de quo dubitatum fuit, tam propter obitum Epiſcoporum in Remiſſorialibus deputatorum, quam etiam teſtes, ut plurimum examinati fuerunt ſuper articulis, & notulis datis per Procuratores in partibus, non autem ſuper contentis, & inſertis dictis literis Remiſſorialibus, & ad dictamen Notariorum, reſervatis aliis exceptionibus in articulo relevantię. Hac die XXI Aprilis MDCLXVIII. Et facta de prędictis Sanctiſſimo diſtincta relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, & ſanavit. Die prima Maii MDCLXVIII.

M. Epiſc. Portuenſis Card. Ginettus.

Loco ✱ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congreg. Secr.

1. *Interemptorum.*) Quorum acta ſcripſere *Antoninus Reginaldus*, *Dominicus Gonſalez*, *Joſephus Lamberti*, *Laurentius Morera*, *Melchior Manſano de Haro*, *Petrus a S. Dominico*, *Simon de Luce* &c.

2. *Archivo.*) In quo exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ* anno *MDCLXVIII.*

Anno 1668 Die 4 Junii.

XIV.

Indulgentia conceſſa viſitantibus Eccleſiam S. Jacobi de Urbe nationis Hiſpanorum pro feſto Beatificationis B. Roſæ (1) Limanæ,

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. IX.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium devotionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris, pia caritate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui Eccleſiam S. Jacobi nationis Hiſpanorum de Urbe, ſecunda Dominica Menſis Junii, in qua ſolemnitas Beatificationis B. Roſę Limanę celebrabitur, a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis Dominicę hujuſmodi, devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, pręſentibus pro unica vice valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium, aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IV Junii MDCLXVIII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

I. G. Sluſius.

1. *Roſæ.*) Conſulenda Conſtitutio *IX.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1668 Die 18 Julii.

XV.

Indulgentia conceſſa viſitantibus Eccleſiam S. Euſtorgii Mediolanen. in feſto Beatificationis B. Roſæ (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. IX.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris, pia caritate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui Eccleſiam S. Euſtorgii Civitatis Mediolan. Fratrum Ordinis Prędicatorum, in qua ſolemnitas Beatificationis B. Roſę a Sancta Maria Limanę celebrabitur, a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus pro unica vice valituris Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium, aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Julii MDCLXVIII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

I. G. Sluſius.

1. *Roſæ.*) Conſulenda Conſtitutio *IX.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Indul-

Indulgentia pro Feſto S. Roſæ (1) in Indiis Occidentalibus celebrando.

Anno 1668 Die 10 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLEMENS PP. IX.

XVI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CÆleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſatores eſſe Nos voluit Altiſſimus, cum ad Catholicę Religionis incrementum profuturos ſperamus, libenter elargimur, ut Chriſtifidelium pia devotio per Indulgentiarum hujuſmodi elargitionem, non modo conſervetur, ſed in dies magis augeatur, animarumque ſaluti, uberius conſulatur. Omnibus itaque utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui Metropolitanam Liman., ac quamlibet ex Eccleſiis omnium, & ſingulorum Conventuum, & Monaſteriorum, tam Fratrum, quam Monialium Ordinis S. Dominici in Indiis Occidentalibus exiſten. die XXVI Menſis Auguſti, a primis veſperis, uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, ſingulis annis, devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus ad quindecim annos, tantum valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium, aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint, quodque pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die X Septembris MDCLXVIII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

I. G. Sluſius.

1. *Roſæ*.) Conſulenda Conſtitutio *IX*.

2. *Archivo*.) In quo exemplaria authentica, etiam typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ* MDCLXIX.

Ut in America Regi Catholico ſubjecta B. Roſæ (1) Virginis Liman. officium recitari poſſit.

Anno 1668 Die 14 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLEMENS PP. IX.

XVII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

REdemptoris, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui Sacras Virgines ſponſas ſuas virtutum floribus, multipliciter decoratas, immarceſcibilis glorię pręmiis donat in cęlis, vices, licet immeriti, gerentes in terris, pia fidelium, pręſertim Catholicorum Regum vota, ad augendam illarum venerationem, laudabili ſtudio tendentia, libenter exaudimus, ac favoribus, & gratiis proſequimur opportunis. Alias ſiquidem diligentiſſime diſcuſſis, atque perpenſis per Congregationem venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Sacris Ritibus prępoſitorum, Proceſſibus, de Sedis Apoſtolicę licentia confectis, ſuper vitę ſanctitate, & virtutibus in gradu heroico, quibus Serva Dei Roſa de S. Maria Virgo Limana, Tertii Ordinis S. Dominici multipliciter claruiſſe, necnon Miraculis quę ad ejus interceſſionem, a Deo patrata fuiſſe aſſerebantur, cum Congregatio prędicta coram Nobis conſtituta unanimiter cenſuiſſet, quandocunque Nobis videretur, ad ſolemnem ejuſdem Servę Dei Roſę Canonizationem juxta ritum ejuſdem Sanctę Romanę Eccleſię tuto poſſe deveniri, interim vero indulgeri, ut in toto Orbe Terrarum Beata nuncuparetur. Nos piis, atque enixis cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, ac cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Mariannę Reginę viduę ejus genetricis, & totius Ordinis S. Dominici ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, benigne inclinati, de prędictorum Cardinalium conſilio, & unanimi aſſenſu, auctoritate Apoſtolica indulſimus, ut memorata Dei Serva Roſa de S. Maria, in poſterum Beatę nomine nuncuparetur, ejuſque Corpus, & Reliquię venerationi fidelium, non tamen in Proceſſionibus circumferenda, exponerentur. Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornarentur, atque de ea ſub ritu duplici recitaretur Officium, & Miſſa celebraretur de Virgine, non Martyre, ſingulis annis juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani die XXVI Auguſti, quę prima eſt non impedita poſt diem vigeſimam quartam ejuſdem Menſis qua Spiritum Creatori reddidit. Nota Hęc vero in locis duntaxat infraſcriptis nempe in Civitate, & Dięceſi Limana, ac in Univerſo Ordine S. Dominici, tam Ftatrum, quam Monialium, & quantum ad Miſſas attinet, etiam a Sacerdotibus confluentibus, & alias, prout in noſtris, deſuper in ſimili forma Brevis (3) die XII Februarii proxime pręteriti expeditis Literis, quarum tenorem pręſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, ſicut prędictorum Caroli Regis, & Mariannę Reginę nomine per dilectum filium Nobilem virum modernum Marchionem de Aſtorga (4) ejuſdem Caroli Regis, apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Oratorem, Nobis nuper expoſitum fuit, ipſi Carolus Rex, & Marianna Regina, pro peculiari eorum erga B. Roſam prędictam devotionis affectu,

ac ut

ac ut ſpirituali populorum Americę, unde novus ille flos Eccleſiam univerſam ſuavi Chriſti odore recreans prodiit, conſolationi, atque ędificationi per amplius conſulatur; Indultum prędictum opportune a Nobis extendi, & ampliari plurimum deſiderent. Nos laudabilia eorundem Caroli Regis, & Mariannę Reginę, erga res ſacras ſtudia plurimum in Domino commendantes, piiſque eorum precibus favorabiliter annuere, paterna benignitate cupientes, ut de cetero perpetuis futuris temporibus, ab Univerſo Clero, tam Seculari, quam Regulari quarumcunque Provinciarum, & Regionum Americę dicto Carolo Regi ſubjectarum, officium, & Miſſa de eadem B. Roſa, ſervata tamen in omnibus, & per omnia prędictarum Literarum noſtrarum forma, & diſpoſitione, recitari, & celebrari reſpective, libere, & licite poſſit, & valeat, dicta auctoritate, & tenore pręſentium, concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quę in eiſdem Literis noſtris volumus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut ipſarum pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quę eiſdem pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV Septembris MDCLXVIII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

J. G. Sluſius.

1. *Roſæ*.) Conſulenda Conſtitutio *IX*.
2. *Archivo*.) In quo exemplar authenticum.
3. *Brevis*.) In Conſtitutione ſcilicet mox laudatâ.
4. *Aſtorga*.) Gens eſt antiqua nobilitate clara, quæ nunc etiam floret.

Anno 1668 Die 28 Septembris.

XVIII.

De viſitandis (1) Galliæ Conventibus.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Johanni Baptiſtę de Marinis Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum.

CLEMENS PP. IX.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INjuncti Nobis cęlitus Sacroſancti Apoſtolatus officii ratio exigit, ut paternam Chriſti fidelium, qui e fluctibus ſeculi in portum vitę religioſę confugerunt, ac divinis obſequiis, ſe ſe ſub ſuavi Redemptoris noſtri jugo devoverunt, curam gerentes, pia illorum ſtudia confovere, Religioſoſque eorum progreſſus, quantum Nobis ex alto conceditur, juvare, & quicquid illis remoram injicere poſſet, e medio ſalubriter removere ſatagamus. Cupientes itaque, ut in Provinciis, & Congregationibus, Monaſteriis, Conventibus, aliiſque locis regularibus tui Ordinis Fratrum Prędicatorum in Regno Galliarum conſtitutis, eccleſiaſtica, regulariſque diſciplina, ſicuti collapſa eſt, opportunis rationibus reſtituatur, & ubi, benedicente Domino, viget, firmius, conſtantiuſque perſeveret, ac cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici (3) Francorum Regis Chriſtianiſſimi, pietatem, & laudabilia erga res eccleſiaſticas ſtudia, plurimum in Domino commendantes, piiſque illius votis, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, ac matura deliberatione, noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, tibi per pręſentes committimus, & in virtute ſanctę obedientię pręcipiendo mandamus, ut etiam, tanquam noſter, & Sedis Apoſtolicę Commiſſarius, aſſumptis tecum duobus Fratribus dicti Ordinis, pietate, zelo, & prudentia pręſtantioribus, quos in Domino aſſumendos eſſe cenſueris, & quorum alter ſit ex Provinciis Galliarum, omnia, & ſingula Monaſteria, Conventus, domos, & alia loca regularia Ordinis prędicti in Provinciis Galliarum ſita, eorumque Provinciales, Priores, alioſque Superiores, & Fratres quoſcunque, cujuslibet ſtatus, gradus, conditionis, pręeminentię, & dignitatis exiſtant, tam in capite, quam in membris, etiam auctoritate noſtra viſites, & reformes, ac in earundem perſonarum ſtatum, vitam, mores, ritus, & diſciplinam, ubi opus eſſe compereris, diligenter inquiras, necnon Evangelicę, & Apoſtolicę Doctrinę, Sacrorumque Canonum, & Generalium Conciliorum, pręſertim Tridentini Decretis, & SS. Patrum traditionibus, atque regularibus ejuſdem Ordinis inſtitutis, Apoſtolica auctoritate confirmatis inhęrendo, &, prout occaſio, rerumque qualitas exegerit, quęcunque correctione, atque emendatione indigere cognoveris, corrigas, & emendes, abuſus quoſcunque tollas, regulas, inſtitutiones, & eccleſiaſticam, regularemque diſciplinam, ac in primis divinum cultum, ubicunque exciderint, juxta ejuſdem Ordinis Regulam, & Conſtitutiones dicta auctoritate confirmatas, modis congruis reſtituas, & reintegres. Si aliquem vero, aut aliquos delinquentes repereris, eos juxta canonicas ſanctiones, & regularia inſtituta prędicta punias, & caſtiges, dictaſque perſonas, etiam quomodolibet exemptas, ad debitum, & honeſtum vitę modum, ac ad ſtatum Sacris Canonibus, & Concilio Tridentino, regularibuſque inſtitutis hujuſmodi conformem revoces, & quicquid ad hujuſmodi reformationis negotium ſpectans ſtatueris, & ordinaveris, abſque dilatione, & appellatione, quę executionem quoquomodo ullatenus impediat, aut ſuſpendat, neque niſi ad effectum devolutivum duntaxat ſuffragetur, obſervari facias, ita ut Conventus, ſeu Monaſteria, quorum redditus, aut eleemoſynas ordinarias, nimium exiguas comperies, vel ędificia ruinis adeo collapſa, ut in iis Religioſi, nec conventualiter, regulariter, aut honeſte vivere, nec eorum ędificia reparari poſſint, ſervatis ſervandis ſupprimere, & aliis ejuſdem Ordinis Monaſteriis, ſeu Conventibus, vel aliis, prout de jure unire, ipſorumque Monaſteriorum, ſeu Conventuum

Reli-

Religioſos, ad alia dicti Ordinis Monaſteria, ſeu Conventus, transferre valeas, ac inobedientes, & contradictores quoslibet, & rebelles, per ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, cogas, & compellas. Mandantes propterea, omnibus, & ſingulis Provincialibus, Prioribus, aliiſque Superioribus quocunque nomine nuncupatis, & perſonis prędictis in virtute ſanctę obedientię, ac ſub excommunicationis, & privationis ſuorum officiorum, & aliis, prout de jure, arbitrio tuo infligendis pęnis, ut tibi in pręmiſſis omnibus, & ſingulis prompte pareant, & obediant, tuaque ſalubria monita, & mandata ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam, ſive pęnam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Ceterum enixis dicti Ludovici Regis precibus favorabilem aſſenſum prębentes, volumus, ut durante delegatione hujuſmodi in quibuſvis Conventibus, & domibus Noviciatus Provinciarum prędictarum ſuperſedeatur ab admittendis ad habitum regularem Noviciis, qui finita eadem viſitatione, juxta pręſcriptum Sacrorum Canonum, dictique Concilii Tridentini Decretorum, ac Apoſtolicarum, & dicti Ordinis conſtitutionum admitti poterunt. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Ordinis, & Provinciarum, ac Monaſteriorum, Conventuum, aliorumque locorum regularium hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, eorumque Superioribus, ac perſonis, ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & alias quomodolibet in contrarium premiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut viſitatio hujuſmodi intra biennium a dat. pręſentium literarum computan. omnino peragatur, alioquin pręſens delegatio expiret eo ipſo, ac opportunam ętatis, aliorumque impedimentorum tuorum, rationem habentes, tibi ad eandem viſitationem obeundam, dilectos filios Antoninum Mouſſet Vicarium Generalem Congregationis S. Ludovici, ac Johannem le Pul Exprovincialem Provincię Toloſanę, & Jo. Andream Faure (4) Priorem Provincialem ejuſdem Provincię Toloſanę dicti Ordinis, quorum unuſquiſque viſitare debebit Conventus, & Monaſteria ſinguli eorum a te aſſignanda cum omnibus, & ſingulis facultatibus tibi per pręſentes attributis, ac ſervata in omnibus, & per omnia earundum pręſentium literarum forma ſubdelegandi facultatem, harum ſerie tribuimus, & impartimur. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Septembris MDCLXVIII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

I. G. Sluſius.

1. *Viſitandis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo autographum.
3. *Ludovici.*) Hujus nominis *XIV*, cognomento *Magni*.
4. *Jo. Andream Faure.*) De tribus celeberrimis iſtis Fratribus conſulendus *Percinus Monumen. Conventus Toloſan. ad an. MDCLXII pag.* 163, & *ad annum MDCLXXIV pag.* 169. Meminit *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXIII pag.* 650.

Ut B. Roſæ (1) nomen inſcribatur in Martyrologio Romano.

Anno 1668 Die 18 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LIMANA. XIX.

SAnctiſſimus Dominus noſter ad preces Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum, benigne annuit, ut B. Roſa de S. Maria Limana Tertii Ordinis S. Dominici apponi poſſit in Martyrologio Romano, cum verbis tamen approbandis, & examinandis a Sacra Rituum Congregatione. Hac die Decima octava Octobris MDCLXVIII.

M. Epiſcopus Portuen. Card. Ginettus.

Loco ✱ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *B. Roſa.*) Sanctæ, de qua ſæpius dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCLXIX*.

Quod

Anno 1668 Die 6 Novembris.

Quod B. Roſa (1) in album Beatarum relata fuerit, Limenſibus gratulatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Gubernatoribus, & Conſilio Civitatis Limenſis.

XX.

CLEMENS PP. IX.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUam imbecilles, incertę, ac in rebus perſcrutandis parum felices hominum cogitationes, & judicia ſint, ut inde quoque veritatis divinitus revelatę beneficium magis agnoſcere debeamus, omnibus pene temporibus, & locis admonemur. Sed in primis regio ipſa, quam incolitis, mortalium inſcientię pręclarum exemplum eximię ſuggerit. Quoties enim quiſque fuit ex antiquis, aut etiam ante rem aperte detectam ex recentioris memorię ſapientibus, qui ſumma, uti certe tandiu viſum eſt, ratione, nec minori confidentia non aſſeruerit, ſub ęſtu Zonę Torridę habitari minime poſſe, & paucos quoſdam ſecus exiſtimantes inſanire non judicaverit? Quis in terris inhoſpitalibus, & nimio ſolis ardore deuſtis, veris comites, Roſas requiſiviſſet? Illud tamen eſſe plane verum hodie nemo ignorat, nemo miratur. En Roſam veſtram, aut jam potius communiter noſtram, cęleſtes heroicarum virtutum odores halantem, ac luminis ętherei coloribus, non illis quidem ex ſpecie tenus apparentibus, ſed veris, ac indubiis miraculorum in ſignum fide probatis effloreſcentem, e cęlo moniti ſuper Candelabrum Eccleſię nuper extulimus, illamque poſt Apoſtolici Oraculi declarationem, incomparabili cum lętitia publici conſenſus exceptam, non ſolum Urbis Romę celebritas, ſed etiam totius Europę fideles populi, Beatis in Patria clare Dei faciem pervidentibus debito Cultu ſimul hilares, atque compuncti venerantur, ampliores quoque, ſi Domino placuerit, honores communibus votis eidem expetentes. Itaque vobis, dilecti filii, valde gratulamur, hujuſmodi primitias, tam eximias iſtius agri Dominici, qui Nos, quod cum (3) adeo feracem, & ſpei bonę plenum experimur, eo magis, & alacrius quicquid ab hujus Sanctę Sedis auctoritate, & amore paterno noſtro, etiam pro illius adhuc exquiſitiori cultura, & feliciori proventu recte proficiſci cum Domino poterit, uſque benigne, prolixeque pręſtituri ſumus. Interim plures eodem reſpicientes gratias indulſimus, & inſuper dona nonnulla adjecimus, uti cuncta planius explicabit dilectus filius Antonius (4) Gonzales Ordinis Prędicatorum a vobis huc miſſus in hujuſmodi B. Roſę cauſa Procurator, qui ſane cunctis officii ſui partibus pietate, fide, ſtudioque cumulate ſatisfecit. Ceterum vobis, dilecti plurimum filii, atque tam iſtius Capituli, & Cleri, quam laicalis ſtatus Chriſti fidelibus univerſis, quos in Domino peramanter amplectimur, Apoſtolicam Benedictionem paterne prorſus impertimur. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI Novembris MDCLXVIII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Roſa.*) Conſulenda conſtitutio *IX.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *Quod cum.*) Fortaſſis. *Quo eum.*
4. *Antonius.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Clementis X.*

Anno 1668 Die 13 Decembris.

Peruana, Electionis, & declarationis B. Roſæ (1) a S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici in principaliorem Patronam Civitatis Regum, & totius Regni.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXI.

CUm nuper Sanctiſſimus Dominus Noſter, B. Roſam de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici Limę in Regno Peruano, virginitatis, & patientię decore floreſcentem, Beatorum cultu venerari poſſe indulſiſſet, denuo Catholicus Hiſpaniarum Rex, ac Sereniſſima Regina ejus Mater, propriis literis Sanctiſſimo porrectis per Excellentiſſimum Marchionem de Aſtorga Romę Oratorem, pias preces effuderunt, ut Sanctitas Sua dignaretur eligere in Patronam Principaliorem Civitatis Regum, & Regni Peruani B. Roſam de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici primum Indiarum Occidentalium Beatitatis florem. Sanctiſſimus vero, quamvis Conſtitutiones Apoſtolicę, & Decreta Congregationis Sac. Rituum, vitent Beatorum hujuſmodi electiones, ac deſint pro dicta valida electione requiſita neceſſaria, attamen enixis precibus Catholicarum Majeſtatum, adeo de Eccleſia benemerentium, pręcipuo, & paterno affectu benigne inclinatus, omnino annuendum duxit. Itaque non obſtantibus quibuſcunque Decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, contrarium ſtatuentibus elegit, & declaravit dictam B. Roſam de S. Maria, in Patronam Principaliorem Civitatis Regum, & totius Regni Peruani, cum omnibus prerogativis Principalioribus Patronis debitis, ejuſque Feſtum in univerſo Regno de Patrona Principaliori, ab omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus illuc degentibus, de pręcepto ſervari, & ſicut alia feſta de pręcepto celebrari, ejuſque officium ab Univerſo Clero, tum Seculari, tum Regulari, de Principaliori Patrono juxta Rubricas Breviarii Romani inibi recitari, & literas in forma Brevis, expediri mandavit. Die XIII Decembris MDCLXVIII.

M. Epiſcopus Portuen. Card. Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congr. Sec.

1. *B. Roſa.*) Sanctæ de qua ſæpius dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.

De-

Declarat Beatam Roſam (1) Patronam principalem Civitatis Liman. & totius Regni Peruani.

Anno 1669 Die 2 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXII.

C L E M E N S PP. IX.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ORthodoxorum Regum de Eccleſia Dei multis nominibus optime meritorum ſtudia, quibus Chriſtianorum populorum erga Beatos Regni Cęleſtis incolas devotio, atque pietas fovetur Apoſtolico favore libenter proſequimur, ſicut ſpirituali eorundem populorum conſolationi, atque pręſidio conducibile in Domino arbitramur. Cum itaque Nos per noſtras in ſimili forma Brevis die XII Februarii proxime prẹteriti emanatas literas, B. Roſam de S. Maria Limanam Tertii Ordinis S. Dominici, multiplici virtutum decore florentem inter Beatas, Apoſtolica auctoritate, juxta hujus S. Sedis Ritum retulerimus, aliaque ad ejuſdem B. Roſę honorem, & venerationem ſtatuerimus, & indulſerimus, prout in eiſdem literis continetur. Et, ſicut pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, & cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Mariannę Reginę viduę ejus genitricis per dilectum filium nobilem virum modernum Marchionem de Aſtorga, ejuſdem Caroli Regis, apud Nos, & Sedem prędictam Oratorem. Nobis nuper expoſitum fuit, ipſi Carolus Rex, & Marianna Regina, ut eidem B. Roſę, quam Cęleſtis Sponſus, tot chariſmatum decoravit monilibus, tot virtutum ornavit floribus, tantaque, & tam late ſparſa de unguentorum ſuorum odore imbuit fragrantia, ut ex Dei ſervis, quos occidentales Indię protulerunt, prima publici cultus honore per hanc Sanctam Sedem decorari meruerit, venerationis fiat acceſſio, & ex illius interceſſione, tanto potentius partium illarum populi patrocinium ſperent, quanto populi ipſi illam celebriori, intentiorique devotione colere atque honorare, ſtuduerint, ipſam B. Roſam in Patronam Principaliorem Civitatis Limanę, ſeu Regum, totiuſque Regni Peruani eligi, & declarari ſummopere deſiderent, Nos quamvis Conſtitutiones Apoſtolicę, & Decreta Congregationis venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus prępoſitorum vetent Beatorum hujuſmodi non Canonizatorum electiones in Patronos Principaliores, ac requiſita neceſſaria pro hujuſmodi electione, valida deſint, nihilominus piis, enixiſque eorundem Caroli Regis, & Mariannę Reginę magno in Eccleſiam Dei meritorum ſplendore fulgentium, precibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, pro pręcipuo paternę noſtrę in eos caritatis affectu, duximus annuendum. Itaque memoratam B. Roſam de S. Maria in Patronam Principaliorem Civitatis Regum, ſeu Liman., & totius Regni Peruani pręfatorum, cum omnibus prerogativis, quę Patronis Principalioribus debentur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium eligimus, & declaramus; Ipſiuſque B. Roſę Feſtum in univerſo Regno hujuſmodi de Patrona Principaliori, ab omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus illic degentibus de pręcepto ſervari, & ſicut alia Feſta de pręcepto celebrari, ejuſque officium ab univerſo Clero, tum Seculari, tum Regulari, de principaliori Patrona juxta Rubricas Breviarii Romani inibi recitari, auctoritate, & tenore pręfatis mandamus. Non obſtantibus, quibuſvis Decretis, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides, ab omnibus, & ubique, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quę eiſdem pręſentibus haberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die Secunda Januarii MDCLXIX, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

J. G. Sluſius.

1. *Roſam.*) Conſulenda Conſtitutio *IX*.

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Verba apponenda in Martyrologio Romano pro Feſto B. Roſæ (1).

Anno 1669 Die 12 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIII.

L I M A N A.

CUm Sanctiſſimus D. N. Clemens Nonus ſub die XVIII Octobris proxime prẹteriti mandaverit apponi in Martyrologio Romano B. Roſam de S. Maria Tertii Ordinis Sancti Dominici, cum verbis tamen approbandis a Sacra Rituum Congregatione, eadem Sacra Congregatio infraſcripta verba approbavit, & imprimi poſſe conceſſit, nempe Limę in Regno Peruano B. Roſę de S. Maria Virginis Tertii Ordinis S. Dominici. Hac die XII Januarii MDCLXIX.

M. Epiſcopus Portuen. Card. Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Sec.

1. *B. Roſa.*) Sanctæ, de qua ſæpius.

2. *Archivo.*) In quo exemplaria authentica, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXIX*.

Anno 1669 Die 27 Januarii. XXIV.

Limana, Canonizationis B. Roſæ (1) de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Cum Sacra Rituum Congregatio in cauſa Canonizationis B. Roſę de Sancta Maria Limanę Tertii Ordinis S. Dominici die XXIV Novembris proxime prętertiti declaraverit, conſtare de caſu excepto a decretis felicis recordationis Urbani VIII, ideoque poſſe procedi ad ulteriora, Poſtulator in eadem cauſa ſupplicavit, literas remiſſoriales decerni ad conficiendum proceſſum, ſuper his, que ſupervenerunt poſt indultam eidem Beatę venerationem, & Sacra eadem Congregatio cenſuit petitas literas concedendas eſſe, eaſque dirigendas Romę Eminentiſſimo Urbis Vicario, cum facultate ſubdelegandi Epiſcopos, & clauſula, quod duo ſimul procedant cum facultatibus neceſſariis, & opportunis, & termino biennii, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit. Hac die XII Januarii MDCLXIX. Et facta de prędictis Sanctiſſimo relatione Sanctitas Sua annuit die XXVII Januarii MDCLXIX.

M. Epiſcopus Portuenſis Card. Ginettus.

Loco † ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Sec.

1. *B. Roſæ.*) Sanctæ; de qua ſæpius dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1669 Die 27 Januarii. XXV.

Limana, Canonizationis B. Roſæ (1) de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Cum Sacra Rituum Congregatio in cauſa Canonizationis B. Roſę de S. Maria Limanę Tertii Ordinis S. Dominici &c. (3) eaſque dirigendas pro Civitate, & Diœceſi Viterbienſi, illius Eminentiſſimo Epiſcopo, & Vicario Generali, ac Epiſcopo Montisfaliſci, cum clauſula, ut duo ex illis ſimul procedant cum facultatibus neceſſariis, & opportunis intra terminum biennii, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit. Hac die XII Januarii MDCLXIX. Et facta de prędictis Sanctiſſimo relatione Sanctitas Sua annuit. Die XXVII Januarii MDCLXIX.

M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ginettus.

Loco † ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Cong. Rit. Secr.

1. *B. Roſa.*) De qua ſæpe.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *S. Dominici &c.*) Ut in Conſtitutione *XXIV.*

Anno 1669 Die 27 Januarii. XXVI.

Limana, Canonizationis B. Roſæ (1) de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Cum Sacra Rituum Congregatio in cauſa Canonizationis B. Roſę de Sancta Maria Limanę Tertii Ordinis S. Dominici &c. (3) eaſque dirigendas pro Civitate, & Diœceſi Camerinenſi, illius Eminentiſſimo Epiſcopo, Vicario Generali, ac duabus primis dignitatibus prędictę Eccleſię cum clauſula, ut Eminentiſſimus Epiſcopus, una cum prędicto Vicario, & altera ex prędictis dignitatibus, ſimul procedat cum facultatibus neceſſariis, & opportunis, & termino biennii, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit. Hac die XII Januarii MDCLXIX. Et facta de prędictis Sanctiſſimo relatione Sanctitas Sua annuit die XXVII Januarii MDCLXIX.

M. Epiſcopus Portuenſis Card. Ginettus.

Loco † ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *B. Roſa.*) De qua ſæpe.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *S. Dominici.*) Ut in Conſtitutione *XXIV.*

Anno 1669 Die 27 Januarii. XXVII.

Limana, Canonizationis B. Roſæ (1) de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Cum Sacra Rituum Congregatio in cauſa Canonizationis B. Roſę de S. Maria Limanę Tertii Ordinis S. Dominici &c. (3) eaſque dirigendas pro Civitate, & Diœceſi Peruſina, illius Epiſcopo, Vicario Generali, ac Epiſcopo Narnienſi, cum clauſula, quod duo ſimul procedant cum facultatibus neceſ-

neceſſariis, & opportunis, & termino biennii, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit. Hac die XII Januarii MDCLXIX. Et facta de prędictis Sanctiſſimo relatione Sanctitas Sua annuit die XXVII Januarii MDCLXIX.

M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Roſæ.*) De qua ſæpe.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *S. Dominici &c.*) Ut in Conſtitutione *XXIV.*

Limana, Canonizationis B. Roſæ (1) de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici. Anno 1669 Die 27 Januarii. XXVIII.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CUm Sacra Rituum Congregatio in cauſa Canonizationis B. Roſę de S. Maria Limanę Tertii Ordinis S. Dominici &c. (3) eaſque dirigendas, pro Civitate, & Diœceſi Rhegienſi, illius Archiepiſcopo, Vicario Generali, ac duabus primis dignitatibus, itaut Archiepiſcopus cum dicto Vicario, & altera ex dignitatibus, procedat cum facultatibus neceſſariis, & opportunis, & termino biennii, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit. Hac die XII Januarii MDCLXIX. Et facta de prędictis Sanctiſſimo relatione Sanctitas Sua annuit die XXVII Januarii MDCLXIX.

M. Epiſcopus Portuenſis Card. Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Roſæ.*) De qua ſæpe.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *S. Dominici &c.*) Ut in Conſtitutione *XXIV.*

Limana, Canonizationis B. Roſæ (1) de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici. Anno 1669 Die 27 Januarii. XXIX.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CUm Sacra Rituum Congregatio in cauſa Canonizationis B. Roſę de S. Maria Limanę Tertii Ordinis S. Dominici &c. (3) eaſque dirigendas pro Civitate, & Diœceſi Januenſi, illius Archiepiſcopo, Vicario Generali, & duabus primis dignitatibus Eccleſię Januenſis, cum clauſula, quod Archiepiſcopus, una cum Vicario Generali, & altera ex prędictis dignitatibus conjunctim, procedat cum facultatibus neceſſariis, & opportunis, & termino biennii, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit. Hac die XII Januarii MDCLXIX. Et facta de prędictis Sanctiſſimo relatione Sanctitas Sua annuit die XXVII Januarii MDCLXIX.

M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *B. Roſæ.*) Sanctæ, de qua ſæpe dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *S. Dominici &c.*) Ut in Conſtitutione *XXIV.*

Limana, Canonizationis B. Roſæ (1) de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici. Anno 1669 Die 27 Januarii. XXX.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CUm Sacra Rituum Congregatio in cauſa Canonizationis B. Roſę de S. Maria Limanę Tertii Ordinis S. Dominici &c. (3) eaſque dirigendas pro Civitate, & Diœceſi S. Severini, illius Epiſcopo, Vicario Generali, ac duabus primis dignitatibus dictę Eccleſię, itaut prędictus Epiſcopus, una cum dicto Vicario, & altera ex prędictis dignitatibus, procedat cum facultatibus neceſſariis, & opportunis, & termino biennii, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit. Hac die XII Januarii MDCLXIX. Et facta de prędictis Sanctiſſimo relatione Sanctitas Sua annuit die XXVII Januarii MDCLXIX.

M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *B. Roſæ.*) Sanctæ, de qua ſæpius dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *S. Dominici &c.*) Ut in Conſtitutione *XXIV.*

Anno 1669 Die 27 Januarii. XXXI.

Limana, Canonizationis B. Roſæ (1) de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CUm Sacra Rituum Congregatio in cauſa Canonizationis B. Roſę de S. Maria Limanę Tertii Ordinis S. Dominici &c. (3) eaſque dirigendas pro Civitate, & Dięceſi Biſuntina, illius Archiepiſcopo, Vicario Generali, & Epiſcopo Andervallenſi (4), itaut duo ex illis conjunctim procedant, & cum omnibus, & ſingulis facultatibus neceſſariis, & opportunis, ac termino biennii, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit. Hac die XII Januarii MDCLXIX. Et facta de prędictis relatione Sanctitas Sua annuit die XXVII Januarii MDCLXIX.

M. Epiſcopus Portuen. Cardinalis Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *B. Roſæ.*) Sanctæ, de qua ſæpius dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *S. Dominici &c.*) Ut in Conſtitutione *XXIV.*
4. *Andervallenſi.*) Forſaſſis *Andegavenſi.*

Anno 1669 Die 27 Januarii. XXXII.

Limana, Canonizationis B. Roſæ (1) de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CUm Sacra Rituum Congregatio in cauſa Canonizationis B. Roſę de S. Maria Limanę Tertii Ordinis S. Dominici &c. (3) eaſque dirigendas pro Civitate, & Dięceſi Toletana Eminentiſſimo Archiepiſcopo Toletano, Archiepiſcopo Tirenſi, & Vicario Generali Matriti commoranti, cum clauſula, quod duo ſimul procedant cum facultatibus neceſſariis, & opportunis, & termino biennii, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit. Hac die XII Januarii MDCLXIX. Et facta de prędictis relatione Sanctitas Sua annuit die XXVII Januarii MDCLXIX.

M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Roſæ.*) Sanctæ, de qua ſæpius dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *S. Dominici &c.*) Ut in Conſtitutione *XXIV.*

Anno 1669 Die 27 Januarii. XXXIII.

Limana, Canonizationis B. Roſæ (1) de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CUm Sacra Rituum Congregatio in cauſa Canonizationis B. Roſę de S. Maria Limanę Tertii Ordinis S. Dominici &c. (3) eaſque dirigendas, pro Civitate, & Dięceſi Firmana, illiuſque Archiepiſcopo, & Vicario Generali, ac Epiſcopo Montis Alti, cum clauſula, quod duo ſimul procedant, cum facultatibus neceſſariis, & opportunis, & termino biennii, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit. Hac die XII Januarii MDCLXIX. Et facta de prędictis Sanctiſſimo relatione Sanctitas Sua annuit die XXVII Januarii MDCLXIX.

M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *B. Roſæ.*) Sanctæ, de qua ſæpius dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *S. Dominici &c.*) Ut in Conſtitutione *XXIV.*

Anno 1669 Die 27 Januarii. XXXIV.

Limana, Canonizationis B. Roſæ (1) de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CUm Sacra Rituum Congregatio in cauſa Canonizationis B. Roſę de S. Maria Limanę Tertii Ordinis S. Dominici &c. (3) eaſque dirigendas pro Civitate, & Dięceſi Licienſi, illius Epiſcopo, Vicario Generali, ac duabus primis dignitatibus prędictę Eccleſię, itaut prędictus Epiſcopus, una cum Vicario prędicto, & altera ex prędictis dignitatibus conjunctim procedat cum facultatibus neceſſariis, & oppor-

opportunis, ac termino biennii, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit. Hac die XII Januarii MDCLXIX. Et facta de prędictis Sanctiſſimo relatione Sanctitas Sua benigne annuit die XXVII Januarii MDCLXIX.

M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *B. Roſa.*) Sanctæ, de qua ſæpius dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *S. Dominici &c.*) Ut in Conſtitutione *XXIV.*

S. Ludovici Regis Provincia (1) conſtituta.

Anno 1669 Die 5 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. IX.

XXXV.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

INjuncti Nobis divinitus Paſtoralis officii ratio exigit, ut paternam Chriſti fidelium, qui e fluctibus ſeculi in portum vitę Religioſę confugerunt, curam gerentes, felici eorum regimini ac Religioſę tranquillitati, quantum Nobis ex alto conceditur, conſulere ſtudeamus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Prędicatorum, quod alias dilectus filius noſter Ludovicus S. R. E. Cardinalis de Vandoſme (3) nuncupatus, tunc temporis noſter & Apoſtolicę Sedis apud cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ludovicum Francorum Regem Chriſtianiſſimum de latere Legatus, Congregationem S. Ludovici Regis Francorum dicti Ordinis, cujus tunc Vicarius Generalis erat dilectus filius Antoninus Mouſſet Frater expreſſe profeſſus ejuſdem Ordinis, illiuſque Conventus, & Monaſteria in novam Provinciam Ordinis hujuſmodi per quaſdam ſuas literas deſuper quinto Nonas Aprilis proxime prę̨teriti expeditas, ſub certis modo, & forma in eis expreſſis, erexit, & inſtituit: depoſitoque ab officio Vicarii Generalis hujuſmodi prefato Antonino, dilectum etiam filium Nicolaum Dubois dicti Ordinis Profeſſorem, novę Provincię ſic erectę Priorem Provincialem conſtituit, & deputavit: Verum ſubinde per alias ſuas ſeptimo Idus Junii itidem proxime prę̨teriti emanatas literas, confirmata erectione novę Provincię hujuſmodi, prę̨fatum Nicolaum ab officio Provincialatus ejuſdem Provincię liberavit, ac ejus loco memoratum Antoninum Priorem Provincialem ſub certis itidem modo & forma tunc expreſſis ſubſtituit, & alias, prout in literis prę̨fatis uberius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, prę̨miſſorum occaſione multę tam inter prę̨fatos Antoninum, & Nicolaum, quam inter alios Fratres Congregationis hujuſmodi ſic in novam Provinciam erectę, ſint exortę controverſię atque differentię; prę̨fatus vero Procurator Generalis erectionem novę Provincię hujuſmodi, cui dilectus filius Magiſter Generalis Ordinis prę̨fati conſentit, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri, necnon dictarum controverſiarum compoſitioni opportune a Nobis provideri ſummopere deſideret, Nos ipſius Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum in Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pę̨nis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum prę̨ſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, erectionem prę̨fatę Congregationis S. Ludovici in novam Provinciam a memorato Ludovico Cardinale Legato factam, ut prę̨fertur, auctoritate Apoſtolica tenore prę̨ſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Prę̨terea, de ſingulari Venerabilis Fratris noſtri Antonii (4) Barberini Epiſcopi Prę̨neſtinenſis, ejuſdem S. R. E. Cardinalis Antonii nuncupati, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem prę̨fatam Protectoris, prudentia, caritate, integritate, & religionis zelo plurimum in Domino confiſi, controverſias, & differentias prę̨fatas ad eundem Antonium Epiſcopum Cardinalem, & Protectorem pro data ſibi a Domino ſapientia decidendas, & terminandas harum ſerie remittimus; decernentes eaſdem prę̨ſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in prę̨miſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quocunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prę̨miſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, & Congregationis hujuſmodi, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prę̨miſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores prę̨ſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prę̨miſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die V Februarii MDCLXIX, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

J. G. Sluſius.

4. Pro-

1. *Provincia.*) Tot egregiis viris, Doctrina, & pietate clariſſimis celeberrima.

2. *Archivo.*) In quo exemplaria authentica typis impreſſa.

3. *Vandoſme.*) Adeas *Oldoinum in Additionibus ad Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tom. IV pag. 765.*

4. *Antonii.*) Conſulendus idem *Oldoinus* ibidem in *Urbano VIII pag. 564.*

Anno 1669 Die 25 Februarii.

Indulgentia conceſſa Die feſto B. Roſæ (1) pro Eccleſiis Cathedralibus, & Metropolitanis Indiarum Occidentalium.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVI.

CLEMENS PP. IX.

Ad Futuram Rei Memoriam.

COmmiſſę Nobis divinitus ſpiritualium gratiarum diſpenſationis ratio exigit, ut illas ad fovendam, atque augendam fidelium devotionem, & animarum ſalutem promovendam prudenti, piaque liberalitate fideliter elargiamur. Itaque de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui quamlibet ex Cathedralibus, & Metropolitanis Eccleſiis Indiarum Occidentalium die XXVI Auguſti, a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis diei hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur pręſentes nullę ſint, quodque earundem pręſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem ubique fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur ſi forent exhibitę, vel oſtenſe. Datum Romę apud Sanctam Sabinam ſub Annulo Piſcatoris die XXV Februarii MDCLXIX, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

I. G. Sluſius.

1. *Roſæ.*) Conſulenda Conſtitutio *IX.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſum anno *MDCLXIX.* Aliud ejuſdem tenoris datum fuit eadem die pro viſitantibus Eccleſias Fratrum, & Monialium Ordinis S. Dominici in univerſis Regnis *Hiſpaniarum.* Exemplar authenticum iiſdem typis impreſſum aſſervatur in Archivo Ordinis.

Anno 1669 Die 10 Maii.

Quæ pro ſtudio generali Congregationis (1) Sanitatis ſancita ſunt firmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVII.

CLEMENS PP. IX.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

IN excelſo Apoſtolicę dignitatis faſtigio, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinę ſapientię atque clementię abundantiam, conſtituti, illa, quę ad regularis obſervantię, laudabiliumque ſtudiorum conſervationem, & incrementum provide diſpoſita eſſe noſcuntur, ut firma, & illibata perſiſtant Apoſtolici muniminis noſtri patrocinio, cum id a Nobis petitur, libenter conſtabilimus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Congregationis Sanctę Marię Sanitatis Neapolitan. Ordinis Pręd icatorum, quod Capitulum Generale dicti Ordinis Anno MDCL, Romę celebratum mandavit ſtudium generale omnino transferri a Conventu ejuſdem Sanctę Marię Sanitatis ad Conventum Montis Dei Neapolitan. dictę Congregationis pro feliciori tutela, & profectu tam obſervantię, quam ſtudiorum, ac erexit hunc Conventum in Collegium pręd ictę Congregationis cum omnibus juribus, & privilegiis, quibus hujuſmodi Collegia potiri ſoleant; Et poſtmodum in ſubſequenti Capitulo Generali Ordinis pręd icti Anno MDCLVI habito, confirmata fuit erectio Conventus Montis Dei hujuſmodi in Collegium pro pręd icta Congregatione cum omnibus privilegiis pręd ictis, ac decretum fuit ad Vicarium Generalem dictę Congregegationis pro tempore exiſtentem pertinere, quoties opus fuerit, eidem Collegio de Rectore providere, quod etiam ſtabilitum fuit in ſtatutis fundationis Collegii hujuſmodi factis a dilecto filio moderno Magiſtro Generali ejuſdem Ordinis, qui declaravit Rectorem dicti Collegii a memorato Vicario immediate dandum eſſe. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, pręmiſſa promovendis literarum ſtudiis, atque diſciplinę regulari eximie conducibilia eſſe ſubſequens experientia docuerit, dicti vero exponentes illa, quo firmius ſubſiſtant, & ſolidius perennent, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri plurimum deſiderent: Nos ſpecialem ipſis exponentibus gratiam facere volentes & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium tamen conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, erectionem dicti Conventus Montis Dei in Collegium pręd ictę Congregationis, ac ordinationem, ut ad Vi-

Vicarium Congregationis hujuſmodi pro tempore exiſtentem pertineat, quoties opus fuerit, eidem Collegio de Rectore providere in Capitulis Generalibus prędictis reſpective factas, ut prefertur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem preſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari. Sicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, & Congregationis, & Conventuum prędictorum, etiam juramento, Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die X Maii MDCLXIX, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

J. G. Sluſius.

1. *Congregationis*.) Nunc Provinciæ. 2. *Archivo*.) In quo duplex exemplar authenticum.

F. Petrus Maria Paſſerinus (1) fit Vicarius Generalis.

Anno 1669 Die 13 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Petro Marię Paſſerino Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori in Sacra Theologia Magiſtro.

XXXVIII.

CLEMENS PP. IX.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis zelus, literarum ſcientia, vitę, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, ſicut accepimus, quondam Johannes Baptiſta de Marinis, dum vixit, Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum nuper obierit, Nos eidem Ordini, cujus tu Procuratoris Generalis officium hactenus laudabiliter exercuiſti, de idoneo Vicario Generali, qui illum uſque ad canonicam novi Magiſtri Generalis electionem adjuvante Domino ſalubriter dirigat, pro paterna noſtra erga ipſum Ordinem, multiplicibus in Eccleſiam Dei meritis conſpicuum, caritate, & paſtorali ſolicitudine, conſulere volentes, ac de tua fide, prudentia, doctrina, vigilantia, caritate, integritate, rerum uſu, & religionis zelo plenam habentes in Domino fiduciam, teque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine te memorati Ordinis Vicarium Generalem, uſque ad canonicam novi Magiſtri Generalis Ordinis hujuſmodi electionem, cum retentione dicti officii Procuratoris Generalis, necnon Prędſidentem dictę electionis cum voce activa, & paſſiva, ac privilegiis, pręeminentiis, prerogativis, auctoritate, gratiis, honoribus, indultis, & oneribus ſolitis, & conſuetis, ac facultatibus ſimilibus Vicariis Generalibus, & Pręſidentibus de jure, uſu, conſuetudine, vel privilegio, ſeu alias quomodolibet competentibus, & alias neceſſariis, & opportunis, tenore pręſentium facimus, creamus, ac conſtituimus, & deputamus, mandantes propterea in virtute ſanctę obedientię, ac ſub indignationis noſtrę, aliiſque arbitrii noſtri pęnis, omnibus, & ſingulis prędicti Ordinis Superioribus Fratribus, & perſonis, ceteriſque, ad quos ſpectat, & ſpectabit quovis modo in futurum, ut tibi in omnibus ad demandata tibi per pręſentes Vicarii Generalis, & Pręſidentis munera quomodolibet ſpectantibus, reſpective faveant, pareant, & aſſiſtant, teque recognoſcant, ac tua ſalubria monita, & mandata humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam, ſive pęnam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Decernentes ipſas pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac tibi in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis

Nota.

illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII Maii MDCLXIX, Pontificatus noſtri Anno Secundo. J. G. Sluſius.

1. *Paſſerinus.*) Adeas *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDLXXVII pag.674.*

2. *Archivo.*) In quo autographum.

Anno 1669 Die 21 Maii.

XXXIX.

Ut juxta rigorem textus, & literæ, Regula, & Conſtitutiones ſerventur in S. Sabinæ Cœnobio de Urbe.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CLEMENS PP. IX.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CReditę Nobis divinitus paſtoralis ſolicitudinis ratio exigit, ut conſervandę regularis diſciplinę, ex qua multiplices bonorum operum fructus Domino donante aſſidue prodeunt, conſulere jugiter ſtudeamus. Cum itaque, ſicut quondam Johannis Baptiſtę de Marinis dum vixit (2) Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum relatu accepimus, Conventus S. Sabine (3) de Urbe Provincię Lombardię dicti Ordinis Noviciatui per Fratres ejuſdem Provincię agendo deſtinatus fuerit, illumque Sanctus Dominicus Ordinis prędicti Fundator ſalubribus inſtitutis, & ſanctę ſuę converſationis, dum ibidem commorabatur, exemplo ad pietatem formaſſe, & inſtituiſſe perhibeatur. Nos pro ſingulari noſtra erga eundem Conventum pia benevolentia, antiquam Regulę, & conſtitutionum dicti Ordinis obſervantiam, ibidem perpetuo vigere cupientes, ut in eo Novicii in ſancta ſimplicitate ad chriſtianam profeſſionem ſalubriter inſtituantur, & inde bonorum operum exempla per Dei gratiam in totam Provinciam prędictam cum religioſitatis incremento diffundantur, Motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, ut Regula, & Conſtitutiones Ordinis prędicti, juxta rigorem textus, & literę, ac ſecluſis quibuſvis interpretationibus, vel diſpenſationibus, quibus vigor hujuſmodi enervari, vel relaxari, quovis modo poteſt, a Fratribus in eodem Conventu S. Sabinę, nunc, & pro tempore quandocunque degentibus exactiſſime ſervari debeant, nec ullus Frater dicti Ordinis, qui ſecundum exactiſſimam obſervantiam hujuſmodi non vivat in dicto Conventu commorari unquam permittatur, tenore pręſentium perpetuo ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes easdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, nec de ſubreptionis, vel obreptionis, nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aliove quolibet, etiam ſubſtantiali, defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ſeu ad terminos juris reduci, vel in controverſiam vocari unquam poſſe, ſed ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, ſicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quacunque pręeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę regula, de jure quęſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, Ordini, Provincię, & Conventui hujuſmodi, illorumque Superioribus, & Fratribus, ac perſonis, ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuſvis, etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, vel alias quomodolibet in contrarium pręmiſſorum conceſſis, confirmatis, & pluries innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Mariam ſub Annulo Piſcatoris die XXI Maii MDCLXIX, Pontificatus noſtri Anno Secundo. J. G. Sluſius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

2. *Dum vixit.*) Obierat hoc eodem anno *MDCLXIX.*

3. *Conventus S. Sabinæ.*) In quo legitur ſequens inſcriptio.

TIBI ROSA
O EMPYREI PARADISI NOVUM
EX ORBE NOVO INCREMENTUM
TIBI PERENNET
HOC PEGMA HONORIS AD
POSTERITATIS MEMORIAM
QUOD CLEMENS IX. PONT. MAX.
DUM ANNO MDCLXVIII SUB
HIS TECTIS PER DIES ALIQUOT
MORARI DIGNATUS EST
BEATARUM COELITUM ALBO
TE
SOLEMNITER ADSCRIBENDAM
SANXERIT PRID. ID. FEBRUARII.

Facul-

Facultas *procedendi ad diſcuſſionem Articuli relevantiæ contentorum in proceſſibus*, de Martyrio Servorum Dei Angeli Orſuccii &c. (1). Anno 1669 Die 6 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

JAPPONEN. XL.

QUamvis Decretis editis juſſu felicis recordationis Urbani Octavi libello pag. 27, expreſſe prohibitum fuerit Congregationi Sac. Rituum, ne deinceps procedat in Cauſis Servorum Dei ad effectum Canonizationis, ſeu Beatificationis, aut declarationis Martyrii, niſi lapſis quinquaginta annis ab eorum obitu, quin etiam illis lapſis vetuit agi de ſimilibus Proceſſibus tam factis, quam faciendis, niſi habita prius, & expreſſe obtenta licentia a Summo Pontifice, Sanctiſſimus tamen D. N. Clemens Papa IX, ex ſpeciali gratia expreſſe derogando pręfatis Decretis indulſit, & conceſſit, ut in Cauſa declarationis aſſerti Martyrii ſervorum Dei Angeli Orſuccii Ordinis Prędicatorum, Petri de Avila Ordinis Minorum S. Franciſci, Petri de Zuñiga Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, & Caroli Spinolę Societatis Jeſu, & Sociorum, & aliorum reſpective tam eorundem Ordinum, quam etiam ſecularium, qui pro fide Catholica in Japponia interempti dicuntur, & ſuper quorum aſſerto Martyrio in ſpecie confecti fuerunt tres Proceſſus auctoritate Apoſtolica, videlicet Chinenſis, Manilienſis, & Japponenſis, quorum validitas diſcuſſa in Congregatione Sac. Rituum habita XXI Menſis Aprilis Anni MDCLXVIII approbata fuit, facto tamen verbo cum Sanctiſſimo pro ſanatione cujuſcunque defectus Juriſdictionis tam propter obitum Epiſcoporum in Remiſſorialibus deputatorum, quam examen teſtium, ut plurimum examinatorum ſuper Articulis, & notulis datis per Procuratores in partibus, non autem ſuper contentis, & inſertis in dictis literis Remiſſorialibus, & ad dictamen Notariorum, cui Decreto Sanctitas Sua benigne annuit, & ſanavit die prima Maii ejuſdem Anni MDCLXVIII procedatur ulterius in diſcuſſione articuli relevantię contentorum in prędictis tribus Proceſſibus duntaxat, etſi nondum elapſi ſint anni quinquaginta a die obitus fere omnium Servorum Dei in iiſdem adductorum, ſeu majoris partis eorundem, itaut expreſſa derogatio Decretis hujuſmodi, ac facultas procedendi ad diſcuſſionem articuli relevantię, ut ſupra, intelligatur conceſſa omnibus, & ſingulis prędicta derogatione indigentibus, & ſuper quorum aſſertis Martyrio, & Miraculis ab iiſdem patratis, probationes receptę fuerunt in prędictis tribus Proceſſibus, ac etiam in noviſſimo peracto in Urbe ſuper aſſertis Miraculis interceſſione dicti Servi Dei Caroli Spinolę ab Omnipotenti Deo patratis, non obſtantibus prędictis Decretis felicis recordationis Urbani Octavi, ceteriſque quibuſcunque in contrarium facientibus, omni &c. Hac die VI Junii MDCLXIX.

M. Epiſc. Portuenſis Card. Ginettus,

Loco ✱ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congreg. Secr.

1. *Orſuccii.*) Conſulenda Conſtitutio *XIII*.

2. *Archivo.*) In quo exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ* anno *MDCLXIX*.

De viſitandis (1) Galliarum Cœnobiis. Anno 1669 Die 16 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. IX. XLI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ALias Nos quondam Johanni Baptiſtę de Marinis, dum vixit, Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum, commiſimus, & mandavimus, ut etiam tanquam noſter, & Sedis Apoſtolicę Commiſſarius, omnia & ſingula Monaſteria, Conventus, domos, & alia loca regularia dicti Ordinis in Provinciis Galliarum ſita, eorumque Provinciales, Priores, alioſque Superiores, & Fratres quoſcunque, tam in capite quam in membris, etiam auctoritate noſtra viſitaret, & reformaret, multaſque illi ad eum effectum facultates attribuimus, & varia decrevimus, & ordinavimus; ac ipſi Johanni Baptiſtę Magiſtro Generali ad viſitationem hujuſmodi obeundam, dilectos filios Antoninum Mouſſet, & Johannem Le Pul, necnon Johannem Andream Faure, Ordinis pręfati profeſſores, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis ſubdelegandi facultatem impertiti ſumus, & alias prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die XXVIII Septembris proxime pręteriti expeditis literis, quarum tenorem pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, ſicut dilectus filius Petrus Maria Paſſerinus (3) Vicarius Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, quod dictus Johannes Baptiſta, Magiſter Generalis ſubdelegationem hujuſmodi juxta pręfatas noſtras literas fecerit, illo vero ſubinde defuncto nonnulli opinentur juriſdictionem pręfatorum Antonini, ac Johannis, & Johannis Andreę ſubdelegatorum expiraſſe: & licet ejuſmodi opinionem minime ve-

veram eſſe exiſtimetur, attento quod dicta ſubdelegatio de mandato noſtro nominatim in perſonis memoratorum ſubdelegatorum facta fuit; nihilominus ad tollendum omne dubium, & ut iidem ſubdelegati viſitationem prędictam ſine ulla contradictione exequi valeant, dictus Petrus Maria Vicarius Generalis opportune in pręmiſſis a nobis provideri, & ut infra indulgeri ſummopere deſideret: Nos ipſum Petrum Mariam Vicarium Generalem ſpecialis favore gratię proſequi volentes, illiuſque, ac dictorum ſubdelegatorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis, ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus ejuſdem Petri Marię Vicarii Generalis nomine ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & ſingula per memoratos Antoninum, ac Johannem, & Johannem Andream ſubdelegatos reſpective poſt obitum pręfati Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis vigore literarum noſtrarum ſupradictarum, & in illarum executionem quomodolibet acta, & geſta auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, quatenus opus ſit, convalidamus, & confirmamus, ac iiſdem Antonino, & Johanni, necnon Johanni Andreę ſubdelegatis, ut viſitationem hujuſmodi, & alia quęcunque ſibi a memorato Johanne Baptiſta Magiſtro Generali in executionem pręfatarum noſtrarum literarum reſpective injuncta cum omnibus, & ſingulis facultatibus ſibi per eaſdem literas, ſeu illarum vigore quomodolibet attributis, ac ſervata in omnibus, & per omnia ipſarum literarum forma, & diſpoſitione proſequi, & abſolvere libere, licite, & valide poſſint, & valeant reſpective, dicta auctoritate, harum ſerie concedimus, & indulgemus. Decernentes eaſdem pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac dictis ſubdelegatis in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, necnon omnibus, & ſingulis illis quę in literis noſtris pręfatis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XVI Julii MDCLXIX, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. G. *Sluſius*.

1. *Viſitandis*.) Conſulenda Conſtitutio *XVIII.*
2. *Archivo*.) In quo exemplar authenticum typis impreſſum.
3. *Paſſerinus*.) Celeberrimus vir, variis editis operibus nulli non notus.

Anno 1669 Die 9 Auguſti.

Ut F. Johannes (1) Polanco munus Vicarii Generalis obeat in Philippinarum Provincia.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Johanni Polanco Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori.

XLII.

CLEMENS PP. IX.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis zelus, vitę, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Maria Paſſerinus Procurator, & Vicarius Generalis, Ordinis Prędicatorum, quod alias quondam Johannes Baptiſta de Marinis dum vixit Magiſter Generalis dicti Ordinis, conſervationi Provincię Sanctiſſimi Roſarii Inſularum Philippinarum ejuſdem Ordinis, ac felici progreſſui Miſſionum, quas Fratres ejuſdem Provincię in ipſis Inſulis, ac Sinarum, & Japonum, aliiſque vicinis Regionibus exercent, laudabiliter ſtudens, te, qui Definitor, & Procurator Generalis dictę Provincię exiſtis, ſuum Vicarium, & Commiſſarium Generalem inſtituit, cum facultate aſſignandi, & affiliandi eidem Provincię omnes, & ſingulos Fratres aliarum Provinciarum, & Congregationum Ordinis pręfati, qui zelo converſionis animarum ducti illuc proficiſci vellent, & cum omni auctoritate, & juriſdictione in ſpiritualibus, & temporalibus neceſſaria ad hoc quod nullus Superior, vel Inferior tam ſanctum opus impedire valeret, & alias prout uberius continetur in ipſius Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis literis patentibus deſuper emanatis tenoris, qui ſequitur videlicet. Fr. Johannes Baptiſta de Marinis Sacrę Theologię profeſſor, Ordinis Prędicatorum, humilis Magiſter Generalis, & ſervus. In Dei filio ſibi dilectis R. P. Lectori Fr. Johanni Polanco, & RR. PP. cum ipſo in meſſem Evangelicam Orientis extrema adituris ſalutem, & a Domino meſſis ęternam ſatiantis glorię mercedem. Nondum biennii cyclus pertranſiit, ex quo vobis filiis dilectiſſimis per literas noſtras in Majo anni MDCLXVII datas inſinuavimus, oſtium magnum denuo patuiſſe in vaſtis Sinarum, Japonum, & Philippinarum Regionibus, Inſuliſque annexis, ad lucem *Evangelii* invehendam. Rurſus accedimus, ut harum ſerie animos veſtros ad tantę miſſionis heroicum amplexum paterne, & quanto poſſumus ardore, dulciter, efficaciterque ſuccendamus, & quidem nunc eo avidius, quo certius, nec ſine intima cordis noſtri teneritudine, accepimus invictam Japoniarum Chriſtianitatem

a tot

a tot annorum luſtris omni Evangelicorum Miniſtrorum ope, ſolatio, catecheſi miſerrime deſtitutam, uſque hodie perſiſtere in Fidei confeſſione firmiſſimam, robuſtam, & ad miraculum populoſam, cui videlicet, nec annua deſint ubique martyria, nec in crebris martyriis infracta conſtantia. Ingens profecto feliciſſimę culturę teſtimonium, in qua tam proſpere ſudarunt operarii noſtri, experti videlicet terram bonam, quę injectam ſemel fidei ſementem radicibus tam altis concepit, ut nec ſpatiis temporum exareſcere, nec Tyrannorum perſecutione hactenus potuerit eradicari. Et unde hęc illius nobiliſſimi agri inexhauſta fęcunditas, niſi a ſanguine Martyrum, qui dum Romę agitatur in Sacra Congregatione Rituum vivacius illic operatur, perenne germen inexpugnabilium Chriſtianorum. At hem Fratres mei, ad vos pariter de terra loginqua clamare non ceſſat generoſus ille ſanguis noſtrorum pugilum, vociferatur non pro vindicta, ut olim ſanguis Abel, ſed pro ſequela, pro ſectandis iiſdem Apoſtolicorum laborum veſtigiis, pro Sinarum, Japonum, & Philippinarum agricultura tam pretioſa, minimeque a Nobis deſerenda. Patet oſtium, invitant campi fertiliſſimi, vocant arva lętiſſima, & albeſcunt jugiter ad meſſem ſegetes copioſę, & Ordo Prędicatorum degeneri inertia cunctabitur domi? Atque utinam Nobis ipſis, qui Prędicatorum Ordini meritis licet imparibus hodie pręſidemus, liceat vobiſcum eo accurrere, quo Nos omnes tam copioſa meſſis aditu patentiſſimo invitat, quam prompte arrepto hujus Miſſionis ſacro vexillo pręcurreremus carę catervę noſtrę, tracturi cum delectu, at ſine numero validiſſimas Dominicani Prętorii cohortes, eoque perducturi, ubi tam pretioſa, & innumera Nos animarum lucra expectant. Sed quia gubernaculi clavum tenentibus nuſquam licet a puppi in proram diſcedere, cogimur, & Nos fixam officii noſtri ſtationem, locumque Navarchi tenere, ac interim vice noſtra alium tam optatę, ac nobili expeditioni Anteſignanum, Ducem, Vicarium cum idonea poteſtate ſubrogare. Is eſt pręſentium exhibitor, R. P. Lect. Fr. Johannes Polanco, vir Apoſtolico ardore, ac zelo plenus, qui ſicut jam pridem in hoc miniſterium animam ſuam tradidit pro nomine D. N. Jeſu Chriſti, ſic de mandato noſtro ante biennium circiter, abductis ſecum XL novis operariis filiis noſtris ad ampliſſimam Sinenſis, & Philippinarum Chriſtianitatis meſſem feliciter redit, plures itidem ſalvificę fidei colonos egregios, atque generoſos in eandem culturam ſollicite abducturus, quo fine hic pluries ad pedes S. D. N. Clementis IX admiſſus, tum ſibi, tum ſecum alacriter profecturis commilitonibus largiſſimam ab Apoſtolico throno benedictionem obtinuit, & grandi Indulgentiarum theſauro, aliiſque gratiis a Pontifice locupletatus, nunc de voluntate noſtra in Inſulas Philippinas, unde ad Nos immenſis itineribus excurrerat, heroico ſpiritu animoſum reditum adornat. Hunc ergo, ut numero grandi, & corde grandiori, Ducem, atque coryphęum alacriter ſequamini, vos ſingulos harum ſerie, & quanta poſſumus affectus paterni vehementia cohortamur. Eja ſtrenui milites Jeſu Chriſti, Eja ingenua ſoboles magni illius Patriarchę Dominici, induamini virtute ex alto, accingimini lumbos veſtros in pręparationem Evangelii Omnipotentis Dei, certatim ęmulatione ſacroſancta conferte nomina veſtra in expeditionem tam veſtro nomine, habituque dignam, neque vos ignavo ligamine diſtineat terrenę patrię dulcis amor, aut fluxa commoditas, multo minus imbelli, aut vili metu vos percellat ignotarum Regionum horror, & alieni climatis peregrina longinquitas, animo hic opus eſt, cetera ſupplebit robuſta manus Domini Sabaoth, quę tanta dignatione vos allicit, trahit, conducit in opus ſuum, in opus, quo nullum aliud cenſetur divinius. Mementote, quod ubi Abraham jubetur proprium filium mactare, flammiſque totum abſumere in holocauſtum, nulla pręmittitur mercedis, aut pręmii mentio, at ubi eidem pręcipitur egredi de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo patris ſui, ac venire in terram alienam, longinquam, ignotam, proh quantus adjungitur pręmiorum, ac benedictionum cęleſtium apparatus! uſque ad ipſum Meſſię incomparabile donum porrigitur compenſationis larga promiſſio, quaſi pluris apud Deum fieret illud peregrinationis exilium, quam proprii, & unigeniti filii ſacrificium. Sed quid filios noſtros ad Abrahę exemplar procul remittimus, quibus in ideam, ac ſtimulum vicinior inſtat Patriarcha ſuus Dominicus? ille inquam Evangelii tibicen Dominicus, qui ultro prę cupiditate martyrii deſtinaverat transfretare ad infideles, illic in mercedis loco ambiens computare, ſi pro Fide membratim per ſingulos artus ſęviſſime interciſus, evulſis demum oculis ſineretur in ſuo ſanguine volutari. Non impetravit SS. Pater ejuſmodi peregrinationis optatiſſimam felicitatem, quam tamen videt hodie ſuis filiolis reſervatam, & in ipſis jam pergit deſiderii ſui metam ſuſpirare. Ex his jam pręceſſere, qui generoſo cruore gentilitatis illius arva ubertim irrigarunt, jam illic ſanguis Martyrum factus eſt ſemen Chriſtianorum, & ecce jam fęcundus germinat, jam in tranquillitate vim fructificandi oſtentat, non rorem, non ſolem, non pluvias, ſed unicos operarios expectans? Et quodnam ingenuum pectus iſta non moveant? quanto magis genuinis S. P. N. Dominici prolibus hęc dicta ſufficiant? Proinde te ſupranominatum R. P. Lect. Fr. Johannem Polanco, tenore pręſentium, & officii noſtri auctoritate inſtituimus, damus, pręficimus, inſtitutumque, datum, ac pręfectum declaramus Vicarium noſtrum Generalem, caput, atque legitimum ductorem omnium, & ſingulorum noſtrorum Fratrum quotquot ex univerſis, & ſingulis noſtri Ordinis Provinciis, & Congregationibus, te pro amore Jeſu Chriſti, & propagatione S. Evangelii fideliter, ac religioſe comitari, ſequi, & aſſociare voluerint, ut in primis eoſdem omnes, & ſingulos Provincię noſtrę SS. Roſarii Philippinarum ſimpliciter affiliare poſſis, itaut exinde ad eam abſolutiſſime pertineant, non ſecus, ac ſi pro illa originaliter habitum ſuſcepiſſent, ipſorumque nativis Provinciis deinceps in Fratres hoc modo per te transfiliatos, ipſorumque res poſt obitum reſiduas, nullum jus, aut prętenſio ſuſperſit. Ulterius quoque plenariam tibi juriſdictionem in eoſdem filios noſtros tecum abituros delegamus, qua illis nomine, auctoritate, ac vice noſtra velut propriis ſubditis tuis, nec ulli deinceps pręterquam ſoli tibi ſubjectis pręſideas, & cum immediata a Nobis ſolis dependentia pleniſſimo jure pręſis uſque dum eos, & eorum ſingulos intra limites noſtrę Provincię SS. Roſarii Philippinarum R. A. P. Provinciali, ſeu Pręſidi dictę Provincię ſiſtas realiter, ac perſonaliter tanquam a te eidem Provincię rite aſſignatos, & ſimpliciter translatos, itaut ex tunc cenſeantur ex tua in illius Superioris Juriſdictionem, & ordinariam ſubjectionem tranſiiſſe. Interea ad hunc effectum delegamus tibi velut

noſtro Vicario in prędictos Fratres omnem illam facultatem, jus, regimen, & pro utroque foro ampliſſimam poteſtatem, qua tibi opus eſſe perſpexeris ad eos auctoritative congregandos, mittendos, deducendos, advocandos, & avocandos, gubernandos, corrigendos, & auctorandos, non ſecus, ac ſi ſingulorum, & univerſorum fores Ordinarius, & proprius Pręlatus. Porro ne in hoc tam neceſſarię Pręfecturę laborioſo munere aliunde tibi impedimenta poſſint interjici, univerſis Pręlatis, quocunque titulo, gradu, aut nomine ullibi cenſeantur, noſtrę curę ſubjectis pręcipimus in virtute Spiritus Sancti, ſanctę obedientię, ſub formali pręcepto, necnon ſub pęna excommunicationis latę ſententię, quod in tuis, vel tuorum prememoratorum ſubditorum cauſis nullo modo, prętextu, colore, vel arbitrio ſe intromittant, illiſque, & univerſis noſtrę curę ſubjectis ſub eodem pręcepto, & cenſura, cujus abſolutionem niſi in caſu mortis Nobis, noſtriſve ſucceſſoribus per pręſentes reſervamus, diſtricte pręcipimus, ut nullum voce, aut ſcripto, ſive a te aſſignatum, ſimpliciterque translatum, ſive non, ſive ante, ſive poſt aſſignationem, a ſancto itineris propoſito revocare, diſtinere, conſilio, commiſſione, metu, aut alio quocunque imaginabili modo directe, vel indirecte, per ſe, vel per alios, etiam ſub prętextu neceſſitatis, aut melioris modi, divertere tentent, aut pręſumant. Inſuper tibi fas eſto, hujuſmodi aſſignationes, & affiliationes ſub tuo nomine, ac ſigillo expeditas quaquaverſus deſtinare, & cuilibet noſtri Ordinis Religioſo earundem notificationem committere. Item ſi forſitan aliquem, vel aliquos horum Fratrum per te aſſignatos, & ſimpliciter translatos inveneris minus aptos, vel idoneos ad finem iſtius Miſſionis, aut infirmitate, aliove accidente pręgravari cognoveris, poſſis talium aſſignationes de facto liberrime revocare, ipſoſque ſuis Provinciis, & Conventibus unde exierunt remittere, datiſque hujus revocationis, ac remiſſionis teſtimonialibus literis eoſdem, ſi neceſſarium duxeris, pręceptis, ac cenſuris ad recta in ſuas Provincias redeundum compellere. Hos vero religioſos, ſic a te demum remiſſos, aut per te revocatos ex nunc pro tunc decernimus, ac declaramus, iterum ſicut antea, ad Provincias, & Conventus, unde translati fuerant, ſimpliciter pertinere. Ne autem fortaſſe ad alias Provincias, in pręjudicium iſtius ſanctę Miſſionis, ſubditos tuos divertere contingat, mandamus univerſis, & ſingulis Pręlatis ſub eodem pręcepto, & cenſura Nobis reſervata, necnon abſolutione a ſuis officiis ipſo facto incurrendis, ut nullum, aut nullos a te aſſignatos in ſuis Provinciis recipiant, transferant, aut aſſignent, ſive prętextu penurię Fratrum, ſive infirmitatis, aut aliquo imaginabili modo, ſed eos ſtatim mittant ad prędictam Provinciam Philippinarum, revocantes quodcunque privilegium, ſi forte adſit in contrarium, & auctoritate officii noſtri tibi R. P. Lectori Fr. Johanni Polanco, vel cui vices tuas commiſeris damus, committimus, & delegamus, ut Pręlatos in hoc deficientes in dictas pęnas incurriſſe declares, utque poſſis per pręcepta, & cenſuras per te, vel per alios Religioſos a te aſſignatos, ſeu aſſignatum, etiamſi jam in aliis Provinciis commorentur, aut inveniantur, cogere, & compellere, ut ſe conferant in dictam SS. Roſarii Philippinarum Provinciam, aut revertantur ad propriam originalem, prout tibi in Domino videbitur expedire, ipſiſque Religioſis a te aſſignatis, & translatis ſub eodem pręcepto, & cenſura mandamus, ut tibi, etiamſi jam in aliis Provinciis inveniantur, tanquam noſtro Commiſſario obediant, tuiſque diſpoſitionibus, pręceptis, & cenſuris pareant, & obtemperent, quod ſi renuerint, poſſis, in eas incurſos declarare. Item, damus tibi auctoritatem, & facultatem plenarie, ut poſſis ſub pręceptis, cenſuris, pęnis, tam poſitivis, quam privativis ordinare, diſponere, pręcipere, & compellere omnes, & ſingulos noſtrę curę ſubjectos quarumcunque Provinciarum, aut Conventuum, ut omnia in his noſtris literis contenta ſervent, & obſervari faciant. Non obſtantibus in contrarium quibuſcunque etiam ſpeciali expreſſione dignis, ac Conſtitutionibus Ordinis, & Provinciarum conſuetudinibus, privilegiis, aut indultis in contrarium pręmiſſorum, ſive per Capitula Generalia, ſive per Prędeceſſores noſtros quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Et ne circa auctoritatis tuę plenitudinem ulla ſuperſit ambiguitas, declaramus, ac peculiari expreſſione concedimus tibi, quod prędictos Religioſos ſubditos tuos ubi, & quando tibi videbitur in Domino expedire, poſſis ad excipiendas Fratrum Confeſſiones exponere, ſimiliter pro ſecularium confeſſionibus audiendis, proque ſacris Ordinibus ſuſcipiendis ipſos pręſentare, eoſdem ligare, abſolvere, ſuper irregularitatibus, juxta privilegia noſtra, diſpenſare, Capitulum, quod culparum vocamus, tenere, pręcepta, & cenſuras imponere, correctiones, & pęnas, etiam carceris, infligere, ac tandem in quacunque Provincia, extra propriam Philippinarum, aut quovis loco, terra, marique te inveneris, circa illos, & illorum quemlibet ea omnia valeas exercere, quęcunque ipſemet P. Provincialis SS. Roſarii intra ſuam Provinciam poſtea circa ipſos alioſque ſubditos ſuos poterit, ſive de jure, ſive ex approbata conſuetudine, aut privilegio qualicunque, quę univerſa, & ſingula, quaſi hic articulatim, & diſtinctis tenoribus inſerta continerentur, haberi volumus, & declaramus. Quod ſi ex quocunque improviſo eventu contingeret te per viam ſive ęgritudine, ſive captivitate, naufragio, morte, aut alio poſſibili caſu ab harum patentium, & commiſſi muneris integra conſummatione uſquam impediri, concedimus tibi, quod aliquem ex quacunque noſtri Ordinis Provincia virum gravem, ac zeloſum poſſis in parte, vel in toto ſubdelegare, quem ſic a te nominatum, ac ſubdelegatum volumus ex nunc pro tunc eſſe, haberi, & agnoſci tuo loco Superiorem, Vicarium, ac legitimum Pręlatum hujus noſtrę Miſſionis, & ſingulorum ſibi ſubditorum, cum omni illa auctoritate, juriſdictione, exemptione, ac poteſtate quantam ipſe volueris ad pręſentium effectum ſubdelegando communicare, itaut exinde pręſentes literę noſtrę cum omnibus ſuis clauſulis, & punctis ſic de illo intelligantur, prout nunc de te intelliguntur. Denique, ut hoc difficillimo Vicariatus noſtri Generalis officio ad accumulanda meritorum fęnora utilius perfungaris, pręcipimus tibi in virtute Spiritus Sancti, & ſanctę obedientię ſub formali pręcepto, ut intra unum diem illud acceptes, & ad illius executionem ſedulo te accingas. Omnibus vero, & ſingulis Patribus, ac Fratribus noſtrę curę ſubjectis, & pręcipue a te aſſignatis, & affilia-

affiliatis ſub eodem prę̧cepto mandamus, ut te tanquam verum, & legitimum ſuum Prę̧latum, & Paſtorem ſuſcipiant, habeant, ac venerentur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Quibuſcunque in contrarium non obſtantibus. In quorum fidem his noſtri officii ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Datum Romę apud S. Sabinam XXV Menſis Februarii anno MDCLXIX. Fr. Johannes Baptiſta de Marinis, Magiſter Ordinis. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, quia dictus Johannes Baptiſta Magiſter Generalis, ante viam univerſę carnis ingreſſus eſt, quam tu datam tibi ab eo commiſſionem exequi cępiſſes, dubitari poſſit, an eadem commiſſione, & facultatibus tibi per prę̧inſertas literas conceſſis uti valeas, priuſquam illę tibi renoventur, ſeu confirmentur per novum Magiſtrum Generalem dicti Ordinis, cujus electio ſine notabili retardatione boni ſpiritualis converſionis infidelium expectari nequit. Nobis propterea dictus Petrus Maria Procurator, & Vicarius Generalis, humiliter ſupplicari fecit, ut tibi in prę̧miſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Petri Marię Procuratoris, & Vicarii Generalis deſiderio hac in re favorabiliter annuere, teque ſpecialis favore gratię proſequi volentes, & veſtrum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis cenſuris, & penis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum prę̧ſentium duntaxat exequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, ut licet memoratus Johannes Baptiſta Magiſter Generalis obierit, ut prę̧fertur, tu nihilominus datam tibi ab illo per literas patentes prę̧inſertas, commiſſionem exercere, & exequi, omnibuſque, & ſingulis facultatibus, auctoritate, prę̧eminentiis, prerogativis, privilegiis, & indultis, ceteriſque tibi per eaſdem literas quomodolibet conceſſis, & attributis juxta ipſarum literarum continentiam, & tenorem uti, frui, & gaudere, libere, licite, & valide poſſis, & valeas in omnibus, & per omnia, prout poſſes ſi idem Johannes Baptiſta Magiſter Generalis adhuc ſuperſtes foret, auctoritate Apoſtolica, tenore prę̧ſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes eaſdem prę̧ſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac tibi in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, inviolabiliter obſervari, ſicque in prę̧miſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtoli Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prę̧miſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit, Ordinis, ejuſque Provinciarum, ac Congregationum, & Conventuum quorumcunque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prę̧miſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores prę̧ſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prę̧miſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem prę̧ſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę adhiberetur ipſis prę̧ſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IX Auguſti MDCLXIX, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. G. Sluſius.

1. *Johannes.*) Qui Romam venerat, de Ritibus *Sinenſibus*, quos ſemper cum aliis noſtris exhorruerat, Summum Pontificem conſulturus. Adeas *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXI pag. 639.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum typis impreſſum.

Anno 1669 Die 10 Septembris.

De Sepultura (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Inquiſitoribus hę̧reticę pravitatis in Liman., & Mexican., aliiſque Orientalium, & Occidentalium Indiarum Civitatibus, & Dię̧ceſibus commorantibus, & eorum cuilibet. XLIII.

C L E M E N S PP. IX.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Fr. Johannes Polanco (3) Ordinis Fratrum Prę̧dicatorum Procurator Generalis Provincię Sanctiſſimi Roſarii Inſularum Philippinarum tam nomine dictę Provincię Inſularum Philippinarum, quam aliarum Orientalium, & Occidentalium Indiarum Provinciarum Ordinis prę̧dicti, Conventuum, ſeu Monaſteriorum, illorumque Superiorum, quod alias a felicis recordationis Paulo PP. V Prę̧deceſſore noſtro emanarunt certę literę quarum tenor incipit, videlicet: Paulus PP. V. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Expoſitum Nobis nuper fuit pro parte dilecti filii Matthę̧i de Recalde Vicecommiſſarii Generalis Indiarum Occidentalium Ordinis Fratrum Minorum de obſervantia, & finit ſubſequentibus verbis ſcilicet. Datum Romę apud S. Marcum die XXV Junii MDCVIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto, & a felicis recordationis Urbano PP. VIII, etiam Prę̧deceſſore noſtro duę literę quarum primarum tenor ſequitur, videlicet: Urbanus Epiſcopus, Servus Ser-

Servorum Dei, dilectis filiis hęreticę pravitatis Inquiſitoribus in Liman., & Mexican., aliiſque Orientalium, & Occidentalium Indiarum Civitatibus, & Dięceſibus commorantibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Alias felicis recordationis Paulo PP. V Prędeceſſori noſtro pro parte tunc in humanis agentis Matthęi de Recalde etiam tunc Vicecommiſſarii Generalis Indiarum Occidentalium Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de obſervantia expoſito, quod Rectores Parochialium Eccleſiarum &c. & Secundarum Urbanus PP. VIII. Ad Futuram Rei Memoriam. Cum, ſicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Minorum Conventualium Ordinis Sancti Franciſci nuncupat. Nobis nuper exponi fecit, diverſę extorſiones exceſſivę &c. primarum autem tenor finit ſub verbis ſequentibus. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę MDCXXIV, XII Kal. Aprilis Pontificatus noſtri Anno Secundo. Secundarum vero ſub infraſcriptis Verbis. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XI Martii MDCXXXVIII, Pontificatus noſtri Anno XV, & licet ex forma tam primo, & ſecundo, quam tertio dictarum literarum diſponatur Rectores Parochialium Eccleſiarum Indiarum Occidentalium, & Orientalium adverſarios occaſione cadaverum in Regularibus Eccleſiis ſepeliendorum eam tantum poſſe eleemoſynam exigere quę a Concilio Tridentino pręſcripta, & a rec me. Pio Papa V pariter Prędeceſſore noſtro explicata fuit, & alias prout in dictis literis plenius continetur, nihilominus quia prędicti Adverſarii tenori prędictarum literarum contravenientes a dilectis Fratribus Ordinis Predicatorum majorem eleemoſynam, quam ſupradictam prętendunt, ſivę exigere pręſumunt; Non obſtante quod dicti Fratres ſint regulares, & iiſdem quibus Fratres Sancti Franciſci gaudeant privilegiis, propterea dictus exponens intendens ſuper pręmiſſis via juris agere contra prędictos Adverſarios, eoſque ad obſervationem prędictarum literarum conſtringere, ſeu compellere ad eum finem ut ipſis Adverſariis perpetuum ſilentium imponatur, eoque modo Ordo hujuſmodi ſe a moleſtiis, vexationibus, & indebitis extorſionibus in poſterum eximat, & non valens id facere coram Ordinariis locorum, quibus executio tertio dictarum literarum commiſſa reperitur, cum ipſi Ordinarii propter eorum intereſſe in hoc particulari contra Regulares habentes prętenſum jus Rectorum hujuſmodi ordinarie defendant, & defendere quęrant, conſequenterque ab illis juſtitię complementum obtinere diffidat, Nobis humiliter ſupplicari fecit, quatenus cauſam, & cauſas obſervationis prędictarum literarum, ac quam, & quas dictus Exponens nomine quo ſupra contra prędictos Adverſarios nomine quo ſupra prœmiſſorum occaſione habet, & movet, habereque, & movere vult, & intendit cum omnibus ſuis inciden. dependen., emergen. annexis, & connexis, totoque negotio principali vobis ſive a nobis ſubdelegandis, & eorum cuilibet audien., cognoſcen., deciden., fineque debito ſummarie prout in cauſis Beneficialibus procedi conſuevit, terminan. cum poteſtate etiam per edictum publicum, conſtito de non tuto, acceſſu dictos Adverſarios, omneſque alios quos opus fuerit citandi, illiſque, & quibus videbitur ſub ſententia, cenſuris, & pęnis inhibendi, ac inobedientes in illas incidiſſe ſervata forma Concilii Tridentini declaran., aggravan., reaggravan., & interdicen., auxiliumque brachii ſecularis, ſi opus fuerit, invocan., ceteraque in prędictis omnibus literis contenta facien., exercen., & exequen., pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus committere, aliaſque ei in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſtatum, & merita cauſę, & cauſarum hujuſmodi pręſentibus pro expreſſis habentes, ipſumque, Exponentem a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, ſeu aliquis, aut alii a vobis ſubdelegandus, ſeu ſubdelegandi, vocatis ad id qui fuerint evocandi, in pręmiſſis omnibus, & ſingulis auctoritate noſtra faciatis, prout de jure fuerit faciendum. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die X Septembris MDCLXIX, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Franciſcus Silvanius.

1. *Sepultura.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo.*) In quo autographum.
3. *Polanco.*) De quo dictum fuit.

Anno 1669 Die 13 Septembris.

Innovat, & firmat quæ pro Miſſionibus Indiarum ſancita ſunt.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XLIV.

CLEMENS PP. IX.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

IN excelſa Sedis Apoſtolicę ſpecula meritis licet imparibus per ineffabilem Divinę ſapientię, atque bonitatis abundantiam conſtituti, vigilantię noſtrę oculos per univerſas Chriſtiani Orbis partes jugiter circumferimus, & ſolicitis ſtudiis providere ſatagimus, ut Divinus cultus ubique floreat, populorum devotio excitetur, & foveatur, ac omnium Chriſti fidelium pręſertim in remotiſſimis partibus degentium quieti, & animarum ſaluti opportune conſulatur. Hoc conſilio, ea, quę pro ſalubri illorum directione a Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris, eorumque juſſu pie, prudenterque decreta, atque conſtituta fuiſſe comperimus, ut firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolici muniminis noſtri Patrocinio corroboramus, ac opportune extendimus, ſicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſię honorem, ſpiritualemque eorundem Chriſti fidelium ędificationem, & conſolationem ſalubriter expe-

expedire in Domino arbitramur. Dudum ſiquidem emanarunt a felicis recordationis Alexandro PP. VII Prędeceſſore noſtro literę in ſimili forma Brevis tenoris qui ſequitur videlicet. Alexander Papa VII. Ad Futuram Rei Memoriam. Sacroſancti Apoſtolatus Officii &c. (2). Et ſubinde Congregatio tunc exiſtentium S. Romanę Eccleſię Cardinalium negotiis Propagandę Fidei propoſita alia nonnulla Decreta die XXII Julii MDCLVIII edidit tenoris ſequentis videlicet: Ad melius, & facilius occurrendum neceſſitatibus Spiritualibus Chriſti fidelium in Indiis Orientalibus degentium Sacra Congregatio de Propaganda Fide decrevit. Primo, ut Parochi non naturales illarum partium, ſive Regulares, ſive Seculares ſint, teneantur omnino habere apud ſe Capellanum natalibus, & origine Indum pro Confeſſionibus audiendis, & diebus Feſtis hortationibus ad populum lingua vernacula habendis, ne tali auxilio deſtituti in ea, qua initiati ſunt, Orthodoxa fide langueant, ac paulatim deficiant, iiſque pro ſuſtentatione, & labore, ubi populus ipſe id ſponte non pręſtiterit, congruum ſuppeditent ſtipendium. Secundo, pręcipit iiſdem Parochis, ceteriſque quarumcunque Eccleſiarum ſuperioribus, ut nedum Sacerdotes indigenas in eorum Eccleſiis celebrare volentes non arceant; verum etiam perurbaniter excipiant, quo frequentius illuc redeant ad Omnipotenti Deo immolandum, ſentiantque Chriſtianam caritatem omnes ęquis officiis amplexari. Tertio, ut vero Fides adhuc in iis Regionibus pubeſcens literarum alimento coaleſcat, & pueri reddantur idonei ad res Eccleſiaſticas percipiendas, iiſdem Parochis, & maxime pagorum, & villarum injungit, ut eos, vel per ſe, vel per Capellanos naturales, ſi tales ipſi non ſunt, ultra Fidei Chriſtianę rudimenta Grammatices etiam inſtitutionem, ceteraſque artes liberales quoad fieri poteſt, edoceant. Quarto decrevit, quoniam, ut auditum eſt, in Proceſſionibus ſolemnibus etiam Sancti Corporis Chriſti ex Gentilium moribus ritus aliqui, ſive actus irrepſerunt, qui licet honoris, & majoris cultus gratia exhibeantur, Majeſtatem nihilominus Chriſtianę Religionis non minimum dedecent, Sacra Congregatio vetuit, ne in poſterum permittantur, & arceatur omnino quidquid ludicri, aut minus gravis ſpeciem aliquam habuerit, nullo modo autem liceat Eccleſiaſticis, & pręcipue Regularibus prętextu dignitatis, gradus, aut officii Umbellam in iis geſtare, ſed quo majori pręfulgeant dignitate, eo demiſſius divinę Majeſtati obſequium pręſtare, alioſque Chriſtianos humilitatis exemplo pręire nitantur. Datum Romę die XXII Julii MDCLVIII. Nunc autem Nos ſpiritualibus Chriſti fidelium non ſolum Goę, & inſulis adjacentibus, ſed etiam in univerſis Indiarum Orientalium Regnis, Provinciis, & Regionibus degentium neceſſitatibus, proſperiſque in via Domini progreſſibus paſtorali ſolicitudine, atque caritate ſalubriter conſulere cupientes, de venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandę Fidei prępoſitorum conſilio, literas Alexandri Prędeceſſoris, & ſubinde emanata Decreta pręinſerta, omniaque, & ſingula in eis reſpective contenta, & expreſſa, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium perpetuo approbamus, confirmamus, & innovamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac illa omnia, & ſingula ad omnia Indiarum Orientalium Regna, Provincias, & Regiones extendimus, & ampliamus, ibique locum habere decernimus, ac per quaſcunque perſonas etiam Regulares cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti tam Mendicantium, quam non Mendicantium etiam Societatis Jeſu, Goę, & in Inſulis adjacentibus, ac in Univerſis Indiarum Orientalium Regnis, Provinciis, & Regionibus hujuſmodi, nunc, & pro tempore degentes, cujuſcunque ſtatus, gradus, conditionis, qualitatis, & pręeminentię exiſtant, ad unguem inviolabiliter, & exacte obſervari eadem auctoritate harum ſerie itidem perpetuo pręcipimus, volumus, & mandamus. Decernentes pariter ita in pręmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quę memoratus Alexander Prędeceſſor in ſuis literis pręinſertis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII Septembris MDCLXIX, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Confirmatio prædicta.

1. *Archivo.*) In quo exemplar. In *Bullario Romano* eſt *XXXVIII.*

2. *Officii &c.*) Ut in Conſtitutione *XII Alexandri VII* ad finem uſque. Legitur *pag.* 187.

Ne quis ex alio Conventu ad Neapolitanum SS. Roſarii transferatur (1).

Anno 1669 Die 28 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. IX.

XLV.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EX injuncto nobis cęlitus Apoſtolicę ſervitutis Officio illis, quę pro virorum Religioſorum quiete, domorumque Regularium felici ſtatu conſervando a ſuperioribus regularibus provide conſtituta eſſe noſcuntur, ut firma ſemper, atque inviolabilia perſiſtant, Apoſtolici muniminis, cum id a nobis petitur, libenter adjungimus firmitatem. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Conventus Sanctiſſimi Roſarii Civitatis Neapolitanę Ordinis Prędicatorum, quod cum tranſlationes filiationum Fratrum de uno ad alium Conventum dicti Ordinis per quandam felicis recordationis Clementis PP. VIII Prędeceſſoris noſtri Conſtitutionem fieri prohibeantur, quondam Johannes Baptiſta de Marinis, dum vixit, Magiſter Generalis Ordinis prędicti ordinavit, nullum profeſſum filium alterius Conventus poſſe in poſte-

in poſterum affiliari in dicto Conventu Sanctiſſimi Roſarii niſi de conſenſu omnium ejuſdem Conventus filiorum tam pręſentium, quam abſentium, eamque ordinationem dilectus filius Petrus Maria Paſſerinus Vicarius Generalis ejuſdem Ordinis confirmavit per ſuas patentes literas deſuper emanatas tenoris qui ſequitur, videlicet: Nos Fr. Petrus Maria Paſſerinus Sacrę Theologię Profeſſor Ordinis Pr̨edicatorum humilis Procurator Vicarius Generalis, & Servus. Cum prędefunctus Magiſter Generalis Fr. Johannes Baptiſta de Marinis felicis recordationis per ſuas literas datas Romę die XVII Martii MDCLXVI ordinavit nullum profeſſum filium tam pręſentium, quam abſentium &c., cum Decreto irritante, ſi aliter fieri contigerit, cum clauſula quod in caſu diſpenſationis ſuper prędicta diſpoſitione debeat fieri expreſſa, & individua derogatio dictę ordinationis, & quod expeditę licentię ne dum executioni mandatę ad formam ejuſdem ordinationis intelligerentur redactę. Nos ſupplicationibus filiorum ejuſdem Conventus inclinati, harum ſerie, noſtrique auctoritate Officii confirmamus prędictam ordinationem, & omnia in ipſa contenta non obſtantibus in contrarium quibuſcunque. In quorum fidem &c. Datum Romę die XVII Auguſti MDCLXIX. P.Fr. Petrus Maria Paſſerinus Vicarius Generalis Ordinis, Regiſtrata pag. 1. Fr. Gregorius Arcilza Magiſter Provincialis Terrę Sanctę. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti exponentes pręmiſſa quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri ſummopere deſiderent, Nos ſpecialem ipſis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ordinationem a memorato Jo: Baptiſta Magiſtro Generali factam, & a pręfato Petro Maria Vicario Generali confirmatam, ut pręfertur, emanataſque deſuper ipſius Petri Marię Vicarii Generalis literas patentes pręinſertas, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari, nec illis niſi in toto illorum tenore expreſſe ac de verbo ad verbum inſerto per quaſcunque literas Apoſtolicas derogari poſſe; ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, & Conventus hujuſmodi etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Septembris MDCLXIX, Pontificatus noſtri Anno Tertio..

J. G. Sluſius.

1. *Transferatur.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.II.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

Anno 1669 Die 3 Octobris.

De Fratribus ex aliis Conventibus ad Neapolitanum S. Mariæ Sanitatis transferendis (1).

XLVI.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. IX.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EX injuncto Nobis divinitus Apoſtolicę ſervitutis officio Chriſti fidelium Altiſſimi obſequiis, ſub ſuavi religionis jugo mancipatorum quieti libenter conſulimus, ſicut cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut pro parte dilectorum filiorum Fratrum Conventus S. Marię Sanitatis Civitatis Neapolitan. Ordinis Prędicatorum Nobis nuper exponi fecerunt, in eodem Conventu multa in dies naſcantur inconvenientia, propter adfiliationes Fratrum dicti Ordinis alibi profeſſorum, quę ibidem ſine conſenſu filiorum ipſius Conventus fiunt, Nobis propterea dicti exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut de cetero in prędicto Conventu S. Marię Sanitatis Neapolitan. nullus Frater Ordinis prędicti alibi profeſſus ſine expreſſo omnium Fratrum ipſius Conventus filiorum Neapoli tunc exiſtentium conſenſu adfiliari, ſeu in filium Conventus hujuſmodi cooptari ullo modo valeat, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium ſtatuimus, & ordi-

ordinamus. Decernentes ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit Ordinis, & Conventus prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiisquoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prǽmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibusomnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prǽmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die III Octobris MDCLXIX, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

I. G. Sluſius.

1. *Transferendis.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

Decretum, Canonizationis B. Margaritæ de Sabaudia (1) Tertii Ordinis S. Dominici.

Anno 1669 Die 8 Octobris. XLVII.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

SAcra Rituum Congregatio referente Eminentiſſimo D. Card. de Ilcio cenſuit conſtare cultum prędictę Beatę Margaritę a Sabaudia fuiſſe exhibitum, & exhiberi ex Indulto Apoſtolico, & propterea conſtare de caſu excepto a decretis Sanctiſſimę Inquiſitionis, eiſdemque ſufficienter ſatisfactum fuiſſe, & poſſe procedi ad ulteriora in cauſa Canonizationis, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit. Die XXXI Auguſti MDCLXIX. Et facta de prędictis Sanctiſſimo relatione per me Secretarium, Sanctitas Sua annuit die VIII Octobris MDCLXIX.

M. Epiſcopus Portuen. Card. Ginettus.

Loco ✱ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *B. Margarita de Sabaudia.*) De qua ſæpe dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo exemplar inter Acta Capituli Generalis *MDCLXX.*

Limana, Canonizationis B. Roſæ (1) de S. Maria Ordinis S. Dominici.

Anno 1669 Die 30 Octobris. XLVIII.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

SAnctiſſimus Dominus noſter Clemens IX ad preces ſibi porrectas ab Excellentiſſimo D. Marchione de Aſtorga nomine Majeſtatis Catholicę, benigne annuit, ut cauſa Canonizationis B. Roſę de Sancta Maria Ordinis S. Dominici circa ea, quę ſupervenerunt poſt indultam Beatificationem diſcuti, proſequi, & agi poſſit ſuper illius meritis uſque ad totalem determinationem in Congregatione ordinaria ſacrorum Rituum cum interventu Conſultorum non obſtantibus Decretis ſanctę memorię Urbani VIII, quibus expreſſe in hac cauſa derogavit, & ita ſervari mandavit. Hac die XXX Octobris MDCLXIX.

M. Epiſc. Portuenſis Card. Ginettus.

Loco ✱ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congreg. Secr.

1. *Roſa.*) Conſulenda Conſtitutio *IX.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXX.*

Limana, Extenſio conceſſionis Officii, & Miſſæ B. Roſæ (1) de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici pro Univerſo Clero Hiſpaniarum.

Anno 1669 Die 30 Octobris. XLIX.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

OFficium, & Miſſam Beatę Roſę de Sancta Maria Ordinis Sancti Dominici jam a Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente IX conceſſum ſub die XIV Septembris MDCLXVIII univerſo Clero, tam ſeculari, quam regulari quarumcunque Provinciarum, & Regionum Americę, & Indiarum ſub ritu duplici juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani ſingulis annis die XXVI Auguſti, nunc idem Sanctiſſimus ad preces Excellentiſſimi Domini Marchionis de Aſtorga Catholicę Majeſtatis Oratoris prędictum Indul-

Indultum extendendo conceſſit, ut recitari poſſit perpetuo ab univerſo Hiſpaniarum Clero, tam ſeculari, quam regulari, quibuſcunque in contrarium non obſtantibus. Hac die XXX Octobris MDCLXIX.

M. Epiſcopus Portuen. Cardinalis Ginettus.

Loco † Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Roſa.*) Conſulenda Conſtitutio *IX.*
2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar authenticum, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXX.*

Anno 1669 Die 23 Novembris.

L.

Indulgentia (1) pro Generali Capitulo conceſſa.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. IX.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, Capitulum Generale univerſi Ordinis Fratrum Prędicatorum in Domo Regulari S. Marię ſupra Minervam nuncupata ejuſdem Ordinis de Urbe in feſto Pentecoſtes anni MDCLXX, benedicente Domino, celebrandum ſit, Nos ut Chriſti fideles ad Eccleſias ejuſdem Ordinis viſitandas, & alia opera pia exercenda promptiores reddantur, quo ex hoc dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos; de Omnipotentis Dei, miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui in Circumciſionis Domini Noſtri, Pentecoſtes, & Annunciationis B. M. Virginis immaculatę proxime futuris feſtivitatibus, ac in earum ſingulis Feriis Octavarum, Eccleſias, loca, & domos Fratrum dicti Ordinis ubicunque exiſtentes devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die prędictorum id egerint, plenariam. In feſto autem Pentecoſtes, ac ſingulis diebus actualis celebrationis dicti Capituli Eccleſiam S. Marię ſupra Minervam hujuſmodi etiam devote viſitaverint, & ut pręfertur oraverint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam miſericorditer in Domino concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcunque. Pręſentibus poſt celebrationem dicti Capituli minime valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium, aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint eo ipſo; quodque pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Novembris MDCLXIX, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. G. Sluſius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar authenticum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXIX.*

Anno 1669 Die 2 Decembris.

LI.

B. Roſæ (1) Confraternitas Indulgentiis ornatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. IX.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, in Eccleſia S. Dominici Fratrum Ordinis Prędicatorum Civitatis Platen. in Indiis, una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas Beatę Roſę de Sancta Maria de Lima nuncupata, non tantum pro hominibus unius ſpecialis artis canonice erecta, ſeu erigenda exiſtat, cujus Confratres, & conſorores quamplurima pietatis, & caritatis opera exercere conſueverunt: Nos, ut Confraternitas hujuſmodi majora in dies ſuſcipiat incrementa, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui dictam Confraternitatem in poſterum ingredientur, die primo eorum ingreſſus, ſi vere pęnitentes, & confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſumpſerint, Plenariam, ac eiſdem tam deſcriptis, quam pro tempore deſcribendis in dicta Confraternitate Confratribus, & Conſororibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi vere pęnitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti, nomen Jeſu ore ſi potuerint, ſin minus corde devote invocaverint, etiam Plenariam, ac eiſdem nunc, & pro tempore exiſtentibus dictę Confraternitatis Confratribus, & Conſororibus, etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui prędictę Confraternitatis Eccleſiam, ſeu Capellam, vel Oratorium die feſto principali dictę Confraternitatis per Confratres ſemel tamen eligen., & ab Ordinario approban. a primis veſperis uſque ad occa-

occaſum ſolis feſti hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint; Plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus: Inſuper dictis Confratribus, & Conſororibus, etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, Eccleſiam, ſeu Capellam, vel Oratorium hujuſmodi, in aliis quatuor anni feriatis, vel non feriatis, ſeu dominicis diebus per eoſdem Confratres etiam ſemel tantum eligen., & ab eodem Ordinario, ut ſupra viſitantibus,& ibidem orantibus,quo die prędictorum id egerint ſeptem annos, & totidem quadragenas. Quoties vero Miſſis, & aliis divinis Officiis in Eccleſia, ſeu Capella, vel Oratorio hujuſmodi pro tempore celebran., & recitan., ſeu Congregationibus publicis, vel privatis ejuſdem Confraternitatis ubivis facien. interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procuraverint, vel etiam qui corpora defunctorum, tam Confratrum, & Conſororum hujuſmodi, quam aliorum ad ſepulturam aſſociaverint, aut quaſcunque proceſſiones de licentia Ordinarii facien., Sanctiſſimumque Euchariſtię Sacramentum tam in proceſſionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicunque, & quomodocunque pro tempore deferetur comitati fuerint, aut ſi impediti Campanę ad id ſigno dato ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies orationem, & Salutationem eaſdem pro animabus Confratrum, & Conſororum hujuſmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes pręcepta Dei, & ea, quę ad ſalutem ſunt docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet prędictorum operum exercitio, ſexaginta dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod ſi alias dictis Confratribus, & Conſororibus pręmiſſa peragen. aliqua alia indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit, pręſentes nullę ſint utque ſi dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam ſit, vel in poſterum aggregetur, vel quavis alia ratione uniatur, aut etiam quomodolibet inſtituatur, priores, & quęvis alię literę Apoſtolicę illis nullatenus ſuffragentur, ſed ex tunc eo ipſo nullę ſint. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die II Decembris MDCLXIX, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. G. Sluſius.

1. *Roſa.*) Conſulenda Conſtitutio *IX.* Legitur *pag.* 233. 2. *Archivo.*) In quo autographum.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Clemente IX. Summo Pontifice, promotos exhibens.

ARCHIEPISCOPI.

F. Matthæus de Avanic, Armenus, Archiepiſcopus Naſcivanen., *Naſſivan.*, in Armenia. *Cavalerius Tomo I pag.* 637 *num.CLVII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 31 *Indicis Epiſcoporum.* Diſtinguendus iſte a *Matthæo Avenicen.*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Eugenii IV ad annum MCCCCXXXVIII.* Anno 1668.

F. Johannes Lopez, ex Epiſcopo *Villæ Jeſu*, ut in *Appendice ad Pontificatum Alexandri VII* dictum fuit, Archiepiſcopus Manilianus, in Philippinis. *Cavalerius Tomo I pag.* 631 *num.CXLV*, *ex Sonegio.* Anno circiter 1669.

EPISCOPI.

F. Johannes Carolus Baldovinettus, nobilis Florentinus, Epiſcopus Burgi S. Sepulcri, *Borgo San Sepolcro*, in Italia, ſub Archiepiſcopo Florentino. *Cavalerius Tomo I Italiæ Sacræ pag.*633 *num.CXLVIII*, *ex Actis Conſiſtorialibus, & Fontana de Romana Provincia.* Anno 1667.

F. Vincentius Margarit, Catalanus, Epiſcopus Elenenſis, ſeu Perpinianenſis, in Comitatu Ruſcinonenſi, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. *Cavalerius Tomo I pag.*628 *num.CXLII*, *ex Actis Conſiſtorialibus*, *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 25 *Indicis Epiſcoporum.* Anno 1668.

Anno 1668. F. Thomas Aquaviva de Aragona, ex ejuſdem nominis nobiliſſima gente, Neapolitanus, Epiſcopus Bituntinus, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Cavalerius Tomo I pag.636 num. CLIV, ex Actis Conſiſtorialibus. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXII pag.* 644.

Anno 1668. F. Nicolaus Lepori, Epiſcopus Salutienſis, *Saluzzo*, in Pedemontio, immediate ſub S. Sede. *Cavalerius Tomo I pag.* 648 *num. CLXXIV*, *ex Actis Conſiſtorialibus. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXXVI pag.* 710.

Anno circiter 1669. F. Vincentius Maſſia, Epiſcopus Pactenſis, in Regno Siciliæ, ſub Archiepiſcopo Meſſanenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 631 *num. CXLVI*, ex variis auctoribus, quos laudat.

Anno 1669. F. Hyacinthus Truchius, patricius Savilianen., Epiſcopus Eporedienſis, *Ivrea*, in Pedemontio, ſub Archiepiſcopo Taurinen. *Vghellus in Epiſcopis Eporedien. Tomo IV Italiæ Sacræ pag.* 1078 *edition. Venetæ. Cavalerius Tomo I pag. 666 num. CXCI, ex Actis Conſiſtorialibus.*

LEGATUS.

Anno 1668. F. Matthæus de Avanic, Archiepiſcopus *Naſcivanenſis*, ut in hac *Appendice* videre eſt, Legatus in Perſidem miſſus. *Cavalerius* ſupra laudatus,

CLE-

CLEMENS X.

Æmilius de Alteriis Romanus, electus eſt die XXIX Aprilis MDCLXX. Coronatus fuit eodem Anno die XI Maii. Obiit die XXII Julii MDCLXXVI. Sedit Annos VI, Menſes II, Dies XXIV.

De ceterorum Conventuum Fratribus aſcribendis (1) in album Neapolitan. Collegii S. Thomæ.

Anno 1670 Die 19 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum.

CLEMENS PP. X.

1.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper pro parte dilectorum filiorum in Collegio S. Thomę civitatis Neapolitan. degentium Provincię Regni Neapolitan. Ordinis Prędicatorum Nobis expoſitum fuit, quod dudum felicis recordationis Urbanus Papa VIII Prędeceſſor noſter ſupplicationibus tunc exiſtentium filiorum dicti Collegii ſuper hoc ſibi humiliter porrectis inclinatus, quod de cetero affiliationes, & translationes filiorum aliorum Conventuum dicti Ordinis ad dictum Collegium S. Thomę, nullo ſub prętextu, colore, vel ingenio fieri poſſent, ac ſi quando per Sedem Apoſtolicam contra formam cujuſdam Conſtitutionis, ſeu Ordinationis recolendę memorię Clementis Papę VIII Prędeceſſoris pariter noſtri, fierent, & deſuper diſpenſari contingeret, illę non valerent, nullumque effectum ſortiri deberent, niſi de conſenſu omnium, & ſingulorum filiorum, vel eorum majoris partis tam pręſentium, quam abſentium Collegii hujuſmodi in eadem civitate exiſtentium, ad diem, & horam determinatas, & poſtmodum capitulariter congregatorum, nemine prorſus excepto, per ſecreta ſuffragia, ut moris eſt, pręſtando; affiliationes vero ſecus factę nullę, & irritę eſſent Apoſtolica auctoritate decrevit, & alias, prout in ipſius Urbani Prędeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis die XXIV Februarii MDCXLIV expeditis uberius dicitur contineri: Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, filii dicti Collegii S. Thomę, partim morte, & partim ad alios Conventus translatione omnino defeciſſe de pręſenti reperiantur; in ipſo vero Collegio perpetuos filios degere, qui ejus rerum curam gerant, ſed aliorum Fratrum in filios Collegii hujuſmodi cooptatio, ſeu affiliatio propter defectum filiorum ipſius Collegii, qui eos cooptent, ſeu illorum affiliationi juxta prędictarum Urbani prędeceſſoris literarum continentiam, fieri de pręſenti nequeat; Nobis propterea dicti exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſpecialem ipſis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi aliquot Fratres, expreſſe profeſſos Provincię Regni Neapolitani, & Ordinis pręfatorum eo numero, qui tibi competens, & opportunus videbitur, in filios memorati Collegii S. Thomę Neapolitan., prout expedire in Domino judicaveris, auctoritate noſtra Apoſtolica pro hac vice tantum cooptandi, eoſque ipſi Collegio affiliandi, & illius filios cum omnibus, & ſingulis juribus, pręeminentiis, pręrogativis, privilegiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, conſtituendi, & declarandi plenam, & amplam facultatem eadem auctoritate tenore pręſentium tribuimus, & impertimur. Non obſtantibus pręfatis Urbani Prędeceſſoris literis, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Collegii, & Provincię, ac Ordinis pręfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX Junii MDCLXX, Pontificatus noſtri Anno Primo.

J. G. Sluſius.

1. *Aſcribendis.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Re-

Anno 1670 Die 21 Junii.

Regularium privilegia (1) quoad prædicationem verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem declarantur.

II.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

SUperna magni Patris familias prędordinatione creditum Nobis univerſalis Eccleſię myſticum agrum circunſpecta providentia cuſtodire, atque excolere, quantum ex alto conceditur, ſatagentes, animum in eas curas libenter intendimus, quibus valeant diſſidia inter villicos, & operarios componi, jurgia tolli, ſcandalis, atque offenſionibus aditus pręcludi. Ut quibus una Fides, una Mater Eccleſia, & unus Dominus, qui caritas eſt, & pacis cogitans cogitationes, fiat etiam cor unum, atque anima una, ſic etenim evulſis opportune zizaniis, dum plantamus, & rigamus, incrementum dabit Deus. Quo benedicente meſſis multa fructu centeſimo cęleſte in horreum congregabitur. Sane cum Sacri Concilii Tridentini decretis provide ſtatutum fuerit, ut Regulares cujuſcunque Ordinis, niſi a ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prędicare non poſſint, cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis pręſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prędicare incipiant. In Eccleſiis vero, quę ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum etiam Epiſcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur. Sine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prędicare poſſint. Atque ut nullus ſecularis, ſive regularis etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum contradicente Epiſcopo prędicare pręſumat. Itidemque cum nullus Sacerdos Regularis poſſit confeſſiones ſecularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, niſi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quę gratis detur, obtineat, privilegiis, & conſuetudine quacunque non obſtantibus, innotuit Nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen, & approbationem ejuſmodi in aliquibus Dięceſibus excitatas fuiſſe, ex quibus controverſię, & diſſenſiones permultę in diem ſubſequi poſſent occaſione privilegiorum, quę per Sedem Apoſtolicam religioſis Ordinibus conceſſa fuerunt. Nos, attendentes, quod alias diverſis temporibus prędictę dubitationes, & controverſię nonnullis Prędeceſſorum noſtrorum Summorum Pontificum Conſtitutionibus, earumque declarationibus definitę fuerint, ejuſmodi definitiones in unum collectas, ut magis, magiſque diſſenſionum tollantur ſemina, & in poſterum firmior in agro Dominico pax Chriſti floreat, pro ſummo, quo fungimur Apoſtolatus officio novis Apoſtolicis literis muniendas duximus, & roborandas. Itaque de conſilio nonnullorum venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanę Curię Pręlatorum, pietate, doctrina, & prudentia pręſtantium, & matura deliberatione noſtra, atque ex certa ſcientia, hac generali, & perpetuo valitura Conſtitutione decernimus, ac declaramus. Regulares, qui in Eccleſiis ſui Ordinis prędicare voluerint, teneri ab Epiſcopo Dięceſano benedictionem petere. Prędicare tamen poſſe, quamvis illam non obtinuerint. Quod ſi Epiſcopus benedictionem nedum non conceſſerit, ſed etiam contradixerit, nec in prędictis quidam Eccleſiis licere Regularibus prędicare. Eoſque contravenientes ab illo tanquam Sedis Apoſtolicę Delegato, cenſuris, aliiſque pęnis eccleſiaſticis in vim Conſtitutionis felicis recordationis Gregorii XV Prędeceſſoris noſtri, incipientis: Inſcrutabili Dei providentia, coerceri, & puniri poſſe. Epiſcopum tamen abſque juſta, & rationabili cauſa contradicere non debere. Et hujuſmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, ſi in quibuſcunque Oratoriis ſui Ordinis ſermonem coram Populo, vel in Eccleſiis, aut ad crates Monaſteriorum Sanctimonialium eorum juriſdictioni ſubjectarum licet clauſis janius, & nullus ſecularis ibi interſit, habere voluerint. Poſſe autem Epiſcopum licentiam conceſſurum Regularibus in Eccleſiis, quę ſuorum Ordinum non ſunt, prędicare volentibus, illos quamvis ab Univerſitatibus, aut a Magiſtratibus laicis nominatos, etiamſi Epiſcopi Anteceſſores per tempus immemorabile hanc licentiam abſque examine concedere conſueverint, quoad doctrinam examinare, ſi ita ipſius arbitrio, quod moderatum, & diſcretum eſſe debet, viſum fuerit. Et licentiam prędicandi ſemel iiſdem conceſſam ob rationabiles cauſas licet occultas, prędicationem tamen concernentes, ſuſpendere. Non poſſe tamen Epiſcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Eccleſiis ſuorum Ordinum prędicent. Ad hęc Religioſos ab Epiſcopo ad Confeſſiones ſecularium in ſua Dięceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Dięceſi eas abſque Epiſcopi Dięceſani approbatione audire, quamvis pęnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, a quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Epiſcopo ad perſonarum ſecularium confeſſiones audiendas nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum. Sed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis confeſſionibus Monialium unius Monaſterii minime poſſe audire confeſſiones Monialium alterius Monaſterii. Itidemque Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe expleta deputatione in vim approbationis hujuſmodi illarum confeſſiones audire. Sed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit. Ceterum in Monaſteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta regularia inſtituta vivitur poſſe tam Pręlatos Regulares, quam Confeſſores Regularium eorundem Monaſteriorum, ſeu Collegiorum audire confeſſiones illorum ſecularium, qui inibi ſunt vere de familia, & continui commenſales, non autem illorum, qui tantum ipſis deſerviunt. Illos autem Religioſos, qui ad confeſſiones audiendas ido-

idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis, generaliter quoque, & indiſtincte abſque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis perſonarum in Dięceſi propria admittendos. Quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperientur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere. Semel autem ſimpliciter approbatos poſſe in Dięceſi Epiſcopi approbantis quovis anni tempore etiam Paſchali, & quorumcunque etiam infirmorum confeſſiones audire abſque ulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. De qua tamen confeſſione teneri dictos Religiſos eorundem infirmorum Parochum illico certiorem reddere. Et hoc poſſe illis ab Epiſcopo ſub pęna ſuſpenſionis a facultate audiendi confeſſiones pręcipi. Sufficere tamen, ut certioratio huiuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam apud ipſum infirmum relinquendam. Et eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis Paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quę incipit: Omnis utriuſque ſexus: quoad confeſſionem duntaxat ſatisfeciſſe cenſendos. Regulares vero ad ejuſmodi confeſſiones audiendas pręvio examine ſimpliciter, & abſque ulla temporis pręfinitione ab ipſomet Epiſcopo, ſecus autem ſi ab ejus Vicario, aut ab Anteceſſoribus Epiſcopis, approbatos non poſſe ab eodem, qui ſic approbavit, iterum examinari, aut ab eiſdem confeſſionibus audiendis ſuſpendi, ſeu licentias illis conceſſas revocari, niſi nova ſuperveniente cauſa, quę ipſas confeſſiones concernat. De qua tamen haud neceſſarium eſſe, ut in actis conſtet, nec eam tęneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare, ſed Sedi Apoſtolicę duntaxat, ubi eam ſibi aperiri poſtulaverit. Porro ſi Regulares cum ſcandalo, aut alias inhoneſte vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi judicio videantur a confeſſionibus ſuſpendendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam oneratam eſſe volumus, cum pręcipua Miniſtri Sacramenti pęnitentię qualitas ſit vitę integritas, ac morum honeſtas, utique eam cauſam ad confeſſionis Miniſterium pertinere, ac proinde nihil obſtare, quominus ob eam poſſit Epiſcopus Regulares a ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere a confeſſionibus audiendis. Attamen confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius Conventus Regularibus Confeſſoribus adimi ab Epiſcopo inconſulta Sede Apoſtolica nullatenus poſſe. Ex facultatibus per Mare Magnum, aliave privilegia Regularibus cujuſcunque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis etiam Jeſu conceſſis factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares a Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixiſſe privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apoſtolicis etiam decretis ſublata, atque extincta, ſi quę habebant, abſolvendi a caſibus Epiſcopo reſervatis. Et habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicę reſervatis, non ideo a caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere. Poſſe autem Regularem Confeſſorem in ea Dięceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Dięceſi a peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa, ubi idem Confeſſor eſt approbatus abſolvere, niſi eoſdem Pęnitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam Dięceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe. Vigore ſupradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam ſatisfacta parte abſolvere pęnitentes a cenſuris quoad externum, & judiciale forum, & abſolutos ab eis in foro Pęnitentiali, utique non cenſeri abſolutos in exteriori judicio, & contentioſo. Quinimmo cenſuris eccleſiaſticis irretitos, & denunciatos ab Epiſcopis cogi poſſe gerere ſe pro talibus etiam ſi a Regularibus fuerint abſoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apoſtolicis privilegiis coram Epiſcopo, ab eo judicetur ipſa non ſuffragari caſui, de quo agitur, ſi dictorum privilegiorum verba obſcura ſint, & ambigua, non eſſe ad Metropolitanum provocandum, ſed cum ejus ſit interpretari, cujus eſt condere, dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apoſtolicę judicio, prout alias Conſtitutione Prędeceſſoris noſtri felicis recordationis Clementis IV ſtatutum fuit, eſſe requirendum. Decernentes ſic, & non alias per quoſcunque Judices Ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Nuncios, & quoſvis alios ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, in favorem quarumcunque perſonarum, atque quorumvis Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium Militiarum etiam S. Johannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, etiam Jeſu, ac cujuſvis alterius Inſtituti neceſſario, & in individuo exprimendi, Monaſteriorum, Conventuum, Capitulorum, Eccleſiarum, & aliorum quorumcunque tam ſecularium, quam regularium locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam in corpore juris clauſis, aut ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, conſervatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Epiſcopi deferre minime teneantur, & quibuſvis aliis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita, obſervata, inſerti forent, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis quoad ea, quę eiſdem pręſentibus adverſantur, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ceterum

quia

quia difficile foret pręſentes literas ad ſingula quęque loca deferri, ut eę tamen omnibus innoteſcant, mandamus illas ad valvas Eccleſię Lateranenſis, & Baſilicę Principis Apoſtolorum de Urbe, atque Cancellarię Apoſtolicę, & in acie Campi Florę affigi, & publicari. Volentes, quod earundem pręſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu tamen alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Prę-lati, ſeu perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, in judicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quę ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum decreti, declarationis, derogationis, mandati, & voluntatatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Septuageſimo, Undecimo Kalendas Julii (3), Pontificatus noſtri Anno Primo.

G. Dat.

Viſa de Curia P. Ciampinus. J. G. Sluſius.

D. Ciampinus.

Anno a Nativitate D N. Jeſu Chriſti MDCLXX. Indictione VIII die vero II Menſis Auguſti, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis divina providentia PP. X anno ejus primo, pręſens Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Eccleſię Lateranen. Baſilicę Principis Apoſt., & Cancell. Apoſt., & in acie Campi Florę, locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Hilarium Centellum SS. D. N. Papę Curſ.

Petrus Marcheratus Mag. Curſ.

1. *Privilegia.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa. In *Bullario Romano* prioris editionis eſt *VII*: in noviſſimo autem *Romæ* anno *MDCCXXXIII* edito, eſt *X*. Legitur *pag.* 30.

3. *Julii.*) In *Bullario Romano* legitur *Junii*.

Anno 1670 Die 27 Junii.

Ne Provincia utriuſque Lombardiæ dividatur, cavet.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

III.

CLEMENS PP. X.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Militantis Eccleſię regimini, meritis licet imparibus, Divina diſpoſitione pręſidentes, Chriſti fidelium Altiſſimi obſequii ſub ſuavi Religionis jugo mancipatorum, quieti, & Religioſę tranquillitati libenter conſulimus, ſicut rationi conſentaneum eſſe in Domino arbitramur. Cum itaque, ſicut pro parte dilecti filii Vincentii Marię Groſſi (2) Prioris Provincialis Provincię utriuſque Lombardię Ordinis Fratrum Pręd icatorum, Nobis nuper expoſitum fuit, ejus in Provincialatus Provincię hujuſmodi officio prędeceſſores, ut ejuſdem Provincię unitatem tuerentur, varios labores, atque moleſtias ſubire coacti, eaque de cauſa nonnunquam a neceſſaria dictę Provincię viſitatione abſtracti fuerint; ipſe vero Vincentius Prior Provincialis, ut dictę Provincię quieti in perpetuum conſulatur, ſimilibuſque moleſtiis, & perturbationibus anſa pręcidatur, opportune a Nobis in pręmiſſis provideri, &, ut infra, indulgeri ſummopere deſideret, Nos, ejuſdem Vincentii Prioris Provincialis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere, volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, ſeu pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ut memorata Provincia utriuſque Provincię Lombardię in ea unitate, atque integritate, qua de pręſenti gaudet, in perpetuum conſervetur, nec ulli Conventus illi aggregati, & ab illa de pręſenti poſſeſſi in quibuſvis Statibus, Dominiis, & Ditionibus Italię conſiſtant, ab eadem Provincia, ſub quovis quęſito colore, pretextu, vel ingenio ſeparari, vel diſmembrari unquam poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes eaſdem pręſentes literas, ſemper, firmas, validas, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis, & Provincię, & Conventuum hujuſmodi, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Junii MDCLXX, Pontificatus noſtri Anno Primo.

J. G. Sluſius.

1. Ar-

1. *Archivo*.) In quo exemplar.

2. *Groſſi*.) Seu *de Groſſis*, cujus cum laude meminit *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXIV pag.657*.

De Fratribus ex aliis Conventibus transferendis (1) ad Neapolitan. S. Spiritus de Palatio.

Anno 1670 Die 11 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

IV.

CLEMENS PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Militantis Eccleſię regimini, meritis licet imparibus divina diſpoſitione pręſidentes Religioſorum virorum quieti libenter providemus, ſicut in Domino arbitramur rationi eſſe conſentaneum; Cum itaque, ſicut pro parte dilectorum filiorum Fratrum filiorum Conventus Sancti Spiritus de Palatio nuncupati Civitatis Neapolitanę Congregationis Sanctę Marię Sanitatis Ordinis Prędicatorum Nobis nuper expoſitum fuit, ipſi, ut incommodis, quę facile oriri poſſent, ſi aliorum Conventuum filii in dicto Conventu adfiliarentur mature occurratur, opportune a Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri ſummopere deſiderent; Nos ſpecialem ipſis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus, quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium tamen conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ut de cetero Fratres dicti Ordinis aliorum Conventuum filii in prędicto Conventu Sancti Spiritus de Palatio nuncupati adfiliari, ſeu ipſius Conventus filii creari nullo modo poſſint, niſi ad id duarum ex tribus partibus filiorum ejuſdem Conventus nunc, & pro tempore exiſtentium capitulariter, & per ſecreta ſuffragia pręſtandus expreſſus accedat aſſenſus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit atten- Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis ac Congregationis, & Conventus prędictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI Julii MDCLXX, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Transferendis*.) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.II.*

2. *Archivo*.) In quo exemplar authenticum.

Limana, Canonizationis B. Roſæ (1) de Sancta Maria Tertii Ordinis S. Dominici.

Anno 1670 Die 16 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

V.

Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens PP. X ad preces ſibi porrectas per Excellentiſſimum D. Marchionem de Aſtorga Regis Hiſpaniarum Oratorem, nomine ejuſdem Majeſtatis Catholicę, benigne annuit, & inhęrendo Decretis alias, & ſub die XXX Octobris MDCLXIX factis per Sanctę memorię Clementem IX, ſuum Prędeceſſorem, ad inſtantiam pręfati Oratoris, nomine, ut ſupra, ubi inter alia habetur, ut cauſa Canonizationis dictę B. Roſę, circa ea, quę ſupervenerunt poſt illius Beatificationem diſcuti, proſequi, & agi poſſit ſuper ipſius meritis uſque ad totalem determinationem in Congregatione ordinaria ſacrorum rituum, cum interventu Conſultorum, Sanctitas Sua dicta Decreta confirmavit, & mandavit, ut proponatur, & diſcutiatur dubium relevantię Proceſſuum ſuper dicta Cauſa noviſſime fabricatorum in Congregatione ordinaria particulari Sac. Rituum habenda coram Sanctitate Sua cum interventu Conſultorum, uſque ad finalem dictę cauſę concluſionem, non obſtantibus Decretis Sanctę Memorię Urbani VIII, ſtylo Sacri Palatii, aliiſque Conſtitutionibus Apoſtolicis in contrarium facientibus, quibus expreſſe in hac cauſa derogavit. Hac die XVI Julii MDCLXX.

M. Epiſcopus Portuen. Cardinalis Ginettus.

Loco † ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rituum Cong. Secr.

1. *Roſæ*.) Conſulenda Conſtitutio XXI. *Bull. O.P. Tom.VI.*

2. *Archivo*.) In quo exemplar.

Ut li-

Anno 1670 Die 25 Julii.

Ut licet F. Petrus Maria Paſſerinus (1) lectoris munus non obeat., Collegii tamen Sapientiæ Lecturæ S. Theologiæ ſtipendio fruatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Petro Mariç Paſſerino Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori.

VI.

C L E M E N S PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAcrarum literarum ſcientia, religionis zelus, vitç probitas, aliaque ſingularia virtutum merita, quibus te multipliciter inſignitum eſſe novimus, Nos adducunt, ut commodis tuis paterna benignitate libentiſſime conſulamus. Cum itaque, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, tu qui, ut aſſeris, Procurator Generalis Ordinis Prędicatorum exiſtis, & Lecturam Sacrç Theologię officio Procuratoris Generalis hujuſmodi annexam, horis matutinis in Collegio Sapientię nuncupato almę Urbis noſtrę a novemdecim annis, vel circiter, exerces, ac interea octo tomos de diverſis materiis Theologicis, & ſacrorum canonum tractantes in lucem ad publicam utilitatem dediſti, in ſeptuaginta trium annorum nuper completorum ętate conſtitutus, & podagrę obnoxius ſis, fierique poſſit, ut propter ſenectutis, atque infirmitatis hujuſmodi incommoda lecturam prçfatam, cujus ratione ſtipendium annuum centum, & decem ſcutorum monetę percipis, continuare nequeas, ac etiam prçfatum Procuratoris Generalis officium dimittas, cupiaſque propterea opportune tibi in prçmiſſis a Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri: Nos congruam ętatis, ac ſtudioſorum laborum, & meritorum tuorum rationem habere, teque ſpecialis favore gratię proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum prçſentium duntaxat conſequen., harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus tuo nomine ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, ut deinceps quoad vixeris in collegio prçfato legere, ſeu docere minime tenearis, & nihilominus etiamſi te officium Procuratoris Generalis hujuſmodi dimittere contigerit, omnia, & ſingula memoratç lecturç ſtipendia, ſeu honoraria, proventus, obventiones, & emolumenta quçcunque percipere, exigere, levare, ac in tuos uſus, & utilitatem, convertere libere, & licite poſſis, & valeas in omnibus, & per omnia perinde ac ſi lecturam hujuſmodi in eodem collegio vere, & actu ipſo aſſidue obires, & exerceres, dictumque Procuratoris generalis officium, cui eadem lectura, ut putatur, annexa eſt, vita tua durante retineres, auctoritate Apoſtolica tenore prçſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes eaſdem prçſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac tibi in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in prçmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prçmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, & Collegii prçfatorum, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prçmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores prçſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prçmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romç apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXV Julii MDCLXX, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Nota.

J. G. Sluſius.

1. *Paſſerinus.*) De quo dictum fuit. 2. *Archivo.*) In quo autographum.

Anno 1670 Die 26 Julii.

De Officio S. Petri (1) Martyris ritu duplici recitando.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VII.

U R B I S, E T O R B I S.

SAnctiſſimus D. N. Clemens X ad preces ſibi porrectas per Eminentiſſimum D. Cardinalem Barberinum Decanum nomine Congregationis Sanctiſſimç Inquiſitionis benigne indulſit, ut in poſterum Officium S. Petri Martyris Ordinis Prędicatorum, quod hactenus ſub ritu ſemiduplici ab Eccleſia Univerſali recitatum eſt, ſub ritu duplici recitetur, & ſub eodem ritu in Breviario apponatur, ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur tum Secularibus, tum Regularibus utriuſque ſexus de prçcepto recitandum die XXIX Aprilis, & ita ſervari mandavit. Die XXVI Julii MDCLXX.

M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ginettus.
Loco † Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Pe-*

1. *Petri.*) Legenda Conſtitutio *CCXCVII Innocentii IV.* Legitur *Tomo I hujuſce Bullarii pag.*228.

2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria authentica, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXX.*

Limana, Canonizationis B.Roſæ (1) de S. Maria Tertii Ordinis S. Dominici.

Anno 1670 Die 26 Julii. VIII.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

PRopoſito in Sacra Rituum Congregatione, juxta diſpenſationem Apoſtolicam per Eminentiſſimum D. Cardinalem Azzolinum dubio; An conſtet de validitate noviſſimi Proceſſus Sueſſani fabricati ſuper iis, nedum quę ſupervenerunt, verum etiam, quatenus opus foret, quę pręceſſerunt Beatificationem dictę B. Roſę; Et teſtes ſint in eo rite, & recte examinati. Eadem Sac. Congregatio cenſuit conſtare de validitate dicti Proceſſus, & Teſtes fuiſſe in eo, rite, & recte examinatos, ſi Sanctiſſimo viſum fuerit. Hac die XIX Julii MDCLXX. Et facta de prędictis Sanctiſſimo relatione per me Secretarium Sanctitas Sua benigne annuit. Die XXVI ejuſdem Menſis Julii MDCLXX.

M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ginettus.

Loco ✝ ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Cong. Rit. Secr.

1. *Roſæ.*) Conſulenda Conſtitutio *XXI.*

2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar.

De Officio B. Roſæ (1) in Poloniæ regno recitando.

Anno 1670 Die 26 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

POLONA. IX.

ALias felicis recordationis Clemens Papa IX, ſub data XIV Septembris anno MDCLXVIII conceſſit univerſo Americę, & Indiarum Clero tam Seculari, tam Regulari utriuſque ſexus cujuſcunque Provincię, ſeu diſtrictus, quod perpetuis futuris temporibus die XXVI Auguſti quotannis ſub ritu duplici recitetur Officium, & Miſſa celebretur de B. Roſa a S. Maria Limenſi Virgine Tertię Regulę S. Dominici juxta rubricas Breviarii, & reſpective Miſſalis Romani. Anno deinde ſequente MDCLXIX die XXX Octobris idem Pontifex hoc ſuum Indultum benigne extendit in perpetuum ad Univerſum Secularem pariter, ac regularem Clerum Hiſpaniarum. Denique poſt acceptam notitiam quod pręmemorata Virgo Roſa jam omnium ubique Populorum ſolemni plauſu devotiſſime honorata, utrumque tam veterem, quam novum Orbem in dies odoris ſui fragrantia, magis, magiſque implebat, idem Sanctiſſimus hoc ipſum Indultum clementer ampliando die IX Novembris ejuſdem anni MDCLXIX univerſo Seculari, & Regulari Clero utriuſque ſexus in omnibus Auguſtiſſimo Imperatori, Regi Catholico, Domuique Auſtriacę ſubjectis Regionibus, Provinciis, Regnis, atque dominiis ubivis Locorum conſtituto paterne conceſſit, ut ſupra, quod nempe ſingulis annis Die XXVI Auguſti perpetuis futuris temporibus ſub pręfato ritu duplici recitetur Officium, & celebretur Miſſa de eadem B. Roſa. Porro Sanctiſſimus D. N. Papa Clemens X, habita pariter notitia communis illius devotionis, qua totius Regni Polonię, Magni Ducatus Lithuanię, Ditionum Ruſſię, atque Boruſſię, aliarumque dictę Coronę ſubditarum regionum fideles venerationi ejuſdem B. Roſę afficiuntur inſtantiis Eminentiſſimi D. Cardinalis Urſini (3) exoratus, illud ipſum Prędeceſſoris ſui Indultum benigniſſime extendit ad univerſum pariter utriuſque ſexus, tam Secularem, quam Regularem Clerum, Polonię, Lithuanię, Ruſſię, Boruſſię, ceterorumque Dominiorum ad Polonię Coronam pertinentium, concedens eidem univerſaliter, & in perpetuum, quod quotannis die XXVI Auguſti ſub ritu duplici peragat Officium, & Miſſam de B. Roſa a S. Maria, juxta rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani, quibuſcunque in contrarium non obſtantibus. Hac die XXVI Julii MDCLXX.

M. Epiſcopus Portuenſis Card. Ginettus.

Loco ✝ ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Sec.

1. *Roſæ.*) Conſulenda Conſtitutio *XXI.*

2. *Archivo.*) In quo autographum. In *Bullario Romano* prioris editionis eſt *IX*: in editione vero poſteriore anno *MDCCXXXIII Romæ* vulgata eſt *XVII.* Legitur *pag.*38.

3. *Urſini.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

Anno 1670 Die 11 Auguſti.

X.

Extenſio Officii B. Roſæ (1) de S. Maria pro omnibus Hiſpaniarum Regnis, necnon pro toto Imperio, & dominio Auſtriaco.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. X.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

QUę a Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris ad augendam in terris venerationem Sacrarum Virginum, quas cęleſtis Sponſus virtutum omnium ſplendore fulgentes ad ęternę beatitudinis nuptias evexit, recte, atque ordine facta eſſe noſcuntur, ea Nos paſtoralis caritatis ſtudio libenter ampliamus, ſicut pia orthodoxorum Regum vota flagitant, & Nos re mature perpenſa Dei glorię, ipſarumque Sacrarum Virginum honori, & ſpirituali fidelium ędificationi conducibile fore in Domino arbitramur. Alias ſiquidem emanarunt a felicis recordationis Clemente PP. IX Prędeceſſore noſtro literę in ſimili forma Brevis tenoris, qui ſequitur, videlicet: Clemens Papa IX. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Redemptoris, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui Sacras Virgines, Sponſas ſuas floribus multipliciter virtutum decoratas &c. (3) Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV Septembris MDCLXVIII, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Cum autem, ſicut prędictus Marchio de Aſtorga dicti Caroli Regis pariter apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Orator, memoratorum Caroli (4) Regis, & Mariannę Reginę Viduę nomine Nobis nuper exponi fecit, prędicta Roſa de Sancta Maria jam omnium ubique populorum ſolemni plauſu devotiſſime honorata, utrumque tam veterem, quam novum orbem ſui odoris fragrantia in dies magis, magiſque impleat, cupiantque propterea dictus Carolus Rex, & Marianna Regina pro ſingulari eorum erga eandem B. Roſam devotione, indultum a prędicto Prędeceſſore per literas pręinſertas conceſſum ad confovendam, promovendamque fidelium pietatem opportune a Nobis extendi, & ampliari. Nos enixis, devotiſque eorundem Caroli Regis, & Mariannę Reginę precibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis paterna benignitate annuentes, ac memorati Clementis Prędeceſſoris veſtigiis inhęrentes, ut de cetero perpetuis futuris temporibus ab univerſo Clero tam ſeculari, quam regulari utriuſque ſexus per omnes Provincias, Regna, Status, Regiones, & Dominia ubivis locorum dictis Carolo Regi, & cariſſimo in Chriſto filio noſtro Leopoldo (5) Romanorum Regi illuſtri in Imperatorem electo, domuique Auſtriacę ſubjecta Officium, & Miſſa de Beata Roſa Virgine Limana Ordinis S. Dominici quotannis die XXVI (6) Auguſti ſub ritu duplici, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani, recitari, & celebrari reſpective libere pariter, & licite valeat, auctoritate prędicta, tenore pręſentium concedimus ſimiliter, & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quę dictus Clemens Prędeceſſor in ſuis literis prędictis conceſſit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ceterum volumus pariter, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quę ipſis pręſentibus haberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI Auguſti MDCLXX, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Roſæ.*) Conſulenda Conſtitutio *IX Clementis IX.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar. In *Bullario Romano* prioris editionis eſt *IX*, in editione poſteriore eſt *XIX*.
3. *Decoratas &c.*) Ut in Conſtitutione *XVII Clementis IX* ad finem uſque. Legitur *pag. 237.*
4. *Caroli.*) Hujus nominis *II* Regis *Hiſpaniarum*.
5. *Leopoldo.*) Hujuſce nominis *I*. Patrem *Ferdinandum*, matrem habuit *Mariam Auſtriacam*.
6. *XXVI.*) Ejuſdem Menſis die *XXX* feſtum *S. Roſæ* celebratur in Ordine Prædicatorum.

Anno 1670 Die 11 Auguſti.

XI.

B. Roſam (1) totius Americæ, Philippinarum, & Indiarum Patronam principaliorem declarat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. X.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

SAcroſancti Apoſtolatus cura, quam inſcrutabilis divinę ſapientię, atque bonitatis altitudo humilitati noſtrę, meritis licet, & viribus longe imparibus, imponere dignata eſt, Nos urget, ut piis orthodoxorum Regum votis, ad augendam in terris Sacrarum Virginum cum cęleſti Sponſo in beata ęternitate regnantium venerationem tendentibus, favorabilem aſſenſum paterno affectu prębeamus. Alias ſiquidem felicis recordationis Clemens PP. IX, Prędeceſſor noſter, Beatam Roſam de Sancta Maria Virginem Limanam Tertii Ordinis S. Dominici in Patronam principaliorem Civitatis Regum, ſeu Limanę, totiuſque Regni Peruani, cum omnibus prerogativis, quę Patronis principalioribus debentur, auctoritate Apoſtolica elegit, & declaravit, & alias prout uberius continetur in ipſius Clementis Prędeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis expeditis, tenoris, qui ſequitur, videlicet: Clemens Papa

Papa IX. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Orthodoxorum Regum de Eccleſia Dei multis nominibus optime meritorum ſtudia &c. (3) Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die II Januarii MDCLXIX, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Cum autem, ſicut prędictus Marchio de Aſtorga dicti Caroli Regis pariter apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Orator, eorundem Caroli Regis, & Mariannę Reginę Viduę nomine Nobis nuper exponi fecit, ipſi Carolus Rex, & Marianna Regina fovendę, & propagandę fidelium, erga eandem Beatam Roſam devotioni laudabili pietate ſtudentes, prę inſertas Clementis Prędeceſſoris literas ad univerſę Americę, & Indiarum loca a Nobis extendi plurimum deſiderent, Nos glorioſę Beatę Roſę prędictę, quę Eccleſiam univerſam bono Chriſti odore longe, lateque perfundit, merita magno cum ſpirituali animi noſtri gaudio recolentes, piiſque, & devotis dictorum Caroli Regis, & Mariannę Reginę ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, favorabiliter annuere cupientes, ac memorati Clementis Prędeceſſoris veſtigiis inhęrentes, eandem Beatam Roſam de Sancta Maria in univerſam, & principaliorem Patronam omnium, & ſingularum Provinciarum, Regnorum, Inſularum, & Regionum, Terrę Firmę totius Americę, Philippinarum, & Indiarum, cum eiſdem prerogativis, dicta auctoritate, tenore pręſentium eligimus, pariter, & declaramus. Ipſius Beatę Roſę feſtum ibidem tanquam de Patrona principaliori ab omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus illic degentibus de pręcepto ſervari, & ſicut alia feſta de pręcepto celebrari, ejuſque Officium, & Miſſam ibidem ab univerſo Clero, tam ſeculari, quam regulari de principaliori patrona, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani, recitari, & celebrari eadem auctoritate, harum ſerie ſimiliter mandamus, firmis tamen ſimul remanentibus particularibus patronis, ſi qui ſint pro aliqua, vel aliquibus Civitatibus, aut locis prędictarum Regionum alias legitime conſtitutis. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quę prędictus Clemens Prędeceſſor in ſuis literis prę inſertis conceſſit, non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ceterum volumus pariter, ut ipſarum pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quę haberetur eiſdem pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI Auguſti MDCLXX, Pontificatus noſtri Anno Primo.

J. G. Sluſius.

1. *Roſam.*) Conſulenda Conſtitutio *XXII Clementis IX.*
2. *Archivo.*) In quo autographum. In *Bullario Romano* prioris editionis eſt *X*, in editione poſteriore eſt *XX*. Legitur *pag.* 41.
3. *Studia &c.*) Ut in Conſtitutione *XXII Clementis IX* ad finem uſque. Legitur *pag.* 241.

B. Roſæ (1) de S. Maria Virginis Limenſis Tertii Ordinis S. Dominici.

Anno 1670 Die 27 Auguſti.

XII.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

URBIS, ET ORBIS.

CReſcente in dies mirabili Populorum devotione erga Beatam Roſam de S. Maria Virginem Limenſem ex Tertio Ordine S. Dominici, ac virtutum illius fragrantia ſe ſe latius quaquaverſus diffundente, Sanctiſſimus D. N. Clemens Papa X admiſſis Excellentiſſimi D. Oratoris Marchionis de Aſtorga inſtantiis ex nomine Catholicę Majeſtatis ſibi porrectis, univerſo tam ſeculari, quam regulari Clero per totum Terrarum Orbem benigne indulſit pro futuris perpetuis temporibus, quod de prędicta B. Roſa poſſit ubique in Eccleſiis quorumcunque tum regularium, tum ſecularium celebrare Miſſam, per anni circulum ſive ex voto, ſive ex libera devotione juxta Rubricas, ac diſpoſitionem Miſſalis Romani, tametſi nondum prędicta B. Roſa ſolemni Canonizationis ritu fuerit ab univerſali Eccleſia inter Sanctas relata. Et ad hunc effectum ſpecialiter diſpenſavit in decretis tum felicis recordationis Urbani VIII, tum Sac. Congregationis Rituum, & quibuſcunque aliis huic Indulto quomodocunque obſtantibus. Hac die XXVII Auguſti MDCLXX.

M. Epiſcopus Portuenſis Card. Ginettus.

Loco † ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Roſa.*) Conſulenda Conſtitutio *XXI.*
2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXX*. In *Bullario Romano* eſt *IX.*

Colonien., Beati Alberti (1) Magni Ordinis Prædicatorum.

Anno 1670 Die 27 Auguſti.

XIII.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

FElicis recordationis Urbanus Papa VIII ſuorum Prędeceſſorum Summorum Pontificum inſiſtens veſtigiis, ac indultis, quibus annuum feſtum Beati Alberti Magni ex Ordine Prędicatorum Ratisbonenſis Epiſcopi ſucceſſive Colonię, Ratisbonę, ac demum Lavinghę cum Officio Chori, Miſſarumque ſolemniis celebrari conceſſerant, attentis B. viri in Eccleſiam pręclaris meritis, demum anno MDCXXXV ad fovendam, augendamque fidelium devotionem extendit hanc gratiam, concedens Ordini S. Dominici

per

per univerſam Germaniam, ut illic anniverſario ritu celebrare poſſet feſtum pręmemoratum. Exinde felicis itidem memorię Alexander Papa VII inſtante Sereniſſima Venetiarum Republica id ipſum pręfato Ordini indulſit per omnia dictę Sereniſſimę Reipublicę dominia. Tandem Sanctiſſimus D. N. Clemens Papa X ſupplicante pręnominati Ordinis hodierno Magiſtro Generali benigne annuit, quod deinceps in toto Prędicatorum Ordine ſub die XV Novembris quotannis, atque perpetuis futuris temporibus ab utroque ſexu privatim, & publice in Choro Officium de Beato Alberto Magno cum Miſſa de Confeſſore Pontifice ſub ritu ſolemni peragatur, non obſtantibus in contrarium quibuſcunque. Hac die XXVII Auguſti MDCLXX.

M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong Secr.

1. *Alberti.*) Conſulenda Conſtitutio *XI Gregorii XV.* Legitur *pag.* 14 hujuſce *V Tomi*.

2. *Archivo.*) In quo autographum, & varia exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXX*. Indulgentiam Plenariam die feſto *B. Alberti Magni* anno *MDCLXX* viſitantibu ædes ſacras Cœnobii *Minervitani* conceſſiſſe *Clementem X*, liquet ex autographo aſſervato in Archivo Ordinis.

Anno 1670 Die 23 Septembris.

XIV.

Limana, Canonizationis B. Roſæ (1) de S. Maria Virginis Limanæ Tertii Ordinis S. Dominici.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CUm alias, & ſub die XXX Octobris proxime pręteriti ſanctę memorię Clemens IX ad preces ſibi porrectas per Excellentiſſimum D. Marchionem de Aſtorga nomine Majeſtatis Catholicę annuerit in cauſa Canonizationis dictę B. Roſę circa ea, quę ſupervenerunt poſt indultam ejuſdem Beatificationem diſcuti, & agi poſſit ſuper illius meritis, uſque ad totalem determinationem in Congregatione ordinaria, Sac. Rituum cum interventu Conſultorum, non obſtantibus decretis ſanctę memorię Urbani VIII, quibus expreſſe in hac cauſa derogavit. Modo denuo facta inſtantia per Poſtulatorem prędictę cauſę Sanctiſſimo D. N D. Clementi Papę X pro hujuſmodi confirmatione, Sanctitas Sua benigne annuens, id confirmavit, & mandavit proponi dictam cauſam, ut ſupra, in Congregatione ordinaria Sac. Rituum, cum interventu Conſultorum, quibuſcunque in contrarium non obſtantibus. Hac die XXIII Septembris MDCLXX.

M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Roſa.*) Conſulenda Conſtitutio *XXI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXX*.

Anno 1670 Die 9 Octobris.

XV.

Ut S. Catharinæ (1) de Senis Officium celebretur ritu duplici.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBIS, ET ORBIS.

SAnctiſſimus D. N. Clemens X, attentis ſingularibus meritis, quibus Sancta Catharina de Senis Tertii Ordinis Sancti Dominici Virgo Sanctam Sedem Apoſtolicam ſibi obſtrinxit dum vivebat in terris, necnon eximia celebritate ſuę ſanctimonię, & qua exinde per univerſum Orbem colitur mirifica devotione, ad preces ſibi porrectas per F. Johannem Thomam de Roccaberti Magiſtrum Generalem Ordinis Prędicatorum benigne indulſit, & conſtituit, ut in poſterum annuale de pręnominata Sancta Virgine Officium, quod hactenus ſub ritu ſemiduplici ab Eccleſia univerſali fuit celebratum, deinceps ſub ritu duplici celebretur, & ſub eodem ritu in Breviaro apponatur, ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, tum ſecularibus, tum regularibus utriuſque ſexus de pręcepto recitandum die *XXX Aprilis*, & ita ſervari mandavit die IX Octobris MDCLXX.

M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Catharina.*) Conſulenda Conſtitutio *XXXVI Pii II.* Legitur *T. III* hujuſce *Bullarii pag.* 409.

2. *Archivo.*) In quo exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXX*.

Pro Canonizatione B. Roſæ (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Anno 1670 Die 9 Octobris.

XVI.

LIMANA.

POſt binos in Civitatibus Sueſſana, & Panormitana Proceſſus a Judicibus per Sacrorum Rituum Congregationem deputatis in vim Remiſſorialium ab eadem expeditarum confectos, alterumque Antuerpię, auctoritate ordinaria a loci Epiſcopo formatum, ac horum Proceſſuum relevantia in ordine ad ſolemnem Canonizationem Beatę Roſę de Sancta Maria Tertii Ordinis S Dominici Virginis Limanę diligenter penſiculata, & accurate diſcuſſa, ex mandato S.D.N. Clementis Papę X in dicta Sac, Rituum ordinaria Congregatione, cum interventu Conſultorum, ad relationem Eminentiſſimi D. Cardinalis Azzolini hujus cauſę Ponentis, pręmemorata Sac. Congregatio, unanimi voto cenſuit, ac declaravit, legitime conſtare de percrebreſcente fama ſanctitatis, ac patrationis Miraculorum, necnon de celebri devotione Populorum, ſupplicique fiducia, & pio recurſu erga hanc Beatam a tempore quo S. Sedes Apoſtolica eidem publicam indulſit in tota Dei Eccleſia venerationem: Itidem ex productis ibidem IX Miraculis, quatuor approbavit tanquam concludenter, plene, & irrefragabiliter comprobata, ac ſupra totius naturę creatę vires indubie conſtituta. Primum videlicet deſumptum ex proceſſu Sueſſano, pręſervationis a vicina morte Johannis Zelilli per quatuor menſes oppreſſi febri hectica tertię ſpeciei progreſſa in exquiſitum maraſmum cum pulmonis ulcere, tuſſi marcidum ſanguinem exſcreante, ac gutture pariter ulcerato, cui etiam ſupervenerat febris putrida, ac maligna, adeo quod ſuſceptis omnibus moribundorum Sacramentis, ad extremum redactus agonem, jacuerit abſque motu, & arteriarum pulſu, trium Medicorum voce jam proclamatus: qui demum B. Roſę auxilio implorato, ſumptoque ſepulcri ejuſdem pulvere in cochleari aqua reſoluto, confeſtim ſalutem cum priſtino vigore recuperavit. Secundum, pariter ex eodem proceſſu, Candidę Roſettę, Vexilliferi Aloyſii il ſecondo de Caruajal Hiſpani Uxoris, cui in partu fętus pręmortui conatus nimius pro emiſſione ſecundarum per triduum adhibitus, una cum illis extruſerat matricem, quę deinde frigefacta marmoris inſtar obdurata, nigra, viſuque horrida, pręgrandis, ac trium librarum pondere gravis, cum ingenti cruciatu per octennium ſic permanſit foris donec Beatę hujus, cui ſe impenſe commendavit, Imagine papyracea ventri ipſius applicita, ſtatim comperit, matricem in alvum ſibi rediiſſe, unde illico ſana, & robuſta lecto exſiliit, ac per domum pręgaudio viſa eſt ſaltitare. Septimum, quod primum fuit in proceſſu Panormitano, Fr. Seraphini Pugliſi ex Ordine B. Marię de Monte Carmelo, qui laborans febri maligna, ac decimo ſeptimo ſuę infirmitatis die derelictus a Medico aſſeverante moriturum noctis inſequentis hora quinta, vel ſexta, viſu, & loquela deſtitutus, ac in agone poſitus, ope hujus Beatę ex toto corde implorata, quę & ęgro per viſum apparuit, incontinenti ſanus, robuſtus, atque incolumis evaſit, compertuſque fuit. Octavum, quod in eodem Proceſſu Panormitano ſecundum erat, Angelę la Cibaſa, binis febribus tertianis continuis, ac malignis, cum dolore capitis, & ſtomachi, flatuumque copia per dies viginti ſeptem acriter cruciatę, oppreſſę a Medico proclamatę, morti proximę, jamque ſex horarum ſpatio in agonia conſtitutę, quę Matris hortatu Beatę hujus ope invocata, dein oleo ex lampade ante ejuſdem aram pendula deſumpto, uncta in collo, pectore, ac ſtomacho ſtatim atque incontinenti priſtinę ſaluti cum omnimoda recuperatione virium fuit reſtituta. Quibus probatis, & approbatis eadem Sac. Congregatio cenſuit, quandocunque placuerit Suę Sanctitati, poſſe tuto procedi, ac deveniri ad ſolemnem hujus B. Roſę Canonizationem juxta Ritum Sanctę Romanę Eccleſię, & Sac. Canonum diſpoſitionem, illamque diffiniri Sanctam cum Deo regnantem, & Univerſali Eccleſię colendam proponi, Die VII Octobris MDCLXX. Denique facta SS. D. N. ſupradictorum omnium, & ſingulorum relatione, atque audito deſuper R. P. D. Fidei Promotore, Sua Sanctitas ejuſdem Sacrę Congregationis ſenſum approbavit, prędictumque finale Decretum expediri mandavit, ad effectum ſolemnis Canonizationis dictę B. Roſę. Actum hac die IX pręſentis menſis, & Anni.

M. Epiſcopus Portuenſis Card. Ginettus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac, Rit, Cong. Secr.

1. *Roſa*.) Conſulenda Conſtitutio *XXI*.

2. *Archivo*.) In quo exemplar authenticum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXX*.

Anno 1671 Die 28 Januarii.

Indulgentia conceſſa Fratribus, Monialibus, Tertiariis Ordinis Prædicatorum, & Confratribus SS. Roſarii, & SS. Nominis Jeſu mentis orationi vacantibus.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XVII.

CLEMENS PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

AD ea, per quę animarum Chriſti fidelium ſalus procuratur, libenter intendimus, & eorundem Chriſti fidelium devotionem, ut ſpiritualibus exercitiis ferventius incumbant cęleſtium munerum elargitione libenter fovemus, & incitamus. Itaque de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Fratribus, & Monialibus Ordinis Prędicatorum, ac Tertiariis de militia Chriſti, ſeu de Pęnitentia nuncupat. & aliis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus Confratribus, & Consororibus Confraternitatum B. Marię Virginis de Roſario, & Sanctiſſimi Nominis Jeſu tam hactenus in Eccleſiis ejuſdem Ordinis canonice erectarum, quam in poſterum ubilibet erigendarum, qui per quadrantem horę orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies, qui per duos quadrantes continuatos, ſeptem annos de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus. Iis vero qui devotioni hujuſmodi per duos quadrantes continuatos, vel ſaltem per quadrantem horę ſingulis diebus, & per totum menſem dabunt operam, & vere pęnitentes, & confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſumpſerint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſemel quolibet menſe omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, quam per modum ſuffragii animabus Chriſti fidelium, quę Deo in caritate conjunctę ab hac luce migraverint applicari poſſint, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper quod dicti Fratres, & Moniales pro oratione mentali, ad quam ratione eorum Regulę, & Conſtitutionum quolibet die tenentur, prędictas omnes Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pęnitentiarum relaxationes proportionabiliter lucrari, & conſequi poſſint, & valeant, auctoritate, & tenore pręſentium indulgemus (2) In contrarium facien. non obſtantibus quibuſcunque. Pręſentibus ad ſeptennium tantum valituris. Volumus autem quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint. Quodque pręſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur preſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Januarii MDCLXXI, Pontificatus noſtri Anno Primo.

I. G. Sluſius.

1. *Archivo*.) In quo autographum, & exemplaria authentica, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXI*.

2. *Indulgemus*.) Idem conceſſum in ejuſdem tenoris Conſtitutionibus ab *Innocentio XI* die *XX* Decembris *MDCLXXIX* Pontificatus anno Quarto, & die *IV* Februarii *MDCLXXXIV* Pontificatus Anno Octavo. A *Clemente XI* die *XV* Martii *MDCCXVIII* Pontificatus Anno Decimo octavo. A *Benedicto XIII* die *XIX* Januarii *MDCCXXVI* Pontificatus Anno Secundo. Autographa, & exemplaria Romæ typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa reperiuntur in Archivo Ordinis.

Anno 1671 Die 16 Februarii.

Indulgentia pro Miſſa SS. Roſarii (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XVIII.

CLEMENS PP. X.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CÆleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſationem humilitati noſtrę commiſit Deus, fideli, prudentique liberalitate libenter erogamus, ſicut pia ſublimium perſonarum regali faſtigio, ac multiplici virtutum decore ſplendentium, eximiaque in Nos, & hanc Sanctam Sedem devotione conſpicuarum vota poſtulant, & Nos ad augendam, fovendamque fidelium pietatem profuturum in Domino arbitramur. Itaque piis, & devotis cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, ac cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Mariannę earundem Hiſpaniarum Reginę Catholicę Viduę ejus genitricis, nomine Nobis per dilectum filium nobilem virum Petrum de Aragonia Ducem Segorbię, & Cardonę Regni Neapolis Proregem, ac dicti Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Oratorem, ad pręſtandam Nobis ejuſdem Caroli Regis nomine obedientiam miſſum, humiliter porrectis ſupplicationibus paterno affectu annuere cupientes, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Sacerdotibus ſecularibus, vel regularibus, quibus Miſſam de Sanctiſſimo Roſario juxta Conſtitutiones, & Decreta dictę Sedis celebrare licet,

licet, Miſſam hujuſmodi de cetero celebraturis, necnon omnibus, & ſingulis Fratribus, & Monialibus, etiam Tertiariis Ordinis Prędicatorum, ſeu Sancti Dominici, ac Confratribus, & Consororibus quarumcunque Confraternitatum ejuſdem Sanctiſſimi Roſarii, tam hactenus erectarum, quam in futurum quandocunque erigendarum, & ubicunque locorum exiſtentium, qui vere pęnitentes, & confeſſi, vel ſaltem confitendi propoſitum habentes, Miſſę de Roſario hujuſmodi, ut pręfertur, celebrandę devote interfuerint, ibique pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua vice id egerint, ut omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pęnitentiarum relaxationes conſequantur, quas Confratres, & Consorores dictarum Confraternitatum totum Roſarium recitando ex conceſſione dictę Sedis conſequuntur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, & indulgemus. Pręterea omnibus, & ſingulis pręfatis, qui Miſſam de Roſario, ſicut pręmittitur, celebrare, vel audire conſueverint, ſi vere pęnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, ut pręfertur, oraverint, ut quolibet menſe eaſdem pariter Indulgentias, ac peccatorum remiſſiones, & pęnitentiarum relaxationes conſequantur, quas conſequuntur Confratres, & Consorores pręfatarum Confraternitatum, qui proceſſioni Sanctiſſimi Roſarii hujuſmodi prima Dominica cujuslibet menſis interſunt, utque omnes, & ſingulę Indulgentię, ac peccatorum remiſſiones, & pęnitentiarum relaxationes hujuſmodi animabus fidelium defunctorum, quę Deo in caritate conjunctę ab hac luce migraverint per modum ſuffragii applicari poſſint, auctoritate, & tenore pręfatis concedimus pariter, & indulgemus. Non obſtantibus noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę Regula de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides habeatur in judicio, & extra illud, quę ipſis pręſentibus haberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI Februarii MDCLXXI, Pontificatus noſtri Anno Primo.

J. G. Sluſius.

1. *Roſarii.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXI.* In *Bullario Romano* prior s editionis eſt *XXIX*, in editione poſteriore eſt *LIII.* Legitur *pag.* 90.

De Officio S. Raymundi (1) a Peñafort ab omnibus recitando.

Anno 1671 Die 23 Martii.

XIX.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

DUm nuper D. Dux Segorbię, & Cardonę Prorex Neapolitanus, atque ex nomine Catholicę Majeſtatis Regius Orator obedientię, Sanctiſſimo Domino Noſtro Clementi X reduxiſſet in memoriam pręclara merita Sancti Raymundi de Peñafort Confeſſoris non Pontificis Ordinis Prędicatorum, quibus hic olim Sanctam Sedem Apoſtolicam, & Univerſalem Eccleſiam affecit, una humiliter ſupplicavit, quatenus dignaretur mandare, quod pręnominati Sancti Confeſſoris Officium Breviario, ac Miſſali Romano inſeratur tanquam ex pręcepto deinceps ab univerſo Clero annue recitandum, ac celebrandum, proinde Sanctitas Sua ęquitatem hujus petitionis agnoſcens, & pie conſiderans, quam ſit Divino obſequio conſentaneum, devotionem erga hunc Sanctum adeo eximium ubique terrarum dilatari, clementer annuit, pręcepitque dictum officium, & Miſſam quotannis die XXIII menſis Januarii ſub ritu ſemiduplici cum nona Lectione, & commemoratione S. Emerentianę celebrari ab omnibus tum Secularibus, tum Regularibus, quotquot ad recitandas horas canonicas obligantur, atque ad hunc effectum pręfatam Miſſam, & Officium reſpective Miſſali, Breviario, & Martyrologio Romanis apponi, & pręſens Decretum expediri mandavit. Hac die XXIII Martii MDCLXXI.

Card. Antonius Barberinus Epiſcopus Pren.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congr. Sec.

1. *S. Raymundi.*) Conſulenda Conſtitutio *XC Clementis VIII.* Legitur *Tomo V hujuſce Bullarii pag.* 580.

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1671 Die 12 Aprilis.

Canonizatio S. Ludovici (1) Bertrandi.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XX. Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CÆli, Terręque Conditor ab ipſo mundi exordio uſque ad hęc noſtra tempora, in quibus ſeculorum fines deveniſſe creduntur, nuſquam per ſingulas ętates tanquam per horas diſtributas operarios in vineam ſuam mittere deſtitit, qui pondus diei, & ęſtus portantes, labore, ſudore, ac ſanguine illam irrigarent, & omnium cęleſtium virtutum, ac ęternę vitę fructibus germinare eam facerent, donec juxta divina ſcripturarum oracula ex omnibus gentibus, Tribubus, Populis, & linguis a ſolis ortus cardine, uſque ad terrarum limites, omnes ad cœnam Agni providi congregati in Regno cęleſti vinum noviſſimum biberent, quod Dei ſapientia electis ſuis miſcere conſuevit. In excolenda Sanctę Crucis vite omni cura potiſſimum inſudarunt in operibus diverſi, in veritate uniformes, ut etiam per Regna, & Provincias noſtris majoribus antea ignotas, ita innotuerit ejus virtus, ac vigor in totius orbis victoria, ipſiuſque de Mundi Principe triumphus, ut jam tremendum illud cunctis poteſtatibus nomen, quod eſt ſuper omne nomen ſibi jam barbaras nationes ſubegerit, & in nomine Jeſu omne genuflectatur, ac omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus in gloria eſt Dei Patris. Plures hujuſmodi, & ſtrenuos operarios continuata ſerie (3) Catholicę Eccleſię Prędicatorum Ordo miniſtrare non deſtitit, inter quos noviſſime egregius Dei ſervus Ludovicus Bertrandus mirifice claruit, qui ardentiſſima in ipſum Deum, & proximum caritate flagrans, ceterarum virtutum excellentia, prophetię dono, & Apoſtolico miniſterio coruſcus, omnium linguarum laudibus merito celebratur, cujus pietas, & devotio adhuc in ipſa tenera ętate effulſit, quibus, & mundi contemptum, & religioſi ſtatus perfectionem jungens, veteranis profeſſoribus admirationi, & exemplo fuit. Poſtmodum ad Occidentales Indos Evangelicus Prędicator miſſus plurimos ad Chriſti fidem adduxit. Apoſtolicis etiam ſignis, chariſmatibus, & auctoritate decoratus, & cunctis virtutibus fulgens inventus eſt dignus, qui ſuper excelſum candelabrum in Sancta Eccleſia collocaretur, ut ceteris, qui in domo Dei ſunt ejus radii eluceſcant. Rationi, & ęquitati convenit, ut pręclarus hic Dei famulus, qui pro ejus gloria, & animarum ſalute multos, maximoſque labores, & ęrumnas pertulit, cujus nomen Deus ipſe glorioſum effecit, a Nobis quoque, qui ejus vices in terris, licet immeriti, gerimus, honorabilis ubique reddatur. Hunc igitur, ut jure merito in Eccleſia militanti populus fidelis, & plebs Deo dicata Sanctorum faſtis adſcribi plenius agnoſcat, ejus pręclare geſta, & eximia virtutum ornamenta tanquam pręcellentia ad imitandum proponenda duximus, ut Chriſti nomine decorati geſta ſua ad ejus exemplum in Dei gloriam conformantes eum in opportunitatibus, & tribulationibus advocatum apud Deum Patrem Omnipotentem habere mereantur, atque, ut Chriſti fidelium ora promptius in divinis laudibus exultent, & pietatis fervor erga tantum Jeſu Chriſti ſervum magis in dies excitetur, ejus admirandam, & omni laude dignam in terris peractam vitam in primis exponere, & brevi incluſam eloquio cunctis patentem reddere decrevimus. Valentię igitur in Hiſpania Tarraconenſi ex piis, honeſtis, Catholiciſque parentibus Johanne Ludovico Bertrando, & Johanna Anna (4) Exarch editus eſt in lucem Ludovicus (5) Bertrandus anno Dominicę ſalutis milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto Kalendis Januarii, & ibidem in Parochiali S. Stephani Eccleſia, eodemque fonte, quo olim S. Vincentius Ferrerius (6) in Chriſto renatus fuerat, baptizatus fuit, ut Sanctum, cui Ludovicus carnali proſapia junctus erat, communi etiam regenerationis propinquitate attingeret. Infans a parentibus eidem S. Vincentio mire devotis, pie, honeſteque educatus, necnon optimis moribus ita imbutus fuit, ut neque in illa tenera ętate defuerint argumenta futurę ſanctitatis, vagientis enim, ac plorantis lacrymę nulla re ſiſti certius poterant, quam Sanctorum Imaginibus ejus conſpectui oblatis, quarum ad intuitum domi, & in templo mirifice geſtiebat. Creſcente ętate, crevit pariter virtutum amor, & erga res divinas pronus affectus. Vix puéritię limen attigerat, quando notatus fuit crebro ad ſolitudinem cubiculi ſeſe recipere, ut geniculans prolixę orationi incumberet. Illic Dominum in ſe loquentem audiens ſuimet corpuſculi robuſtus domitor evaſit, illic ſpreta delicati cubilis mollitie, aut humi, aut duro in ligno modicum ſomnum capiebat, illic jejuniis, victuique parciſſimo corpus aſſueſcere docuit, ac variis pęnitentię auſteritatibus extenuare cępit. Exinde frequentando gymnaſio, & literarum ſtudiis addictus non minus prava conſortia, nugas, atque illecebras, quam otii laxamenta, velut bonarum artium ęrugines, & virtutum peſtes cautiſſima ſedulitate jugiter evitavit. In ſimplicitate cordis ſui quęſivit Dominum, & invenit illum, in Eccleſiis enim, & maxime Ordinis Prędicatorum ſępiſſime orationi vacans, morabatur, ſacris etiam lectionibus, diviniſque colloquiis mentem reficiens, invenit quem diligebat anima ejus, Sanctiſſimę Euchariſtię frequenti, humili, & occulta ſumptione delectatus, in Dei, ac proximi amorem totus exarſit. Xenodochia magna caritate viſitans, pauperibus tota animi ſui demiſſione inſerviebat. Ut Domini conſilium de relinquendis domo, fratribus (7), & parentibus perfectius impleret, eremi deſiderio clam domo aufugit, ſed ſpecioſo pietatis titulo revocatus, aliamque fallacis ſeculi fugam auſpicatus, primo clericalem admiſit habitum, mox vero non ſine magna cum domeſticis lucta, Ordini Sancti Dominici nomen dedit (8) in Conventu Prędicatorum Valentino, & Religionis habitu ſuſcepto pręclara S. Vincentii Ferrerii ejuſdem familię celeberrimi Alumni veſtigia ſibi ſequenda propoſuit, ejus exemplo in omnium virtutum genere proficiens genitoris querelas, & blanditias invicto animo ſuperavit, & tirocinii anno expleto, in quo regularis militię pręclara dedit indicia, ſolemnia religioſę profeſſionis vota emiſit, poſtquam multis, magniſque virtutum incrementis vitam, quam ad eum uſque diem integerrimam egerat, cumulavit.

Sa-

Sacros Ordines peracto Noviciatu ſuſcepit, & ad ſacrum Presbyteratus ordinem promotus (9), paulo poſt (10) Noviciorum Magiſter raro exemplo eligitur, quod munus cum pluribus annis magna cum laude exercuiſſet, Vicarius (11) Conventus de Albayda (12), deinde Prior S. Honuphrii fuit deſignatus, demum Conventui Valentię pręfuit (13), in quibus ceteris Fratribus non tam pręlatione, quam virtute, & exemplo ſemper pręivit. Inter cetera, quibus ad ſublimem perfectionis gradum pervenit, ſummum fuit orationi mentali per quatuor integras horas quotidie vacare, Dominicę Paſſionis myſteria magno cum fervore, & mentis jubilo recolendo. His poſt meridiem contemplandis Beatiſſimę Virginis gaudiis dimidiam horam addebat. Sub his cęleſtium illuſtrationum commerciis perſępe viſus eſt non ſolum ſpiritu rapi in ecſtaſim, ſed & corpore a terra ſublevari, & luculentis ſplendoribus conſpicue circumfundi. Erga Sanctiſſimum Altaris Sacramentum miro ex intimis pręcordiis ardore flagrabat, ſciens hoc eſſe pulchrum, & optimum electorum frumentum, ac vinum germinans Virgines, propterea familiares ad ejus ſumptionis, vel ſaltem viſitationis frequentiam vehementer hortabatur. Sacrum Miſſę ſacrificium celebraturus Angelicę puritatis candorem ęmulari cupiens, quantavis carnis mortificatione, & mentis in Deum elevatione eſſet ornatus, ſibi nihilominus nunquam ſatis paratus videbatur eſſe, a ſacrificando impeditus Sacra Euchariſtia reficiebatur, ut jugiter Chriſtum in ſe manentem haberet, & in eo ipſe quoque aſſidue maneret. Ut cum Patre luminum jugis eſſet converſatio ſua, mira ſimplicitate in omnibus ſemper ſe geſſit, magna tamen cum prudentia, qua prędiţus erat. Humilitati ſic addictus fuit, ut in ſui nihili cognitione, & vili exiſtimatione perpetuo moraretur, ſe omnium in virtutibus minimum, in peccatis maximum prędicans, omnibus ſubeſſe ſatagebat ab ipſis Noviciis de ſuis defectibus admoneri non ſolum gaudens, ſed etiam ſępe imperans, ſeipſum Davum perturbantem omnia, ac ſolum Judę proditoris, ac Dęmonum conſortio dignum appellans, innumeris aliis ſeipſum probris, & conviciis onerabat. Summo mędrore cum honorifice, aut tractaretur, aut exciperetur, afficiebatur, itaut procumbens in genua ne manibus ſuis oſcula figerent deprecaretur, ac Paternitatis titulo Prior ſe honorari inhibuerit. Si quem lęſiſſe ſua męſtitia, aut aliter timuiſſet, genuflexus veniam poſcebat. Concionatoribus etiam ipſis quos inſtruxerat, miniſtrum ſe jungebat, nec ullius quamvis ineruditum ſermonem deſpexit. In ipſis favoribus cęleſtibus, & divinis revelationibus mirifice humilitatis ſpiritum cuſtodivit. Timore judiciorum Dei perculſus ſe in infernum demergi ſibi ipſi videbatur, cui timorem filialem a Deo precibus, & pęnis obtentum jungens, męſtus, & pavidus continuo apparebat. Eundem profundę humilitatis ſpiritum in ſibi ſubditorum cordibus ſuperior exiſtens inſerere ſtuduit, dicere ſolitus Religioſum perfectionis cupidum debere ſpernere ſe, ſpernere nullum, ſpernere Mundum, & ſpernere ſe ſperni. In his unumquemque ſic proficere debere dicebat, ut quantavis virtute, & meritis clarus eſſet, nunquam tamen de ſe pręſumeret, aut ſe alicui pręferret. Magnis ęſtuavit caritatis erga Deum incendiis, quam nunquam tribulationum aquę extinguere potuerunt, unde & zelo Dei ardens urebatur ſi quid contra Dei pręcepta moliri, aut videret, aut audiret, quin & ſermones ejus, ut faces ardebant, nihil de ſeculi vanitate mixtum continentes, ſed vel ad Dei famulatum, vel ad pęnitentiam, & peccatorum deteſtationem directi erant; frequens fuit in ſacrę Scripturę ſententiis, aut Sanctorum geſtis enarrandis, magno fervore exaggerans, horrendum eſſe incidere in manus Dei viventis, & irati. Hinc plures re ipſa experti ſunt ſe ab ejus converſatione novis ſemper in Dei ſervitute fervoribus excitatos receſſiſſe. Cum nobilis quidam communem vitiorum objurgationem ad ſe ſingulariter crediidiſſet a B. Ludovico directam, mortem, quam ei comminatus fuerat, niſi dicta in ſuggeſtu revocaret, viriliter renuenti ſtricto in eum ſclopo intentat, illico in Crucifixum mirabili transformatione ſclopus mutatur, ipſo aggreſſore miraculi vi proſtrato, ac veniam enixe petente. Beatuſque Ludovicus ſuę humilitati conſulens, plus timens laudantem populum, quam ſclopum, ſuo ſocio Chriſtophoro de Mora pręcepit, ſignans in ejus pectore Crucem, ut prodigium celaret, uſque dum annis triginta tranſactis interrogatus panderet veritatem. Uſque adeo ardens erat in eo martyrii deſiderium, ut in tremendi ſacrificii elevatione cum Beato Petro Martyre ex intimis pręcordiis divinam Majeſtatem exoraret, da mihi Domine, ut pro te moriar, quemadmodum pro me mori voluiſti. In proſpectu etiam Imaginis S. Vincentii Martyris eiſdem pęnis, & ſuppliciis, quibus ipſe certavit, & vicit, affici vehementer optavit. Audiens pęnas, quibus pro Fide Chriſti ſua ętate aliqui glorioſe diem clauſerant extremum, ex profundo cordis in jubilum erumpens eis cum ſimilibus victoriis totis viſceribus ſe ſocium jungi cupiebat. Eadem caritate etiam erga proximum ardens animarum ſolatia, & progreſſus totis viribus promovebat. Frequens fuit in confeſſionibus audiendis, pro aliorum culpis expiandis duris ſe flagellis cędens, quibus & mulierem honeſtę, quoad ſeculum, conditionis, cujus peccandi conſuetudinem Deo revelante noverat, revocavit. Adoleſcentula etiam ne caderet, orationibus, & pęnis a Deo obtinuit. Peſtis tempore quoſcunque mendicos obvios habuiſſet, ad Conventum S. Annę Albaydę, quamquam inopia laborantem, ubi tunc munus agebat Superioris, reficiendos adducebat, dicere ſolitus, Deum nunquam ſibi fideliter ſervientibus deeſſe. In vias, & montes procedens, peſte extinctos ſepultura donabat. In Xenodochiis, & domibus infirmos ſępe inviſens, eorum plurimos, imponens eis manus, & pro eis deprecans, ſanitati reſtituit, inter quos non ſine evidenti miraculo Religioſus vir Franciſcus Allemanus jam morti proximus a B. Ludovico de recuperanda valetudine certior factus, paulo poſt omnino liber convaluit. In ſedandis odiis, & reconciliandis animis magnopere etiam hujus viri caritas enituit, in carcere etiam detentis, aut morti addictis, ope, & auxilio non deerat, quorum plures e miſeriis, & injuſtis vexationibus miro modo, & ſuaviter liberavit. His Dei, & proximi amoris ardoribus incenſus in terram alienigenarum gentium vere ſapiens pertranſire decrevit, ut Indorum animas Deo lucraretur, a quo nec amicorum, vel fratrum, aut ſororum artibus, precibus, vel lacrymis dimoveri potuit, omnibus enim magna cum animi ſubmiſſione non ſine fletibus valedicens, pedeſtre iter Occidentalem Indiam verſus arripuit (14), & Hiſpali (15) navem ingreſſus omnibus ędificationi, ſolatio, & auxilio in opportunitatibus fuit, in qua ſui Ordinis Religioſum a cadente ponderoſo trochlea graviſſime lęſum, vulnere aqua loto ſic ſanitati priſtinę reſtituit, ut poſtridie mirantibus cunctis, nec veſtigium quidem cicatricis appa-

apparuerit. Appulit ad Carthagenę (16) portum, ibique in Conventu (17) Sancti Joſephi ſui Ordinis habitavit, & inde ad diverſos Indorum populos miſſus evangelizavit, incolentibus ſcilicet Tubaram, Cipacoam, Paluatum, Mompoix, Serram Sanctę Marthę, Tuncarum, Teneriſem (18), & aliis, ibique plura, & mirabilia perpetravit. Orationibus a Deo obtinuit, ut lingua ſua Hiſpana, in qua natus erat, evangelizando abſque interprete intelligeretur ab Indis. Vigilias, ſitim, famem, ęſtum, & frigora in hoc Apoſtolico miniſterio ferens, ſemper pedes incedens, & ſępe ęger, curſum ſuum cum Apoſtolo conſummare geſtiebat. Socium quandoque habuit rudem moribus, cui non ſine miraculo mortale vulnus in capite curaverat, quin etiam pręter expectationem, ut ei ſubveniret apparuit arbor pomifera, fonſque ad radicem ſcaturivit, ut illum recrearet, & convivaret, qui poſtea eum inurbane deſerens, miſere, ſicut ei vir Dei prędixerat, reliquum vitę tempus, & finem conſumpſit. Viſus eſt etiam ſępe in itinere a via ſecedens flagellis ſe cędere. Pluries obvias habuit tigres, aut alias feras, quę ſigno Crucis ab eo mites redditę, itinerantibus illęſis relictis alio iter arripiebant. Carthagenę Concionator deputatus in Quadrageſima, ut ei mos erat, viſus fuit duriora corda emollire, & auditores nonniſi compunctos, & amare flentes dimittere. Rapiebat audientium mentes, neque enim hominis, ſed Angeli ſpiritum verba ejus redolebant. Contumeliis propter hęc a carnalibus, ac etiam probris, & irriſionibus appetitus, gaudebat, quod pro nomine Jeſu talia pati dignus haberetur. Tubaram a Superiore miſſus, ut gentes illas Dei cognitione imbueret, & Sanctę Eccleſię Sacramentis initiaret, omnibus illius loci infidelibus orationibus, jejuniis, flagellationibus, & aliis pęnis, a Domino converſionis gratiam obtinuit, quam per conciones ipſius Dominus Noſter exequi dignatus eſt. Dęmonem ibi mentito habitu ab his laboribus dehortantem detexit, & ululantem abire coegit. Infantem, qui fuit primus, quem ſacro fonte abluit (19), ab Indo quamvis Idololatra delatum Michaelem appellavit, ipſomet Indo palam teſtante ſe ab Angelo Domini admonitum conſecuturum eum cum Baptiſmo ſalutem ęternam, & ad hoc ipſum Beatum Ludovicum a Deo illuc directum fuiſſe. Idolorum etiam tuguria ſuccendi curavit, & tanta ſanctitatis ejus fama apud barbaras illas gentes invaluit, ut plurimos ex illis furentes in quendam miniſtrum, ſola pręſentia tumultum ſedando, detinuerit. Publicum etiam ibi adulterum quamvis potentem acriter reprehendit, a quo poſtea armis valide invaſus mirantibus cunctis telo in terram cadente, incolumis, & intrepidus evaſit. Nec ab hominibus ſolum, ſed etiam a Dęmonibus in illarum gentium converſionibus plurima pertulit, pręſertim apud quendam veteranum Idolorum Sacerdotem morti proximum, quem ſacro Baptiſmate initiavit, & ab ipſorum immundorum ſpirituum infeſtatione fixo apud illum S. Crucis ſigno liberavit. Jacobum Raphaelem Frances ex eo loco pręvidit naufragum futurum, quem propterea per diem, & binas noctes natantem, & Beatiſſimę Virginis Sanctiſſimi Roſarii patrocinium aſſidue implorantem, ſalvum ad littus recepit, ubi eum propterea cum ſubſidiis victus, & veſtitus expectaverat, & a mortis inſtantis faucibus eripuit. Ab ipſis Indis viſus fuit a terra in ecſtaſi elevatus, quem poſtmodum ſumma veneratione coluerunt, & abeuntem amáre defleverunt, crediturque populum illum ejus interceſſione in Chriſti Domini fide adhuc perſeverare, ad cujus hoſpitium in Oratorium commutatum etiam nunc, & Indi, & Hiſpani ad divina beneficia ejus patrocinio impetranda accurrunt. His ſimilia in Oppidis Cipacoe, & Peluati egit, ubi etiam Evangelicam paupertatem ſervans lętus in rerum ſumma inopia, & volens vitam degebat, ac orationibus pręter ſpem optatos obtinuit imbres, & Cinagam fluvium prę aquarum redundantia impervium ſignans Cruce aquas, prout voluit, tranſegit. Cadentes etiam circum undique pluvię, illo Beatiſſimam Virginem de Roſario pie invocante, nec ipſum, nec ſocios attigerunt. Sub monte Sanctę Marthę Indorum accolarum circiter quindecim millia, ſuis prędicationibus ad fidem converſa baptizavit. Et non procul inde potentiſſimum venenum ſibi ab Idolorum ſacrificulo propinatum ebibens poſt quinque dies lethale virus cum aliquot vermibus, ſeu parvis ſerpentibus ſtomacho ejecit, ac incolumis magno pręſentium ſtupore perduravit. Dęmones viſibiliter gentibus illis apparentes, ſigno Crucis, & miris modis ſępe fugavit, quibus plures alios ad fidem adduxit. In Oppido Mompoix viſi ſunt ei genuflexo aſſiſtere Sancti Doctores Ambroſius, & Thomas de Aquino. In Inſula Sancti Thomę dum furentes pagani arreptis lapidibus viro ſancto necem intentant, monitus ut fugeret, conſtantiſſime renuit, ſolaque Divini Verbi efficacia ducentos ex aggreſſoribus jugo Chriſti ſubjecit. Quemdam ex regionis proceribus de ſalutiferę Crucis arcano myſterio doceri cupientem repentino miraculo convertit, nam arboris truncum ibidem toto corpore circumplexus conſpicuam figuram Crucis rudi cortici mirabiliter impreſſit, eoque oſtento tum illi, tum aliis Baptiſmum in fide vivificę Crucis perſuaſit. Sane vir iſte Apoſtolicus non ſolum juxta promiſſionem S. Evangelii, quod prędicabat, in nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti Dęmonia totis regionibus ejecit, ſerpentes infernales viſibiliter incolis minaces abſtulit, ac linguis novis inter gentes locutus eſt, verum etiam pluries in teſtimonium fidei mortiferum quid bibens innoxie diſcrimen vitę ſuperavit. Indam adhuc infidelem in partu extreme periclitantem ſua zona pręcingi juſſam una cum prole ab interitu liberavit, ipſamque jam puerperam cum marito, propinquis, ac domeſticis lavacro S. Baptiſmatis ab infidelitate mundavit. Navigans cum aliis in flumine, a Magdalena nuncupato, irruente tempeſtate navi everſa, cunctiſque in aqua immerſis, orans emerſionem, & incolumitatem obtinuit. Priſtinam valetudinem pluribus reddidiſſe, & defunctam ad vitam Sanctiſſimi Roſarii applicatione revocaſſe compertum fuit. Videns, nec impedire, aut ferre valens anguſtias, quibus ut plurimum violenter a Pręfectis quibuſdam etiam vulneribus, & cęde Indi opprimebantur, obedientia obtenta in Hiſpanias rediit. Cumque in mari navis periclitaretur, rogatus a navigantibus tumentes undas tandiu Cruce ſignavit, donec optata tranquillitate reddita, omnes ad portum Hiſpalis incolumes pervenerunt. In Conventu S. Honuphrii poſt reditum ab Indis ex obedientia pręfuit, quem ęre alieno gravatum, & inopia ex annorum ſterilitate orta laborantem invenit, & omnibus ſatisfaciens, Religioſis nunquam in aliquo ex conſuetis defuit. Quin & plurimis egenis, miſerabilibuſque perſonis large eleemoſynas ſuppeditavit, quandoque etiam Deo illorum neceſſitates revelante, & mirabiliter ei pecunias miniſtrante, quin & in ędificio ad honorem S. Crucis conſtructo oſten-


oſtendit regente Domino ſervis ejus nihil deeſſe. In Cęnobio Valentię Superiorum juſſu, licet invitus, Prior conſtitutus in cella S. Vincentii Ferrerii regimen eidem Sancto commendans, ab Imagine ipſius, coram qua proſtratus orabat, ſe inclinante meruit amplexu honorari, atque elevari. Mortificationes, cruentas diſciplinas, frequentiam Chori, & ſummam abſtinentiam, quibus ſubditus ſe exercebat, nec concionando, nec regendo dimiſit. Ut ſtudiorum curſus exacte perficerentur, accurate invigilavit, cupiens ſuos ſubditos ſemper in ſanctis, aut eruditis exercitiis occupatos, quorum e clauſtro exitum niſi urgente neceſſitate non permiſit. Oſtio ſui cubiculi magnis characteribus inſcribi voluit, ſi hominibus placerem, Servus Dei non eſſem, ita omnibus omnia factus erat, ut quilibet in eo prudentis conſilia, Fratris familiaritatem, Patris benignitatem, Viri Sancti perfectionem, & omnium virtutum compendium invenerit. Contigit ei ibi videre animam cujuſdam ſui olim pęnitentis, qui eundem Beatum verbo lęſerat, teſtantem, Deum nolle eam ad gloriam admittere niſi culpam ipſo dimittente, & pro ea celebrante, quo facto ſequenti nocte illam in Sanctorum gloria conſpexit. Alias etiam Beatorum in ęterna felicitate regnantium, & maxime Sanctorum ſui Patriarchę Dominici, & Franciſci, quin, & ipſius Chriſti Domini viſionibus recreatus fuit, ſibique omnia ſua peccata dimiſſa fuiſſe audivit. Sętabi (20), vulgo Xativa, a Primoribus Civitatis rogatus pro concionibus in proxima Quadrageſima apud eos habendis, licet gravibus infirmitatibus preſſum, & naturaliter impotentem ſe agnoſceret, a Deo & velle, & curſum integrum Quadrageſimalium concionum perficere obtinuit. Gubernatori Valentię Jacobo Ferrerio indictis ei quibuſdam precibus, ſcripturarum, de quarum amiſſione ſummopere dolebat, recuperationem divinitus impetravit. Spiritu etiam prophetico ita mirifice claruit, ut & plurimas res futuras, tam ſecundas, quam adverſas, tum in ſpiritualibus, tum etiam in temporalibus, tam circa valetudines, & mortes, quam circa animarum profectus, & mores ſępiſſime pręnunciarit, nam & S. Thereſię a Jeſu ſuam Excalceatorum clauſtralium tunc fundatam Congregationem brevi inter illuſtriores S. Eccleſię Religiones, ut re ipſa evenit, connumerandam eſſe prędixit (21). Tribus Regularibus diverſos ipſorum ſucceſſus, & fines, prout contigerunt, pręnunciavit. Virum nobilem, injuria Pręlatum quendam vexantem, ultionem Domini brevi experturum fore dixit, quod mors ejus repentina Domino revelante ei notum fuiſſe demonſtravit. Arcana etiam plurima, tam in rebus corporeis, quam in ſecretis cordium latentia, nuda, & aperta fuiſſe oculis mentis ipſius a Deo illuſtratę, ſtupentibus omnibus, rerum eventus oſtenſa fuiſſe indicarunt, atque in hoc dono penetrandi ſecreta cordium valde ſingularis, ac admirandus fuit. Alia quoque complura naturaliter ignota, tam clare, diſtincte, & ordinate, prout erant, aut acta, aut cogitata enarravit, ut ſolum Deo revelante hęc illi innotuiſſe compertum fuerit. Virtus ejus in toto decurſu vitę a Deo infirmitatibus adeo mirifice perficiebatur, ut aſſiduis paſſionibus tolerandis magna illi patientia opus fuerit, in complexione enim ipſius ſatis delicata, non ſolum potentia viſiva parum valens, & auditus imperfectus inerat, ſed etiam horribili ulcere in crure per multos annos, & vertigine capitis vehementer cruciabatur, quin & viſcerum pravis affectionibus, & aliis occultis infirmitatibus maxime per biennium ante obitum, velut aurum in fornace probavit illum Dominus, animo ſic invicto omnia tolerantem, ut frequenter ex ejus ore verba Doctoris Sanctę Eccleſię Auguſtini reſonarent. Domine hic ure, hic ſeca, hic non parcas, ut in ęternum parcas. Ubi primum convaleſcebat, ad mortificationis, & obſervantię communis exercitia revertebatur, cunctis ſe oblectationibus, & convaleſcentium levaminibus ſponte privans, aliis infirmis oblata ſibi fercula cuncta partiebatur, quin & ſaxo decumbens ſub linteaminibus poſito corpus torquere conſueverat, dicens, arctam eſſe viam, quę ducit ad vitam. Sic infirmando fortior ſemper redditus agnovit ſibi inſtare adimpletionem divini promiſſi, quod olim in feſto Sanctę Catherinę Virginis, & Martyris obtinuerat, quando ex medio magnę lucis ſponſum ei fuit, tandem ex his tenebris in lucem illam ęternam, quę lucet Sanctis Dei in perpetuas ęternitates, migrandum eſſe. Nam inter labores concionum morbo ingraveſcente febribus decubuit, & ſuſcepturus pro Viatico Sanctiſſimę Euchariſtię Sacramentum, devotiſſime non ſine multis lacrymis Sanctę Fidei Catholicę accuratam profeſſionem emiſit, imploravit etiam ferventiſſime Domini Noſtri Jeſu Chriſti auxilium, & Sanctiſſimę Virginis Deiparę patrocinium, necnon aliorum Sanctorum, & pręcipue ſui Ordinis, expreſſoque nomine Sancti Vincentii Ferrerii ſubjunxit: Pater mi currus Iſrael, & auriga ejus. Enixe petiit a circumſtantibus, ut ſimul cum eo Dominum deprecarentur, ne mortis ſententiam revocaret, & Johanni Boil merenti de gravi ſuę filię infirmitate, eam tunc non migraturam e vita vere prędixit. Remittente poſtmodum pauliſper vi morbi non ſine labore ad Sacrum celebrandum ſurgebat. Iterum ingraveſcente infirmitate aſſiſtentem, & ſępiſſime miniſtrantem non ſine magna ſua confuſione, & animi demiſſione habuit Johannem (22) a Ribera Patriarcham Antiochenum, tunc Archiepiſcopum Valentinum, qui dum in cruciatibus ipſum ad reſignationem in divinę voluntatis beneplacitum hortatur, audivit illum dicentem, ſe pęnas illas quibuſvis mundi hujus terrenis bonis pluris facere, & cariores habere. Ab his cruciatibus quantumvis vehementibus, nec detineri, aut retardari potuit, quin per ſingulos dies per binas horas conſuetę orationi vacaret, & ſępe Sacra Exomologeſi ſe purificans divino Altaris epulo reficiebatur, aliiſque infirmis horum Sacramentorum frequentiam ſuadebat, ſępe repetens, hęc divina myſteria non ſolum animę, ſed etiam corporis, ut plurimum ſalutem operari. Concentus muſicos in ea ęgritudine audiens totus elevatus in Deum ſolvebatur in lacrymas. Denique variis remediis, & morbi viciſſitudinibus ex animo toleratis, appropinquante Sancti Dionyſii feſtivitate, qua die ante annum ſe moriturum eſſe prędixerat, plures accurrerunt certatim cupientes ab eo benedici, vel ſuis Roſariis ejus linteamina attingi. Inter hos filius Ducis Gandię genuflexus, & pedes ejus lacrymabundus oſculatus, benedictionem devote, & ſingultiens pręſtolabatur, quod vir Dei ſe quidem maximum peccatorem cum D. Paulo dictitans, & mente ad nihilum ſuum converſus humillime pręſtitit. Hoc etiam divinitus Sorori Angelę Aguglionę Virgini Religioſę Ordinis S. Franciſci in perpetua clauſura degenti conceſſum fuit, dum ex corde optabat pręſentialiter Chriſti Domini Servum venerari, illico enim, miniſterio creditur Angelico, ante ejus pedes conſtituta, & voti compos facta ſuę cellę iterum mira-

miraculoſe reddita fuit. Cupiebat interim Ludovicus diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, nec aliter, quam aut Sanctiſſimi Altaris Sacramenti quotidiana ſumptione, aut cum Crucifixi Imagine colloquiis ſuas moras ſolabatur. Feria ſexta ante obitum referenti diem Veneris eſſe, benedictus Deus, reſpondit ille, adhuc quatuor ſuperſunt dies. Frequenti cęleſti Sancti Vincentii Ferrerii viſitatione, quem a teneris annis ſumma veneratione, & imitatione colere ſtuduerat, recreabatur. Biduo ante deceſſum e vita ſacram Olei Infirmorum unctionem devote petiit, & ſingulis orationibus reſpondens, ſeque ſanctis orationibus, & mortificationis exercitiis muniens, Sanctiſſimi Crucifixi Imaginem frequentibus oſculis venerans, & orans in die feſto S. Dionyſii, ut ſępe prędixerat, hora quinta decima ſentiens ſe paulatim deficere, aſſiſtentem ex more Patriarcham pro impetranda benedictione, & ſancti Evangelii lectione precatus eſt, quod amantiſſimus Antiſtes uberrime lacrymans pręſtitit. Cumque commendationis animę juxta ſui Ordinis ritum preces perſolverentur, ad illa verba, ut vinculis carnis exutus pervenire mereatur ad gloriam Regni Cęleſtis, pręſtante Domino Noſtro Jeſu Chriſto, ſpiritum ſuum in manus Patris vinculis carnis abſolutum commendavit, ſeptimo Idus Octobris (23), anno reparatę ſalutis milleſimo quingenteſimo octuageſimo primo, ętatis ſuę quinquageſimo quinto, eoque temporis momento viſa eſt ex ejus ore lux inſtar fulguris recta in Cęlos evibrata totam cellam illuminare, & ſupra Conventum divina claritas fulſit. Quin & in Eccleſia pluries Militię cęleſtis harmonici concentus a diverſis auditi ſunt, & pluribus aliis ſignis ſervi ſui gloriam Omnipotens Deus notam fecit, quibus publica populi veneratio ſucceſſit, Ludovicum undique Sanctum proclamantis, & certatim Coronis, ac Roſariis ſacrum corpòris pignus attingere tentantis, miſericordiam enim a Domino, ac divina quęcunque beneficia ſe obtenturos omnes ſperabant, ſi eum apud divinam clementiam Protectorem, & Advocatum obtinere digni forent. H s acceſſit Altiſſimi erga ſuum Servum aſſiſtentia, itaut ejus ſuffragantibus meritis, & vivens, & poſt obitum populis in neceſſitatibus per opera mira, & prodigia quibus ipſe Deus in Sanctis ſuis mirabilis dignoſcitur, protector, & adjutor ſemper extiterit. Ex proceſſibus enim confectis, & ad Urbem tranſmiſſis, ac aliis auctoritate Apoſtolica, cauſam Beatificationis, & Canonizationis ejus reſpicientibus, Congregatio Sacrorum Rituum cenſuit, conſtare non ſolum de illorum validitate, & de fama ſanctitatis, deque virtutibus Theologicis, & Cardinalibus gradu heroico, verum etiam concludentes probationes continere inſignium miraculorum ejuſdem tam viventis, quam defuncti. Cum enim eſſet Prior (24) Albaydę, paſtoribus accendentibus ignem, ventorum vi irruente, & flamma ſuccreſcente jam ardentibus arboribus in vineis, & frutetis magnum excitandum eſſe ad deſtructionem ignem timebatur, non ſine magno Conventus detrimento, accurrit Vir Dei, & elevatis oculis in cęlum ſigno Crucis flammam benedixit, quę illico evanuit, ac ſi nunquam ibi fuiſſet, eędem arbores lęſę exigua ſolum linea in ſignum miraculi apparente immunes ab aduſtione viſę ſunt remanere. Moncadę in domo Joſeph a Campo neptis hoſpitis Speranza Aſſenſia dicta ab exitiali ſtruma in collo afflicta cum fętore horrendo ex ulceribus manante non ſolum circumſtantibus, ſed etiam ipſimet infirmę intolerabili, facto ſigno Crucis ſuper parte affecta, & lingua linita a dicto Beato Ludovico veluti a ſenſibus alienato, & facie ejus luce fulgida remanente, ſtatim ęgra convaluit. Cadaver ipſius quadam veluti chryſtallina puritate ſic nituit, ut adſtantes in ejus virginea carne velut in limpidiſſimo ſpeculo ſuoſmet vultus fuerint conſpicati. Toto etiam corpore ſuaviſſimus odor erumpens non ſolum proxime vicinos, ſed longius diſſitos mirifico peregrinę fragrantię oblectamento adhalavit. Sex circiter menſibus loco humido, ac ſtillicidiis obnoxio ſepultum jacuerat ſancti Viri cadaver, quando extractum, ut decentiori tumulo inferretur, integrum, incorruptumque, ſolis veſtibus undique putrefactis, repertum eſt, iterumque mirabili ſuaveolentia circumſtantes implevit. Urſulę Soler filia erat, cui immanes capitis dolores omne capillitium radicitus abſtulerant. Medicamentum, quod magis obfuturum ab omnibus timebatur, petitum a lampade, quę coram B. Viri ſepulcro ardebat, hujus oleo perunctum caput puellę, non ſolum abactis penitus doloribus integram valetudinem, ſed & capillos recuperavit. Quędam puella oculis orbata ad fontem loci Ruzafa, e quo Beatus bibere ſolebat, lotis oculis priſtinum eorum uſum recuperavit. Gaſpar Ramirez cęcus ad tumulum Sancti novenam peragens, ultimaque die oculos ſepulcro cum fide applicans, profluvium crocei humoris emiſit ab oculis, ac ſubito cęcitatis ſuę caliginem lętus abſterſit. Lactanti Andrevę Abreus cum aruiſſent mammillę, novena ad ſepulcrum Sancti exacta, mox priſtinam lactis affluentiam impetravit. Iſabella Johanna Salon cum pluribus annis graviter ulceroſo quodam abſceſſu torqueretur, attactu feretri, quod Sancti cadaver geſtaverat, perfectę ſanitatis beneficio potita eſt. Iſabella Gerbin in ſupradicto Ruzafa benedicto fonte abluta, ſimul & febrim, & dyſenteriam, & herniam incolumis abegit. Anna Monfort, cui paralyſis uſum membrorum prorſus ademerat, & morbi violentia ſitum oris fędiſſime diſtorſerat, hauſtu aquę ex eodem Ruzafę fonte, ac invocato S. Ludovici nomine, tum ipſa veletudini, tum os priori ſitui reſtitutum fuit. Hieronymę Capell filiolus rupto peritonęo, foraſque extruſis inteſtinis jugiter ejulans, & ſanguinem vomens, ubi tandem a matre ad fontem Ruzafę pannis in eo madefactis incinctus fuit, integre ſanus domum reportatur. Vincentia Morell vidua ex nervorum dira attractione per undecim menſes decumbens, fędiſque ulceribus undique plena, dum panno quo Sanctus uſus fuerat, nervos, & ulcera ſucceſſive obſignat, eodem ordine, & hęc ſanari, & illos vivide ſenſit explicari, finitaque ſingulorum obſignatione vegeta lectum reliquit. Cum in Conventu S. Honuphrii Priorem agens reficiendę Religioſorum communitati panes deeſſe adverteret, Chriſti in deſerto providentiam imitatus ſeptem fragmenta, quę ſolum domi ſuperfuerant, arripuit, eaque ſolo benedictionis impendio ſic multiplicavit, ut non tantum in prima menſa Fratribus triginta, & amplius in prandium abunde ſuffecerint, ſed etiam reliquos in ſecunda menſa congrue ſaturaverint. Johanni de Pedevera domeſtico Valentini Archiepiſcopi famulo delapſum ex alto pondus graviſſimum ita utrumque crus diffregerat, ut per novem menſes aliter, quam grallis innixus moveri non potuerit. In his ęgerrime uſque ad ſancti Viri ſepulcrum accedens, fuſa oratione confeſtim in pędes exiliit, grallisque inibi relictis domum incolumis repedavit. Iſabella Vincentia Pujades acuta febri medullitus exuſta, jamque a Medi-

Medicis derelicta, morti appropinquabat. Sed ad contactum Roſarii, quod S. Ludovico, dum vixit, uſui fuerat, ſubito, mirantibus quotquot aderant, febris abſceſſit. His aliiſque non paucis virtutibus, ac ſignis permotus felicis recordationis Paulus Quintus Prędeceſſor noſter Servum Dei Ludovicum catalogo Beatorum adſcripſit. Exinde aliis proceſſibus rite confectis approbata inſuper fuere miracula quę ſubſequuntur. Primum incorrupti ſacri corporis poſt annos fere octuaginta (25) ab ejus ſepultura, tametſi nunquam interea fuiſſet aut exenteratum, aut ullis adverſus corruptionem condimentis imbutum. Nihilominus dum anno MDCXLVII transferebatur in pretioſius monumentum, & anno MDCLXI dum a Judicibus auctoritate Apoſtolica delegatis viſebatur, adhuc integrum, illęſum, atque tractabile inveniebatur. Secundum in repentina ſanatione puerili Aloyſii Vincentii Monteſinos, qui ardentisſima correptus febri, exhauſtus dyſenteria, & vomitibus, ſcaturiens vermibus, jamque coſtulis ſtomacho adunatis, eo deductus erat, ut domeſticis plane videretur extinctus, unde mortalibus involucris obfaſciatus parabatur ad ſepulturam. At męſtiſſimus parens facto ad S. Ludovici tumbam recurſu, atque ibidem emiſſo voto, cum feſtinus domum revertitur, filioli pulſum explorans vitę indicium reperit, ſtatimque puer oculos aperiens ex integro ſanus deprehenditur. Tertium in ſtupenda pręſervatione quadriennis puellę Geſualdę Gildę Ramirez, quam currus mole carbonum onuſtus, rapidoque ſex mulorum tractu celer obterendam humi dejecerat, ac duabus rotis ſubſtratam valide opprimebat: ſed implorato S. Ludovici pręſidio ſurrexit incolumis puella, & in evidentiam miraculi apparuerunt in ejus capite, collo, & humeris clavorum ſigna a rotis leviter impreſſa. Quartum in Bartholomęo Chriſtophoro Dominguez, quem deformis hernia pendulis inteſtinis adeo laxaverat, ut ſicubi in genua procumberet, ſcrotum ulceribus jam eroſum, ac putreſcens humum tangeret. Sed ad invocationem S. Ludovici tota hęc miſelli calamitas illico evanuit. His, & aliis deductis, approbatiſque miraculis emanavit Decretum a pię memorię Clemente IX etiam Prędeceſſore Noſtro, poſſe tuto deveniri ad ſolemnem prędicti Beati Canonizationem: pro qua obtinenda acceſſerunt cariſſimorum in Chriſto filiorum Noſtrorum Leopoldi Primi Romanorum Regis in Imperatorem Electi, & Caroli Secundi Hiſpaniarum Regis, necnon, & Ordinis Prędicatorum preces, quibus a prędictis Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus Noſtris, & a Nobis eamdem ſępius poſtulaverunt. Quapropter ejus vitę ſanctiſſimę meritis exigentibus, & ad prędictorum preces inclinati, cum jam nihil deeſſet eorum, quę ad hanc ſacroſanctam functionem neceſſario ex Sanctorum Patrum auctoritate, ſacrorum Canonum decretis, S. R. E. antiqua conſuetudine, ac novorum Decretorum pręſcripto agenda, & ſervanda requirebantur, juſtum, & debitum eſſe cenſentes, ut quos Deus honorat in Cęlis, Nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris, hodie in Sacroſancta Baſilica Beati Petri Principis Apoſtolorum, in qua ſolemni Ritu cum ejuſdem S.R. E. Cardinalibus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis Romanę Curię Pręlatis, Officialibus, & Familiaribus Noſtris, Clero Seculari, & Regulari, ac maxima populi frequentia mane convenimus, poſt trinas pro Canonizationis decreto Nobis nomine dicti Caroli Regis per dilectum filium noſtrum Ludovicum tit. S. Sabinę S.R E. Presbyterum Cardinalem de Portocarrero pro parte ejuſdem Regis porrectas petitiones; poſt ſacros Hymnos, Litanias, aliaſque preces, poſt Spiritus Sancti gratiam rite imploratam. Ad honorem Sanctiſſimę, & Individuę Trinitatis, ad exaltationem S. Fidei Catholicę, & Chriſtianę Religionis augmentum, auctoritate D N. Jeſu Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Noſtra, matura deliberatione pręhabita, & Divina ope ſępius implorata, ac de Venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem S.R.E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Urbe exiſtentium conſilio. B. Ludovicum Bertrandum Sanctum eſſe decrevimus, & definivimus, ac Sanctorum catalogo adſcripſimus, prout pręſentium tenore decernimus, definimus, & adſcribimus: ſtatuentes, ab Eccleſia Univerſali quolibet anno die X Octobris memoriam ejus, inter Sanctos Confeſſores non Pontifices pia devotione recoli debere. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Eadem auctoritate omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui annis ſingulis in die feſto ipſius S. Ludovici ad ſepulcrum, in quo ejus corpus requieſcit, viſitandum acceſſerint, ſeptem annos, ac totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxavimus in forma Eccleſię conſueta. His peractis Deum Patrem ęternum, Regemque Glorię Chriſtum Dominum Patris Sempiternum Filium, & Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confeſſionibus venerati, ſacroque hymno Te Deum ſolemniter, decantato, peculiari in honorem B. Ludovici oratione precati ſumus per ejuſdem merita, atque ad Altare S. Petri Apoſtoli Miſſam celebravimus cum ejuſdem S. Commemoratione, omnibuſque Chriſti fidelibus tunc pręſentibus plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem conceſſimus. Aequum igitur eſt Nos gratias agere, & laudare Deum Patrem Omnipotentem, qui ſervum ſuum benedixit in omni benedictione ſpirituali, ut eſſet ſanctus, & immaculatus coram ipſo, & dedit illum univerſis Chriſti fidelibus tanquam fulgentem lucem in hac nocte peccatorum, & tribulationum noſtrarum, ut Eccleſię pacem, & tranquillitatem, Principibus Chriſtianis optatam concordiam, & infidelibus a via ſalutis errantibus lumen veritatis obtineat. Adeamus igitur cum fiducia Thronum Divinę pietatis, ore, & opere ſupplicantes, ut S. Ludovicus univerſo Chriſtiano Populo proſit meritis, & exemplis, precibus adſit, ac patrocinio, & in tempore iracundię fiat reconciliatio. Ceterum quia difficile foret pręſentes noſtras literas ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri; Volumus ut earum exemplis etiam impreſſis, manu tamen publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quę eiſdem pręſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri Decreti, definitionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Domi-

Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Septuageſimo Primo, pridie Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſc.



✱ Ego F. Epiſcopus Oſtien. Card. Barberinus S. R. E. Vicecancel.
✱ Franciſcus M. Epiſcopus Portuen. Card. Brancatius.
✱ Uldericus Epiſcopus Tuſc. Card. Carpineus.
✱
✱
✱ Virginius Epiſcopus Albanen. Card. Urſinus.
✱
✱ Ego Cęſar Presbyter Card. Fachenettus.
✱
✱
✱ N. tit. S. Marię Tranſtiberim Card. Ludoviſius.
✱ Alderanus tit. S. Praxedis Card. Cybo.
✱ Federicus tit. S. Petri in Vinculis Card. Sfortia.
✱ Benedictus tit. S. Onuphrii Card. Odeſcalchus.
✱
✱ Aloyſius tit. S. Alexii Card. Homodeus.
✱ P. Cardinalis S. Marci Otthobonus.
✱ Laurentius tit. S. Criſogoni Card. Imperialis.
✱ Ego Marcellus tit. S. Stephani in M. Cęlio Presb. Card. Sanctacrucius.
✱ Ego Jo: Baptiſta tit. S. Marcelli Presb. Card. Spada.
✱ Ego Franciſcus tit. SS Quatuor Coronatorum Presb. Card. Albitius.
✱ Ego Octavius tit. S. Cęcilię Presb. Card. de Aquaviva, & Aragon.
✱ Ego Carolus tit. S Priſcę Presb. Card. Pius.
✱ Ego Carolus tit. S. Euſebii Presb. Card. Gualterius.
✱ Ego Flavius tit. S. Marię de Populo Presb. Card. Chiſius.
✱
✱

✱ Ego Jacobus tit. S. Pancratii Presb. Card. Franzonus.
✱
✱ Ego Petrus tit. S. Calixti Presb. Card. Vidonus.
✱ Ego Franciſcus Maria tit. S. Matthęi Presb. Card. Mancinus.
✱
✱
✱
✱ Ego Nerius tit. SS. Nerei, & Achillei Card. Corſinus.
✱ Ego Carolus tit. S. Anaſtaſiæ Card. Bonellus.
✱
✱ Ego Carolus tit. S. Suſannę Presb. Card. Caraſa.
✱ Palutius SS. XII. Apoſt. Presb. Card. de Alterlis S.R.E. Camer.
✱ Ego Cęſar tit. S Jo: ante Portam Latinam Presb. Card. Raſponus.
✱
✱
✱ Jacobus tit S. Marię de Pace Presb. Card. Ninius.
✱ Ego Julius tit. S. Martini in Montibus Presb. Card. Spinula.
✱ Ego Carolus tit. S. Marię de Aracęli Presb. Card. Rubertus Victorii.
✱
✱
✱
✱
✱ Ego Jacobus tit. S. Sixti Presb. Card. Roſpiglioſius.
✱ Ego Ludovicus tit. S. Sabinę Presb. Card. Portocarrero.
✱
✱
✱ Ego Johannes tit. S. Bernardi Card. Bona.
✱ Ego Federicus tit. S. Auguſtini Presb Card. Borromeus.
✱ Ego Camillus tit. S. Marię in Domnica Card. Maximus.
✱ Ego Gaſpar tit. S. Pudentianę Presb. Card. de Carpineo.
✱
✱
✱ Fridericus S. Agathę Diaconus Card. Haſſia.
✱
✱ Ego Carolus S. Cęſarei Diaconus Card. Barberinus.
✱ Decius S. Euſtachii Diaconus Card. Azzolinus.
✱ Paulus S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Card. Sabellus.
✱
✱ Ego Sigiſmundus Diaconus S. Georgii in Velabro Card. Chiſius.
✱
✱

J. G. Slutius.

Viſa de Curia S. de Pilaſtris.

Loco ✝ Plumbi.

D. Ciampinus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

1. *Ludovici*.) Cujus præclare geſta ſcripſerunt ex noſtris *Antonius Alardi* Patria Valencennas, *Balthaſar Johannes Roca*, Aragonus, Patria Valentinus, *Bartholomæus Aviñone*, Aragonus, *Hyacinthus Cunibert*, alumnus Provinciæ Teutoniæ, *Jacobus Riccius*, Romanus, *Johannes Doye*, Valencennas, *Johannes Andreas Faure*, Gallus, *Johannes Baptiſta Feuillet*, Gallus, *Joſephus Faverex*, *Lucas Loarte*, Hiſpanus, *Ludovicus Beitia*, Flander, *Vincentius Juſtinianus Antiſt*, Aragonus, *Vincentius Gomez*, *Vincentius Saborit*, Aragonus, *Jacobus Laſon*, Gallus, *Dominicus Maria Marchefius*, Epiſcopus *Puteolanus*, *Lopez &c.*

2. *Archivo*.) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXXIV*. Legitur in *Codice Canonizationum pag.* 431, auctore viro clariſſimo *Juſto Fontanino* Archiepiſcopo *Ancyrano*. In nuperrimo *Bullario Romano* edito anno *MDCCXXXIII* eſt *LXIII*. Legitur *pag.* 117.

3. *Continuata ſerie*.) Conſulendus *Johannes Carolus a S. Vincentio* in *Chronologia Miſſionum*. Extat in *Anno Dominicano Tomo I Menſ. Septembris*.

4. *Anna*.) Hinc emendandus *Jacobus Laſon* ſuprà laudatus ipſam vocans *Angelicam*.

5. *Ludovicus*.) Sic paſſim vocatur, *Johannis* tamen *Ludovici* nomen ipſi inditum fuiſſe, auctores ſunt ſcriptores ſupra recenſiti.

6. *S. Vincentius Ferrerius*.) Ordinis Prædicatorum, de quo dictum fuit *Tomo III* hujus *Bullarii pag.* 379.

7. *Fratribus*.) *Hieronymo*, *Michaele*, & *Jacobo*.

8. *Nomen dedit*.) Ætatis anno *XIX* nondum expleto, Chriſti *MDXLIV* die *XXVI* Auguſti.

9. *Promotus*.) Anno *MDXLVII*, ætatis *XXII*, non enim vulgatum fuerat Sacri Concilii Tridentini Decretum.

10. *Paulo poſt*.) Die ſcilicet *XII* Septembris *MDLI*, ætatis anno *XXVI* non expleto.

11. *Vicarius*.) Anno *MDLVII*, ætatis *XXXII* non expleto.

12. *Conventus de Albayda*.) In Regno *Valentino*.

13. *Præfuit*.) Prior *Valentinus* renunciatus eſt die *XV* Maii *MDLXXV*, anno autem *MDLXX* electus fuerat Prior Conventus *S. Honuphrii*.

14. *Arripuit*.) Anno *MDLXII*, ætatis ſuæ *XXXVII* non expleto.

15. *Hiſpali*.) In *Hiſpania Bætica*.

16. *Carthagena*.) In *America*.

17. *Conventu*.) Congregationis *S. Antonini*, Provinciæ *Peruana* tunc juris erat.

18. *Teneriſem*.) Civitas eſt *Americæ* diſtinguenda ab ejuſdem nominis Inſula Oceani *Atlantici*.

19. *Abluit*.) Id *Tubaræ* contigiſſe, narrant Scriptores ſupra laudati.

20. *Satabi*.) *Setabi*, in Regno *Valentiæ*.

21. *Prædixit*.) Epiſtolam hac de re a *S. Ludovico Bertrando* ſcriptam *S. Thereſiæ* referunt auctores ſupra recenſiti.

22. *Johannem*.) Virum celeberrimum, de quo conſulendus *Nicolaus Antonius* in *Bibliotheca Hiſpana*.

23. *Septimo Idus Octobris*.) Hora *Hiſpanis* decima matutina, *Italis* ſeſquiquintadecima.

24. *Prior*.) Vide Notam *XII*.

25. *Poſt annos fere Octuaginta*.) Anno ſcilicet *MDCLXI*, ut in ipſomet Diplomate mox dicetur.

S. Roſam (1) a S. Maria cælitibus annumerat.

Anno 1671 Die 12 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXI.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CÆleſtis Paterfamilias, cujus natura bonitas, voluntas potentia, & opus miſericordia eſt, ubi ad magnam Divinitatis Cęnam invitatos Judęos ſe ipſos, ut indignos, eximentes conſpexit, ad vicos, & plateas Civitatis accerſentem hinc inde alios, atque alios convivas, ſervum fidelem tranſmiſit. Verum nec pauperum multitudine, nec debilium, cęcorum, aut claudorum copia, nec his, qui prope, nec his, qui longe erant contentus, ad regale epulum, in quo non pauca, ſed omnia parata erant, & ad cęleſtem domum implendam in ulteriores gentes deſtinatum nuncium progredi juſſit. Undique ex Aſia, Africa, & Europa Sanctorum virorum, atque mulierum cujuſcunque ętatis, conditionis, & gradus agmina collecta fuere, ſola eſuriens languebat America, nec Domini, volentis ſalutem omnium, arcani myſterii conſcia, nec miniſtri vocantis voces audire valens, donec venit plenitudo temporis, & per miniſtros fideles ſedentium in tenebris, & umbra mortis auribus vox Patris intonuit, illatumque eſt Evangelium ultra Indum, & Gangem, & Æquatorem, & per omnes compitorum angulos famelici quęſiti Gentiles, ut in parato convivio pinguium, ac medullatorum cum Deo Abraham, Iſaac, & Jacob in Regia ſua recumberent. Tandem ultra totius antiqui Orbis extremos fines longe, lateque uſque ad ultimas Atlantici Oceani metas, & uſque ad extimas Occidentalium Indiarum (3) oras, quę maris, quod pacificum (4) dicitur ſepiunt immenſa littora, iterum, atque iterum fideli ſervo, per quem Prędicatorum Ordo maximo hujus S. R. E. Doctore, & Prędeceſſore noſtro Gregorio teſtante ſignificatur, excurrendum fuit, donec ad Peruviam (5) perveniret, in quam una cum iis, qui Regionem illam felici introitu, ac ſucceſſu, Deo, & Sanctę Romanę Eccleſię ſubjecerunt, primus ille penetravit Ordo (6), Nota I qui ſingulari hujus Sanctę Sedis Apoſtolicę privilegio Prędicatorum titulo jam diu inſignitus fuit (7), & ante alios Peruvianę gentilitati Sanctum Jeſu Chriſti Evangelium annunciavit, primuſque ibi ſalutiferę prędicationis verbum ſuo ſanguine obſignando univerſam illam gentem ad cęnam Agni providi efficaciter invitavit, cujus voce, labore, & cruore aurifera illa terra exculta ad exhilarandam univerſę, tam militantis, quam triumphantis Eccleſię cęnam inter ceteros Chriſtianę pietatis illius Regionis flores Deo, Angelis, & hominibus ſuaveolentem protulit Roſam totius Evangelicę perfectionis exemplar, & primum ex Orbe novo in Sanctorum albo reponendum ornamentum. Cum enim ad hoc nata, & data fuiſſet eam omnium impartitor bonorum ſpiritus, ſapientię, & intellectus implevit, adeoque ſuę caritatis igne inflammavit, ut non tantum odore recrearet, ſed etiam fulgore luceret in ea domus Dei parte, quę in tenebris latebat, ut quaſi ſtella matutina in medio nebulę, quaſi Luna plena in diebus noſtris, & quaſi Sol refulgens in perpetuas ęternitates ſplendeſceret. Æquum igitur, & ſummopere rationi conſentaneum judicamus, ut quam Dominus Noſter Jeſus Chriſtus, cujus vices in terris gerimus, ſingulariter in dilectiſſimam a ſe ſponſam aſſumptam monilibus, & coronis ſuis ornatam demonſtrare dignatus eſt, Nos quoque pro muneris noſtri in univerſa Eccleſia debito, cui licet immerito pręſidemus, ut venerandam a Deo pręelectam, Sanctamque colendam, Apoſtolica auctoritate decernamus, ut a ſolis ortu uſque ad occaſum omnis lingua, & omnes populi confiteantur, quod magnus Dominus in omnibus

operibus, & laudabilis valde in mirabilibus ſuis, quoniam etiam in diebus noſtris non defuerunt miſericordię ejus ſuper nos, & licet paterne culpis noſtris exigentibus corripiat, non tamen in perpetuum obliviſcitur, ſed in anguſtiis noſtris multiplici nos electorum, & amicorum ſuorum pręſidio cuſtodire non deſinit, qui meritorum, & ſuffragiorum ſuorum patrociniis nos muniat, & defendat. Utque Chriſti Domini fideles intelligant, quam ſit eximium hoc pietatis exemplum, quod in novo Orbe in pręſentibus calamitatibus, & periculis toti illuxit Eccleſię, illuſtriora ejus chariſmata, virtutes, & geſta ex multis Magnalibus, quę contulit illi Dominus his noſtris literis proponenda duximus, ut ejus Sanctitas Apoſtolicę hujus Cathedrę teſtimonio comprobata in univerſo mundo perpetuo magis illuceſcat. Limę (8), quę eſt Meridionalis Americę in Regno Peruano Metropolis anno a reparata ſalute milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto duodecimo Kalendas Maii Parentibus honeſtis Gaſpare dę Floribus (9), & Maria ab Oliva (10) orta eſt hęc myſtica Roſa in vico Sancti Dominici juxta S. Spiritus ędem, & in ipſa ſolemni Pentecoſtes die, quam Roſarum Paſcha dicimus, Sacro Baptiſmatis fonte purificata, ut pene videantur omnia fuiſſe infantis hujus futurę Sanctitatis indicia. Primęvum illi nomen ab Avia (11) Eliſabeth fuit, quod poſtea divinitus non ſolum a Matre propter cęleſte prodigium roſę in facie ejus illico apparentis, ſed etiam a Turibio (12) Archipręſule Limę digniſſimo, non abſque cęleſti, ut creditur, afflatu, in Sacri Chriſmatis unctione (13) in Roſę nomen commutatum, & a Deipara Virgine agnomine a Sancta Maria auctum fuit, ut hoc etiam teſtimonio abundantius comprobaretur, eximia Sanctorum merita a Deo nomina ſortiri. Infans ſępe viſa eſt humi jacens fixis ocellis jucunde Cęlum intueri, quaſi jam peregrina in terris, in civem cęleſtis Hieruſalem eloquenti ſilentio, quo ex tunc prędita erat, adſcribi poſtularet, jamque pupula intelligens meliorem eſſe patientem viro forti, ſuavis, lepida, & ſerena ſemper apparuit, nec unquam vagitibus, aut voce querula ędium audita eſt turbare ſilentium, averſata ſolum in publicum efferri. Ea fuit teneris in annis conſtantia, ut diros Chirurgi cruciatus in pollice, aure, & naribus ſine querela, & capitis pęnalem corroſionem ex impoſitis ad medicamen pulveribus ortam ſine querela invicto animo ſuſtineret, ut ejus indoles, jam ex tunc patientię nata eſſe crederetur. Vix quinquennis erat cum a Spiritus Sancti unctione interius edocta, Virginitatis votum emiſit, & ex fratris admonitu vanitatis ſeculi conſcia facta ipſamet ſibi comas ad vivam uſque cutem inſcia Matre pręſcidit, ne quid funium ſupereſſet, quibus adverſus devotam puritatem, aut traheret, aut traheretur ad nuptias, inſignem illam Heroinam Catharinam Senenſem (14) ęmulata, quam ſibi in ipſo rationis diluculo in Sanctitatis exemplar, & magiſterium delegerat, quam ſubinde Magiſtram appellare non deſtitit. Addidit in pręſidium primo alterum perpetuę a carnibus abſtinentię votum, quo cautius obſtrictam Deo Virginitatem cuſtodiret, optime intelligens ſobrietatem docere ſapientiam, & virtutem, quibus nihil utilius eſt in vita hominibus. Quapropter jejunium adhuc parvula ſic ſervavit, ut omni ſe fructuum eſu interdiceret, quos ſibi donatos mox aliis largiebatur. In hebdomarum ſpatia protrahebat inediam, quęque in puerilibus annis inſignem exercuerat abſtinentiam, Monialis poſtea eam ſibimet jejunandi legem indixit, quę plane ſupra naturam eſſet. Nam integras Quadrageſimas tranſigebat ſine pane, dietim quinis duntaxat aurei mali granulis in memoriam quinque vulnerum Chriſti ſeſe reficiebat, ſeptem vero menſium ex Ordinis ſui pręſcripto jejunium a feſto Sanctę Crucis exaltatę uſque ad Paſcha ſic obſervabat, ut nonniſi ad veſperam exigue panis vilioris bucella, hauſtuque frigidę aquę ſedaret famem, & ſitim. Sępe, ac pręcipue ſextis feriis, palatum, & viſcera cruciabat felle vervecino, quod in hunc uſum potabile ſervabat, ut Chriſti ſui in Cruce ſitibundi guſtaret ſpongiam. Interdum, ut Matri videretur lautius obſonare amariſſima Granadillę (15) folia, vel alias e ſylva extremę amaritudinis herbas injectis ad ſpeciem paucis uvarum ſiccarum acinis in pulmentum adhibebat. Quando obedientię vi ad carnis eſum cogebatur, duris ſimptomatibus torqueri viſa eſt, nec quietem primam reparabat, donec ad priſtinam abſtinentiam lęta redire permitteretur. Sic denique aſſueta jejuniis erat, ut ejus creberrimis infirmitatibus nullum aliud prodeſſet medicamentum quam panis, & aqua. Sic enim divina gratia curat, & ſanat. Ut loqueretur victorias, mirabilis fuit in Roſa obedientia, tum in ſequendis Divini Sponſi tractibus, quibus eam per arcanas Sanctitatis ſemitas in unguentorum ſuorum currentem odorem trahebat, tum in durę, & rudis Matris pręceptis adimplendis, quibus eam ex adverſo ad ſeculi nugas, & vanos corporis ornatus impellebat, in tanta enim oppoſitorum mandatorum diverſitate arte excelluit pluſquam humana, non aberrando, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Hinc novit in florigero ſerto vera filia Hieruſalem juſſa illud capiti imponere, celare acum tempora figentem, non ſolum intuita, ſed imitata verum Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua. Chirothecarum ſuaveolentium in manibus obtemperans admiſit amictum, e quibus aduſtionem veram experta, dum eas abjicit, vidit promicare flammas, & totum collucere cubiculum. Pellibus ab ipſa genitrice pro reparanda valetudine circumligatis ſumme cruciata ſilens, & patiens ſuſtinuit, vitam potius quam obedientiam perdere parata, in omnibus enim, & per omnia a Confeſſariis, Parentum, & majorum nutibus pendens, mundi, & ſui victrix etiam in minimis omnes obtemperantium palmas obtinuit, &, quod magis mirandum eſt, etiam vita functa in Cęnobio Sanctę Catharinę Lucię Pręfectę illius obedientiam pręſtitit. Sciens etiam Deo, Parentibus, & Magiſtris nunquam reddi ęquale, eximiis proſequuta eſt Genitores reverentia, pietate, & caritate. Labore manuum eorum inopiam levem reddebat, prudens, & providens in removendo quicquid eis ingratum, aut inquietum eſſe poſſet, in pacandis contentionibus, & ſedandis animis mirifice diſcreta. Infirmę eorum valetudini ſemper prompte, & provide aſſiſtens, & miniſtrans viſa fuit. Ad hoc per ſingulas noctes in operibus elaborandis vigilias protrahebat ad inſtar fortis illius mulieris, quę de nocte ſurrexit, deditque prędam domeſticis ſuis. Debilis enim, languens, & ſępe ęgrotans, ac orationibus, & aliis exercitiis detenta, & aliarum artificum opera, & celeritate, & perfectione, quam longe ſuperabat. Nec prętereundum, quod in hac pietate erga parentes curſum vitę ſuę feliciter clauſit. Matrem enim pręvidens pro ſui obitus adventu ſummo męrore afficiendam,

Spon-

Sponſum ſuum enixe precata tantam divinarum conſolationum ſenſibilem affluentiam ei obtinuit, ut poſtmodum jurejurando depoſuerit, ſe in tam dilectę filię prematura morte expertam fuiſſe cor ſuum nimis anguſtum, & incapax ad cęleſtia illa gaudia capeſſenda. Humilis Virgo ſibi videbatur nil agere, aut pati in Sponſi famulatu, ſeipſam redarguebat ſupinę ignavię, vociferabatur ſe indignam communi aere, mirabatur ſe vivam terrę hiatu nondum abſorberi, ad pedes Confeſſariorum lacrymis plena ſingultiebat, minimos quoſque defectus ita exaggerans quaſi atrociſſimorum ſcelerum cumulatim rea foret, publicas Urbis, aut Regionis calamitates ſuis imputabat demeritis, ęgritudines creberrimas, & acutiſſimas acceptabat, & amabat, ceu vindices, ac juſta ſupplicia ſuę in Deum perpetuę ingratitudinis, provocabat in ſe omnia mundi elementa ad vindicias injuriarum, quas eorum Creatori a ſe illatas querebatur, credebat firmiter, & ita ab omnibus credi ſatagebat, omnium ſe creaturarum eſſe abjectiſſimam, & peſtilentiſſimam, nęvum execrabilem infelicis ſeculi, orbis maculam, humani generis ultimum carcinoma. Hinc ſi deprehenderet de virtutibus ſe tantillum commendari, cruciabatur miſera, expalleſcebat, diffluebat lacrymis, dehiſcebat illico ſe mergens in abyſſum humilitatis. Accidit, quod e vicino ędium conclavi obiter audiret perſonas graves de Roſę tanquam abſentis mirabili vita honorifice, ac ſecreto confabulantes, expavit, & contremuit exanguis virgo, angore, fletu, & męrore contabuit, ac ſeipſam duriſſime objurgans ter, quater illiſit pugnum aculeatę capitis ſui Coronę, fluxerunt ſub velo ſanguinis rivi, ut acrimonia doloris ingratiſſimum alienę laudis obtunderet auditum. Familiaribus ſuis ingenue profitebatur humilis Roſa, plectendis ſuis criminibus haud ſufficere communem gehennę rogum, alium ſibi deberi ſingularem infernum, ac veteri profundiorem, longeque deteriorem. Ducebatur inter hęc virtutum exercitia a Sponſo, tam ad exteriorem corporis, quam ad intimam ſpiritus ſolitudinem, ut ibi loqueretur ad cor ejus, obſiſtentibus ex adverſo importunis genitricis conatibus, quibus eam ad connubia terrę parare ſatagebat, ad quę non ſolum verbis durioribus, ſed etiam verberibus impellebatur, ſed vicit invictus Roſę animus. Prius enim Cantę (16), ubi cum ſuis morabatur, per quadriennium ſemel tantum a matre juſſa domo exivit. Poſt exemplo ſuę Magiſtrę rigidiore inedia vultus venuſtatem imminuere, veſte humili, & deſpecta corporis agilitatem celare, hominumque proſpectum quoad poterat declinare curavit. His ſanctis artibus ſpes omnes nuptiarum eluſit, non tamen quamcunque pugnam evaſit. In ſtatu enim vitę deligendo diu, multumque luctandum fuit. Tandem obtinuit vigeſimo ętatis anno (17), ut conſentiente matre cooptaretur palam in filiam Sancti Dominici, aſſumpto Sanctę Catharinę Senenſis habitu, quo candent ſorores Tertii Ordinis vulgo de Pęnitentia. Eam namque ſeverioris inſtituti Sanctę Clarę primę Virgines Monaſterii Limenſis in fundationis ſodalem habere totis viribus conabantur. Sanctimoniales poſtmodum Sancti Doctoris Eccleſię Auguſtini illam jam domo ad hoc egreſſam prętolabantur ſacro hoc amictu, & nec fruſtra, ni ante Aram Beatiſſimę Virginis Sanctiſſimi Roſarii immobilem vis divina tandiu detinuiſſet, quoad ceptum itineris propoſitum retractaret; Unde cęlitus admonita Ordinem Predicatorum eſſe in Sancta Eccleſia Paradiſum voluptatis Divinę in quo ipſa velut Roſa cęleſtis ceteris ibi liliorum, & roſarum vernantibus plantis ſocianda, & inſerenda erat, quod poſtea ex intimis pręcordiis optans petebat, & voti compos facta ante prędictam ſibi ſumme gratiſſimam Sanctiſſimi Roſarii aram Alphonſo Velaſquez ejuſdem Ordinis tunc a Confeſſionibus ipſius Virginis dante anno Domini ſexto ſupra milleſimum, & ſexcenteſimum in clara S. Laurentii celebritate habitum ſuſcepit. Verum nec adhuc integra pax. Suadebat enim poſtea Quęſtor Gundiſalvus vir optimus, qui apud Virginem Roſam ſibi concreditam auctoritate, & domeſtico imperio plurimum valebat, reformatam Excalceatarum Virginum Sacri Carmeli Regulam in clauſo Cęnobio potius ſubire, quam inter poſtremas Sancti Dominici Tertiarias extra ſepta Monaſterii militare, ſe non tantum protectione, ſed, & opera, & opibus adjumento futurum pollicebatur. Theologorum (18) Scrutiniis in hac cauſa anceps ſententia ſtetit, donec ipſa cęlitus roborata conſtantiſſime ſtatus religioſi delectum non humanę, ſed divinę inſpirationis opus eſſe demonſtravit, ſibique vivendum uſque ad extremum ſpiritum ſub Sanctę Catharinę Senenſis magiſterio, & tandem futurum tempus, quo ibi Limę exurgeret hujus nominis, & Inſtituti Monaſterium, quod prophetico ſpiritu pronunciatum fuiſſe, eventus ipſe poſtea comprobavit. His omnibus ſuperatis eo gravior, quo intimior adhuc difficultas emerſit; importune enim ſe ingerebat in humillima ſui cognitione moleſta cogitatio, quod ipſa peccatis ſordida illo niveo, & ſacro amictu, nimis eſſet indigna. Nec deſtitit pugna, donec ante ipſam Sanctiſſimi Roſarii aram in placidiſſima ectaſi rapta, & pallens, & rubens, ac ſplendoribus fulgida apparens, & poſt ſenſibus reddita, in jubilum grati animi obtentę victorię erupit. Tantę molis erat pacifice Seraphicę ſuę Magiſtrę habitu, & inſtituto potiri, quam poſtea ſic adamuſſim expreſſit, ut non ſolum ab exteris altera Senenſis Catharina, non ſine magno humillimę Virginis angore animi, diceretur, ſed & ipſi confeſſario in lineamentis, geſtu, & vultu, ſic in illam mirabili divini amoris methamorphoſi commutata appareret, ut jam non ſimilis, ſed eadem prorſus eſſe videretur. Oraculum illud divinum ſponſabo te mihi in fide etiam cum hac dilecta, & electa Dei eximio privilegio impletum fuiſſe dignoſcitur, ad quod eam per mirabiles favores evehere dignatus eſt. Singularis fuit, quo ſpecioſus forma prę filiis hominum habitu marmorum cędendorum peritiſſimi Artificis feſtivus, & amans in ſomnis apparuit, ut Virginem illic ſponſam quęſiturus. Ubi Roſa in tanti connubii fędus conſenſit arduos ei cędendorum marmorum labores impoſuit, & brevem terminum ad perficiendum opus, dum peregre rediret, indixit. Erubuit virgo in Sponſi reditu omnino impar ſuis viribus opificium adhuc infectum inveniri, cui dolenti reſeravit ille amplam lapidariam officinam, in qua innumerę electę Virgines cędendis, & poliendis marmoribus viriliter inſudabant; ſponſas eſſe ex nuptiali veſte, & fulgore deprehendit, ſuarum lacrymarum ſtillicidiis ſaxa ad inciſionem emollientes, & una cum illis conſimili veſte circumamicta novit ſe ad tanti ſponſalitii gradum per ardua prępararі; his igitur, & eo virginali candore nitens, ut nunquam nec venialis impuritatis macula eam aſperſam fuiſſe, omnes ejus a Confeſſionibus jurati teſtes probaverint; apertius ad myſterium ventum eſt. Dominica erat Palmarum, cum

Laus Ordinis.

in ipſo Roſarii ſacello in ſui nihili abyſſo demerſam ſic affatus eſt. Roſa cordis mei tu mihi ſponſa eſto. Contremuit virgo ad dulces tam divini Sponſi voces, & ſimul audivit gratulantem ſibi Deiparam, & dicentem; en Roſa, quali te dignatur honore meus hic filius. Inęſtimabiles divini amoris theſauri, & connubialia tanti Sponſi maxima in Roſam munera tam largiter depluerunt, ut ad ea in poſterum occultanda humilioribus adhuc exercitiis continuo vacando, & de ſe abjectiſſime ſentiendo, ac in omnibus ſui contemptum ſibi comparandum eſſe cognoverit, & reipſa opere compleverit. His donis aucta, & chariſmatibus cumulata ferventius Virago iſta accinxit adhuc arctius fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum, deficientibus enim ad ſuę fidei martyrium tyrannis, & tortoribus, ſe ipſa fortior, utriuſque in ſe explevit miniſterium. Saxa enim, & Cruces quibus parvula uſus flagellorum ignara a Mariana ancilla ſuarum mortificationum fere ſola conſcia ad orationem, vel ad hortum pergens onerabatur, in ferreas catenas commutavit, quas aptavit in flagra, quibus ad Sancti Dominici exemplum ſingulis noctibus uſque ad rivulorum ſanguinis copioſam effuſionem, vel pro ęrumnis Sanctę Eccleſię, vel pro periclitantis Regni, aut Urbis Limenſis neceſſitatibus, vel pro compenſandis peccatorum injuriis, vel pro expiandis defunctorum animabus, vel ad impetranda divina ſubſidia in extremo agone conſtitutis, cruentam ſe Deo victimam ad ejus juſtam iram avertendam offerebat; horreſcentibus quandoque domeſticis ad tam diros catenarum ictus, quarum uſu interdicto, earum una ſic triplicato ductu lumbos latenter diu pręcinxit, ut nunquam niſi maximorum cruciatuum Iſchiadis vi apparere potuerit, quę poſtea nonniſi interveniente miraculo ſoluta fuit, cujus anulos poſt Virginis obitum miram, & peregrinam ſuaveolentiam ſpirare compertum eſt. Ne qua vero pars innocentis corpuſculi vacaret a ſupplicio, pęnalibus vinculis brachia, & lacertos torquebat, urticarumque manipulis, ac minutulis ſentibus pectus, axillas, ac latera arctabat, ut ſuo lilio inter ſpinas conſtituto omnino configuraretur hęc Roſa. Cilicii poſtea a colle infra genua protendentis aſperitatem acubus permixtis auxit, quo compluribus annis uſa eſt, donec ob frequentem ſanguinis vomitum exuere juſſa fuit, cujus ſupplicii jacturam alia veſte minori valetudinis damno, ſed non leviori moleſtia compenſavit, ſub ea enim pęna erat ei quicunque motus, ſolę plantę ab his doloribus vacabant, quas tamen aut ſaxorum colliſione, aut fornacis aduſtione a cruciatibus immunes eſſe non ſinebat, & quod fere ſingulare eſt in divinarum conſolationum affluentia, quibus ſolet ſanctitas etiam in terris abundare, & piorum caro in Deum vivum jucundatur, & exultat, ab eis corpus ſuum alienum, & jejunum eſſe cogebat. Memor ulterius non decere ſub capite ſpinoſo membrum delicatum inveniri, compuncta obtutu pię imaginis muto pręconio dicentis: Ecce homo, primam coronam capiti ſuo ex ſtanno peracutis claviculis infixit, & per aliquot annos non ſine vulneribus cinxit; cui in majoribus annis ſucceſſit ſecunda nonaginta & novem aculeis armata, quam in dies diverſimode ſemper magis pęnalem arte familiaribus occultam reddebat, eamque nonniſi cum vita dimiſit. Neque enim videbatur ei Seraphicę magiſtrę plene induiſſe habitum, niſi & ſpineam illius aſſumpſiſſet coronam. Hujus diadematis triplici actu in Sanctiſſimę Triadis reverentiam Dęmonum ſuggeſtiones illico fugare conſueverat, ſatis inſtructa tales ſpinas non violare, ſed vallare has Roſas: ſtrati ſui duritiem eam eſſe voluit, quę ſomnum magis abigeret, quam conciliaret, itaut dormiturę idem eſſet lectulus, & equuleus: cervical aut impolitus truncus, aut lapides in hunc uſum abſconditi, quod cubile pręacutis poſtea tegularum fragmentis, teſtarumque fractarum triquetris ſic implevit, ut ſingularum pars mucronata obverteretur corpori, nec ante ſe ad ſomnum componebat, quam fellis hauſtu fauces amaricaſſet, ſic floridus erat hujus ſponſę lectulus & ſponſo divino adeo gratus, ut eam quandoque propter hęc pene exanimem viſibiliter apparens conſolatus fuerit, proponendo ei duriorem, & anguſtiorem ſuum lectulum Calvarię. His artibus ſomnum ſuum intra duarum horarum anguſtias coercuit, & quandoque etiam minus ſpatii importuno exactori conceſſit, diurnum enim, nocturnumque tempus ſic diſtribuebat, ut ex utroque duodecim integras horas orationi ſeponeret, alias decem labori manuum, quo Parentes ſuſtentaret, impendebat, reliquas duas brevi quieti, ſomnoque deputabat, adverſus cujus inſidias clavum parieti infixerat, cui capillitium, quod ad tegendam coronam reſervarat, ſtrictiſſime implicabat, eoque tormento ſomnolentiam fugans ad preces recitandas vigilias accreſcere conſueverat. Æmulata Sanctorum Anachoretarum receſſus, qui in eremi ſolitudine Chriſtum Dominum receperunt, adhuc infans ſolitarios domi angulos quęrebat, puellarum nugas fugiens, ut ſola cum Deo ſuo deliteſceret; grandiuſcula ex umbroſis arborum ramis Oratoriolum cum Altariolo conſtruxit, illucque a menſa, & a lectulo ſurgens, ut ad orandi aſylum properabat. Proverbium erat. Hortum adeas ſi Roſulam quęris. Domi in cubiculo ſola in oratione pernoctabat. Exitus e domo pęnis etiam ſibi, vel in pede ſaxo, vel in oculis mordaciſſimo pipere indico inflictis vitabat, tolerabilius judicans excęcari, quam vanitates ſeculi proſpicere. Pro arctiori receſſu non ſine magna lucta, & pręvio mirabili oſtento Deiparę, & Pueri Jeſu in Sanctiſſimi Roſarii Sacello, tandem obtinuit a matre in extremo horti angulo cellulam quinque pedum longitudinis, & quatuor latitudinis, ubi non ſolum manuum labori, ſed potiſſimum collectioni ſpiritus, & contemplandi ſtudio vacaret, tantum ibi ſolum ineſſe ſpatii gaudens quantum ſibi, & ſponſo cęleſti ſufficeret, in hac felici eremo aſcenſiones in corde ſuo diſponebat, & ſupra ſe elevata videbatur potius extra corpus, quam in corpore degere. Sub ſpecie ſtellę probatę perfectionis matronę in viſu apparuit. Civitati enim Regum qualis dicitur Lima ſuum debebatur ſydus, quod ad Chriſtum Dominum Regem Regum Dux eſſet. Divinitus proſpectum fuit, ut ibi reſidens complures diſtantes Miſſas audiret, videretque non ſecus, ac ſi corpore pręſens fuiſſet. Innumeri culices hanc Anachoreticam cellulam intrabant, nec tamen, vel unus fuit, qui eam morderet, aut attingeret, eſto etiam religioſas perſonas accedentes hoſtiliter invaderent, hujuſmodi beſtiolas ad Dei laudes pro ſuo modulo perſonandas ſic incitabat, & mirabiliter regebat, ut Roſa prope attigiſſe imperium ſtatui innocentię reſervatum, & in ea ſolitudine velut in Paradiſo morari crederetur. In hujus tugurioli receſſu cum ſola erat, aut a nemine ſe obſervari putabat, tenerius ſimul ac liberius proſa, verſu, colloquiis, & cantu in ſolemnia quęque Seraphici Amoris laudes erumpebat eo fervore, & impetu, ut audientium corda ad caritatem, & compunctionem igna-

ignara commoveret. Ex ipſa Divini amoris ignita pharetra jaculatorias collegerat in formam precatiunculas, quę legentibus placuere, & multis uſu profuerunt. His interpellabat verum Deum, & Sponſum animę ſuę lętitiam cordis ſui, ac benigniſſimum Jeſum amore illo perfectiſſimo, quo ſimul univerſi Cives Empyrei eum diligunt, ſe proſequi, & conſumi toto corde proteſtabatur. Adventante hujus ſui dilecti in Bethleem natali cum eum parvulum, & nudum cum inope Matre contemplaretur, piorum operum ſingulari, ac pretioſa conſutura dignas amore infantulo veſtes pluries pręparabat. Induſioli enim panniculorum temporis quo delituerat ſtragulę faſcię fimbriarum, & limborum, ac crepundiorum loco ſubſtituerat, Roſaria, ſtationes ad Sanctiſſimam Euchariſtiam, jejunia, coronas Domini, orationes Dominicas, Salutationes Angelicas, Symboli Apoſtolici recitationes, & plurium aliarum precum, flagellationes, lacrymas, interventus Miſſarum, & Sanctiſſimę Communionis ſumptiones, quę omnia frequentiſſime repetebat. Hiſque Sancti Amoris exercitiis ſic animam, & cor ſuum illi ſacraverat, ut tota ipſius veluti dilectiſſima Sponſa eſſet, & nihil ſibi reſervaret, quod Sponſus ejus omnino non poſſideret. In connubiali anulo, quem in tanti ſponſi mnemoſynon cum ipſius infantis Jeſu effigie elaborari mandaverat: fratri ejus dum in eo delineando incumbit, quamvis tanti myſterii penitus ignaro pro lemmate divino inſtinctu illa eadem Regis Regum ſponſalitia verba occurrerunt; Roſa cordis mei, tu mihi ſponſa eſto. Anulus iſte eam ab ipſo Chriſto Domino vim ſupernam obtinuit, ut eum vir (19) probatę virtutis attrectans eximias divini amoris immiſſiones, excelſa lumina, & inſuetos Spiritus Sancti ardores uſque ad animę deliquium expertus fuerit corpore prorſus immobili, nec niſi anulo depoſito potuerit ſurgere liber qui ſenſibiliter in captivitate, tam ſanctę nuptialis lętitię tenebatur. Quod ſi tantum in aliena, quantum in ipſa ſponſę anima divinę illę nuptię valuerunt. Habitavit igitur hęc amantiſſima Domini confidenter, & quaſi in thalamo tota die morabatur in eo. Edocta enim in ipſa infantia interius ab ipſo ferventer orare etiam dormiens deprehenſa fuit ore diurnas proferre preces, & cor ejus in oratione vigilare. Anno ętatis ſuę duodecimo elevata fuit ad ſublimem illum contemplandi gradum, quem myſtica Theologia unitivum appellat. Inter manuales labores intellectus aciem immobiliter in Deum figebat, itaut nec in vigilia, nec in ſomno mentis ejus oculo cęleſtis ſponſi elaberetur pręſentia, quę ita ſuaviter occupabat interiores animę illius vires, ut loquendo cum ipſo Deo intus, ſimul etiam alia quęque neceſſaria expedite foris pertractaret. Per horas immota ante aras, nec prętereuntes vidit, nec ad repentinos ſtrepitus animum deflexit. A mane ferię quintę uſque ad Sabbatum quandoque etiam uſque ad Dominicam ſic genibus flexis invariata manſit, ut nec e pavimento ſurgere potuiſſe, ſincere juſſa aperuerit. Attributa divina diſtributa in numerum centum quinquaginta per decades ad exemplum Sanctiſſimi Roſarii recitando Dęmonibus terrori fuiſſe cognovit. Familiares ipſius ſermones vim orationis, ut plurimum continebant: A canora Avicula excitata ad Dei contemplationem tribus ante prandium horis, & in ectaſim rapta ab ea nonniſi ad veſperam ſe explicuit. Ad orationis, & pręcipue mentalis exercitium proximos allicere ſtudebat. Confeſſarios exorabat, ut ad eam omni arte pęnitentes inducerent, ipſoſque divini verbi pręcones frequentiſſime hortabatur, ut ad ejus ſtudium, veluti ad magnam adverſus omnia peccata pharmacopeam ſuos Auditores inflammarent, ac piarum meditationum uſum populariter inveherent. Parthenici Roſarii recitationem cum innexa decadatim myſteriorum conſideratione, prout Sanctus Dominicus inſtituerat, ſingulariter diligebat, eo quod in ea coaleſcant mentalis, & vocalis ſimul Nota. orationis affectus, petitiones, laudes, & gratiarum actiones, & plurimis hęc Roſę incitamenta profuiſſe re ipſa compertum fuit. Prope obitum per Quadrageſimam cum Avicula mire canora, quę ſole occiduo ante ſuum cubiculum advolabat, alternavit Roſa cantica, & laudes Dei quotidie per horam integram tanto ordine, ut canente avicula virgo ſileret, & virgine modulante avicula attentiſſime nec piperet, quin & ipſas inſenſibiles plantas exemplo prorſus ſingulari ad laudes, & ad orationem Dei eo verſiculo prolato: Benedicite univerſa germinantia in terra Domino, invitavit, & viſibiliter ſic inclinavit, ut arborum ſummitates terram attingerent, ac veluti ſolemni venerationis ritu Creatorem ſuum adorarent, uſque adeo verum eſt, quod is, qui adhęret Domino, unus ſpiritus eſt, & ei quoque obediant omnia. Ut probaretur, an ſpiritus ejus ex Deo eſſet ſubtili virorum tum doctrina, tum pietate, & ſpirituum diſcretione excellentium examini pluries ſubjecta fuit, ex quo claruit, ejus lumina, & dona divina fuiſſe, & ab ipſo rationis diluculo nihil ei dulcius occurriſſe, quam de Deo cogitare, & ſupernis ejus beneplacitis inhiare. A duodecimo anno expeditiſſime introrſum ejus animam a Domino cum ſuis ſpiritualibus potentiis attractam divinę pulchritudini inhęſiſſe, ut nulla re creata a caritate Chriſti unquam ſeparari potuerit: ab infantia ex magno Dei munere faciles ad virtutes propenſiones ſine paſſionum tumultu ſenſiſſe: a prima Dei notitia repletam fuiſſe timore Dei, & horrore peccati: nulla re creata potuiſſe recreari: totum ſuum levamen fuiſſe ſentire Deum in anima ſua pręſentem. Acerbius omni jactura, & gehenna ipſa videri ei, ſi vel ad momentum e conſpectu eum perderet. Tunc ex obedientia aperuit, quod certamen forte dedit illi Deus, ut vinceret, & ſciret, quod potentior omnium eſt ſapientia. Horrendas enim viſiones, pavores, & ſpiritus derelictiones, quas per quindecim annos ſumma conſtantia pertulit, enarravit, quę veluti pęnales animarum in Purgatorio lugentium dilationes, & quidem ipſius Inferni typus videbantur, cum nulla ei ſpes evadendi affulgebat, tunc patuit inter has derelictiones repente in ipſo priſtinę unionis meridie, veluti in Sponſi brachiis ſe deprehendiſſe reſtitutam, ſenſiſſe quoddam donum inexplicabile, ſolidum, & fundamentale, quo videbatur ſibi reddita impeccabilis, ut ille, qui dicebat, quis nos ſeparabit a caritate Chriſti, plerumque etiam poſt illas tenebras apparuiſſe ei humanitatem Chriſti Domini, necnon & Sanctiſſimam Virginem Deiparam, intellectuales etiam viſiones, quibus in ſe pręſentiam Dei experiebatur per terminos remotionis, eminentię, & cauſalitatis, aliaſque circumſtantias explicavit, idque non a libris acceptum, ſed Spiritu Sancto interius docente aſſecutam fuiſſe mirifice innotuit. Mortificationis etiam, & pęnitentię exercitia, & in his non ſuo, ſed Confeſſariorum arbitratu modum conſtituiſſe, ſuarumque virium diffidentiam, fidei ardorem, ſpei ſecuritatem, divini amoris incendia ſic dilucide explicavit, ut ſinceram, ac tutam eſſe viam, qua hęc electa

Dei

Dei Virgo incidebat, cenſores diſparatis colloquiis, ſcrutiniis, & cenſuris unanimi ſpiritu, voto, & ſententia concluſerint. Spiritu Dei agere, & agi Roſam, ut Dei filiam fuit conſtans opinio omnium, qui tunc Limę perfectionis, & ſanctimonię fama celebres erant, eamque dono ſapientię abundare, & ſcientia cęlitus infuſa gubernari judicarunt, difficillimas enim de arcano Sanctiſſimę Trinitatis myſterio, hypoſtatica Verbi Divini unione, Sanctiſſimo Altaris Sacramento, profundo prędeſtinationis abyſſo, naturę gratię, ceteraſque Theologicas quęſtiones ſacrarum literarum Profeſſoribus proponentibus, tam ſublimibus conceptibus, profundis ſententiis, & verbis adeo propriis explicavit, ut laudarent omnes cum Servatore noſtro Patrem Omnipotentem Dominum Cęli, & terrę, quod tanta ſapientibus, ac prudentibus abſcondita humillimis parvulis, & indoctis revelaret. Converſatio hujus Virginis magis in Cęlis, quam in terris erat, & ubicunque Sanctiſſimum nomen Jeſu legendo occurriſſet, tantiſper immorabatur. Inde enim amoris ignes in corde ſentiebat, & ipſe Jeſus ſępe amanti Roſę in paginę planitie apparuit, eique ſuavi obtutu abblandiebatur, ut verbum attenta lectione talis animę digniſſimum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientię, & ſcientię Dei, ſic etiam cum occuparetur in telę conſutura, pulvillo ipſius ſępe quietiſſime inſidebat, & ad cor hujus dilectę tacitis nutibus loquebatur, omnique geſtu ſuum divinum proteſtabatur amorem. Frequentes, & fere quotidianę erant hujus ſanctę animę delicię iſtę, & interdum moram faciente Sponſo querulis vocibus lamentabatur, donec veniret. Ludens cum eo, cujus guttur ſuaviſſimnm eſt, obtinuit vincens curari a doloribus gutturis, perdens vero, iterum doloribus cum patientia donata fuit, quę dum matri obediens narraret, viſa eſt vultu Angelico radiare. Illi jam languenti, & viribus deficienti, omnique humano auxilio deſtitutę occurrit idem ipſe, qui eſt adiutor in opportunitatibus, & tribulatione, & pretioſo vulnerati lateris Mirothecio, eam benigne applicatam ad hauriendam aquam ſalutis de fontibus Salvatoris illico ęgram ſanavit. Ab innocentibus Virginibus viſa eſt cum ipſo Jeſu ſiſtere, quandoque etiam deambulare, & ſecretiſſima miſcere colloquia tali cum majeſtate, ut quocunque pedem fixiſſet ille, pavimentum fulgenti lumine ſplenderet, utque talis Roſa nulli alteri plantę adhęreret, quam ei, qui eſt Flos campi, & lilium convallium invenit baſilicum, ſeu ozimum, quem ſtudioſius colebat reſervatum ut plantam Regiam ipſi Regi ſeculorum, ſiccum, & eradicatum, cui de hoc dolenti ipſe Chriſtus apparens dixit, ſe ſuis manibus illum eradicaſſe, & projeciſſe, ut ipſe ſolus eſſet ejus verus baſilicus. *His oſtendit* veriſſimum, quod in ectaſi cuidam dixerat, id eſt ſe Roſam geſtare in intimo ſui divini cordis penetrali, cum ſciret viciſſim in ejus Virgineo corculo ſe ſolum tranquilliſſime inhabitare. Adſtitit etiam ſępe Regina Cęli a dexteris ejus, ita ut ab undecimo ętatis ſuę anno uſque ad extremum non defuerit ei hoc pretioſum familiaritatis contubernium. In Roſariano enim Sacello ex ſedulo miniſterio mutua cum illa erat ei converſatio, eoque honore hanc ſuam famulam dignata eſt, ut cubicularię ipſi exhibuerit miniſteria excitando eam illis vocibus; Surge ad orationem filia, ſurge, nam inſtat hora. Illique experrectę ſe prębebat videndam facie ad faciem, majeſtate decoram, & glorię cęleſtis Paradiſum, exclamanti cum altera Eliſabeth: Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini ad me? Miſit etiam Dominus Angelum ſuum, qui pręcederet Roſam, & viſibiliter cuſtodiret, ac introduceret eam in locum, quem illi paraverat; fuit enim tam domeſtica fiducia hujus Virginis cum eo, ut habuerit illum non ſolum ut amiciſſimum, ſed etiam ut pararium, aut veredarium, quotieſcunque hora conſueta Sponſus non apparebat. Deficiens quadam nocte viribus miſit eum ad Mariam de Uſatigui (20), ut nunciaret ei ſe egere remedio, quod per famulum ſtatim illa tranſmiſit, vidente, & agnoſcente hoc a filia per obedientiam Matre (21). Ab eodem etiam ab horti cellula aperiente ipſo feras portarum ad genitricis cubiculum incolumis ducta fuit. Aliis etiam Angelis mandavit Deus de illa. Adſtiterunt enim propter ejus preces cuidam Religioſo in periculoſo itinere (22), donec (23) iſte in deterius mutatus fuit, cui cum ipſa Virgine de hac derelictione conquerenti revelavit myſterium, & arcana ſingularia ipſi ſoli, & Deo nota, & quę a tanta diſtantia ſolum ipſo Domino, aut Angelo revelante Virgini innotuiſſe potuerunt. Sępe etiam ex quo fuit ei a Chriſto Domino data in Magiſtram S. Catharina Senenſis, hęc eam viſibiliter conveniebat in terris, pręſertim cum ejus regulam ſcrutaretur, adeoque crebra, & amica fuit inter has Virgines converſatio, ut ex vultu Beatę Catharinę in faciem Roſę tranſirent lumina, itaut, & vivens, & defuncta per oris lineamenta hęc eam omnino repręſentaret; pręter innumeras delicias, favores, officia, & virtutes, quibus ab ea ornata, & aucta fuit. Probavit Pater Cęleſtis inter has ſpiritualis vitę delicias hanc ſuam electam, ut aurum in fornace igne tentationum, afflictionum, perſecutionum, & plurium, ac gravium infirmitatum. Luctabatur enim quam frequentiſſime cum Dęmonibus, multiſque illorum moleſtiis vexabatur, ex quibus ſub tetra ſpecie Moloſſi. unus eam orantem latratu horriſono terrere, & rabido morſu per ſolum illam raptans tentavit diſcerpere, donec clamavit ad ſponſum, ne tradas beſtiis animas confitentes tibi. Alias colaphum impegit, quandoque ſaxum rude in eam libravit, quod ſolotenus Roſam nec lęſam, nec territam proſtravit. Libros ejus ſpirituales laceravit, ſub gigantea mole alias hanc inexpugnabilem fęminam tremente cellula corripuit, adeoque contorſit, ut ejus oſſa comminuta, & nervi diſtracti viderentur. Sed invictus Virginis animus inſaniam hujus furentis hoſtis pluribus horis fruſtra certantis repreſſit, & irriſit, donec victorię deſperabundus evaſit. Ad hortum oratura procedens in Angelum lucis transformatum obvium blande habuit, hunc antagoniſtam, quę a nobili fuga victoriam mendicavit, cum de caſtitate certamen eſſet, arreptaque ferrea catena acerbiſſimis actibus nudas ſcapulas cruentavit, & inter ſanguinis, lachrymarumque rivos conquerenti de abſentia Sponſi, conſpicuus ille oſtendit, quod niſi cum ea ipſe fuiſſet, nunquam victoriam reportaſſet. A primordiis pueritię ſpirituum diſcretionem obtinuerat, agnoſcebatque docente ſua ſancta Magiſtra, quę olim a Chriſto Domino hauſerat illuſtrationes a Deo eſſe, cum in anima ſequitur humilitas, reverentię affectus, proprię utilitatis cognitio, ordo, & unitas cordis, & gaudium in Deo. Ex adverſo his oppoſitas impreſſiones, timorem, diviſi cordis confuſionem, ſui complacentiam, & inquietudinem redolere. In ęrumnis ab infantia fuit, nono enim menſe ętatis ſuę lacte deſtituta eſt, cujus defectus nonniſi cibo valde inepto compenſari potuit. Vix fari cęperat cum propter nomi-

nominis controverſiam virgis cędebatur ab Avia, ſi Roſa, a Matre, ſi Eliſabeth vocata reſpondiſſet; Virginis hujus virtutes, & mortificationes Matri aliud intendenti mera delicta videbantur, quibus caſtigandis non ſolum duriſſima verba, ſed perſępe etiam ſęva verbera adhibebat, pręſertim cum rutilam ceſariem deprehenſa fuit ſibi pręſcidiſſe. Nec mitiores in eam fuere domeſtici, quando ejus virtutes, & cęleſtia dona innotuerunt, vano timore correpti, ne cum magno familię dedecore, ut de impoſturis ſuſpecta ad S. Inquiſitionis Tribunal raperetur. Acceſſit in cumulum tribulationis quorundam Confeſſariorum incredula vel oſcitantia, vel ruditas, vel inſcitia, dum ei conabantur ſuadere non eſſe rectum, aut tutum illud virtutis iter, vertigine, vel alia noxia intemperie laborare, illuſiones eſſe, quas ipſa illuſtrationes divinas credebat. Suadenti fęminę precibus impetrare a ſua Seraphica Magiſtra eripi ab his ęrumnis conſtanter renuit. Pudebat enim Crucifixi ſponſam, vel per momentum extra Cruces reperiri, a quibus nunquam vacavit: feriatam enim ab exteriori gravior, occupabat interior, & ceſſanti foris perſecutioni, ęgritudinum agmina ſuccedebant. In Canta ex dira nervorum attractione per triennium lecto decubuit cruciato intenſo, gemitu nullo. Sępe acutiſſima eam angina, aſthma, permoleſta iſchias, pleuritis, ſtomachi, pericardii, & inteſtinorum dolores ſine numero, & ſine lege frequentes convulſiones invadebant, Medicis, ut plurimum ſtupentibus, quomodo in tam arido corpuſculo vires eſſent ad perferenda, quę proſternendo cuilibet robuſtiſſimo ſatis fuiſſent. Roſa optime penetrante non tam ab intemperie, quam a benevola ſponſi manu hęc ſibi agonalia feſta provenire, febres ephimeras, ac etiam reliquas contumaciores ipſa conſuetudine jam pene in jocum verterat. Chiragrę, Podagrę, & Arthritidis morbi frequenter eam occupabant, quos cum invicta conſtantia toleravit. Hęc omnia inter illuſtriores a Deo ſibi collatos favores recenſebat. In ſublimi enim, & ſingulari mentis elevatione viderat Chriſtum Dominum dividentem lance ex Cruce facta, gratias, & dona ad menſuram pęnarum, audivitque dicentem, ſine pondere afflictionum, ad gratię cumulos non perveniri, unicam veram ſcalam Paradiſi eſſe Crucem, nec pręter eam ſupereſſe aliam, per quam in Cęlum aſcendatur. Languens, & ęſtuans Divini amoris ignibus in nocte orans viſa fuit ab alia virgine magnis luminibus coruſcans veluti igniculis per eos, oculoſque evibratis proteſtantibus quantum incendium intus ferveret, quod alias pluries ea inſcia coram diverſis contigiſſe innotuit. Ceteras virtutes ſtudioſe celavit. Magnam caritatis flammam tegere non valuit, ejus enim colloquia, ſalutationes, & reſponſa, continuo divini amoris memoria condiebantur. Singularum creaturarum ordines ad amorem dulciſſimi Creatoris gradatim compellebat, tum ignitis vocibus, tum pulſu citharę, quem non didicerat, ut omni ritu, & geſtu, actuque ſuo ſe dilecto oſtenderet amantem. Eadem vi caritatis acta, ut vera ſponſa Domini zelavit honorem. Irreverentiam enim Eccleſiarum deteſtabatur, loquentes ibi otioſe humiliter, & ſuaviter corripiebat. Domeſtici cavebant, ne coram ea ineptias proferrent, verebantur enim Roſę adhuc parvulę cenſorium ſupercilium. Immenſo gaudio perfundebatur, quoties Dei honorem inſigni aliquo ſucceſſu promoveri videbat, ut accidit in inſigni peccatricis converſione. Eodem zelo precibus tranſtulit in ſe Confeſſarii ſui febrim, ut Concionatoris officio in percelebri ſolemnitate fungeretur, quo convaleſcente torquebat Roſam febris non ſua, nec tamen a ſermone abeſſe voluit, febrilem enim ardorem facile ſuperabat exęſtuans divinę glorię deſiderium. Obſignavit hanc Dei amoris ſolicitudinem dilectę ſuę ipſe Chriſtus Dominus hoc inſigni miraculo. Anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo, decimoſeptimo Kalendas Maii. Roſa vehementius amoris divini ſtimulis excitata ſonore, & fervidiſſime venerabilem Salvatoris effigiem in Oratorio Quęſtoris alloquebatur, cum ſtatim totum vultum Imaginis guttulę ſudoris operuerunt. Convocati teſtes arte, & doctrina celebres, qui omnibus ſerio expenſis cenſuere ſupernaturale eſſe, quod in Icone gerebatur. Quatuor horis duravit pium oſtentum cunctis adſtantibus, admiratione, & ſancto horrore ſtupentibus, cujus ſudoris veſtigia per aliquot luſtra conſpicua manſere. Hoc eſſe tantummodo indicium, quam enixe cupiat ſervator noſter ab omnibus redamari, teſtata eſt ipſa Virgo Roſa divini conſcia ſecreti, timentibus domeſticis, ne impendentis divinę ultionis pręſagium eſſet. Sudor ille brachio ipſius Roſę ex Confeſſarii imperio applicitus, quod antea ſolo colliſum ſic graviter lęſum erat, ut Chirurgorum judicio ex ea parte Virgo manca manſura eſſet, ſanum, & flexibile reddidit, ſtupente Chirurgo, qui pridie cenſuerat omnem curam eſſe vanam cum brachium omnino intractabile appareret. Nondum pueriles annos exceſſerat, quando eam Confeſſarii ſpiritu jam grandem agnoſcentes manducandi frequenter Panem illum Angelorum, qui prębet delicias Regibus, facultatem dedere. Erat in ejus ſpiritu limpida mundities, nitida innocentię puritas, ac robuſtus devotionis calor, & nihilominus cum tanto immaculatę conſcientię candore, quoties ad divinum Epulum accedendum erat, toties ſumme gemebunda, & lacrymis perfuſa Sacramentalem Confeſſionem pręmittebat. Hanc Sacerdotes communicaturi totam flammeam, & vultum ipſius cęleſti, & vehementi ſplendore radiantem conſpexere, quin & Presbytero Sacram Communionem porrecturo, videbatur flammeſcens aperiri clibanus, dum removebat pallium, ut Divinam reciperet Hoſtiam, & vim erumpentis repentini ardoris adeo ſentiebat pavidus Sacerdos, ut ſępe manum retraxerit prę ſubito metu aduſtionis. Idem experiebatur in ſe Miniſter ſacrificantis, dum ex more ſchiphum ablutionis ei porrigebat, ut hoc etiam teſtimonio probaretur, hoc eſſe Sacramentum illud, quo Deus ipſe venit ignem mittere in terram. Juſſa aperuit ex Virginea Dei carne diffundi in anima ſua mirabilem Cęleſtis Agni manſuetudinem, vegetari ſpiritum ſuum inuſitato robore, inſtaurari, ac refici vires per quandam veluti novam transformationem ſui ſpiritus in hoc divinum alimentum. Interea clarere in corde ſuo placidam altioris ſphęrę ſerenitatem, pacem, temperiem, gaudii immenſitatem ex arcta unione cum Sponſo Divino, fruitionis altitudinem, & ſpiritualem ſaporem verę dulcedinis, quę nulla prorſus comparatione explicabilia erant. Sacra Communione refecta jejuna uſque ad veſperam, ſubinde uſque in ſequentem diem, quandoque per octavam integram ea ſola contenta ab omni alio cibo abſtinuit. Veneratio ejus erga venerabile Myſterium fuit adeo eximia, ut ſemel ſe accinxerit videntibus aliis ad ſubeundum martyrium, quod imminere rumor ſparſerat, defuitque tunc Hoſtię Martyrium, non Hoſtia Martyrio. Summo etiam cultu proſequebatur S. Crucis ſignum ubicunque illud reperiſſet, itaut ex plantis horti impreſſionem illius formaret, quarum una Proreginę dono

data

data paulo poſt exaruit, Roſę reddita poſt quatuor dies revixit, quod totum virtuti ejuſdem S Crucis Virgo tribuit. Erga Imagines Beatiſſimę Virginis miro fervebat devotionis affectu, & maxime circa eam, quę Auguſtiſſimam Roſarii Reginam exprimit, in cujus ſacello habitum ſui Ordinis ſuſcipiens ploranti Matri viſa fuit blando favore Deiparę in Cęlum elevari. Fama erat Linę Roſam impetrare quęcunque apud Sanctam illam Imaginem poſtularet. Tranquillitatem cujuſdam Communitatis, in qua invaluerat diſcordia non ſine lacrymis, & aliorum admiratione biduo orans obtinuit, plurimiſque aliis ibi dignata fuit favoribus, alloquiis, & viſionibus, quę in examine obtemperans aperuit. Electa ut aptior, & dignior ad exornandum ſimulacrum Sanctę Catharinę Senenſis, quam ut Matrem ex intimis pręcordiis colebat, a lacrymis, oſculis, & alloquiis in eo obſequio non ceſſabat, & miro modo tantę pecunię literulas accepit, quantum ipſa pro veſte ejus paulo ante optarat, prędixit pręſignatam virgulam nulla fęcunditatis nota tunc turgidam in honorem Sanctiſſimę Trinitatis tres flores gariophylorum producturam, quibus Sacram Imaginem condecoraret eo tempore, quo tali florum genere regio illa careret, quod fruſtra diu quęſitum fuerat, & oraculo correſpondit eventus, mirantibus, & diffidentię veniam petentibus ſodalibus. Adjuverat eam in hoc munere Euphemia de Pareja, cujus famula Franciſca ſui infantis nutricia, graviter ęgrotabat, Roſa apud S. Catharinam precante, iſta depulſo periculo ita convaluit, ut poſtridie permiſſa fuerit a Medico nutricias infanti, quas prohibita fuerat, prębere mammillas. Franciſcę quoque de Montoya ab eadem Sancta obtinuit, ut ſulphuratum miſſilium ignium crepitaculum, quod vultum petiit, & ſupercilium impegit, non noceret, eſto adhuc reſiliens valido ictu alterius fęminę veſtes lęſerit, & ſuccenderit. Eadem Roſa anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimoſexto menſe Auguſti, cui poſt proceſſionem delata fuerat Imago deveſtienda, horrenda arthritide in dextera laborabat, quę immani cruciatu invaſerat articulos omnes, itaut prędicto operi prorſus redderetur inutilis. Procubit ante Imaginem Sanctę Catharinę in die D. Laurentii, & brevi oratione peracta, accinxit ſe operi, mirantibus adſtantibus, Quęſtore ipſo vidente, manum paulo ante acerbiſſime lęſam, tunc validam, & agilem, Medico ipſo teſtante evidentiam miraculi, cui beneficio acceſſit, quod exinde nunquam in poſterum arthritis manum illam invaſit, quod mirum non fuit ipſi Roſę, quę ab ipſa ceu a Matre pene quotidiana ex mutuis conſortiis ſolatia hauriebat. Zelata eſt etiam pro domo Dei ſalutem animarum, ipſa enim caritate, qua verum Chriſti Domini Corpus myſticum quoque diligebat, quoties ad interiora Meridionalis Americę montana oculos vertebat, cruciabatur medullitus illacrymans perditioni tot Barbarorum, qui inacceſſas illas poſt nivoſa juga valles populabant. Sic etiam jugis plantus materies ei erant quęcunque alię infidelium Nationes. Viros Religioſos, & pręſertim ſui Ordinis Fratres, quotquot aptos noverat, ad Gentilium converſionem hortabatur, & per Jeſu Chriſti viſcera obſecrabat, ut huic ſe operi accingerent. Unius ex ſuis Confeſſariis Miſſioni deputati animum ad maturandum opus inflammare ſtuduit, & cum eo convenit, ut medietas omnium fructuum, quos interea ipſa ex toto bonorum operum exercitio ſe cumulaturam ſperabat, ei adſcriberetur, & viciſſim ille tranſcriberet ipſi Virgini fructus converſionis animarum, quas ſua prędicatione in viam ſalutis erat attracturus. Hoc animo excogitavit inopem parvulum quaſi in filium aſſumere, quem Chriſtianę vitę rudimentis imbueret, & piis eleemoſynis ad virtutes, & ſacrarum literarum plenam inſtructionem ſe evecturam ſperabat eo pacto, ut is idoneus factus, & Sacerdotio inſignitus ad Apoſtolicas Miſſiones pro converſione gentium properaret, ut quod per ſe pręſtare non poterat, per alium ſuppleret, quod niſi immatura morte pręventa fuiſſet, perfeciſſet. Pro periclitantibus Chriſtianis, qui per culpam lethalem a ſtatu divinę amicitię infeliciter exciderant, nulli lacrymarum ſumptui parcebat, & quotidie cruenta ſibi vulnera infligebat, ut his vere miſeris vitę ſeria emendatio a Deo concederetur. Concionatores ipſos vehementer hortabatur, ut flagitioſas animas ab ima vitiorum charybdi, ne perirent, ad ſecurum pęnitentię littus toto conatu evocarent. Divinitus edocta de pravo deſiderio, quo Vincentius nomine juvenis, nobili genere oriundus, ad eam ficte acceſſerat, tanta eum caritate corripuit, ut fateretur, ſe agnoſcere Chriſtum Dominum in ea loquentem, & totus mutatus ab illo qui paulo ante fuerat, fretus, & adjutus precibus ejuſdem Virginis juvenilibus deſideriis, & culpis, valefaciens, ſanctam vivendi rationem inſtituit. Prodigium erat, ſi qua perſona cuicunque vitio obnoxia Roſam accederet, & melior ab ea non recederet. Mariam de Meſta impatienti, ac pręcipitis iracundię pugnaci morbo jam ſibimet ipſi ex diuturna conſuetudine factam intolerabilem, patientię, ac manſuetudinis aphoriſmis ſic inſtruxit, ut ab illa die emendatior, ac mitior viſa fuerit, eoque brevi in patientię gymnaſio profecit, ut jam a Deo ultro plus, ac plus adverſitatis poſtularet. Religioſum cum mortis angoribus trepide, ac periculoſe luctantem, urentibus ſcrupulis vexatum, ſic juvit promiſſione ſuarum precum, & exhortatione, ac ſponſione participationis ſuarum ſatisfactionum, ut confeſtim pavor lętę ſpei locum ceſſerit, qui poſtea ſalutaribus Sacramentis munitus ingenti ſalutis fiducia placidum, & ſerenum ſpiritum reddidit Creatori, de cujus anima poſtea Roſa nunciavit, cum ea feliciter, ac benigne agi, jamque illam Regioni lucis adſcriptam frui perenni Sanctorum felicitatis refrigerio. Ordinavit etiam Dominus in ea caritatem in corporalibus miſericordię operibus, quibus proximos juvare ſtuduit. Nam inops hęc Virgo ſibimet neceſſaria ſubtrahens diſperſit, deditque pauperibus, ut enim occultę cujuſdam neceſſitati ſubveniret, octo dierum alimoniam ſolo pane, & aqua contenta ſibi pro egentis ſubſidio detraxit. Telam a Genitoribus ejus pro ſuis ęgritudinum neceſſitatibus conceſſam, illico inter duas Virgines virtute, & genere nobiles, extreme tamen egenas, diviſit. Dono dedit Montoję pauperrimę Virgini alterum ex palliis, quę Mater poſſidebat, prędicens ei fore, ut aliis novis loco veteris provideretur, quod mirabiliter re ipſa, ut Virgo pręnunciaverat, evenit. Divinitus admonita Johannam de Bobadilla Virginem nobilem, ſed derelictam eſſe, quam vorax ſub mammilla cancer torquebat, & tardante remedio exitium minabatur, domi recepit, menſtruum locationis ſumptum, & medicaminum pretium ei providit, & poſt aliquot menſes integre ſanam reſtituit, hoc unum dolentem, quod non poſſet, obſtante fide data, Virginis beneficium in grati animi obſequium ea vivente palam referre. Nihil ei jucundius contingere poterat,

quam ſi a Matre permitteretur, cujuſque conditionis egenas, aut morbis afflictas mulieres paternis inferre ędibus, ut illic ſuis manibus aſſidue miniſtraret languentibus, quibus de quacunque re ad victum, & medicamen neceſſaria exacte providere ſtuduit. Inter has mendicas nulla erat, tam intolerabilis aſpectu, aut fętore horribilis, quam Roſa dedignari, vel prę nauſea averſari poſſet. Omnibus medelam, famulatum, & curam afferebat. Indignanti Matri propter graveolentiam mucidi putoris a Roſa in veſtibus ex cura infirmę contractam, reſpondit: Chriſti bonus odor ſumus, dum miniſtramus infirmis. Caritas delicata non eſt, nec proximum faſtidit. Invicto animo vix imitabile ſuę Sanctę Magiſtrę exemplum ſecuta in ędibus Iſabellę de Mexia nauſeam ſtomachi heroico actu ſuperavit. Noverat Johannes de Tineo Almanza Quęſtorem Gundiſalvum Roſę precibus, & meritis pluries a graviſſimis infirmitatibus liberatum; ille ex cruciatibus ſtomachi periculoſe ęgrotans obtinuit, ut Virgo iſta poſt auditum ſacrum decenter aſſociata eum inviſeret, in cujus vultu majeſtatem Angelicam intuitus, ſpem indubiam incolumitatis concepit, ſtatimque omnis dolor evanuit, ſomnus, qui omnino diffugerat, blande corripuit infirmum, citiſſime illa abſceſſit, ut plauſum effugeret, iſte vero ſanus evigilavit. Uſque ad bruta animalia clemens Roſę ſuavitas, & tenera ſe oſtendebat, & juvabat commiſeratio. Tota hujus Sanctę Virginis ſpes in Deo erat, qui pręvenerat eam in benedictionibus dulcedinis, hinc frequentiſſime decantabat Davidicum illud Sanctis Patribus, & Eremicolis familiare: Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina. Quęſivit ſępe horum verborum emphaſim: ſed nullus unquam profundiorem ei attulit explicationem ea, quam ipſa intime Deo docente in animo conceperat. Interrogata cur unice hunc prę ceteris verſiculis amaret? Reſpondit, totum ſolatium Seraphicę ſuę Matris eo contineri, & ſingulas illius ſyllabas arcano quodam familiaris in Deo confidentię ſucco turgere, nec ſuo palato aliud his propriis verbis ſapidius poſſe occurrere. Cęlitus data fuit ei fiducię certitudo aſſequendi tria maxima munera, ęternam videlicet Beatitudinem, perpetuam, & nunquam interpolandam Dei amicitiam, & infallibilem ex alto ſuccurſum in quibuſvis tum neceſſitatibus, tum repentinis periculis. Angebatur quondam innocens hęc anima, recogitans pavida formidine prędeſtinationis ſuę arcanum omni animę tremendum, quam Dominus ad adjuvandum feſtinus, ſic eſt affatus: Filia ego neminem condemno niſi volentem condemnari, ex nunc tranquillo animo eſto. Alias in mentis exceſſu adfuit illi parvulus Jeſus, puriſſimę Genitricis ulnis innixus, eamque blande alloquens juſſit ſparſas per ſolum Roſas in ſinuoſę veſtis laciniam colligere; inde Divinus Infans una petita, & gratanter accepta ſubintulit; hęc Roſa tu es, hujus providam curam mihi aſſumo, tu de reliquis, ut magis volueris, diſponito. His agnovit ſe teneri in dextra Salvatoris, velut Roſam electam, quam non raperet quiſquam de manu ejus. De reliquis roſis ſubitaneum ſertum contexens tremendo Jeſu capiti impoſuit, qui Virgini arridens, eamque benedicens diſparuit. Ceteris roſis indicari novit pias Virgines Limenſes, quas poſt ſuum obitum in novellum S. Catherinę Senenſis Monaſterium colligi oportebat. Eadem vi confidentię in Deum a prima ętate Roſa adverſus quaſcunque mortalis vitę difficultates, & incommoda ſtetit impavida. Cujus fidem, conſtantiam, & nutus viſi ſunt immanes tauri, in extremam aliunde rabiem exſtimulati, revereri. Nam adſtupentibus quotquot ſpectabant ad invictę Virginis conſpectum eminus, & repente innocentibus parcere didicerunt. Cum enim eſſet duodecim annorum in quodam pago obvium habuit ferociſſimum taurum illuc ruentem, & fugam meditantibus his, qui cum ea erant, fixis in cęlum oculis, dehortata eſt a fuga, necdum verba finierat, cum ferox animal terrifico mugitu in alias procul perſonas impetum fecit, Roſa cum ſuo comitatu incolumi manente, quę adhuc poſt periculum paventes ſocias monuit, ſperandum firmius in adjutorium Altiſſimi, & tunc maxime cum periculi vicinitas omne effugium intercluſit. Sic & alia vice taurus alter recta via in quadrigam', qua Roſa vehebatur cum Matre, & aliis curſum libravit, ceteris fugam tentantibus, ſola Roſa oculis in cęlum jactis prędixit taurum uſque ad rhedam non procurſurum. Dixerat, & reſpondit eventus ſtupentibus univerſis, non tam reditum tauri, quam Virginis animum omni metu ſuperiorem, quę in ſummis periculis cęleſti Sponſo occinebat, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Minor non erat ejus fiducia in ſperandis a Divina providentia neceſſariis vitę ſubſidiis. Defecerat olim in paternis ędibus numeroſę familię panis, nec erat unde emerent, illa brevi labiorum motu rem Deo commendavit, mox magna fide arcam panariam aperiens plenam azymis, ac ſaporoſis panibus reperit, teſtante illorum figura peregrina a domeſtico panificio non prodiiſſe. Perneceſſarium in Regionibus illis condimentum mel domi omnino defuerat: deſcendit ipſa in nomine Domini ſecretiſſimo inſtinctu juſſa optime ſperare de Dei protectione, cupam invenit uſque ad ſummitatem recenti melle plenam, tota Domo ſtupente, eoque magis, quod novo prodigio mel cęlitus datum integris octo menſibus toti familię ſat fuit in uſum quotidianum. Infirmabatur Gaſpar Flores Virginis Genitor męrens etiam ob quinquaginta librarum debitum, cui prę inopia ſolvendo non erat, triſtabatur perplexa Mater importunitate creditoris augente anguſtias: Filia Templum adit, preces fundit, eique domum redeunti vir plane ignotus occurrit, ſimulque involutum ſtrophiolo argentum porrigit, & jubens, pręſentem Parentum neceſſitatem illo ſublevari ſtatim abſceſſit. Roſa involucrum explicante, ipſa librarum quinquagena, cujus Pater debitor erat, apparuit, quod Gaſpari narratum inſomnium videbatur, donec filia nummos uti acceperat, adnumeravit. Hęc ſunt ſubſidia, quę ſponſus divinus Parentibus ipſius ſub ſpecie cęleſtis lapicidę huic novellę ſponſę inter parafernalia, & antidora ſe miniſtraturum olim pollicitus erat. Teſtimonio etiam Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quod eſt ſpiritus Prophetię, fuit illuſtris, nam integro fere decennio ante fundationem, quandoque per ſymbola, & figuras, alias manifeſte, & in proprio typo, non ſolum fuit illi divinitus demonſtratum Monaſterium, quod Limę ſub S. Catharinę Senenſis patrocinio numeroſo Sacrarum Virginum Collegio dicandum erat, ſed etiam primam ibi futuram Monialium Pręfectam, & Cęnobii fundatricem, Luciam Guerram a Daga ex vultu agnovit, ſpiritu ſuo imbuit, & oſculo pacis quodammodo initiavit, dicens ei: Euge mater ingenti ſuo te operi Deo reſervavit. Ex Virginis ſpiritu hauſit felix Matrona divinos ſenſus, & religioſi ſtatus cęleſte deſiderium. Sed obſtabant ſuperſtes maritus, & numeroſa fami-

familia, quos omnes paulo poſt Deus ab hac luce evocavit, necnon innumera, & potentiſſima alia fundationis poſt obitum virginis impedimenta ſuſtulit, duroſque animos olim averſos ad favorem pii operis flexit. Quibus ſublatis Lucia ampliſſimis ſuis facultatibus Cęnobium fundavit, dotavit, ac denique ſe ipſam dedit; cum ſacro velo nomen Sororis Lucię de Sanctiſſima Trinitate aſſumens, ac prima novelli ſui aſceterii pręfecturam geſſit, Religionis ſpiritum mirifice propagavit, demumque ſanctimonię fama celebris obdormivit in Domino. Ipſa Maria Oliva Roſę genitrix, quę antea hoc ei vaticinanti filię acerbe contradixerat, Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono poſt mariti obitum in novello Monaſterio ſexagenaria devote filiabus S. Patris Dominici aggregata fuit, & aſſumpto cum habitu nomine Marię de S. Maria, emiſſa poſtmodum profeſſione optimo fine quievit. In quo etiam promiſſa ſponſi providentia affulſit, carente enim illa dote neceſſaria, unus ex reſervatis ab ipſa fundatrice gratuitę receptioni pro dignioribus, ſed egenis perſonis locus ei obtigit, ceteraque omnia adamuſſim etiam minima, ut S. Virgo prędixerat, evenerunt. Johannes Villalobos Societatis Jeſu jurata fide teſtatus eſt, ſuo ſe experimento ſpiritum propheticum in ea deprehendiſſe, aperiente illi Virgine arcanum negotium, quod aliter, ac cęlitus innotuiſſe non poterat. Simillimum quid cum eadem Antonius a Vega ejuſdem Societatis Vir integerrimus ſibi eveniſſe narravit. Secretam cogitationem quam nulli unquam aperuerat, neque aperitura erat filia Quęſtoris accurate ei Roſa recitavit, & ſaluberrima documenta pręſcripſit. Marię de Meſſa Uxoris Medori Angelini Pictoris conſilium, quod occultiſſime inierant de profectione in Hiſpanias commemoravit, ſummam pecuniariam quam pro arbitratu conſtituerant dixit ambobus ſat eſſe mirante muliere, & atteſtante plus a Virgine dici non potuiſſe, ſi in amborum colloquio tertia ſtetiſſet. Johanni Miguel Ordinis Sancti Dominici Limam revertenti ſeriatim, & exacte narravit ea, quę illi in aliena regione acciderant, quęque humanitus nun potuerant in Roſę notitiam perveniſſe, quin, & abditiſſimas ſuęmet conſcientię latebras Virgini patuiſſe evidenter agnovit. Plurima alia hujuſmodi, ac etiam mirabiliora commemorantur hujus Sponſę Chriſti vaticinia, quibus omnibus correſpondebat eventus, comprobans in ejus anima plenitudinem gratię, non tantum ſanctificantis, ſed etiam gratis datę Spiritum ſanctum inhabitare. Pręſcia diei, quo ad ſponſi thalamum properare ex hac lacrymarum valle debebat, quod Matri celare nequivit, quotannis feſtum D. Bartholomęi Apoſtoli, quod erat terminus ſuę mortali peregrinationi conſtitutus, ſingulari devotionis ſtudio colebat, & in ejus pervigilio ſuo non contenta jejunio, aliquos innocentes pueros, ut ſecum, jejunarent adduxit, in eo etiam poſt ejus obitum perſeverantes, eo quod ſic a Roſa inſtituti fuiſſent. Triennio ante deceſſum gravi morbo decubuit, ut jam extremo funeri matura, & deficiens cum a Confeſſario (24), ac domeſticis collacrymaretur, quam intrepide juſſit intempeſtivum abigere męrorem, & certum eſſe tunc ſe non morituram, quo dicto innotuit ſui tranſitus terminum divina revelatione compertum habuiſſe. Quin & quatuor ante obitum menſibus Quęſtoris Gundiſalvi uxoris atrociſſimos ſuę extremę infirmitatis dolores futuros narravit, & immaniſſimam ei atque ardentiſſimam ſitim inſtare pręnunciavit. Locum etiam integro anno antea eidem Matronę prędixerat in eodem cubiculo, in quo mortalitatis debitum perſolvit, rogans ne alteri fęminę pręter ipſam, & genitricem ſuam corpuſculum veſtiendum, & feretro imponendum committeret. Triduo ante ſuum extremum decubitum cellam hortenſem adiit, & cygni more exorſa modulos decantando commendabat Deo, & Sancto Dominico genitricem ſuam, quam deſolatam relinquebat. Credidit Mater audiens luſus eſſe metricos, ſed Kalendis Auguſti prophetice ea pręnunciata fuiſſe cognovit. Sub noctis enim medium audita fuit miſere ejulare, & corpuſculo ſuper ſolum extenſo rigentibus membris inventa. Rogata velletne medicum? Reſpondit, cęleſtem. Frigidus ſtagnabat ſudor, & in omnibus membris, & juncturis arctabatur doloribus, & pęnis, quas olim ei ſponſus in viſione oſtenderat futuras multo graviores ceteris omnibus, quas in vita pertulerat. Juſſa ſemel a Confeſſario, alias a Matre enarrare ſuos dolores, licet omnium fere ęgritudinum vim, & nomina per experientiam cognoviſſet, hunc tamen non niſi per ſimilitudines candentis ferri tempora adigentis, & pugionis igniti a ſiniſtro latere meditullium corporis tranſverberantis, in quo Crucifixi erat expreſſio, & candentis galeę caput includentis, explicare non potuit, ſimulque ſingulos nervos, juncturas, oſſa, ac medullas contundi, reſolvi, & aruiſſe dixit, ac denique non habere nomen, nec noſſe tormentum, cui eos compararet. Aperuit inſuper Confeſſario (25), fruſtra Medicos in exploranda hujus infirmitatis ſpecie laborare, quam nec pulſus, nec aliud extrinſecum ſignum indicaret, ac proinde non alia, quam immedicabilis Jobi patientia ſibi opus eſſe, ut quoquo modo ſingulos Crucifixi Sponſi ſui dolores membratim experiretur. Rogavit, & obtinuit per aliquot dies ſolitariam quietem, & ſilentium, ut intimius ſuos dolores intingeret extremis cruciatibus Crucifixi amoris, cui ſe membratim confixam in Cruce ſentiebat. Augebantur in dies hujuſmodi ſupplicia, ut mirum fuerit, eam, tam potenti, varia, & cumulata dolorum caterva, citius deficiendo, non ſuccubuiſſe, ſed paulatim reſolvebatur, quia glorioſiſſimum Martyrii genus ei erat lente, & articulatim mori. Certa enim erat has pęnas ęternę glorię pondus in ipſa operaturas; ſciebat hunc eſſe calicem, quem Sponſus biberat, & ipſi, ut Sponſę miſcuerat, ac tandiu ante ei pręmonſtraverat, unde conſtanter, & jucunde, velut e manu Chriſti Domini porrectum totum ebibit, blanda, & devotiſſima cum dilecto miſcebat colloquia, tantumque cum domeſticis Dominum rogavit, ne dolores ei mentis liberum uſum impedirent. Sitis immaniſſima pręceteris, ut prędixerat, intime eam cruciabat, nec aquę potus ſitienti dabatur, obſiſtente Medicorum pręſcripto, unde pęnaliter areſcenti Virgini hoc etiam cum moriente Sponſo tolerandum, ſuperfuit clamare: Sitio. Propius accedente acceptabili tempore, quo Roſa iſta e terris in Sponſi Paradiſum, depoſitis mortalitatis exuviis transferenda erat, pluries advocatis Confeſſariis tenerrimam conſcientiam, & ſemel generaliter de tota vita exomologeſi purgavit ſemper cum pęnitudinis ſingultibus, & lacrymis, ita ut compuncti audientes mirarentur in ſęviſſimis cruciatibus non flentem, leviſſimas imperfectiones, tam alte deflere. Triduo ante felicem obitum ſupplex voce flebili Divinum viaticum, & extremam petiit Unctionem, delato Euchariſtico Epulo inſtar coruſcantis aurorę gratioſe rubuit, & gaudio ſuo impar in altiſſimam ectaſim rapta fuit. Sacerdoti tamen

Sanc-

Sanctiſſimam Hoſtiam porrigenti, & de more roganti apte, & expedite reſpondit, ſic, & alacri omnium ſenſuum officio oleum infirmorum moribunda accepit, quo potius ad triumphum, quam ad agonem ſenſit ſe animari. Sępius etiam coram adſtantibus voce clara orthodoxę fidei profeſſionem emiſit, proteſtans ſe ut vixerat ita mori Sanctę Romanę, & Univerſalis Eccleſię filiam, Sacrum ſui Ordinis ſcapulare, ut proprium ſuę religioſę militię vexillum, quo Deipara Virgo naſcentem Prędicatorum Ordinem inſigniverat, expanſum ſuper ſtragulas videre voluit. Inviſente eam Priore Dominicani Cęnobii Limę, cui per quinquennium alias ſuę conſcientię latebras aperuerat humilibus precibus ab eo obtinuit perlegi formulam exactam, qua jam moriens veniam a Deo exoraret pro omnibus, qui eam quocunque modo in ſuę vitę decurſu lęſiſſent, cujus verba voce ſequebatur Virgo Crucifixum ſtringens, nec ſatiari poterat illis tenerrimis vocibus: Pater ignoſce illis. Anima vere tanto Sponſo digna, quę ut eſſet plene Cruciformis Divinum in Cruce Agnum pro ſuis adverſariis extreme deprecantem eſt imitata. A domeſticis Quęſtoris Gundiſalvi voce humili, & flebili oravit condonari, ſi qua in re ulli unquam nocuerat, lacrymantibus, omnibus, qui ejus innocentiam, & puritatem tot experimentis comprobaverant. Oblato Chirographo, in quo ſepulcrum apud ſuos Religioſos poſtulabat, cum omni animi ſubmiſſione, nihil minus, quam de ſui corporis cura ſollicita ſubſcripſit. Sponſum rogabat, ne ceſſaret eam exquiſitis ardoribus excoquere, donec ei matureſceret in fructum qui ejus menſę inferri mereretur. Sub hoc fine vitę crebriora fuere raptuum dulciſſima intervalla, in quibus excelſa, & jucunda de ſuavitate Dei, ac lęta de regione ęternitatis libamina pręguſtaſſe innotuit. Ultimam utriuſque Parentis benedictionem ſumme exoptavit, eamque venerabunda recepit: Sic & a Quęſtore Gundiſalvo, ejuſque Uxore, quos veluti parentes coluerat, benedici voluit. Duobus germanis ſuis Fratribus inter ſalutaria monimenta parentum curam, & reverentiam ſerio commendavit, ac ſi diceret, unicuique illorum ad imitationem Crucifixi Sponſi: Ecce Mater tua. Ambas etiam Quęſtoris filias ob innocentiam ab ea ſumme dilectas, ad virtutes, & pręcipue Genitorum amorem, & venerationem hortata eſt: reliquoſque domeſticos officii, ac Chriſtianę pietatis admonuit, ut jam non fęmina, ſed Apoſtolus prędicare videretur; a Johanne de Lorenzana poſtremo ejus Confeſſario paranti ſe in nocte pervigilii S. Bartholomęi ad matutinarum officium accedere, ſciens ſibi non ſupereſſe amplius, niſi quatuor horas, ſupremam benedictionem ex corde efflagitavit, monens ea ipſa nocte, ineunte feſtivitate ſe ad feſta ſempiterna abituram. Quod vultu adeo ſereno, & lęto protulit, ut appareret vere Virgo prudens, & ſapiens in veſtibulo Paradiſi expectans cum lampade, ut dilectus ejus Sponſus veniret, cujus in intimo cordis vocantis vocem ſentiens, candelam benedictam nutu petens Crucis ſignaculo frontem, os & pectus communivit, mandavitque ſubtrahi cervical, ut capite ad nudum lignum inclinato ſentiret in Cruce ſe mori. Spiritum denique ſuum in manus Patris commendans fixis in cęlum oculis, ut cum Sponſo intraret pronuncians Jeſus, Jeſus, Jeſus mecum ſit; quietiſſime expiravit. Hęc verba quemadmodum illi fuerunt in infantia prima orandi formula, ita his ipſis in ſuę infantilis innocentię teſtimonium decedens Limę ad limen ſupernę Patrię evolavit, anno ętatis ſuę trigeſimo ſecundo (26) menſe quinto vix inchoato. Virgineum Roſę cadaver cum ſpirare deſiiſſet adhuc ex vivido vultus colore, & rubentibus labiis reſpirans credebatur donec innotuit haud amplius ineſſe alitum ex applicito ori ejus ſpeculo, cujus ſicut fuit hic ultimus uſus, ſic etiam fuit primus. Repentino prodigio omnes invaſit arcanus lętitię ſenſus, ut Mater ipſa aptans cadaver, ſicut ei vivens filia obtinuerat, & tota domus hilariter non exequiis defunctę, ſed nuptiali gaudio intereſſe viderentur. Sic etiam extraneis quotquot aderant intime, & ſecrete inhęſit jucunditatis ſtimulus. Mendicorum tantummodo Limenſium ejulatibus & lacrymis publicis fuit celebratum hoc funus, conquerente egenorum turba veram pauperum nutricem, & matrem fato acerbiſſimo immature ſibi ereptam fuiſſe. Viſa fuit Angelorum numeroſa caterva, & ante obitum circa grabatum decumbentis, & poſt circa feretrum defunctę alternante concentu feſtive tripudiare. Quęſtoris conjux aulam, in qua expoſuerant Virginis corpus, undique luminoſo illapſu cęleſtis glorię totam micare conſpexit. Sic implebatur, quod Chriſtus Dominus futurum eſſe revelaverat mortem ſcilicet Roſę, & ſepulturam ejus fore glorioſam. Devotę fęminę ſacrorum hymnorum ſonoro cantu per vices exultabant, proteſtantes non nęniis, ſed feſtis ibi locum eſſe debere. Mirabili conſenſu, & occulto inſtinctu maxima hominum multitudo clareſcente jam die implevit Quęſtoris Palatium. Confeſſarii coram feretro in voces jubilationis, & benedictionum eruperunt, teſtantes cunctis baptiſmalem gratiam nulla unquam lethali noxa ab ea interpunctam fuiſſe, ſed immaculatam totius vitę innocentiam, & virginei candoris infantilem puritatem cęlo ad ſequendum Agnum quocunque ierit, intuliſſe. Ad exequias vulgata jam fama innumerabilis utriuſque conditionis hominum multitudo convenit, & pia variorum titulorum ſodalitia ſponte, & religioſorum Mendicantium Ordines proceſſere. Mox & Metropolitanum Collegium, & Regius Senatus cum omnibus Magiſtratibus. Sacrum Corpus deferebant inſueto honore Eccleſię Cathedralis Canonici, ſuccedentibus in hoc munere certatim Religionum Superioribus. Ad Eccleſię valvas viſus eſt vultus Virginis vividiori, & venuſtiori colore rutilare, ut etiam de hac dictum a Chriſto Domino appareret, non eſt mortua puella, ſed dormit. Viſum eſt etiam a plurimis ſimulacrum Deiparę Sanctiſſimi Roſarii luce, & ſplendoribus coruſcare. Quo evulgato plures alii advenientes, prodigium non ſolum eminus, ſed etiam cominus ſic ſe habere conſpexerunt. Certatim omnis ętas, & ſexus Coronis, Roſariis, & quacunque re devota, quę ad manus fuiſſet ſacrum corpus contingere ſuppliciter conabatur. Reſonabat undequaque Eccleſia valde ampla continuis vocibus Roſam Beatam, & Sanctam acclamantibus, donec ſepulturę pretioſum depoſitum mandatum fuit. Poſt quę creſcente devota populi frequentia ob eximia curationum beneficia, quę in dies crebreſcebant ſolemniores exequię celebratę fuerunt, quibus Prorex, & major multitudo interfuit feſtivis applauſibus, & publicę lętitię ſignis, tam incolis, quam advenis novę Cęlorum Civi acclamantibus. Paulo poſt inſtantiſſime poſtulantibus Primatibus Civitatis ſacrum illud corpus in locum celebriorem transferendum, decreto (27) Archiepiſcopi Limenſis (28) extractum, inventum fuit corruptioni non ſubjacuiſſe, & ęque ex eo cęleſtem illum odorem prodire, quemadmodum, quan-

quando primo repoſitum fuit. In hac celebritate nemo erat quem ſub virginei cadaveris pręſentia recens geſtorum memoria medullitus non compungeret, multis lacrymę devotionis fluebant. Nomen ipſum Roſę ab omnibus aperto reverentię ſigno recipiebatur. Depoſitum fuit decentiſſime corpus a dextera Arę Majoris, verum ob copioſam multitudinem offerentium ibi vota, alius locus ſacris exuviis collocandis eligendus fuit, ipſum videlicet S. Catharinę Senenſis Sacellum. Debebatur enim tam ſimili filię ſinus Seraphicę ſuę Matris ad quietem. Interea Limam pervenere literę hujus Sanctę Sedis Apoſtolicę, ut ex formula a Congregatione Rituum pręſcripta examinarentur teſtes de vita, & geſtis hujus Ancillę Dei, quod cęptum anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ob multitudinem teſtium, qui fuere numero centum octuaginta tres, non potuit abſolvi niſi in menſe Majo anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo. Fuere pro viſitatione Reliquiarum Roſę de more deputati inſpectores, qui aperta arca lignea repererunt Virgineum Corpuſculum poſt quintum decimum expletum ab obitu annum conſumptis indumentis, oſſibus integris, & adhuc ſicca hinc inde carne obductis, quę odorem roſarum exhalabant. Maximis ſignis oſtendere voluit Omnipotens Deus, quam ſublimem glorię gradum in Cęlis obtineat Roſa, quorum illa celeberrima, & crebra fuere, quę Cęli, Terręque creationem excedunt, converſiones ſcilicet peccatorum, quę a Deo precibus hujus Virginis obtentę inſignes fuerunt. Ad ſolum enim Virginei Corpuſculi contactum in feretro quamplurimi repentinis compunctionis ſtimulis ita fuere perculſi, ut ſtatim elatis vocibus deteſtati fuerint ſua ſcelera, prorumpentes in lacrymoſam criminum confeſſionem, audiente, ſpectante, & mirante maxima circumſtantium turba. Mater Virginis Maria de Oliva coram judicibus recenſuit, poſt exequias filię complures ad ſe devotas acceſſiſſe perſonas, etiam religioſas antea ignotas liberali ſubſidio ſuam egeſtatem ſublevantes, & profitentes ſe tributa pendere Virgini Roſę, cujus interceſſionibus vitę ſuę optimam mutationem debere ſciebant. Bartholomęus Martinez quondam hujus Virginis Confeſſarius ex certa ſcientia aperuit in judicio, quemdam profligatę vitę hominem, longiſſima annorum ſerie ſacrilege frequentantem Sacramenta, Roſę jam tumulatę precibus commendatum fuiſſe, & mox illam ſenſiſſe divinę gratię motionem, qua cor ejus liqueſcens generalem totius vitę exomologeſim amariſſime perfecit, & adeo conſcientiam ejus timor Domini pervaſit, ut poſtmodum quoſcunque defectus tanquam pergrandes exceſſus eluere feſtinaret. Conſtat etiam, duas proboſę vitę peccatrices ad Roſę hujus odoriferam famam compunctas jugum impuritatis feliciter excuſſiſſe, & in calle virtutis conſtanter fixiſſe pedem. Limenſes, & alii in univerſa Peruana Regione Sacramentalis Pęnitentię Miniſtri communicatis indiciis generatim ſtupuere de tanta mutatione morum in populo a die, qua Roſa in Sponſi ſui Paradiſo recepta fuit. Nam certatim fęminę abjecto veſtium luxu ſimplicioris modeſtię habitum ubique ſumpſerunt. Regularium clauſtra cruentis flagellorum ictibus undique pęnitentiam reſonabant. Fuitque tam publice notum hoc prodigium, ut in Tribunali jurejurando aſſertum fuerit a tempore, quo Peruvia noſtris detecta fuit, nullum unquam ibi claruiſſe concionatorem, qui tot, ac tantis ſtimulis gentes illas ad virtutem impulerit, & tam univerſalem pęnitentię ſpiritum, & devotionis incendium excitarit, ut Roſa ſuis aſpectibus, contactibus, & precibus. Franciſco, & Alexandro de Coloma germanis fratribus matertera erat Maria de Xuata mulier opulenta, ſed animo implacabiliter in cognatos quamvis pauperrimos adverſo, & implicato, quorum primus alebat ſuis impenſis ſex conſobrinas, & duos conſobrinos omnes in parva ętate conſtitutos. Impendebat utrique neceſſitas proficiſcendi, & relinquendi parvulos in ſumma egeſtate. Franciſcus Sacerdos erat, Roſę patrocinium implorat, poſtridie Matertera illum accerſit, quem toto decem, & octo annorum ſpatio videre abnuerat, conſobrinos calamitoſos jubet adducere, & advocato Notario, reſciſſo priori inofficioſo teſtamento, gratificato Franciſco inſtituit parvulos conſobrinos ex aſſe hęredes, & Roſę debitę grates perſolvuntur. Ludovica Barba audierat a Confeſſario Roſam vaticinatam fuiſſe, ſe aſſecuturam habitum Religioſum S. Dominici, quem ipſa horreſcebat, diu parvi fecit dictum Virginis, immo adverſabatur eventum hujus Oraculi. Tandem cęleſtis religioſę vitę inſpiratio eam invaſit, Roſę ſepulcrum adiit, ei cauſam ſupplex commendat, repente illius cordi ignitum Sacri habitus Dominicani deſiderium immittitur, in numerum Sororum Tertiariarum adſcribitur, divinis ſolatiis repletur, hoc unum dolens, quod tandiu corde obſtinato tantam felicitatem reſpuiſſet. Ludovica de Mendoza encomia Sanctitatis hujus Virginis nec credere, nec concipere eſſe vera poterat, aut volebat. Repentino angore correpta in manibus, & pedibus ſumme dolens, ſenſit, ſpiritum ſuum caligine, & pavore concuti, evidenter agnovit, ab unica ſua incredulitate hęc provenire, ſupplex proteſtatur ſe credere, & toto corde fateri, quod Roſa vere Sancta ſit, & repente conquievit tempeſtas, & ſenſit recedere atroces illos paroſiſmos. Pręter prędicta ſpiritualia beneficia multa alia, & inſignia miracula in curandis corporibus patrata narrantur, quibus ſanctitas, & merita hujus Virginis ſatis, ſuperque comprobata ſunt. Ex Proceſſibus enim auctoritate Apoſtolica confectis, & formiter a S. Congregatione Rituum diſcuſſis referente dilecto filio noſtro Decio Cardinali Azzolino hujus cauſę Ponente, non ſolum conſtat de famę ſanctitatis, & virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus cum annexis in gradu heroico, ſed pręterea ex concludentibus probationibus tanquam rite, & recte admiſſa fuere ſequentia miracula. Maria Sanchez alias de Jeſu novennis puella, quę cum ſexennis eſſet, fortuito in terram prolapſa, ita nervis, & oſſibus offenſa fuit, ut contractis cruribus, eorumque ſenſu deperdito, omni prorſus ſtandi, & ambulandi potentia deperdita, continuo immobilis affixa lectulo per triennium, creſcente ętate, magis viribus deſtituebatur, fruſtratis omnibus adhibitis naturalibus remediis, ejus Parentes humili corde voverunt eam in ſepulcro prędictę Virginis ad obtinendam ei ſalutem per novenam ponere, & in ultima novenarii die, dum votum perſolverant, infantula ſupra ſepulcrum ſtatim in pedes ſurrexit cunctis admirantibus, tam expedite deambulans, ac ſi nunquam hujuſmodi lęſionem paſſa fuiſſet. Iſabellę Duran apoplexia in paraliſim terminata brachium exſiccarat, omnemque illius uſum a quinque circiter menſibus cruciabiliter ademerat, quod ad inutile pondus, & continuos tantummodo dolores geſtabatur ab humero prętenſis faſciis obvolutum. Applicavit illud corpuſculo Roſę jam jam tumulando, mox faſcias explicavit, palam clamitans, integerrime ſe curatam, publiceque in-

mi-

miraculi fidem robuſte jactavit brachium geſtu, motuque expeditiſſimo, ac ſi nunquam languiſſet. Æthiopi cuidam ſervo Didaci de Ayala ex nervorum attractione, & tenaci plica, brachium dextrum, ac manus a pluribus annis denegabant officium. Itaque ad famam defunctę Roſę cum reliqua turba penetravit in Eccleſiam Beati Dominici, commendavit ſe Sanctę Virgini, exporrexit illico ſanatum brachium, illudque in ſublime elatum magnis vocibus oſtentavit multitudini circumfuſę. Qui ſervum familiarius noverant, acceſſere propius gratulabundi, nec dedignati oſculis fatigare manum beneficio Roſę jam patulam, & redivivam. Magdalena Chimiſſo nobilis Inda, utpote de ſtirpe Regulorum Chincenſium, ab umbilico deorſum corporis attractione, ariditate crurum, & pedum, miſere per plures languebat annos, & nonniſi in aliorum manibus huc, & illuc poterat deferri. Omnibus fruſtra adhibitis medicamentis in illo deploratę ſalutis ſtatu cor erexit ad ſuperna, devote ſe commendavit dictę Virgini, & ejus veſtium allatis particulis tetigit partes lęſas, atque in inſtanti perfectam recuperavit ſalutem, omnibuſque admirantibus propriis pedibus adiit immediate Prędicatorum Eccleſiam, ibique publicas gratias dictę Virgini reddidit. Maria de Vera diſenteria, febri maligna, dolore ſtomachi, & lethali vomitu per octo dies laborabat in extremis, ſuſceptis Eccleſię Sacramentis ſe commendavit prędictę Roſę interceſſioni, cujus amplexa eſt imaginem, & ſtatim ſana viſa eſt cum totali virium recuperatione, atque e lecto exiliens illico Altare ornavit, ibique appoſuit Imaginem, & ob recuperatam ſanitatem gratias egit. His igitur, & plurimis aliis ſignis corruſcante per Orbem Roſę ſanctitate, ejus exigentibus meritis, felicis recordationis Clemens Papa IX Prędeceſſor noſter indulſit (29), ut hęc Dei Serva ubique terrarum Beatę nomine nuncuparetur, & celebrata ſolemni ritu ejus Beatificatione eam Civitatis Limę, & totius Regni Peruani principaliorem Patronam, auctoritate Apoſtolica decrevit, & declaravit, ejuſque feſtum ab omnibus illic degentibus de pręcepto ſervari mandavit, & ejus nomen apponi in Martyrologio Romano. Nos quoque videntes eam ubique omnium Populorum ſolemni plauſu devotiſſime honoratam, hujuſmodi Patronatum pro omnibus Provinciis, Regnis, Inſulis, & Regionibus terrę firmę totius Americę, atque Philippinarum, & Indiarum, fecimus extenſum, formatiſque auctoritate Apoſtolica Proceſſibus de his, quę ſupervenerant, eorumque validitate approbata, & percrebreſcentibus venerationis, & devotionis Populorum piis affectibus, & novis oſtenſis miraculis accedentibus, ex quibus poſt maturam diſcuſſionem quatuor admiſſa fuere, duo ſcilicet ex proceſſu Sueſſano, & duo alia ex proceſſu Panormitano. Primum in perſona Johannis Zelilli ab imminenti morte mirabiliter pręſervati. Hunc enim per quatuor menſes oppreſſerat febris hectica tertię ſpeciei progreſſa in exquiſitum maraſmum cum ulcere pulmonis, tuſſi marcidum cruorem excreante, ac roſione gutturis pariter ulcerati, quibus acceſſerat febris putrida, & maligna, unde ęger ſuſceptis Eccleſię Sacramentis ad extremum vitę fugientis agonem perductus jacuit ſine motu, ceſſavit arteriarum pulſus, & conſona trium Medicorum voce jam in faucibus mortis habere conclamabatur. Sed implorato Beatę Roſę potenti auxilio, modicum pulveris e ſepulcro ejuſdem Beatę hauſit e cochleari aqua reſolutum, & illico ſalutem cum priſtino vigore integerrime recuperavit. Alterum in Candida Roſſetta, Vexilliferi Aloyſii il ſecondo de Caruajal Hiſpani uxore, cui in premortui fętus miſerabili partu nimius pro ſecundarum emiſſione conatus per triduum adhibitus una cum illis matricem foras extruſerat, quę deinde frigoribus inſtar marmoris obduruit, nigra, viſuque horrida, & pręgrandis, utpote trium librarum pondere gravis. Moleſtiſſimo cruciatu ſic permanſit foris per octennium, donec Beatę hujus, cui impenſe Candida ſe commendarat, imagine papyracea ventri applicita ſenſit incontinenti ęgra, matricem in alvum rediiſſe. Unde confeſtim ſana, & robuſta lecto exſiliit, ac per domum viſa eſt pię gaudio ſaltitare. Alia itidem bina miracula ex proceſſu Panormitano, videlicet unum in ſanatione mirabili Fr. Seraphini Pugliſi ex Ordine Beatę Marię de Monte Carmelo. Vir iſte religioſus maligna febri lethaliter exuſtus, ac decimo ſeptimo ſuę infirmitatis die omnino derelictus a Medicis conſtanter aſſeverantibus, hora quinta, aut ſexta noctis proxime inſequentis expiraturum, jamque amiſſa loquela, & viſu, luctans cum ultimo agone, mox ut opem B. Roſę toto corde imploravit, eandem habuit manifeſte conſpicuam, ſubitoque valens, incolumis, vegetus cum ſtupore omnium evaſit. Noviſſimum denique in Angela Gibaja, quę duplici febri tertiana continua, & maligna, cum ingenti capitis, ac ſtomachi dolore, flatuumque copia per dies viginti ſeptem dire excruciata, demum a Medico palam conclamata properabat ad mortem, perque ſex horarum ſpatium laborans in agone, hortatu Matris invocavit opem B. Roſę, oleoque ex lampade coram iſtius Altari pendula deſumpto in ſtomachi regione, collo, pectore peruncta, ſtatim & incontinenti priſtinę ſaluti cum omnimoda fractarum virium reparatione fuit reſtituta. Cum igitur jam nihil deeſſet eorum, quę Sacroſanctę functioni Canonizationis hujus dilectę Chriſti Domini Sponſę Roſę neceſſaria erant, ex Sanctorum Patrum auctoritate, Sacrorum Canonum Decretis, & Sanctę Romanę Eccleſię antiqua conſuetudine, ac novorum Decretorum pręſcripto: rogantibus cariſſimis in Chriſto filiis noſtris Regina Marianna Regente, ac etiam Carolo II itidem Hiſpaniarum Rege, toto Ordine Fratrum Prędicatorum S. Dominici, Regno Peruano, & omnibus Provinciis Americę, accedentibus etiam precibus venerabilium Fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Regnorum Hiſpanię, & Indiarum, juſtum, & debitum eſſe cenſuimus, ut prędictam Beatam, quam ipſe Dominus de die in diem magis clarificat e Cęlis, Nos quoque venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris. Propterea annuimus, ut hodierna die publice in Sacroſancta Baſilica Principis Apoſtolorum Miſſę Sacro peracto ejus Canonizatio haberetur, eademque die in prędicta Sacroſancta Vaticana Baſilica, in qua ſolemni ritu cum ejuſdem Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis Romanę Curię Pręlatis, Officialibus, & familiaribus noſtris, Clero ſeculari, & regulari, ac maxima Populi frequentia mane convenimus, repetitis ter pro Canonizationis Decreto Nobis per dilectum filium Ludovicum tituli Sanctę Sabinę Cardinalem Portocarrero ſupplicationibus poſt Sacros Hymnos, Litanias, aliaſque preces Spiritus Sancti gratia rite implorata. Ad honorem Sanctę, & Individuę Trinitatis, & Fidei Catholicę exaltationem auctoritate Omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Beatorum

Apoſto-

Apoſtolorum, ac noſtra, de venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romana Curia exiſtentium conſilio, ac unanimi conſenſu, Beatam Roſam de Sancta Maria Virginem Limanam, de cujus vitę ſanctitate, fidei ſinceritate, & miraculorum excellentia plene conſtat, Sanctam eſſe diffinivimus, ac Sanctarum Virginum Catalogo adſcribendam decrevimus, prout pręſentium tenore decernimus, diffinimus, & adſcribimus, ſtatuentes ab Eccleſia univerſali quolibet anno die trigeſima menſis Auguſti memoriam ejus inter Sanctas Virgines recoli debere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Eadem auctoritate omnibus, & ſingulis vere pęnitentibus, & confeſſis, qui annis ſingulis in die feſto ipſius Sanctę Roſę ad ſepulcrum, in quo ejus corpus requieſcit, viſitandum acceſſerint ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxavimus in forma Eccleſię conſueta. His peractis Deum Patrem Æternum, Regemque Glorię Chriſtum Dominum Patris ſempiternum Filium, & Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confeſſionibus venerati, ſacroque Hymno: Te Deum: ſolemniter decantato, peculiari in honorem S. Roſę oratione precati ſumus per ejuſdem merita, atque ad Altare S. Petri Apoſtoli Miſſam celebravimus cum ejuſdem Sanctę commemoratione, omnibuſque Chriſti fidelibus tunc pręſentibus *Plenariam* omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem conceſſimus. Cum omni igitur *humilitate* pro tam inſigni beneficio benedicimus, & glorificamus Deum Patrem Omnipotentem, cui benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum, aſſiduis precibus ab eo poſtulantes, ut per interceſſionem Electę ſuę a peccatis noſtris faciem avertens, miſereatur noſtri, & reſpiciat nos, quibus oſtendit miſericordiam ſuam in medio Templi ſui, dum novum nobis propugnaculum totius Americę contra antiquas Diaboli inſidias, & infidelitatis errores dedit, & omnibus apud Divinam Suam Majeſtatem Protectricem, & Advocatam conceſſit ad Sanctę Eccleſię tranquillitatem, Fidei Catholicę incrementum, & infidelium lumen, & converſionem. Ceterum, quia difficile foret, pręſentes noſtras literas ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri: volumus earum exemplis etiam impreſſis manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eandem ubique fidem haberi, quę ipſis pręſentibus haberetur, ſi eſſent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri Decreti, definitionis, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, relaxationis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Septuageſimo Primo, Pridie Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſc.



* Ego Franciſcus Epiſcopus Oſtien. Card. Barberinus S. R. E. Vicecancel.

* Ego F. M. Epiſcopus Portuen. Card. Brancatius.

*

* Uldericus Epiſcopus Tuſc. Card. Carpineus.

*

* Ego Virginius Epiſcopus Albanen. Card. Urſinus.

*

*

*

*

*

*

* Ego Alderanus tit. S. Praxedis Presb. Card. Cybo.

* Ego Federicus tit. S. Petri ad Vincula Card. Sfortia.

* Ego Benedictus tit. S. Onuphrii Presb. Card. Odeſcalchus.

*

*

* Ego Aloyſ. tit. S. Alexii Presb. Card. Homodeus.

* Ego P. tit. S. Marci Cardinalis Otthobonus.

* Ego Laurentius tit. S Criſogoni Card. Imperialis.

* Ego Marcellus tit. S. Stephani in M. Cęlio Presb. Card. Sanctaecrucius.

* Ego Jo: Baptiſta tit. S. Marcelli Presb. Card. Spada.

* Ego Franciſcus tit. SS. Quatuor Coronatorum Presb. Card. Albitius.

* Ego Octavius tit. S. Cęcilię Presb. Card. de Aquaviva, & Aragonia.

* Ego Carolus tit. S. Priſcę Presb. Card. Pius.

* Ego Carolus tit. S. Euſebii Presb. Card. Gualterius.

* Ego Flavius tit. S. Marię de Populo Presb. Card. Chiſius.

*

*

* Ego Jacobus tit. S. Pancratii Presb. Card. Franſonus.

*

* Ego

✱ Ego Petrus tit. S. Caliſti Presb. Card. Vidonus.
✱
✱
✱
✱
✱
✱ Ego Carolus tit. S. Anaſtaſiæ Presb. Card. Bonellus.
✱
✱ Ego Carolus tit. S. Suſannę Presb. Card. Carafa.
✱ Ego P. tituli SS. XII. Apoſt. Presb. Card. Alterius.
✱ Ego Cęſar tit. S. Jo: ante Portam Latinam Presb. Card. Raſponus.
✱
✱
✱
✱ Ego Carolus tit. S. Marię de Aracęli Card. Robertus Vitor.
✱
✱
✱
✱
✱ Ego Jacobus tit. S. Sixti Presb. Card. Roſpiglioſius.

✱ Ego Ludovicus tit. S. Sabinę Presb. Card. Portocarrerus.
✱
✱
✱ Ego Johannes tit. S. Bernardi Presb. Card. Bona.
✱ Ego Camillus tit. S. Marię in Domnica Presb. Card. Maximus.
✱ Ego Gaſpar tit. S. Pudentianę Presb. Card. Carpineus.
✱
✱ Ego Fridericus S. Agathę Diaconus Card. de Haſſia.
✱ Ego C. S. Cęſarei Diaconus Card. Carolus Barberinus.
✱ Ego Decius S. Euſtachii Diaconus Card. Azzolinus.
✱
✱
✱ Ego Paulus S. Nicolai Diaconus Card. Sabellus.
✱
✱
✱ Ego Sigiſmundus S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Chiſius.
✱
✱ Ego Bonacurſius Sanctę Marię de Scala Diaconus Cardinalis Bonacurſius.

Viſa de Curia S. de Pilaſtris.

J. G. Sluſius.

Loco ✝ Plumbi.

D. Ciampinus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

1. *Roſam.*) Cujus vitam ſcripſere *Johannes Andreas Faure*, Gallus, *Johannes Baptiſta Fevillet*, itidem Gallus, *Andreas Ferrer de Valdecebro*, Aragonus, *Antonius Gonzalez de Acuña*, Peruanus, *Antonius de Lorea*, Hiſpanus, *Dominicus Maria Marcheſius*, Siculus, Epiſcopus Puteolanus, *Hyacinthus de Parra*, Hiſpanus, *Johannes de Vargas Machuca*, Peruanus, *Johannes Baptiſta Wouters*, Belga, *Petrus Scotus*, Siculus, *Seraphinus Bertolinus*, Hetruſcus, *Anonymus Gallus*, *Stephanus Thomas Soveges*, Gallus &c. Conſulendus præ ceteris *Leonardus Hanſen*, Teuto, in libro, cui titulus: *Vita mirabilis, Mors pretioſa, Sanctitas Thaumaturga, inclyta Virginis S. Roſæ Peruanæ, ex Tertio Ordine S. P. Dominici, pridem ex authenticis approbatorum Proceſſuum documentis excerpta, & collecta &c. Editio tertia &c. Romæ typis Nicolai Angeli Tinaſſii MDCLXXX.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXXI*. Legitur in *Codice Canonizationum pag.* 402, Auctore Illuſtriſs. D. *Juſto Fontanino* Archiepiſcopo *Ancyrano*, & ad calcem *Vitæ* mox laudatæ, editæ a *Leonardo Hanſen*. In nuperrimo *Bullario Romano* eſt *LXII*. Legitur *pag.* 102.

3. *Occidentalium Indiarum.*) Sic paſſim vocant *Americam*.

4. *Pacificum.*) Idem eſt ac mare *Auſtrinum*, latius tamen extenditur.

5. *Peruviam.*) Regnum eſt potentiſſimum *Americæ Meridionalis*.

6. *Primus ille penetravit Ordo.*) Ut enim notat *Fontana* in *Monumentis Dominican.* Parte III Cap. XI ad annum MCCCCXCII pag. 390: *Chriſtophorus Columbus Ligur interventu P. Didaci Dezæ primarii Profeſſoris S. Theologiæ in Salamantina Academia, Regis auſpiciis, menſe Auguſto, ad novum orbem detegendum, Sacroque Evangelio imbuendum navigationem ſuſcepit.*

7. *Inſignitus fuit.*) Vide *Notam XIII* in *Conſtitutionem III Honorii III Tomo I hujus Bullarii pag.* 5.

8. *Lima.*) Quæ paſſim *Civitas Regum* vocatur.

9. *Gaſpare de Floribus.*) Oriundo ex *Hiſpanorum* Inſula *Americana*, cui a *Portu Divite* nomen eſt.

10. *Maria ab Oliva.*) *Limæ* nata.

11. *Avia.*) *Iſabella*, ſeu *Eliſabeth de Herrera*.

12. *Turibio.*) Quem in Sanctorum numerum retulit *Benedictus XIII* Ordinis Prædicatorum.

13. *S. Chriſmatis unctione.*) In Parochia loci *Quivi*.

14. *Catharinam Senenſem.*) Sanctam Ordinis Prædicatorum. Vide *Notas* ad *XXXVI Conſtitutionem Pii II Tomo III* hujuſce *Bullarii pag.* 409.

15. *Granadillæ.*) Vulgo *Flos Paſſionis* dicitur.

16. *Canta.*) In *Peruvia*.

17. *Vigeſimo ætatis anno.*) Chriſti *MDCVI*, die *X* Auguſti, uti mox dicetur in ipſomet Diplomate.

18. *Theologorum.*) Quatuor fuiſſe, conſtat ex Scriptoribus ſupra laudatis.

19. *Vir.*) *Gundiſalvus* Quæſtor, de quo mox dictum fuit in ipſo Diplomate. Id anno *MDCXVIII* contigiſſe, refert *Leonardus Hanſen Cap. XI num. XIV pag.* 72.

20. *Mariam de Uſatigui.*) Quæſtoris conſortem.

21. *Matre.*) Hic de Genitrice *S. Roſæ* ſermo.

22. *Periculoſo itinere.*) E *Limana* Civitate uſque *Potoſium*.

23. *Donec.*) E *Potoſio* ſcilicet *Truxillum* petens.

24. *Confeſſario.*) P. Magiſtro Fr. *Ludovico de Bilbao* Ordinis Prædicatorum.

25. *Confeſſario.*) Iſte erat P. Magiſter Fr. *de Lorenzana* Ordinis Prædicatorum, de quo mox in ipſo Diplomate.

26. *Trigeſimo Secundo.*) Chriſti *MDCXVII*.

27. *Decreto.*) Anno *MDCXIX* die *XXVII* Februarii.

28. *Archiepiſcopi Limenſis.*) Illuſtriſſimi D. *Bartholomæi Lobi Guerrero*.

29. *Indulſit.*) Conſtitutione *IX*. In Actis Generalis Capituli *Romæ* celebrati anno *MDCLXX* hæc habentur *pag.* 25.

S. D. N. Clemens X. Ex occaſione Univerſaliori, qua in faſtos Sanctorum retulit quinque Sanctos, Cajetanum, Franciſcum Borgiam, Philippum Benitium Ludovicum Bertrandum, & Roſam Peruanam, denuo theſauros novarum Indulgentiarum aperuit, nobiſque pro earum ampla participatione ſupplicantibus conceſſit, ut ſequitur.

I. Magiſtro Ordinis quinquies mille, quas poſſit diſtribuere ipſe, ac diſtribuendas committere.

II. Singulis noſtri Ordinis tum Provincialibus, tum Vicariis Congregationum quadringentas, quas ipſimet per ſe diſtribuant.

III. Singulis noſtrorum Conventuum, ſeu Prioribus, ſeu Vicariis in Capite ducentas, per ipſos diſtribuendas.

IV. Unicuique noſtri Ordinis Regulari, ſeu Fratri, ſeu Sorori etiam Tertię Regulę intra Italiam centum, extra Italiam ducentas, pariter diſtribuendas.

V. Utriuſque ſexus Conſodalibus noſtrarum Confraternitatum SS. Nominis Jeſu, & Roſarii unicam ſingulis.

VI. Unicuique noſtri Ordinis Parocho in partibus Indiarum, qui Sacramenta miniſtrat Indis recenter ad Fidem converſis, ut poſſit cuilibet horum nunc viventi impertire unicam ex iſtis Indulgentiis.

VII. Apoſtolicis ejuſdem Ordinis Miſſionariis nunc in regione Chinarum, & Japoniarum laborantibus, ut ſimiliter unicam ex his Indulgentiis poſſint impertire cuilibet per ipſos ad Catholicam Fidem converſo, vel per eoſdem convertendo.

TENOR VERO ISTARUM SPECIALIUM INDULGENTIARUM EST ISTE.

I. Quiſquis ad minus ſemel in hebdomada ſolet recitare Coronam Domini, vel B. Virginis, aut Roſarium, ejuſque Tertiam partem, vel Officium Divinum, aut parvum de B. Virgine, aut Defunctorum, aut Septem Pſalmos Pęnitentiales, vel Graduales, aut conſuevit inviſere Carceratos, aut ſubvenire pauperibus, aut ſaltem per quadrantem horę vacare orationi mentali: Si confiteatur alicui Confeſſario per Ordinarium approbato, & communicarit in aliqua feſtivitate Domini, vel B. V. ſolita per Eccleſiam celebrari, videlicet Natalis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Trinitatis, Corporis Chriſti; item Conceptionis, Nativitatis, Pręſentationis, Viſitationis, Annunciationis, Purificationis, & Aſſumptionis B. V. aut in Nativitate Sancti Jo. Baptiſtę, in die SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli; vel in Feſto unius ex prędictis quinque Sanctis noviſſime canonizatis, aut in die omnium Sanctorum, vel in Dedicatione proprię Eccleſię, ſeu ejuſdem tituli, vel Patroni, ac devote oraverit pro extirpatione hęreſum, propagatione Catholicę Fidei, aliiſque Sanctę Matris Eccleſię neceſſitatibus pro qualibet vice conſequatur indulgentiam plenariam.

II. Quiſquis jejunaverit in vigilia cujuslibet ex ſupradictis Sanctis, & confeſſus communicaverit in Feſto ejuſdem, oraveritque, ut ſupra, toties acquirat plenariam Indulgentiam.

III. Qui celebrarit Miſſam, vel confeſſus, & communicatus eam audierit ad Altare, in quo ſit imago, vel Corpus, aut Reliquię alicujus ex iiſdem Sanctis, atque oraverit, ut ſupra, plenariam lucretur Indulgentiam una cujuslibet menſis die per ipſum eligenda.

IV. Qui pęnitens de ſuis peccatis, ac proponens vitę emendationem viſitarit unica die Septem Eccleſias ſuo arbitrio eligendas, aut ubi non fuerint ſeptem Eccleſię, viſitarit quotquot illic ſunt, vel ſi unica tantum ibidem fuerit, omnia illius Altaria viſitaverit, orando ut ſupra, ſemel in Anno conſequatur Indulgentias Septem Eccleſiarum Urbis Romę.

V. Qui devote meditatus fuerit aliquod Myſterium Paſſionis Domini Noſtri, & in ejuſdem Paſſionis reverentiam humiliter terram ſepties fuerit oſculatus, illa die acquirat Indulgentiam Scalę Sanctę, idque una duntaxat vice per Annum.

VI. Quiſquis de ſuis peccatis actum verę pęnitudinis elicuerit cum firmo emendationis propoſito, aut ad exemplum prędictorum Sanctorum aliquod virtutis opus exercuerit, toties lucretur ſeptem Annos, & totidem Quadragenas Indulgentiarum.

VII. Quicunque legerit aliquod Capitulum ex vita eorundem Sanctorum, aut ipſorum Altare viſitaverit, vel eorum Imaginem veneratus fuerit, orando pro exaltatione Sanctę Eccleſię, & peccatorum converſione, qualibet vice lucretur centum dies Indulgentiarum.

VIII. Quiſquis ſe exercuerit in devotione erga SS. Altaris Sacramentum, aut erga B. Virginem, meditando illud myſterium, & beneficia, quę inde in nos profluunt, aut compatiendo doloribus quos ſenſit B. V. in paſſione, ac morte Filii, aut ſub alia forma venerando Sanctiſſimum Sacramentum, & orando pro neceſſitatibus S. Eccleſię, toties conſequatur centum dies Indulgentiarum.

IX. Qui pauperibus eleemoſynam dederit, aut eos de rebus Fidei, vel bonorum morum inſtruxerit, ſeu id per alios fieri procuraverit, toties lucretur centum dies Indulgentiarum.

X. Qui Romę aut intra 20. milliaria in ejus diſtrictu exiſtens ob aliquod legitimum impedimentum adeſſe non potuerit Benedictioni ſolemni, quam Summus Pontifex dare ſolet in Die Paſchatis, & Aſcenſionis, ſi confeſſus, & communicatus oraverit pro extirpatione hęreſum &c. acquirat Indulgentiam ac ſi adfuiſſet, quam pariter acquirat extra Romam eundemque diſtrictum quovis loco exiſtens, etiamſi impeditus non ſit, dummodo ſupradicta pręſtiterit.

XI. Quiſ-

XI. Quiſquis in articulo mortis devote animam ſuam Deo commendans ſimul ad interceſſionem prędictorum Sanctorum, aut uniuſ cujuſlibet ex ipſis recurrerit ſaltem corde, ſi ore nequeat, pręmiſſa confeſſione, & communione, vel (ſi non potuerit) adminus contritione, plenariam ſuorum peccatorum Indulgentiam acquirat.

XII. Unaquęque ſupradictarum Indulgentiarum per modum ſuffragii applicari poſſit animabus in Purgatorio conſtitutis.

Denique pro noſtris ubique Eccleſiis peculiariter conceſſa eſt in ſingulos annos plenaria Indulgentia perpetua, pro anniverſariis Feſtivitatibus Sanctorum noſtrorum Ludovici Bertrandi, & Roſę de Sancta Maria.

Ordinis Prædicatorum, B. Margaritæ (1) de Sabaudia, nec Virginis, nec Martyris, Ordinis S. Dominici.

Anno 1671 Die 29 Aprilis. XXII.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

POſt indultam a ſanctę memorię Pio V de anno MDCLXV. Abbatiſſę, & Monialibus Monaſterii S. Marię Magdalenę Alben. . . . . . ubi corpus B. Margaritę de Sabaudia Ordinis S. Dominici requieſcit, facultatem de illa faciendi commemorationem in die ejus feſtivitatis, nempe XXII Julii quo annis; Et die VI Decembris MDCLXX ad preces Sereniſſimi Ducis Sabaudię extenſam ad univerſum Ordinem Prędicatorum, poſt declarationem jam factam ſub die VIII Octobris MDCLXIX a Sac. Rituum Congregatione referente Eminentiſſimo D. Card. de Ilcio, conſtare videlicet de caſu excepto, & cultu exhibito prędictę Beatę ex Indulto Apoſtolico. Excellentiſſimus D. Petrus de Aragonia Segorbię, & Cardonę Dux, Neapolis Prorex, & ad Sanctiſſimum D.N.D. Clementem Papam X, nomine Majeſtatis Catholicę obedientię Orator, Sanctitatem Suam per ſupplicem libellum ſupplicavit, ut dictum Indultum dignaretur ampliare, concedendo toti Ordini Prędicatorum Officium, & Miſſam prędictę Beatę; Et Sanctitas Sua tum prędictam inſtantiam, tum etiam jam factam a Sereniſſimo Duce Sabaudię, remiſit ad Sac. Rituum Congregationem & audita in Conſiſtorio, relatione ſibi facta ab Eminentiſſimo D Cardinale Brancatio, cui ab eadem cauſa reperiebatur commiſſa, benigne conceſſit, ut per univerſum Ordinem Prędicatorum utriuſque ſexus quotannis die XXVII Novembris, quę prima eſt non impedita poſt ejus obitum, celebrari poſſit feſtum dictę B. Margaritę de Sabaudia de Communi unius nec Virginis, nec Martyris juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani, & uſum prędictę Religionis, & pręſens Decretum expediri mandavit. Hac die XXIX Aprilis MDCLXXI.

Card. Antonius Barberinus Epiſc. Pręn.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congr. Sec.

1. *Margarita*.) Legenda Conſtitutio *III S. Pii V.* Legitur *T. V hujuſce Bullarii pag.* 111.

2. *Archivo*.) In quo exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXI*.

Indulgentia (1) pro Diebus Feſtis S. Ludovici Bertrandi, & S. Roſæ.

Anno 1671 Die 15 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLEMENS PP. X. XXIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

REdemptoris, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui glorioſos ſaluberrimorum, quę Nobis reliquit, exemplorum ſectatores, altis decoravit honoribus, & cęleſtis beatitudinis conſortes effecit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, ſpiritualium munerum theſauros, quorum Nobis credita eſt diſpenſatio, libenter erogamus, ſicut ad excitandam, & fovendam ergo eoſdem Beatos cęli incolas fidelium devotionem, ſalubriter expedire in Domino arbitramur. Cum itaque Nos nuper ad honorem Sanctiſſimę, & Individuę Trinitatis, ad exaltationem Catholicę fidei, & Chriſtianę Religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, in Alma Urbe noſtra tunc exiſtentium conſilio, Beatum Ludovicum Bertrandum Ordinis Prędicatorum profeſſorem, & Beatam Roſam de S. Maria Virginem Limanam Tertii Ordinis S. Dominici, auctoritate Nobis a Domino tradita Sanctos eſſe decreverimus, & definiverimus, illoſque Sanctorum catalogo ſolemni ritu adſcripſerimus. Hinc eſt, quod Nos, ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis quorumcunque Conventuum, Monaſteriorum, & Domorum regularium tam Fratrum, quam Monialium Ordinis prędicti hactenus erectis, & in poſterum quandocunque erigendis, & ubicunque locorum exiſtentibus, diebus feſtis eorundem Sanctorum Ludovici Bertrandi, & Roſę de S. Maria nempe Sancti Ludovici quidem die X Octobris, S. Roſę vero die XXX Auguſti, a primis Veſperis uſque ad

ad occaſum ſolis feſtorum hujuſmodi annis ſingulis viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, Hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die pręfatorum id egerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ipſarum pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XV Maii MDCLXXI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

J. G. Sluſius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXI.* In nuperrimo *Bullario Romano* eſt *LXVI.* Legitur *pag.* 116.

Anno 1671 Die 1 Junii.

Indulgentia pro Solemnitate Canonizationis (1) S. Ludovici Bertrandi, & S. Roſæ a S. Maria:

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXIV.

CLEMENS PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm Nos nuper ad honorem Sanctiſſimę, & individuę Trinitatis, ad exaltationem Catholicę fidei, & Chriſtianę religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, in Alma Urbe noſtra exiſtentium conſilio, B. Ludovicum Bertrandum Ordinis Prędicatorum profeſſorem, & B. Roſam de S. Maria Virginem Limanam Tertii Ordinis S. Dominici, auctoritate Nobis a Domino tradita Sanctos eſſe decreverimus, & definiverimus, ac Sanctorum catalogo ſolemni ritu adſcripſerimus. Et, ſicut accepimus, dilecti filii Fratres Conventuum, & dilectę in Chriſto filię Moniales Monaſteriorum Ordinis prędicti ſolemnitatem, ſeu feſtivitatem Canonizationis eorundem SS. Ludovici Bertrandi, & Roſę de S. Maria in ſuis reſpective Eccleſiis, celebrare intendant. Nos ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem, cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui Eccleſias quorumcunque Conventuum, Monaſteriorum, & Domorum regularium tam Fratrum, quam Monialium dicti Ordinis ubicunque locorum exiſtentes die quo ſolemnitas, ſeu feſtivitas Canonizationis hujuſmodi ibidem reſpective celebrabitur, vel aliquo ex ſeptem diebus immediate ſequentibus devote viſitaverint, ac ibidem pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus pro unica vice quoad Eccleſias prędictas, earumque ſingulas valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut etiam ſponte oblatum recipiatur pręſentes nullę ſint; Utque earumdem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die prima Junii MDCLXXI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

J. G. Sluſius.

1. *Canonizationis.*) Conſulendæ Conſtitutiones *XX*, & *XXI.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXI.*

Anno 1671 Die 10 Julii.

Officii de B. Gundiſalvo (1) recitandi extenſio ad univerſum Ordinem Fratrum Prædicatorum.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXV.

CLEMENS PP. X.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

SAcroſancti Apoſtolatus officium humilitati noſtrę divinitus commiſſum ſalubriter exequi, adjuvante Domino, ſatagentes, pia ſublimium, religioſarumque perſonarum vota, ad augendam in terris Beatorum in Cęlis cum Domino Noſtro Jeſu Chriſto regnantium venerationem laudabili ſtudio tendentia, libenter exaudimus, ſicut ad Omnipotentis Dei gloriam, ſpiritualemque Chriſti fidelium conſolationem, atque ędificationem expedire in Domino arbitramur. Alias ſiquidem commiſſo per felicis re-

recordationis Pium PP. IV Prędeceſſorem noſtrum ad preces clarę memorię Sebaſtiani dum vixit Portugallię, & Algarbiorum Regis Illuſtris bonę memorię Henrico tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbytero Cardinali Portugallię nuncupato, & Proſpero Epiſcopo Roſſanenſi tunc Sedis Apoſtolicę in Regno Portugallię cum poteſtate Legati de Latere Nuncio, quatenus examinato per ipſos proceſſu antea confecto de mandato recolendę memorię Julii PP. III, Prędeceſſoris pariter noſtri, vel alio, deſuper ſervata forma Sacrorum Canonum de novo conficiendo conjunctim procedentes, conſtito prius de crebris miraculis, quę Omnipotens Deus interceſſione Beati Gundiſalvi de Amarante Sacerdotis expreſſe profeſſi Ordinis Prędicatorum in Regno Portugallię nati, & vita functi, tam in illius vita, quam poſt felicem illius obdormitionem operari dignatus fuerat, concurrente ad Eccleſiam ubi requieſcit corpus illius a clarę pariter memorię Johanne Rege Portugallię illuſtri ipſius Sebaſtiani Regis Prędeceſſore magnifice extructam, & dotatam ex diverſis Regnis, & Provinciis incredibili frequentia Chriſti fidelium, eorumque in eundem Beatum Gundiſalvum devotione in dies magis invaleſcente, concederent, ut in omnibus, & ſingulis Eccleſiis, tam ſecularium, quam regularium Regnorum ipſi Sebaſtiano Regi ſubjectorum Officium, horę canonicę, & Miſſa de dicto Beato Gundiſalvo ad inſtar aliorum Sanctorum Confeſſorum in die obitus ipſius libere, & licite recitari, & celebrari poſſent, prout in ipſius Pii Prędeceſſoris literis deſuper in forma Brevis die III Septembris MDLX expeditis latius continetur. Idem Henricus Cardinalis, ac Proſper Epiſcopus Nuncius in executionem literarum hujuſmodi, conſtito prius de pręmiſſis juxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem, per eorum ſententiam latam die XVI Septembris ſequentis anni MDLXI, auctoritate Apoſtolica, qua fruebantur in hac parte conceſſerunt, & indulſerunt, ut ex tunc in omnibus, & quibuſcunque Eccleſiis, & Monaſteriis etiam ſecularium omnium Regnorum, & Dominiorum Portugallię poſſent libere, & licite recitari Officium, & horę canonicę, & Miſſę celebrari in honorem dicti glorioſi Gundiſalvi de Amarante eodem prorſus modo, & forma quo, & qua recitantur, & celebrantur in honorem aliorum Sanctorum Confeſſorum. Cum autem, ſicut pro parte dilectiſſimi in Chriſto filii noſtri Petri Principis Portugallię, & Algarbiorum Regnorum Gubernatoris, per dilectum filium nobilem virum modernum Marchionem de las Minas Coronę Portugallię apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Oratorem ordinarium, Nobis nuper expoſitum fuit, creſcente in dies populi erga pręfatum Beatum Gundiſalvum devotione, tam idem Petrus Princeps, quam dilectus filius Johannes Thomas de Rocaberti (3) Magiſter Generalis dicti Ordinis pro ſingulari, quem erga memoratum Beatum Gundiſalvum gerunt devotionis affectu, indultum pręfatum ad univerſum Ordinem Sancti Dominici, tam Fratrum, quam Monialium extendi ſummopere deſiderent, Nobis propterea iidem Petrus Princeps, & Johannes Thomas Magiſter Generalis, tam ſuo, quam univerſi Ordinis pręfati nomine humiliter ſupplicari fecerunt, ut in pręmiſſis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur laudabili dicti Petri Principis pietati favorabilem aſſenſum paterno affectu prębere cupientes, ac pręfatum Johannem Thomam Magiſtrum Generalem ſpecialis favore gratię proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus prępoſitorum, qui rem mature perpenderunt, conſilio, indultum recitandi officium, & horas canonicas, ac celebrandi Miſſam de dicto Beato Gundiſalvo tanquam de Sancto Confeſſore non Pontifice conceſſum, ut pręfertur, ad univerſum Ordinem tam Fratrum, quam Monialium Sancti Dominici, modo, & forma pręmiſſis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium extendimus, & ampliamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum (4) Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die X Julii MDCLXXI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

J. G. Sluſius.

1. *Gundiſalvo.*) Conſulenda Conſtitutio *III Pii IV T.V pag.59.*

2. *Archivo.*) In quo exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXI*. In nuperrimo *Bullario Romano* eſt *LXX*. Legitur *pag.129.*

3. *Rocaberti.*) Generalis Magiſter renunciatus erat anno *MDCLXX*.

4. *Datum.*) Huc ſpectat ſequens Inſtrumentum.

Sententia Auditoris Cameræ ſub Paulo V pro B. Gundiſalvo.

JOhannes Dominicus Spinula Prothonotarius Apoſtolicus, Sanctiſſimi D. N. Papę in utraque Signatura Referendarius, Curięque cauſarum Camerę Apoſtolicę generalis Auditor, Romanęque Curię Judex Ordinarius, ſententiarum quoque, & cenſurarum, tam in eadem Romana Curia, quam extra eam latarum, ac literarum Apoſtolicarum quarumcunque univerſalis, & merus executor ab eodem Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa ſpecialiter electus, ac deputatus: Univerſis, & ſingulis pręſentis noſtrę ſententię inſtrumentum viſuris, lecturis pariter, & audituris, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos pręſentes noſtrę literę pervenerint, & pręſentabuntur, Salutem in Domino, & pręſentibus noſtris fidem indubiam adhibere. Noveritis qualiter alias introducta coram nobis lite, & cauſa inter RR. Fratres Ordinis S. Benedicti Regni Portugallię, & Fratres Ordinis Prędicatorum ejuſdem Regni, de, & ſuper eo, quod dicti Fratres S. Benedicti auſi fuerint in publica Proceſſione Civitatis Ulixbonenſis, de-

deferre Imaginem B. Gundiſalvi de Amarante, Habitu Fratrum Ordinis S. Benedicti indutum, rebuſque aliis &c.. Et illorum occaſione reos conventos, partibus ex altera, & in lite, & cauſa hujuſmodi exhibitis nonnullis juribus ad cauſam hujuſmodi facientibus, teſtibus noſtri de mandato per infraſcriptum Curię noſtrę Notarium examinatis, citato in omnibus ad omnes, & ſingulos actus neceſſarios, & incumbentes D. Cipriano Matarozzo, in Romana Curia cauſarum, & dictorum RR. Fratrum S. Benedicti extraordinario Procuratore, per unum ex Sanctiſſimi D N. Papę Curſoribus, ut moris eſt. Tandem perilluſtris, & Reverendus Lucas Antonius Virilis juris utriuſque Doctor, in utraque Signatura prelibati Sanctiſſimi D. N. Papę Referendarius, ac noſter in Civilibus cauſis locum tenens, ſervatis ſervandis, conſideratis conſiderandis, hujuſmodi cauſę meritis ad plenum diſcuſſis, dicto D. Cipriano ad hoc pari modo citato, ſuam in ſcriptis tulit, & promulgavit ſententiam diffinitivam, tenoris prout infra, videlicet: Chriſti nomine invocato, pro tribunali ſedentes, & ſolum Deum prę oculis habentes in cauſa, & cauſis, quę primo coram Nobis in prima, ſeu alia veriore inſtantia verſę fuerunt, & vertuntur indeciſę, inter Admodum Reverendum Patrem Procuratorem Generalem totius Ordinis Prędicatorum, & Reverendos Fratres dicti Ordinis Prędicatorum Regni Portugallię agentes ex una. Ac admodum Reverendum Patrem Procuratorem Generalem Congregationis Monachorum, ſeu Fratrum S. Benedicti, dicti Regni Portugallię reos conventos, de, & ſuper eo quod dicti Fratres S. Benedicti auſi fuerint in publica Proceſſione Civitatis Ulixbonenſis deferre Imaginem B Gundiſalvi de Amarante habitu Fratrum Ordinis S. Benedicti indutum cum titulo, qui dicebat: B. Gundiſalvus de Amarante, &c. & in fine Proceſſionis, etiam prędicare dictum Beatum fuiſſe Fratrem S. Benedicti. Ac etiam, ut in futurum a pręmiſſis prędicti Fratres rei conventi deſiſterent, rebuſque aliis in actis cauſę, & cauſarum hujuſmodi latius deductis, partibus ex altera, dicimus, pronunciamus, ac difinitive decernimus, & declaramus dictis Fratribus S. Benedicti non licuiſſe, neque licere de jure, Imaginem ejuſdem B. Gundiſalvi alio habitu, quam Fratrum Prędicatorum depictum deferre, ſeu in eorum Eccleſiis, vel Monaſteriis habere, nedum Beatum Gundiſalvum niſi pro Fratre profeſſo Ordinis Prędicatorum, fidelibus prędicare, moleſtationeſque, & vexationes per dictos Fratres S. Benedicti eiſdem Fratribus Ordinis Prędicatorum illatas, fuiſſe illicitas, indebitas, iniquas, & injuſtas, ac ſuper pręmiſſis perpetuum ſilentium imponendum fore, & eſſe, prout imponimus, victoſque victoribus in expenſis in cauſa hujuſmodi factis condemnamus, quarum taxationem nobis, vel cui de jure in poſterum reſervamus. Et quodcunque mandatum deſuper neceſſarium, & opportunum decernendum fore, & eſſe, prout decernimus. Et ita dicimus, pronunciamus, ſententiamus, condemnamus, & relaxamus, non ſolum modo pręmiſſo, ſed etiam omni alio meliori modo. Et ita pronunciavi Ego Lucas Antonius Virilis locum tenens. Quę omnia, & ſingula vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis intimamus, notificamus, & inſinuamus, & ad veſtram, & cujuslibet veſtrum notitiam deducimus, & deduci volumus, & mandamus per pręſentes. In quorum omnium, & ſingulorum fidem has pręſentes fieri, & per infraſcriptum Curię noſtrę Notarium ſubſcribi, ſigilloque Reverendę Camerę Apoſtolicę, quo in talibus utimur, juſſimus, & fecimus appenſione muniri. Datum Romę ex ędibus noſtris Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Decimo quinto, Indictione decima tertia, die vero undecima Aprilis, Pontificatus SS. in Chriſto Patris, & Domini noſtri D. Pauli divina providentia Papę V Anno ejus Decimo. Lucas Antonius Virilis locum tenens. Antonius Columna Cor. Can. Curię Apoſtolicę Notarius.

Anno 1671 Die 26 Septembris.

De Officio SS. Roſarii recitando in Hiſpaniarum Regnis;

Ex Archivo (1) Ordinis.

XXVI.

C L E M E N S PP. X.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX injuncto Nobis Cęlitus Apoſtolicę ſervitutis munere, illis quibus auguſtiſſimę, atque glorioſiſſimę Virginis Deiparę Marię veneratio in terris augetur, propenſis ſtudiis intendimus, & proinde idipſum flagitantia ſublimium perſonarum, quas non magis Regii faſtigii ſplendor, quam multiplicia pietatis, aliarumque chriſtianarum virtutum, decora illuſtrant, vota ad exauditionis gratiam admittimus, ac paternę proſequimur favore benignitatis. Dudum ſiquidem felicis recordationis Gregorius Papa XIII Prędeceſſor noſter, ad conſervandam inſignis victorię, quam claſſis Chriſtianorum in virtute Domini Dei Sabaoth decertans, non longe a Corinthiaco ſinu prima Dominica Menſis Octobris MDLXXI, de claſſe Turcarum, numero licet longe ſuperiore, & pręteritis elata victoriis, reportaverat, memoriam, agendaſque eo nomine Deo, & Beatiſſimę Virgini pręfatę gratias, feſtum ſolemne ſub nuncupatione Roſarii Dominica prima Octobris ſingulis annis celebrandum inſtituit. Ac proinde motu ſuo proprio, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, ad laudem Dei, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque Glorioſę Virginis Marię, decrevit, ut ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus, qualibet prima die Dominica Menſis Octobris per univerſi Orbis partes, in iis videlicet Eccleſiis, in quibus Altare, vel Capella Roſarii foret, ab omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, feſtum ſolemne ſub nuncupatione Roſarii prędicti ſub duplici majori Officio ad inſtar aliarum ſolemnium feſtivitatum celebraretur, & ſanctificaretur, eaque die Officium de Beatiſſima Virgine novem lectionum more eccleſiaſtico perſolveretur, & recitaretur, & alias prout in ipſius Gregorii Prędeceſſoris literis (2) deſuper die prima Aprilis MDLXXIII expeditis, quarum tenorem pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, ſicut cariſſima in Chriſto filia noſtra Marianna Hiſpaniarum Regina Catholica vidua, Nobis nuper exponi fecit, ipſa ab incunabulis ſingulari erga

Cęli

Cęli Reginam Virginem Glorioſiſſimam pręfatam devotione flagrans, feſtivitatem hujuſmodi per univerſos Chriſti fideles in Regnis, & Dominiis cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, ipſius Mariannę Reginę nati, degentes peramplius recoli poſſe plurimum deſideret. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eximiam ejuſdem Mariannę Reginę pietatem plurimum in Domino collaudantes, illiuſque deſiderio hac in re, quantum Nobis ex alto conceditur, favorabiliter annuere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut feſtum ſolemne a memorato Gregorio Prędeceſſore, ſicut pręmittitur, inſtitutum, ad formam pręfatarum ejuſdem Gregorii Prędeceſſoris literarum, ab omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, tam ſecularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, in omnibus Eccleſiis Hiſpaniarum, aliorumque Regnorum, ac Provinciarum, & Ditionum dicto Carolo Regi ſubjectorum, etiam ſi in eiſdem Eccleſiis non adſit Altare, ſeu Capella Sanctiſſimi Roſarii pręfati celebretur cum Officio, & Miſſa propriis, prout ad pręſens recitari, & celebrari ſolent, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apoſtolicę Sedis Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut ipſarum pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Septembris MDCLXXI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

I. G. Sluſius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

2. *Literis.*) Conſtitutione ſcilicet *XI Gregorii XIII.* Legitur pag. 318 Tomi *V* hujuſce Bullarii.

De Sepultura (1).

Anno 1672 Die 18 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. X.

XXVII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ALias pro parte tunc exiſtentis Commiſſarii Curię Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, Congregationi tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitę ſupplicato, ut prohiberetur Parochis, & Clericis Terrę de Leverano Brunduſin. Dięceſis, omnibuſque aliis Parochis, & Presbyteris, ne auderent accipere majorem eleemoſynam pro defunctis, qui ſepelirentur in Eccleſiis dictorum Fratrum, quam accipiebant pro iis, qui in ipſorum Parochorum, & Presbyterorum ſecularium Eccleſiis ſepeliebantur. Emanavit die VII Decembris MDCXL ab eadem Congregatione Decretum tenoris ſequentis, videlicet. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita, ad tollendas indebitas exactiones, quę, ut proponitur, in tumulandis defunctorum corporibus fieri ſolent, cenſuit injungendum, prout pręſentis Decreti tenore injungit Archiepiſcopo Brunduſino, ceteriſque locorum Ordinariis, ne permittant, ut Parochi, aliique de Clero ſeculari majorem poſthac eleemoſynam ſibi attribui faciant ab hęredibus defunctorum, qui in Eccleſiis Regularium prędictorum ſepulturam ſibi elegerint, quam percipere poſſent, ſi in Parochiali, ſeu alia ipſius Cleri ſecularis Eccleſia ſepeliri voluiſſent, contrariis quibuſcunque non obſtantibus &c. die VII Decembris MDCXL. Et ſubinde cum tunc exiſtentes Fratres Provincię Dalmatię dicti Ordinis Congregationis pręfatę expoſuiſſent, functiones, funerales defunctorum, quorum cadavera in eorum Eccleſiis ſepulturę mandarentur facere, ad eos, non autem ad Parochos ſpectare. Congregatio pręfata die XXXI Auguſti MDCLVII, aliud Decretum edidit tenoris, qui ſequitur videlicet. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita, attentis narratis, juxta alias reſoluta, cenſuit, functiones funeralium ſuper cadavera defunctorum, quę in Eccleſiis Regularium contingit ſepeliri, poſtquam ad eaſdem Eccleſias pervenerint, ad ipſos Regulares, non ad Parochos pertinere, ac proinde ita in oratorum Eccleſiis circa pręmiſſa ſervandum eſſe, prout ſervari mandat, & pręcipit, contrariis non obſtantibus quibuſcunque die XXXI Auguſti MDCLVII. Cum autem, ſicut pro parte dilecti filii Franciſci Marię a Caſtro Sancti Petri de Bononia Procuratoris Generalis Ordinis pręfati Nobis nuper expoſitum fuit, ipſe decreta hujuſmodi pro firmiori illorum ſubſiſtentia Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri ſummopere deſideret. Nos ſpecialem ipſi Franciſco Marię Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium dunta-

dunta-

duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta prçinſerta, auctoritate Apoſtolica, tenore prçſentium approbamus, & confirmamus, illiſque, ſalva tamen ſemper in prçmiſſis auctoritate memoratç Congregationis Cardinalium, inviolabilis Apoſtolicç firmitatis robur adjicimus. Decernentes eaſdem prçſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in prçmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romç apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Januarii MDCLXXII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

J. G. Sluſius.

1. *Sepultura.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar. In *Bullario Romano* prioris editionis eſt *LVIII*, in editione poſteriore eſt *XCIII*, Legitur *pag.* 162.

Anno 1672 Die 18 Januarii.

XXVIII.

Non licet Parochis occaſione aſſociationis cadaverum ingredi Eccleſias Regularium (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

C L E M E N S PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

NUper pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum Congregationi venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prçpoſitç expoſito, quod eadem Congregatio die XVI Decembris MDCLXI ſuper controverſiis, quç inter Parochos Civitatis Placentin., & Monachos Monaſterii Sancti Sixti Congregationis Caſſinen. Ordinis Sancti Benedicti occaſione funerum erant exortç inter alia decreverat, ſervanda eſſe decreta, & declarationes alias factas, ſcilicet Parochis in aſſociatione, ſeu occaſione aſſociationis cadaverum, non licere ingredi Eccleſiam Monachorum prçdictorum, ſed teneri dimittere eadem cadavera ad januam Eccleſiarum, ibique ſolum poſſe benedicere, & dare ultimum vale, officia vero, & munia, quç in hujuſmodi miniſteriis adhiberi ſolent, ab ipſis Monachis peragi debere, non autem a Parochis, atque ita in prçmiſſis omnibus deinceps fieri, & executioni mandari prçceperat. Et in eadem expoſitione ſubjuncto, quod eçdem rationes militarent ad favorem dicti Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia, ideoque ſupplicato, ut Congregatio prçfata reſolutionem, ſive deciſionem hujuſmodi extenderet ad aſſociationem per Parochos fieri ſolitam cadaverum defunctorum, quç in Eccleſiis Fratrum hujus Ordinis ſepeliuntur, idque ad tollendas controverſias, quç in aliquibus Parochiis ea occaſione inter Parochos, & Fratres Ordinis hujuſmodi naſcuntur, non ſine ſcandalo, ac fraternç, & chriſtianç caritatis detrimento: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris qui ſequitur videlicet. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prçpoſita cenſuit Oratoribus dandam eſſe infraſcriptam declarationem alias editam, nempe Parochis in aſſociatione, ſive occaſione aſſociationis Cadaverum, non licere ingredi Eccleſias Regularium, ſed teneri dimittere eadem Cadavera ad Januam Eccleſiarum, ibique ſolum poſſe benedicere, & dare ultimum vale, officia vero, & alia munia, quç in hujuſmodi miniſteriis adhiberi ſolent, ab ipſis Regularibus peragi debere, non autem a Parochis, atque ita in prçmiſſis omnino deinceps fieri, & exequi prçſentium vigore mandat, prçcipit, contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Romç XXVII Novembris MDCLXXI. F. M. Card. Brancaccius, Loco † Sigilli. Cum autem, ſicut prçfatus Procurator Generalis nobis ſubinde exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi pro firmiori illius ſubſiſtentia Apoſtolicç Confirmationis noſtrç patrocinio communiri ſummopere deſideret; Nos ſpecialem ipſi Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pçnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomolibet innodatus exiſtit, ad effectum prçſentium duntaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes. Supplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati; Decretum prçinſertum auctoritate Apoſtolica, tenore prçſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicç firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in prçmiſſis auctoritate prçfatç Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem prçſentes literas, ſemper, firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in prçmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romç apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Januarii MDCLXXII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. Re-

1. *Regularium.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar. In *Bullario Romano* prioris editionis eſt *LVII*: In editione poſteriori eſt *XCV*. Legitur *pag.* 163.

Quæ de Congregatione (1) S. Mariæ Sanitatis ſancita ſunt firmat:

Anno 1672. Die 27 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXIX.

C L E M E N S PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

NUper in cauſa Juriſdictionis inter dilectos filios Priorem Provincialem Provinciç Neapolitanç Ordinis Prçdicatorum ex una ac Fratres Congregationis Sanctç Mariç Sanitatis eorundem Ordinis, & Provinciç, ex altera, partibus, vertente emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prçpoſita decretum tenoris, qui ſequitur videlicet. Sacra Congregatio Emiuentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prçpoſita, auditis partibus, re iterum, ac diligenter diſcuſſa referente Eminentiſſimo Cibo, cenſuit eſſe perſiſtendum in Decretis ſub die XVII Aprilis proxime prçteriti quoad omnes, & ſingulas controverſiç partes; Videlicet prçdictam Congregationem, ut vocant, Sanctç Mariç della Sanità, conſervandam eſſe in ſua exemptione a Juriſdictione Provincialis Provinciç Neapolitanç, eidemque Congregationi competere jus ferendi ſuffragium in Capitulo ipſius Provinciç, & ab eadem non eſſe ſeparandam per erectionem alterius diſtinctç Provinciç; Ac partem adverſam non eſſe amplius circa prçnarrata audiendam, ſed ipſi perpetuum imponendum ſilentium, prout prçſentis Decreti tenore impoſuit. Romç XVII Julii MDCLXXI. Fr. Cardinalis Brancatius. Cum autem, ſicut pro parte prçdictorum Fratrum Congregationis Sanctç Mariç Sanitatis Nobis ſubinde expoſitum fuit, ipſi Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicç confirmationis noſtrç patrocinio communiri ſummopere deſiderent: Nos, ſpecialem dictis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pçnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatç exiſtunt, ad effectum prçſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum prçinſertum auctoritate Apoſtolica, tenore prçſentium, confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicç firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in prçmiſſis auctoritate memoratç Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem prçſentes literas, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in prçmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis, & Provinciç hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prçmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores prçſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prçmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romç apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Januarii MDCLXXII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

J. G. Sluſius.

1. *Congregatione.*) Nunc Provincia.

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

Ut

Anno 1672 Die 1 Martii.

Ut F. Vincentius Maria Urſinus (1) de Gravina Cardinalitiam dignitatem accipere teneatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXX.

Dilecto filio noſtro Vincentio Marię Urſino de Gravina S. R. E. Cardinali.

CLEMENS PP. X.

Dilecte fili Noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EA, qua par erat animi admiratione ſuſpeximus religioſam humilitatis pręſtantiam, qua Cardinalitiam dignitatem, noſtrę tantummodo in Eccleſia Dei ſecundam, recuſare (3) cogitaſti, eximiamque pietatem tuam prolixis laudibus proſecuti, accuratas Divinę bonitati gratias egimus, quę tam pręclaros, ut ex literis ad Nos datis patet, cordi tuo ſenſus indulgere, dignata eſt. Examinanda tamen ſedulo duximus hujuſmodi conſilia, quandoque enim ſub amictu lucis princeps tenebrarum latet, mentitaque melioris boni ſpecie Divinę glorię incremento reſiſtit. Sententia quoque Nobis fuerat oblatum infirmitati noſtrę Pontificatus maximi pondus omnino declinare, profuſiſque in id precibus, ac lacrymis vehementer incubuimus; ſubjecimus vero tandem voci Dei per Cardinales Nos alloquenti, voluntatem noſtram, oneriſque, Angelicis etiam humeris formidandi, gravitatem, impares licet, ſubire paſſi fuimus. Eadem quocirca ſequenda a te in pręſentia veſtigia, pronaſque loquenti in Nobis Spiritui Sancto prębendas ſatius aures eſſe conſultum ducentes, auctoritate, qua nos in Terris Chriſtus donavit, pręcipimus hiſce tibi, dilecte fili noſter, ut dignitatem, qua Te, Urbe univerſa plaudente, nuper inſignivimus, omnino acceptare velis, jucundius ita Pontifici ſempiterno Sacrificium, inclytam nempe animi tui repugnantiam ingenti cum fęnore meritorum oblaturus. Nec ullus Nobis dubitandi locus eſſe poteſt, retardatum iri te a pręſtanda mandatis noſtris, ut perfectum Religioſi inſtituti ſectatorem decet, debita obedientia, a periculo, ut ſcribis, amittendę ſalutis ęternę; indecorum nimirum ſummopere foret, adeo turpem maculam inurere pręclariſſimo Ordini, a quo tot Chriſtianarum virtutum exemplaria prodiere. A pluribus itaque abſtinentes, a perſpecta, probataque pietate tua hujuſmodi ſolatium prorſus expectamus, tibi, dilecte fili noſter, Apoſtolicam benedictionem paterne interim impertientes. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die Prima Martii MDCLXXII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Marius Spinula.

1. *Urſinus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*, & ſæpius deinde: variis enim Eccleſiis præfuit, & ipſius Chriſti vices in terris ſuſtinuit.

2. *Archivo.*) In quo autographum. Legitur apud varios Scriptores, ſed caveas a mendis quibus plerumque ſcatet.

3. *Recuſare.*) Rem paucis exponit *Fontana* noſter *Monum. Dominican. Parte V Cap. IV ad an. MDLXXII pag.* 686 dicens: *Anno MDCLXXII ſingulare decus illuxit Ordini ſub Reverendiſ. Patre noſtro Mag. Generali Johanne Thoma de Rocaberti Aragonen. dum diem XXII Februar. in feſto Antiochenæ Cathedræ D. Petri P. Vincentius Maria Urſinus genere Romanus ex Gravinenſium Ducibus, de quo ſupra anno ætatis ſuæ XXIII S. R. E. Presb. Card. Tit. S. Sixti maxima Urbis, & Ordinis exultatione, creatus eſt, cum in Brixien. Conventu Lectoris philoſophiæ pro edocendis Noviciis onus ſuſtineret, & Bononiæ tunc temporis eſſet. Is vero audito promotionis ſuæ ad purpuram nuncio, expavit, & Cardinalitiam dignitatem non acceptare deliberans, Pontifici Max. datis literis, humilitatem, & pietatem maximam redolentibus, ſe tantæ dignitati imparem meritis acquieſcere non poſſe reſcripſit. Sed Vincentii modeſtia, atque demiſſio animi Pontificem Max. Clementem X in oppoſitum urgebat. Quare Magiſtrum Generalem Ordinis Bononiam miſit, ut nomine ſuo ad acceptandam purpuram illum compelleret dato ſequenti Apoſtolico Brevi* (Hic inſerit Breve) *Diſceſſit ex Urbe Mag. Generalis die 1 Quadrageſimæ, quæ 2 Martii fuit, & Bononiam petens, reluctanti Vincentio tanto oneri ſuccumbere Apoſtolicum Breve porrexit, vividiſque rationibus ſuaſit, ut ad Pontificios pedes ſecum accederet, factus verus obedientiæ filius, quod præſtitit ille. Ingreſſus igitur in Urbem XVIII Martii Vincentius, ad Pontificios provolutus pedes, & multis de non acceptanda dignitate expoſitis, obedientia impellente, purpureo bireto invitum caput ſuppoſuit, & Cardinalitio galero, Aprilis IX decoratus, Præfectura Sacræ Congregationis Concilii inſuper cohoneſtatus, maximum decoris Ordini, & Eccleſiæ ornamentum præbet, quo in munere diligenter Apoſtolicæ Sedi inſervivit, uſque ad annum MDCLXXV, ut videmus.* Hæc Fontana.

Anno 1672 Die 8 Martii.

Dertonen., Beatificationis, & Canonizationis ſan. mem. Pii (1) Papæ V.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXXI.

EXhibita in Congregatione Sac. Rituum relatione Rotali a tribus antiquioribus Rotę Auditoribus confecta ſuper Virtutibus, & Miraculis Ven. Servi Dei Pii Papę V, & repetita notione mature diſcuſſa reſolutum fuit die II Septembris anni MDCXXIX conſtare de validitate Proceſſuum, auctoritate Apoſtolica in ſpecie peractorum, die vero XIX Januarii ſequentis anni MDCXXX, plene etiam conſtare de Virtutibus ad Beatificationem requiſitis. Et IV Martii ejuſdem anni de duobus Miraculis poſt illius obitum ab Omnipotenti Deo illius meritis patratis. Primum videlicet de duabus Imaginibus prędicti Servi Dei a pręgrandi incendio, illęſis in Sacello Don Antonii Cardonę, & Seſſę Ducis excitato, tanta vi deſęviente, ut etiam argenteas Imagines diſſolverit, & aram lapideam in pumicem redegerit, binę tantum prędicti Servi Dei effigies, altera tela, altera vero charta papyracea expreſſa mediis in flammis non fuerunt combuſtę, ſed nullum quoque detrimentum acceperunt, quamvis paramenta, quibus Sacellum predictum ornabatur, una cum aliis picturis circum circa exiſtentibus combuſta remanſerint. Ideoque ſolum

Ima-

Imagines Servi Dei prorſus intactę compertę fuerint, immo ſola pars ſtrati ipſius Altaris, ſuper quo altera ex dictis Imaginibus ceciderat illęſa penitus remanſit, reliquo igne abſumpto. Altero Tiburtię Florentię Auximanę annorum LXXII acuta, & maligna febri laborantis, ad talem ſtatum deploratę ſalutis perductę, ut a Medico intra ſpatium trium horarum morituram pronunciatum fuerit, ſed impoſita prędictę infirmę ſubucula Servi Dei, cui ſe ſe enixe commendaverat, omnino a dicta febri, ceteriſque infirmitatibus, quibus detinebatur, libera remanſit, ſurrexitque e lecto ſana, hilaris, vitamque ad multos annos protraxit. Quę bina Miracula a Sanctiſſimo approbata, & confirmata fuerunt die XV Novembris MDCLXXI. Ex quatuor autem Miraculis ad aliam Congregationem delatis anno MDCXXX, & tribus noviter adductis, tertium multiplicationis farinę in magna quantitate in Monaſterio Monialium S. Dominici Prati tanquam rite probatum Sanctitas Sua admiſit. Et revelationis cum viſione interna eidem Servo Dei divinitus conceſſę eodemmet tempore, quo Victoria Navalis contra Turcas a Chriſtianis reportata fuit. Quare auditis iterum ſuffragiis Conſultorum, eadem Sacra Congregatio cenſuit, Sanctiſſimum D. N. quandocunque ſibi libuerit poſſe dictum Servum Dei Beatum declarare cum conceſſione Miſſę, & Officii die Anniverſario illius obitus de Communi Confeſſoris Pontificis juxta Rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani celebrandę, ac reſpective recitandi in omnibus Eccleſiis tam ſecularibus, quam regularibus utriuſque ſexus. In primis Urbis Romę, ubi ejus corpus in Patriarchali S. Marię Majoris Eccleſia requieſcit, tum in Oppido Boſchi Dertonen. Diœceſis ubi natus eſt, necnon in Diœceſibus Montis Regalis, & Nepeſina, atque Sutrina ubi fuit Epiſcopus. Item in univerſa Religione Prędicatorum utriuſque ſexus, cujus Regulam dictus Servus Dei profeſſus eſt. Denique, & pro Sacerdotibus ad aliquam ſupradictarum Eccleſiarum confluentibus. Hac die VIII Martii MDCLXXII.

F. M. Epiſcopus Portuen. Cardinalis Brancatius.

Loco ✝ ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rituum Cong. Secr.

1. *Pii.*) Conſulenda Conſtitutio *XXXV.*
2. *Archivo.*) In quo exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXII*. In *Bullario Romano* edito anno *MDCCXXXIII* eſt *XCVII*. Legitur *pag.* 165.

Indulgentia pro die feſto S. Agnetis (1) de Monte Politiano.

Anno Die 4 prilis. XXXII.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. X.

Dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſis, ac Monialibus quorumcunque Monaſteriorum Ordinis S. Dominici, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam veſtram devotionem, & animarum ſalutem, cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, vobis omnibus, & ſingulis, ac aliis in veſtris Monaſteriis degentibus, vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, quę Capellam, ſeu Oratorium, vel Altare intra clauſtra Monaſteriorum pręfatorum ſita, die feſto S. Agnetis a Monte Politiano, a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis feſti hujuſmodi, ſingulis annis devote viſitaveritis, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderitis, Planariam omnium peccatorum veſtrorum Indulgentiam, & remiſſionem, miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus ad viginti quinque annos tantum valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium, aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IV Aprilis MDCLXXII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

I. G. Sluſius.

1. *Agnetis.*) Legenda Conſtitutio *LVI Eugenii IV.* Legitur *T. III pag.* 42.
2. *Archivo.*) In quo autographum.

Dertonen., Beatificationis ſanctæ memoriæ Pii (1) Quinti.

Anno 1672 Die 5 Aprilis. XXXIII.

Ex Archivo (2) Ordinis.

SAnctiſſimus D. N. D. Clemens PP. X ad enixas preces Rev. Fr. Johannis Thomę de Roccaberti Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum, benigne annuens, aſſignavit diem primam Menſis Maii proxime venturi pro habenda ſolemni Beatificatione dicti ſan. me. Pii PP. V. Hac die V Aprilis MDCLXXII.

F. M. Epiſcopus Portuen. Card. Brancatius.

Loco ✝ ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Pii.*) Conſulenda Conſtitutio *XXXV.*
2. *Archivo.*) In quo exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXII*.

Anno 1672 Die 23 Aprilis.

Indulgentia pro Beatificationis B. Pii (1) V die feſto.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIV.

CLEMENS PP. X.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cœleſtibus Eccleſiæ theſauris pia caritate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Almæ Urbis noſtræ, ac Civitatum, & Diœceſum Montis Regalis Provinciæ Taurinen., necnon Sutrin., & Nepeſin., ac univerſis Ordinis S. Dominici tam Fratrum, quam Monialium, in quibus ſolemnia Beatificationis Beati Pii Papæ V Prædeceſſoris noſtri, die per dilectum filium noſtrum in eadem Urbe Vicarium in ſpiritualibus Generalem quoad Urbem, extra vero per Ordinarios locorum reſpective ſpecificanda celebrabuntur, devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus pro hac vice tantum valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur præſentes nullæ ſint, utque earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Aprilis MDCLXXII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

J. G. Sluſius.

1. *Pii.*) Conſulenda ſequens Conſtitutio.

2. *Archivo.*) In quo duplex autographum, & exemplaria Romæ typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXII.*

Anno 1672 Die 27 Aprilis.

S. Pontifex Pius V in album Beatorum refertur (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXV.

CLEMENS PP. X.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

UNigenitus Dei Filius, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, cum Sanctos, atque electos ſuos, eos præſertim, quos gregis ſui paſtores conſtituit ſecundum cor ſuum, creditæ diſpenſationis munere pie, fideliterque peracto, non ſolum æternæ beatitudinis præmiis donat in Cœlis, ſed etiam illorum ſanctitatem ſequentibus ſignis teſtatam, celebremque facit in terris, humilitati noſtræ, quam Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, præficere dignatus eſt, luculenta proponit exempla, quæ ipſo donante, atque adjuvante pro modulo infirmitatis noſtræ humiliter ſequi connitamur. Unde cum inter Dominici gregis paſtores Apoſtolici zeli, atque vigoris gloria, paſtoraliſque caritatis, & vigilantiæ laude, & ſanctæ humilitatis, aliarumque omnium virtutum fulgore, quaſi ſtella matutina in medio nebulæ longe, lateque reſplenduerit Dei ſervus felicis recordationis Pius Papa V, Prædeceſſor noſter, Sacerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit templum, merito adducimur, ut illius honorem, atque venerationem, ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſiæ decus, Catholicæque fidei præſidium, ac ſpiritualem fidelium ædificationem, quantum Nobis ex alto conceditur, promovere ſtudeamus. Cum itaque mature, diligenterque diſcuſſis per Congregationem venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum proceſſibus dudum de Apoſtolicæ Sedis licentia confectis, ac etiam ſubinde repetitis ſuper vitæ ſanctitate, heroiciſque virtutibus, & aliis chariſmatibus, quibus idem ſervus Dei Pius PP. V, Prædeceſſor noſter, multipliciter claruiſſe, ac miraculis, quæ ejus interceſſione, ac ad manifeſtandam illius ſanctitatem a Deo patrata fuiſſe aſſerebantur, eadem Congregatio coram Nobis conſtituta, præviis etiam Conſultorum ſuffragiis unanimiter cenſuerit, poſſe quandocunque Nobis placeret, memoratum ſervum Dei Beatum declarari, atque indulgeri, ut de eo tanquam de Confeſſore Pontifice in quibuſdam locis Officium, & Miſſa recitari, & celebrari poſſint. Hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis multorum Orthodoxorum Regum, aliorumque Principum, ac totius Ordinis S. Dominici, in quo præfatus ſervus Dei Pius Papa V, dum in minoribus conſtitutus erat, profeſſionem regularem emiſit, ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis paterna benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium conſilio, & unanimi aſſenſu, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, ut idem ſervus Dei Pius PP. V, in poſterum Beati nomine nuncupetur, ejuſque corpus, & reliquiæ venerationi fidelium, non tamen in proceſſionibus circumferenda, exponantur. Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, atque de eo ſub ritu ſemiduplici in omnibus Eccleſiis tam ſecularibus, quam regularibus utriuſque ſexus recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Confeſſore Pontifice ſingulis annis juxta rubricas Breviarii, & Miſſa-

& Miſſalis Romani die quinta Maii, quę prima eſt non impedita poſt diem primam ejuſdem Menſis, qua ſpiritum Creatori reddidit. Hęc vero nempe recitationem Officii, & Miſſę celebrationem fieri concedimus in locis duntaxat infraſcriptis, videlicet in Alma Urbe noſtra ubi ejuſdem ſervi Dei corpus in Baſilica Sanctę Marię Majoris requieſcit, tum in Oppido Boſchi Dertonen. Dięceſis ubi natus eſt, necnon in Civitatibus, & Dięceſibus Montis Regalis Provincię Taurinen., ac Sutrin., & Nepeſin., ubi ſedit Antiſtes, ac in univerſo Ordine S. Dominici tam Fratrum, quam Monialium, & quantum ad Miſſas attinet etiam a Sacerdotibus confluentibus. Pręterea primo duntaxat anno a datis hiſce literis, & quoad Indias a die quo eędem literę illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſiis Urbis, ac Civitatum, & Dięceſum, & Ordinis prędictorum reſpective ſolemnia Beatificationis ejuſdem ſervi Dei cum Officio, & Miſſa ſub ritu duplici majori die quoad Urbem a dilecto filio noſtro in eadem Urbe Vicario in ſpiritualibus Generali, extra illam vero ab Ordinariis reſpective conſtituta, & intra ſex menſes promulganda, poſtquam tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum (3) dictę Urbis celebrata fuerint eadem ſolemnia pariter celebrandi facimus poteſtatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac decretis de non cultu editis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii prędictę Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & ſigillo Pręfecti ejuſdem Congregationis munitis, eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quę ipſis pręſentibus haberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Aprilis MDCLXXII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

J. G. Sluſius.

1. *Refertur.*) In Sanctorum numerum poſtea relatus a *Clemente XI.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXII.*

3. *Baſilica Principis Apoſtolorum.*) Qua die celebrata fuerint ibidem hujuſce Beatificationis ſolemnia, legitur in autographi mox laudati poſtica parte.

In Nomine Domini Amen. Fidem facio per præſentes Ego Notarius publicus, & ad curam Archivi Sacroſanctæ Baſilicæ Sancti Petri Principis Apoſtolorum Almæ Urbis deputatus, necnon ejuſdem Baſilicæ æditus infraſcriptus, qualiter die prima Menſis Maii milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Indictione decima, Pontificatus SS. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis divina providentia Papæ X anno ejus tertio intra Miſſam ſolemniter decantatam per Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D. Ægidium Columnam Patriarcham Hieroſolymitanum ad Altare Cathedræ S. Petri e regione Altaris Majoris SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli memoratæ Baſilicæ ſupra ſuggeſtum aſcendi, ibique coram Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Patribus S. R. E. Cardinalibus, necnon RR. PP. DD. Præſulibus Congregationi Sacrorum Rituum præpoſitis, magnaque populi multitudine alta, & intelligibili voce retroſcriptum diploma Pontificium literarum Apoſtolicarum Beatificationis Beati Pii PP. V perlegi, & publicavi, aliaque feci, prout habui in mandatis. In quorum fidem, & teſtimonium ſcripſi, & ſubſcripſi, ſignumque meum ſolitum, & conſuetum appoſui requiſitus. Ita eſt Joſephus Balduinus Presbyter Romanus, publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, & ad curam Archivi Sacroſanctæ Baſilicæ S. Petri Principis Apoſtolorum de Urbe deputatus, necnon ejuſdem Baſilicæ æditus.

Canonizationis B. Jacobi (1) de Mevania;

Anno 1672. Die 18 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVI.

CUm per Poſtulatorem cauſę ſupplicatum fuerit a Sacra Rituum Congregatione decerni, declarari, & promulgari conſtare, prędicto B. Jacobo cultum exhibitum fuiſſe, & exhiberi ex indultis Apoſtolicis, ac ideo cauſam hujuſmodi comprehendi inter caſus exceptos a Decretis juſſu felicis recordationis Urbani VIII in Congregatione Sanctiſſimę Inquiſitionis editis ſuper non cultu, eiſdemque ſufficienter fuiſſe ſatisfactum. Eadem Sacra Congregatio referente Eminentiſſimo D. Cardinali Sfortia ponente cenſuit conſtare de caſu excepto, & ideo procedi poſſe ad ulteriora ſi Sanctiſſimo placuerit. Hac die XIV Maii MDCLXXII. Et facta de prędictis Sanctiſſimo relatione per me Secretarium Sanctitas Sua benigne annuit die XVIII ejuſdem Menſis Maii MDCLXXII.

F. M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Brancatius.

Loco † Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Jacobi.*) Cujus vitam ſcripſere *Bartholomæus Mortarius*, & *Bonaventura Camaſſeus.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Indulgentia (1) pro piis exercitiis ſpiritualibus.

Anno 1672. Die 27 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

C L E M E N S PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

XXXVII.

EXponi Nobis fecit dilectus filius Johannes Thomas de Roccaberti Magiſter Generalis Ordinis Prędicatorum, quod in multis Conventibus, & Monaſteriis dicti Ordinis conſuetum eſt, ut tam Fratres, quam Moniales eorundem Conventuum, & Monaſteriorum quotannis in aliquod cubiculum ſibi a Superioribus aſſignatum ſecedant ubi per quadraginta dies diverſis exercitiis ſpiritualibus alternative, nempe orationibus, mortificationibus, corporis flagellationibus, ſeu diſciplinis, & aliis in memoriam quadraginta dierum, quibus Dominus noſter Jeſus Chriſtus in deſerto fuit

fuit magna cum devotione, & ſilentio vacant. Nos igitur devotionem hujuſmodi cęleſtibus Eccleſię theſauris diſpoſitioni noſtrę a Domino commiſſis confovere volentes, ac ſupplicationibus ejuſdem Johannis Thomę Magiſtri Generalis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & ſingulis tam Fratribus, quam Monialibus dicti Ordinis, qui per dictos quadraginta dies piis hujuſmodi exercitiis ſemel quotannis operam dederint, qua vice id egerint eaſdem Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pęnitentiarum relaxationes, quas felicis recordationis Paulus PP. V Prędeceſſor noſter Fratribus, & Monialibus prędictis, & aliorum Ordinum, qui per ſpatium decem dierum ſpiritualibus exercitiis incumbunt, conceſſit, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium miſericorditer in Domino concedimus. Non obſtantibus noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę regula de non concedendis Indulgentiis ad inſtar cęteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Pręſentibus ad ſeptennium tantum valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint, quodque pręſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Maii MDCLXXII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Nota.

J. G. Sluſius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo autographum. Idem conceſſum ab *Innocentio XI* die *XVI* Junii *MDCLXXXIX* Pontificatus anno Decimotertio. A *Clemente XI* die *V* Januarii *MDCCII* Pontificatus Anno Secundo. Die *XXI* Novembris *MDCCIX* Pontificatus Anno Nono, ac die *XII* Decembris *MDCCXVI* Pontificatus Anno Decimoſeptimo, uti liquet ex autographis, & exemplaribus *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſis in Archivo Ordinis aſſervatis.

Anno 1672 Die 30 Septembris.

XXXVIII.

Quæ pro Romanis S. Sabinæ, & S. Nicolai de Perfectis Cœnobiis ſancita ſunt cofirmantur.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CLEMENS PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Johannes Thomas de Rocaberti Magiſter Generalis Ordinis Prędicatorum, quod ipſe conſervandę regulari diſciplinę, ac ſtrictiori obſervantię in Conventu S. Sabinę de Urbe Provincię Lombardię dicti Ordinis ab aliquot annis inſtitutę, & a felicis recordationis Clemente PP. IX Prędeceſſore noſtro, per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis literas ſtabilitę conſulere cupiens, pręvia matura deliberatione decrevit, ut in poſterum Religioſi omnes tam Clerici, quam Converſi, qui ad locum S. Nicolai de Perfectis nuncupatum in Campo Martio de eadem Urbe Ordinis prędicti a Superioribus pro tempore ſub quocunque tenore, vel forma, etiam aſſignationis, necnon ad quodcunque munus, ſeu officium exercendum fuerint deſtinati, intelligantur deputati tantummodo, non vero formaliter aſſignati in prędicto Conventu S. Sabinę, ſicque in omnibus, & per omnia habeantur tam in Priorum, Subpriorum, Magiſtri Noviciorum, Syndicorum, aliorumque Officialium electionibus, quam in receptionibus Noviciorum ad Habitum, vel Profeſſionem, & in omnibus aliis, quę conſilio, vel Capitulo indigere noſcuntur, itaut nullam in his omnibus vocem, aut jus prętendere poſſint, aut habere intelligantur. Quod ſi quis in prędicto Conventu S. Sabinę prius aſſignatus, poſtea ad dictum locum S. Nicolai de Perfectis a Superioribus miſſus fuerit, ut ſupra, voluit pariter, & ordinavit, ut talis eo ipſo ſit tantum deputatus, non vero aſſignatus in eodem Conventu S. Sabinę, ſicque in omnibus, & per omnia habeatur, & alias, prout uberius continetur in ejus patentibus literis deſuper emanatis, tenoris qui ſequitur, videlicet: Nos Frater Johannes Thomas de Rocaberti, Sacrę Theologię Profeſſor, Ordinis Prędicatorum humilis Magiſter Generalis, & ſervus. Etſi omnium ſubditorum paci, & quieti ex debito officii noſtri conſulere teneamur, ſpecialiter tamen hac cura diſtringimur erga illos, qui per exactiorem legum noſtrarum obſervantiam pacifico Regi Chriſto in dies arctius ſe ſe unire contendunt, igitur libenter ſubjicimus fulcra, quibus Regularis diſciplinę fabrica, ac ſtrictior obſervantia a multis jam annis in Conventu noſtro S. Sabinę de Urbe Provincię noſtrę Lombardię fundata, ac per ſpeciale Breve ſanctę memorię Clementis IX ſtabilita, ſuſtineri, ac firme ſubſiſtere queat. Cum ergo experimento agnoſcamus non parum eſſe incommodi, ac religioſę quietis detrimenti, quod Religioſi in dicto Conventu S. Sabinę ſub vinculo ſtrictioris obſervantię continuo commorantes emendicare debeant extra Conventum ipſum pro electionibus, conſiliis, ac Capitulis vota a Fratribus in loco noſtro S. Nicolai de Perfectis, vulgo in Campo Marzo commorantibus, his, & aliis juſtis de cauſis animum noſtrum moventibus matura deliberatione prehabita, harum ſerie, noſtrique auctoritate officii pręſenti ſtatuto decernimus, ut in poſterum Religioſi omnes tam Clerici, quam Converſi, qui ad dictum locum S. Nicolai de Perfectis a Superioribus pro tempore ſub quocunque, tenore, vel forma etiam aſſignationis, necnon ad quodcunque munus, ſeu officium exercendum fuerint deſtinati, intelligantur deputati tantummodo, non vero formaliter aſſignati in prędicto noſtro Conventu S. Sabinę, ſicque in omnibus, & per omnia habeantur tam in Priorum, Subpriorum, Magiſtri Noviciorum, Syndicorum, aliorumque Officialium electionibus, quam in receptionibus ad habitum, vel profeſſionem Noviciorum, taliter quod nullam in his omnibus vocem, aut jus prętendere poſſint, aut habere intelligantur. Quod ſi quis in prędicto noſtro

Con-

Conventu S. Sabinę prius aſſignatus poſtea ad dictum locum S. Nicolai de Perfectis a Superioribus miſſus fuerit, ut ſupra, volumus pariter, & ordinamus, ut talis eo ipſo ſit tantummodo deputatus, non autem amplius aſſignatus in eodem Conventu noſtro S. Sabinę, ſicque in omnibus, & per omnia habeatur, taliter quod ſi poſtea ad dictum Conventum S. Sabinę, ut aſſignatus redire velit, debeat, aut mittatur, nova indigeat aſſignatione, ita diſponimus, ſtatuimus, & ordinamus, ac de cetero inviolabiliter obſervari mandamus, irritum, & inane decernentes quicquid in contrarium a quovis, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit. Non obſtantibus in contrarium quibuſcunque. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem his ſigillo noſtro munitis manu propria ſubſcripſimus. Datum Romę in Conventu noſtro Sanctę Marię ſuper Minervam die XIII Septembris MDCLXXII. Fr. Johannes Thomas de Rocaberti Magiſter Ordinis. Loco ✝ ſigilli. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat dictus Johannes Thomas Magiſter Generalis pręmiſſa, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri ſummopere deſideret, Nos, ipſius Johannis Thomę Magiſtri Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, pręinſertas memorati Johannis Thomę Magiſtri Generalis patentes literas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, &, quatenus opus ſit, Ordinis, & Provincię, ac Conventus, & loci hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXX Septembris MDCLXXII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. G. Sluſius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1672 Die 7 Decembris.

XXXIX.

Tingitanum (1) Cœnobium transfert ex Provincia Portugalliæ ad Hibernam.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Johannes a S. Dominico Vicarius, & Procurator Generalis Provincię Hibernię Ordinis Prędicatorum, quod alias quondam Johannes Baptiſta de Marinis, dum vixit, Magiſter Generalis dicti Ordinis, qui Conventum, & Eccleſiam Civitatis Tingitanę ejuſdem Ordinis a Provincia Portugallię Ordinis hujuſmodi ſeparaverat, illoſque cum univerſis, etiam bonis, dictę Provincię Hibernię aggregaverat, ac juriſdictioni Superioris Provincialis ejuſdem Provincię Hibernię, illiuſque Procuratoris Generalis cum auctoritate Vicarii Generalis, & Commiſſarii, quo munere dictus Johannes a Sancto Dominico tunc fungebatur, ſubjecerat, cum idem Johannes dilectum pariter filium Thomam a Sancto Dominico dictę Provincię Hibernię profeſſorem in Priorem Conventus pręfati inſtituiſſe reperiretur, omnibus, & quibuſcunque Fratribus dicti Ordinis in pręfata Civitate Tingitana, ejuſque diſtrictu exiſtentibus ſub certis tunc expreſſis pęnis mandavit, ut Thomę pręfato tanquam eorum Priori obedirent, eique uti tali traderent, & conſignarent quęcunque bona mobilia, aut immobilia ad Eccleſiam, & Conventum prędictos pertinentia, necnon ſcripturas, & inſtrumenta, aut notitias tam judiciales, quam extrajudiciales, quę haberent circa res quaslibet, quę ad Eccleſiam, & Conventum hujuſmodi pertinerent, aut pertinere poſſent, & alias prout uberius continetur in ipſius Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis literis patentibus deſuper emanatis, & de vulgari Hiſpanico in Latinum idioma verſis, tenoris, qui ſequitur, videlicet. Frater Johannes Baptiſta de Marinis Magiſter Generalis Ordinis Prędicatorum. Quoniam aggregavimus noſtrum Conventum, & Eccleſiam Tingitan. ad Provinciam Hibernię cum univerſis bonis ad illum pertinentibus, & quę pertinere poſſunt, ſeparando illum a Provincia Portugallię, eumque ſubjecimus ſub juriſdictione Provincialis Provincię noſtrę Hibernię, ſuique Procuratoris Generalis, cum auctoritate Vicarii Generalis, & Commiſſarii, qui hodie eſt P. Fr. Johannes a Sancto Dominico, per quem inſtituto in Priorem illius Conventus P. Fr. Thoma a Sancto Dominico prędictę Provincię Hibernię, tenore pręſentium, noſtrique auctoritate officii mandamus omnibus, & qui-

& quibuſcunque Religioſis noſtrę obedientię ſubjectis exiſtentibus in Civitate Tingitana, ſuiſque confinibus in virtute Spiritus Sancti, ſanctę obedientię, ſub pręcepto formali, pęna excommunicationis majoris latę ſententię ipſo facto incurrenda, & gravioris culpę per ſexennium, in caſu contraventionis, quam ipſos incurriſſe declaramus ex nunc, prout ex tunc, quod habeant, & obediant tanquam Prelato, & Priori prędicto Fratri Thomę a Sancto Dominico, & ut hujuſmodi, ipſi tradant, & conſignent quęcunque bona mobilia, aut immobilia pertinentia, aut quę poſſint pertinere ad prędictum Conventum, & Eccleſiam &c. Non obſtantibus quacunque diſpoſitione, determinatione, aut ordine per nos, aut noſtros Anteceſſores, aut quemcunque Prelatum noſtrum inferiorem, quoniam omnes, & quoſcunque particulariter per pręſentes revocamus, & annullamus. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Datum Romę XIV Martii MDCLXVIII. Fr. Johannes Baptiſta de Marinis Magiſter Ordinis. Regiſtrata lib. 4 Epiſt. fol. 87. Fr. Antonius Gonzalez Magiſter, & Socius. Et ſubinde dilectus etiam filius Johannes Thomas de Roccaberti modernus Magiſter Generalis ejuſdem Ordinis pręinſertas patentes literas, approbavit, renovavit, & confirmavit per ſuum decretum tenoris ſequentis, videlicet. Retroſcriptas Prędeceſſoris noſtri literas patentes ſuis cum clauſulis, pręcepto, cenſuris, integroque ad verbum tenore prout jacent, harum ſerie, noſtriqui officii auctoritate approbamus, renovamus, & confirmamus, non ſecus, ac ſi modo recenter, ac primitus a Nobis emanaſſent, proque validis, & irrefragabilibus omnino haberi volumus, & per omnia obſervandas, iiſque ad literam parendum ſub pęnis inibi ſtatutis declaramus. In quorum fidem &c. Romę VI Junii MDCLXX. Fr. Johannes Thomas de Roccaberti Magiſter Ordinis. Regiſtrata pag. III. Fr. Leonardus Hanſen Magiſter Provincialis Anglię. Loco † ſigilli. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Johannes a Sancto Dominico prémiſſa quo firmius ſubſiſtant, etiam Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri ſummopere deſideret. Nos ipſum Johannem, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, pręinſertas memorati Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis patentes literas a pręfato Johanne Thoma Magiſtro Generali approbatas, renovatas, & confirmatas, ut pręfertur, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, Provinciarum, & Conventus, ac Eccleſię hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Mariam ſub Annulo Piſcatoris die VII Decembris MDCLXXII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. G. Sluſius.

1. *Tingitanum.*) In *Africa*.

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1672 Die 24 Decembris.

F. Johannes (1) a St Dominico Vicarius, & Procurator Generalis Provinciæ Hiberniæ conſtitutus.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XL.

CLEMENS PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Johannes a Sancto Dominico Vicarius, & Procurator Generalis Provincię Hibernię Ordinis Prędicatorum, quod alias quondam Johannes Baptiſta de Marinis, dum vixit, Magiſter Generalis dicti Ordinis ipſi Johanni Vicario, & Procuratori Generali Provincię hujuſmodi conceſſit facultatem, etiam in ejus Officii Succeſſoribus duraturam, qua poſſet ex univerſis Ordinis pręfati Provinciis omnes, & ſingulos Hibernicę Nationis Religioſos per ſuas patentes literas ſub Sanctę Obedientię pręcepto evocare, atque eoſdem prout ſibi expedire in Domino videretur, aſſignare, diſtribuere, colligere, & deputare Collegiis, Domibus, & Conventibus, quotquot ullibi pro dicta Natione tunc erant, vel in poſterum ſparſim eſſent per totam Europam, ipſoſque Religioſos, ſive in Hibernia, ſive alibi eſſent profeſſi, quatenus opus fore judicaret, ad dictam Hibernię Provinciam undequaque remittere, liberrimeque deſtinare, & alias prout uberius continetur in ipſius Johannis Baptiſtę Ma-

Magiſtri Generalis literis patentibus deſuper emanatis tenoris, qui ſequitur videlicet: Fr. Johannes Baptiſta de Marinis S. Theologię Profeſſor, Ordinis Prędicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus, in Dei filio ſibi dilecto R. P. Fr. Johanni a S. Dominico Provincię noſtrę Hibernię Procuratori Generali, & noſtrorum ad Magnam Britanniam Miſſionariorum Vicario, ſalutem. Quandoquidem in tribus Coronę Britannicę ampliſſimis Regnis pro tuendis Catholicę Fidei reliquiis continua ſemper, & ingens eſt neceſſitas idoneorum Sacerdotum, & Miſſionariorum, quorum tibi ſpecialis cura ex officio, tuis humeris per Nos dudum impoſita, jugiter incumbit, Nos ad illius efficaciorem, promptioremque executionem, & robur harum ſerie, noſtrique muneris auctoritate peculiarem, & amplam tibi concedimus facultatem etiam in prędicti Officii tui Succeſſoribus duraturam, qua poſſis ex univerſis noſtri Ordinis Provinciis omnes, & ſingulos Hibernicę tuę Nationis Religioſos Nobis ſubjectos per tuas patentes literas ſub Sanctę Obedientię pręcepto evocare, atque eoſdem, prout tibi in Domino expedire videbitur, aſſignare, diſtribuere, colligere, ac deputare Collegiis, Domibus, & Conventibus quotquot ullibi pro dicta Natione, jam extant, vel in poſterum favente Numine ſparſim extabunt per totam Europam, ipſoſque Religioſos ſive in Hibernia, ſive alibi ſint profeſſi; quoad opus fore judicaveris ad noſtram Hibernię Provinciam undequaque remittere, liberrimeque deſtinare. Qua in re ne ullus cujuſcunque alterius, aut Provincię, aut Congregationis Superior tibi impedimento ſit, vel tuis in eodem munere futuris Succeſſoribus unquam obſtare poſſit; tenore prędentium iiſdem Superioribus pro tempore tum exiſtentibus, tum exituris prꝍcipimus ex nunc in virtute Spiritus Sancti, Sanctę Obedientię ſub formali pręcepto, quod tibi, tuiſque in dicta generali Procuratura, & Vicariatu legitimis Succeſſoribus omnem in pręmemoratis prębeant aſſiſtentiam, manumque auxiliatricem ad efficacem executionem. Denique univerſis noſtri Ordinis Religioſis Hibernis in quacunque ſeu Congregatione, ſeu Provincia extra Hiberniam nunc quovis titulo morantibus, ac deinceps moraturis ſub eodem formali pręcepto diſtricte injungimus, quod hujuſmodi tuis, & reſpective tuorum pariter Succeſſorum diſpoſitionibus exacte obtemperent, & quocunque hac facultate evocati miſſi, remiſſi, aut deſtinati fuerint mandato pareant. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Quibuſcunque in contrarium non obſtantibus, & in fidem his ſigillo noſtro munitis, propria manu ſubſcripſimus. Romę XXX Martii MDCLXIX. Fr. Johannes Baptiſta de Marinis. Loco † Sigilli. Regiſtrata pag. 215. Fr. Leonardus Hanſen M. Provincialis Anglię. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat preinſertę patentes literę ſubinde poſt obitum pręfati Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis a dilecto filio Petro Maria Paſſerino, tunc temporis Vicario Generali Ordinis pręfati, quatenus opus eſſet probatę, & confirmatę fuerint, & dilectus etiam filius Johannes Thomas de Rocaberti modernus Magiſter Generalis ejuſdem Ordinis illas pariter quantum opus eſſet, fierique ab ipſo poſſet, integre probaverit, ac renovaverit, & confirmaverit, quoad totum earum tenorem, ac vim pręcepti, & alias, prout in illorum decretis reſpective deſuper emanatis plenius continetur, pręfatus vero Johannes a Sancto Dominico exponens eaſdem literas, quo firmius ſubſiſtant etiam Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri ſummopere deſideret. Nos ipſum Johannem ſpecialis favore gratię proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum prędentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, pręinſertas memorati Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis patentes literas, a pręfatis Petro Maria Vicario Generali, ac Johanne Thoma Magiſtro Generali reſpective probatas, & renovatas, & confirmatas, ut pręfertur, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis auctoritate Apoſtolica tenore prędentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint ſupplemus. Decernentes eaſdem prędentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis, Provincię, Collegiorum, Domorum, & Conventuum prędatorum, aliiſque quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores prędentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV Decembris MDCLXXII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

I. G. Sluſius.

1. *Johannes.*) Conſulendus *Johannes O Heyn* in *Epilogo Chronologico &c.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar *Romę* typis R. Camerę Apoſtolicę impreſſum anno *MDCLXXIII.*

Indul-

Anno 1673 Die 14 Januarii.

Indulgentiis ornat Confratres, & Conſorores Archiconfraternitatis (1) SS. Corporis Chriſti qui cadavera defunctorum ad ſepulturam comitantur.

Ex Archivo (2) Ordinis:

XLI.

CLEMENS PP. X.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX commiſſę Nobis cęlitus diſpenſationis munere Chriſti fideles Chriſtianę caritatis, atque pietatis opera ſpecialium gratiarum donis incitare cupientes, ac ſupplicationibus dilectorum filiorum Officialium, & Confratrum Archiconfraternitatis Sanctiſſimi Corporis Chriſti in Eccleſia S. Marię ſupra Minervam de Urbe canonice erectę nomine nobis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & ſingulis Confratribus, & Conſororibus tam pręfatę Archiconfraternitatis, quam quarumvis Confraternitatum ſub eodem titulo, ſeu denominatione Sanctiſſimi Corporis Chriſti, ubicunque locorum canonice hactenus erectarum, & inſtitutarum, ac in futurum quandocunque ex vi decreti Congregationis indulgentiis prępoſitę de mandato felicis recordationis Pauli PP. V prędeceſſoris noſtri die XV Februarii MDCVIII emanati itidem canonice erigendarum, & inſtituendarum qui, & quę cadavera Chriſti fidelium defunctorum, dum ad ſepulturam deferuntur devote comitati fuerint, quoties id egerint, toties centum dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV Januarii MDCLXXIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. G. Sluſius.

1. *Archiconfraternitatis*. De qua in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo*.) In quo exemplar. In nuperrimo *Bullario Romano* eſt *CXXIV.* Legitur *pag.* 209.

Anno 1673 Die 1 Februarii.

F. Raymundus Capiſuccus (1) S. Palatii Apoſtolici Magiſter renunciatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Raymundo Capiſucco Ordinis Prędicatorum Profeſſori, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

XLII.

CLEMENS PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm officium Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici certo, quem pręſentibus pro expreſſo haberi volumus, modo vacaverit, & vacet ad pręſens: Nos, te, qui idem officium alias laudabiliter exercuiſti, ac pietate, prudentia, & ſacrarum literarum ſcientia, aliiſque virtutum ornamentis pręſtas, & quem propterea judicio in diverſorum auctorum libris, & ſcripturis cenſendis plurimum valere non dubitamus, ad officium pręfatum, quod te ſumma fide, & diligentia adminiſtraturum confidimus, eligendum duximus. Te igitur ejuſdem Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum, cum auctoritate, facultate, honoribus, & oneribus, ac manſionibus in Palatio noſtro Apoſtolico, portione, & emolumentis ſolitis, & conſuetis ad tui vitam auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, facimus, conſtituimus, & deputamus. Mandantes propterea omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, ut te ad prędictum officium recipiant, & admittant, tibique faveant, & aſſiſtant, ac de proviſione, & emolumentis hujuſmodi reſpondeant, in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die Prima Februarii MDCLXXIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. G. Sluſius.

1. *Capiſuccus.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii XI*, fuit enim S. R. E. Cardinalis, de ipſo audiendus *Fontana Monumen. Dominican. Parte V Cap. IV ad annum MDCLXXIII pag.* 689, ubi hæc habet: *P. Raymundus Capiſuccus nobilis Romanus de Sancta Sede Apoſtolica, ac noſtro Prædicatorum Ordine optime meritus, utpote eidem Sanctæ Sedi multis annis per varia, & clara officia probatus; primum videlicet Magiſtro Sacri Palatii F. Vincentio Candido ſuo deceſſori Socius adlectus, exinde ſacræ Indicis Congregationis datur Secretarius, ac ſimul eodem in munere Epiſcoporum coram Summo Pontifice Examinator demum Candido vita functo Magiſter Sacri Palatii Apoſtolici per felicis recordationis Innocentium PP. X renunciatus, quo munere cum per decem fere annos diligenter, ac fideliter perfunctus fuiſſet, ad matrem ſuam Religionem rediit, Epiſcopalibus, & Archiepiſcopalibus Inſulis, eiſque primariis, non ſemel ultro delatis, modeſte recuſatis, & in Conventum S. Mariæ ſuper Minervam ſe recepit, primum ubique poſt Magiſtrum Generalem noſtri Ordinis locum tenere juſſus. Ibi Theologicis voluminibus, quæ paſſim leguntur, edendis intentus in* Reli-

Religioſa quiete aliquot annos non otioſus tranſegit. Sed hoc anno MDCLXXIII, quo hac ſcribimus, ad priſtinum Sacri Palatii Magiſterium a Clemente X evocatur, dato ſequenti Brevi. Notandum, quod eidem *Capiſucco* Clemens X elargitus fuit indulta, gratias, & exemptiones familiaribus Summi Pontificis conceſſas, uti liquet Diplomate *Dato Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die III Januarii MDCLXXVI, Pontificatus anno Sexto.* Sic inſcribitur: *Dilecto filio Raymundo Capiſucco Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro Familiari Noſtro.* Ejuſdem tenoris eſt ac *Conſtitutio XV Clementis X*, quæ legitur in *Bullario Romano* prioris editionis in *Clemente X pag.* 344. In editione nuperrima eſt *XXVII.* Legitur *pag.* 49. S. P. *Clemens XII*, quem diu ſoſpitem Deus Optimus Maximus ſervet ad Eccleſiæ ſuæ ſanctæ decus, iiſdem privilegiis ornavit clariſſimum virum *Reverendiſſimum P. M. F. Johannem Benedictum Zuanelli* modernum S. Palatii Apoſtolici Magiſtrum.

2. *Archivo.*) Legitur apud Fontanam mox laudatum.

Anno 1673 Die 8 Martii.

Quæ pro recipiendis (1) in Malacitano (2) Cœnobio ſancita ſunt, firmat.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XLIII.

CLEMENS PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EX injuncto Nobis divinitus Apoſtolicę ſervitutis munere, ea, quę a Superioribus regularibus, ad conſervandum Conventuum ſibi ſubjectorum honorem, provide conſtituta eſſe noſcuntur, ut firma, & illibata perſiſtant Apoſtolici muniminis noſtri pręſidio, cum id a Nobis petitur, libenter conſtabilimus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Johannes Thomas de Roccaberti Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, quod cum Conventus S. Dominici Malacitan., inter primarios Provincię Bęticę dicti Ordinis Conventus, merito connumeretur, ipſe Johannes Thomas Magiſter Generalis ſtatuit, ut de cetero in eodem Conventu, nullus ad habitum, ſeu profeſſionem, Prędaturam, officia, aſſignationem, aut deputationem admittatur, qui ex hebręis, aut ſaracenis, vel noviter converſis, ducat originem, quod ſi ſecus factus fuerit, id totum ſit irritum, & inane, proque irrito, & inani ab omnibus habeatur, voluitque, & ordinavit, ut quando aliquis ad ſupradicta admittendus fuerit, de eo prius ſub certa forma fieri debeant informationes ſuper puritate ſanguinis, & alias, prout uberius continetur, in ipſius Thomę Magiſtri Generalis literis patentibus deſuper emanatis tenoris, qui ſequitur. Fr. Johannes Thomas de Roccaberti Sacrę Theologię Profeſſor, Ordinis Prędicatorum humilis Magiſter Generalis, & ſervus. Etſi in omnibus Provinciis noſtrę curę ſubjectis, quęcunque inconvenientia, ſeu ſcandala, evitare procuremus, ordo tamen rationis, & lex ęquitatis exigit, ut pręcipuorum Conventuum honori, & decori ſpecialiter conſulamus. Sane inter primarios Provincię noſtrę Bęticę enumeratur regalis Conventus S. Dominici Malacitan., ex quo non olim ſolum, ſed hisquoque diebus prodiere inſignes viri, qui religionem noſtram mirifice illuſtrarunt. Cum autem pro aliquibus diverſarum totius Hiſpanię Provinciarum Conventibus factum fuerit ſtatutum, perpetuis temporibus futuris valiturum, etiam auctoritate Apoſtolica roboratum, ut in eiſdem non reciperentur ad habitum, nec ad profeſſionem, qui ex hebręorum, aut ſaracenorum, vel noviter converſorum ſanguine originem traherent, nec ibi tanquam aſſignati, aut deputati commorari poſſent, aut pręfecturas, ſeu officia obtinere, Nos, conſiderantes prędictum noſtrum Conventum regalem S. Dominici Malacitan., non minoris auctoritatis exiſtere, in ipſoque militare eaſdemmet rationes, quę militant in Conventu noſtro S. Pauli Hiſpalen., & ceteris gaudentibus hujuſmodi privilegio, ad evitanda maxima damna, & continua inconvenientia, quę ex receptione prędictorum oriuntur, harum ſerie, noſtrique auctoritate officii, ſtatuimus, ut de cetero in prędicto S. Dominici regali Conventu Malacitan., nullus ad habitum, ſeu profeſſionem, prętaturam, officia, aſſignationem, aut deputationem admittatur, qui ex hebręis, aut ſaracenis, vel noviter converſis ducat originem, quod ſi contrarium factum fuerit, totum ſit irritum, & inane, proque irrito, & inani ab omnibus habeatur. Ut autem exactius, hęc omnia obſerventur, volumus, & ordinamus, ut quando aliquis ad dicta admittendus ſit, niſi forte ejus originis puritas, in aliquo Monaſterio, ſeu Collegio habente ſimile ſtatutum probata eſſet, fiant prius debitę, & ſecretę informationes fideliter, & ſine fraude per perſonam, vel perſonas a Priore, ſeu Pręſide ejuſdem Conventus pro tempore de conſilio Patrum, deputandam, vel deputandas, ex quibus informationibus clare conſtet, admittendum ex Maurorum, aut hebręorum, ſeu noviter converſorum genere non deſcendere, ſine quo nullatenus admittatur, ſicut Notarii S. Inquiſitionis facere ſolent, & in Collegio noſtro S. Gregorii Valiſoletan., & Conventu noſtro S. Pauli Hiſpalen., & aliis habentibus ſimile ſtatutum fieri ſolet. Mandantes in virtute Spiritus Sancti, & ſanctę obedientię ſub formali pręcepto, & ſub excommunicationis latę ſententię, hac una, pro trina canonica monitione pręmiſſa, ipſo facto incurrenda pęna, omnibus, & ſingulis dictę noſtrę Provincię, & Conventus Superioribus, omnibuſque, & ſingulis, ad quos harum noſtrarum literarum executio quoquomodo ſpectabit, ut eas, omniaque contenta in eiſdem obſervent, & obſervari faciant, utque eaſdem in publica Communitate dicti noſtri Conventus, quoties in eadem acta Capitulorum Generalium, ſeu Provincialium pręleguntur, legere, & publicare faciant. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Quibuſcunque &c. Datum Romę in Conventu noſtro S. Marię ſuper Minervam die IV Octobris MDCLXXII. Fr. Jo: Thomas de Roccaberti Magiſter Ordinis. Loco ✝ Sigilli. Regiſtrata fol. VII. Fr. Emanuel Pereyra Magiſter Provincialis Terrę Sanctę. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Jo: Thomas Magiſter Generalis, pręmiſſa, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicę noſtrę confirmationis patrocinio communiri plurimum deſideret; Nos ipſum Johannem Thomam Magiſtrum Generalem ſpecialis favore gratię proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, ſtatutum, & or-

& ordinationem, a memorato Johanne Thoma Magiſtro Generali facta, ut prefertur, expeditaſque deſuper ejuſdem patentes literas preinſertas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolice firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem preſentes literas, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore, quandocunque ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque in premiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus &c. Non obſtantibus &c. necnon, quatenus opus ſit, predictorum Ordinis, & Provincie, ac Conventus, etiam juramento &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium premiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pro plene, & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad premiſſorum effectum hac vice duntaxat &c. Datum Rome apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VIII Martii MDCLXXIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Recipiendis.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Malacitan.*) In Hiſpania *Batica*.

3. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Malacitan.*

Anno 1674 Die 4 Januarii.

F. Gregorius Lopez (1) fit Vicarius Apoſtolicus Miſſionum Sinen.

Ex Archiva (2) Ordinis.

Dilecto filio F. Gregorio Lopez Electo Baſilitan.

XLIV.

CLEMENS PP. X.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUper Cathedram Principis Apoſtolorum inſcrutabili divine providentie arcano collocati, mentis noſtre aciem per univerſas Chriſtiani Orbis partes jugiter circumferimus, ut ſpirituali Chriſti fidelium ubicunque exiſtentium directioni, & cure, quantum Nobis ex alto conceditur, ſalubriter conſulamus. Cum itaque, ſicut accepimus, bone memorie Ignatius Conſolendi, dum vixit, Epiſcopus Metellopolitan. quem felicis recordationis Alexander PP. VII predeceſſor noſter Vicarium Apoſtolicum Nanchini in Sina cum nonnullarum Provinciarum adminiſtratione deputaverat, ab humanis jam pridem deceſſerit, &, ſicut Venerabiles Fratres Epiſcopi Vicarii Apoſtolici Chine, Tunkini, & Cocincine Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi te, qui patria Sinenſis exiſtis, ob egregium tuum Orthodoxe fidei, & Chriſtiane Religionis zelum dicto Ignatio Epiſcopo in Vicariatu Apoſtolico ſubrogari plurimum deſiderent, Nos ſupplicationibus eorundem Epiſcoporum, Vicariorum Apoſtolicorum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, firmiterque in Domino ſperantes, te, qui profeſſionem regularem in Provincia Sanctiſſimi Roſarii Inſularum Philippinarum Ordinis Predicatorum expreſſe emiſiſti, & quem Eccleſie Baſilitan. in partibus Infidelium conſiſtenti in Epiſcopum, & Paſtorem, auctoritate Apoſtolica preſecimus, ſtrenue, magnoque cum animarum fructu in vinea Domini eſſe laboraturum, ac de Catholice Religionis zelo, doctrina, prudentia, dexteritate, integritate, caritate, aliiſque virtutibus tuis plurimum in Domino confiſi, teque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & penis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum preſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, negotiis propagande Fidei Prepoſitorum conſilio, te Nanchini in Sina cum adminiſtratione Provinciarum Pechini, Xantii, Xantung, Honan, Xenſi, & Coree Vicarium Apoſtolicum, ita tamen ut cetere Sinarum provincie memoratis Epiſcopis Vicariis Apoſtolicis ſecundum prefati Alexandri, ac fel. recordationis Clementis PP. IX Predeceſſorum noſtrorum diſpoſitionem relinquantur, ac ea lege, ut poſtquam munus conſecrationis, juxta alias noſtras in ſimili forma Brevis literas ſuper prefectione, & proviſione dicte Eccleſie Baſilitan. de tui perſona a Nobis factis emanatas receperis, & non prius tota juriſdictio dicto Ignatio Epiſcopo Metellopolitan., ab hac Sancta Sede antea attributa in te de facto transferatur, cum omnibus facultatibus jam conceſſis dicto Ignatio Epiſcopo, & aliis Vicariis Apoſtolicis predictis donec, & quouſque a prefatorum Cardinalium Congregatione fuerit aliter mandatum, aut diſpoſitum, dicta auctoritate, tenore preſentium, facimus, conſtituimus, & deputamus. Inſuper tibi facultatem tribuimus novam cum ſupradictis Epiſcopis Vicariis Apoſtolicis ineundi diviſionem, qua peracta, antiquiores poſſint eligere illam partem, quam ſibi gratam exiſtimaverint, de tali autem diviſione hanc Sanctam Sedem quamprimum volumus reddi certiorem, ut eam confirmare dignetur. Ceterum tibi prohibemus, ne particulares tue Religionis Fratrum Predicatorum ritus, & ceremonias, ſed univerſales Eccleſie Romane, tum in officio recitando, tum in Miſſa celebranda, & in ceteris functionibus uſurpes, ut Eccleſie Sinenſis capita non ſolum in doctrina, ſed etiam in ritibus, & ceremoniis eccleſiaſticis ad Chriſtianorum edificationem unanimes ſint, & uniformes. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium premiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores, preſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, ad premiſſorum effectum hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque

con-

contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IV Januarii MDCLXXIV, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

J. G. Sluſius.

1. *Gregorius Lopez.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) Legitur apud *Fontanam Monumen. Dominican. Parte V Cap.IV ad annum MDCLXXIV pag.697.*

Japponen., Canonizationis, ſeu Declarationis aſſerti Martyrii Servorum Dei Fr. Alphonſi Navarette Ordinis S. Dominici, & Fr. Ferdinandi a S. Joſepho Ordinis S. Auguſtini, & aliorum in Japponia pro Chriſti fide interemptorum (1).

Anno 1674 Die 21 Aprilis.

XLV.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

IN Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria ex diſpenſatione Apoſtolica abſque interventu Conſultorum propoſito per Eminentiſſimum D. Cardinalem Azzolinum, & diſcuſſo dubio; An conſtet de validitate Proceſſuum Matritenſis, Manilię, & Macaenſis, an Teſtes in iiſdem ſint rite, & recte examinati, & an jura in Matritenſi producta ſint legitime compulſata, in caſu &c. Eadem Sac. Congregatio, audito pariter R.P.D. Fidei Promotore, cenſuit conſtare de validitate Proceſſus Matritenſis confecti auctoritate Apoſtolica tantum: Teſtes in eo, rite, & recte examinatos. Et jura in eodem producta eſſe legitime compulſata, ſi Sanctiſſimo D. Noſtro viſum fuerit. Hac die XIV Aprilis MDCLXXIV. Et facta de prędictis Sanctiſſimo relatione per me Secretarium, Sanctitas Sua benigne annuit Die XXI ejuſdem Menſis Aprilis, & Anni MDCLXXIV.

F. Epiſcopus Portuen. Cardinalis Brancatius.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Interemptorum.*) Quorum geſta ſcripſere *Antoninus Reginaldus*, aliique quos laudat *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.988 col.II.*

2. *Archivo.*) In quo autographum.

De ſublevandis (1) Hibernis, Anglis, & Scotis Fratribus.

Anno 1674 Die 6 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

C L E M E N S PP. X.

XLVI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

APoſtolicę ſervitutis munus quo catholicę Eccleſię per univerſum Orbem diffuſe regimini Divina diſpoſitione pręſidemus, in id pręcipue ſolicitudinem noſtram intendit, ut labenti in nonnullis olim pietatis, & orthodoxę fidei laude florentiſſimis Regionibus Catholicę Religioni, quantum Nobis ex alto conceditur, ſubvenire, ac operariorum in vinea Domini ſtrenue laborantium ſtudia fovere, eiſque ſupplementa parare ſtudeamus, quo relictum illuc ſemen a Cęleſti Agricola ſatum adſpirante ſuperni favoris aura inter perſecutionum procellas, atque calamitatum tribulos ſoboleſcere, evulſiſque vepribus latius ſpargi, ac ad perfectę fructum maturitatis venire, Sanctamque Matrem Eccleſiam multiplicibus, Domino benedicente, lętificare valeat incrementis. Cum itaque alias felicis recordationis Clemens Papa IX Prędeceſſor noſter quaſdam patentes literas a tunc exiſtente Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum emanatas, per quas Procuratori Generali Provincię Hibernię dicti Ordinis, ejuſque Succeſſoribus Conventus, & Monaſteria pro Fratribus, & Monialibus Hibernis, Anglis, & Scotis in Oppido Madriti Toletan. Diœceſis, aliiſque mundi partibus fundandi, atque erigendi licentia cum diverſis facultatibus, gratiis, indultis, declarationibus, & decretis concedebatur per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die XVI Septembris MDCLXVII expeditas Literas Apoſtolica auctoritate confirmaverit, & approbaverit, ac ſubinde earundem literarum ſuarum executionem tunc exiſtenti Archiepiſcopo Toletan., ac Hęreticę pravitatis Inquiſitoribus, ubique locorum dicta auctoritate deputatis per alias ſuas Literas pariter in forma Brevis die XIV Octobris proxime ſubſequentis demandaverit, & alias prout in eiſdem Clementis Prędeceſſoris Literis, quibus prędictę patentes Magiſtri Generalis literę inſertę fuerunt, & quarum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis haberi volumus, uberius continetur. Et ſicut pro parte dilecti filii Johannis de Sancto Dominico Fratris expreſſe profeſſi, & Procuratoris Generalis dictę Provincię Hibernię Nobis nuper expoſitum fuit, licet Catholica Fides in eadem Provincia maxime hodierno tempore, quo perſecutio Hęreticorum ita ſęve graſſatur, ut quamplures Religioſos ejuſdem, & aliorum Ordinum in carceres detruſerit, quoſdam etiam neci dederit, periclitetur, deficientibuſque Miſſionariis, nova aliorum ope Eccleſię illic laboranti ſuccurri neceſſe ſit, & memoratus Clemens Predeceſſor pro eo, quo flagrabat Pontificię caritatis zelo, neceſſitati hujuſmodi per ſuas literas prędictas conſulere ſtuduerit, nihilominus experientia hactenus docuerit, eos, qui ante alios, tam ſancto Inſtituto ſuffragari, & manus porrigere debuiſſent, Fratres nempe ejuſdem, & aliorum Ordinum temporalia ſua non ſpiritualia exulum catho-

catholicorum commoda reſpicientes, immo, & quoſdam Epiſcopos ſub prętextu, ne nimio Religioſorum Sodalium pondere Diœceſes eorum graventur, difficiles ſe gerere, aut prorſus tergiverſari denegata fundandi Conventus hujuſmodi licentia: Nobis propterea Johannes Procurator Generalis prędictus humiliter ſupplicari fecit, ut in prę miſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Johannis Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere cupientes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitorum conſilio, Venerabiles Fratres Archiepiſcopos, Epiſcopos, ceteroſque Eccleſiarum Pręſules, & Prelatos, & dilectos filios Eccleſiaſticos ſeculares, & cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti Regulares, Superiores, & ſubditos, ac laicos cujuſvis ſtatus, gradus, pręeminentię, & dignitatis harum ſerie paterne hortamur, & monemus, ut pium prędictorum Fratrum Hibernorum, Anglorum, & Scotorum Religionis cauſa a ſuis regionibus exulum inſtitutum circa fundationem, atque erectionem Conventuum, & Monaſteriorum hujuſmodi, ceteraque in patentibus Magiſtri Generalis, & Apoſtolicis Clementis Prędeceſſoris Literis prędictis contenta, ita juvare, atque promovere, ſeque illis benignos, atque favorabiles prębere ſtudeant, ut eorum pietatem; caritatem, & Catholicę Religionis zelum merito laudare valeamus, & ipſi ęternę retributionis prę mium ab Omnipotente Deo, cujus cauſa hic agitur, accipere mereantur. Ac dilecto Filio noſtro Paſchali ejuſdem S.R.E. Cardinali de Aragonia nuncupato Eccleſię Toletan. ex conceſſione, & diſpoſitione Apoſtolica Pręſuli, & Ven. Fratribus Galeatio Archiepiſcopo Corinthi moderno, & pro tempore exiſtenti noſtro, & Apoſtolicę Sedis in Regnis Hiſpaniarum Nuncio, necnon Archiepiſcopis, & Epiſcopis dictorum Regnorum harum ſerie committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum prędictorum deſuper fuerint requiſiti, pręſentes, & ſupradictas Clementis Prędeceſſoris Literas ſolemniter publicantes, illiſque efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, illos earundem Literarum, & in eis contentorum hujuſmodi commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere non permittentes illos deſuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, vel inquietari; Contradictores quoslibet, & rebelles, dictoque pio Inſtituto temere reſiſtentes, aut quoquo modo impedimentum opponere pręſumentes per ſententias, cenſuras, & pęnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pęnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, quatenus opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quę in prędictis Clementis Prędeceſſoris Literis conceſſa ſunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI Auguſti MDCLXXIV, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

J. G. Sluſius.

1. *Sublevandis*.) Conſulenda Conſtitutio *I Clementis IX.* Legitur *pag.* 227.

2. *Archivo*.) In quo exemplaria, *Roma* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXIV.*

Anno 1674 Die 8 Auguſti.

De celebrando feſto omnium Sanctorum Ordinis Prædicatorum.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XLVII.

ORDINIS PRÆDICATORUM.

Sanctiſſimus D. N. Clemens Papa X, ad preces Eminentiſſimi D. Fr. Vincentii Marię Urſini (2) Ordinis Prędicatorum Presbyteri Cardinalis Titularis S. Xiſti benigne conceſſit, ut in poſterum omnes, & ſinguli utriuſque ſexus Religioſi Fratres, & Moniales ſui Ordinis ſemel in anno, hoc eſt die nona Novembris recitare, ac reſpective celebrare libere, & licite valeant ſub ritu Totius duplicis Officium, & Miſſam omnium Sanctorum, & Sanctarum dicti Ordinis juxta Rubricas Miſſalis, & Breviarii ejuſdem Ordinis, omniaque in Kalendario Breviarii, & Miſſalis pręfati Ordinis de pręcepto apponi, & imprimi poſſe conceſſit. Inſtante etiam Fratre Jo: Thoma de Roccaberti Magiſtro Generali totius Ordinis Prędicatorum. Hac die VIII Auguſti MDCLXXIV.

F. M. Epiſcopus Portuen. Cardinalis Brancatius.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Archivo*.) In quo exemplar authenticum, *Roma* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXXIV*.

2. *Urſini*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

Bea-

Anno 1674 Die 8 Auguſti.

XLVIII.

Beati Jacobi (1) de Mevania Ordinis Prædicatorum.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

ORDINIS PRÆDICATORUM.

CUm Sacra Rituum Congregatio habita die VI Martii MDCLXXIII, annuente etiam Sanctiſſimo, die XVII ejuſdem menſis, & anni ad pias preces Patris Fr. Johannis Thomę de Roccaberti Magiſtri Generalis totius Ordinis Prędicatorum conceſſerit facultatem recitandi Officium cum celebratione Miſſę de communi unius Confeſſoris non Pontificis quolibet anno die XXIII Auguſti feſto Beati Jacobi de Mevania Ordinis Prędicatorum in omnibus, & ſingulis Eccleſiis Terrę Mevanię Spoletanę Diœceſis, ubi aſſeritur eundem Beatum natum, & vita functum eſſe. Et pro omnibus Sacerdotibus tam ſecularibus, quam regularibus confluentibus ad Eccleſiam Conventus Fratrum Prędicatorum dictę Terrę tantum, ubi dicitur aſſervari, & publicę venerationi expoſitum eſſe illius corpus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium quibuſcunque. Nunc vero ad enixas, & reiteratas preces pręfati Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum, eadem Sacra Congregatio cenſuit poſſe extendi prędictam conceſſionem etiam ad omnes, & ſingulas Eccleſias, & Religioſos totius pręfati Ordinis Prędicatorum utriuſque ſexus, ut tam Fratres, quam Moniales in quibuſcunque mundi partibus exiſtentes licite, & libere recitare poſſint, & reſpective celebrare valeant Officium, & Miſſam prędicti Beati Jacobi dicto die ejuſdem feſto ſub ritu Breviarii, & Miſſalis ejuſdem Ordinis, & eandem gratiam pariter extendi poſſe duxit ad omnes Sacerdotes tum ſeculares, tum regulares confluentes ad Eccleſias prędicti Ordinis utriuſque ſexus die feſto prędicti Beati, ut ibidem celebrare poſſint Miſſam de prędicto Beato ſub eodem ritu cum Miſſali tamen Romano, ſi Sanctiſſimo D. Noſtro viſum fuerit. Hac die IV Auguſti MDCLXXIV. Et facto de prędictis verbo cum Sanctiſſimo per me Secretarium, Sanctitas Sua pręfatam extenſionem benigne approbavit, & confirmavit. Die VIII ejuſdem menſis Auguſti, & anni MDCLXXIV.

F. M. Epiſcopus Portuen. Card. Brancatius.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Jacobi.*) Cujus vitam ſcripſerunt *Bartholomaeus Mortarius*, & *Bonaventura Camaſſeus*.
2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar authenticum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXXIV*.

Anno 1674 Die 19 Septembris.

XLIX.

Ut Officium S. Vincentii (1) Ferrerii recitari poſſit ſemel in m enſe.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

ORDINIS PRÆDICATORUM.

SAnctiſſimus D. N. Clemens Papa X, ad Eminentiſſimi Domini Fr. Vincentii Marię Urſini (3) Ordinis Prędicatorum Presbyteri Titularis S. Xiſti, ſummopere cupientis, ut merita, & virtutes Sancti Vincentii Ferrerii in univerſo ſuo Ordine Prędicatorum frequenter venerentur, & recolantur, benigne annuit, atque conceſſit, ut omnes, & ſinguli utriuſque ſexus ejuſdem Ordinis Prędicatorum Religioſi tam Fratres, quam Moniales in quibuſcunque mundi partibus exiſtentes licite, & libere recitare poſſint Officium, & reſpective celebrare Miſſam ejuſdem S. Vincentii Ferrerii ſub ritu trium lectionum juxta rubricas Breviarii, & Miſſalis prędicti ſui Ordinis ſemel in menſe, hoc eſt prima ſecunda feria non impedita tamen alio ſimili feſto trium lectionum ejuſdem Ordinis, & impeditis omnibus prędictis primis ſecundis feriis illius menſis, tunc recitare, & celebrare valeant prima feria ſexta ejuſdem menſis pariter non impedita, ut ſupra, & pręſens Decretum imprimi poſſe conceſſit. Hac die XIX Septembris MDCLXXIV.

F. M. Epiſcopus Portuen. Cardinalis Brancatius.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *S. Vincentii.*) Conſulenda Conſtitutio *IV Pii II.* Legitur *Tomo III hujuſce Bullarii pag.* 379.
2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXIV*.
3. *Urſini.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

In-

Anno 1674 Die 6 Octobris.

L.

Indulgentia pro quatuor Anniverſariis (1) quotannis celebrandis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLEMENS PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut pro parte dilecti filii Johannis Thomę de Roccaberti Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum Nobis nuper expoſitum fuit, in ſingulis Eccleſiis Fratrum, & Monialium dicti Ordinis, quatuor quotannis Anniverſaria, unum ſcilicet pro omnium, & ſingulorum Fratrum, & Monialium dicti, ac etiam Tertii Ordinis Sancti Dominici defunctorum, die decima menſis Novembris, ac ſecundum pro eorundem Fratrum, & Monialium parentum, ac conſanguineorum, ſeu affinium defunctorum animarum refrigerio, die quarta menſis Februarii, & alterum in ſuffragium animarum familiarium, & benefactorum ejuſdem Ordinis, die vigeſima quinta menſis Septembris, necnon reliquum in ſuffragium animarum Chriſti fidelium in Eccleſiis, & cęmiteriis tam Fratrum, quam Monialium dicti Ordinis ſepultorum, die duodecima menſis Julii, ſeu aliis immediate ſubſequentibus reſpective diebus non impeditis celebrari conſueverint. Nos ut opus tam pium majori cum fructu fiat, ad augendam eorundem Fratrum, & Monialium devotionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, ac ſupplicationibus dicti Johannis Thomę Magiſtri Generalis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & ſingulis Fratribus dicti Ordinis in ſacro Presbyteratus ordine conſtitutis, qui Miſſam in diebus quibus Anniverſaria prędicta celebrabuntur in Eccleſiis dicti Ordinis reſpective celebraverint, Plenariam, aliis vero Fratribus dicti Ordinis, non celebrantibus, necnon Monialibus prędictis vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui Miſſę, ſeu Officio defunctorum in Eccleſiis prędictis, diebus Anniverſariorum hujuſmodi celebrandis devote interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, quam etiam animabus ſupradictorum defunctorum, quę Deo in caritate conjunctę ab hac luce migraverunt per modum ſuffragii applicari poſſe indulgemus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Pręſentibus quoad Indias ad quindecim annos, extra Indias vero ad ſeptem annos citra annum Jubilęi tantum valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint, quodque pręſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI Octobris MDCLXXIV, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

J. G. Sluſius.

1. *Anniverſariis*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.I.*

2. *Archivo*.) In quo autographum, & exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXIV.*

Anno 1674 Die 6 Octobris.

LI.

Harlemen., Canonizationis, ſeu declarationis Martyrii Novemdecim Martyrum Gorcomienſium (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

APprobata in Congregatione ordinaria Sacrorum Rituum validitate Proceſſuum confectorum ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii, necnon ſuper miraculis Novemdecim Martyrum Gorcomienſium, undecim Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Regularis Obſervantię, videlicet: Nicolai Pichi Gorcomienſis Guardiani, Hieronymi Werdani Vicarii, Theodorici Emdeni Amorfortii, Nicaſii Johannis Hezii, Willehadi Dani, Godefridi Mervellani, Antonii Werdani, Antonii Hornarienſis, Franciſci Rodii Bruxellenſis Sacerdotum, & Petri Aſcani, ac Cornelii Wicani Laicorum, & aliorum octo, nempe Johannis Sacerdotis Ordinis Prędicatorum, & Adriani Becani, ac Jacobi Lacopii Aldenardenſis amborum Ordinis Pręmonſtratenſis, & Johannis Oſterwicani Canonici Regularis Ordinis Sancti Auguſtini, ac Leonardi Vecchelii Buſcoducenſis, Nicolai Poppelii Weldani, Godefridi Dunei Gorcomienſis, & Andreę Walteri Sacerdotum, & Parochorum ſecularium, qui omnes ſimul in odium Catholicę Fidei, Primatus Romanę Eccleſię, & Auguſtiſſimi Euchariſtię Sacramenti, poſt atrociſſima, & immaniſſima tormenta Brilę in Hollandia interfecti fuerunt anno MDLXXII. Et deinde anno MDCLXVI die XXIII Martii in Congregatione generali habita coram felicis recordationis Alexandro Septimo mature diſcuſſis Martyrio, & cauſa Martyrii prędictorum novemdecim Servorum Dei; Sanctiſſimus, accedentibus omnium Conſultorum, & Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium ſuffragiis decrevit ad diſcuſſionem miraculorum deveniri. Tandem in ſimili Congregatione coram Sanctiſſimo D. Noſtro Clemente Divina Providentia Papa Decimo, ex pleriſque ſignis, prodigiis, & miraculis duo, utpote clariora, & evi-

& evidentiora argumenta finalis eorundem Martyrum perſeverantię ad relationem Eminentiſſimi Domini Cardinalis Azzolini, de unanimi omnium Conſultorum, ac Eminentiſſimorum DD. Cardinalium aſſenſu, Sanctitas Sua approbavit, videlicet: quartum Johannis Theodorii Dinchii a nativitate, & quintum Ægidii Tilmanni Diaconi inteſtinalis hernię pertinacibus, ac deformibus fracturis per plurimos annos laborantium, qui ſtatim emiſſo voto, integri, ſanique, ac ſi nunquam ſimili morbo correpti fuiſſent reperti ſunt. Quare expletis omnibus, quę injungunt noviſſima Decreta felicis recordationis Urbani Octavi, Sacra Congregatio, auditis iterum Conſultorum, & Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium ſententiis omnium ſuffragante conſenſu, declaravit conſtare de Martyrio, & cauſa Martyrii, & poſſe tuto quandocunque deveniri ad ſolemnem prędictorum Martyrum Canonizationem, juxta ritum Sanctę Romanę Eccleſię, & ſacrorum Canonum diſpoſitionem, attento quod agitur de Martyribus. Sanctiſſimus vero in tanti momenti re Dei conſilium precibus, ſacrificiis, & ſupplicationibus expetendum cenſuit. Die XXV Septembris MDCLXXIV. Quibus iteratis, atque expletis, Sanctitas Sua prędictum Decretum expediri mandavit. Hac die VI Octobris MDCLXXIV.

F. M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Brancatius.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Gorcomien.*) Aliis *Gorgomien.* quorum feſtum celebratur die *IX* Julii.

2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria authentica, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXIV*.

Anno 1674 Die 9 Octobris.

LII.

Harlemen., Canonizationis, ſeu declarationis Martyrii Novemdecim Martyrum Gorcomienſium (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

ACriter diſcuſſo dubio propoſito per Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Azzolinum, an conſtaret de duodecim miraculis deſumptis ex proceſſibus Remiſſoriali, & Compulſoriali confectis ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii, ac miraculis novendecim Martyrum Gorcomienſium, nempe Nicolai Pichi Guardiani Conventus Gorcomienſis, cum aliis decem Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantię S. Franciſci, Johannis Ordinis Prędicatorum, Adriani Becani, & Jacobi Lacopii, amborum Ordinis Pręmonſtratenſis, Johannis Oſterwicani Canonici Regularis S. Auguſtini, & quatuor Sacerdotum ſecularium, qui omnes ſimul in odium Fidei Primatus Romanę Eccleſię, & Auguſtiſſimę Euchariſtię Sacramenti, Brilę in Hollandia ſimul interempti fuerunt Anno MDLXXII: Sacrorum Rituum Congregatio, habita coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente Divina Providentia Papa Decimo die XXV Septembris MDCLXXIV declaravit conſtare de quarto, & quinto miraculo inſtantaneę ſanationis Theodori Dinchii a nativitate, & Ægidii Tilmanni Diaconi, inteſtinalis hernię pertinacibus, & deformibus fracturis per plurimos annos laborantium, qui ſtatim emiſſo voto integri, ſanique, ac ſi numquam ſimili morbo correpti fuiſſent, reperti ſunt. Ac proinde facta per eundem Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Azzolinum plena, & diſtincta relatione eorum omnium, quę in eadem cauſa geſta ſunt, deque Martyrio, cauſa Martyrii, prodigiis, & miraculis ſupradictis, Sacra eadem Congregatio cenſuit quandocunque tuto deveniri poſſe ad ſolemnem Canonizationem prędictorum novemdecim Martyrum Gorcomienſium juxta Ritum Sanctę Romanę Eccleſię, & Sacrorum Canonum diſpoſitionem, attento quod agitur de Martyribus cum miraculis mature diſcuſſis, & approbatis; Interim vero donec ad actum ſolemnis Canonizationis deveniatur, poſſe Beatos declarari cum conceſſione Miſſę, & Officii de Communi plurimorum Martyrum. Sanctiſſimus vero, rei gravitate ita expoſcente, Divinam explorare voluntatem decrevit precibus, & Sacrificiis prędicta die XXV Septembris MDCLXXIV. Quibus peractis Sanctitas Sua prefatum Decretum expediri mandavit: Et interim donec ad actum ſolemnis Canonizationis deveniatur, benigne conceſſit, ut prędicti Servi Dei Beatorum titulo, & cultu decorentur; nempe ut eorum felicis tranſitus dies in tota Hollandia ab utroque Clero, & alibi in Eccleſiis omnium Ordinum quos ſuo Martyrio illuſtrarunt, ab utriuſque ſexus Religioſis cum Officio, & Miſſa de Communi plurimorum Martyrum, juxta Rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani quotannis recolatur, & ſuper his literas in forma Brevis expediri juſſit; ita tamen, ut juxta Decretum felicis recordationis Alexandri Septimi prędictę literę prius in Baſilica Vaticana Congregationi Sacrorum Rituum exhibeantur, & executioni debitę demandentur. Hac die IX Octobris MDCLXXIV.

F. M. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Brancatius.

Loco ✝ ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Cong. Rit. Secr.

1. *Gorcomien.*) Conſulenda præcedens Conſtitutio.

2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria authentica; *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXIV*.

In-

Anno 1674 Die 19 Octobris.

LIII.

Indulgentia (1) pro feſto omnium Sanctorum Ordinis Fratrum Prædicatorum:

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. X.

Univerſis Chriſti fidelibus preſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, necnon ſupplicationibus dilecti filii noſtri Vincentii Marię Urſini (3) tit. S. Xiſti S.R.E. Presbyteri Cardinalis S. Xiſti nuncupati, qui in minoribus conſtitutus profeſſionem regularem in Ordine Prędicatorum emiſit (4), Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum, & Monialium Ordinis S. Dominici ubique locorum exiſtentibus, die nona menſis Novembris, qua ſolemnitas, ſeu commemoratio omnium dicti Ordinis Sanctorum, ex Indulto (5) Sedis Apoſtolicę celebrari ſolet, a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus ad vigintiquinque annos citra annum Jubilęi tantum valituris. Volumus autem, ut pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides ubique habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX Octobris MDCLXXIV, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

J. G. Sluſius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXIV.*
3. *Urſini.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
4. *Emiſit.*) Die *XIII* Februarii anno *MDCLXVIII.*
5. *Indulto.*) Rogatu ejuſdem Cardinalis *Urſini* ab eodem *Clemente X.*

Anno 1675 Die 6 Aprilis.

LIV.

Extenſio Officii B. Margaritæ (1) a Caſtello.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ORDINIS PRÆDICATORUM.

CUm Sacra Rituum Congregatio die XXVIII Novembris MDCIX approbaverit Officium cum tribus Lectionibus ſecundi Nocturni, & Oratione propriis B. Margaritę Civitatis Caſtellę Ordinis S. Dominici prius reviſis a Ven. Servo Dei Cardinali Bellarmino, & conceſſum pro dicta Civitate Caſtelli. Nunc vero eadem Sacra Congregatio referente Eminentiſſimo Domino Cardinali Azzolino, ad pias preces Reverendiſſimi P. Fr. Thomę de Roccaberti Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum benigne inclinata cenſuit, extenſionem prędicti Officii poſſe concedi etiam toti Religioni utriuſque ſexus Ordinis Prędicatorum, cum facultate, quod Sacerdotes tam ſeculares, quam regulares confluentes ad Eccleſias dicti Ordinis die feſto ejuſdem Miſſam de dicta Beata celebrare poſſint, & valeant cum Miſſali tamen Romano, & juxta illius rubricas, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit. Die XXX Martii MDCLXXV. Et facta de prędictis Sanctiſſimo relatione per me Secretarium, Sanctitas Sua benigne annuit die VI Aprilis MDCLXXV.

V. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Carpineus.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Margaritæ.*) Conſulenda Conſtitutio *XLVIII Pauli V.* Legitur *Tomo V hujuſce Bullarii pag. 673.*
2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXV.*

Mari-

Marinen. (1) Monaſterii fundandi facultas.

Anno 1675
Die 8 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Albanen.

LV.

C L E M E N S PP. X.

Venerabilis Frater noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

COmmiſſi Nobis divinitus Paſtoralis officii ratio exigit, ut ad ea per quę Monaſteria devoti fęminei ſexus
ad Religionis, & divini cultus incrementum, animarumque ſalutem ubique inſtitui valeant, favora-
biliter intendentes, ejuſdem officii noſtri partes propenſa deſuper benignitate interponamus, ſicut pia
Chriſti fidelium generis nobilitate fulgentium vota poſtulant, & Nos locorum, & temporum qualitati-
bus mature perpenſis, Religioni, & pietati, ac Omnipotentis Dei glorię conſentaneum fore in Domi-
no arbitramur. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus nobilis vir Laurentius Onuphrius Colum-
na (3) Domicellus Romanus, ac Regni Neapolis Comeſtabilis, quod cum ejus Terra Marini, Alba-
nen. Diœceſis, cęli amęnitate, ſoli ubertate, & populi frequentia inter alias huic Almę Urbi noſtrę vici-
nas conſpicua ſit, ipſe pie conſiderans quantum ad Chriſtiani Populi ędificationem faciant Sacrę Virgi-
nes, quę, ſpretis fallacibus illecebris, Religioſę vitę inſtitutum amplexę, ac modeſtię, humilitatis,
honeſtatis, pietatis, aliarumque ſplendidarum virtutum monilibus ornatę, accenſis regularis obſervan-
tię lampadibus, cęleſti Sponſo obviam ire ſtudent, pro peculiari ſua erga Glorioſiſſimam Virginem Dei-
param Mariam devotionem, ſpiritualique Chriſti fidelium temporali ſuę juriſdictioni ſubjectorum conſo-
latione, novum Monaſterium in dicta Terra Marini, etiam forſan cum aliarum piarum perſonarum in-
terventu pro Monialibus, ſtrictiorem Ordinis S. Dominici obſervantiam profeſſuris, ad Dei laudem, &
prędictę Virginis Glorioſiſſimę honorem ędificare cępit, jamque fabrica fere abſoluta eſt, & ad perfec-
tam clauſuram quamprimum reducetur, adſuntque novem honeſtę Virgines, quę Monialium Choralium,
& alię duę, quę Converſarum habitum in novo Monaſterio hujuſmodi ſuſcipere paratę ſunt. Ut autem
hoc pium opus ad effectum deducatur, idem Laurentius Onuphrius Comeſtabilis annua quadringenta
ſcuta monetę, quę dilectę in Chriſto filię Marię Iſabellę Columnę Sororis ſuę Moniali expreſſę Profeſſę
Monaſterii SS. Xiſti, & Dominici de Urbe dicti Ordinis pro ejus Religioſis uſibus, & neceſſitatibus de
pręſenti ſolvit, in futurum quandiu dicta Maria Iſabella vixerit, ſolverit, ac ad id ſe obligare paratus
eſt, ita tamen, ut ipſa exinde trecenta ſcuta paria dicto novo Monaſterio quotannis pręſtare teneatur,
quod eadem Maria Iſabella libenter, & ſine mora faciet, ipſeque Laurentius Onuphrius Comeſtabilis,
ejuſque hęredes, & ſucceſſores poſt obitum dictę Marię Iſabellę, eadem trecenta ſcuta annuatim novo
Monaſterio pręſtare pergent, donec, & quouſque ipſum novum Monaſterium computatis fructibus do-
tium, ſeu eleemoſynarum dotalium per prędictas undecim puellas habitum, ut pręfertur, ſuſcepturas
pręſtandarum ſimilem redditum annuum trecentorum, acquiſiviſſe reperiatur. Porro dictum novum
Monaſterium exinde pro duodecim Monialium Choralium, & duarum Converſarum, earumque Con-
feſſarii, & aliorum Miniſtrorum neceſſariorum ſuſtentatione competenter dotatum erit immo ſuperabun-
danter durante quidem vita dictę Marię Iſabellę quippe quod ultra annua trecenta ſcuta hujuſmodi etiam
fructuum dotium, ſeu eleemoſynarum dotalium percipiet prędictarum. Ac proinde dictus Laurentius
Onuphrius Comeſtabilis ad erectionem novi Monaſterii hujuſmodi deveniri plurimum deſiderat ſub his
tamen legibus, & conditionibus, videlicet, ut Monaſterium ipſum ſub titulo, ſeu invocatione Beatiſſimę
Virginis Marię de Sanctiſſimo Roſario, ac ſub inſtituto ſtrictioris obſervantię dicti Ordinis S. Domini-
ci, & ſub immediata juriſdictione, cura, viſitatione, ſuperioritate, & correctione dilecti filii moder-
ni, & pro tempore exiſtentis Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum inſtituatur, ipſiuſque
Monaſterii, & illius perſonarum Protector ſit S. R. E. Cardinalis, qui pro tempore ex familia dicti Lau-
rentii Onuphrii Columnę Comeſtabilis fuerit, illoque deficiente Cardinalis eidem familię conſanguini-
tate propinquior. Numerus Monialium ejuſdem Monaſterii ab initio ſit duodecim Choralium, &
duarum Converſarum, qui ſuccedente dotis ipſius Monaſterii augmento proportionatim quoque augeri,
non tamen unquam etiam ratione cujuſvis augmenti dotis hujuſmodi triginta tres Chorales, & ſeptem
Converſas excedere poſſit. Moniales autem in novum Monaſterium prędictum recipiendę, ibique profeſ-
ſionem regularem emiſſurę, primę quidem novem Chorales ſeptingenta, reliquę vero Chorales ſi ex prę-
dicta Terra Marini fuerint quingenta, ex aliis autem partibus exiſtentes ſexcenta, & tam primę, quam
cęterę Converſę, ſive ex dicta Terra, ſive aliunde fuerint centum duntaxat ſcuta monetę prędictę reſ-
pective pro cujuslibet earum dote, ſeu eleemoſyna dotali, eidem novo Monaſterio pręſtare teneantur.
Porro Confeſſarius earundem Monialium ex Fratribus ſtrictioris obſervantię dicti Ordinis Prędicato-
rum, & quidem ex Conventu S. Sabinę de Urbe prędicta, deficientibuſque in eodem Conventu Fratri-
bus ad id idoneis, ex aliis Conventibus ſtrictioris pariter obſervantię Provincię Lombardię ejuſdem Or-
dinis ſemper aſſumi debeat, poſſitque ſupradicta Maria Iſabella quoad vixerit in ſuum Confeſſarium ha-
bere dilectum filium Mauritium de Boſco dicti Ordinis profeſſorem in Sacra Theologia Magiſtrum, qui
ſimiliter, quoad vixerit, Superior dicti novi Monaſterii eſſe, & pro hac prima vice in Confeſſarium dic-
tarum Monialium ad triennium deputari debeat. Cęterum ad effectum inſtituendi Moniales prędictas in
diſciplina, & moribus regularibus dicta Maria Iſabella ex ſuo Monaſterio ſupradicto, & alię duę Mo-
niales expreſſę ex Monaſteriis S. Marię Magdalenę in Monte Quirinali, & S. Marię de humilitate nun-
cupatis de eadem Urbe, ſeu ex earum alterutro pro arbitrio dicti Magiſtri Generalis extrahi, & ad

novum Monaſterium prędictum transferri poſſint, quibus liceat ſubinde, poſtquam regularis obſervantia in novo Monaſterio hujuſmodi ſtabilita fuerit, ad ſua reſpective Monaſteria reverti, ipſarum autem Monialium ſic transferendarum profeſſione antiquior pro prima vice in Prioriſſa ejuſdem novi Monaſterii ad biennium conſtituatur. Quare dictus Laurentius Onuphrius Comeſtabilis Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in prę miſſis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piis ejuſdem Laurentii Onuphrii Comeſtabilis votis in prę miſſis, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jurę, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum prę ſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per prę ſentes committimus, & mandamus, ut conſtito tibi de narratis unum novum Monaſterium Monialium Ordinis S. Dominici ſub titulo, ſeu invocatione Sanctiſſimę Virginis Marię de Roſario hujuſmodi in prędicta Terra Marini, ſi tamen, & poſtquam ipſius novi Monaſterii, ejuſque Eccleſię, clauſtri, dormitorii, cellarum, aliorumque neceſſariorum membrorum, & officinarum fabrica perfecta, omnibuſque ſuis numeris abſoluta, ac idem novum Monaſterium debita clauſura undique munitum, illudque, & Eccleſia hujuſmodi ſacra, & profana ſupellectili, aliiſque omnibus neceſſariis ſufficienter inſtructa, & redditus annui certi ſaltem trecentorum ſcutorum dictę monetę ipſi Monaſterio realiter, & cum effectu aſſignati fuerint, cum Eccleſia, campanili, campanis, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque membris, & officinis neceſſariis, pro una Prioriſſa, quę prima quidem vice ſit Monialis profeſſione antiquior transferenda, ut prę fertur, ſubinde vero a Monialibus ipſius novi Monaſterii juxta Conſtitutiones Ordinis prę fati canonice eligi debeat, & Monialibus, tam Choralibus, quam Converſis, quę pro prę ſenti tempore, ſive primo ingreſſu, ſeu ſtabilimento ſaltem ſint duodecim, nec numerum triginta trium Choralium, & ſeptem Converſarum hujuſmodi unquam excedere poſſint, ipſęque Moniales habitum per Moniales dicti Ordinis geſtari ſolitum ſuſcipere, peractoque noviciatu profeſſionem per eaſdem emitti conſuetam in manibus Prioriſſę ipſius novi Monaſterii pro tempore exiſtentis expreſſe emittere regularem, necnon perfectam vitę communis rationem, perpetuamque clauſuram, ac Regulam S. Auguſtini ſine ulla diſpenſatione, & ſtrictiorem obſervantiam conſtitutionum dicti Ordinis, ritus quoque, mores, conſuetudines, & inſtituta regularia ejuſdem Ordinis ſervare, diviniſque officiis, laudibus, & obſequiis incumbere, & aſſiſtere, aliiſque pietatis, & devotionis operibus, quibus Moniales Ordinis hujuſmodi juxta laudabile earum inſtitutum, ſtrictioremque illius obſervantiam, incumbere ſolent, pariformiter operam dare, necnon prę ſentis, & pro tempore exiſtentis Magiſtri Generalis dicti Ordinis juriſdictioni, curę, gubernio, ſuperioritati, correctioni, & viſitationi immediate ſubjacere, & ſic ſubjectę, Deo ſervire debeant, & teneantur, ac cum omnibus, & ſingulis legibus, & conditionibus ſupradictis, auctoritate noſtra Apoſtolica perpetuo, ſine cujuſquam tamen prę judicio, erigas, & inſtituas, ipſique novo Monaſterio ſic erecto, & inſtituto, pro illius dote, ac illius Prioriſſę, & Monialium, Confeſſoris, aliorumque Miniſtrorum neceſſariorum ſuſtentatione, onerumque illis incumbentium ſupportatione, prędictos redditus, ſaltem trecentorum ſcutorum monetę, necnon omnia, & ſimul alia, per quaſvis perſonas in perpetuum, vel ad tempus ſimul, vel ſucceſſive pro augmento dotis Monaſterii hujuſmodi, & alias quomodolibet, & quandocunque tam inter vivos, quam cauſa mortis, ſeu in ultima voluntate elargienda, donanda, relinquenda, eroganda, & aſſignanda bona, ſeu proprietates, cenſus, redditus, proventus, dotes, ſeu eleemoſynas dotales, pecuniarum ſummas, res, & jura quęcunque etiam ex nunc prout ex tunc poſtquam elargita, donata, relicta, erogata, & aſſignata fuerint, itaut liceat Prioriſſę, & Monialibus prędictis, illorum omnium, & ſingulorum realem, corporalem, & actualem poſſeſſionem, ſeu quaſi poſſeſſionem, per ſe, vel alium, ſeu alios, ſuo, & dicti Monaſterii nominibus propria auctoritate apprehendere, apprehenſam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, proventus, & emolumenta ex his proventura quęcunque, & eleemoſynas eis, & Monaſterio hujuſmodi largitas recipere, adminiſtrare, locare, arrendare, & recuperare, ac in ſuos communes, & dicti Monaſterii uſus, neceſſitates, & utilitatem convertere, Diœceſani loci, vel dicti Magiſtri Generalis, ſeu cujuſvis alterius licentia deſuper minime requiſita, itidem perpetuo eadem auctoritate concedas, applices, appropries, & aſſignes. Prętcrea eidem novo Monaſterio, illiuſque Prioriſſę, Monialibus, & perſonis, in & pro tempore degentibus, ac Chriſti fidelibus Eccleſiam Monaſterii hujuſmodi pro tempore viſitantibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prę rogativis, prę eminentiis, conceſſionibus, indulgentiis, indultis, favoribus, aliiſque gratiis univerſis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, aliiſque Miniſtris Monialium dicti Ordinis, illorumque Prioriſſis, Monialibus, & perſonis, ac Chriſti fidelibus illorum Eccleſiam viſitantibus, in genere, vel in ſpecie, etiam per viam ſimplicis communicationis, ſeu alias quomodolibet conceſſis, dummodo tamen ſint in uſu, nec hactenus revocata, ac Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, maximeque Concilii Tridentini decretis, regularibus Ordinis prę fati inſtitutis non adverſentur, ac in poſterum concedendis, & quibus illa, vel illę tam de jure, uſu, conſuetudine, vel privilegio, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt quovis modo in futurum, non ſolum ad eorum inſtar, ſed etiam ęque principaliter, pariformiter, & abſque ulla prorſus differentia in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi illa omnia novo Monaſterio, illiuſque Prioriſſę, Monialibus, & perſonis prędictis ſpecialiter, & expreſſe, ac nominatim conceſſa fuiſſent, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant dicta auctoritate concedas, & indulgeas. Ad hęc Prioriſſę, & Monialibus, ac Conventus dicti novi Monaſterii quęcunque ſtatuta, ordinationes, inſtitutiones, capitula, & decreta ad ipſius Monaſterii, ejuſque perſonarum, rerum, bonorum, & jurium, perpetuam directionem, gubernium, & adminiſtrationem, ac Monialium prędictarum receptionem, probationem, admiſſionem,

ętatem, conditionem, uſum, & regularem diſciplinam quomodolibet ſpectantia, & pertinentia, alias tamen honeſta, & rationabilia, ſacriſque Canonibus, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, dictique Concilii Tridentini decretis, necnon Regulę, & Conſtitutionibus Ordinis prędicti minime contraria, & a prędicto moderno, ſeu pro tempore exiſtente Magiſtro Generali examinanda, & approbanda faciendi, & concedendi, conditaque, quoties pro rerum, & temporum qualitate expediens videbitur, pręvia ſimili dicti Magiſtri Generalis approbatione corrigendi, & moderandi, ac, quatenus opus fuerit, abrogandi, aliaque etiam ex integro condendi facultatem, auctoritate prędicta compartiaris. Ac demum memorato Magiſtro Generali pro dicti novi Monaſterii poſtquam, ut prefertur, erectum, & clauſura munitum, ac inſtructum fuerit, illiuſque Monialium directione, ac in vita, diſciplina, & moribus regularibus inſtructione ſupradictam Mariam Iſabellam, & alias duas Moniales expreſſe profeſſas ad id voluntarias, e ſuis reſpective Monaſteriis ſupradictis de ſuarum Superiorisſarum conſenſu, aliquot honeſtis Matronis, arbitrio ſuo eligendis, & quatenus fieri poſſit proximioribus ipſarum Monialium conſanguineis concomitantibus ad novum Monaſterium prędictum rheda clauſa, ſeu oris earundem Monialium parte velata, & recta via abſque ullo diverticulo transferendi, itaut ecdem Moniales poſtquam regularis obſervantia in eodem novo Monaſterio ſtabilita fuerit ad ſua reſpective Monaſteria eodem modo reverti valeant, licentiam, & facultatem dicta auctoritate concedas. Nos enim tibi pręmiſſa omnia, & ſingula, aliaque deſuper neceſſaria, & opportuna faciendi, & exequendi, ac executioni mandari curandi, quamcunque neceſſariam, & opportunam facultatem, eadem auctoritate, tenore pręſentium, tribuimus, & impertimur. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, reſtrictionibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices, ac Sedem Apoſtolicam ſub quibuſcunque verborum formulis, & expreſſionibus, etiam motu proprio, pro tempore faciendis minime comprehendi, vel comprehenſas cenſeri, ſed tanquam pro fundatione Monaſterii erigendi, ad religionis, divinique cultus, & bonorum, piorumque operum augmentum conceſſas ſemper ab illis eximi, & quoties illę emanabunt toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam ſub quacunque poſteriore data per Priorisſam, & Moniales dicti novi Monaſterii erigendi quandocunque eligenda, conceſſas intelligi, firmaſque, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. prędictę Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę Regula de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Monaſteriorum, ac, quatenus opus ſit, Provincię, & Ordinis prędictorum, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam eiſdem Ordini, & Provincię, illarumque Superioribus, Conventibus, Monaſteriis, & perſonis ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ſeu alias quomodolibet in contrarium premiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & infererentur pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VIII Maii MDCLXXV, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Marinen.*) In *Latio*.
2. *Archivo*.) In quo exemplar ex autographo *Marinen*.
3. *Columna*.) Floret etiam nunc nobiliſſima gens.

Anno 1675 Die 18 Maii. LVI.

Romana, Monialium Sanctæ Catherinæ Senenſis de Urbe.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Remiſſis a Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente Papa Decimo ad Sacram Rituum Congregationem precibus ſibi porrectis a Monialibus Sanctę Catherinę Senenſis de Urbe quibus ſupplicabatur quatenus Sanctitas Sua dignaretur eiſdem concedere facultatem celebrandi feſtum Conſecrationis earundem Eccleſię die immediate poſt Dominicam primam Menſis Maji. Et ſacra eadem Congregatio certiorata quod in conſecratione dictę Eccleſię non fuit aſſignata dies certa, cenſuit aſſignari poſſe prędictam diem prout aſſignavit ad formam petitionis. Hac die XVIII Maii MDCLXXV.

V. Epiſcopus Portuenſis Cardinalis Carpineus.

Loco † Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Archivo*.) In quo exemplar.

Anno 1675 Die 31 Auguſti.

LVII.

De Feſto B. Margaritæ (1) a Caſtello ritu ſolemni celebrando.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

ORDINIS PRÆDICATORUM.

CUm Sanctiſſimus D. N. Clemens Papa X, ad pias preces Reverendiſſimi P. Fr. Jo: Thomę de Roccaberti Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum die VI Aprilis MDCLXXV de conſilio Eminentiſſimorum DD. Cardinalium Sac. Rituum Congregationi Prępoſitorum habitę die XXX Martii ejuſdem anni conceſſerit, ut in toto prædicto Ordine utriuſque ſexus celebrari poſſit quotannis die XIII Aprilis feſtum B. Margaritę Virginis Civitatis Caſtelli, Monialis Ordinis prędicti cum Officio, & Miſſa, & tribus lectionibus pro Secundo Nocturno, & Oratione propriis dictę Beatę, alias ſub die XXVIII Novembris MDCIX approbatis, & conceſſis pro dicta Civitate Caſtelli; Et quoad Miſſam etiam Sacerdotibus confluentibus ad Eccleſias dicti Ordinis, cum miſſali tamen Romano, & juxta illius rubricas. Nunc vero eadem Sanctitas Sua, ſupplicante eodem Magiſtro Generali indulſit, ut de dicta Beata in hoc primo anno celebrari poſſit in qualibet Eccleſia prędictę Religionis utriuſque ſexus feſtum particulare cum ſpeciali ſolemnitate intra ſex menſes die aſſignanda a Superioribus localibus, attento quod in pręſenti anno feſtum illius fuit impeditum die Sabbati ſancti. Hac die XXXI Auguſti MDCLXXV.

V. Epiſcopus Portuenſis Card. Carpineus.

Loco ✝ ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Sec.

1. *Margarita.*) Conſulenda Conſtitutio *XLVII Pauli V.* Legitur *Tomo V hujuſce Bullarii pag.* 672.

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXXV.*

Anno 1675 Die 19 Octobris.

LVIII.

De fundando Avezzano (1) Monaſterio.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLEMENS PP. X.

Venerabilis Frater (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAcroſancti Apoſtolatus Officium, quo Eccleſię Catholicę regimini divina diſpoſitione pręſidemus, ſalubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter ſatagentes, ad ea, per quę Monaſteria devoti fœminei ſexus ad religionis, & divini cultus incrementum, animarumque ſalutem ubicunque locorum erigi, & inſtitui valeant propenſis ſtudiis intendimus, & deſuper muneris paſtoralis noſtri partes favorabiliter interponimus, piaque Chriſti fidelium, pręſertim generis nobilitate fulgentium, vota in id ipſum tendentia libenter exaudimus, ſicut omnibus maturę conſiderationis trutina perpenſis ad gloriam omnipotentis Dei, ad Eccleſię pręfatę decus, piorumque operum augmentum expedire in Domino arbitramur. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius, nobilis Vir Laurentius Onuphrius Columna (4), Domicellus Romanus, ac Regni Neapolis Comeſtabilis, quod, cum in Terra de Avezzano Marſicanę Diœceſis, quę temporali ejus dominio ſubeſt, novum Monaſterium Monialium ſub titulo, ſeu invocatione Sanctę Catherinę Virginis, & Martyris, ex pia diſpoſitione, quondam Alexandri Felli, dum vixit, dictę Terrę civis, ſeu incolę, qui pro dote Monaſterii hujuſmodi multa ſua bona, ex quibus octoginta ſeptem ducati monetę illarum partium annuatim de pręſenti percipiuntur, reliquit, fundatum, ſive ędificatum reperiatur, & in dicta diœceſi, licet quinquaginta, & amplius Terris numeroſa, duo tantum Monaſteria exiſtant, ac proinde honeſtis virginibus, quę ſpretis fallacis mundi hujus illecebris, religioſę vitę inſtitutum amplecti, & ſervare, accenſiſque virtutum lampadibus, cęleſti Sponſo obviam ire cupiunt, de regularibus locis, in quibus pium hoc propoſitum exequi valeant, ſufficienter proviſum non ſit, ipſe Laurentius Onuphrius Comeſtabilis, non ſolum cooperatus eſt, ut opus adeo pium, ac Dei ſervitio proficuum, ejuſque ſubditis utile ad debitum finem reduceretur, ſed etiam nonnulla ſua bona ſtabilia reditus annui quinquaginta ſeptem ducatorum ſimilium eidem novo Monaſterio donavit, & appropriavit, & nonnulli Chriſti fideles Terrę pręfatę alia bona ſtabilia reditus annui quinquaginta ducatorum parium illi pariter donarunt, & aſſignarunt, quibus adjungitur applicatio, illi auctoritate Apoſtolica conceſſa, annuorum triginta ducatorum dictę monetę, qui ex reditibus bonorum cujuſdam parvi Conventus S. Antonii delle Fratte nuncupati in vim Conſtitutionis felicis recordationis Innocentii PP. X, prędeceſſoris noſtri, dicta auctoritate ſuppreſſi, proveniunt, ac inſuper ſumma mille, & ducentorum ducatorum ſimilium ex fructibus decurſis dictorum bonorum aſſignatorum coacta reperitur, in emptionem tot aliorum bonorum ſtabilium, ad favorem dicti novi Monaſterii convertenda, ex quibus alii nonaginta ſex ducati ſimiles quotannis percipientur, atque ita de reditibus annuis trecentorum viginti ducatorum parium in totum eidem novo Monaſterio proviſum eſt, adjunctiſque pręterea dotibus, ſeu eleemoſynis dotalibus per puellas illud ingreſſuras, ſicut infra exprimetur, pręſtandis, Monaſterium ipſum, quod jam ad perfectam clauſuram cum ędificiis, & officinis neceſſariis redactum eſt, congruenter dotatum reperietur. Ac proinde idem Laurentius Onuphrius Comeſtabilis ad erectionem novi Monaſterii hujuſ-

hujuſmodi ſub titulo, ſeu invocatione Sanctę Catherinę Virginis, & Martyris pro duodecim Monialibus Choralibus, & quatuor Converſis Ordinis Sancti Dominici, quę ſuperioritati, & juriſdictioni dilecti filii moderni, & pro tempore exiſtentis Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum ſubjacere debeant, deveniri plurimum deſiderat, ſub his tamen legibus, & conditionibus, videlicet, ut pro ſecuriori regularis obſervantię, & monaſticę diſciplinę in dictum novum Monaſterium introductione, licentia concedatur dilectę in Chriſto filię Marię Hieronymę Columnę, Moniali expreſſe profeſſę Monaſterii Sanctorum Sixti, & Dominici in Monte Quirinali de Urbe, dictique Laurentii Onuphrii Comeſtabilis ſorori, ſe ad novum Monaſterium pręfatum transferendi una cum quatuor aliis Monialibus expreſſe profeſſis ejuſdem Monaſterii Sanctorum Sixti, & Dominici per memoratum Magiſtrum Generalem approbandis, quę in eodem novo Monaſterio, commorari, illius fundationem perficere, & Moniales in eo profeſſuras ſufficienter inſtruere, & ad illud portare, & in communi ponere debeant res, mobilia, livellos decurſos, & pro tempore decurſuros, & depoſita pecuniarum, de quibus diſponere eis permittitur, cum facultate illa impendendi, & convertendi in beneficium dicti novi Monaſterii, cum conſenſu tamen, & beneplacito Prioriſſę pro tempore exiſtentis, ita ut ſubinde poſſint earum arbitrio remanere in dicto novo Monaſterio, vel reverti ad illud Monaſterium, unde egreſſę fuerint, quo caſu in illud abſque ulla contradictione, ac in eodem gradu, loco, antianitate, & prerogativis, quibus prius fruebantur, recipi debeant: Utque earum Confeſſarius a pręfato Magiſtro Generali deputandus ex rigoroſa obſervantia dicti Ordinis aſſumatur, & quoad dictam Mariam Hieronymam, poſſit ipſa, quoad vixerit, pro ſuo Confeſſario habere dilectum etiam filium Petrum Vincentium Tonelli pręfati Ordinis profeſſorem, qui cum vitę exemplaris, & ad novas Moniales inſtruendas, eaſque in exacta vitę regularis obſervantia dirigendas, & ſtabiliendas eximie aptus ſit debeat eſſe, & quoad vixerit, exiſtat Superior perpetuus dicti novi Monaſterii, & pro hac prima vice Confeſſarius triennalis illius Monialium. Eveniente autem morte, vel renunciatione ejuſdem Petri Vincentii, ille, qui in Confeſſarium pro tempore a dicto Magiſtro Generali deputabitur, etiam munus Superioris ejuſdem novi Monaſterii exercere debeat; Ipſeque Petrus Vincentius apud ſe habeat ſocium converſum ſui Ordinis ſibi ab eodem Magiſtro Generali aſſignandum, qui, quandiu vivet, & in dicto loco remanebit, etiam ſocius Confeſſarii pro tempore exiſtentis eſſe debeat. Porro pro feliciori, & ſecuriori gubernio dicti novi Monaſterii Prioriſſa, & Moniales illius immediate ſubjaceant juriſdictioni, Superioritati, curę, viſitationi, & correctioni Magiſtri Generalis dicti Ordinis pro tempore exiſtentis, illiuſque novi Monaſterii Protector ſit S.R.E. Cardinalis, qui de familia dicti Laurentii Onuphrii Comeſtabilis pro tempore fuerit, & eo deficiente loco illius Cardinalis eidem Comeſtabili conſanguinitate propinquior. In ingreſſu autem ejuſdem novi Monaſterii Moniales Chorales quidem pro earum dote, ſeu eleemoſyna dotali, ſi ex pręfata Terra de Avezzano originarię fuerint, trecentos, exterę vero quadringentos, Converſę autem tam originarię, quam exterę centum tantum ducatos monetę ſupradictę ſolvant; poſſint tamen Prioriſſa, & Moniales pro earum arbitrio ex aliqua juſta cauſa, & urgente motivo eandem dotem, ſive eleemoſynam dotalem tam ab exteris, quam ab originariis, exigere: Et contemplatione bonorum ſtabilium novo Monaſterio hujuſmodi a memorato Laurentio Onuphrio Comeſtabili, ſicut premittitur, cum hac tamen conditione donatorum, tam idem Laurentius Onuphrius Comeſtabilis, quam ejus ſucceſſores primogeniti, & illis deficientibus, ſecundogenitus, ſeu ille, qui primam perſonam in Domo de Columna reprękentabit, in infinitum habeat, & habeant ſemper, & in perpetuum jus nominandi, & collocandi in dicto novo Monaſterio unam Monialem Choralem, quę, ſi neceſſariis requiſitis ad hoc, ut ad ſtatum religioſum approbetur, prędita fuerit, in idem novum Monaſterium, abſque ullius dotis, ſeu eleemoſynę dotalis pręſtatione recipi, & admitti debeat. Quare pręfatus Laurentius Onuphrius Comeſtabilis Nobis nuper ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos piis igitur ejuſdem Laurentii Onuphrii Comeſtabilis votis in pręmiſſis, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint vocandi, & conſtito tibi legitime de narratis, factoque prius inveſtimento dictorum ducatorum mille ducentorum in bonis ſtabilibus fructiferis, & ab omni canone, hypotheca, caducitate, devolutione, & fideicommiſſo liberis, unum novum Monaſterium Monialium Ordinis Sancti Dominici ſub titulo, ſeu invocatione Sanctę Catherinę Virginis, & Martyris in pręfata Terra de Avezzano, ſi tamen, & poſtquam ipſius novi Monaſterii, ejuſque Eccleſię, clauſtri, dormitorii, cellarum, aliorumque neceſſariorum membrorum, & officinarum fabrica perfecta, omnibuſque ſuis numeris abſoluta, ac idem novum Monaſterium debita clauſura undique munitum, illudque, & Eccleſia hujuſmodi ſacra, & profana ſupellectili, aliiſque omnibus neceſſariis ſufficienter inſtructa, & reditus annui certi, ſaltem trecentorum viginti ducatorum dictę monetę ipſi Monaſterio realiter, & cum effectu aſſignati fuerint cum Eccleſia, campanili, campanis, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque membris, & officinis neceſſariis pro una Prioriſſa, quę prima quidem vice, & pro primo biennio ſit Monialis profeſſione antiquior ex pręfato Monaſterio Sancti Sixti, & Dominici, ut pręfertur, transferenda, ſubinde vero a Monialibus ipſius novi Monaſterii juxta Conſtitutiones Ordinis pręfati canonice eligi debeat, ac Monialibus duodecim Choralibus, & quatuor converſis, qui numerus pro modo incrementi dotium, ſeu eleemoſynarum dotalium proportionatim augeri poſſit, ita tamen, ut numerus triginta trium Choralium, & novem Converſarum nunquam excedatur, quę Moniales habitum per Moniales dicti Ordinis geſtari ſolitum ſuſcipere, peractoque noviciatu profeſſionem per eaſdem emitti conſuetam in manibus Prioriſſę ipſius novi Monaſterii pro tempore exiſtentis expreſſe emittere regu-

regulares, necnon perfectam vitę communis rationem, perpetuamque clauſuram, ac in omnibus, & per omnia Regulam Sancti Auguſtini, & Conſtitutiones dicti Ordinis Sancti Dominici, ritus quoque, mores, conſuetudines, & regularia inſtituta ejuſdem Ordinis ſervare, diviniſque officiis, laudibus, & obſequiis incumbere, & aſſiſtere, aliiſque pietatis, & devotionis operibus, quibus Moniales Ordinis hujuſmodi juxta laudabile earum inſtitutum incumbere ſolent, pariformiter operam dare, necnon pręfati, moderni, & pro tempore exiſtentis Magiſtri Generalis dicti Ordinis juriſdictioni, curę, gubernio, ſuperioritati, viſitationi, & correctioni immediate ſubjacere, & ſic ſubjectę Deo ſervire debeant, & teneantur, ac cum omnibus, & ſingulis legibus, & conditionibus ſupraſcriptis, ſalva tamen auctoritate, ac juriſdictione, quę competit Epiſcopo Dięceſano in Monaſteriis Monialium Regularibus ſubjectarum vigore Apoſtolicarum Conſtitutionum, & pręcipue recolendę memorię Gregorii PP. XV Prędeceſſoris pariter noſtri, quę incipit: Inſcrutabili Dei providentia, auctoritate noſtra Apoſtolica perpetuo ſine cujuſquam tamen prędjudicio erigas, & inſtituas, ipſique novo Monaſterio ſic erecto, & inſtituto, cujus onera per pręfatam Mariam Hieronymam pro tempore, quo in illo commorabitur, ex annuis quadringentis ſcutis monetę, quę dictus Laurentius Onuphrius Comeſtabilis ei pro ſuis religioſis uſibus, & neceſſitatibus pręſtat, ſeu eorum parte ſublevatum iri ſperari poteſt, pro illius dote, ac ejus Prioriſſę, & Monialium Confeſſarii, aliorumque miniſtrorum neceſſariorum ſuſtentatione, onerumque illis incumbentium ſupportatione ſupradicta bona ſtabilia reditus annui trecentorum viginti ducatorum hujuſmodi, aliaque omnia, & ſingula per quaſcunque perſonas in perpetuum, vel ad tempus ſimul, vel ſucceſſive pro augmento dotis Monaſterii hujuſmodi, & alias quomodolibet, & quandocunque tam inter vivos, quam cauſa mortis, ſeu in ultima voluntate elargienda, donanda, relinquenda, eroganda, & aſſignanda bona, proprietates, cenſus, reditus, proventus, dotes, ſeu eleemoſynas dotales, pecuniarum ſummas, res, & jura quęcunque, etiam ex nunc, prout ex tunc, poſtquam elargita, donata, relicta, erogata, & aſſignata fuerint, itaut liceat Prioriſſę, & Monialibus prędictis, illorum omnium, & ſingulorum, veram, realem, corporalem, & actualem poſſeſſionem, ſeu quaſi poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios, ſuo & dicti Monaſterii nominibus propria auctoritate apprehendere, & apprehenſam perpetuo retinere, fructus quoque, reditus, proventus, & emolumenta ex iis proventura quęcunque, ac eleemoſynas eis, & eidem Monaſterio pro tempore elargitas, recipere, adminiſtrare, locare, arrendare, & recuperare, ac in ſuos communes, & dicti Monaſterii uſus, neceſſitates, & utilitatem convertere, Dięceſani loci, vel dicti Magiſtri Generalis, ſeu cujuſvis alterius licentia deſuper minime requiſita, itidem perpetuo eadem auctoritate concedas, applices, appropries, & aſſignes. Pręterea eidem novo Monaſterio, illiuſque Prioriſſę, Monialibus, tam Choralibus, quam Converſis, & perſonis in eo pro tempore degentibus, ac Chriſti fidelibus Eccleſiam ipſius novi Monaſterii pro tempore viſitantibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, pręrogativis, pręeminentiis, conceſſionibus, indulgentiis, indultis, favoribus, aliiſque gratiis univerſis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus aliis Monaſteriis Monialium dicti Ordinis, illorumque Prioriſſis, Monialibus Choralibus, & Converſis, & perſonis, ac Chriſti fidelibus illorum Eccleſias viſitantibus in genere, vel in ſpecie, etiam per viam ſimplicis communicationis, ſeu alias quomodolibet conceſſis, dummodo ſint in uſu, nec hactenus revocata, ac ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, maximeque Concilii Tridentini decretis, regularibuſque Ordinis pręfati inſtitutis non adverſentur, ac in poſterum concedendis, & quibus illa, vel illę tam de jure, uſu, conſuetudine, vel privilegio, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt quovis modo in futurum, non ſolum ad eorum inſtar, ſed etiam ęque principaliter, & pariformiter, & abſque ulla prorſus differentia, in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi illa omnia, & ſingula novo Monaſterio, illiuſque Prioriſſę, Monialibus, & perſonis pręfatis ſpecialiter, & expreſſe, ac nominatim conceſſa fuiſſent, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant, dicta auctoritate concedas, & indulgeas. Ad hęc Prioriſſę, & Monialibus, ac Conventui dicti novi Monaſterii quęcunque ſtatuta, ordinationes, inſtitutiones, capitula, & decreta ad ipſius novi Monaſterii, ejuſque perſonarum, rerum, bonorum, & jurium perpetuam directionem, gubernium, & adminiſtrationem, ac Monialium pręfatarum receptionem, probationem, admiſſionem, ętatem, conditionem, uſus, & regularem diſciplinam quomodolibet ſpectantia, & pertinentia, alias tamen honeſta, & rationabilia, ſacriſque Canonibus, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, dictique Concilii Tridentini decretis, necnon Regulę, & Conſtitutionibus Ordinis pręfati minime contraria, & a pręfato, ſeu pro tempore exiſtente Magiſtro Generali examinanda, & approbanda, faciendi, & condendi, conditaque quoties pro rerum, & temporum qualitate expediens videbitur, pręvia ſimili dicti Magiſtri Generalis approbatione corrigendi, & moderandi, ac quatenus opus fuerit, abrogandi, aliaque etiam ex integro condendi facultatem, auctoritate pręfata impertiaris. Ac demum memorato Magiſtro Generali pro dicti novi Monaſterii, poſtquam, ut pręfertur, erectum, & clauſura munitum, ac inſtructum fuerit, illiuſque Monialium directione, ac in vita, diſciplina, & moribus regularibus inſtructione ſupradictam Mariam Hieronymam, & alias quatuor Moniales ad id voluntarias e ſupradicto Monaſterio Sanctorum Xiſti, & Dominici de Urbe de earum Superioriſſę conſenſu aliquot honeſtis matronis arbitrio ſuo eligendis, & quatenus fieri poſſit, proximioribus ipſarum Monialium conſanguineis concomitantibus ad Monaſterium pręfatum rheda clauſa, ſeu oris earundem Monialium parte velata, ac recta via abſque ullo diverticulo, & citra hoſpitationem in quocunque loco, niſi in caſu neceſſitatis, & tunc apud perſonas honeſtas ab eodem Magiſtro Generali deſignandas, transferendi, & ſubinde pro earum arbitrio reſpective ſicut ſupra expreſſum eſt ad pręfatum earum Monaſterium eodem modo, ac cum iiſdem cautionibus reducendi licentiam, & facultatem dicta auctoritate concedas. Nos enim tibi pręmiſſa omnia, & ſingula, aliaque deſuper neceſſaria, & opportuna faciendi, mandandi, & exequendi, ac executioni mandari, curandi quamcunque neceſſariam, & opportunam facultatem, eadem auctoritate, tenore pręſentium, tribuimus, &

imper-

impertimur. Decernentes eaſdem prę ſentes literas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, reſtrictionibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices, ac Sedem Apoſtolicam ſub quibuſcunque verborum formis, & expreſſionibus, etiam motu proprio pro tempore faciendis minime comprehendi, vel comprehenſas cenſeri, ſed tanquam pro fundatione Monaſterii erigendi, ad Religionis, divinique cultus, & bonorum, piorumque operum augmentum conceſſas, ſemper ab illis excipi, & quoties illę emanaaunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam ſub quacunque poſteriore data per Prioriſſam, & Moniales dicti novi Monaſterii erigendi quandocunque eligenda conceſſas, intelligi, firmaſque validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. pręfatę Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę regula de non concedendis indulgentiis ad inſtar, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Monaſterii, & Ordinis pręfatorum, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam eidem Ordini, illiuſque Superioribus, Conventibus, Monaſteriis, & perſonis ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ſeu alias quomodolibet in contrarium conceſſis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX Octobris MDCLXXV, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

J. G. Sluſius.

1. *Aveſſano.*) In Regno *Neapolitano*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.
3. *Venerabilis Frater.*) Inſcriptio deeſt. Epiſcopo tamen *Marſorum* ſcriptum crediderim ex his, quæ leguntur ad calcem ejuſdem Diplomatis. *Die X Menſis Aprilis MDCLXXVI Piſcinæ, & coram Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Didaco Petra Marſorum Epiſcopo, & Delegato Apoſtolico retroſcriptum Breve SS. D. N. D. Clementis D. P. Papæ X exhibitum, & præſentatum fuit per D. Franciſcum Marchetelli, Agentem, & Ærarium Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Domini Principis Laurentii Onuphrii Columna Ducis Tallacotii &c. & Magni Comeſtabilis Regni Neapolis principalis. Et per eundem Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum, & Delegatum Apoſtolicum ſupraſcriptum Breve Apoſtolicum ea, qua decet, reverentia, & humilitate fuit receptum, & poſitum ſupra caput, & perlectum, mihique Notario, & Cancellario dimiſſum, offerens ſe promptum, & paratum ad totalem executionem prædicti Brevis devenire, ac omnia in eodem Brevi contenta, & expreſſa debita executioni demandare, eiſdemque literis Apoſtolicis omni punctualitate parere, prout de jure, & omni meliori modo. Didacus Petra Marſorum Epiſcopus, & Delegatus Apoſtolicus. Jo. Antonius Delucis, Notarius, & Cancellarius.*
4. *Columna.*) Genus eſt antiqua nobilitate clariſſima.

Anno 1675 Die 14 Novembris.

Breve ſolemnis Beatificationis BB. Martyrum Gorcomienſium (1) Johannis (2) Ord. Prædicatorum, undecim ex Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia, & aliorum ſeptem, qui in odium Orthodoxæ Fidei IX Julii MDLXXII ſimul Brilæ perempti ſunt.

Ex Archivo (3) Ordinis.

LIX.

CLEMENS PP. X.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Sanctorum Martyrum, quos a caritate Chriſti, non tribulatio, non anguſtia, non fames, non nuditas, non periculum, non perſecutio non gladius ſeparavit, ſed Fidei, dilectioniſque vigor inter cruciatuum certamina, Agonotheta Chriſto adjuvante, victores pręſtitit, & conſummato paſſionis curſu, ad cęleſtis coronę gloriam evexit, agones, & triumphos in Sancta Dei Eccleſia celebrari, ac condignis laudum pręconiis, atque venerationis honoribus decorari decet, ut qui ſanguinis ſui pretio immortalitatem emerunt, illuſtriaque invictę virtutis ſuę exempla reliquerunt, de noſtra ſint ſolliciti, qui de ſua ſunt ſalute ſecuri; & pia, potentique apud Imperatorem noſtrum, qui in fortiſſimorum pugilum ſuorum honoribus honoratur, & cui ipſi in ſtolis candidis die, ac nocte ſerviunt in Templo ejus, interceſſione imbecillitati noſtrę inter ſęculi tentationes laboranti cęleſtis gratię munera impetrent, quibus, & nos rectum vitę curſum tenere, & propoſitum nobis ęternę beatitudinis bravium conſequi mereamur. In hanc nos curam ex debito Paſtoralis officii, quod infirmitati noſtrę credidit divina dignatio, propenſis ſtudiis incumbentes, flagitantia id ipſum Chriſti fidelium vota ad exauditionis gratiam libenter admittimus, ſicut ad glo-

ad glorlam Omnipotentis Dei, ad exaltationem Catholicę Fidei, ſpiritualemque fidelium conſolationem, atque ędificationem ſalubriter in Domino expedire arbitramur. Cum itaque mature, diligenterque diſcuſſi, & perpenſi fuerint per Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus prępoſitorum proceſſus de hujus Sanctę Sedis Apoſtolicę licentia confecti ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii novendecim Dei Servorum Gorcomienſium nuncupatorum, undecim quidem Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, videlicet Nicolai Pichi Gorcomienſis Guardiani, Hieronymi Werdani Vicarii, Theodorici Emdeni Amersfortii, Nicaſii Johannis Hezii, Willehadi Dani, Godefridi Meruellani, Antonii Werdani, Antonii Hornarienſis, Franciſci Rodii Bruxellenſis Sacerdotum, & Petri Aſcani, ac Cornelii Wicani Laicorum, & aliorum octo, nempe Johannis Sacerdotis Ordinis Prędicatorum, & Adriani Becani, ac Jacobi Lacopii Aldenardenſis amborum Ordinis Premonſtratenſis, & Johannis Oſterwicani Canonici Regularis Ordinis S. Auguſtini, ac Leonardi Vecchelii Buſcoducenſis, Nicolai Poppelii Weldani, Godefridi Dunei Gorcomienſis, & Andreę Walteri Sacerdotum, & Parochorum ſecularium, qui omnes ſimul in odium Catholicę Fidei Primatus Romanę Eccleſię, & Auguſtiſſimi Euchariſtię Sacramenti poſt atrociſſima, & immaniſſima tormenta Brilę in Hollandia Anno MDLXXII interfecti, Palmam Martyrii accepiſſe aſſerebantur, ac ſuper ſignis, prodigiis, & miraculis, quę ad manifeſtandam mundo finalem eorum perſeverantiam a Deo edita, & patrata fuiſſe dicebantur; factaque demum coram Nobis omnium, quę in hac cauſa geſta ſunt, plena, & diſtincta relatione, prefata Congregatio Cardinalium, auditis etiam Conſultorum Suffragiis, cenſuerit poſſe, quandocunque Nobis videretur, ad ſolemnem eorundem Dei Servorum Canonizationem tuto deveniri, interim vero indulgeri, ut in univerſo Terrarum Orbe Beati nuncupentur. Hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis Cariſſimi in Chriſto Filii noſtri Leopoldi Romanorum Regis Illuſtris in Imperatorem electi, aliorumque Principum, ac diverſorum, prę ſertim Belgii Antiſtitum, necnon Ducatus Brabantię, & Comitatus Flandrię Ordinum, ac dilectorum filiorum Franciſci Marię a Cremona Miniſtri Generalis, & totius Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, & ſignanter Ignatii de Broeyer ejuſdem Ordinis Profeſſoris, & Secretarii generalis, ac Nationis Germano-Belgicę Ordinis hujuſmodi in Romana Curia negotiorum Geſtoris, ſeu Agentis Generalis, hujuſque cauſę Procuratoris, ſupplicationibus Nobis, & huic Sanctę Sedi ſuper hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de memoratorum Cardinalium conſilio, & unanimi aſſenſu, auctoritate Apoſtolica tenore prę ſentium indulgemus, ut prefati Servi Dei Nicolaus Pichus, Hieronymus Werdanus, Theodoricus Emdenus, Nicaſius Johannes Hezius, Willehadus Danus, Godefridus Meruellanus, Antonius Werdanus, Antonius Hornarienſis, Franciſcus Rodius, Petrus Aſcanus, Cornelius Wicanus, Johannes, Adrianus Becanus, Jacobus Lacopius, Johannes Oſterwicanus, Leonardus Vecchelius, Nicolaus Poppelius, Godefridus Duneus, & Andreas Waltherus, in poſterum Beatorum nomine nuncupentur, eorumque Corpora, & Reliquię venerationi Fidelium non tamen in Proceſſionibus circumferenda, exponantur. Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, ac de eis quotannis die felicis eorum tranſitus recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Communi plurimorum Martyrum juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani. Porro recitationem Officii, & Miſſę celebrationem hujuſmodi fieri concedimus in locis duntaxat infraſcriptis, videlicet, in tota Hollandia ab omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ac in Eccleſiis tam Fratrum, ſeu Canonicorum Regularium, quam Monialium omnium Ordinum, quos memorati Servi Dei ſuo Martyrio illuſtrarunt, & quantum ad Miſſas attinet, etiam a Sacerdotibus ad Eccleſias hujuſmodi confluentibus. Pręterea primo duntaxat anno a datis hiſce Literis, & quoad Indias, a die, quo eędem Literę illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſiis Hollandię, & Ordinum prę fatorum reſpective, Solemnia Beatificationis eorundem Dei Servorum cum Officio, & Miſſa ſub Ritu Duplici majori die ab Ordinariis reſpective conſtituta, & intra ſex menſes promulganda, poſtquam tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe celebrata fuerint eadem Solemnia, quam ad rem diem XXIV currentis Menſis Novembris aſſignamus, pariter celebrandi facimus poteſtatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis de non cultu editis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem prę ſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii prędictę Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & ſigillo Prę fecti ejuſdem Congregationis munitis, eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quę haberetur ipſis prę ſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſe. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV Novembris MDCLXXV Pontificatus noſtri Anno Sexto.

J. G. Sluſius.

Loco ✝ Annuli Piſcatoris.

1. *Gorcomienſium.*) Conſulendi *Guillelmus Eſtius*, *Thomas Soveges &c.* in *Hiſtoria Martyrii Beatorum Gorcomien.*

2. *Johannis.*) *A Colonia* nuncupati: *Colonienſis* enim Conventus erat alumnus.

3. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXXV.* In nuperrimo *Bullario Romano* eſt *CXCV.* Legitur *pag.*327.

Irri-

Irritas facit facultates ingrediendi Monaſteria conceſſas nonnullis mulieribus.

Anno 1676 Die 29 Februarii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CLEMENS PP. X.

LX.

Ad Futuram Rei Memoriam.

APoſtolatus officium, quod inſcrutabilis divinę ſapientię, atque clementię altitudo humilitati noſtrę, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, credere dignata eſt, ſalubriter exequi, adjuvante Domino, ſatagentes, religioſę ſacrarum Virginum, & devotarum mulierum, quę oblitę populum ſuum, & domum patris ſui, divinis obſequiis ſeſe ſub ſuavi Religionis jugo manciparunt, tranquillitati conſulere jugiter ſtudemus, ut illuſtrior illa portio gregis Chriſti, ſublatis e medio omnibus illis, quę ſpiritum in Cęlis converſantem diſtrahere, ac Chriſti ſponſas a virtutum ſtudiis, pietatiſque exercitiis avocare poſſent, majora in dies decoris, atque ornamenti gratię ſpiritalis cęleſti Sponſo donante ſuſcipiat incrementa. Cum itaque, ſicut Nobis relatum fuit, nonnullę mulieres ſeculares, quibus pro ſpirituali earum conſolatione licentię ingrediendi Monaſteria Monialium, tam in Alma Urbe noſtra, quam in Italia, inſuliſque illi adjacentibus conſiſtentia, Apoſtolica auctoritate, conceſſę erant, ejuſmodi gratiis abutentes, mulierum cujuſcunque generis, & conditionis agmina ſecum in eadem Monaſteria ducere, ac Moniales ab orationis, aliorumque piorum operum exercitiis avertere, & a divinorum contemplatione avocare, ſanctęque ſolitudinis ſpiritum, ac religioſam illarum quietem, atque diſciplinam multipliciter perturbare veritę non fuerint, non ſine gravi, tam ſpirituali, quam etiam temporali ipſorum Monaſteriorum, ac Monialium detrimento. Hinc eſt, quod Nos ejuſmodi malorum occaſionem penitus recidere cupientes, ac felicis recordationis Gregorii XIII, & Pauli V Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum, qui Gregorius quidem per ſuam quę incipit, Ubi gratię &c. Anno Incarnationis Dominicę MDLXXV Idibus Junii; Paulus vero itidem per ſuam, cujus initium, Monialium ſtatui &c die X Julii MDCXII reſpective editas conſtitutiones ſimilibus incommodis opportuno revocationis licentiarum hujuſmodi remedio providerunt, veſtigiis inhęrentes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulas licentias, ac facultates ingrediendi Monaſteria, Domos, & loca Monialium in dicta Urbe, ac in tota Italia, atque Inſulis Italię adjacentibus exiſtentia, quibuſvis etiam Comitiſſis, Marchioniſſis, & Duciſſis, & aliis cujuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis mulieribus in hunc uſque diem a Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris, ac etiam a nobis, ſub quibuſcunque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, & efficacioribus, ac inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis ad tempus, vel in perpetuum, ſeu alias quomodolibet conceſſas, quarum, ac literarum Apoſtolicarum deſuper expeditarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, earundem tenore pręſentium revocamus, caſſamus, & irritamus, ac revocatas, caſſatas, & irritas eſſe decernimus. Inhibentes proinde mulieribus prędictis, quę dictas licentias obtinuerunt, ſub excommunicationis latę ſententię pęna, a qua nonniſi a Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, pręterquam in mortis articulo conſtitutę abſolvi poſſint, ne Monaſteria prędicta prętextu licentiarum hujuſmodi ingredi audeant, ſeu pręſumant. Ipſorum vero Monaſteriorum Abbatiſſis, ſeu Prioriſſis, ac Superioribus ſub eadem, ac privationis ſuorum officiorum, quę obtinent, & inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, ipſo facto ſine alia declaratione, incurrendis pęnis, ne illas in Monaſteria hujuſmodi introducere, ſeu admittere, aut ingredi permittere, vel admiſſas quoquo modo retinere audeant ſimiliter, vel pręſumant. Quo circa dilectis filiis noſtris, & Apoſtolicę Sedis Nunciis nunc, & pro tempore exiſtentibus, ac venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Locorum Ordinariis, necnon dictorum Monaſteriorum Pręlatis, & Superioribus harum ſerie pręcipimus, & mandamus, ut pręſentes literas publicari, & pręmiſſa omnia obſervari faciant: Contradictores quoslibet, ac pręmiſſis non parentes, per prędictas, & alias ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam, quatenus opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pręmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Quia vero difficile foret has literas, ad omnia loca deferri, volumus, ut earum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIX Februarii MDCLXXVI, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

J. G. Sluſius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar. In nuperrimo *Bullario Romano* eſt CXCVIII. Legitur *pag.* 330.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Dignitates, Clemente X Summo Pontifice, promotos exhibens.

CARDINALES.

Anno 1672. F. Vincentius Maria Urſinus, alumnus Provinciæ Lombardiæ, S. R. E. Cardinalis Tituli S. Sixti. Variis Eccleſiis præfuit, ut poſtea dicetur, & tandem Summus Pontifex Benedictus XIII renunciatus eſt. *Cavalerius Tomo I pag. 669 num. CXCV, & Tomo II pag. 240 num. V. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCCXX pag.* 814, aliique varii Scriptores, quos, brevitatis ergo, prætermitto.

Anno 1675. F. Philippus Thomas Howard, Anglus, S. R. E. Cardinalis Tituli S. Ceciliæ, poſtea S. Mariæ ſupra Minervam. *Cavalerius Tomo II pag. 249 num. VI.* Obiit *Romæ* XIV Kalendas Julias MDCXCIV. Elogium ejuſdem tumulo inſcriptum legitur in ædibus Sacris Cœnobii *Sanctæ Mariæ ſupra Minervam.* Hujus tenoris eſt.

D. O. M.
Fr. Philippo Thomæ Howardo
De Norforcia, & Arundella,
S. R. E. Presbytero Cardinali
Tituli Sanctæ Mariæ ſuper Minervam
Ex Sacra Familia Fratrum Prædicatorum,
S. Mariæ Majoris Archipresbytero,
Magnæ Britanniæ Protectori,
Magno Angliæ Eleemoſynario,
Patriæ, & Pauperum Patri,
Filio Provinciæ Anglicanæ ejuſdem Ordinis,
Parenti, & Reſtauratori optimo
Hæredes inſcripti mœrentes poſuere,
Annuentibus S. R. E. Cardinalibus Eminentiſs.
Palutio de Alteriis,
Franciſco Nerlio,
Galeatio Mareſcotto,
Fabritio Spada,
Supremi teſtamenti executoribus.
Obiit XIV Kalendas Jul. Anno Sal. MDCXCIV.
Ætatis ſuæ LXIV.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1672. F. Hyacinthus Tarugius, ex Epiſcopo *Venuſino*, ut in *Appendice ad Pontificatum Innocentii X* dictum fuit, Archiepiſcopus Myrenſis, *Strumita*, in Lycia. *Cavalerius Tomo I pag.637 num.CLVI*, aliique ſupra laudati.

Anno 1673. F. Hyacinthus Libelli, Archiepiſcopus Avenionenſis, *Avignon*, in ejuſdem nominis Comitatu. *Cavalerius Tomo I pag.645 num CLXIX, ex Actis Conſiſtorialibus, Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXXIV pag.*701.

Anno 1675. F. Vincentius Maria Urſinus, S. R. E. Cardinalis, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Archiepiſcopus Sipontinus, in Regno Neapolitano. *Ughellus in Archiepiſcopis Sipontinis Tomo VII Italiæ Sacræ pag.*865 *edition. Venetæ. Cavalerius*, aliique ſupra laudati. Ad Eccleſiam *Ceſenatenſem* translatus fuit.

Anno 1676. F. Thomas Jatumenſis, Armenus, Archiepiſcopus Naſcivanen., *Naſſivan.*, in Armenia. *Cavalerius Tomo I pag. 653 num. CLXXXII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 31 Indicis Epiſcoporum.*

EPIS-

EPISCOPI.

F. Johannes de Polanco, Hiſpanus, Epiſcopus Caſerenſis, *nueva Caſerez*, in Inſula Lutzonia, in Philippinis, ſub Archiepiſcopo Maniliano. *Cavalerius Tomo I pag. 634 num. CL. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXI pag. 639, & in Addendis pag. 998.* Anno circiter 1670.

F. Antonius Gonzalez de Acuña, Epiſcopus Venezuelan., ſive Civitatis de Coro, in America, ſub Archiepiſcopo S. Dominici. *Cavalerius Tomo I pag. 635 num. CLI. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXXI pag. 692.* Anno 1670.

F. Olivarius Darcis, Hibernus, Epiſcopus Dromorenſis, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Armachano. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 29 Indicis Epiſcoporum.* Illum crediderim *Oliverium Darcy* Epiſcopum *Ardachadenſem*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii X.* Anno 1670.

F. Vincentius Maria Silva, Neapolitanus, Epiſcopus Policaſtrenſis, *Policaſtro*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Salernitano. *Ughellus in Epiſcopis Policaſtren. Tomo VII Italiæ Sacræ pag. 567 edition. Venetæ. Cavalerius Tomo I pag. 666 num. CXCIV, ex Actis Conſiſtorialibus.* Ad *Calvenſem* Eccleſiam translatus eſt, ut poſtea dicetur. Anno 1671.

F. Thaddæus Mac Eoga, aliis Keogius, Epiſcopus Clonferten., *Clonefert*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Tuamenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 635 num. CLII. Belgium Dominicanum pag. 423.* Anno 1671.

F. Dominicus de Burgo, Epiſcopus Olfinen., ſeu Elfinen., vulgo *Elphen.*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Tuamenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 636 num. CLIII. Belgium Dominicanum pag. 423.* Anno 1671.

F. Laurentius de Caſtro, Luſitanus, Epiſcopus Angrenſis, *Angra*, in Inſula Tertiaria, vulgo *Tercera*, Aſorum præcipua, in Oceano, ſub Archiepiſcopo Ulyſſipponen.. *Cavalerius Tomo I pag. 639 num. CLIX, ex Actis Conſiſtorialibus.* Anno 1671.

F. Johannes Iſturizaga, Epiſcopus S. Crucis, *Santa Croce de la Sierra*, in America, ſub Archiepiſcopo Platenſi, ſeu Argentenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 639 num. CLVIII, ex Actis Conſiſtorialibus.* Anno 1672.

F. Johannes Baptiſta Righi, Epiſcopus Aconenſis, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. *Cavalerius Tomo I pag. 652 num. CLXXVIII.* Anno 1672.

F. Gregorius Lopez, Sinenſis, Epiſcopus Baſilitanus, in Africa, ſub Archiepiſcopo Carthaginenſi, & Vicarius Apoſtolicus in Miſſionibus Sinen.. *Cavalerius Tomo I pag. 641 num. CLXI. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXXVI pag. 708.* Anno 1673.

F. Dominicus Cito, Licienſis, in S. Theologia Magiſter, Epiſcopus Teleſinus, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Ughellus in Epiſcopis Teleſin. Tomo VIII Italiæ Sacræ pag. 373 edition. Venetæ. Cavalerius Tomo I pag. 645 num. CLXX.* Idem liquet ex tribus Bullis aſſervatis in Archivo Ordinis. Ceteris prætermiſſis, iſtam tranſcribendam duxi: *Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico Cito Electo Theleſin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem Eccleſiarum omnium tunc vacantium &c. reſervavimus decernentes &c. attentari. Poſtmodum vero Eccleſia Theleſin. cui bonæ memoriæ Petrus Franciſcus nuper Epiſcopus Theleſin. dum viveret præſidebat per obitum dicti Petri Franciſci Epiſcopi qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit Paſtoris ſolatio deſtituta nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem de qua nullus præter nos &c. ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ, perſonam utilem,* Anno 1675.

*& etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Prædicatorum ex Ca-
tholicis, & honeſtis parentibus in legitimo matrimonio conjunctis in Civitate Licien. procreatum ſexageſimum
circiter tuæ ætatis annum agentem, & a triginta, & ultra annis in Presbyteratus ordine conſtitutum in Theo-
logia Magiſtrum, omniaque alia requiſita habentem, & cui apud Nos de literarum ſcientia, religionis zelo,
vitæ munditia, morum probitate, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multi-
plicum virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus
debita meditatione penſatis prædictæ Eccleſiæ de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob tuorum
exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio Apoſtolica auctoritate providimus, teque illi
præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ in ſpiritualibus, &
temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. confidentes quod dirigente Domino &c. Ju-
gum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens &c. teque præter æternæ retributio-
nis &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus
autem, quod tu præbendam Theologalem, & Pœnitentiariam ad præſcriptum Concilii Tridentini inſtituas &c.
Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Sexcenteſimo Sep-
tuageſimo Quinto, pridie non. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.* Ex Archivo Ordinis, in quo exem-
plar ex Archivo Apoſtolico *Lib. V fol. 293.*

Anno 1675. F. Clemens Alvarez, Hiſpanus, Epiſcopus Guadixen., ſeu Guadicen., *Guadix*, in Hiſpania, ſub Ar-
chiepiſcopo Granatenſi, ut ex Bulla mox tranſcribenda videre eſt, vel, ut nonnulli Scriptores docent,
ſub Archiepiſcopo Hiſpalenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 644 num. CLXVI. Echard Tomo II Scriptorum Or-
dinis pag. 26. Indicis Epiſcoporum.* Succeſſit *Didaco*, ut ex hac Conſtitutione liquet. *Clemens Epiſcopus,
Servus Servorum Dei, dilecto filio Clementi Alvarez Electo Guadixen., Salutem, & Apoſtolicam Benedic-
tionem. Apoſtolatus Officium &c. Sane Eccleſia Guadixen. quæ de Jurepatronatus cariſſimi in Chriſto filii
noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici ex privilegio Apoſtolico cui non eſt hactenus in aliquo derogatum
fore dignoſcitur ex eo quod nos nuper Venerabilem Fratrem noſtrum Didacum Epiſcopum Aſtoricen. olim Gua-
dixen. a vinculo quo dictæ Eccleſiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio &c. abſolventes
eum ad Eccleſiam Aſtoricen. certo modo vacan. de ſimili conſilio Apoſtolica auctoritate tranſtulimus præficien-
do ipſum illi in Epiſcopum, & Paſtorem, Paſtoris ſolatio deſtituta nos ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ Guadi-
xen. celerem, & felicem, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis inten-
dentes poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Guadixen. perſonam, utilem, ac etiam fruc-
tuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Prædicatorum, & Theologiæ pro-
feſſorem ex legitimo matrimonio, ac honeſtis, & Catholicis parentibus procreatum in ſexageſimo tuæ ætatis,
anno etiam a nonnullis annis in Presbyteratus ordine conſtitutum quem prædictus Carolus Rex nobis ad hoc per
ſuas literas præſentavit, & de cujus vitæ munditia, morum honeſtate, ſpiritualium providentia, & tempora-
lium circumſpectione, aliiſque multiplicum virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direxi-
mus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua nobis &c. accepta præ-
dictæ Eccleſiæ Guadixen. de Fratrum eorundem conſilio dicta auctoritate providimus, teque illi in Epiſcopum
præficimus, & Paſtorem, curam &c. committendo, in illo qui dat gratias &c. confidentes, quod dirigente
Domino &c. dirigetur, ac grata &c. incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta de-
votione ſuſcipiens &c. merearis. Volumus autem, ut Theologalem, & Pœnitentiariam præbendam in dicta
Eccleſia Guadixen. ad præſcriptum Concilii Tridentini erigas, & Montem Pietatis fieri cures, conſcientiam &c.
onerantes. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Sex-
centeſimo Septuageſimo Quinto, Idibus Julii. Pontificatus noſtri Anno Sexto.* Ex Archivo Ordinis in quo
exemplar ex Archivo Apoſtolico *Lib. V fol. 89.* Quod autem *Guadixenſis* Sedes ſit ſub Archiepiſcopo
Granaten. docet hæc altera Conſtitutio. *Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Clementi
Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Profeſſori Electo Guadixen., Salutem, & Apoſtolicam Bene-
dictionem. Cum nos hodie Eccleſiæ Guadixen. certo modo Paſtoris regimine deſtitutæ, de perſona tua nobis,
& Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica
auctoritate duxerimus providendum, præficiendo te ipſum illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris
inde confectis literis plenius continetur, Nos ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant,
favorabiliter intendentes tuis ſupplicationibus inclinati tibi Presbytero, ut a quocunque, quem malueris Ca-
tholico Antiſtite gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habente, accitis & in hoc illi aſſiſtentibus duo-
bus, vel tribus Epiſcopis ſimiles gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas,
ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum a te noſtro, & Romanæ Eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ ſolito
juramento juxta formam præſentibus annotatam nuncupandum tibi impendere poſſit. plenam, & amplam, teno-
re præſentium concedimus facultatem. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus,
quod ſi non recepto prius a te per ipſum Antiſtitem prædicto juramento idem Antiſtes munus prædictum tibi im-
pendere, & tu illud recipere temere præſumpſeritis idem Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe,
quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium Eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo.
Præterea etiam volumus, quod formam juramenti a te tunc praſtiti Nobis de verbo ad verbum per tuas paten-
tes literas tuo ſigillo munitas per proprium Nuncium quantocitius deſtinare procures, quodque per hoc Venera-
bili Fratri noſtro Archiepiſcopo Granaten., cui dicta Eccleſia metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in
poſterum præjudicium generetur, forma autem juramenti, quod præſtabis, talis eſt. Ego Clemens Electus Gua-
dixen. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, &
Domino noſtro Domino Clementi PP. X, ſuiſque Succeſſoribus canonice intrantibus &c. ſic me Deus adjuvet,
& hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ
Milleſimo Sexcenteſimo Septuageſimo Quinto, Decimoſeptimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Sexto.*

Ex

Ex Archivo Ordinis in quo exemplar ex Archivo Apoſtolico *Lib. VI An. VI fol.* 240. Aſſervantur in Archivo Ordinis duæ aliæ Conſtitutiones, quarum una *Clemens Alvarez* commendatur *Carolo* Hiſpaniarum Regi Catholico alia *Clemens* cenſuris eccleſiaſticis, uti moris eſt, ſolvitur.

F. Hyacinthus Maria Conigli, Venetus, alumnus Provinciæ Lombardiæ, Epiſcopus Zacynthi, & Cephaloniæ, in ejuſdem nominis Inſulis, ſub Archiepiſcopo Corcyrenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 676 Anno 1675. *num. CXCVI, ex Actis Conſiſtorialibus.*

VENE-

VENERABILIS SERVUS DEI

INNOCENTIUS XI.

Benedictus Odeſchalchus, Novocomenſis electus eſt die XXI Septembris MDCLXXVI. Coronatus fuit eodem Anno die IV Octobris. Obiit XXXI Julii MDCLXXXIX. Sedit Annos XII, Menſes X, Dies XI.

Anno 1677 Die 6 Februarii.

Ut licet F. Johannes Thomas de Rocaberti (1) Archiepiſcopus Valentinus renunciatus ſit, Magiſtri tamen Generalis munus obeat uſque ad electionem novi Generalis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Johanni Thomę de Rocaberti Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum.

I. INNOCENTIUS PP. XI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis zelus, literarum ſcientia, vitę ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio Nos inducunt, ut te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Cum itaque Nos Te, qui Magiſter Generalis Ordinis Prędicatorum exiſtis propter egregia tua merita Metropolitanę Eccleſię Valentin. Paſtoris ſolatio deſtitutę in Archiepiſcopum, & Paſtorem propediem benedicente Domino prętficere intendamus; Et, ſicut accepimus, tu eidem Ordini ſumma fide, prudentia, atque integritate hactenus pręfueris, hinc eſt quod Nos felici, proſperoque dicti Ordinis regimini, & gubernio interim donec tuus in Generalatu Ordinis hujuſmodi ſucceſſor in proxime futuro ipſius Ordinis Capitulo Generali eligatur, quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, ac de ſpectata tua fide, probitate, caritate, doctrina, vigilantia, ſapientia, & religionis zelo plenam habentes in Domino fiduciam, teque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, Tibi, ut licet memoratę Eccleſię Valentin. in Archiepiſcopum, & Paſtorem a Nobis pręficiaris, ac poſſeſſionem, ſeu quaſi poſſeſſionem regiminis, & adminiſtrationis ipſius Eccleſię, illiuſque menſę Archiepiſcopalis bonorum adipiſcaris, & munus conſecrationis ſuſcipias, nihilominus Officium Generalatus Ordinis prędicti cum omnibus, & ſingulis facultatibus, auctoritate, juriſdictione, pręeminentiis, prerogativis, privilegiis, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, ut prius uſque ad electionem novi Magiſtri Generalis Ordinis hujuſmodi in tui locum, ſicut prędmittitur, faciendam retinere, illudque interea gerere, & exercere libere, licite, & valide poſſis, & valeas, tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Mandantes propterea in virtute Sanctę Obedientię, ac ſub indignationis noſtrę, aliiſque arbitrii noſtri pęnis, omnibus, & ſingulis pręfati Ordinis Superioribus, Fratribus, & perſonis, ceteriſque ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, ut te in pręfato Generalatus officio, ejuſque libero exercitio juxta earundem tenorem pręſentium continuare, & perſeverare ſinant, & faciant, Tibique reſpective faveant, & aſſiſtant, ac tua ſalubria monita, & mandata humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent; alioquin ſententiam, ſive pęnam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Decernentes ipſas pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac tibi in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; Sicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI Februarii MDCLXXVII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

J.G. Sluſius.

1. *Rocaberti.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXVII.*

Fir-

Firmat ea quæ pro Pariſienſi Collegio S. Jacobi ſtatuta ſunt.

Anno 1677 Die 30 Martii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

II.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX injuncto nobis divinitus Apoſtolicę ſervitutis munere, ea, quę pro conſervandis Regularibus locis, in quibus Religioſa juventus ad pietatem, ſacrarumque literarum ſcientiam, ſalubriter inſtituitur; ſtabiliendaque in eis regulari diſciplina, pie, prudenterque facta eſſe noſcuntur, ut firma ſemper, atque illibata perſiſtant, Apoſtolico muniminis noſtri pręſidio libenter roboramus. Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Sancti Jacobi Pariſienſis, Ordinis Prędicatorum, quod alias nonnulla ſtatuta, & ordinationes, pro felici, proſperoque ejuſdem Collegii regimine, & gubernio facta, & a venerabili Fratre Johanne Thoma de Rocaberti, Archiepiſcopo Valentino, tunc temporis Magiſtro Generali dicti Ordinis, reſervato tamen deſuper hujus S. Sedis Apoſtolicę beneplacito, approbata, & confirmata fuerunt, tenoris, qui ſequitur, videlicet: Nos Frater Johannes Thomas de Rocaberti, Sacrę Theologię Profeſſor, & totius Ordinis Fratrum Prędicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus. Cum pro felici regimine, & gubernio Collegii noſtri Sancti Jacobi Pariſienſis, laudante, & approbante Rege Chriſtianiſſimo, nonnullę ordinationes, ſeu ſtatuta tenoris ſequentis edita fuerunt. Primo quod quatuordecim Religioſi Regulares, & pietatis exemplares, ex ſex Provinciis dicti Ordinis eligantur, ſcilicet quatuor ex Provincia Pariſienſi, & duo ex qualibet aliarum quinque Provinciarum nuncupatarum Toloſę, Francię, Provincię, Occitanę, & S. Ludovici (2), ad munera adimplenda in dicto Conventu, & Collegio, in vico S. Jacobi Pariſienſis, quibus P. Generalis affiliationes concedet. Supradicti quatuordecim Religioſi affiliati conſilium dicti Collegii component, Baccalaurei remanebunt excluſi, excepto Licentię Pręſentato, qui vocem habebit activam. Supradicti quatuordecim Religioſi ſoli officia Prioris, Supprioris, Magiſtri Noviciorum, Sacriſtę, Infirmarii, Procuratoris, & quatuor Regentium in Theologia, adimplebunt, & ad gradus nominabunt: qui in poſterum ad pręcipua loca reducentur, & non ad illa, quę extraordinaria, ſeu Bibliana nuncupantur, cum huic dicto Collegio oneri ſint, & nominationes ſecundum pluralitatem vocum dictorum quatuordecim Graduatis ſufficient. Ex quatuordecim ſupradictis Religioſis, nullus in Priorem eligi poterit, aut extrahi e Conventu Pariſienſi, niſi ut ſint Provinciales ſuarum Provinciarum. Provincialis Pariſienſis, ſi ſit ex Reformatis, ſin minus Vicarius reformationis ejuſdem Provincię, viſitabit dictum Collegium, nihil tamen poterit pręfatis Ordinationibus immutare, nec aliquem Religioſum e dicto Collegio ſub quocunque pretextu extrahere, niſi Religioſus eſſet gravium culparum reus, quo caſu dictus Provincialis, aut Vicarius Reformationis in ipſum inquiret, perinde ac ſi eſſet Religioſus ſuę Provincię, & juxta regulas, & conſtitutiones ſui Ordinis puniet. Quod decedente aliquo ex ſupradictis quatuordecim Religioſis, aut caſu quo propter aliquam legitimam cauſam neceſſarium foret alterum nominare, tredecim ſuperſtites alium eligent ex eadem Provincia, ex qua erat defunctus, ſeu removendus, & prędictus Generalis Ordinis ei dabit ſuas patentes Literas Affiliationis. Numerus Religioſorum ſtudentium in dicto Collegio reducetur ad centum, quouſque debita Conventus fuerint ſoluta, & ſua Majeſtas judicaverit redditum ſufficientem ad augendum numerum, & hujuſmodi centum Religioſi erunt; videlicet quadraginta ex Provincia Pariſienſi, quadraginta ex Provincia Francię, & viginti ex Provinciis Extraneis, qui omnes penſionem ordinariam, & conſuetam ſolvent. Nullus Religioſus cujuſcunque Provincię ſit, ut hoſpes poterit recipi in Domo S. Jacobi, exceptis his, qui a ſuis Conventibus ob negotia erunt deputati, qui recedere tenebuntur ſtatim, atque illa terminaverint. Prior a quatuordecim Religioſis Affiliatis electus confirmabitur a Provinciali provincię Pariſienſis, ſi ſit ex obſervantia, quod ſi non ſit, a Vicario ejuſdem Provincię. Nos Ordinationes, ſeu ſtatuta hujuſmodi, uti juſta, & rationi conſona, totique Ordini noſtro S. Dominici, & pręſertim dicto Collegio fore profutura cognoſcentes, pro munere noſtro, & auctoritate noſtri officii approbanda, & confirmanda duximus, prout per pręſentes, reſervato tamen deſuper S. Sedis Apoſtolicę beneplacito, & ſervatis alias de jure ſervandis, approbamus, & confirmamus, illaque omnibus noſtrę curę ſubjectis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, debitę executioni demandari, in virtute S. Obedientię pręcipimus, & injungimus. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem his officii noſtri ſigillo munitis propria manu ſubſcripſimus. Datum Romę XXIX Decembris MDCLXXVI. Frater Johannes Thomas de Rocaberti Magiſter Ordinis. Locus † Sigilli. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti exponentes ſtatuta, & Ordinationes hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri ſummopere deſiderent: Nos, ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulas perſonas a quibuſvis Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque cenſuris, ſententiis, & pęnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, pręinſerta ſtatuta, & Ordinationes, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, & expreſſis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper, quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpec-

ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis, ac Collegii prędictorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXX Martii MDCLXXVII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

J. G. Sluſius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar typis impreſſum.

2. *S. Ludovici.*) Eodem jure gaudet Provincia *S. Roſæ in Belgio*.

Anno 1677 Die 20 Novembris.

Reductio (1) Magiſtrorum, aliorumque Graduatorum ad numerum pro unaquaque Provincia ſtabilitum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

III.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

IN ſupremo militantis Eccleſię ſolio, per ineffabilem divinę bonitatis abundantiam, meritis licet imparibus, collocati, muneris noſtri partes eſſe, intelligimus, ut ea, quę religioſorum virorum Ordinibus in Eccleſia Dei pie, ſancteque inſtitutis detrimentum adferre, regularemque in eis diſciplinam perturbare noſcuntur, ad ęquitatis, & juſtitię terminos reducere ſatagamus, ſicut omnibus maturę conſiderationis trutina perpenſis, ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis felicem progreſſum, ac incrementum ſalubriter expedire in Domino arbitramur. Cum itaque, ſicut accepimus, Magiſtri, aliique Graduati Ordinis Fratrum Prędicatorum, propter aſſiduum miniſterium, quod eis exhibetur, necnon expenſas, quas Communitatibus occaſione Capitulorum Provincialium adferunt, ac exemptionem a Choro, aliaſque prerogativas, quibus fruuntur, Provinciis ipſius Ordinis valde oneroſi exiſtant. Et licet certus ejuſmodi Magiſtrorum, ac Graduatorum pro unaquaque Provincia numerus per Capitula Generalia dicti Ordinis ad petitionem ipſarum Provinciarum, quę propriarum virium conſcię ita ordinari deſideraverant, ſtabilitus reperiatur, cum expreſſa prohibitione, ne eędem Provincię alios petere valeant, neve hujuſmodi numerus unquam excedatur, niſi in caſum, quo Magiſter Generalis Ordinis

Nota.

prędicti pro tempore exiſtens ex aliqua urgenti cauſa aliter diſponeret, nihilominus Magiſtrorum, aliorumque Graduatorum hujuſmodi multitudo in dicto Ordine abſque ulla urgenti cauſa per nimiam pręteritorum Magiſtrorum Generalium ipſius Ordinis facilitatem, atque indulgentiam adeo excreverit, ut Provinciis prędictis intolerabilis exiſtat, & quod pejus eſt, inter eos nonnulli reperiantur ad Magiſterium, alioſque gradus promoti, qui officia per Conſtitutiones Ordinis prędicti ad id pręſcripta non exercuerunt, ſed cum quibus perinde ac ſi officia hujuſmodi exercuiſſent, diſpenſatum fuit: Hinc eſt, quod Nos ejuſdem Ordinis, illiuſque Provinciarum levamento, & commodis, proſperoque, & felici regimini, & gubernio, quantum Nobis ex alto conceditur, providere, regulariſque diſciplinę vigorem tueri, & ſicubi collapſus ſit, reſtituere cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, Magiſtros, alioſque Graduatos dicti Ordinis ad numerum per Capitula Generalia pro unaquaque Provincia reſpective ſtabilitum, ut petitur, itaut in eo numero in ſingulis Provinciis hujuſmodi reſpective connumerati remaneant antiquiores tantum, qui functiones, & munera per Conſtitutiones, & Capitula Generalia hujuſmodi pręſcripta realiter, & cum effectu exercuiſſe reperiuntur, ſine ullo tamen pręjudicio illorum, qui a Sede Apoſtolica immediate promoti ſunt, quos ſuis prerogativis ſupra numerum hujuſmodi gaudere volumus, tenore pręſentium reducimus. Porro circa ſupranumerarios a prędictis Magiſtris Generalibus promotos, harum ſerie mandamus dilecto filio moderno Magiſtro Generali dicti Ordinis, ut adhibito maturo Religioſorum gravium conſilio, illorum qualitates, & ſufficientiam examinet, & quatenus eos habiles, ac omnia officia per dictas Conſtitutiones pręſcripta exercuiſſe repererit, illos titulo tantum gaudere faciat quouſque ſecuta vacatione juxta Ordinem antiquitatis gradus ſuſcepti ad fruitionem integrarum prerogativarum ſubintrent, ſi vero eos inhabiles, aut munera, ſeu Officia a memoratis Conſtitutionibus requiſita non exercuiſſe compererit, illos magiſterio, aliove gradu, quem obtinent, omnino privatos declaret, donec & quouſque ſtudioſis laboribus meritum ejuſmodi graduum reſpective ſibi comparaſſe reperiantur. Pręterea ad evitandum in futurum Provinciarum, & Communitatum hujuſmodi gravamen, pręfato moderno, & futuris dicti Ordinis Magiſtris Generalibus in virtute ſanctę obedientię prohibemus, & interdicimus, ne de cetero magiſterii, alioſque gradus ſupra numerum ſicut pręmittitur pręſcriptum conferre, nec ullam cujuſvis generis exemptionem concedere audeant quovis modo, ſeu pręſumant illis Fratribus, qui realiter, & cum effectu laudabiliter non exercuerint illa officia, & non ſup-

ſupportaverint illa onera, quę juxta Conſtitutiones Ordinis prędicti ad obtinendos gradus, & exemptiones hujuſmodi reſpective neceſſario precedere debent. Ceterum quia, ſicut pariter accepimus, plurimi in Ordine predicto reperiuntur Fratres, qui vigore gratiarum ſpecialium a Magiſtris Generalibus ſupradictis conceſſarum, exemptionibus a Choro, ac prerogativis loci Baccalaureorum, & vocis in Capitulis Provincialibus contra formam Conſtitutionum, & Capitulorum Generalium prędictorum fruuntur, in graviſſimum dictarum Communitatum, multorumque Fratrum privatorum prejudicium, Nos opportunum his quoque abuſibus remedium adhibere, & ne in futurum ſuboriantur providere volentes, omnes, & ſingulas gratias ſpeciales hujuſmodi, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus earundem tenore pręſentium revocamus, caſſamus, & abolemus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac in futurum diſpoſitiones Conſtitutionum, & Capitulorum Generalium hujuſmodi inviolabiliter obſervari pręcipimus. Decernentes ipſas pręſentes literas, & in eis contenta, quęcunque etiam ex eo quod prędicti, aliique quilibet in pręmiſſis forſan intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet pretendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, vel auditi, nec cauſę propter quas pręſentes emanaverint ſufficienter adductę, verificatę, & juſtificatę fuerint, ſeu ex alia quacunque etiam quantumvis legitima, & privilegiata cauſa, colore, prętextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimę, & totalis lęſionis nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, ſeu ad terminos juris reduci, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratię remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, ſicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apoſtolicę Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quacunque pręeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę Regula de jure quęſito non tollendo, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, ejuſque Provinciarum, & Conventuum, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, & alias quomodolibet in contrarium pręmiſſorum conceſſis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX Novembris MDCLXXVII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

J. G. Sluſius.

1. *Reductio.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, exemplar authenticum ex *Regeſtis Brevium Secretorum Libro Novembris MDCLXXVII fol.* 418, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXVII.*

Confraternitates (1) SS. Nominis Dei in Eccleſiis Ordinis Fratrum Prædicatorum conſtitutas ratas habet, & firmat.

Anno 1678 Die 18 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XI. IV.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm dudum felicis recordationis Pius PP. IV Prędeceſſor noſter Confraternitatis ſub vocabulo Nominis Jeſu inſtitutę, & ubivis terrarum, & locorum, tunc & pro tempore diffuſę utriuſque ſexus Confratribus in illa, tunc, & pro tempore deſcriptis ubilibet conſtitutis, ſive ſub ejuſdem Confraternitatis regula prius edita, ſive ſub alia ſimili comprehenderentur, certa tunc expreſſa pietatis opera

per~gentibus nonnullas indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pęnitentiarum relaxationes, necnon alias gratias, facultates, & privilegia conceſſerit; Et ſubinde accepto per recolendę memorię Pium Papam V, etiam Prędeceſſorem noſtrum, quod licet Societas Nominis Dei, ſive juramentorum, originem, & ortum habuiſſet ab Ordine Fratrum Prędicatorum, & quod ab ejuſdem Ordinis profeſſoribus fuiſſet inſtituta, & aucta, necnon interventu Fratrum dicti Ordinis, multę indulgentię, aliaque privilegia, & favores dictę Societati ab Apoſtolica Sede fuiſſent conceſſa, tamen multi Clerici, & Parochi in ſuis Eccleſiis dictam Societatem erigere ſtudebant, itaut aliquando eſſent plures in eadem Civitate Societates, ſeu Confraternitates dictę invocationis Nominis Dei, & juramentorum, in diminutionem obſervantię, & devotionis, quę ex frequentia convenientium oriri ſolebat, & non ſine aliqua confuſione, quę ob prędictam cauſam in die Circumciſionis Domini, quando feſtum prędictę Societatis, ſeu Confraternitatis celebrari debebat, accidere conſueverat. Idem Pius V Prędeceſſor, Motu proprio, non ad alicujus ſibi ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione, & certa ſcientia ſua, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, quod in Civitatibus, Oppidis, & locis totius Orbis Chriſtiani, in quibus eſſent Eccleſię Ordinis Prędicatorum, ibi tantum, vel in hujuſmodi Civitatibus, Oppidis, & locis, & in dictis Eccleſiis Ordinis Prędicatorum duntaxat dicta Societas, ſeu Confraternitas erigi poſſet, nec deinceps nova Societas, ſeu Confraternitas hujuſmodi inſtitueretur in Civitatibus, Oppidis, aut locis in quibus non eſſet dicti Ordinis domus, aut in finitimis Eccleſiis, abſque licentia Prioris Provincialis, ſeu Conventualis dicti Ordinis, in cujus diſtrictu ſita eſſet Eccleſia, in qua dicta Confraternitas, ſeu Societas erat, vel foret erigenda, quod ſi ſecus factum fuiſſet Confratres taliter admiſſi dictę Confraternitatis, ſeu Societatis indulgentias non conſequerentur, nec favoribus, aut privilegiis gauderent, quę Confratribus legitime adſcriptis per Sedem prędictam concedebantur, perpetuo ſtatuerit, & ordinaverit, ac etiam diſtrictius inhibuerit, ſicque voluerit, & pręceperit, & alias prout in eorundem Pii IV, & Pii V Prędeceſſorum literis deſuper expeditis uberius dicitur contineri. Ac poſtmodum pię memorię Gregorius PP. XIII, Prędeceſſor pariter noſter prędictas Pii IV, & Pii V Prędeceſſorum literas confirmaverit, & approbaverit, aliaſque indulgentias Confratribus dictę Confraternitatis elargitus fuerit, prout in diverſis ipſius Gregorii Prędeceſſoris literis deſuper emanatis etiam dicitur plenius contineri, ſed ſucceſſive ſimilis recordationis Paulus PP. V, etiam Prędeceſſor noſter, qui certas unicuique Confraternitati indulgentias, & gratias ſpirituales, quibus de cetero frueretur duxerat pręſcribendas, revocatis, & annullatis, ac nullius roboris, & momenti in poſterum fore declaratis, omnibus, & ſingulis indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, ac pęnitentiarum relaxationibus Confraternitati Sanctiſſimi Nominis Dei in Eccleſia Sanctę Marię ſuper Minervam de Urbe dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum canonice inſtitutę, & illus Confratribus, & Consororibus eatenus per quoſcunque Romanos Pontifices ejus Prędeceſſores conceſſis, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus hanc Confraternitatem de cetero ingreſſuris, ac tam ipſis pro tempore deſcribendis, quam jam deſcriptis in dicta Confraternitate Confratribus, & Consororibus, qui certa tunc pręſcripta pietatis opera peragerent certas indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pęnitentiarum relaxationes in perpetuum conceſſerit, necnon Magiſtro Generali dicti Ordinis Prędicatorum, & illo abſente ejus Vicario in Urbe commoranti, ut Confraternitates extra Urbem prędictam ubique locorum erigere, & inſtituere, illiſque omnes indulgentias, & gratias ſpirituales in ipſius Pauli Prędeceſſoris literis deſuper emanatis expreſſas, ſervata forma tradita in Conſtitutione ſimilis memorię Clementis PP. VIII Prędeceſſoris pariter noſtri ſuper Confraternitatum aggregationibus, & inſtitutionibus edita communicare libere, & licite valeret, auctoritate Apoſtolica facultatem conceſſerit, & impertitus fuerit, ac inſuper ipſe Paulus Prędeceſſor, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus in aliqua ex Confraternitatibus in Eccleſiis Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum canonice inſtitutis duntaxat tunc deſcriptis, & pro tempore deſcribendis vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui proceſſioni ſecunda Dominica cujuslibet menſis per dictas Confraternitates celebrari ſolitę devote interfuiſſent, & pro Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, hęreſum extirpatione, ac Chriſtianorum Principum concordia, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino elargitus fuerit, & ſubinde illis non ſolum in ſecunda hujuſmodi, ſed in una ex aliis menſis Dominica, juxta locorum conſuetudinem proceſſionem prędictam celebrantibus, illiſque intereſſentibus, plenariam indulgentiam, & remiſſionem hujuſmodi, ut pręfertur, in ſecunda Dominica conceſſam ſuffragari voluerit, ipſiſque de novo, quatenus opus eſſet, miſericorditer in Domino, ſervata in reliquis prioris conceſſionis forma conceſſerit, & alias prout in ternis ipſius Pauli Prędeceſſoris literis die XXXI Octobris MDCVI, ac die XXVIII Septembris MDCXII, & die prima Aprilis MDCXIII, reſpective in ſimili forma Brevis deſuper expeditis, quarum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis haberi volumus, uberius continetur. Verum ſicut pro parte dilecti filii Magiſtri Generalis dicti Ordinis Nobis nuper expoſitum fuit, multę in Eccleſiis ejuſdem Ordinis Confraternitates ſub titulo, ſeu invocatione Nominis Dei, ſive ante, ſive poſt emanatam prędictam Clementis Prędeceſſoris Conſtitutionem inſtitutę, ſeu introductę reperiantur, quarum quidem Confratres, & Consorores ſolitas ejuſmodi Confraternitatum functiones, multaque pietatis, & chriſtianę caritatis opera exercere conſueverunt, ſed de illarum canonica ab initio erectione, & inſtitutione non conſtat. Et licet in Capitulo Generali Ordinis prędicti, quod anno MDC Neapoli celebratum fuit, declaratum fuerit, quod in omnibus Eccleſiis ejuſdem Ordinis, in quibus Fratres ipſius Ordinis officia, vel Miſſas ordinarie celebrabant, erectę intelligerentur, & inſtitutę Societates Sanctiſſimi Nominis Dei, non tamen appareat tunc temporis eidem Capitulo, vel antea Superioribus, vel Fratribus dicti Ordinis ejuſmodi Confraternitates erigendi facultatem a Sede Apoſtolica conceſſam fuiſſe, nec dictę Confraternitates ante editam Clementis Prędeceſſoris Conſtitutionem prędictam inſtitutę, ſeu introductę novas erectiones, & inſtitutiones intra tempus ab eadem Conſtitutione pręſcriptum, & juxta illius formam obtinuerint. Quinimmo ut in illis quidem,

quę

quę poſt emanatam Conſtitutionem hujuſmodi erectę, & inſtitutę forſan fuerunt ejuſdem Conſtitutionis formam in earum erectionibus, & inſtitutionibus, prout memoratus Paulus Prędeceſſor ordinaverat, ſervatam fuiſſe appareat. Nobis propterea dictus Magiſter Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Magiſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnes, & ſingulas Confraternitates ſub titulo, ſeu invocatione Nominis Dei in Eccleſiis Fratrum dicti Ordinis duntaxat ubicunque locorum de pręſenti exiſtentes, tametſi de earum canonica ab initio erectione, & inſtitutione minime appareat, nec ipſę Confraternitates novas erectiones, & inſtitutiones juxta formam ſupradictę Conſtitutionis Clementis Prędeceſſoris obtinuiſſe reperiantur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium confirmamus, & validamus, eaſque in ſtatu valido eſſe, & fore decernimus, & declaramus in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi illas omnes, & ſingulas, ab ipſo initio canonice erectas, & inſtitutas fuiſſe, novaſque erectiones, & inſtitutiones ſuo tempore, juxta formam memoratę Conſtitutionis Clementis Prędeceſſoris obtinuiſſe conſtaret, & quatenus opus ſit, illas omnes, & ſingulas, ſervata tamen ceteroqui prędictarum Pauli Prędeceſſoris literarum, ac Conſtitutionum, ſeu decretorum hujus Sanctę Sedis pręſertim circa diſtantiam locorum in erectione Confraternitatum ſimilis inſtituti ſervandam emanatorum forma, & diſpoſitione de novo erigimus, & inſtituimus, ac ipſarum Confraternitatum ſic a Nobis confirmatarum, & validatarum, & de novo reſpective erectarum Confratribus, & Consororibus, ut omnibus, & ſingulis indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, ac pęnitentiarum relaxationibus a prędicto Paulo Prędeceſſore per ternas ſuas literas ſupradictas conceſſis, non autem ullis aliis, ſervata tamen pariter earundem Pauli Prędeceſſoris literarum forma, & diſpoſitione uti, frui, & gaudere, libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate, & tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Porro eidem Magiſtro Generali harum ſerie injungimus, ut tam pręſentium, quam ternarum Pauli Prędeceſſoris literarum prędictarum tranſumpta, ſeu exempla authentica ad ſingulas domos regulares dicti Ordinis in quarum Eccleſiis Confraternitates hujuſmodi exiſtunt, quantocitius fieri poterit tranſmitti, illaque Confratribus, & Consororibus ipſarum Confraternitatum notificari curet, ad hoc ut unuſquiſque illorum ſciat, quibus indulgentiis, & gratiis ſpiritualibus ex hujus Sanctę Sedis benignitate frui de cetero valeat. Ceterum in erectione, & inſtitutione ſimilium Confraternitatum, necnon indulgentiarum, & gratiarum communicatione illis per Magiſtrum Generalem Ordinis prędicti, & illo abſente per ejus Vicarium in Urbe prędicta commorantem de cetero, juxta facultatem a prędicto Paulo Prędeceſſore, ſicut pręmittitur, conceſſam faciendis, formam in ſupradicta Clementis Prędeceſſoris Conſtitutione pręſcriptam adamuſſim ſervari volumus, alioquin erectiones, & inſtitutiones, ac indulgentiarum, & gratiarum ſpiritualium communicationes hujuſmodi nullius omnino ſint roboris, & momenti. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac quatenus opus ſit noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę Regula de non concedendis indulgentiis ad inſtar, necnon prędicta Clementis Prędeceſſoris, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Aprilis MDCLXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

I. G. Sluſius.

1. *Confraternitates.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXVIII*, & *MDCXC.*

Anno 1678 Die 1 Octobris .

Confirmatio Decreti , ut Confraternitates (1) ſub titulo Sanctiſſimi Sacramenti erectæ , & erigendæ ſint participes Indulgentiarum Archiconfraternitati ſub eodem titulo in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam de Urbe inſtitutæ conceſſarum , cum conceſſione Indulgentiarum pro comitantibus idem Sanctiſſimum Sacramentum cum ad infirmos pro viatico deferetur .

V.

Ex Archivo (2) Ordinis .

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam .

INjuncti Nobis cęlitus paſtoralis Officii debitum exigit , ut ad augendam fidelium religionem , promovendamque , animarum ſalutem pia caritate jugiter intenti , ea quę ab hac Sancta Sede ad incitandam, fovendamque eorundem fidelium erga Sanctiſſimum , auguſtiſſimumque Corporis , & Sanguinis Domini Noſtri Jeſu Chriſti Sacramentum pietatem , atque devotionem ſalubriter emanaſſe noſcuntur , Apoſtolici muniminis noſtri patrocinio roboremus , ejuſdemque Sanctiſſimi Sacramenti cultum , & venerationem prudenti cęleſtium munerum diſpenſatione , quantum Nobis ex alto conceditur , ampliare ſtudeamus . Dudum ſiquidem de mandato felicis recordationis Clementis Papę X prędeceſſoris noſtri emanavit a Congregatione tunc exiſtentium S.R.E. Cardinalium Indulgentiis , & ſacris Reliquiis prępoſitorum decretum tenoris qui ſequitur , videlicet : Licet ſanctę memoriæ Paulus PP. III per binas ſuas Conſtitutiones conceſſerit , ut Sanctiſſimi Corporis Chriſti Confraternitates omnes , & ſingulę ubivis locorum inſtitutę, ac inſtituendę , iiſdem privilegiis , conceſſionibus , Indulgentiis , gratiis , & indultis , quę Confraternitati Sanctiſſimi Sacramenti in Eccleſia S. Marię ſuper Minervam de Urbe erectę largitus fuerat , ac in poſterum largiretur , uti , potiri , & gaudere poſſent , ac deberent ; quia tamen per nonnullas Apoſtolicas Conſtitutiones , & Ordinationes , quę deinceps emanarunt , pręſertim vero ſimilis memorię Clementis VIII Conſtitutionem de aggregationibus editam , facultates , & indulgentię , tam ſupradictę S. Marię de Minerva , quam ceteris omnibus Confraternitatibus antea conceſſę , aut abrogatę , aut ſaltem moderatę comperiuntur , aliaque hoc de genere decreta ſunt , ex quibus in dubium revocari poſſe videtur , an hujuſmodi Pauli III conceſſiones priſtinum ſuum robur adhuc retineant : Congregatio Eminentiſſimorum , & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis , ſacriſque Reliquiis pręfectorum optans ſummopere Sanctiſſimi Sacramenti venerationem , & cultum in dies magis augeri , & ob eam cauſam hujuſmodi Societatem in omnibus Eccleſiis parochialibus erigi , atque ad id Chriſti fideles pręcipuis gratiis excitari ; ſpeciali ordine habito vivę vocis oraculo a Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente Papa X felicis recordationis Pauli V veſtigiis inhęrente , decernit , ac declarat , juxta eaſdem Pauli Tertii Conſtitutiones, Confraternitates omnes , & ſingulas Sanctiſſimi Corporis Chriſti , ubique terrarum hactenus Apoſtolica , vel ordinaria auctoritate erectas , aut poſthac erigendas , abſque nova , aut peculiari alia conceſſione , communicatione , vel aggregatione fore , & eſſe debere participes quorumcunque privilegiorum , conceſſionum , indulgentiarum , facultatum , gratiarum , & indultorum ab eodem Paulo V Archiconfraternitati Sanctiſſimi Sacramenti de Minerva per Breve datum Romę apud S. Petrum die tertia Novembris MDCVI nominatim , & expreſſe conceſſorum , ac in poſterum a Sede Apoſtolica concedendorum , illiſque omnibus , & ſingulis uti , potiri , & gaudere poſſe , ac debere , ſtatim , atque Confraternitatum earundem erectio Apoſtolica , vel ordinaria auctoritate facta fuerit ; ſervata tamen in reliquis omnibus prędicta Clementis VIII Conſtitutione . Non obſtantibus Conſtitutionibus , & ordinationibus Apoſtolicis de Indulgentiis ad inſtar non concedendis , nec aliis contrariis quibuſcunque . Datum Romę die XXIII Aprilis MDCLXXVI. C. Cardinalis Maximus . Michael Angelus Riccius Secret. Quare Nos perpetuę ejuſdem decreti firmitati conſulere cupientes , decretum ipſum pręinſertum , cum omnibus , & ſingulis in eo contentis , auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium approbamus , confirmamus , & innovamus , illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus . Pręterea omnibus , & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus , tam in alma Urbe noſtra , quam alibi ubicunque locorum degentibus , qui prędictum Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum , cum ad infirmos pro viatico deferetur , devote comitati fuerint , ac pro Chriſtianorum Principum concordia , hęreſum extirpatione , ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint , quacunque vice id egerint , ſi cum lumine , ſeptem annos , & totidem quadragenas , ſi vero ſine lumine illud , ut pręfertur , comitati fuerint , quinque annos , & quinque quadragenas reſpective de injunctis eis , aut alias quomodolibet per eos debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta miſericorditer in Domino relaxamus . Pręſentem autem Indulgentiarum conceſſionem , ſeu pęnitentiarum relaxationem non cumulative cum aliis ſimilibus , quę pręmiſſa peragentibus antehac , & pręſertim a recolendę memorię Clemente PP. VIII Predeceſſore pariter noſtro conceſſę reperiuntur , ſed privative ad illas unicuique fidelium prędictorum ſuffragari poſſe , & debere declaramus . Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas , validas , & efficaces exiſtere , & fore , ſuoſque plenarios , & integros effectus ſortiri , & obtinere , & illis , ad quos ſpectat , & pro tempore quandocunque ſpectabit , in omnibus , & per omnia pleniſſime ſuffragari , ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios , & delegatos , etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores , ac ejuſdem S. R. E. Cardinales , etiam de latere Legatos , & Apoſtolicę Sedis Nuncios , alioſve

quos-

quosl[illegible]t quacunque pręeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus noſtra de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die I Octobris MDCLXXVIII, (3) Pontificatus noſtri Anno Secundo.

J. G. Sluſius.

1. *Confraternitates.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar, *Romę* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXXVIII.*

3. *MDCLXXVIII.*) Hic vel mendum irrepſit, & legendum *MDCLXXVII*, vel dicendum quod in ipſiſmet Brevibus annos Pontificatus a die Conſecrationis incepit *Innocentius XI.*

Ratas habet, & firmat Confraternitates (1) SS. Roſarii.

Anno 1679 Die 15 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VI.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Monroy Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, quod licet multę in dicti Ordinis, aliiſque Eccleſiis, ſeu Oratoriis exiſtant Confraternitates utriuſque ſexus Chriſti fidelium ſub titulo Sanctiſſimi Roſarii, quę ſuas functiones ad inſtar ſimilium Confraternitatum obeunt, multaque pietatis, & Chriſtianę caritatis opera exercent, de aliquarum tamen ex illis canonica ab initio inſtitutione forſan non conſtat, & in aliarum erectionibus, & inſtitutionibus pręſcripta per Conſtitutionem felicis recordationis Clementis PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, quę incipit: Quęcunque a Sede Apoſtolica &c. die VII Decembris MDCIV, editam forſan ſervata non fuerunt, & alię ante emanatam Conſtitutionem hujuſmodi erectę, & inſtitutę novas erectionum, & inſtitutionum hujuſmodi, ac communicationis Indulgentiarum, facultatum, & privilegiorum literas intra tempus ab eadem Conſtitutione pręfixum, ſeu etiam poſtea impetraſſe minime reperiuntur. Nobis propterea dictus Antonius Magiſter Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Antonium Magiſtrum Generalem ſpecialis favore gratię proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnes, & ſingulas Confraternitates prędictas ſub titulo SS. Roſarii in quibuſvis tam dicti Ordinis, quam aliis Eccleſiis, ſeu Oratoriis ubicunque locorum de pręſenti exiſtentes, tametſi de earum canonica ab initio erectione, & inſtitutione non appareat, nec ipſas Confraternitates novas erectionum, & inſtitutionum, ſeu Communicationis Indulgentiarum, facultatum, & privilegiorum hujuſmodi literas infra tempus a pręfata Clementis Prędeceſſoris Conſtitutione pręfixum obtinuiſſe reperiatur, nec in earum erectionibus, & inſtitutionibus pręſcripta per eandem Conſtitutionem ſervata fuerint, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, & validamus, eaſque in ſtatu valido eſſe, & fore decernimus, & declaramus in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi illas omnes, & ſingulas ab ipſo initio canonice erectas, & inſtitutas fuiſſe, novaſque erectiones, & inſtitutiones ſuo tempore juxta formam memoratę Conſtitutionis Clementis Prędeceſſoris obtinuiſſe conſtaret, & in reliquis ejuſdem Conſtitutionis forma in illarum erectionibus, & inſtitutionibus reſpective ſervata fuiſſet, omneſque, & ſingulos juris, & facti defectus, qui propter pręmiſſa deſuper quomodolibet intervenerunt, ſeu interveniſſe dici, cenſeri, vel pretendi poſſent, ſupplemus, & ſanamus. Et, quatenus opus ſit, ipſas Confraternitates omnes, & ſingulas, ſervata tamen ceteroqui Conſtitutionum, & Decretorum hujus Sanctę Sedis, pręſertim citra diſtantiam locorum in erectione Confraternitatum ſimilis Inſtituti ſervandam emanatorum forma, & diſpoſitione de novo erigimus, & inſtituimus. Ceterum in erectione, & inſtitutione ſimilium Confraternitatum de cetero faciendis formam in ſupradicta Clementis Prędeceſſoris Conſtitutione pręſcriptam adamuſſim ſervari volumus, alioquin erectiones, & inſtitutiones hujuſmodi nullius omnino ſint roboris, & momenti. Decernentes eaſdem pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque, in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, pręmiſſis, & quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę regula de non concedendis indulgentiis ad inſtar, ac prędicta Clementis Prędeceſſoris, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus, Apoſtolicis, necnon quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium

prę-

prǫmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores prǫſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum, inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prǫmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem prǫſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonǫ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutǫ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quǫ haberetur ipſis prǫſentibus, ſi forent exhibitǫ, vel oſtenſǫ. Datum Romǫ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Junii MDCLXXIX, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. G. Sluſius.

1. *Confraternitates.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex Archivo Apoſtolico, & aliud typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCCXIII*.

Anno 1679 Die 15 Junii.

VII.

Indulgentiæ Confratribus (1) SS. Roſarii conceſſæ mortuis attribui poſſunt.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

AD ea per quǫ animarum ſaluti conſulitur propenſis ſtudiis intendimus, & pia Chriſti fidelium vota in id ipſum tendentia favoribus, & gratiis libenter proſequimur opportunis. Supplicationibus itaque dilecti filii Antonii de Monroy Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prǫdicatorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & ſingulis Confraternitatum Sanctiſſimi Roſarii hactenus erectarum, & poſt hac quandocunque erigendarum Confratribus, & Consororibus, ut omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pǫnitentiarum relaxationes eiſdem Confraternitatibus auctoritate Apoſtolica conceſſas, & in earum Summario de licentia Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis prǫpoſitorum, ſeu cum illius approbatione propediem publicando expreſſas, quas lucrifecerint, animabus fidelium defunctorum, quǫ Deo in caritate conjunctǫ ab hac luce migraverint, per modum ſuffragii applicare valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore prǫſentium, concedimus, & indulgemus. In contrarium facien. non obſtantibus quibuſcunque. Volumus autem, ut prǫſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonǫ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutǫ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra, habeatur, quǫ haberetur ipſis prǫſentibus, ſi forent exhibitǫ, vel oſtenſǫ. Datum Romǫ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Junii MDCLXXIX, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. G. Sluſius.

1. *Confratribus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum.

Anno 1679 Die 16 Junii.

VIII.

Nonnullas Indulgentias Confraternitatibus (1) SS. Roſarii conceſſas ratas habet, & firmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Monroy Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prǫdicatorum, quod licet dudum bonǫ memoriǫ Alexander dum vixit Epiſcopus Forolivien. tunc Apoſtolicǫ Sedis cum poteſtate Legati de latere per totam Germaniam Nuncius omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii Confratribus, & Consororibus in ſingulis quinque Beatiſſimǫ Mariǫ Virginis prǫcipuis feſtivitatibus, ſcilicet Annunciationis, Viſitationis, Aſſumptionis, Nativitatis, & Purificationis centum, & quoties per ſe, vel per alios Roſarium Virginis, quod quinquagies Salutationem Angelicam, & quinquies Orationem Dominicam complectitur, legiſſent, vel legi feciſſent, aut in die Sabbathi feriali, vel feſtivo, quando Salve Regina caneretur, poſt completorium apud Fratres Ordinis Prǫdicatorum coram Altari Clementiſſimǫ Virginis, ubi prǫfata Confraternitas inſtituta erat, prǫſentes adſtitiſſent, quadraginta dies de Indulgentia ſingulis vicibus, quibus id feciſſent, pro injunctis ſibi pǫnitentiis miſericorditer in Domino relaxaverit. Ac poſtmodum accepto per felicis recordationis Sixtum PP. IV Prǫdeceſſorem noſtrum, quod in Eccleſia domus Ordinis Prǫdicatorum Civitatis Colonien. erat quǫdam Confraternitas utriuſque ſexus fidelium de Roſario Beatǫ Virginis nuncupata ad honorem Angelicǫ Salutationis inſtituta, cujus Confratres, & Consoro es intra ſpatium trium dierum cujuslibet hebdomadǫ Orationem Dominicam quindecim, & Angelicam Salu-

Salutationem centum quinquaginta vicibus ad honorem ejuſdem Beatę Virginis Marię juxta ipſius Confraternitatis inſtituta dicere conſueverant, quas quidem Orationes, & Salutationes Roſarium appellabant. Et extra dictam Civitatem Colonien. in aliis Civitatibus, & locis erant quamplures utriuſque ſexus ejuſdem Confraternitatis Confratres, & Conſorores, idem Sixtus Prędeceſſor voluerit, & ordinaverit, quod omnes, & ſinguli Confratres, & Conſorores Confraternitatem prędictam ſervantes, tam in dicta Civitate Colonien., quam & alibi ubicunque locorum tunc, & pro tempore exiſtentes vere pęnitentes, & confeſſi, qui Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam prędictas modo pręmiſſo dicerent, in ſingulis Nativitatis, Annunciationis, & Aſſumptionis Beatę Marię Virginis feſtivitatibus Indulgentiam ſeptem annorum, & totidem quadragenarum conſequerentur. Et inſuper bonę memorię Raymundus tit. Sanctę Marię Novę Presbyter Cardinalis tunc per Germaniam dictę Sedis Legatus eiſdem Confratribus, & Conſororibus pro quolibet Roſario centum dies Indulgentiarum perpetuo conceſſerit, originales tamen literę ſuper conceſſionibus Indulgentiarum hujuſmodi emanatę de pręſenti non reperiuntur, quamvis de ipſis conceſſionibus, & literis fiat mentio in quibuſdam literis recolendę memorię Leonis PP. X Prędeceſſoris pariter noſtri, quę incipiunt: Paſtoris ęterni &c. Anno Incarnationis Dominicę MDXX, pridie nonas Octobris ſub plumbo expeditis per quas Indulgentię pręfatę ab eodem Leone Prędeceſſore approbatę, confirmatę, & innovatę, ac de novo perpetuo conceſſę fuerunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ſubinde pię memorię Clemens PP. VII, etiam Prędeceſſor noſter quaſdam literas, per quas ſimilis recordationis Adrianus PP. VI pariter Prędeceſſor noſter Confratribus, & Conſororibus Confraternitatis ad Altare in Capella de Roſario nuncupata Beatę Marię Virginis ſitum in Eccleſia domus S. Dominici Oppidi de Victoria dicti Ordinis Calaguritan. Dięceſis inſtitutę, qui in eadem Capella, vel Eccleſia hujuſmodi unam, quinquagenam Roſarium, ſeu Pſalterium nuncupatam recitaſſent, pro qualibet die, qua id feciſſent quinquaginta annos de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxaverat, auctoritate Apoſtolica extenderit, & ampliaverit, ad hoc ut pręfati Confratres dictę Confraternitatis tunc, & pro tempore exiſtentes, qui dictum Pſalterium in aliqua Eccleſia, ſeu Oratorio cujuſvis loci, in quo eos pro tempore reſidere contingeret devote recitaviſſent, quoties id feciſſent, Indulgentias pręfatas conſequerentur, quas conſequuturi fuiſſent, ſi in dicta Eccleſia Sancti Dominici juxta tenorem conceſſionis dicti Adriani Prędeceſſoris id recitaſſent, prout uberius contineri dicitur in literis ipſius Clementis Prędeceſſoris ſub plumbo deſuper Anno Incarnationis Dominicę MDXXIV pridie nonas Aprilis emanatis, quę quidem originales non inveniuntur, ſed in quodam libro in Hiſpania dudum cum approbatione tunc exiſtentis Nuncii Apoſtolici in Regnis Hiſpaniarum reſidentis impreſſo leguntur. Cumque pariter non reperiantur originales literę ſimilis memorię Gregorii PP. XIII, etiam Prędeceſſoris noſtri die XXIV Octobris MDLXXVII, ut ex illarum exemplis Bononię impreſſis apparet, expeditę per quas idem Gregorius Prędeceſſor univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus Confratribus tunc, & pro tempore exiſtentibus Confraternitatis Roſarii Glorioſiſſimę Virginis Marię in Capella familię de Guidottis ſita in Eccleſia domus Sancti Dominici Ordinis Prędicatorum Bononien. canonice inſtitutę pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui ſingulis annis ſolemni proceſſioni prima Dominica cujuſlibet menſis in dicta Eccleſia celebrandę interfuiſſent, & dictam Capellam devote viſitaviſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, & unione, ac hęreſum extirpatione, Sanctęque Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effudiſſent, necnon in ſingulis feſtivitatibus ejuſdem Beatę Marię Virginis eandem Capellam pariter viſitaſſent, &, ut pręfertur, oraviſſent, quo die prędictorum id feciſſent, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino conceſſit. Quia vero de pręſenti conficitur Summarium Indulgentiarum Confratribus, & Conſororibus Confraternitatum Sanctiſſimi Roſarii conceſſarum, & reſpective auctoritate Apoſtolica extenſarum, & ampliatarum pręvia Congregationis venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis prępoſitorum approbatione, ad communem utilitatem publicandum, ne de ſupra expreſſis Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, ſeu pęnitentiarum relaxationibus dubitari contingat, pręfatus Antonius Magiſter Generalis opportune in pręmiſſis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum deſideret, Nos piis ipſius Antonii Magiſtri Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium conſilio, ut omnes, & ſingulę Indulgentię, & peccatorum remiſſiones, ac pęnitentiarum relaxationes ſupra narratę in Summario prędicto apponi, & exprimi poſſint, ac Confraternitatum hujuſmodi Confratribus, & Conſororibus ſuffragentur, & ſuffragari debeant in omnibus, & per omnia, ac ſi originales literę pręfatorum Sixti IV, Clementis VII, & Gregorii XIII Prędeceſſorum noſtrorum, ac Alexandri Epiſcopi Nuncii, & Raymundi Cardinalis Legati ſuper earum conceſſionibus emanatę apparerent, & exhiberentur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Ac ad majorem cautelam, &, quatenus opus ſit, eaſdem Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pęnitentiarum relaxationes modo, & forma ſupra expreſſis, harum ſerie de novo in perpetuum concedimus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVI Junii MDCLXXIX, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. G. Sluſius.

1. *Con-*

1. *Confraternitatibus*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo*.) In quo autographum.

Anno 1679 Die 31 Julii.

IX.

Firmat, & auget Indulgentias SS. Roſarii (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

NUper pro parte dilecti filii Antonii de Monroy Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum Nobis expoſitum fuit, quod de hujus Sanctę Sedis mandato confectum, & a Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & ſacris Reliquiis prępoſita reviſum, & approbatum fuit Summarium Indulgentiarum, & aliarum gratiarum ſpiritualium Confraternitatibus ſub titulo Sanctiſſimi Roſarii erectis, & inſtitutis auctoritate Apoſtolica conceſſarum, tenoris qui ſequitur, videlicet:

Summarium Indulgentiarum, & gratiarum Confratribus, & Conſororibus Sanctiſſimi Roſarii tam in vita, quam in morte conceſſarum.

CAPUT PRIMUM.

De confirmatione, & extenſione Indulgentiarum Sanctiſſimi Roſarii.

Primo ſciendum a multis Summis Pontificibus reſpective fuiſſe confirmatas Indulgentias, & gratias ab eorum anteceſſoribus benigne elargitas Confratribus, & Conſoribus Sanctiſſimi Roſarii, nimirum a Leone X in Bulla, quę incipit. Paſtoris ęterni. die VI Octobris MDXX, a Clemente Septimo in Brevi. Etſi temporalium. die VIII Maii MDXXXIV, a Julio III in Brevi. Sincerę devotionis. XXIV Auguſti MDLI, a Pio V in Brevi. Inter deſiderabilia. die XXVIII Junii MDLXIX, ac in Brevi: Conſueverunt: die XVII Septembris MDCLXIX. Deinde cum omni amplitudine confirmatas, & innovatas a Sixto V in Brevi, quod incipit. Dum ineffabilia. XXX Januarii MDLXXXVI. Denique etiam Paulus V in Brevi. Cum olim. die XX Septembris MDCVIII, revocato Brevi ſuo revocatorio Indulgentiarum antiquarum Sanctiſſimi Roſarii in executionem Conſtitutionis Clementis VIII, incipientis. Quęcunque, & illud ad terminos juris reduxit, & priſtino ſtatui reſtituit eaſdem Indulgentias a Summis Pontificibus ſuis prędeceſſoribus conceſſas Confraternitatibus Sanctiſſimi Roſarii canonice inſtitutis, ubique locorum exiſtentibus. Secundo omnes Indulgentias ſpecialiter, vel generaliter, aut quocunque modo uni, vel pluribus Confraternitatibus Sanctiſſimi Roſarii, vel etiam Confratribus, & Conſororibus alicujus Confraternitatis in aliqua particulari Eccleſia erectę impertitas, communes eſſe omnibus Confraternitatibus Sanctiſſimi Roſarii, omnibuſque Confratribus, & Conſororibus omnium dictarum Confraternitatum univerſi Orbis. Hoc indulſit Gregorius XIII in Brevi incipiente. Paſtoris ęterni. V Maii MDLXXXI pro Confraternitatibus canonice erectis. Et Sixtus V in pręfato Brevi. Dum ineffabilia: omnia privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, conceſſiones, Indulgentias, etiam plenarias a Summis Pontificibus conceſſa, & conceſſas Confraternitatibus, & Confratribus Sanctiſſimi Roſarii extendit, & ampliat in perpetuum ad Confraternitates erigendas, illarumque Confratres, & Conſorores pro tempore exiſtentes. Tertio denique quaſcunque Indulgentias in hoc Summario contentas, quę conceſſę ſunt alicui particulari Confraternitati Sanctiſſimi Roſarii vigore pręfatarum literarum Apoſtolicarum, communes eſſe cuilibet Confraternitati, & cuilibet reſpective Confratri, aut conſorori in aliqua Confraternitate deſcriptis.

CAPUT SECUNDUM.

Indulgentiæ pro iis, qui ad Confraternitatem Sanctiſſimi Roſarii recipiuntur.

Primo Pius V in pręfato Brevi: Conſueverunt: concedit Plenariam Indulgentiam omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus per deputatos a Magiſtro Generali, vel Vicario Generali pro tempore deſcriptis, vere pęnitentibus, & confeſſis, qui prima vice deſcripti fuerint, & Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum in aliqua Eccleſia, ſeu Capella dictę Confraternitatis perceperint, & unam ſaltem quinquagenam Roſarii recitaverint, & pro tranquillitate Sanctę Matris Eccleſię oraverint, eandem elargitur illis, qui in mortis articulo conſtituti ſalutaris pęnitentię, & Viatici Sacramentis fuerint muniti. Secundo Clemens VIII in Brevi. Salvatoris. die XIII Januarii MCXCII, Omnibus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, atque Sanctiſſimo Euchariſtię Sacramento refectis, qui Roſarii Confraternitatem ingredientur erectam in Eccleſia Prędicatorum Oppidi Divionenſis, die prima eorum ingreſſus plenariam Indulgentiam elargitur. Tertio eandem pariter Indulgentiam concedit idem Pontifex in Bulla, quę incipit. De ſalute Gregis. die XVIII Januarii MDXCII pro deſcriptis in Confraternitate erecta in Eccleſia Prędicatorum Utini.

CA-

CAPUT TERTIUM.

Indulgentiæ pro recitantibus Roſarium diebus ordinariis.

Primo Confratres lucrantur quadraginta dies Indulgentiarum quoties recitaverint, aut recitari fecerint tertiam partem Roſarii, uti conceſſit Alexander Epiſcopus Forolivienſis per univerſam Germaniam Legatus a latere Confratribus Confraternitatis inſtitutę in Eccleſia Prędicatorum Colonię, ut apparet in literis incipientibus: Etſi glorioſos: die X Martii MCCCCLXXVI, quam conceſſionem confirmavit Leo X in pręfata Bulla: Paſtoris ęterni: Secundo cuicunque fideli tertiam partem Roſarii recitanti elargitur Sixtus IV in Bulla incipiente: Ea quę ex fidelium: XII Martii MCCCCLXXIX quinque annos, & quinque quadragenas. Eandem etiam confirmat Leo X in pręfata Bulla: Paſtoris ęterni. Tertio ex conceſſione Innocentii VIII in Bulla, quę incipit; Splendor Paternę glorię: Romę XXVII Februarii MCCCCLXXXVIII Confratribus, & Conſororibus in aliqua Confraternitate in Ordine Prędicatorum erecta conſcriptis, vereque pęnitentibus, & confeſſis, qui tertiam Roſarii partem recitaverint, toties quoties id egerint, ſexaginta millia annorum, & totidem quadragenę indulgentiarum de injunctis ſibi pęnitentiis relaxantur. In eadem Bulla iiſdem Confratribus, & Conſororibus nunc, & pro tempore exiſtentibus vere pęnitentibus, ac ob Beatiſſimę Virginis Marię reverentiam Roſarium deferentibus pręfatus Innocentius centum annos, & totidem quadragenas Indulgentiarum de injunctis ſibi pęnitentiis miſericorditer indulget. Inſuper iiſdem Confratribus, ſi nomen Jeſu in fine cujuslibet Angelicę Salutationis nominaverint, quinque annos, & totidem quadragenas ſimiliter concedit. Quarto Franciſcus de Claramonte tituli Sancti Stephani in Cęlio monte S. R. E. presbyter Cardinalis Roſarii Societatem in Biterrenſi Civitate inſtitutam auctoritate Apoſtolica ſibi conceſſa, approbavit, confirmavit, & ratificavit, ejuſque Confratribus, & Conſororibus quotieſcunque per ſe, vel per alium Beatę Marię Virginis Roſarium, quod 50 Ave Maria continet, & quinque Pater noſter, continue legerint, vel legi fecerint, centum dies Indulgentiarum largitus eſt, & Fratre Antonio Curone in S. Theologia Pręſentato Roſarium idem prędicante omnibus Chriſti fidelibus, ſermonem ejus audientibus, centum dies pro qualibet vice de injunctis pęnitentiis relaxavit. Quinto Raymundus tituli S. Marię Novę Cardinalis per Germaniam Sanctę Sedis Legatus concedit Confratribus, & Conſororibus Roſarii Confraternitatis Colonienſis quoties Roſarium recitaverint, centum dies Indulgentiarum. Quod confirmavit Leo X in pręfata Bulla: Paſtoris ęterni. Sexto Confratribus, & Conſororibus dictę Confraternitatis Colonię inſtitutę vere pęnitentibus, & confeſſis, ſeu confitendi propoſitum habentibus, qui ter in hebdomada Roſarium devote recitaverint, pro qualibet vice decem annos, & totidem quadragenas de injunctis pęnitentiis relaxat Leo X in pręfata Bulla: Paſtoris ęterni. Septimo Adrianus VI in Bulla, quę incipit: Illius qui Dominicum gregem: die prima Aprilis Anni MDXXIII omnibus Confratribus Oppidi de Victoria dięceſis Calaguritanę, qui in Capella Sanctiſſimi Roſarii, aut in quacunque parte ipſius Eccleſię, ex qua Altare dictę Capellę conſpici poſſit, recitaverint ſingulis diebus tertiam partem Roſarii pro qualibet die, qua id fecerint, ut pręfertur, quinquaginta annos de injunctis pęnitentiis pariter relaxat. Clemens autem VII in Bulla incipiente: Conſiderantes: die VI Aprilis MDXXIV, & in alia, quę incipit: Ineffabilia: die XXIII Martii Anno MDXXIX, concedit eandem Indulgentiam Confratribus dictę Confraternitatis, qui extra Civitatem prędictam exiſtentes in aliqua Eccleſia, ſeu Oratorio cujuſvis loci, tertiam Roſarii partem devote recitaverint. Octavo Clemens VII in Brevi: Etſi temporalium: VIII Maii MDXXXIV addidit duos annos Indulgentię Confratribus inſtitutarum Confraternitatum pro quolibet ex tribus diebus hebdomadę in quo tertiam partem Roſarii recitabunt, dummodo in ſeptimana integrum Roſarium recitent. Cum enim ad lucrandam Indulgentiam a Sixto IV conceſſam, neceſſarium eſſet uno die totum Roſarium recitare, voluit Clemens pręfatus ſufficere ad prędictum effectum recitare integrum Roſarium in una ſeptimana aſſignans pro diebus diem, & pro pluribus vicibus unam vicem. Et cum prędicta Bulla publicata non fuerit vivente Clemente publicata fuit per Paulum III in Breve quod incipit: Rationi congruit: die III Novembris MDXXXIV. Nono Pius V Confratribus Confraternitatum Sanctiſſimi Roſarii erectarum per Fratrem Ambroſium Salvio de Balneolo Ordinis Prędicatorum quoties devote recitaverint Roſarium reliquis anni diebus, exceptis diebus Annunciationis, Aſſumptionis, Nativitatis, & Purificationis Beatiſſimę Marię Virginis, in quibus major acquiritur Indulgentia, conceſſit quadraginta dies Indulgentiarum, prout conſtat ex Brevi quod incipit: Injunctum Nobis: die XIV Junii MDLXVI. Decimo Ex ejuſdem Pontificis conceſſione in Brevi: Conſueverunt: XVII Septembris MDLXIX Confratres Confraternitatum erectarum, & per deputatos a Magiſtro Generali, vel Vicario Generali pro tempore deſcripti, ſi devote recitaverint Roſarium integrum qualibet ſeptimana lucrantur Indulgentiam ſeptem annorum, & totidem quadragenarum de pęnitentiis injunctis. Undecimo Clemens IX denique in Brevi: Exponi Nobis: die XXII Februarii MDCLXVIII elargitur Confratribus Confraternitatum erectarum, & erigendarum in futurum in Indiis Regi Hiſpaniarum ſubjectis integrum Roſarium recitantibus omnes, & ſingulas Indulgentias, quibus ex Apoſtolica conceſſione fruuntur omnes Chriſti fideles in Regnis Hiſpanię recitantes Coronam Beatiſſimę Virginis.

CAPUT QUARTUM.

Indulgentiæ, quas Confratres in particularibus anni diebus recitantes Roſarium lucrantur.

Primo Alexander Epiſcopus Forolivienſis in Germania Legatus centum dies Indulgentię concedit omnibus, & ſingulis Confratribus Confraternitatis Colonienſis dicentibus tertiam partem Roſarii in quinque feſtivitatibus Beatiſſimę Virginis videlicet Annunciationis, Viſitationis, Aſſumptionis, Nativitatis, & Purificationis, uti conſtat ex pręfata Bulla Leonis X: Paſtoris ęterni. Secundo Innocentius VIII anno MCCCCLXXXIV XV Octobris vivę vocis oraculo conceſſit omnibus Confratribus Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii recitantibus Roſarium per hebdomadam Indulgentiam plenariam, & omnium peccatorum remiſſionem applicandam, a Confeſſario ſecundum eorum arbitrium eligendo ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo, quam Indulgentiam Leo X, in pręfata Bulla: Paſtoris ęterni: confirmat. Tertio Sixtus IV in Bulla incipiente: Paſtoris ęterni: die XXIX Maii MCCCCLXXVIII elargitur ſeptem annos, & totidem quadragenas Confratribus Confraternitatis Colonienſis vere pęnitentibus, & confeſſis dictam Confraternitatem ſervantibus, qui integrum Roſarium recitaverint in diebus feſtis Nativitatis, Annunciationis, & Aſſumptionis Beatiſſimę Virginis, ſicut refert, & confirmat Leo X in pręfata Bulla: Paſtoris ęterni. Quarto Pius V in pręfato Brevi: Injunctum Nobis: concedit omnibus Confratribus Confraternitatum Roſarii inſtitutarum, & inſtituendarum a Fratre Ambroſio Salvio de Balneolo qui corde contriti, confeſſi, devoteque communicati in die, & Feſtivitate Annunciationis devote Roſarium recitaverint Indulgentiam plenariam: diebus vero Aſſumptionis, Nativitatis, & Purificationis decem annos, & totidem quadragenas. Quinto idem Pontifex in dicto Brevi pręfatis Confratribus, quoties nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ejuſdem Beatiſſimę Virginis Marię matris ſuę, tam intus, quam extra dictum Roſarium pie, & devote nominaverint, ſeu invocaverint ſeptem dies de injunctis pęnitentiis relaxat. Sexto Pręterea Pius V in Brevi quod incipit, Conſueverunt: concedit omnibus Confratribus Confraternitatum erectarum a deputatis per Magiſtrum Generalem, & Vicarium Generalem pro tempore deſcriptis, qui in diebus Reſurrectionis Domini, Annunciationis, & Aſſumptionis Beatiſſimę Virginis communicati, ut ſupra Cap. II. num. II. dictum eſt, tertiam partem Roſarii recitaverint, decem annos, & totidem quadragenas. Septimo Pręterea iiſdem Confratribus, tertiam partem Roſarii ad minus recitantibus in reliquis diebus feſtis D. N. Jeſu Chriſti, & Beatę Marię Virginis, in quibus ſacra Roſarii Myſteria recenſentur, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis pęnitentiis relaxat.

CAPUT QUINTUM.

Indulgentiæ quas lucrantur Confratres Sanctiſſimi Roſarii proceſſionem aſſociantes fieri ſolitam prima Dominica cujuslibet menſis, & diebus feſtis Beatiſſimæ Virginis.

Primo Pius V in pręfato Brevi: Conſueverunt: omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, etiam non Confratribus, qui proceſſioni Sanctiſſimi Roſarii, quę qualibet prima Dominica menſis fieri conſuevit, devote interfuerint, ſeptem annos, & ſeptem quadragenas de injunctis pęnitentiis relaxat. Secundo Confratres proceſſionem debitis diebus faciendam aſſociantes centum dies Indulgentię conſequuntur ex conceſſione Gregorii XIII Confratribus Roſarii Civitatis Papien. facta in Brevi quod incipit: Cum ſicut: die III Januarii MDLXXIX. Pręterea idem Gregorius in Brevi: Paſtoris ęterni: die V Maii MDLXXXI conceſſit Indulgentiam plenariam omnibus Confratribus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac communicantibus qui proceſſioni prima Dominica cujuslibet menſis interfuerint. Inſuper Confratres, qui propter infirmitatem, aut aliud legitimum impedimentum proceſſionibus prędictis adeſſe nequiverint, ſi confeſſi, & Sanctiſsima communione refecti Roſarium devote recitaverint, aliaſque preces pro Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, hęreſum extirpatione, ac pace inter Principes Chriſtianos concilianda, & conſervanda fuderint, eaſdem Indulgentias conſequuntur quas conſequerentur, ſi ipſis proceſsionibus perſonaliter intereſſent, ex conceſsione ejuſdem Gregorii in Brevi: Cupientes: die XXIV Decembris MDLXXXIII Tertio eandem plenariam Indulgentiam aſſequuntur Confratres, & Conſorores Confraternitatum Roſarii vere pęnitentes, & confeſsi, ac ſacra Communione refecti qui proceſsioni prima Dominica menſis peragendę interfuerint, & pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, ex conceſsione Pauli V in Brevi quod incipit: Piorum hominum: die XV Aprilis MDCVIII. Quarto Pius IV eandem etiam Indulgentiam plenariam conceſsit Confraternitati Sanctiſsimi Roſarii inſtitutę in Eccleſia Sanctę Marię ſuper Minervam in Urbe in Bulla incipiente: Dum pręclara: die XXVIII Februarii MDLXI omnibus Confratribus, & Conſororibus Sanctiſſimi Roſarii vere penitentibus, & confeſſis, vel firmum propoſitum temporibus ſtatutis confitendi habentibus qui proceſſionem aſſociaverint in dicta Eccleſia fieri ſolitam in feſtivitatibus, & ſolemnitatibus glorioſę Virginis Marię, videlicet Purificationis, Annunciationis, Viſitationis, Aſſumptionis, Nativitatis, Pręſentationis, & Conceptionis. Quinto Gregorius XIII in Brevi: Ad augendam: XXIV Octobris MDLXXVII elargitur Indulgentiam plenariam Confratribus Confraternitatis Roſarii erectę in Eccleſia Sancti Dominici Bononię vere pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui ſingulis annis ſolemni proceſſioni prima Dominica cujuslibet menſis in dicta Eccleſia celebrandę interfuerint, & Capellam Sanctiſſimi Roſarii devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, & unione, ac hęreſum extirpatione, ſanctęque Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint.

CA-

CAPUT SEXTUM.

Indulgentiæ pro Confratribus viſitantibus Capellam Sanctiſſimi Roſarii.

Primo. Pius IV in pręfata Bulla: Dum pręclara: concedit Indulgentiam Plenariam iis, qui vere pęnitentes, & confeſſi, vel firmum propoſitum confitendi habentes, ſtatutis ab Eccleſia temporibus devote viſitaverint Capellam Sanctiſſimi Roſarii in Eccleſia Sanctę Marię ſuper Minervam de Urbe in feſtis Beatiſſimę Virginis, videlicet, Purificationis, Annunciationis, Viſitationis, Aſſumptionis, Nativitatis, Conceptionis, & Pręſentationis a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis dictarum feſtivitatum. Secundo. Gregorius XIII in Brevi: Ad augendam: XII Martii MDLXXVII conceſſit Plenariam Indulgentiam Confratribus Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii inſtitutę in Eccleſia Pędicatorum Cremonę, qui vere pęnitentes, & confeſſi, necnon ſacra Communione refecti, devote viſitaverint Capellam Roſarii prima Dominica cujuslibet Menſis, & omnibus feſtis Beatiſſimę, & Glorioſiſſimę Virginis, ibique pias ad Deum preces effuderint pro Chriſtianorum Principum concordia, extirpatione hęreſum, & Sanctę Matris Eccleſię exaltatione. Tertio. Idem Pontifex in Brevi: Ad augendam: die XXIV Octobris MDLXXVII Indulgentiam Plenariam conceſſit cuilibet Confratri Confraternitatis Roſarii erectę in Eccleſia Sancti Dominici Bononię, qui pęnitens, & confeſſus, ac Sanctiſſima Communione refectus Capellam Roſarii S. Dominici de Bononia in ſingulis feſtivitatibus Beatiſſimę Virginis devote viſitaverit, atque ut ſupra oraverit. Quarto. In alio Brevi incipiente: Cum ſicut: III Januarii MDLXXIX, idem Gregorius elargitur Confratribus Confraternitatis erectę in Eccleſia Pędicatorum Civitatis Papien. pro qualibet die, qua viſitaverint Capellam, ſeu Altare Sanctiſſimi Roſarii in pręfata Eccleſia, centum dies Indulgentię orando Deum, ut ſupra. Inſuper concedit Indulgentiam Plenariam Confratribus ejuſdem Confraternitatis Papienſis, qui devote viſitaverint dictum Altare, ſeu Capellam in pręfata Eccleſia tertia Dominica Aprilis, & prima Octobris a primis veſperis, uſque ad occaſum ſolis, dummodo vere pęnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, ut pręfertur, oraverint. Quinto. Idem Gregorius in Brevi: Exponi Nobis: prima Octobris MDLXXVII, concedit Indulgentiam Plenariam omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui vere pęnitentes, & confeſſi prima Dominica Menſis Octobris devote viſitaverint a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis ejuſdem Dominicę, Eccleſiam Sanctę Marię ſuper Minervam de Urbe, & ibi pro Principum concordia &c. pias ad Deum preces effuderint. Sexto. Pręterea idem Pontifex in Brevi: Paſtoris ęterni: die V Maii MDLXXXI, Indulgentiam Plenariam concedit omnibus Confratribus erectarum Confraternitatum Roſarii, qui vere pęnitentes, & confeſſi, ac Sacratiſſima Communione refecti devote viſitaverint Capellam SS. Roſarii illis diebus, quibus aliqua Myſteria Roſarii celebrantur, & Proceſſioni primę Dominicę cujuslibet Menſis interfuerint. Septimo. Clemens VIII in Brevi: Salvatoris, & Domini noſtri: XIII Januarii MDXCII elargitur Plenariam Indulgentiam Confratribus Confraternitatis Roſarii erectę in Eccleſia Pędicatorum Divioni, vere pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui devote viſitaverint Capellam, ſeu Altare Roſarii dictę Eccleſię in qualibet prima Dominica Menſis Octobris a primis veſperis, uſque ad occaſum ſolis, ac inibi pias ad Deum preces effuderint pro Sedis Apoſtolicę, & Fidei Catholicę exaltatione, & hęreſum extirpatione, necnon pacis inter Principes Chriſtianos conſervatione, aut alias prout unicuique ſuggeret devotio. Octavo. Inſuper in eodem Brevi concedit eiſdem Confratribus ſeptem annos, & totidem quadragenas Indulgentię, qui vere pęnitentes, confeſſi, & devote communicati, ultra feſtum Paſchatis Reſurrectionis in diebus feſtis Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatiſſimę Virginis, necnon omnium Sanctorum, & Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti Capellam, aut Altare Sanctiſſimi Roſarii viſitaverint, & Deum, ut pręfertur, oraverint. Nono. Idemmet Clemens VIII in Bulla incipiente: De ſalute gregis: die XVIII Januarii MDXCII, Confratribus, & Consororibus Sanctiſſimi Roſarii Confraternitatis erectę in Civitate Utinenſi, vere pęnitentibus, & confeſſis, ac Communione Sacra refectis, qui in feſtivitate Aſſumptionis Beatiſſimę Virginis ſingulis annis devote viſitaverint Eccleſiam dictę Confraternitatis a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis, ibique aliquas preces effuderint pro exaltatione Sanctę Matris Eccleſię, extirpatione hęreſum, reductione hęreticorum, & converſione infidelium, & pro conſervatione pacis, concordię, & unionis inter Principes Chriſtianos, quoties id egerint, Indulgentiam Plenariam concedit. Pręterea in eadem Bulla iiſdem Confratribus, qui vere pęnitentes, confeſſi, & communicati devote viſitaverint pędictam Eccleſiam in ſolemnitatibus Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, & Viſitationis Glorioſę Virginis Marię, & oraverint, ut ſupra, ſeptem annos, & ſeptem quadragenas Indulgentię elargitur.

CAPUT SEPTIMUM.

Indulgentiæ quas Confratres, & Conſorores Sanctiſſimi Roſarii lucrantur pia opera exercentes.

Primo. Alexander Epiſcopus Forolivienſis, Legatus Apoſtolicus per Germaniam, conceſſit quadraginta dies Indulgentię de injunctis ſibi pęnitentiis omnibus Confratribus Confraternitatis Roſarii erectę Colonię, qui Sabbatis, & feſtivis diebus interfuerint dum cantatur Salve Regina poſt Completorium coram Altari Beatiſſimę Virginis, ubi pędicta Confraternitas inſtituta eſt, quam conceſſionem confirmavit Leo X in pręfata Bulla: Paſtoris ęterni. Secundo, Gregorius XIII in pręfato Brevi: Cum ſicut accepimus: III Januarii MDLXXIX, Confratribus Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii Papię relaxat centum dies de injunctis eis, ſeu quomodolibet debitis pęnitentiis, qui vexillum Sanctiſſimi Roſarii aſſociaverint, quando corpora mortuorum Confratrum deferuntur ad ſepulturam, & interfuerint anni-

anniverſariis pro animabus defunctorum Confratrum celebrandis, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia &c. vel alias oraverint, vel infirmos Confratres ad eccleſiaſtica Sacramenta ſumenda hortati fuerint, & viſitaverint. Tertio, Clemens VIII in Brevi: Salvatoris: die XIII Januarii MDXCII (3) Confratribus Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii erectę in Eccleſia Prędicatorum Oppidi Divionenſis, qui divinis officiis per illos Confratres, ſeu ex eorum inſtituto in dicta Capella decantandis, ac Congregationibus publicis, vel ſecretis pro felici directione dictę Confraternitatis habendis interfuerint, atque aſſociaverint Sanctiſſimum Sacramentum, dum ad aliquem infirmum deferri contigerit, ac qui legitime impediti hoc facere nequiverint, campanę ad id ſigno dato, genuflexi, ſi potuerint, Orationem Dominicam pro eodem infirmo recitaverint, necnon cujuſcunque Confratris cadaver ad ſepulturam Eccleſiaſticam aſſociaverint, vel eos in eorum infirmitatibus viſitaverint, & conſolati fuerint, ac Orationem Dominicam quinquies, & toties Angelicam Salutationem coram Imagine Sanctiſſimi Crucifixi in honorem quinque plagarum Domini noſtri Jeſu Chriſti pro animabus eorundem Confratrum in Chriſti caritate defunctorum recitaverint, quoties aliquod pręmiſſorum fecerint, ſexaginta dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis penitentiis relaxat. Quarto. Idem in Brevi: Ineffabilia Dei Genitricis: die XII Februarii MDXCVIII Confratribus Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii erectę in Eccleſia Sancti Pauli Valliſoleti Ordinis Prędicatorum centum dies, quoties vere pęnitentes, & confeſſi, ſeu a jure ſtatutis temporibus firmum confitendi propoſitum habentes, Antiphonę Salve Regina in pręfata Eccleſia poſt Completorium decantari ſolitę, interfuerint. In feſtivitatibus autem Beatiſſimę Virginis, necnon Sanctorum Apoſtolorum, & Sanctorum dicti Ordinis, & quando ipſi Confratres juxta ſtatuta dictę Confraternitatis, cum cereis accenſis adeſſe tenentur, eiſdem Confratribus, ut pręfertur, intereſſentibus tres annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut quomodolibet debitis pęnitentiis relaxat. Illis autem Confratribus, qui pro ſolemnitate a dicta Confraternitate celebrari ſolita Dominica infra octavam Nativitatis Beatiſſimę Virginis ornandis Altaribus, vel Eccleſię prępurandę vacaverint, aut ornamenta ad divinum cultum ſpectantia miſerint, centum dies Indulgentię concedit, extendens ſupradictas Indulgentias ad infirmos, mulieres gravidas, & legitime impeditos, qui flexis genibus prędictam Antiphonam Salve Regina, coram Altari, vel Imagine Beatę Virginis devote recitaverint, qui autem Confratrem infirmum viſitaverint, aut corpus defuncti Confratris ad dictam Eccleſiam aſſociaverint, tres annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pęnitentiis. Quinto, Idem Pontifex in Bulla: De ſalute gregis: die XV Februarii anno MDXCII Confratribus Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii erectę in Eccleſia Prędicatorum Utini, quoties interfuerint divinis officiis, aut Miſſis, quę celebrantur in dicta Eccleſia, vel intuitu, vel ex inſtituto, aut conſuetudine dictę Confraternitatis, aut hoſpitio pauperes peregrinos exceperint, aut eleemoſynis, vel officiis adjuverint, aut pacem cum inimicis compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procuraverint, ac etiam corpora defunctorum tam Confratrum, quam aliorum ad ſepulturam aſſociaverint, aut infirmos conſolati fuerint, aut Proceſſiones ordinarias tam Confraternitatis, quam alias quaſcunque, de licentia Ordinarii celebrandas, Sanctiſſimum Sacramentum tam in proceſſionibus, quam ad infirmos, vel quovis modo delatum comitati fuerint, ſeu impediti, per alium, vel alios aſſociari fecerint, vel campanę ad id ſigno dato genuflexi, ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro animabus Confratrum defunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, aut ignorantes pręcepta Dei, & alia ad ſalutem neceſſaria docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, vel caritatis opus exercuerint, quoties pręmiſſa, vel aliquod pręmiſſorum egerint, ſexaginta dies de injunctis, aut quomodolibet debitis pęnitentiis relaxat. Sexto. Rurſus Gregorius XIII in Brevi: Deſiderantes: XXII Martii MDLXXX Confratribus Confraternitatum Sanctiſſimi Roſarii inſtitutarum in Eccleſiis Fratrum Prędicatorum Provincię S. Jacobi novę Hiſpanię in Indiis, & omnibus Chriſti fidelibus, qui vere pęnitentes, confeſſi, ac Sacra Communione refecti, devote viſitaverint dictas Eccleſias diebus feſtis Patroni earundem reſpective, & in ſolemnitate Corporis Chriſti, Indulgentiam Plenariam concedit. Inſuper omnibus Confratribus, qui Sabbatis in Quadrageſima aſſiſtent Miſſę, & Concioni Beatiſſimę Virginis, ac dum cantatur Antiphona Salve Regina concedit unius anni Indulgentiam. Pręterea quando ex eleemoſynis Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii Virgines matrimonio junguntur, tam ipſis, quam ipſarum maritis, & Confratribus Sanctiſſimi Roſarii proceſſioni intereſſentibus, quinque annos Indulgentię elargitur. Denique Confratribus, & Conſororibus aſſociantibus proceſſionem, quę fit ſingulis Sabbatis, aut ſemel in Menſe per Eccleſias, vel clauſtrum dictarum domorum, in ſuffragium mortuorum, octo annos Indulgentię de injunctis, aut alias quomodolibet debitis pęnitentiis relaxat.

CAPUT OCTAVUM.

Indulgentiæ quas conſequuntur Confratres, & Conſorores Sanctiſſimi Roſarii viſitantes quinque Altaria.

Leo X inſtituit, & conceſſit, ut quilibet Confrater Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii canonice in quacunque Eccleſia Ordinis Prędicatorum erectę quinque Altaria viſitando cujuſcunque Eccleſię, aut unum, vel duo quinquies, ſi quinque defuerint, eaſdem Indulgentias integraliter conſequatur, ac ſi omnes Almę Vrbis Stationes peregrinando circumiret, quam conceſſionem confirmat, & approbat Clemens VII in Brevi: Etſi temporalium: quod Paulus III in Brevi: Rationi congruit: III Novembris MDXXXIV publicavit.

CAPUT NONUM.

Indulgentiæ, quas lucrantur Confratres, & Conſorores peccata ſua confitendo, & communicando aliquibus Dominicis anni.

Primo. Gregorius XIII in Brevi, quod incipit: Ad augendam pro Confraternitatibus inſtitutis in Eccleſiis Prędicatorum Provincię utriuſque Lombardię die VIII Novembris MDLXXVIII, & in alio ſimili pro Provincia Romana anno MCLXXIX die XXIX Auguſti, concedit Plenariam Indulgentiam omnibus Confratribus, & Conſororibus Sanctiſſimi Roſarii, qui vere pęnitentes, & confeſſi, ac devote in dictis Eccleſiis primis Dominicis diebus cujuslibet Menſis Sacram Communionem ſumpſerint, ibique pro extirpatione hęreſum, pro pace inter Principes Chriſtianos, & Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint. Quam Indulgentiam extendit ad Confratres infirmos, qui ad eaſdem Eccleſias, ſeu quamlibet earum accedere non valentes, pręvia confeſſione, & Communione domi ſuę ante devotam Imaginem devote Roſarium, ſeu Coronam, aut ſeptem Pſalmos, qui legere ſciunt, recitaverint. Secundo. Clemens VIII in Brevi: Ineffabilia Glorioſę Virginis: XII Februarii MDXCVIII Confratribus Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii erectę in Eccleſia Sancti Pauli Valliſoleti Ordinis Prędicatorum, qui Dominica infra octavam Nativitatis Beatiſſimę Virginis ſolemniter hujuſmodi feſtivitatem celebrare volunt, ſi vere pęnitentes, & confeſſi eadem die annis ſingulis Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum perceperint, & Altiſſimo preces pro univerſalis Eccleſię, & Romani Pontificis ſtatu fuderint, Plenariam ſuorum peccatorum Indulgentiam concedit. Tertio. Gregorius XIII in Brevi, quod incipit: Deſiderantes: XXII Martii MDLXXX Confratribus, & Conſororibus Confraternitatum tam erectarum in Eccleſiis Fratrum Prędicatorum Provincię S. Jacobi Novę Hiſpanię in Indiis, qui prima Dominica Octobris vere pęnitentes, & confeſſi alicui Confeſſario dicti Ordinis Sacram Euchariſtiam ſumpſerint in pręfatis Eccleſiis, in quibus inſtituta eſt Confraternitas Sanctiſſimi Roſarii, Plenariam Indulgentiam elargitur.

CAPUT DECIMUM.

Indulgentiæ quibus fruuntur Confratres, & Conſorores Sanctiſſimi Roſarii in mortis articulo.

Primo. Supra diximus, quod Confratres, & Conſorores Sanctiſſimi Roſarii reſpective ex conceſſione Innocentii VIII, & Leonis X, qui per ſeptimanam Roſarium recitaverint, conſequantur ſemel in vita, & ſemel in morte Indulgentiam Plenariam, & Pius V in Brevi: Conſueverunt. Indulgentiam Plenariam concedit Confratribus Confraternitatum erectarum in articulo mortis conſtitutis confeſſis, & per modum Viatici Sacra Communione refectis. Secundo. Adrianus VI in Bulla: Illius, qui Dominicum gregem: die prima Aprilis anno MDXXIII Plenariam Indulgentiam concedit Confratribus Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii erectę in Eccleſia Prędicatorum Victorię, vere pęnitentibus, & confeſſis, vel firmum propoſitum confitendi habentibus, qui in mortis articulo in manibus tenentes cereum benedictum Confraternitatis in honorem Virginis Marię ex hac luce migraverint, ſi ante eorum obitum Roſarium ſemel duntaxat recitaverint. Quam Indulgentiam confirmavit Clemens VII in pręfata Bulla: Ineffabilia &c.. Tertio. Clemens VIII in Brevi: Salvatoris: XIII Januarii MDXCII (4) Confratribus Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii inſtitutę Divioni, qui vere pęnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, pium nomen Jeſu corde, ſi ore nequiverint, in mortis articulo invocaverint, Plenariam Indulgentiam elargitur. Quarto. Et in Brevi: Ineffabilia Glorioſę: XII Februarii MDXCVIII Confratribus Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii erectę in Eccleſia Sancti Pauli Valliſoleti, ſi in articulo mortis recipiendo Sanctiſſima Eccleſię Sacramenta, & Eccleſię Romanę Fidem profitendo, Antiphonam Salve Regina dixerint, & Beatę Virgini ſe commendaverint, Indulgentiam Plenariam concedit. Quinto. Idem in Bulla, quę incipit: De ſalute gregis: XVIII Januarii MDXCII Confratribus, & Conſororibus Confraternitatis Sanctiſsimi Roſarii Utini erectę, vere pęnitentibus, & confeſsis, ac Sacra Communione refectis, qui in articulo mortis Sanctiſsimum Nomen Jeſu corde, ſi ore nequiverint, invocaverint, vel aliquod contritionis ſignum dederint, Indulgentiam Plenariam concedit. Sexto. Clemens X in Brevi: Cęleſtium munerum: XVI Februarii anni MDCLXXI Sacerdotibus ſecularibus, aut regularibus, quibus licitum fuerit juxta Conſtitutiones, & Decreta Sedis Apoſtolicę celebrare Miſſam Sanctiſsimi Roſarii, eandem celebrando, ſicut, & omnibus Religioſis, & Sanctimonialibus, etiam Tertii Ordinis Prędicatorum, & omnibus Confratribus, & Conſororibus cujuſcunque Confraternitatis Sanctiſsimi Roſarii jam erectę, aut erigendę in futurum in quocunque loco, qui vere pęnitentes, & confeſsi, vel firmum confitendi habentes propoſitum, prędictę Miſſę devote interfuerint, ibique pro pace inter Principes Chriſtianos, hęreſum extirpatione, & exaltatione Sanctę Matris Eccleſię oraverint, quoties id egerint, impertitur omnes Indulgentias, peccatorum remiſſiones, & pęnitentiarum relaxationes, quas Confratres, & Conſorores dictę Confraternitatis integrum Roſarium recitando ex Sedis Apoſtolicę conceſsione aſſequantur. Septimo. Idem Pontifex in eodem Brevi omnibus, & ſingulis prędictis, qui ſoliti fuerint dictam Sanctiſsimi Roſarii Miſſam celebrare, uti dictum eſt, aut eidem aſsiſtere, ſi vere pęnitentes, confeſsi, & communicati oraverint, ſicut dictum eſt, concedit, ut omni Menſe eaſdem ſimiliter conſequantur Indulgentias, peccatorum remiſsiones, & pęnitentiarum relaxationes, quas conſequuntur Confratres, & Conſorores dictarum Confraternitatum, aſſiſtendo proceſsioni Sanctiſsimi Roſarii qualibet prima Dominica Menſis. Octavo. Pręterea idem Summus Pontifex in eodem Brevi concedit, ut omnes hę Indulgentię, peccatorum remiſsiones, & pęnitentiarum relaxationes, poſsint per modum ſuffragii animabus defunctorum applicari.

C A-

CAPUT UNDECIMUM.

Quomodo omnes prædictæ Indulgentiæ ad infirmos, ac legitime impeditos extendantur.

Prçter ea, quç Capitibus quinto, & nono diximus, ſciendum, Sixtum V in prçfato Brevi: Dum ineffabilia: Confratribus Confraternitatum tam hactenus erectarum, quam in poſterum erigendarum itinerantibus, navigantibus, & ſervientibus, totum Roſarium, infirmis vero, aut alias legitime impeditis tertiam ejus partem devote recitantibus, necnon temporibus debitis, & ab Eccleſia ſtatutis confitendi, & communicandi firmum propoſitum habentibus, qui Capellam Roſarii in Eccleſia Sanctç Marię ſuper Minervam Ordinis Prçdicatorum Romç, aut alias Eccleſias, vel Capellas ubicunque dicta Confraternitas canonice erecta fuerit, iis diebus, quibus feſta Myſteriorum Roſarii celebrantur viſitare, & proceſſioni, quç prima Dominica cujuslibet Menſis fieri ſolet intereſſe non poterint, Plenariam Indulgentiam concedere, & elargiri, illiſque communicare omnes, & ſingulas Indulgentias, peccatorumque remiſſiones, etiam Plenarias conceſſas, & concedendas in futurum, omnibus Confratribus, & Conſororibus in prçfatis diebus Capellas, ſeu Eccleſias Roſarii viſitantibus, ac dictç Proceſſioni intereſſentibus perinde, ac ſi iiſdem diebus dictas Capellas, ſeu Eccleſias perſonaliter viſitarent, & Proceſſionibus hujuſmodi intereſſent. Advertant nihilominus Confratres, ut debita contritione muniantur.

CAPUT DUODECIMUM.

Indulgentiæ pro Defunctis.

Primo. Gregorius XIII in Bulla, quç incipit: Omnium ſaluti: XXX Octobris MDLXXXII concedit Eccleſię Prçdicatorum loci Raconiſii, ubi eſt Altare Sanctiſſimi Roſarii, quod non eſt Altare majus, Indultum Altaris privilegiati, quoties ab aliquo dictç domus Sacerdote duntaxat Miſſa Defunctorum celebrabitur pro anima cujuſcunque fidelis defuncti Confratris Sanctiſſimi Roſarii. Secundo Clemens X concedit omnes indulgentias Capitulo decimo numero ſexto recenſitas poſſe applicari per modum ſuffragii animabus defunctorum. Tertio prçterea Innocentius XI conceſſit, & indulſit in perpetuum, ut omnes, & ſingulç Indulgentię Confratribus, & Conſororibus Roſarii conceſſç poſſint ab iiſdem per modum ſuffragii applicari animabus fidelium defunctorum, quç Deo in caritate conjunctç ab hac luce migraverint. Forma ut vocant Abſolutionis, ſeu modus impartiendç Indulgentię Confratribus Roſarii in articulo mortis. Confiteor. Pater Spiritualis. Miſereatur &c. Indulgentiam &c. Dominus noſter Jeſus Chriſtus filius Dei vivi, qui Beato Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, per ſuam piiſſimam miſericordiam recipiat confeſſionem tuam, & remittat tibi omnia peccata, quęcunque, & quomodocunque in toto vitę decurſu commiſiſti, de quibus corde contritus, & ore confeſſus es, reſtituens tibi ſtolam primam, quam in Baptiſmate recepiſti, & per Indulgentiam plenariam a Summo Pontifice Innocentio VIII Confratribus Sanctiſſimi Roſarii in articulo mortis conſtitutis conceſſam liberet te a prçſentis, ac futurç vitę pęnis, dignetur Purgatorii cruciatus remittere, portas Inferi claudere, Paradiſi januam aperire, teque ad gaudia ſempiterna perducere per ſacratiſſima ſuç vitç, Paſſionis, & glorificationis Myſteria Sanctiſſimo Roſario comprehenſa, qui cum Patre, & Spiritu Sancto Deus unus vivit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen. Die XI Julii MDCLXXIX Sacra Congregatio Summarium hoc Indulgentiarum a ſe recognitum approbavit. A. Cardinalis Homodeus. Loco ✻ Sigilli. Michael Angelus Riccius S. Congregationis Indulgentiarum, ſacrarumque Reliquiarum Secretarius. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Antonius Magiſter Generalis Summarium hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolicç confirmationis noſtrç patrocinio communiri, & alias opportune in prçmiſſis a Nobis provideri, ac ut infra indulgeri plurimum deſideret, Nos ipſius Antonii Magiſtri Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis. & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pçnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum prçſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, prçinſertum Summarium Indulgentiarum, & gratiarum ſpiritualium, omniaque, & ſingula in eo contenta auctoritate Apoſtolica tenore prçſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicç firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos Juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Prçterea prçfato Antonio moderno, & pro tempore exiſtenti Magiſtro Generali dicti Ordinis Fratrum Prçdicatorum, eoque a Romana Curia abſente, Vicario Generali ejuſdem Ordinis itidem pro tempore exiſtenti, Confraternitates ſub titulo Sanctiſſimi Roſarii hujuſmodi in quibuſvis mundi partibus, ſervata tamen conſtitutione felicis recordationis Clementis PP. VIII Prçdeceſſoris noſtri, quç incipit; Quçcunque a Sede Apoſtolica &c. VII Decembris MDCIV editç, ac decretorum hujus Sanctç Sedis prçſertim circa diſtantiam locorum in erectione Confraternitatum ſimilis Inſtituti ſervandam emanatorum forma, & diſpoſitione, erigendi, & inſtituendi quamcunque neceſſariam, & opportunam facultatem auctoritate, & tenore prçfatis tribuimus, & impertimur. Ac omnibus, & ſingulis Confraternitatibus utriuſque ſexus Chriſti fidelium ſub eodem titulo Sanctiſſimi Roſarii ubicunque locorum hactenus erectis, & in futurum tam in prçfati Ordinis, quam in aliis quibuslibet Eccleſiis, vel Oratoriis per memoratum Magiſtrum Generalem, ſeu Vicarium Generalem, ſicut prçmittitur, quandocunque erigendis, illarumque Confratribus, & Conſororibus, ut ſtatim atque canonica ipſarum Confraternitatum erectio facta fuerit, etiam abſque ulla Indulgentiarum, ac gratiarum ſpiritualium communicatione, vel aggregatione omnium, & ſin-

& ſingularum Indulgentiarum, etiam plenariarum, ac aliarum gratiarum ſpiritualium prǫfatarum, participes ſint, dictique Confratres, & Conſorores omnes, & ſingulas, etiam plenarias, Indulgentias, & peccatorum remisſiones, ac pęnitentiarum relaxationes, ceteraſque gratias ſpirituales in Summario prçinſerto contentas, & expreſſas, ſervatis tamen, & adimpletis omnibus illis, quę pro illarum conſecutione reſpective prçſcripta ſunt, conſequi, illiſque uti, frui, & gaudere libere, & licite posſint, & valeant, eadem auctoritate, harum ſerie concedimus, & indulgemus. Decernentes eaſdem prçſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in prçmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariç Apoſtolicç regula de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, ac prçfata Clementis prçdeceſſoris, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prçmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores prçſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prçmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem prçſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impresſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonç in eccleſiaſtica dignitate conſtitutç munitis, eadem prorſus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quç haberetur ipſis prçſentibus ſi forent exhibitç, vel oſtenſç. Datum Romç apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXXI Julii MDCLXXIX, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. G. Sluſius.

1. *Roſarii.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo.*) In quo autographum.
3. *MDXCII.*) *MDXCIII.*
4. *MDXCII.*) *MDXCIII.*

Anno 1679 Die 11 Auguſti.

X.

Firmat ea quæ pro Collegiis (1) Parmen., & Mutinen. ſancita fuere.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Julius Vincentius Gentilis (3) Prior Provincialis Provinciç utriuſque Lombardiç Ordinis Fratrum Prçdicatorum in Sacra Theologia Magiſter, quod cum ipſe Scholaſtica Collegia in Conventibus Parmenſi, & Mutinenſi dictç Provinciç non ſolum pro ſtudiorum augmento, ſed etiam pro regularis diſciplinç ſecuriori methodo erigenda eſſe duxiſſet, in quibus etiam Fratres Studentes extra ſtudium Generale S. Dominici Bononienſis degentes commorari posſint, ac pro felici ipſorum Collegiorum, & Fratrum in eis pro tempore ſtudentium directione nonnulla ſtatuta condidiſſet dilectus etiam filius Antonius de Monroy Magiſter Generalis dicti Ordinis eidem Julio Vincentio Priori Provinciali ſcholaſtica collegia hujuſmodi in prçfatis Conventibus erigendi facultatem impertitus eſt cum approbatione ſtatutorum hujuſmodi, & alias prout uberius continetur in ipſius Antonii Magiſtri Generalis literis patentibus deſuper emanatis, tenoris, qui ſequitur, videlicet. Nos Frater Antonius de Monroy Sacrç Theologiç profeſſor, ac totius Ordinis Prçdicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus. Cum Ad. Rev. P. Magiſter Fr. Julius Vincentius Gentilis de Genua Provincialis noſtrç Provinciç utriuſque Lombardiç, non ſolum pro ſtudiorum augmento, ſed etiam pro regularis diſciplinç ſecuriori methodo in duobus ſuç prçdictç provinciç Conventibus, nempe S. Petri Martyris Parmç, & S. Dominici Mutinç Scholaſtica Collegia erigere proficuum fore duxerit, in quibus etiam PP. Studentes Formales extra ſtudium generale S. Dominici Bononiç degentes commorari poſſint, ſicut in aliis quatuor Conventibus S. Crucis, & omnium Sanctorum Boſchi, S. Dominici Cremonç, S. Andreç Faventiç, & S. Catharinç apud Formellum Neapoli degunt, prçcipue ſi prçdictis Collegiis ſtatuta prçſcribantur ſequentis tenoris, videlicet. Ordinationes pro Collegiis Parmenſi in Conventu S. Petri Martyris, & Mutinenſi in Conventu S. Dominici Ordinis Prçdicatorum Provinciç utriuſque Lombardiç. Primo Officium Divinum ſtatutis horis recitetur devote, diſtincte cum pauſis, breviter tamen, & ſuccincte, & ſine cantu, ne ſtudium impediatur, ſingulis tamen diebus cantetur Miſſa Conventualis, & Completorium, cum Salve Regina. In diebus vero feſtivis de prçcepto, & in diebus Sanctorum Ordinis noſtri inſuper cantentur Veſperç; in ſolemnitatibus autem principalioribus reguletur officium ſecundum ritum, & praxim aliorum Conventuum Provinciç. Infra Hebdomadam cantetur inſuper Miſſa de Requiem pro Defunctis Fratribus, & benefactoribus noſtri Ordinis. Oratio mentalis quotidie habeatur per horam, id eſt dimidia hora poſt Primam, & dimidia poſt Completorium. Semel in anno ad ſpiritus renovationem ſe recolligant tam collegiales, quam ceteri Fratres per decem dies ad formam Bullç Pauli V, & juxta ordinationes Capitulorum Generalium, Valentini MDCXLVII, Romani MDCL, & MDCLVI, & MDCLXX, & noviſſime noſtri Patris Reverendiſſimi Generalis ſub die XXVII Maii MDCLXXIX, Se-

Secundo non exeant Collegiales niſi ſemel in Hebdomada, & tunc ad campos, tempore vacationum bis, non intrent Domos ſecularium niſi de ſpeciali licentia Prioris. A Septuageſima uſque ad primam diem Quadrageſimę, ſimiliter per hebdomadam ante Adventum a ſtudiis vacent. Scrutinium de moribus, & literis bis in anno fiat, ſcilicet prima hebdomada vacationum ęſtivarum, & hebdomada Septuageſimę: Expulſi a Collegio omnino inhabilitentur ad gradum, ſeu officium Lectoratus conſequendum ſine ſpeciali permiſſione Reverendiſs. Patris Generalis noſtri. Examinatores, Prior, Inquiſitor, Magiſtri in Sacra Theologia, pręſertim acceptati a Provincia, & Lectores actuales. Diſpenſationes concedantur juxta pręſcriptum noſtrarum conſtitutionum. Tertio diſtribuantur dies pro functionibus Collegii inalterabiliter, ut infra. A die S. Crucis uſque ad finem Septembris ab hora vigeſima quarta ad primam noctis ſtudium privatum, ad ſecundam Matutinum, ad tertiam cum dimidia refectio, & confabulatio, ad undecimam quies, ad duodecimam oratio mentalis, & prima, ad quartamdecimam ſtudium privatum, ad quintamdecimam lectio primarii Lectoris Theologię, & lectoris ſecundi Philoſophię, ad ſextamdecimam lectio moralis, ad decimamſeptimam Circulus Theologicus, ad decimamoctavam ceterę horę canonicę, & Miſſa Conventualis in cantu, ad decimamnonam cum dimidia refectio, & recreatio, ad vigeſimam quies, ad vigeſimam cum dimidia veſperę, ad vigeſimam primam cum dimidia conferentię, ad vigeſimam ſecundam cum dimidia Circulus Philoſophicus, deinceps Completorium, & oratio mentalis. Menſe Octobri regulentur functiones ut ſupra, ſemihora poſtpoſita; In Novembri, Decembri, & Januario omnia ſimiliter fiant hora poſtpoſita, ita tamen, quod ſignum pro lectione primarii Lectoris Theologię, & ſecundi Lectoris Philoſophię his menſibus ſemper pulſetur hora quintadecima. In Februario teneantur horę ſicut in Octobri. In Martio ſicut in Septembri a die S. Crucis, ut ſupra. Menſibus Aprilis, & Maii a vigeſimaquarta ad primam Matutinum, ad ſecundam cum dimidia refectio, & confabulatio, ad nonam quies, ad decimam oratio mentalis, & prima, ad duodecimam ſtudium privatum, ad tertiamdecimam lectio Patris Lectoris primarii Theologię, & Patris Lectoris ſecundi Philoſophię ad quartamdecimam lectio Moralis, ad quintamdecimam Circulus Theologicus, ad ſextamdecimam Officium Divinum, & Miſſa Conventualis in cantu, ad decimamſeptimam cum dimidia refectio, & recreatio, ad decimam nonam cum dimidia quies, ad vigeſimam Veſperę, ad vigeſimamprimam conferentię, ad vigeſimamſecundam Circulus Philoſophicus, deinde Completorium, & oratio mentalis. A prima Junii uſque ad quintamdecimam Julii functiones omnes anticipentur per horam, & Matutinum recitetur hora vigeſimatertia. Deinceps, uſque ad diem S. Crucis erunt vacationes. Quarto ſingulis Dominicis diebus in ſero habeatur conferentia caſuum conſcientię, eos exponentes Lectore ſecundo, interrogante Priore, reſolvente ſine ullo apparatu Lectore primario. Singulis menſibus teneatur circulus menſalis a ſingulis Lectoribus die Sabbati poſt Veſperas per duas horas. Quinto deputetur F. Converſus vir ſuavis, & morigeratus, ac probatę vitę, & integritatis qui cuſtodiat portam Conventus, ne intrent ſeculares, & curam habeat horologii, quo regulentur horę pro functionibus pręd
ictis, & ſignum pulſet pro eiſdem cum omnimoda exacta, & rigoroſa pontualitate. Nos zelum pręmemorati Patris Magiſtri Provincialis approbantes, pręvidenteſque ex hac Collegiorum erectione non mediocres fructus, Deo incrementum dante, jugiter orituros, maxime ſi pręfata ſtatuta adamuſſim ſerventur, harum ſerie, noſtrique officii auctoritate Ad. Rev. Patri Magiſtro F. Julio Vincentio Gentili de Genua Provinciali pręſenti utriuſque Lombardię facultatem impartimur erigendi Scholaſtica Collegia in pręmemoratis Conventibus S. Petri Martyris Parmę, & S. Dominici Mutinę, ubi autem talis erectio ſecuta fuerit, ratam, gratam, validam, firmam, ac perpetuis temporibus duraturam habemus cum ſuis reſpective ſtatutis, ac ordinationibus pręd
ictis. Pręcipientes in primis omnibus, & ſingulis noſtrę curę ſubjectis in virtute Spiritus Sancti, S. Obedientię, ſub formali pręcepto, ne quis pręſumat directe, vel indirecte, ſub quovis quęſito colore, aut pretextu ex tunc, & futuris temporibus huic erectioni, & confirmationi noſtrę contrariari. Mandantes etiam Patribus Collegialibus dictorum Collegiorum pro tempore ſub pęnis, nobis ac ſucceſſoribus noſtris bene viſis, ut ſtatuta modo ſpecificata inviolabiliter obſervent. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Porro his officii noſtri ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Datum Romę in Conventu noſtro Sanctę Marię ſuper Minervam die VIII Julii MDCLXXIX F. Antonius de Monroy Magiſter Ordinis. Regiſtrata folio 92. Locus † Sigilli. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, pręd
ictus Julius Vincentius Prior Provincialis pręmiſſa, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrociniis communiri plurimum deſideret, nos ipſius Julii Vincentii Prioris Provincialis precibus hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationibus, ſuſpenſionibus, & interdictis, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati pręinſertas memorati Antonii Magiſtri Generalis patentes literas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint ſupplemus. Decernentes eaſdem patentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Provincię, & Ordinis, ac Conventuum pręd
ictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis confirmatis, & innovatis. Quibus om-

omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI Auguſti MDCLXXIX, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. G. Sluſius.

1. *Collegiis.*) Juris ſunt Provinciæ utriuſque *Lombardiæ.*
2. *Archivo.*) In quo exemplaria typis impreſſa.
3. *Gentilis.*) Ex antiqua patriciaque *Gentili* gente oriundus. Ipſius mentio in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

Quædam a Generali Capitulo ſtatuenda, & a Generali Magiſtro juramento promittenda firmat (1).

Anno 1679 Die 6 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XI.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm Nos alias de iis, quę Ordini Fratrum Prędicatorum neceſſaria, atque utilia erant, ſatis edocti, quaſdam ordinationes ad dilectum filium noſtrum Palutium S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Alteriis nuncupatum, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectorem tranſmitti mandaſſemus, quę a Capitulo Generali ejuſdem Ordinis noviſſime celebrato fieri deberent, ipſęque ordinationes die pręcedenti electionem novi Magiſtri Generalis Ordinis pręfati coram omnibus Definitoribus, de mandato, & in pręſentia dicti Palutii Cardinalis, & Protectoris nomine, & juſſu noſtro in publico Definitorio lectę, ibique ab omnibus ejuſdem Capituli Generalis vocalibus cum humili illarum obſervantię profeſſione acceptatę, & ſtatutę fuiſſent, & poſtridie ſtatim facta electione dilecti filii moderni Magiſtri Generalis dicti Ordinis, novus Magiſter Generalis, antequam in Eccleſiam ad recipiendam a Fratribus obedientiam deſcenderet, juxta eaſdem ordinationes illarum obſervantiam coram toto Capitulo promiſiſſet, ac promiſſionem hujuſmodi publico juramento in manibus pręfati Palutii Cardinalis Protectoris, & Capituli Pręſidentis pręſtito confirmaſſet, recurſum habuerunt ad Nos quatuor Deputati a Capitulo Generali prędicto, Nobis humiliter ſupplicantes, ut pręjudicia, quę toti Ordini prędicto ex obſervantia aliquarum ex dictis ordinationibus naſcitura ſupponebant, perpendere, ac deſuper opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos vero ejus rei cognitionem demandavimus memorato Palutio Cardinali, & Protectori, qui auditis, & mature diſcuſſis rationibus per eoſdem Deputatos tam viva voce, quam ſcripto deductis, eaſdem ordinationes juſſu noſtro moderatus eſt, & redegit in formam, tenoris qui ſequitur, videlicet: Ordinationes, & ſtatuta facienda in Capitulo Generali Ordinis Prędicatorum, antequam deveniatur ad electionem Magiſtri Generalis, a Magiſtro noviter electo juramento promittenda coram Capitulo electorum, ſtatim poſt electionem, antequam in Eccleſiam ad recipiendam obedientiam deſcendat, idemque a ſucceſſoribus in futuris electionibus pręſtandum. Primo. Statuendum eſt, quod obſerventur Conſtitutiones Apoſtolicę, ac illę Religionis ſuper celebratione Capituli Generalis quolibet triennio, non autem ultra, abſque licentia Summi Pontificis. Quodque in fine cujuslibet Capituli Generalis ſtatuatur tempus, & locus futuri Capituli. Secundo. Eſt ſtatuendum, quod Generalis teneatur perſonaliter, & per ſeipſum peragrare univerſam Europam, ac viſitare Religionem, ejuſque Conventus, itaut id ſequatur de omnibus Conventibus, vel eorum majori parte, non autem de magis conſpicuis tantum, vel in locis tranſitus. Quodque id agat cum ea majori modeſtia, & parſimonia, quam religioſa humilitas exigit, tam circa numerum ſociorum, aliorumque comitum, & familiarium, ut non excedatur numerus ſex, vel octo, quam circa victum, aliaſque expenſas, ne Conventus nimium graventur, ideoque omnes expenſę non poſſint excedere ſcuta quatuor quolibet die; quodque mora ſit omnino brevis, niſi ex aliqua juſta cauſa, quę concernat viſitationem, & correctionem ejuſdem Conventus, & non alias, & ei videatur neceſſaria talis mora, ſuper quę ejus conſcientia graviter onerata ſit. Neque ſuper hac obligatione viſitandi Capitulum generale diſpenſare valeat abſque Apoſtolica auctoritate. Tertio. Quod circa gradus Magiſterii debeat omnino ſervare Conſtitutionem Bonifatii IX, quę incipit: Dilectos filios: ſub datum Romę apud Sanctum Petrum quinto Kalendas Maii, Pontificatus anno decimotertio, neque illi derogari valeat. Et quarto. Quod non poſſit alterare pręſentia ſtatuta, vel alias Conſtitutiones, vel Acta, & Decreta Capitularia. Quodque Acta, & Decreta Capitularia debeant ſubſcribi ab Eminentiſſimo Protectore, & a tribus qualificatis Religioſis a Capitulo Generali deputandis, atque alias non poſſint imprimi, vel publicari, nullamque faciant fidem, vel robur habeant. Ordinationes, & ſtatuta facienda in Capitulo Generali Ordinis Prędicatorum poſt ſequutam electionem Generalis. Eligantur quatuor, vel ſex Religioſi ex doctioribus, & provectioribus, magiſque informatis, quibus committatur cura revidendi Conſtitutiones, earumque Gloſſas, & ordinationes, ac referendi Capitulo Generali, quęnam exigant correctionem, vel emendationem, ſive declarationem, & aliam proviſionem in omnibus his, quę concernunt ſtatum, & commodum Religionis, ac obſervantiam, & diſciplinam Regularem. Atque deſuper a Capitulo ſtatuatur, ad formam Conſtitutionum tamen, ut in poſterum omnes tollantur occaſiones quęſtionum, & dubitationum, & pręſertim circa inſtitutionem, & remotionem Superiorum, & ſimilium. Et ubicunque in Gloſſis Conſtitutionum citantur literę Pontificię, aut Decreta Congregationum, vel alia ſimilis auctoritatis ad authenticos Codices, & poſteriores derogationes, ſi quę ſint, recurratur, & cum his corrigantur, & ad literam recitentur, & hęc omnia fiant a prędictis Religioſis Eminentiſſimo Protectore conſulto approbante. Et ſupraſcripta omnia ſerventur in poſterum ſemper, ac Conſtitutiones imprimendę

ſint

ſint cum aliqua mutatione, ſive in ipſis, ſive in Gloſſis. Quare Nos perpetuę, atque inviolabili prędictarum ordinationum, quę toto Ordini ſupradicto perutiles, atque conducibiles eſſe dignoſcuntur, firmitati, robori, & efficacię, ac obſervationi, ex commiſſi Nobis cęlitus paſtoralis officii debito conſulere cupientes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, ordinationes, & ſtatuta pręinſerta, omniaque, & ſingula in eis contenta, & expreſſa, tenore pręſentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ac etiam innovamus, illiſque inviolabilis, & irrefragabilis Apoſtolicę firmitatis vim, robur, & efficaciam adjungimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti, & ſolemnitatum quarumvis tam ex juris communis, & Apoſtolicarum, ac dicti Ordinis Conſtitutionum, & privilegiorum pręſcripto, quam de ſtylo, uſu, & conſuetudine etiam immemorabili ejuſdem Ordinis, & alias quomodolibet in ſimilibus, etiam de neceſſitate obſervan., & alios quoslibet, etiam quantumvis formales, & ſubſtantiales, ac incogitatos, & incogitabiles, ſpecificaque, & individua mentione, & expreſſione dignos defectus, ſi qui in eis, vel eorum aliquo principaliter, vel acceſſorie, antecedenter, vel ſubſequenter, aut concomitanter, ſeu alias quomodolibet intervenerint, ſeu interveniſſe dici, cenſeri, intelligi, vel prętendi quovis modo poſſent, plenisſime, & ampliſſime ſupplemus, & ſanamus, ac penitus, & omnino tollimus, perimus, & abolemus, ipſaſque ordinationes, & ſtatuta pręinſerta a die primę illarum, & illorum publicationis, & acceptationis ſtricte, & rigoroſe obſervari pręcipimus. Ac proinde ſi quid ſubinde tam a pręfato Capitulo Generali in ſuis actis Capitularibus, quam a dicto Magiſtro Generali, alioque quocunque actum, geſtum, decretum, vel ordinatum fuit, aut in futurum quandocunque a Capitulis Generalibus, vel Magiſtris Generalibus dicti Ordinis pro tempore exiſtentibus, aliiſve quibuslibet agi, geri, decerni, vel ordinari contigerit, quod pręinſertis ordinationibus, & ſtatutis directe, vel indirecte, ſeu alias quomodolibet adverſetur, aut illorum effectum quovis modo impedire, vel avertere valeat, id in ea parte nullum, caſſum, & irritum, nulliuſque roboris, & momenti, ac viribus, & effectu penitus, & omnino vacuum eſſe, & fore, etiam ex nunc, prout ex tunc, & e contra decernimus, & declaramus. Decernentes pariter eaſdem pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, etiam ex eo quod Magiſter Generalis, ceterique Superiores, & Fratres Ordinis prędicti, & alii quilibet etiam ſpecifica, & individua mentione, & expresſione digni in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prętendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati; citati, auditi, neque cauſę propter quas pręſentes emanarint, adductę, ſpecificatę, vel juſtificatę fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, pia, & privilegiata cauſa, colore, prętextu, vel capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimę, & totalis lęſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expresſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, reſcindi, modificari, limitari, aut in controverſiam vocari, ſeu ad terminos juris reduci, aut adverſus illas aperitionis, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratię remedium intentari, vel impetrari, ſeu impetrato, aut etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas pręſentes literas, ac ordinationes, & ſtatuta pręinſerta ſemper firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, ſicque, & non aliter in pręmiſſis omnibus, & ſingulis cenſeri, atque ita per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. pręfatę Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoſtolice Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quacunque pręeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę Regula de jure quęſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon dicti Ordinis, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, ſtylis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Ordini, ejuſque Magiſtro Generali, ceteriſque Superioribus Fratribus, & perſonis quibuslibet, etiam ſpecifica, & individua mentione dignis, ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine, paribus, ac conſiſtorialiter, & alias quomodolibet in contrarium pręmiſſorum conceſſis, ac pluries, & quantiſcunque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expresſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores, formas, cauſas & occaſiones pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, inſertis, ſpecificatis, & ſervatis reſpective habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI Octobris MDCLXXIX, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

J. G. Sluſius.

1. Fir-

1. *Firmat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.IV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXX.*

Anno 1680 Die 8 Martii.

XII.

Privilegia (1) Magiſtro Generali Ordinem viſitanti conceſſa.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Antonio (3) de Monroy Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum.

INNOCENTIUS PP. XI.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, tu pro injuncto tibi munere Generalis Magiſterii Ordinis Fratrum Prędicatorum, intendas domos, & loca, ac Monaſteria, necnon Fratres, & Sorores ipſius Ordinis viſitare, & Religionem ejuſdem Ordinis, quantum in te erit, favente Domino, relevare, & priſtino decori reſtituere, & propterea non ſolum Italiam peragrare, ſed etiam utra Montes ire cogaris. Nos igitur, qui nihil ęque cupimus, quam ut amputatis vitiorum ſentibus, virtutum flores in univerſa Eccleſia, & pręſertim in ipſo Ordine, quem ob uberes in vinea Domini fructus paterne diligimus, emineant, inſtitutum hoc tuum, & viſitandi ſanctum propoſitum plurimum commendantes, ac ſuper hoc Prędeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhęrentes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia noſtra, Apoſtolicam tibi, & noſtram benedictionem impartimur. Et, ut efficacius domos, & loca, ac Monaſteria hujuſmodi viſitare, &, quę opus fuerit reformare, ac bonos mores plantare, & quę ad ſtudiorum promotionem conducunt agere, & exequi valeas, nec in rebus agendis ſcrupulus tibi aliquis, aut obex opponi poſſit, volumus, & auctoritate pręfata decernimus, quod dum in Generalatus hujuſmodi officio manſeris ſuper Romanam, ac omnes, & ſingulas dicti Ordinis Provincias, & Vicarias, tam citra, quam ultra Montes, etiam Regnorum Hiſpanię, & utriuſque Lombardię, ac Gallicanam, & Raguſinam, necnon quaſcunque alias ejuſdem Ordinis Congregationes, & ipſarum Provinciarum, Vicariarum, & Congregationum, loca, domos, & Collegia ſtudentium, Monaſteria, & bona quęcunque, ac utriuſque ſexus perſonas tam Fratres, quam etiam tertii habitus Sancti Dominici Sorores ad Provincias, ſeu Congregationes, aut alias quomodolibet ad Ordinem hujuſmodi pertinentes, ſeu ejus curę quovis modo commiſſas cujuſcunque gradus, & conditionis exiſtant, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, auctoritate, & facultate, ac juriſdictione pleniſſimis, & illis, quibus ceteri Magiſtri Generales juxta dicti Ordinis inſtituta, & Sacri Concilii Tridentini decreta, ſeu conſtitutiones, vel ex jure ordinario, ſeu ex conſuetudine, vel privilegiorum, & indultorum Apoſtolicorum vi hactenus functi fuerunt, ſeu fungi potuerunt, in omnibus, & per omnia fungaris, & fungi, ac illos, illas, & illa viſitare, corrigere, & reformare, necnon omnes, & ſingulas literas Apoſtolicas, tam ſuper pręmiſſis quam amotione, & nova deputatione cujuſcunque Prioris Provincialis, ſeu Vicarii, aut Prioris cujuslibet dicti Ordinis Conventus, & Monaſterii, vel domus, a Nobis, ſeu Prędeceſſoribus noſtris emanatas exequi, & exequendas curare, ac quaſcunque ſententias, cenſuras, & pęnas in illis contentas fulminare, necnon incorrigibiles etiam abſque eo quod eorum, qui extra Italiam fuerint proceſſus ad Urbem tranſmittere tenearis, ſervata in reliquis omnibus, & per omnia decretorum, & conſtitutionum Apoſtolicarum ſuper apoſtatis, & ejectis editorum, & editarum forma ejicere. Et inſuper quarumcunque Monialium ſub tua juriſdictione ubique locorum exiſtentium tibi confiteri volentium Sacramentales Confeſſiones, etiam abſque ulla Ordinariorum locorum approbatione, ſeu licentia audire, & in Provinciis occurren., earum Provincialatus vacatione Vicarios Generales uſque ad futurum Capitulum, niſi Conſtitutiones Regulares Ordinis, ſeu Provinciarum hujuſmodi Apoſtolica auctoritate confirmatę aliter ad aliquorum favorem diſponant, inſtituere; necnon cum iis, qui alicujus domus Regularis, ſeu Conventus Priores fuerint, ut poſtquam ab officio Prioris hujuſmodi per triennium duntaxat vacaverint, denuo in ejuſdem domus, ſeu Conventus Priores eligi poſſint ob penuriam idoneorum, vel aliam legitimam cauſam ſuper quo conſcientiam tuam oneramus, diſpenſare. Quodque cum acciderit reformatio facienda alicujus, ſeu aliquorum Conventuum, ſive domorum, aut Monaſteriorum dicti Ordinis, etiam nulla alia, quam tua pręcedente electione toties, quoties tibi opportunum viſum fuerit, cum reformatio ipſa fiet, Priorem, ſeu Priores, aut Prioriſſam, ſeu Prioriſſas ad id idoneas noſtra auctoritate inſtituere. In Provinciis vero, & Congregationibus, ſeu Vicariis, quę tibi non ſatis reformatę videbuntur, cum fuerit Prioris Provincialis, ſeu Vicarii facienda electio, tu tres, aut quatuor probatę vitę Fratres dicti Ordinis electoribus, qui unum ex iis pro ſuę Provincię reformatione eligant, in Provincialem, vel Vicarium proponere, & electoribus ipſis neminem ex iis, qui a te propoſiti fuerint eligentibus, illico caſſata eorum electione, aliquem virum probatę religionis ex ejuſdem, vel alterius reformatę Provincię gremio duntaxat noſtra ſimiliter auctoritate in legitimum Provincię, vel Congregationis, aut Vicarię hujuſmodi Provincialem, ſeu Vicarium, abſque aliqua electione creare, & inſtituere, ac quod illi quos ex aliis Provinciis ad Provincias, & Vicarias deſolatas, vel etiam laxioris vitę mittendos duxeris, ſtatim vocem habeant tam activam, quam paſſivam. Quodque in Provinciis, ſeu Vicariis paucos Conventus, & paucorum Fratrum numerum habentibus Apoſtolica auctoritate concedere, ut aliquis ſimul eſſe poſſit alicujus determinati Conventus Prior, & totius Provincię, vel Vicarię Provincialis, ſeu Vicarius reſpective. Si vero in reformationibus hujuſmodi faciendis, aliquos Fratres inveneris, qui illis repugnent, & ſecundum regularia dicti Ordinis inſtituta vivere recuſent, ſi incorrigibiles per

per te judicati fuerint, ad carceres etiam perpetuos detrudere, Fratres quoque, & Sorores quoſcunque dicti Ordinis prętendentes ſe etiam per literas Apoſtolicas ſub plumbo, aut Annulo Piſcatoris, aut per Pęnitentiariam, ac alias etiam Motu proprio emanatas, exemptos eſſe, ad literas ipſas, etiamſi in eis clauſula, ſui Superioris licentia petita licet non obtenta appoſita fuerit, exhiben. cogere, ac ſi eas, legitime procedendo, ſubreptitias, vel obreptitias inveneris, eis non obſtan. Fratres, ac Sorores prędictos ad redeundum ad eorum domos, & Monaſteria, ac Regularia dicti Ordinis inſtituta, vel literas Apoſtolicas ſuper Apoſtatis editas obſervandum cogere, & quarumcunque electionum in dicto Ordine pro tempore factarum, dummodo tibi conſtet de voluntate eligen. omnes, & ſingulos defectus ſupplere. Necnon ſuper permanentia Priorum, tam Provincialium, quam Conventualium, & Vicariorum Generalium, vel Prioriſſarum Monaſteriorum, etiam ultra biennium, vel quadriennium, aliqua rationabili, pręſertim conſervandę, vel augendę vitę regularis cauſa ſubſiſtente, diſpenſare, ac Sorores curę dicti Ordinis quandocunque commiſſas de Monaſterio ad Monaſterium religioſe tranſmittere, necnon domos, & Monaſteria unius Provincię alteri Provincię, ſeu Congregationi juxta morem ejuſdem aggregare. Prę terea omnem facultatem, & poteſtatem tibi per pręſentes conceſſam, uni, ſeu pluribus Viſitatoribus, & Commiſſariis idoneis cum limitatione, vel alias prout tibi videbitur communicare, illaſque quoties, & quandocunque volueris reaſſumere libere, & licite valeas. Et ſi quę Provincię tam citra quam ultra Montes, aut Congregationes, aut Vicarię, Conventus, Collegia, loca, & Monaſteria, & pręſertim domus Pariſien. prętextu privilegiorum eis a Prędeceſſoribus noſtris, & Sede Apoſtolica, vel etiam a Nobis conceſſorum prętenderint, ſe ad ſui viſitationem nullum alium, quam te ipſum admittere teneri, ne propterea delicta remaneant impunita, aut rigor Religionis diminuatur, cum tu ubique non poſſis aſſiſtere, etiam volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod Viſitatores per te in Provinciis, Congregationibus, Vicariis, Conventibus, Collegiis, locis, Monaſterio, & domo Pariſien. hujuſmodi pro tempore deputati, illos, illas, & illa auctoritate noſtra viſitare libere poſſint, quodque Fratres Provinciarum, Congregationum, Vicariarum, Conventuum, Collegiorum, locorum, & domus Pariſien., ac Sorores Monaſteriorum hujuſmodi ſub excommunicationis majoris latę ſententię pęna, quam in contrafacientes ex nunc, prout ex tunc, & e contra, ferimus in his ſcriptis, Viſitatores per te, ut pręfertur, deputatos tanquam a Nobis delegatos ſuſcipere, & ad eorum viſitationem admittere teneantur, quodque quos in ſocios, & laborum tuorum participes tam in hujuſmodi viſitationibus, & reformationibus, quam ceteris ad regimen dicti Ordinis facientibus aſſumpſeris debitis cumulati honoribus in comitatu tuo decentius eſſe valeant juxta antiquam, & approbatam, ac in ipſo Ordine diutius obſervatam conſuetudinem, duos ex ipſis ſociis tuis nulla pręcedente electione titulo Prioris Provincialis Terrę Sanctę, vel alicujus alterius malitia temporum deſolatę Provincię ipſius Ordinis, itaut voce, & loco, ac omnibus aliis privilegiis, gratiis, & dignitatibus, quibus ceteri Provinciales dicti Ordinis tam in Capitulis Generalibus, quam extra ea ſecundum inſtituta, & conſuetudines ipſius Ordinis gaudere conſueverunt, gaudeant, & potiantur, pręfata auctoritate Apoſtolica inſignire, & quoties continget eos ab eodem comitatu tuo recedere, ab ipſo Provincialatus gradu abſolvere, ſeu deponere, & alios quos loco ipſorum in ſocios aſſumpſeris eodem titulo, ut pręfertur, inſignire libere, & licite valeas. Inſuper quo melius, & efficacius reformationi totius prędicti Ordinis inſiſtere valeas, ex ſpeciali gratia concedimus tibi omnia privilegia, & facultates ſpectantia ad regimen, & reformationem dicti Ordinis inſiſtere valeas, ex ſpeciali gratia concedimus tibi omnia privilegia, & facultates ſpectantia ad regimen, & reformationem dicti Ordinis conceſſa tam bonę memorię Magiſtro Paulo Conſtabili, quam aliis Magiſtris Generalibus predeceſſoribus tuis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, ſtatutis, & inſtitutis, necnon privilegiis, indultis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, & literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis quibuſcunque dicti Ordinis, & preſertim Hiſpanię, utriuſque Lombardię, ac etiam, quatenus opus ſit, felicis recordationis Clementis VII Predeceſſoris noſtri ſub datum apud S. Petrum die VI Maii MDXXXIII, *Pontificatus ſui* anno decimo, & Romanę Provinciis, ſeu Congregationibus, & Gallicanę, aut earum Conventibus, domibus, Collegiis ſtudentium, aut Monaſteriis Sororum ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam per Nos, & dictam Sedem, etiam motu ſimili, aut alias quomodolibet conceſſis, & etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, ſeu in poſterum concedendis, approbandis, & innovandis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, ac expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum omnium, & ſingulorum tenores pręſentibus, ac ſi de verbo ad verbum infererentur pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, eaque nemini adverſus pręmiſſa ſuffragari volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Pręſentibus in actuali viſitatione tantum duraturis, & effectum ſortituris. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VIII Martii MDCLXXX, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

J. G. Sluſius.

1. *Privilegia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum.

3. *Antonio.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

De Neapolitano Cœnobio S. Mariæ Salutis.

Anno 1680 Die 15 Martii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XI. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Prior, ceterique Fratres Conventus S. Marię ſalutis nuncupati Neapolitanen. filii Ordinis Prędicatorum, quod cum dictus Conventus pro communi neceſſitate, & ex communibus impenſis Conventuum utriuſque Calabrię ſub uno Priore Provinciale unam ejuſdem Ordinis Provinciam conſtituentium fundatus fuiſſet, non immerito Fratres dictę Provincię conſiderantes accurate, non poſſe eundem Conventum, ſi nimio filiorum numero gravatus exiſteret, commode recipere, & alere, verum nec neceſſaria ſuppeditare omnibus Fratribus, qui non pauci, vel ratione curandę infirmitatis, vel cauſa litium, vel ob continuum tranſitum ab utraque Calabria Neapolim appellerent, ne finis fundationis hujuſmodi in irritum caderet, ſed ut talis filiorum numerus radicitus impediretur, totque Fratrum, & dicti Conventus incommoda evitarentur, juſtis, ut ſibi tunc videbatur, inſtantiis a Capitulo Generali Ordinis pręfati Romę celebrato anno MDCXLIV diſtrictas impetrarunt ordinationes, ut in prędicto Conventu Sanctę Marię Salutis nullę fierent Fratrum affiliationes, eaque prohibitio inſuper in alio Capitulo Generali Ordinis hujuſmodi Valentię celebrato Anno MDCXLVII innovata fuit. At, quia poſtmodum ſatis compertum fuit, eundem Conventum ob ejuſmodi omnimodam filiorum carentiam, nonnullas quaſi calamitates, ac plura ſucceſſu temporis paſſurum eſſe incommoda, ideo Capitulum Generale Romę habitum Anno MDCLXX mature, ac conſideratis conſiderandis animadvertens fore proficuum, ac neceſſarium pro augmento, & utilitate tam ſpirituali, quam temporali Conventus prędicti ibidem affiliari aliquos Fratres Sacerdotes, religioſitate morum, & doctrina, ac prudentia pręſtantes, benigne ad inſtantiam dictę Provincię conceſſit, ut non obſtantibus quibuſcunque ibidem affiliarentur ad ſummum quinque Fratres Sacerdotes, qui eſſent naturales, & nationales dictę Provincię Calabrię, quem tamen quinarium numerum tunc exiſtens Magiſter Generalis Ordinis pręfati pro accuratiori dicti Conventus regimine auxit ad ſeptenarium. Verum quia hujuſmodi numeri imparitas, ſi in perpetuum duratura fuiſſet, turbationes, vel querelas inter Fratres utriuſque Calabrię hujuſmodi parere poterat, viſum denique fuit eidem Magiſtro Generali talem numerum ſeptenarium remanentibus tamen in eodem Conventu ſeptem Fratribus jam affiliatis in parem reducere, uti de facto prędictę conceſſioni Capituli Generalis ſedulo inſiſtens, ut magis, ac magis in dies pax, & ęqualitas firmata inter ejuſdem Provincię Fratres in futurum conſervaretur, omniſque ęmulationis, & diſcordię ab eis penitus occaſio profligaretur, paterno, ſanoque conſilio per literas patentes pro futuris filiis ad ſenarium reduxit: Volens ut deinceps tres non aſſumerentur niſi ex Fratribus Calabrię citerioris, tres vero nonniſi ex Fratribus Calabrię ulterioris. Inſuper ſtatuit ad inſtantiam dilecti filii Hyacinthi de Strongolo Procuratoris dictę Provincię in Sacra Theologia Magiſtri, ut etiam quatuor Fratres Converſi dicto Conventui affiliarentur, quorum duo eſſent de Calabria ulteriori, alii vero de Calabria citeriori; Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, exponentes prędicti his ſic pie, ac recte diſpoſitis inhęrentes plurimum cupiant ejuſmodi ſtatuta Apoſtolicę confirmationis patrocinio communiri, ac ſuper ea re conſenſum, & beneplacitum memorati Magiſtri Generalis in dictis literis patentibus expreſſum obtinuerint: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatutum de numero ſenario Fratrum Presbyterorum, & quaternario Fratrum Converſorum ex Calabria citeriori, & ulteriori pro ęquis portionibus in filios pręfati Conventus Sanctę Marię Salutis Neapolitanorum aſſumendorum a prędicto Magiſtro Generali factum, ut pręfertur, ſalva tamen remanente inſtitutione ſeptem filiorum in eodem Conventu jam, ſicut pręmittitur, affiliatorum, Auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint ſupplemus. Pręterea, ut nullus ex dictis Fratribus presbyteris vel Converſis jam affiliatis cujuſquam auctoritate a tali ſua affiliatione amoveri valeat, nec quiſquam futuris temporibus ejuſmodi numerum ſenarium Fratrum Presbyterorum, & quaternarium Converſorum in dicto Conventu, quavis auctoritate, titulo, vel prętextu augere, vel diminuere poſſit, ſed numerus ipſe ſic perpetuo firmus permaneat. Ut autem omne, quod irrepere poſſet incommodum, vel diſcrimen, evitetur, quotieſcunque in caſu vacationis, ſive cauſa mortis, ſive cujuslibet eventus tam Fratrum presbyterorum, quam Converſorum novę affiliationes faciendę fuerint, non poſſit quis eidem Conventui affiliari, niſi ſit nationalis, & naturalis illius Calabrię, pro qua locus vacaverit, ſitque religioſitate, doctrina, ac prudentia pręſtans, & ab omnibus filiis ejuſdem Conventus actu ibidem pro tempore commorantibus unanimi voto eligatur, & acceptetur, taliſque, ſic electus, & acceptatus, confirmandus, ac declarandus, tanquam filius pręfati Conventus Magiſtro Generali dicti Ordinis pro tempore exiſtenti pręſentetur, taliſque methodus,

etiam

etiam in Fratribus Converſis acceptandis ſervetur, auctoritate, & tenore prefatis, ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes eaſdem preſentes literas firmas, validas, efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in premiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus premiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis & Provincie, ac Conventus prefatorum, aliiſque quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium premiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores preſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad premiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Martii MDCLXXX, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

J. G. Sluſius.

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1680 Die 12 Aprilis.

XIV.

De SS. Nominis Dei Confraternitatibus (1) conſtituendis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

NUper pro parte dilecti filii Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Predicatorum Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & ſacris Reliquiis prepoſitorum propoſitis duobus dubiis, uno quidem, An Magiſter Generalis dicti Ordinis poſſit concedere facultatem erigendi aliam Confraternitatem ſub titulo Nominis Dei in Eccleſiis ſecularium illarum Civitatum, & Terrarum, ubi jam Confraternitas ſub eodem titulo in Eccleſia Fratrum ejuſdem Ordinis erecta reperiatur. Altero autem, an in caſu quo in Eccleſia dictorum Fratrum non eſſet erecta dicta Confraternitas, poſſit predictus Magiſter Generalis concedere facultatem erigendi eandem Confraternitatem in Eccleſiis ſecularium? Predicta Congregatio Cardinalium per ſuum decretum die V Februarii proxime preteriti emanatum reſpondit ad utrumque dubium hujuſmodi non poſſe. Cum autem, ſicut dictus Procurator Generalis Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolice confirmationis noſtre patrocinio communiri plurimum deſideret, Nos ipſius Procuratoris Generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & penis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum preſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum ſupra expreſſum, auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolice firmitatis robur adjicimus; ſalva tamen ſemper in premiſſis auctoritate memorate Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem preſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter obſervari, ſicque in premiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem preſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſone in eccleſiaſtica dignitate conſtitute munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, que haberetur ipſis preſentibus, ſi forent exhibite, vel oſtenſe. Datum Rome apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XII Aprilis MDCLXXX, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

J. G. Sluſius.

1. *Confraternitatibus.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum.

Ratam

Ratam habet, & firmat Barchinonen. Confraternitatem (1) S. Thomæ Aquinatis.

Anno 1681 Die 16 Junii.

XV.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

DUdum felicis recordationis Paulus Papa Quintus prędeceſſor noſter erectionem, & inſtitutionem Confraternitatis Academię Studentium nuncupat. ſub invocatione Sancti Thomę de Aquino in Eccleſia Domus Sanctę Catharinę Ordinis Fratrum Prędicatorum Civitatis Barchinonen. canonice, ut aſſerebatur, factas, Apoſtolica auctoritate confirmavit, & approbavit, ipſiuſque Confraternitatis Confratribus, & Conſororibus nonnullas Indulgentias, ſeu peccatorum remiſſiones, ac pęnitentiarum relaxationes in perpetuum conceſſit, & alias prout uberius continetur in ipſius Pauli Prędeceſſoris literis deſuper in ſimili forma brevis expeditis tenoris qui ſequitur, videlicet. Paulus Papa Quintus. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Pietatis, & Chriſtianę caritatis opera &c (3). Cum autem, ſicut dilecti filii Officiales, & Confratres confraternitatis prędictę nobis nuper exponi fecerunt, ipſi pręmiſſa, quo firmius ſubſiſtant, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri plurimum deſiderent, Nos ſpecialem ipſis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine nobis, ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, pręinſertas Pauli prędeceſſoris literas, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, & innovamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus. Decernentes eaſdem pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, ſicque, in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus, Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XVI Junii MDCLXXXI, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Confraternitatem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Barchinonen.*
3. *Opera &c.*) Ut in *Pauli V Conſtitutione XCIII* ad finem uſque. Legitur *pag. 713 Tomi V hujuſce Bullarii.*

Quitenſem Univerſitatem (1) in Ordinis Fratrum Prædicatorum Cœnobio conſtituit, & S. Thomæ doctrinam commendat.

Anno 1681 Die 23 Julii.

XVI.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

PAſtoralis Officii, quo Catholicę Eccleſię per univerſum terrarum Orbem diffuſę regimini, Divina diſpoſitione, pręſidemus, cura animarum noſtrarum ſolicitat, ut pia Religioſorum virorum proprię, alienęque ſaluti operam dantium, ſtudia, ad Chriſti fidelium, pręſertim in longinquis Regionibus degentium in Doctrina ſana, inſtitutionem, atque eruditionem, laudabiliter tendentia, peculiaribus favoribus, & gratiis, quantum Nobis ex alto conceditur, adjuvemus. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Ignatius de Queſſada Definitor, & procurator Provincię S. Catherinę Virginis, & Martyris de Quito in Indiis Occidentalibus Ordinis Fratrum Prędicatorum, in Sacra Theologia Magiſter, quod cum in illis partibus, plurimi ſint infideles, ex quibus multi opera Fratrum dicti Ordinis illic in vinea Domini, ſtrenue laborantium, ad Chriſtianę Religionis veritatem in dies convertuntur, & longe plures, Domino benedicente, converſum iri ſperatur, verum meſſis quidem multa ſit, operarii autem pauci, qui eos in Doctrina ſana inſtruere, & confirmare valeant: dilecti pariter filii Fratres Provincię prędictę provide conſiderantes, nullam in eadem Provincia Studii Generalis univerſitatem reperiri, ipſamque Provinciam Nongentis a Limana, & ter mille milliaribus a Mexicana Civitatibus, in quibus ejuſmodi univerſitates Studiorum generalium erectę ſunt diſtare, ac proinde ſtudioſos partium illarum juvenes Sacrarum, aliarumque literarum Sudiis operam dandi, ſeque ad fidei Catholicę propagationem habiles, atque idoneos reddendi, peractiſque ſtudioſis laboribus, pręmium graduum literariorum conſequendi tam longas, periculoſaſque peregrinationes ſubire debere: Pręvio Regio conſenſu, Collegium ſub titulo B. Ferdinandi Regis Catholici, Sancti nuncupati, intra, vel extra ſepta Conventus S. Petri Martyris Civitatis Quiten. dicti Ordinis ſua impenſa ędificare, in eoque Grammaticam, & Philoſophiam publice docere, aq

Diplomatis cauſa.

etiam

etiam quatuor Cathedras, duas quidem Theologię Scholaſticę, aliam Theologię Moralis, & quartam Sacrę Scripturę, quas pro tempore obtinentes S. Thomę Aquinatis, Doctrinam Sanctorum Patrum traditionibus, & univerſalis Eccleſię Decretis conformem docere, erroneaſque, & noxias, prę ſertim in materia morali opiniones, quę in illis partibus ſerpere dicuntur, eorundem SS. Patrum doctrina refellere debeant, de proprio fundare decreverunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Ignatius Collegio hujuſmodi, ejuſque Rectori, & Cathedraticis pro tempore exiſtentibus, facultatem conferendi publice gradus Scholaſticos in illis ſcientiis quę in ipſo Collegio docebuntur, concedi plurimum deſideret, ſimiliſque facultas aliis Collegiis dicti Ordinis in quibuſdam Civitatibus Indiarum Occidentalium, quę quadringentorum Milliarium intervallo ab univerſitatibus publicis, remotę ſunt, exiſtentibus dudum, videlicet Anno MDCXIX a felicis recordationis Paulo V, ad inſtantiam, tunc exiſtentis Regis Hiſpaniarum Catholici conceſſa, & ſubinde ab Urbano VIII Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris confirmata fuerit, ac ejuſmodi prerogativa, tam Clerici Regulares Societatis Jeſu vigore quorundam privilegiorum, quam Fratres Ordinis Eremitarum S. Auguſtini in vim quarundam Apoſtolicarum in ſimili forma Brevis literarum in partibus Indiarum hujuſmodi de pręſenti fruantur, Nobis propterea idem Ignatius humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Ignatium ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtat, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandę Fidei prępoſitorum, qui zelum, pietatemque dictorum Fratrum Provincię de Quito Ordinis Prędicatorum, commendarunt, conſilio, rectori pro tempore

Nota. exiſtenti dicti Collegii, intra, vel extra ſepta ſupradicti Conventus S. Petri Martyris Civitatis Quiten. jam forſan erecti, ſive in poſterum erigendi, Gradus Scholaſticos in omnibus Scientiis Cathedrarum in eodem Collegio, tam forſan erectarum, vel in poſterum erigendarum, quibuſcunque Studioſis, qui Studiorum curſum ibidem peregerint, dummodo tamen pręvio rigoroſo examine ad id reperiantur idonei, ad formam literarum in ſimili forma Brevis alias conceſſarum pręfatis Fratribus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & Clericis Regularibus Societatis Jeſu, auctoritate noſtra Apoſtolica conferendi facultatem, donec, & quouſque publica univerſitas regalis, ſicut Limana, & Mexicana in dicta Provincia de Quito conſtruatur, ſive erigatur, duntaxat duraturam, eadem auctoritate tenore pręſentium, concedimus, & impartimur, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Decernentes ipſas pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis aliis Religionibus in ipſa Civitate Quiten. exiſten. etiam Societatis Jeſu, in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores, pręſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo, ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Julii MDCLXXXI., Pontificatus noſtri Anno Quinto.

J. G. Sluſius.

1. *Univerſitas.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum typis R. Camerę Apoſtolicę impreſſum *Romę* anno *MDCXC.*

Anno 1681 Die 7 Auguſti.

Manilana Univerſitas (1) S. Thomę conſtituta.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XVII.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. INſcrutabili divinę ſapientię, atque bonitatis arcano ad Eccleſię Catholicę per univerſum terrarum orbem diffuſę regimen, meritis licet imparibus, evecti, ſacrarum eiſque ancillantium bonarum literarum, ſtudia per quę, depulſa ignorantię caligine, mentes veritatis luce illuſtrentur, & non minus Catholicę Fidei, divinique cultus propagationi, & incremento, quam juſtitię adminiſtrationi, aliiſque Reipublicę commodis, & ornamentis, privatorumque utilitatibus conſulitur, ubique locorum, ac pręſertim in remotiſſimis ab hac Sancta Sede partibus, quantum Nobis ex alto conceditur, promovere, ac incitare, & confovere ſtudemus, ſicut omnibus matura conſideratione perpenſis, ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſięque decus, & pręſidium, ac ſpiritualem, temporalemque Chriſti fidelium utilitatem

Diplomatis cauſa. cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem felicis recordationis Innocentio PP. X Prędeceſſori noſtro pro parte clarę memorię Philippi IV, dum vixit, Hiſpaniarum Regis Catholici expoſito, quod in Civitate Manilan. in Inſulis Philippinis unum ſub denominatione S. Thomę Collegium Ordi-

Ordinis Fratrum Prędicatorum exiſtebat, in quo triginta alumni ſeculares educabantur, & Grammatica, Rhetorica, Logica, Philoſophia, ac Theologia, Scholaſtica, & Moralis docebantur, ſeu legebantur, magna cum incolarum illarum partium utilitate, Civitas vero Manilan. pluſquam tribus leucarum millibus a vicinioribus ſtudiorum generalium Univerſitatibus nempe Limana, & Mexicana diſtabat, & propterea idem Philippus Rex in Collegio prędicto Academiam erigi, & inſtitui, ſummopere deſiderabat, prędictus Innocentius Prędeceſſor ſupplicationibus memorati Philippi Regis nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, in pręfata Civitate Manilan. in ędibus dicti Collegii, ubi tunc ſcholę erant, ſeu forſan in ampliorem formam conſtruerentur, Academiam, in qua Religioſi dicti Ordinis Grammaticam, Rhetoricam, Logicam, Philoſophiam, ac Theologiam, Scholaſticam, & Moralem publice profiterentur, ac juvenes quoſcunque docerent, duraturam duntaxat donec, & quouſque aliqua publica ſtudii generalis Univerſitas in dicta Civitate Manilan., ſeu illius Provincia Apoſtolica auctoritate erecta fuiſſet, eadem auctoritate, ſine tamen cujuſquam pręjudicio, erexit, & inſtituit, ipſamque Academiam ſic erectam, & inſtitutam curę, regimini, & adminiſtrationi dicti Ordinis, & illius Magiſtri Generalis pro tempore exiſtentis, ſeu ab eo deputandi, qui totius Academię Rector exiſteret prędicta auctoritate ſuppoſuit. Ac Rectori ipſius Academię, & Collegii pro tempore exiſtenti, ut donec hujuſmodi Academia, ut pręmittitur, duraret, illos, quos in ipſa Academia ſic erecta per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientia, & moribus, idoneos eſſe reperiſſet, in prędictis facultatibus, quę in dicto Collegio, ut pręfertur, docerentur, ſeu legerentur, ad Baccalaureatus etiam formati, & licentiaturę, ac Doctoratus, necnon Magiſterii gradus, ſervata in omnibus, & per omnia forma Decretorum Viennen., & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendebat, & alias juxta laudabiles aliarum Academiarum conſuetudines promovere, & ipſorum graduum inſignia eis exhibere valeret, dicta auctoritate conceſſit, & indulſit, cum diverſis facultatibus, gratiis, & indultis, & alias prout in ipſius Innocentii Prędeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis die XX Novembris MDCXLV expeditis, quarum tenorem pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, ſicut dilectus filius Alphonſus Sandin Procurator, ſeu Definitor Generalis Provincię Sanctiſſimi Roſarii dictarum Inſularum Philippinarum prędicti Ordinis Fratrum Prędicatorum Nobis nuper exponi fecit, ex erectione Academię hujuſmodi maxima in illis partibus ad animarum ſalutem aſſidue proveniat utilitas, propoſitiſque ſtudiorum pręmiis creverit ad ipſa amplectenda, & peragenda, pręmiaque hujuſmodi promerenda ſtudioſorum alacritas, itaut multiplicatę reperiantur perſonę habiles, & idoneę ad continuandas ſacras Miſſiones, quarum fructu Sancta Mater Eccleſia, Domino benedicente, in dies locupletatur, verum propter ingentem dictę Civitatis Manilan. a prędictis ſtudiorum Generalium Univerſitatibus diſtantiam ſupradictam moraliter impoſſibile ſit, ut Incolę Civitatis, & Inſularum Philippinarum hujuſmodi ad eaſdem Univerſitates, ut ibidem Sacrorum Canonum, & legum civilium, ac medicinę ſtudiis incumbant, ſe conferant, ac proinde plurimum expedire videatur, ut Academia prędicta in publicam ſtudii Generalis Univerſitatem, ad hoc ut in ea Sacri Canones, & leges civiles, ac medicina hujuſmodi, quorum ſcientia ad bene ordinatam Rempublicam, etiam neceſſaria eſt, publice doceri, harumque facultatum Cathedrę a perſonis ſecularibus peritis regendę benefactorum impenſa ibidem erigi, & gradus ſcholaſtici earundem facultatum ſtudioſis poſt peracta ſtudiorum curricula conferri valeant, ad inſtar Limanę, & Mexicanę Univerſitatum prędictarum erigatur, Nobis propterea dictus Alphonſus humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, Incolarum Civitatis, & Inſularum prędictarum commodis, quantum cum Domino poſſumus, conſulere, dictumque Alphonſum ſpecialis favore gratię proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandę fidei prępoſitorum conſilio, & attento quod pręfati Alphonſi inſtantia hujuſmodi a dilecto filio nobili viro Gaſpare de Haro Y Guzman Marchione de Carpio cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Oratore ejuſdem Caroli Regis nomine commendata fuit, Academiam in ſupradicto Collegio Sancti Thomę Civitatis Manilan. Ordinis Prędicatorum a memorato Innocentio Prędeceſſore ad ſupplicationem prędicti Philippi Regis erectam, ut pręfertur, in publicam ſtudii Generalis Univerſitatem, in qua etiam Sacri Canones, ac leges civiles, & medicina publice pręlegi, & doceri, harumque ſcientiarum, ſive facultatum Cathedrę a perſonis ſecularibus habilibus, & idoneis regendę, & obtinendę, fundari, & inſtitui valeant ad inſtar prędictarum Univerſitatum Limanę, & Mexicanę, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſine cujuſquam alterius Univerſitatis ſtudii Generalis pręjudicio erigimus, & inſtituimus, ita tamen, ut Univerſitas hujuſmodi ſic erecta, & inſtituta donec & quouſque alia publica Univerſitas Apoſtolica, & Regalis ad formam modo dictarum Univerſitatum, & non aliter, aut in eadem Civitate Manilan., aut in aliis Regnis vicinioribus conſtruatur, ſeu erigatur duntaxat durare debeat, ne eidem Univerſitati ſtudii generalis ſic per pręſentes erectę, & inſtitutę, illiuſque Rectori, Magiſtris, Doctoribus, Lectoribus, Pręceptoribus, Scholaribus, Procuratoribus, Bidellis, Nunciis, ceteriſque Officialibus, Miniſtris, & perſonis quibuſcunque pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, pręrogativis, honoribus, & pręeminentiis, quibus pręfatę Univerſitates ſtudiorum generalium Limana, & Mexicana, illarum Rectores, Magiſtri, Doctores, Lectores, Pręceptores, Scholares, Procuratores, Bidelli, Nuncii, ceterique Officiales, Miniſtri, & perſonę quęcunque reſpective, tam de jure, uſu, & conſuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt in futurum, non ſolum ad eorum inſtar, ſed etiam

Mandatum.

etiam ęque principaliter, & pariformiter, in omnibus, & per omnia uti, frui, potiri, & gaudere, Rectori autem ipſius Univerſitatis per pręſentes erectę, ac inſtitutę pro tempore exiſtenti, ut quandiu Univerſitas hujuſmodi, ſicut pręmittitur, duraverit, illos, quos in eadem Univerſitate per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientia, & moribus idoneos eſſe repererit, in pręfatis facultatibus, ſive ſcientiis, quę in ipſa Univerſitate docebuntur, ſeu legentur, ad Baccalaureatus etiam formati, licentiaturę, ac Doctoratus, & Magiſterii gradus, ſervata tamen in omnibus, & per omnia forma Decretorum Viennen., & Tridentini Conciliorum prędictorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, & alias juxta laudabiles ſupradictarum Limanę, & Mexicanę Univerſitatum ritus, & conſuetudines promovere, ſolitaque graduum hujuſmodi inſignia eis conferre, & exhibere. Ipſis vero ad eoſdem gradus per illum ſic promotis, ut poſtea publice, privatimque etiam in omnibus aliis Univerſitatibus ſtudiorum generalium facultates, ſive ſcientias prędictas reſpective alios docere, & interpretari, de eis diſputare, alioſque actus quoſcunque eorum gradibus convenientes exercere, libere, & licite poſſint, & valeant reſpective, auctoritate, & tenore prędictis concedimus, & indulgemus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Decernentes ipſas pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Collegii, Provincię, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII Auguſti MDCLXXXI, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Univerſitas.*) De qua in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1682 Die 16 Januarii.

Univerſitatis (1) Manilan. Conſervatores creat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVIII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Manilan. ſive dilecto filio ejus Officiali, ac dilectis etiam filiis Decano, & antiquiori Canonico Eccleſię Manilan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUa Nobis dilectus filius Alphonſius Sandin. Procurator, & Definitor Generalis Provincię Sanctiſſimi Roſarii Inſularum Philippinarum Ordinis Fratrum Prędicatorum nomine infraſcriptę Univerſitatis in Civitate Manilan. noviter per Nos erectę petitione monſtravit, quod cum ipſe exponens ad commendationem cariſſimi Nobis in Chriſto filii Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici, Academiam in Collegio Sancti Thomę dictę Civitatis Manilan. prędicti Ordinis Prędicatorum a felicis recordationis Innocentio Papa X prędeceſſore noſtro ad ſupplicationem clarę memorię Philippi, dum vixit, Hiſpaniarum Regis Catholici erectam, in publicam Studii Generalis Univerſitatem, in qua ultra alias Scientias, Sacri Canones, ac leges Civiles, & Medicina publice perlegi, & doceri, earumque ſcientiarum, ſive facultatum Cathedrę a perſonis ſecularibus habilibus, & idoneis regendę, & obtinendę fundari, & inſtitui valeant, ad inſtar univerſitatum Liman., & Mexican. a Nobis erigi, & inſtitui obtinuerit, cum omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus in literis in forma Brevis deſuper ſub die Septima Auguſti Anni Domini Milleſimi Sexcenteſimi octuageſimi primi confectis, latius ſpecificatis. dubitetque modo idem exponens, ne Clerici Regulares Societatis Jeſu, non obſtante prędicta erectione vigore quorundam pręntenſorum privilegiorum a diverſis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris forſan dictis Clericis conceſſorum, intendant perſiſtere in ſolemni graduatione ſuorum Scholarium, prout non poſſunt, nec faciunt in prędictis Univerſitatibus Liman., & Mexican., in maximum dictę Univerſitatis, & ejus Rectorum ſpretum, & pręjudicium, proinde idem Exponens nomine, quo ſupra, ad hoc ut in caſu alicujus ſuper pręmiſſis controverſię non careat hujuſmodi controverſia Judice, cupit via juris declarari facere dictis Clericis Regularibus Societatis Jeſu non licere in poſterum ſolemniter graduare ſuos Scholares, nec pluris auctoritatis, & privilegii eis competere, quam de pręſenti illis competit in prędictis Univerſitatibus Liman., & Mexican.. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, exponens id facere nequeat abſque ſpeciali noſtro reſcripto, ideo ad Nos recurrit humiliter ſupplicando, quatenus cauſam, & cauſas hujuſmodi, ac quam, & quas pręmiſſorum occaſione prędictus exponens contra dictos clericos regulares habet, & movet, habereque, & movere vult, & intendit, cum omnibus ſuis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali aliquibus probis viris illarum partium in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, & eorum cuilibet, audiendas, cognoſcendas, decidendas, ſineque debito terminandas Apoſtolica auctoritate committere, & mandare, atque ſibi in pręmiſſis de opportuno juris remedio ſubvenire paterna ſolicitudine curaremus. Nos igitur unicuique juſtitiam, ut decet, miniſtrari cupientes, ac ſta-

ac ſtatum, & merita cauſę, & cauſarum hujuſmodi pręſentibus pro expreſſis habentes, ipſumque exponentem a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę, Frater Epiſcope, ac diſcretioni veſtrę, ceteri Judices, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, vocatis dictis Clericis Regularibus, & aliis, qui fuerint evocandi, cauſam, & cauſas prędictas auctoritate noſtra audiatis, cognoſcatis, decidatis, fineque debito terminetis ſummarie, prout in cauſis beneficialibus procedi conſuevit. Nos enim vobis, & cuilibet veſtrum eoſdem Clericos Regulares, omneſque alios, quos opus erit, etiam per edictum publicum conſtito de non tuto acceſſu, citandi, illiſque, & quibus videbitur ſub ſententiis cenſuris, & pęnis inhibendi, contradictores in illas ſervata forma Concilii Tridentini incidiſſe declarandi, aggravandi, reaggravandi, & interdicendi, auxiliumque brachii ſecularis, ſi ad hoc opus fuerit, invocandi, aliaque in pręmiſſis, & circa ea neceſſaria, & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, & exequendi plenam, & liberam eadem Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Octuageſimo Primo (3), Decimo Septimo Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Jo: Ciuchius.

N. S. Coſta.

Jo. Bodeſon.

J. B. Gaſpar...

De Turre.

P.

A Tergo legitur.

N. S. Coſta

Regiſtrata Lib. 2 fol. 168.

1. *Univerſitatis.*) Legenda præcedens Conſtitutio.
2. *Archivo.*) In quo autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Octuageſimo Primo.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDCLXXXII.*

Mechlinienſium (1) Regularium quædam privilegia (2) firmat.

Anno 1682 Die 20 Maii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XIX.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm inter venerabilem Fratrem modernum Archiepiſcopum Mechlinienſem ex una, ac dilectos filios Regularium Ordinum profeſſores Civitatis, & Dięceſis Mechlinienſis, qui ab Ordinaria juriſdictione exempti ſunt, ex altera partibus, nonnullę controverſię exortę, & in particulari Congregatione deſuper a Nobis deputata pluries ventilatę fuerint; Ipſę vero partes, paternę caritati noſtrę ad concordiam inter eas ſtabiliendam benignę propenſę; humili obſequio morem gerentes, de controverſiis hujuſmodi inter ſe amicabiliter convenerint, nobiſque humiliter ſupplicaverint, ut opportune deſuper providere, &, ut infra, indulgere de benignitatę Apoſtolica dignaremur. Hinc eſt, quod Nos, ſpecialem Archiepiſcopo, & Regularibus pręfatis gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis &c. abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac controverſias prędictas ad nos harum ſerie avocantes, omnemque litem ſuper illis, ſeu earum occaſione enatam extinguentes, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſtatuimus, & ordinamus, ut in poſterum dictus Archiepiſcopus non poſſit exigere a pręfatis Regularibus, exemptis, & Apoſtolicę Sedi immediate ſubjectis in eorum promotione ad Ordines, in benedictione Abbatum, & in licentiis prędicandi, & Confeſſiones audiendi, ac in alia quacunque occaſione, obedientiam cum juramento fidelitatis, ſed tam ab Archiepiſcopo, quam a Regularibus debeat accurate in ſimilibus actibus obſervari forma, & diſpoſitio Pontificalis Romani in Alma Urbe noſtra noviſſime impreſſi. Licitum autem ſit iiſdem Regularibus geſtare in publicis Proceſſionibus cum Sanctiſſimo Euchariſtię Sacramento Reliquias, & Imagines Sanctorum, hoc tamen ſervato, ut dictę Reliquię, & Imagines portentur in principio Proceſſionis inter prima lumina, itaut inter ipſas, & Sanctiſſimum Sacramentum ſit rationabilis, & competens diſtantia. In ipſis vero Proceſſionibus procedatur cum omni debita modeſtia, & devotione, nec illę fiant per plateas, & vias mercatuum, ac ubi populus in prophanis cętibus occupatus ſit. Non tamen liceat dictis Regularibus facere Proceſſiones hujuſmodi extra Clauſtra ſuorum Conventuum, niſi duabus tantum vicibus in anno, una intra Octavam Feſtivitatis Corporis Domini, & altera in una die Dominica, vel feſtiva de pręcepto tantum, determinanda ab iiſdem Regularibus, cum approbatione pręfati Archiepiſcopi, intra terminum unius Menſis; cum expreſſa tamen declaratione, quod quicquid ſupra ſtabilitur circa prędictas proceſſiones non intelligatur ſuffragari illis Societatibus, & Confraternitatibus, quę in Eccleſiis ipſorum Regularium erectę, aut illis adſcriptę ſint. Occurrente autem aliqua publica, & gravi cauſa, quę reiterationem ſimilium proceſſionum requireret, non poſſint Regulares eas facere abſque pręcedente expreſſa licentia prę‐

prǫfati Archiepiſcopi, qui eo caſu poterit providere ſecundum dictamina propriǫ prudentiǫ, & pietatis. Porro liceat iiſdem Regularibus exemptis in eorum Eccleſiis abſque alia memorati Archiepiſcopi licentia, horis veſpertinis exponere venerationi populi prǫfatum Sanctiſſimum Sacramentum in Oſtenſorio, diebus, & feſtis infraſcriptis, videlicet, in omnibus Dominicis anni, in feſtis Nativitatis Domini, S. Stephani, Sancti Johannis Evangeliſtǫ, Circumciſionis Domini, ſecundo, & tertio diebus Paſchatis Reſurrectionis, & Penthecoſtes, in Feſto Aſcenſionis Domini, in Octava Corporis Domini, in omnibus Beatiſſimǫ Virginis Mariǫ Feſtivitatibus de prǫcepto, in feſtis Sanctorum Apoſtolorum, in die omnium Sanctorum, in die Dedicationis Eccleſiǫ, in Feſtivitate Protectoris ejuſdem intra menſem a Regularibus eligenda, ſi Eccleſia plures uno habuerit, in diebus Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli, Nativitatis Sancti Johannis Baptiſtǫ, ac Sanctorum Petri, & Pauli, & in feſtivitate Fundatoris Ordinis. Ac pariter licitum ſit, ut ſupra, prǫfatis Regularibus exemptis exponere iiſdem horis veſpertinis, ſed in Ciborio, prǫfatum Sanctiſſimum Sacramentum ſingulis quintis feriis, aut alio die feriato intra terminum unius menſis, ut ſupra eligendo. Licita quoque ſit ut ſupra expoſitio in Oſtenſorio mane tempore Miſſǫ principalis, in iis tamen locis tantum, ubi hactenus conſuetum eſt, in diebus feſtivis tantum infraſcriptis, nempe Nativitatis Domini, Paſchatis, Penthecoſtes, Sanctiſſimǫ Trinitatis, Corporis Domini, & matutino tempore illius diei intra octavam Corporis Domini, qua Proceſſio ſupra enunciata fiet, ac in feſtivitatibus Aſſumptionis B. Mariǫ Virginis, & omnium Sanctorum. In omnibus autem expoſitionibus ſupradictis non poſſit populo dari niſi una tantum benedictio cum Sanctiſſimo Sacramento, nec idem Sanctiſſimum Sacramentum poſſit eodem die publice exponi in pluribus Altaribus ejuſdem Eccleſiǫ, nec poſtquam in uno Altari expoſitum fuerit, ad aliud Altare, ut ibi pariter exponatur, tranſportari valeat. Quod ſi Sacra Communio eodem tempore, quo Sanctiſſimum Sacramentum expoſitum ſit, adminiſtranda fuerit, id fiat in Altari diverſo, ſumendo Sanctiſſimum Sacramentum, dum expoſitum fuerit, debeant ardere ante illud continuo ſaltem decem candelǫ ex cera candida, & pariter ibidem aſſiſtere abſque intermiſſione duo Religioſi genuflexi. Decernentes, eaſdem prǫſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus, ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in prǫmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prǫmiſſis, ac Apoſtolicis, & in Univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolicà, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prǫmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores prǫſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prǫmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem prǫſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonǫ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutǫ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quǫ haberetur ipſis prǫſentibus, ſi forent exhibitǫ, vel oſtenſǫ. Datum Romǫ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XX Maii MDCLXXXII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Mechlinien.*) In *Belgio*.
2. *Privilegia*.) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*
3. *Archivo*.) In quo exemplar. Legitur in *Bullario Carmelitan. Parte II pag.* 630.

Anno 1683 Die 6 Februarii.

XX.

Ne Regulares exempti ſe ſe ſacramento fidelitatis obſtringant (1) Epiſcopo.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Alias cum inter venerabilem fratrem modernum Archiepiſcopum Mechlinienſem, ex una, ac dilectos filios Regularium Ordinum profeſſores Civitatis, & Diǫceſis Mechlinienſis, ab ordinaria juriſdictione exemptos ex altera, partibus, nonnullǫ controverſiǫ exortǫ, & in particulari Congregatione deſuper a Nobis deputata pluries ventilatǫ fuiſſent, ipſǫ vero partes paternǫ caritati noſtrǫ ad concordiam inter eos ſtabiliendam benigne propenſǫ humili obſequio morem gerentes, de controverſiis hujuſmodi inter ſe amicabiliter conveniſſent, Nobiſque humiliter ſupplicaſſent, ut opportune deſuper providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos ſpecialem ipſis Archiepiſcopo, & Regularibus gratiam facere volentes, ac controverſias prǫdictas ad Nos avocantes, omnemque litem ſuper illis, ſeu earum occaſione enatam extinguentes, auctoritate Apoſtolica inter alia ſtatuimus, & ordinavimus, ut in poſterum dictus Archiepiſcopus non poſſet exigere a prǫfatis Regularibus exemptis, & Apoſtolicǫ Sedi immediate ſubjectis, in eorum promotione ad Ordines, in benedictione Abbatum, & in licentiis prǫdicandi, & confeſſiones audiendi, ac in alia quacunque occaſione obedientiam cum juramento fidelitatis, ſed tam ab Archiepiſcopo, quam a Regularibus deberet accurate in ſimilibus actibus obſervari forma, & diſpoſitio Pontificalis Romani in Alma Urbe noſtra noviſſime impreſſi, & alias, prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die XX Maii proxime prǫteriti, expeditis literis (3), quarum tenorem prǫſentibus pro ple-

plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, ſicut pro parte Regularium exemptorum pręfatorum Nobis nuper expoſitum fuit, memoratus Archiepiſcopus nihilominus pergat ab ipſis exponentibus exigere obedientiam, nec quemquam illorum velit ad ſacrum Presbyteratus Ordinem promovere, niſi illam ſibi promittat, quinimmo nec examinare pro aliis Ordinibus, & approbatione ad confeſſiones audiendas, & ad conciones, niſi in literis pręſentatoriis Superiorum ſalutetur ad verborum formam, quę exhibitionem, ſive profeſſionem obedientię ſignificet, hoc prętextu, quod cum per literas noſtras prędictas tantum prohibeatur exigere obedientiam cum juramento fidelitatis, illi remaneat jus exigendi ſimplicem obedientiam, & ſine hujuſmodi juramento fidelitatis, quamquam id ſatis refellatur ex ſupradictarum literarum parte, qua tam ab Archiepiſcopo, quam a Regularibus prędictis in ſimilibus actibus accurate obſervandam eſſe ſtatuitur formam, & diſpoſitionem dicti Pontificalis Romani, ubi cavetur expreſſe, quod ſi Regularis ſit exemptus, non debeat promittere obedientiam Epiſcopo ordinanti, ſed ſuo Pręlato, Abbas vero benedicendus, ſi pariter exemptus fuerit, fidelitatem, ſubjectionem, & obedientiam non Epiſcopo, ſed Sanctę Sedi Apoſtolicę promittere debeat, Nobis propterea dicti exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in pręmiſſis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis &c. abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eoſdem Regulares exemptos, nec obedientiam, nec juramentum fidelitatis pręfato Archiepiſcopo in ſuſceptione ſacri Presbyteratus Ordinis, aut in benedictione Abbatum, aliave quacunque occaſione promittere debere, nec ipſum Archiepiſcopum illam a dictis Regularibus exemptis ullo modo exigere poſſe, nec eorundem Regularium Superiores in quibuſvis literis pręſentatoriis ſuorum ſubditorum pro ſuſceptione Ordinum, approbatione ad Confeſſiones audiendas, aut ad prędicandum verbum Dei, vel alia qualibet occaſione eundem Archiepiſcopum verbo obedientię exhibitionem, ſive profeſſionem ſignificante, ſalutare debere, ſed tam ab Archiepiſcopo, quam a Regularibus prędictis in ſimilibus actibus formam, & diſpoſitionem ſupradicti Pontificalis Romani in Urbe noviſſime impreſſi, ut pręfertur, accurate ſervandam eſſe, auctoritate pręfata, tenore pręſentium, declaramus. Decernentes ipſas pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quę in literis ſupradictis conceſſimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI Februarii MDLXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Obſtringant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur in *Bullario Carmelitano Parte II. pag.* 632.
3. *Literis.*) Conſtitutione ſcilicet præcedente.

Indulgentia (1) pro Miſſionibus.

Anno 1683 Die 17 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

INNOCENTIUS PP. XI. XXI.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CÆleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſatores eſſe Nos voluit Altiſſimus, libenter erogamus, cum ad Religionis incrementum, & animarum ſalutem profuturum ſperamus. Cum itaque, ſicut accepimus, nonnulli Fratres Ordinis Prędicatorum de ordinariorum locorum, & Superiorum ſuorum licentia in diverſas Chriſtianę Reipublicę Provincias ad procurandam fidelium ſalutem mitti ſoleant. Nos eorundem Fratrum pietatem, omniumque ad quos illi mittentur devotionem confovere, atque augere cupientes, omnibus, & ſingulis Fratribus prędictis, ac aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ad quos mittendi acceſſerint, noſtram, & Apoſtolicam Benedictionem per pręſentes impartimur, eiſdemque vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui pro Sanctę Romanę Eccleſię exaltatione, Principum Chriſtianorum unione, infidelium converſione, hęreſum extirpatione, prout unicuique ſuggeret devotio pias ad Deum preces effuderint, una vice tempore dictę Miſſionis, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus ad ſeptennium, quoad Indias vero ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint. Utque earundem pręſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII Februarii MDCLXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Septimo. J. G. Sluſius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*

2. *Archivo.*) In quo authographum. Idem conceſſum ab eodem *Innocentio XI* die *XVI* Maii *MDCLXXXIX*, Pontificatus Anno Decimotertio. A *Clemente XI* die *V* Martii *MDCCIII*, Pontificatus Anno Tertio. Ab eodem *Clemente* die *XIV* Novembris *MDCCIX*, Pontificatus Anno Nono, ac die *XII* Decembris *MD.CXVI*, Pontificatus Anno Decimoſeptimo. Ab *Innocentio XIII* die *XX* Maii *MDCCXXIII*, Pontificatus Anno Tertio, uti liquet ex autographis, & ex exemplaribus *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſis.

Anno 1683 Die 17 Februarii.

XXII.

Indulgentia (1) pro recitantibus Roſarium hora ſibi aſſignata.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XI.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium Religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſsis, ac Sacra Communione refectis, qui hora ſibi asſignata Roſarium Beatę Marię Virginis devote recitaverint, & pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam ſemel in anno duntaxat omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remisſionem miſericorditer in Domino concedimus, quam quidem Indulgentiam, & peccatorum remisſionem pro animabus Chriſti fidelium, quę Deo in caritate conjunctę ab hac luce migraverunt, per modum ſuffragii applicari poſſe indulgemus (3). In contrarium facien., non obſtantibus quibuſcunque. Pręſentibus ad ſeptennium; quo vero ad Indias ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admisſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur pręſentes nullę ſint, ut earundem pręſentium tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII Februarii MDCLXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

J. G. Sluſius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria typis impreſſa.

3. *Indulgemus.*) Idem conceſſum ab eodem *Innocentio XI* die *XVI* Maii *MDCLXXXIX* Pontificatus anno Decimo tertio. A *Clemente XI* die *V* Martii *MDCCIII* Pontificatus anno Tertio. Ab eodem *Clemente* die *XIV* Novembris *MDCCIX* Pontificatus anno Nono, & die *XII* Decembris *MDCCXVI* Pontificatus anno Decimo ſeptimo. Ab *Innocentio XIII* die *III* Auguſti *MDCCXXIII* Pontificatus anno Tertio: uti liquet ex autographis, & exemplaribus typis impreſſis aſſervatis in Archivo Ordinis.

Anno 1683 Die 17 Februarii.

XXIII.

Indulgentia (1) pro XV Feriis Tertiis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XI.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Nota.

CUm, ſicut accepimus, in diverſis Orbis Chriſtiani partibus pia erga Sanctum Dominicum Ordinis Fratrum Prędicatorum Fundatorem, & Roſarii Beatę Virginis Marię auctorem inducta fuerit &c. (3). Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII Februarii MDCLXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

J. G. Sluſius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo autographum.

3. *Fuerit &c.*) Ut in *Conſtitutione X Alexandri VII.* Legitur *pag. 185.*

De

De Officio S. Ludovici (1) Bertrandi recitando in Diœceſibus (2) Carthaginen. & S. Marthæ.

Anno 1683 Die 20 Martii.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

Indiarum Occidentalium.

XXIV.

DECRETUM.

SAcra Rituum Congregatio, ad pias preces Reverendisſimorum Epiſcoporum Carthagenę, & S. Marthę in Indiis Occidentalibus porrectas a P. Magiſtro F. Matthia Hernandez Ordinis Prędicatorum, benigne inclinata, indulſit, atque conceſſit, ut in poſterum in Dięceſibus prędfatorum Epiſcoporum, quolibet anno in die Feſto S. Ludovici Bertrandi ejuſdem Ordinis Prędicatorum, poſſit recitari Officium, & celebrari Miſſa dicti Sancti ſub ritu duplici minoris de Communi Confeſſoris non Pontificis ab omnibus utriuſque ſexus, tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur. Hac die XX Martii MDCLXXXIII.

N. Cardinalis Ludoviſius.

Loco ✝ ſigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Sec.

1. *S. Ludovici*.) Conſulenda Conſtitutio *XX Clementis X*. Legitur *pag*. 274.

2. *Diœceſibus*.) In *America*.

3. *Archivo*.) In quo exemplar.

De Officio S. Antonini (1) ab omnibus recitando.

Anno 1683 Die 17 Augusti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXV.

URBIS, ET ORBIS.

SAnctiſſimus Dominus Noſter D. Innocentius Papa XI de conſilio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium Sac. Rituum Congregationi prępoſitorum habitę die XXIV Julii currentis anni, ad pias preces Sereniſſimi Magni Ducis Etrurię, benigne indulſit, ut in poſterum in Eccleſia univerſali quotannis die X Maii poſſit recitari Officium, & celebrari Miſſa Sancti Antonini olim Archiepiſcopi Florentini Ordinis Prędicatorum de Communi Confeſs. Pontif. ſub ritu ſemiduplici ad libitum, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani ab omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur. Hac die XVII Auguſti MDCLXXXIII.

N. Card. Ludoviſius.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *S. Antonini*.) Conſulenda Conſtitutio *I Clementis VII*. Legitur *Tomo IV hujuſce Bullarii pag*. 417.

2. *Archivo*.) In quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCLXXXIII*.

Plures campanas (1) in Eccleſiis Fratrum Prædicatorum eſſe poſſe, declarat.

Anno 1685 Die 12 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

INNOCENTIUS PP. XI.

XXVI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Jacobus Riccius (3) Procurator Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum in Sacra Theologia Magiſter, quod in ejuſdem Ordinis primordio illius Fratres, nonniſi una campana utebantur, atque ita per quandam ipſius Ordinis Conſtitutionem cavetur, verum in antiquiſſima Conſtitutionis hujuſmodi declaratione habetur, huic Conſtitutioni derogatum fuiſſe per contrariam conſuetudinem quaſi generalem, non quidem temere inductam, ſed ad excitandam Chriſtiani populi devotionem, eamque conſuetudinem, quippe jam pręſcriptam, ſine dubio vim legis obtinere. Quare Congregatio venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita die XIX Novembris MDCLXXXIII cenſuit conſuetudinem hujuſmodi eſſe ſervandam. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat felicis recordationis Johannes PP. XXII, Prędeceſſor noſter per quandam ſuam Conſtitutionem, cujus initium: Quia cunctos &c. edicto perpetuo ordinaverit, quod Religioſi Ordinis Mendicantium in nullo Conventu ſuo, ſeu loco plu-

plures campanas haberent ſine Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, ſed una tantummodo pro loco quolibet eſſent contenti, & alias prout in eadem Conſtitutione uberius continetur. Hujus vero Conſtitutionis vigore, vel prętextu Fratres dicti Ordinis Prędicatorum, qui in ſuis Conventibus plures campanas habent, litibus, atque contentionibus vexentur, & in variis mundi partibus ad diverſa Tribunalia diſtrahantur. Nobis propterea dictus Jacobus Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut ad tollendas, & evitandas hujuſmodi contentiones, eidem Ordini opportune in pręmiſſis providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ipſius Jacobi Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut Fratres pręfati Ordinis Prędicatorum in ſuis reſpective Conventibus, ſeu domibus Regularibus, ſive Eccleſiis ubicunque locorum exiſtentibus plures, & quotquot Magiſter Generalis ejuſdem Ordinis pro tempore exiſtens, ſive eorum Prior Provincialis reſpective determinaverit, campanas habere, & retinere, illaſque ad excitandam populi devotionem pulſare, & pulſari facere libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, & indulgemus. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręfata Johannis Prędeceſſoris, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides ubivis locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quę ipſis pręſentibus haberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII Februarii MDCLXXXV, Pontificatus noſtri Anno Nono.

J. G. Sluſius.

1. *Campanas.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXXV.*
3. *Riccius.*) Adeas *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad an. MDCCIII pag. 762.*

Anno 1685 Die 26 Martii.

Jus præcedendi (1) Franciſcanos, & ſupplicationem (2) ſolemnem habendi Dominica infra Octavas Corporis Chriſti, Fratribus Ordinis Prædicatorum aſſeritur.

XXVII.

Ex Archivo (3) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EManavit nuper a Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus prępoſitorum ad favorem dilectorum filiorum Fratrum Provincię Quitenſis in Indiis Occidentalibus Ordinis Prędicatorum Decretum tenoris qui ſequitur, videlicet: In cauſa Quiten. Pręcedentię propoſita per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Pamphilium, pro Patribus Dominicanis Provincię Quiten. contra Patres Sancti Franciſci Minoris Obſervantię ejuſdem Provincię, Sacra Rituum Congregatio auditis, & diſcuſſis juribus hinc inde deductis, atque allegatis ab utraque parte, & informante, cenſuit decernendum eſſe, prout decrevit ad favorem Patrum Dominicanorum, tum quoad pręcedentiam eiſdem Patribus Dominicanis debitam, ſupra pręfatos Patres Sancti Franciſci Minoris Obſervantię in omnibus actibus publicis, & Proceſſionibus, tum quoad jus peragendi Proceſſionem Dominica infra Octavam Corporis Chriſti privative quoad dictos Patres Franciſcanos, & ſignanter in Civitate Quitenſi. Ac inſuper declaravit, licere prędictis Patribus Franciſcanis eadem die Dominica infra Octavam Corporis Chriſti facere Proceſſionem intra Clauſtra eorum Conventus, & Eccleſię, & ita ſancivit, & ſervari mandavit die X Februarii MDCLXXXV. N. Cardinalis Ludoviſius. Loco † Sigilli. Bernardinus Caſalius Sacrę Rituum Congregationis Secretarius. Cum autem, ſicut dilectus pariter filius Ignatius de Queſada dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſor, in Sacra Theologia Magiſter, ac dictę Provincię Quitenſis Procurator Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri plurimum deſideret. Nos ipſum Ignatium Procuratorem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſen-

ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum pręinſertum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate pręfatę Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Martii MDCLXXXV, Pontificatus noſtri Anno Nono.

J. G. Sluſius.

1. *Pracedendi*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum* Tomo ultimo lit. *II.*

2. *Supplicationem*.) Ut in eodem *Tractatu*.

3. *Archivo*.) In quo exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXXV*.

S. Fidei, ac Quitenſis Univerſitatis privilegia (1) & Doctrinæ S. Thomæ commendatio.

Anno 1685 Die 11 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXVIII.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Jacobus Riccius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, in Sacra Theologia Magiſter, quod licet in Conventu Sanctiſſimi Roſarii, & Collegio Sancti Thomę civitatis Sanctę fidei in Novo Regno Granaten. in Indiis Occidentalibus dicti Ordinis ſit, & ſemper fuerit Univerſitas ſtudii ab initio fundationis dicti Conventus per literas felicis recordationis Gregorii Papę XIII Prędeceſſoris noſtri erecta, & ſubinde a recol. mem. Paulo Papa Quinto Prędeceſſore pariter noſtro per ſuas literas ad dictum Collegium tranſlata, ipſaque Univerſitas fuerit in poſſeſſione conferendi Gradus Academicos omnibus profeſſoribus, & diſcipulis Scholę Sancti Thomę Aquinatis, ibidem literarum ſtudiis operam navantibus. Ut autem dicta Univerſitas, in majori auctoritate eſſet, & ejuſdem Sancti Thomę doctrina magis ampliaretur, bonę memorię Chriſtophorus Torres, dum vixit, Archiepiſcopus dicti Novi Regni Granatenſis, qui in minoribus conſtitutus profeſſionem regularem in Ordine pręfato emiſerat, magnificum in dicta Civitate Collegium majus, in quo ſeculares nobiles, & bonę conditionis docerentur, ſua impenſa fundaverit, in eoque erexerit Cathedras Philoſophię, Sacrę Theologię, Sacrorum Canonum, & Legum, quibus pro inſtituto eſt, ſequi, & docere doctrinam Sancti Thomę, prout id ibidem fit cum magna utilitate ſtudentium, qui poſt peracta ſtudia, ſuſceptamque in dicta Univerſitate Lauream ad ſervitium Eccleſiarum, ac ad Miniſteria Parochorum, & Prębendatorum admittuntur, nihilominus hujuſmodi pacifica poſſeſſione Gradus in eadem Univerſitate ſuſcipiendi non obſtante, nonnullę perſonę a modico tempore rumorem ſparſerunt, & aliis perſuadere conati ſunt, quod Gradus in eadem Univerſitate recepti non ſint ſufficientes, & validi ad hoc, ut graduati poſſint admitti ad oppoſitiones, & Concurſus Prębendarum, Magiſtralium, Doctoralium, pęnitentiariarum, & Theologalium, ac alias dignitates, & Officia, quę de jure requirunt, ut illas, & illa obtinentes hujuſmodi gradu inſigniti ſint, unde hoc prętextu Thomiſtas a pręfatis Officiis, & dignitatibus omnino excludunt, & quatenus eos admittunt, dicunt Capitulares, ſe propter gradus defectum non poſſe eis locum in nominationibus dare, quod quidem in graviſſimum redundat pręjudicium Collegialium ſupradictorum, ac in diminutionem exiſtimationis doctrinę tanti Doctoris. Cum enim non ex alia cauſa excludantur, quam ex eo quod doctrinę ejuſdem Sancti Thomę ſequaces, & in pręfati Ordinis Univerſitate graduati ſint, nemo amplius erit, qui Doctrinę Sancti Thomę ſtudiis operam dare velit, & intra modicum tempus Collegium ſupradictum quod hodie literarum Seminarium eſt, deſtructum remanebit, & peribit, Univerſitas, & doctrina Sancti Thomę in illis partibus extinguetur, quę tamen olim a multis Romanis Pontificibus, Prędeceſſoribus noſtris, commendata fuit, non ſine mandato, ut illius ampliationi in Univerſitatibus opera daretur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Nos per quaſdam noſtras in ſimili forma Brevis anno MDCLXXXI expeditas literas de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. Romanę Eccleſię Cardinalium negotiis Propagandę fidei prępoſitorum conſilio (3) facultatem conferendi gradus Scholaſticos in omnibus ſcientiis, quę in Collegio Beati Ferdinandi Regis Catholici, Sancti nuncupati, dicti Ordinis Civitatis Quitenſis, in eiſdem Indiis Occidentalibus docentur, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis conceſſerimus, cariſſimus vero in Chriſto filius noſter Carolus Hiſpaniarum Rex Catholicus, non ſolum Regium ſuum beneplacitum ſuper inſtitutione Collegii hujuſmodi impertitus fuerit, ſed etiam per ſchedulas ſuas regias Anno MDCLXXXIII emanatas Collegium ipſum, ſive illius Univerſitatem omnibus privilegiis, & prerogativis regalis Collegii decoravit, idque intuitu magnę utilitatis, quę in illis partibus adeo remotis, ex doctrina memorati Sancti Thomę, & copia operariorum Evangelicorum, qui legem Evangelicam, tam chriſtianis, quam infidelibus prędicent, illoſque doceant, prout

Nota.

prout proventura ſperatur : ac proinde dictus Jacobus Procurator Generalis plurimum cupiat a Nobis declarari, quod ſupradictę Univerſitates Conventus Sanctę fidei, & Collegii Beati Ferdinandi Civitatis Quitenſis ſint certę, verę, & reales Univerſitates, prout ſunt Limana, & Mexicana, abſque ulla differentia, ac cum omnibus gratiis, privilegiis, prerogativis, conſuetudinibus, & ſolemnitatibus, prout Collegio Sancti Thomę Civitatis Manilę in Indiis Philippinis anno MDCLXXXI, conceſſimus, &, quatenus opus ſit, dictas Univerſitates de novo erigi in Univerſitates publicas ad inſtar Limanę, & Mexicanę cum omnibus gratiis, & privilegiis, itaut graduati in prędictis Univerſitatibus reputentur, habiles, & idonei tanquam Graduati in publicis Univerſitatibus, ad hoc ut cum Dei honore, & publico beneficio, ac Catholicę fidei propagatione amplictur quoque S. Thomę Aquinatis doctrina, illiuſque ſtudioſi, & ſequaces damna, & prejudicia, quę nunc ſuſtinent, amplius non patiantur. Nobis propterea idem Jacobus Procurator Generalis prefati Ordinis nomine humiliter ſupplicari fecit, ut in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ipſum Jacobum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & penis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum preſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac noſtrarum pariter in forma Brevis, ad favorem Collegii, & Univerſitatis S. Thomę Civitatis Manilę anno MDCLXXXI emanatarum literarum tenorem preſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto habentes, de venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſię prefatę Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prepoſitorum conſilio (4), omnia privilegia prefato Collegio, & Univerſitati Sancti Thomę Civitatis Manilę dicto Anno MDCLXXXI a Nobis conceſſa, prędictis Univerſitatibus Sanctę Fidei, & Beati Ferdinandi Regis Catholici Civitatis Quitenſis auctoritate Apoſtolica tenore preſentium communicamus; ſalva tamen ſemper in premiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum Regularium prepoſitę. Decernentes eaſdem preſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in premiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus premiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, & Univerſitatum, ſeu Collegiorum prefatorum, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium premiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores preſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris ad premiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XI Aprilis MDCLXXXV Pontificatus noſtri Anno Nono.

I. G. Sluſius.

1. *Privilegia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCXC.*

3. *Conſilio.* Hinc ſequens Decretum.

Decretum Sac. Congregationis Generalis de Propaganda Fide habitę ſub die V Maii MDCLXXXI.

Referente Eminentiſſimo D. Cardinali de Alteriis relata ſupradicta inſtantia, remiſſa a Sanctiſſimo D. N, Sac. Congregatio non ſolum commendavit zelum, pietatemque PP. Ordinis Prędicatorum Provincie S. Catharinę Virginis, & Martyris de Quito in Indiis Occidentalibus, verum etiam cenſuit, concedendam eſſe facultatem, ſi Sanctiſſimo placuerit, Rectori Collegii Sancti Ferdinandi Regis Catholici erecti, ſive erigendi intra, vel extra ſepta Conventus S. Petri Martyris Quitenſis Civitatis Ordinis Predicatorum, in omnibus ſcientiis Cathedrarum erectarum, vel in poſterum erigendarum graduandi, ut petitur, ad formam Brevium alias conceſſorum PP. S. Auguſtini, & Soc. Jeſu, donec conſtruatur publica Univerſitas Regalis, ſicut Limana, & Mexicana. Non obſtantibus privilegiis quomodolibet conceſſis aliis Religionibus in ipſa Civitate Quitenſi exiſtentibus etiam Soc. Jeſu. Quo decreto relato per R. Odoardum Cybo Archiepiſcopum Seleucię Secretarium. Sanctiſſimo Domino Noſtro Sanctitas ſua illud benigne approbando ad ulteriora progredi in expeditione Brevis mandavit in Audientia habita die XVI Maii MDCLXXXI.

Loco ✝ ſigilli.

O. Archiepiſcopus Seleucię Secret.

4. *Conſilio.*) Ut ex hoc Decreto videre eſt.

Decretum Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium expeditum die XV Decembris MDCLXXXIV.

Sac. Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prepoſita, attenta remiſſione libelli per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum facta, referente Eminentiſſimo de Laurea, cenſuit, ſi Sanctitati ſuę placuerit, poſſe per literas Apoſtolicas in forma Brevis omnia privilegia de Anno MDCLXXXI conceſſa prefato Collegio, & Univerſitati S. Thome Civitatis Manilę communicari prefatis Univerſitatibus Sanctę Fidei, & S. Ferdinandi Regis Catholici Civitatis Quitenſis. Non obſtantibus &c. Romę XV Decembris MDCLXXXIV.

Loco ✝ ſigilli.

G. Cardinalis Carpineus.

B. Panciaticus Secret.

F. An-

Antonius (1) de Monroy Generalis Magiſtri munus gerat licet Archiepiſcopus Compoſtellanus renunciatus ſit. Anno 1685 Die 11 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

INNOCENTIUS PP. XI. XXIX.

Venerabilis Frater (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXimię fraternitatis tuę in Nos, & Apoſtolicam Sedem fidei, & devotionis merita, Religionis zelo, aliiſque prçclaris virtutum donis, quibus perſonam tuam multipliciter inſignivit Altiſſimus conjuncta Nos adducunt, ut opera tua in re, quę nobis maxime cordi eſt, libenter utamur, firma ſpe, atque fiducia in Domino freti, te expectationi, & deſiderio de te noſtris cumulate reſponſurum. Cum itaque Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum Officium, quo nuper fungebaris, ex eo quod Nos Metropolitanę Eccleſię Compoſtellan. Paſtoris ſolatio deſtitutę, de perſona tua Nobis, & Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio auctoritate Apoſtolica providimus, teque eidem Eccleſię Compoſtellan. in Archiepiſcopum, & Paſtorem pręfecimus, vacaverit, & vacet de pręſenti: &, ſicut accepimus, tu eidem Ordini uſque ad finem tui Generalatus ſumma fide, atque integritate pręfueris: Hinc eſt quod Nos felici proſperoque dicti Ordinis regimini, & gubernio interim donec tuus in Generalatu Ordinis hujuſmodi Succeſſor in proxime futuro ipſius Ordinis Capitulo Generali eligatur, quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, ac de ſpectata Fraternitatis tuę fide, probitate, caritate, doctrina, vigilantia, ſapientia, & Religionis zelo, plenam habentes in Domino fiduciam, teque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum pręſentium duntaxat conſequen harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, tibi, ut licet memoratę Eccleſię Compoſtellan. pręſis, nihilominus Officium Generalatus Ordinis prędicti, cum omnibus, & ſingulis illius facultatibus, auctoritate, juriſdictione, pręeminentiis, pręrogativis, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, reaſſumere, illudque uſque ad electionem novi Magiſtri Generalis Ordinis hujuſmodi in tui locum, ſicut pręmittitur, faciendam gerere, & exercere libere, & licite, valideque poſſis, & valeas, tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Mandantes propterea in virtute ſanctę obedientię, ac ſub indignationis noſtrę, aliiſque arbitrio noſtro imponendis pęnis, omnibus, & ſingulis prędicti Ordinis Superioribus, Fratribus, & perſonis, ceteriſque, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, ut te ad pręfatum Generalatus Officium, illiuſque liberum exercitium juxta earundem tenorem pręſentium recipiant, & admittant, tibique in omnibus ad idem Officium pertinentibus reſpective faveant, & aſſiſtant, ac tua ſalubria monita, & mandata humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam, ſive pęnam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Decernentes eaſdem pręſentes literas, firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac tibi in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus, Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, habentes illis alias in ſuo robore permanſuris ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI Julii MDCLXXXV, Pontificatus noſtri Anno Nono.

J. G. Sluſius.

1. *Antonius.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXXXV.*

3. *Venerabilis Frater.*) Inſcriptio deeſt, ex ipſo tamen Diplomate liquet, quod Fratrem *Antonium de Monroy* alloquitur.

Anno 1686 Die 10 Junii.

Gradus conferendi privilegium Collegiis Societatis Jeſu S. Fidei, & Quiten. a ſe conceſſum inſerit, & abrogat.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XXX.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ALias poſtquam felicis recordationis Clemens Papa X, Prędeceſſor noſter per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die XVII Aprilis MDCLXXV expeditas literas alumnis Seminariorum Sanctę Fidei, & Quitenſis Civitatum in Indiis Occidentalibus conſiſtentium, ut peractis ſtudiis, prępvioque rigoroſo examine Baccalaureatus, & Megiſterii, & Doctoratus in Philoſophia, & Sacra Theologia gradus, in earundem Civitatum Collegiis Societatis Jeſu ab illorum reſpective Rectoribus, Pręfectis, & Magiſtris ſuſcipere, ipſique Rectores, Pręfecti, & Magiſtri eoſdem gradus dictis alumnis conferre valerent, reſpective ad decennium, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis auctoritate Apoſtolica conceſſerat, & indulſerat, Nos, ſupplicationibus tunc exiſtentium Rectorum, & Pręfectorum, Studiorum, Collegiorum prętatorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, indultum a memorato Clemente Prędeceſſore quoad Philoſophiam, & Sacram Theologiam ad decennium tantum conceſſum, ut pręfertur, ad Decreta, ſive Sacros Canones, ac ad alios decem annos a fine dicti decennii numerandos pari auctoritate ampliavimus, & extendimus, & prorogavimus, & alias prout uberius continetur in noſtris deſuper in forma Brevis pariter expeditis literis tenoris, qui ſequitur, videlicet: Innocentius Papa XI. Ad Futuram Rei Memoriam. Alias felicis recordationis Clementi Papę X Prędeceſſori noſtro pro parte tunc in humanis agentis Alphonſi de Alarcos Presbyteri Regularis Societatis Jeſu, ac Procuratoris Provinciarum Hiſpanię, & Indiarum Occidentalium dictę Societatis expoſito, quod cum Metropolitana Sanctę Fidei, & Cathedralis Quitenſis Eccleſię in partibus Indiarum conſiſtentes, duo Seminaria, juxta formam, & diſpoſitionem Decretorum Concilii Tridentini in Civitatibus Sanctę Fidei, & Quitenſis reſpective erexiſſent, in quibus, quamplurimi adoleſcentes ſub cura, & gubernio Clericorum Regularium Societatis pręfatę educabantur, ac Linguę Latinę, Philoſophię, & Sacrę Theologię ſtudiis in Collegiis Societatis, & Civitatum hujuſmodi operam navabant, eoſque in virtute, & doctrina progreſſus faciebant, ut animarum ſaluti, & converſioni Gentilium, quorum in illis Regionibus meſſis multa, operarii vero pauci, fructuoſe incumbere valerent, propinquior vero, nempe Limana ſtudii Generalis Univerſitas a Sanctę Fidei mille quingentis, & a Quiten. Civitatibus pręfatis nongentis milliaribus reſpective diſtabat, ac proinde alumni Seminariorum pręfatorum ad eandem Univerſitatem Limanam propter locorum diſtantiam, viarumque incommoda, ac eorum paupertatem accedere nequibant, ut ibidem gradus academicos conſequerentur. Unde flos juventutis earundem Regionum ejuſmodi honore privatus remanebat, non ſine Eccleſię, atque Reipublicę detrimento, ideoque ipſe Alphonſus plurimum cupiebat eiſdem alumnis indulgeri, ut abſolutis ſtudiis, & prępvio rigoroſo examine Baccalaureatus, Magiſterii, & Doctoratus in Philoſophia, & Sacra Theologia gradus a Rectoribus, Pręfectis, & Magiſtris ſupradictorum Collegiorum ſuſcipere valerent, quemadmodum recolendę memorię Gregorius Papa XIII, etiam Prędeceſſor noſter alumnis Seminarii Romani per quaſdam ſuas literas conceſſiſſe reperiebatur, idem Clemens Prędeceſſor ſupplicationibus dicti Alphonſi nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis, inclinatus, per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die XVII Aprilis MDCLXXV expeditas literas, pręfatis alumnis Seminariorum Sanctę Fidei, & Quitenſis Civitatum hujuſmodi, ut peractis ſtudiis, prępvioque rigoroſo examine Baccalaureatus, ac Magiſterii, & Doctoratus in Philoſophia, & Sacra Theologia hujuſmodi gradus in Collegiis prędictis ab illorum reſpective Rectoribus, Pręfectis, & Magiſtris ſuſcipere, ipſique Rectores, Pręfecti, & Magiſtri eoſdem gradus dictis alumnis, ſervata tamen in cetero memoratorum Gregorii Prędeceſſoris literarum forma, & diſpoſitione, conferre libere, licite, & valide poſſent, & valerent, reſpective ad decennium a die pręſentationis earundem Clementis Prędeceſſoris literarum computandum, auctoritate Apoſtolica conceſſit, & indulſit, & alias, prout in ipſis literis, quarum tenorem pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, ſicut dilecti filii Rectores, & Pręfecti ſtudiorum Sanctę Fidei, & Quitenſis Collegiorum pręfatorum Nobis nuper exponi fecerunt, in eiſdem Collegiis, non ſolum Artium, ſive Philoſophię, ac Sacrę Theologię, ſed etiam decretorum, ſive Sacrorum Canonum lectiones habeantur, & ad animarum ſalutem, Eccleſięque utilitatem plurimum expediat, alumnos prędictos gradibus Academicis, etiam in Decretis, ſive Sacris Canonibus in hujuſmodi poſt peracta ſtudiorum curricula decorari, Nobis propterea dicti exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut in pręmiſſis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, indultum a memorato Clemente Prędeceſſore, quoad Philoſophiam, & Sacram Theologiam ad decennium tantum conceſſum, ut pręfertur, ad decreta, ſive Sacros Canones, ac ad alios decem annos a fine dicti decennii numerandos, itaut interea alumni eorundem Seminariorum Sanctę Fidei, & Quitenſis Civitatum, peractis pariter ſtudiis, prępvioque rigoroſo examine,

Bac-

Bacealaureatus, & Magiſterii, ac Doctoratus, in Philoſophia, & Sacra Theologia, ac decretis, ſive Sacris Canonibus hujuſmodi gradus in Collegiis ſupradictis ab eorum reſpective Rectoribus, Pręfectis, & Magiſtris ſuſcipere, ipſique Rectores, Pręfecti, & Magiſtri eoſdem gradus ipſis alumnis, ſervata tamen ceteroqui prętatarum Gregorii, & Clementis Prędeceſſorum literarum forma, & diſpoſitione, conferre libere ſimiliter, & licite, & valide poſſint, & valeant reſpective, auctoritate prędicta, tenore pręſentium, ampliamus, & extendimus, & prorogamus. Decernentes eaſdem prętentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quę in ſupradictis Clementis Prędeceſſoris literis conceſſa ſunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem prętentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quę ipſis prętentibus haberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Maii MDCLXXXII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Abrogatio.

Nunc autem Nos ex cauſis Nobis notis literas noſtras pręinſertas nullum vigorem, & effectum habere volentes, eaſdem noſtras literas, auctoritate Apoſtolica pręfata, tenore prętentium revocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac revocatas, caſſatas, irritatas, & annullatas, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuas eſſe, & fore, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, eadem auctoritate decernimus, & declaramus. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Societatis, & Collegiorum, ac Seminariorum prętatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam eidem Societati, ejuſque Collegiis, ac Superioribus, & perſonis, aliiſve quibuslibet, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione dignis ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, ac aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, etiam Motu proprio, & de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, & alias quomodolibet in contrarium pręmiſſorum conceſſis, ac pluries confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur prętentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem prętentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quę haberetur ipſis prętentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X Junii MDCLXXXVI, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar. Huc etiam ſpectat ſequens Decretum S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium.

DECRETUM.

Sacra &c. ad quam Sanctiſſimus D.N.PP. per ſpeciale reſcriptum remiſit examen ad deciſionem controverſiarum vertentium inter Rectores Collegiorum Societatis Jeſu Civitatum Quiten., & Sanctę Fidei novi Regni Granaten. in Indiis Occidentalibus, & Patres Prędicatores earundem Civitatum partibus ex altera, ſuper prętenſa per Patres Societatis Jeſu executione literarum, ad illorum favorem in forma Brevis XXX Maii MDCLXXIV expeditarum, in quibus felicis recordationis Clemens PP. X ſub narrativa, quod nulla in dicto Regno Granaten. adeſſet publica ſtudiorum Univerſitas, quodque Patres Societatis, ex ſpeciali ſanctę memorię Gregorii XIII privilegio, haberent jus laureandi in artibus, & Sacra Theologia; indulſit, ut Laureati in prętatis Collegiis Societatis Jeſu, donec aliqua publica Univerſitas proximior, erecta fuerit, ac ſi in publicis Univerſitatibus cenſerentur Laureati, necnon ſuper executione aliarum ſimilium literarum in forma pariter Brevis expeditarum XV Maii, in quibus Sanctiſſimus D. N., facultatem Laureandi alumnos a Clemente X Prędeceſſore ſuo ſub die XVII Aprilis MDCLXXV ad decennium conceſſam Rectoribus, & Magiſtris Seminariorum Societatis Jeſu Civitatum Quiten., & Sanctę Fidei, ad alios decem annos extendit, atque ad jus tradendi Lauream in Decretis, ſeu Sacris Canonibus ampliavit, & ſub narrativa, quod eorundem Sacrorum Canonum Lectiones, in prętatis Collegiis haberentur. Auditis Patribus Ordinis Prędicatorum dictarum Civitatum Quiten., & Sanctę Fidei opponentibus de obreptione prętatarum literarum, non ſolum, quia in novo Regno Granaten., ac in ipſa Civitate Sanctę Fidei extat ſtudiorum Univerſitas antiquitus a ſanctę memorię Gregorio XIII in eorum Conventu Sanctiſſimi Roſarii anno MDLXXX, creata, & ſucceſſive a Paulo V anno MDCXII ad Collegium S. Thomę tranſlata, ac a Sanctiſſimo D. N. anno MDCLXXXV approbata, ſed etiam quia,

quę-

quęcunque facultas laureandi, ſi quę antea Patribus Societatis Jeſu competebat ad ſolos Religioſos aſtringebatur, & ulterius revocata fuit a B. Pio anno . . . . , nec deduci poſſe ampliora privilegia ex ſubſequenti conceſſione ſanctę memorię Gregorii XIII, dum ſolum confirmat antiqua indulta Julii III, & Pii IV conferendi lauream ſcholaribus Religioſis, ac exteris pauperibus in locis, ubi adeſſent Univerſitates ſtudiorum, & aliis quibuſcunque, qui ſtudiis incumberent in Collegiis conſiſtentibus, in locis ubi nulla adeſſet Univerſitas, ac denique opponentibus, nullatenus verificari, quod in Collegiis Societatis Jeſu, Decreta, ſeu Sacri Canones legantur, prędictaſque literas laborare, etiam vitio ſubreptionis, ob non factam in earum impetratione expreſſam litis mentionem, diu inter. partes, in diverſis tribunalibus agitatę. Et viceverſa auditis Patribus Societatis adverſus pręmiſſa, replicantibus aſſertam Univerſitatem Patrum Prędicatorum in Civitate Sanctę Fidei, minime probari, neque ex literis Gregorii XIII uſque adhuc non exhibitis, neque ex illis Pauli V, ſolum transferentes de uno, ad alium locum aſſertum a Patribus Dominicanis oratoribus, Univerſitatem, neque ex noviſſimis Sanctiſſimi D. N. literis enunciativam in partis ſupplicantis continentibus, facultatem vero laureandi, primum a Julio III anno MDLII Societati Jeſu conceſſam, a Pio IV anno MDLXI confirmatam, & a Gregorio XIII anno MDLXXVIII ampliatam, non ad ſolos Religioſos eſſe reſtrictam, neque cadere ſub B. Pii revocatione, non loquente de Societatis privilegiis, quę abſque ſpecifica mentione derogata nunquam cenſentur. In eorum autem Collegiis Theologię Moralis, lectionem haberi, quę eadem reputari debeat cum lectione Sacrorum Canonum, ſubreptionemque pręfatam literarum, ob taciturnitatem litis ceſſare, ex quo jam lites eſſent extinctę. Sacra, inquam, Congregatio ſupradictis hinc inde deductis mature diſcuſſis, Eminentiſſimo de Laurea referente, ad evitanda gravia in Chriſtiana Republica illarum partium ſcandala, & maximum Catholicę Fidei detrimentum, quę ex ulteriorum diſcordiarum progreſſu, inter pręfatas Religiones, timeri poſſunt, cenſuit ſupplicando Sanctiſſimo, ut revocando omnes ſupradictas cauſas, & prętenſiones a quocunque judice, & tribunali, eaſque ſupprimendo, & extinguendo, ac perpetuum deſuper utrique parti ſilentium imponendo, dignetur per novas literas in forma Brevis confirmare, & quatenus opus ſit, de novo concedere Patribus Ordinis Prędicatorum, & illorum domui Civitatis Sanctę Fidei Univerſitatem, ſtudii Generalis, & jus graduandi. Patribus vero Societatis, per alias ſimiles literas in forma Brevis facultatem a ſanctę memorię Clemente X conceſſam, & a Sanctitate Sua prorogatam, & ampliatam ſupradictis oppoſitionibus, non obſtan. confirmare, &, quatenus opus ſit, de novo in perpetuum concedere etiam reſpective facultatis graduandi in Decretis, ſeu Sacris Canonibus juxta formam ſervari ſolitam per Patres Prędicatores, eos, qui ſtudiis incumbunt in ſcholis, ſeu Collegio erecto per Archiepiſcopum Chriſtophorum Torres, firmis de cetero, & in ſuo robore remanentibus quoad Collegia utriuſque Religionis exiſtentia in Civitate Quiten., privilegiis, & facultatibus graduandi, & laureandi in artibus, & ſcientiis per particulare Breve eiſdem a Sanctiſſimo D. N. conceſſis. Romę Prima Februarii MDCLXXXVI.

Anno 1686 Die 25 Septembris.

Ne Cœnobii Suriani Prior ex cauſis capitalibus eccleſiaſticas cenſuras ſubeat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXI.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Alias felicis recordationis Alexandro Papę VII Prędeceſſori noſtro pro parte tunc in humanis agentis Auguſtini a Suriano Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris in Sacra Theologia Magiſtri, ac Prioris Conventus Sancti Dominici Terrę Suriani Provincię Calabrię ulterioris dicti Ordinis expoſito, quod dictus Conventus ante a clarę memorię Philippo IV, dum vixit, Hiſpaniarum Rege Catholico terram pręfatam cum tribus illi annexis Sanctorum Angeli, & Baſilii, ac Sanctę Barbarę, Caſalibus, & cum juriſdictione civili, criminali, & mixta, gladiique poteſtate emerat. Idem Alexander Prędeceſſor ſupplicationibus dicti Auguſtini nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus eidem Auguſtino Priori, ejuſque ſucceſſoribus dicti Conventus pro tempore Prioribus, & in abſentia Priorum hujuſmodi Supprioribus, necnon profeſſori dicti Ordinis, quem ab ipſo dicti Conventus Priore, & conſilio Religioſorum ejuſdem Conventus in ſuperintendentem, & coadjutorem ejuſdem Prioris, in regimine, & gubernio vaſſallorum terrę, & caſalium hujuſmodi pro tempore deputari contigiſſet, ut ipſi ratione juriſdictionis pręfatę, & ut illa rite, & recte a miniſtris per Superiores dicti Conventus pro tempore deputatis adminiſtraretur ſe ſe in negotiis, & cauſis criminalibus quibuſcunque, quoties opus fuiſſet, immiſcere, ac in eis conſilium, mandata, & juſſiones, tam verbo, quam in ſcriptis dare, & debitę executioni demandare facere, etiam ſi ſanguinis effuſio, membrorumque mutilatio, ſeu etiam mors inde ſequeretur, libere, & licite, ac abſque ullo cenſurarum eccleſiaſticarum, aut irregularitatis incurſu poſſent, & valerent, dummodo tamen a ſententia in cauſa ſanguinis per ſe ipſos ferenda omnino abſtinerent, Apoſtolica auctoritate conceſſit, & indulſit, & alias prout in ipſius Alexandri Prędeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis die XXVII Novembris MDCLV expeditis, quarum tenorem pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus uberius continetur. Cum autem, ſicut dilectus filius modernus Prior dicti Conventus Nobis nuper exponi fecit, alia quinque caſalia, nempe Pizzoni, Vazzano, Zimbario, Belloforte, e Bzognaturi nuncupata, ſubinde ad eundem Conventum pervenerint, & ad illum legitime pertineant, in eiſque juriſdictio criminalis ipſi Conventui pariter competat, Nobis propterea dictus modernus Prior humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus Prioribus, & in abſentia Priorum Supprioribus dicti Conventus, ac ſuperintendenti, Coadjutori Prioris in regimine, & gu-

& gubernio vaſſallorum quinque caſalium ſecundo dictorum pro tempore exiſtentibus paterne in premiſſis providere, &, ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ipſum modernum Priorem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitorum conſilio, ac audito ſuper pręmiſſis per eoſdem Cardinales dilecto filio Magiſtro Generali dicti Ordinis, indultum a pręfato Alexandro Prędeceſſore per ſuas literas pręnarratas quoad Terram Suriani, & tria caſalia primo dicta conceſſum, ut petitur, ad alia quinque caſalia ſecundo dicta, ſervata tamen earundem literarum forma, & diſpoſitione, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium extendimus, & ampliamus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXV Septembris MDCLXXXVI (3), Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Cardinalis Sluſius.

1. *Subeat.*) Conſulenda Conſtitutio *II Alexandri VII* data die *XVII* Novembris *MDCLV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Suriano.*

3. *MDCLXXXVI.*) Ex hoc firmatur *Nota III* ad Conſtitutionem datam die *I* Octobris *MDCLXXVIII.* Enim vero ſi Pontificatus annos incepiſſet *Innocentius* ab electionis die, ſcribendum foret *MDCLXXXV*, non vero *MDCLXXXVI*, ut in hoc Brevi legitur.

Quod in Pontificiæ dignitatis juribus propugnandis F. Philippus (1) Pardo Manilan. Archiepiſcopus egregie ſe geſſerit, eidem gratulatur.

Anno 1687 Die 12 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Venerabili Fratri Philippo Pardo Archiepiſcopo Manilan.

INNOCENTIUS PP. XI.

XXXII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX his quę a Catholico Hiſpaniarum Rege ad reparandam dignitatem Fraternitatis tuę adverſus eos, qui eam temere impetere non dubitarunt, mandata, ac reipſa adimpleta ſunt, agnoviſſe jam abunde te credimus, quam impenſe tibi pręſto fuerimus, & quam probaverimus zelum, cujus in tuendis, propugnandiſque prędictę dignitatis juribus, ac privilegiis pręclara documenta edidiſti; firmam autem hinc in ſpem venimus, fore, ut quavis alia oblata occaſione tui ſimilis eſſe pergas, inclytamque conſtantiam tuam novis in dies meritis illuſtres; Quoad nos attinet, piis conatibus tuis, ubi opus fuerit, nunquam deerimus, Venerabilis Frater, cui interim Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII Januarii MDCLXXXVII, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Philippus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Valentinam (1) Cœnobii S. Mariæ del Pilar Confraternitatem SS. Roſarii confirmat.

Anno 1688 Die 28 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XI.

XXXIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, in Civitate Valentin. duo Conventus Fratrum Ordinis Prędicatorum exiſtant, unus ſcilicet Regius, & alter Sanctę Marię del Pilar reſpective nuncupat., qui ob dictę Civitatis amplitudinem bis mille trecentis, & quatuor paſſibus ab invicem diſtant. In eorum autem primo ab immemorabili tempore reperitur erecta Confraternitas ſub titulo Sanctiſſimi Roſarii, & in altero ſimilis Confraternitas Sanctiſſimi Roſarii ab anno MDCXIX, auctoritate tunc exiſtentis Magiſtri Generalis dicti Ordinis inſtituta fuerit cum communicatione privilegiorum, & Indulgentiarum a Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris Confraternitatibus hujuſmodi conceſſis, quibus ambę Confraternitates ab inde citra quiete, & pacifice uſę fuerunt, attamen de Anno MDCLXXXV inter dictas Confraternitates exorta eſt controverſia ſuper validitate inſtitutionis ſecundo dictę Confraternitatis, ac ea ſuper re ad Tribunal Cruciatę nuncupatum in illis partibus exiſtens recurſu habito, dictum Tribunal declaravit, ſecundo dictę Confraternitatis erectionem, utpote Conſtitutioni felicis recordationis Clementis PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, per quam erectio, ſive inſtitutio unius tantummodo Confraternitatis ſub eodem no-

nomine, & inſtituto in ſingulis locis fieri permittitur, adverſantem, non ſuſtineri, atque ita Confraternitatis hujuſmodi officialibus, & Confratribus inhibuit, ne ſub quingentorum ducatorum pęna congreſſus, alioſque actus ſolitos exercere deinceps auderent. Cum autem, ſicut dilectus filius modernus Procurator Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, ex ſecundo dictę Confraternitatis hujuſmodi abolitione, non minus ſcandali, quam devotionis imminutio ſequi poſſit, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ejuſdem Procuratoris Generalis votis in pręmiſſis, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, qui venerabilem Fratrem Archiepiſcopum Valentin., & modernum Magiſtrum Generalem ejuſdem Ordinis ſuper pręmiſſis audierunt conſilio, ſecundo dictam Confraternitatem Sanctiſſimi Roſarii in Eccleſia ſupradicti Conventus Sanctę Marię del Pilar dictę Civitatis Valentin. de anno MDCXIX, ut pręfertur, inſtitutam tolerandam eſſe, ac ipſius Confraternitatis Confratres, & Conſorores, ſi illa omnia ſingula, quę pro conſequendis Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, ac pęnitentiarum relaxationibus in literis inſtitutionis Confraternitatis, & communicationis indulgentiarum hujuſmodi pręſcripta ſunt, ibidem adimpleverint, ut omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pęnitentiarum relaxationes pręfatas conſequi poſſint, & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium decernimus, & declaramus, ac, quatenus opus ſit, de novo concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus pręfata Clementis Prędeceſſoris, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Januarii MDCLXXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

J. F. Albanus.

1. *Valentinam.*) In *Hiſpania.* 2. *Archivo.*) In quo autographum.

Anno 1688 Die 12 Junii.

De Quitenſi Univerſitate (1) in Cœnobio Fratrum Prædicatorum conſtituta.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIV.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

NUper (3) pro parte dilecti filii Ignatii de Queſſada Definitoris, & Procuratoris Provincię S. Catharinę Virginis, & Martyris de Quito in Indiis Occidentalibus Ordinis Prędicatorum in Sacra Theologia Magiſtri Congregationi venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitę expoſito quod cum Nobis alias nempe anno MDCLXXXI pro parte ipſius Ignatii Procuratoris fuiſſet expoſitum, quod dicta Provincia Collegium ſub titulo Beati Ferdinandi Regis Catholici Sancti nuncupati in Civitate Quiten. ſua impenſa pro Collegialibus ſecularibus ſub regimine, & gubernio Religioſorum dicti Ordinis, qui inibi doctrinam Doctoris Angelici S. Thomę de Aquino docerent, fundare intendebat. Nos Collegium hujuſmodi fundari approbaveramus, ac multa privilegia, & gratias pro eo Collegio conceſſeramus prout dictus Ignatius Procurator ex binis noſtris literis, unis videlicet dicto anno MDCLXXXI, alteris vero die XI Aprilis MDCLXXXV, reſpective in ſimili forma Brevis expeditis conſtare aſſerebat, & ſubinde regius ad id acceſſerat aſſenſus. Poſtmodum vero Fratres dictę Provincię, ut fundatio Collegii hujuſmodi ad ſuum effectum reduceretur, primum Conventus S. Petri Martyris dictę Civitatis Quiten. Ordinis prędicti ſitum, & quaſdam domos ipſi Conventui vicinas pro ipſa fundatione dicti Collegii, & quoddam prędium ſeu poſſeſſionem Tochache nuncupat., & ad dictum Conventum legitime ſpectan. pro congrua illius perſonarum ſuſtentatione, deinde Provincia prędicta quandam conficiendo ſaccaro fabricam, ſeu machinam in Valle de Piſque, ac duas poſſeſſiones, unam in juriſdictione de Loxa pro manutentione Cathedraticorum Sacrorum Canonum in dicto Collegio, alteram vero in valle de Sangolqui nuncupatam juxta ſuos notos fines ſitas, & ad dictam Provinciam legitime ſpectantes, necnon aliqui ejuſdem Ordinis Fratres nonnulla particularia depoſita ſibi reſervata, ſeu ad eorum uſum permiſſa, ac demum ipſe Ignatius Procurator de licentia ſui Superioris copioſam Bibliothecam cum diverſis picturis in Alma Urbe noſtra factis, & aliis rebus, ſeu ornamentis pro cultu divino dicto Collegio donaverant, conceſſerant, & aſſignaverant reſpective, Capitulumque Provinciale ipſius Provincię fructum cujuſdam cenſus annui ad quadringentos nummos, pezze nuncupatos, annuatim aſcendentem in fabricam dicti Collegii quoad uſque illa abſolveretur impendendos applicaverat, & in eadem expoſitione ſubjuncto, quod cum prope eſſet, ut fundatio Collegii hujuſmodi abſolveretur in publicam totius illius Regni Quitenſis utilitatem, iidem Fratres dictę Provincię, quo dictum Collegium perpetuam in dictis bonis, & poſſeſſionibus ſtabilitatem, firmitatem, & ſecuritatem conſequeretur, nec quicquam ullo unquam tempore circa ea innovari poſſet, cupiebant donationes, conceſſiones, & aſſignationes ſupradictas jam dudum, ut dictus Ignatius aſſerebat, a dilecto filio moderno Magiſtro Generali dicti Ordinis approbatas, ſeu alias de ejus licentia factas a dicta Congregatione confirmari, memorata Congregatio Cardinalium ſupplicem libellum ſibi ſuper pręmiſſis porrectum remiſit dilecto filio noſtro Palutio S. R. E. Cardinali de Alteriis nuncupato Ordinis prędicti apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectori, ut veris exiſtentibus narratis circa ſupradictas oratoris preces id ſtatueret, quod pro ſuo arbitrio, & prudentia in Domino expedire cen-

cenſuiſſet, prout in ipſius Congregationis decreto deſuper die XIV Novembris proxime pręteriti emana-
to continetur, ipſe vero Palutius Cardinalis Protector vigore facultatis ſibi conceſſę decretum edidit te-
noris, qui ſequitur, videlicet: Palutius tituli S. Marię Tranſtyberim Presbyter Cardinalis de Alteriis
S. R. E. Camerarius, ac totius Ordinis Prędicatorum apud S. Sedem Protector. Cum ex parte Provin-
cię Sanctę Catharinę Virginis, & Martyris de Quito in Indiis Occidentalibus Fratrum Prędicatorum Sa-
crę Congregationi Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & con-
ſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitorum per R. P. Magiſtrum F. Ignatium de Queſſada
illius Procuratorem, & Diſſinitorem in hac Curia pręſentem expoſitum fuerit, quod ex conceſſione
Sanctiſſimi D. N. Innocentii PP. XI; & munificentia Regis Catholici Caroli Secundi Collegium in dicta
Civitate Quitenſi ſub moderamine dictorum Fratrum Prędicatorum, eorumque regimine, & ſub titulo
Beati Ferdinandi, Sancti nuncupati, cum jure, & privilegio in omnibus ſcientiis quoſcunque ſtudentes
laureandi, ac aliis quibus Univerſitates Limana, & Mexicana potiuntur, quęque aliis Collegiis Rega-
libus a prędicto Rege Catholico, ſuiſque Prędeceſſoribus conceſſa fuere, erectum fuerit, & inſtitutum,
ſeu verius de proximo erigi, & inſtitui debeat, atque ad hoc, ut fundatio hujuſmodi ſequeretur, ac ad
moderatorum illius Univerſitatis ſuſtentationem Conventus Sancti Petri Martyris ejuſdem Civitatis, &
Ordinis quaſdam domos ſimul unitas, & ſitas in platea Sancti Dominici ejuſdem Civitatis, quęque ſunt
dicto Conventui conterminę uſque ſub die XVIII Auguſti MDCLXXXI dicto Collegio donaverit, atque
contulerit, ac pręterea tres poſſeſſiones, ſeu prędia ſtabilia ad ipſum Conventum ſpectantia ſita in Val-
le Tochache, aliud in Valle Sangolqui, & tertium in juriſdictione de Loxa, & ultra hęc etiam Piſtrinum
ad uſum ſaccari cum ſuis pertinentiis, quod hiſpanice nuncupatur ingenium, ſitum in Valle Piſque
ſponte etiam, & libere conceſſerit, & aſſignaverit, prout in actis, ſcripturis, & inſtrumentis hujuſmodi
donationum, & conceſſionum latius continetur, ad quę relatio habeatur. Ac inſuper ad eundem effec-
tum Capitulum Provinciale celebratum in dicto Conventu Sancti Petri Quitenſis die XX Septembris
MDCLXXXIV ſpeciali decreto applicaverit quadringentos annuos patacones in ea Provincia jampridem
ad ędificandum deſtinatos, ut conſtructioni, & fabricę dicti Collegii tandiu impendantur quandiu ędifi-
cium completum fuerit, diverſique Fratres particulares dictę Provincię depoſita propria ad uſum reſer-
vata de Superiorum licentia, & pręſertim dictus P. Magiſter Queſſada copioſam Bibliothecam in Europa
ab eo comparatam, una cum pluribus picturis, & ornamentis eidem Collegio liberaliter ceſſerint, do-
noque attribuerint, harumque omnium, & ſingularum conceſſionum, & donationum confirmationem
pro majori dicti Collegii ſecuritate, & abundatiori cautela a prędicta Sacra Congregatione eadem Pro-
vincia per pręnominatum Procuratorem enixe, & humiliter poſtulaverit, ipſaque Sacra Congregatio
benigne annuendo petitis ſub die XIV Novembris anni proxime elapſi MDCLXXXVII nobis commiſerit,
ut pro noſtro arbitrio, & prudentia ſtatueremus, quę circa pręmiſſa in Domino expedire cenſeremus.
Nos igitur, conſiderantes hujuſmodi conceſſiones bonorum cedere in majorem Eccleſię utilitatem, ac
ejuſdem Ordinis Fratrum Prędicatorum decorem, neque Conventui, & Provincię oneris, & diſpendii
inde multum oriri, inhęrendo propterea facultati a Sacra Congregatione ſpecialiter in ſupra enunciato
decreto nobis conceſſa, volentes pro noſtra in dictum Ordinem protectione ſpeciali gratia, & favore
eum proſequi, viſis authenticis documentis nobis exhibitis, ac per viſum veris repertis narratis poſt
maturam rei diſcuſſionem, auctoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, omnia, & ſingula acta,
& ſcripturas, & inſtrumenta donationum, conceſſionum, unionum, & incorporationum prędicto Col-
legio, & Univerſitati a Conventu S. Petri Martyris Civitatis Quiten. Capitulo Provinciali ejuſdem Pro-
vincię, ac Generali totius Ordinis, Fratribuſque particularibus in utilitatem prędicti Collegii, & il-
lius fundationem factarum, & applicatarum a die XVIII Auguſti MDCLXXXI uſque ad pręſentem diem
cum ſuis clauſulis, & conditionibus, quę in actis, ſcripturis, & inſtrumentis hujuſmodi continentur,
quorum tenores haberi volumus pro expreſſis approbamus, & confirmamus, laudamus, ac roboris fir-
mitate munimus, etiam ſi in illis ſervatę non fuerint ſolemnitates a Sacris Canonibus, & Ordinis ipſius
Conſtitutionibus demandatę, quoniam ad validum earundem effectum auctoritate Sacrę Congregationis
in eis diſpenſamus, & tam Fratribus dicti Conventus S. Petri Martyris, ejuſque, ac Provincię Pręlatis,
& Superioribus pręſentibus, & futuris, quam quibuſvis aliis perſonis adverſus illas omnino reclamare
prohibemus, rataſque habentes omnes licentias per Superiores Ordinis, & Capitula ſuprà enunciata in
gratiam ejuſdem Collegii datas, atque conceſſas, bona omnia tam mobilia, quam immobilia ſuperius ex-
preſſa, tanquam bona dicto Collegio ad illius fundationem, moderatorum ſuſtentationem, profeſſorum
Theologię, & utriuſque juris Cathedraticorum manutentionem deſtinata, applicata, incorporata, uni-
ta, attributa, ac acquiſita alienari, diſtrahi, & ſeparari poſſe, alienationis etiam vocabulo latiſſime
ſumpto, quocunque prętextu, interdicimus ſub pęnis contra alienantes bona Eccleſię a Sacris Canoni-
bus, & dicti Ordinis Conſtitutionibus inflictis, & comminatis, quibuſcunque in contrarium non obſtan-
tibus. Datum ex ędibus noſtris hac die decima nona Martii MDCLXXXVIII. Palutius Cardinalis de
Alteriis Protector. Locus † ſigilli. Cum autem, ſicut dictus Ignatius Procurator Nobis nuper exponi
fecit, ipſe decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius Apoſtolicę confirmationis noſ-
trę patrocinio communiri ſummopere deſideret. Nos ipſum Ignatium Procuratorem ſpecialibus favori-
bus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſ-
que eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa la-
tis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium tantum conſequendum, harum ſe-
rie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter
porrectis inclinati, pręinſertum dicti Palutii Cardinalis Protectoris decretum, omniaque, & ſingula
in eo contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, & approbamus, illiſque in-
violabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui
deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem pręſentes literas, firmas, validas, &

effi-

efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac dicto Collegio in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Conventus, Ordinis, & Provincię prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſsis, & inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII Junii MDCLXXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

J. F. Albanus.

1. *Univerſitate.*) De qua in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.VI.*
2. *Archivo.*) In quo exemplaria authentica typis R. Camerę Apoſtolicę impreſſa *Romę* anno *MDCLXXXVIII.*
3. *Nuper.*) Legenda Conſtitutio *XXVIII.*

Anno 1688 Die 26 Junii.

Ordinis Fratrum Prędicatorum Miſſale Apoſtolica auctoritate firmatur.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXXV.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Cloche (2) Magiſter Generalis Ordinis Prędicatorum, quod ipſe Miſſale ad uſum Fratrum dicti Ordinis a nonnullis ex venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus Congregationis Sacris Ritibus prępoſitę diligenter reviſum, ac ad antiquum ejuſdem Ordinis ritum quam maxime redactum, juxta ea, quę circa novam impreſſionem Miſſalis hujuſmodi a pręfatis Cardinalibus die XXII Februarii pręteriti reſoluta, ac ſubinde a memorata Congregatione die XIII Martii etiam proxime elapſi approbata fuerunt, typis imprimi facere quamprimum intendit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ipſe Antoninus Magiſter Generalis pręmiſſa, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, nec quidquam in iiſdem pręmiſſis eadem Congregatione inconſulta in poſterum immutari valeat Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri, plurimum deſideret. Nos ipſum Antoninum Magiſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, diſpoſita, atque decreta, ut pręfertur, a prędicta Congregatione circa novam impreſſionem Miſſalis hujuſmodi, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate memoratę Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore quomodocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, ejuſque Provinciarum, Congregationum, Conventuum, & Monaſteriorum quorumcunque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores, pręſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides ubique locorum habeatur, quę ipſis pręſentibus haberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Junii MDCLXXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

J. F. Albanus.

1. *Archivo.*) In quo autographum.
2. *Antoninus Cloche.*) Cujus vitam ſcripſit eruditus noſter *Dominicus Ponſi*. Quis porro fuerit celeberrimus vir *Antoninus Cloche* ex ſequentibus inſcriptionibus videre eſt. Prior legitur in Bibliotheca *Caſanatenſi*, poſterior in ędibus Sacris Cœnobii *Minervitani* de Urbe.

FR.

FR. ANTONINVS CLOCHE
SVMMVS PRÆDICATORVM ORDINIS MODERATOR
EXIMIA VIR PIETATE, AC RELIGIONE,
STRICTIORIS DISCIPLINÆ DILIGENTISSIMVS CVLTOR,
PAVPERVM TVTOR, PORTVS, AC SINVS
PRISCÆ GRAVITATIS, ET BLANDÆ COMITATIS TEMPERAMENTO
OMNIVM STVDIA PROMERITVS.
CONSTANTI TOTIVS EVROPÆ PRINCIPVM GRATIA,
VRBISQVE, GENTIVM REGNATRICIS, EXISTIMATIONE, ATQVE AMORE
MODESTISSIME VSVS.
MORVM SVAVITATE, MANSVETVDINE, FACILITATE,
NIHIL AB INFERIORIBVS PRO FAMILIARITATE SEIVNCTVS,
SOLAQVE VIRTVTE EMINENS,
ET BENEFACIENDI VOLVNTATE EXCELLENS,
VT NEMINEM VNQVAM TRISTEM DIMISERIT,
NEMINEM TRISTIS EXCEPERIT.
CONSILIORVM CELSITVDINE, MAGNARVMQVE RERVM MOLIMINE
MAIORVM EXEMPLA SVPERGRESSVS:
NOVVM, QVOD ÆMVLENTVR POSTERI, DEDIT EXEMPLVM
PAVCI SEQVANTVR.
LITERATORVM AMOR.
LITERARVMQVE SENESCENTIVM REDVCTOR, ET STATOR,
CVIVS BENEFICIIS ALLECTÆ SANCTIORES MVSÆ
IN HAC ÆDE MINERVÆ
TANQVAM IN PATRIO SOLO DOMICILIVM POSVERE
AVCTA, ORNATAQVE BIBLIOTHECA
ROMANÆ MAGNITVDINIS ÆMVLA
CVM HIERONYMO S.R.E. CARDINALI CASANATE
MVNIFICENTISSIMO CONDITORE
DE LIBERALITATE CERTAVIT.
PRÆFVIT VIGIL, AC DILIGENS MŒSTO NEMINE
ANNOS XXXIV.
VIXIT SENSVVM, AC VIRIVM INTEGER, OPTANTIBVS CVNCTIS
ANNOS LXXXXIII.
OBIIT LÆTVS LVGENTIBVS VNIVERSIS
ANNO INTERCALARI MDCCXX
V. KAL. MART.

In alia ſic legere eſt.
Bull. O. P. Tom. VI.

D. O. M.

D. O. M.

F. ANTONINO CLOCHE GALLO
ORDINIS PRÆDICATORVM
OCCITANÆ PRIMVM, MOX DACIÆ
PROVINCIALI
ROCCABERTI, ET MONROY GENERALIVM
SOCIO,
DEMVM EIVSDEM ORDINIS
GENERALI MAGISTRO,
CVIVS OPERA
PLVRES EX SVO ORDINE
BEATIS ADSCRIPTI,
PIVS V PONTIFEX MAXIMVS
INTER SANCTOS RELATVS,
BIBLIOTHECA CASANATENSIS
CONSTRVCTA, ET AVCTA,
TOTVS ORDO
INNVMERIS BENEFICIIS CVMVLATVS,
PARENTI OPTIMO
PIETATE, DOCTRINA, ET PRVDENTIA
EXIMIO,
BENIGNITATE, AC HVMANITATE
SVIS, CETERISQVE OMNIBVS
ACCEPTISSIMO
SOCII MŒRENTES
P. C.
VIXIT ANNOS XCII MENSEM I
DIES X
PRÆFVIT ORDINI
ANNOS XXXIII MENSES VIII
DIES XXVI
OBIIT ANNO MDCCXX
V KAL. MART.

De Breviario, ceteriſque libris choralibus typis mandandis.

Anno 1688 Die 14 Auguſti.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

INNOCENTIUS PP. XI.

XXXVI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm, ſicut dilectus filius Antoninus Cloche (2) Magiſter Generalis Ordinis Prędicatorum Nobis nuper exponi fecit, ipſe Miſſale, Breviarium, Diurnum, Martyrologium, Rubricarium, Proceſſionale, Pſalterium, Officium Beatę Marię Virginis, Kalendarium perpetuum, & reliquos libros Chorales, quibus perſonę utriuſque ſexus dicti Ordinis utuntur, in Alma Urbe noſtra, pręvia debita approbatione, propediem typis mandare intendat: Vereatur autem ne alii eoſdem libros poſtea, nec ea, qua decet ſedulitate, & caſtigatione edi curent; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, quatenus in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſpecialem ipſi Antonino Magiſtro Generali gratiam facere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, pręſertim vero Typographis, librorum impreſſoribus, & Bibliopolis ubilibet exiſtentibus, ſub excommunicationis latę ſententię, in noſtra vero temporali ditione commorantibus, etiam quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amiſſionis typorum, & librorum omnium, eidem Camerę applicandorum, abſque aliqua declaratione incurrendis, & exigendis pęnis, interdicimus, & inhibemus, ne Miſſale, Breviarium, Diurnum, Martyrologium, Rubricarium, Proceſſionale, Pſalterium, Officium Beatę Marię Virginis, Kalendarium perpetuum, alioſque libros Chorales pręfatos, vel eorum aliquos, aliquamve partem poſt hac in perpetuum abſque expreſſa, & in ſcriptis accepta, dicti Antonini moderni, & pro tempore exiſtentis Magiſtri Generalis dicti Ordinis facultate cujus exemplum in principio, vel fine cujuſque librorum hujuſmodi impreſſum, una cum pręſentibus noſtris literis, ſemper addendum erit, imprimere, aut ab aliis impreſſa vendere, ſeu venalia habere, vel proponere quovis modo audeant, vel pręſumant. Mandantes univerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis in Spiritualibus generalibus, ſeu Officialibus, ac in Statu noſtro Eccleſiaſtico Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Poteſtatibus, & aliis Officialibus, ceteriſque ad quos quomodolibet ſpectat, & ſpectare poterit, ut quando, & quoties pro parte dicti Magiſtri Generalis, ſeu nomine dicti Ordinis requiſiti fuerint, prędicta contra inobedientes quoſcunque etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris, & facti remedia, auctoritate Apoſtolica exequantur, & obſervari faciant, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumpta, ſeu exempla, etiam in ipſis libris impreſſa, manu alicujus Notarii publici ſubſcripta, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munita, eandem prorſus fidem ubique locorum in judicio, & extra faciant, quam ipſę pręſentes facerent, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV Auguſti MDCLXXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

J. F. Albanus.

1. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar authenticum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXXXVIII.*

2. *Antoninus Cloche.*) Generalis Magiſter renunciatus fuerat Kalendis Juniis anno *MDCLXXXVI.*

Indulgentia (1) pro XV Feriis Tertiis.

Anno 1689 Die 16 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

INNOCENTIUS PP. XI.

XXXVII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, in diverſis Orbis Chriſtiani partibus pia erga Sanctum Dominicum Ordinis Fratrum Prędicatorum Fundatorem, & Roſarii Beatę Marię Virginis Auctorem devotio inducta fuerit &c. (3) Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI Maii MDCLXXXIX, Pontificatus noſtri Anno Decimo Tertio.

J. F. Albanus.

1. *In-*

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria typis impreſſa.
3. *Fuerit &c.*) Ut in *Conſtitutione X Alexandri VII.* Legitur *pag.* 185.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Dignitates, Innocentio XI Summo Pontifice, promotos exhibens.

CARDINALIS.

Anno 1681. F. Raymundus Capiſuccus, patricius Romanus, S. R. E. Cardinalis Tituli S. Mariæ de Angelis, poſtea S. Stephani Rotundi. *Cavalerius Tomo II pag.* 253 *num. VII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 31 *Indicis Cardinalium*.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1677. F. Johannes Thomas de Roccaberti, e Comitibus de Perelada, alumnus Aragoniæ Provinciæ, ex Generali Magiſtro, Archiepiſcopus Valentinus, in Hiſpania Tarraconenſi. *Cavalerius Tomo I pag.*677 *num.CXCVII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXX pag.*630, & *pag.*827.

Anno 1678. F. Dominicus Magueir, Mhac Udhir, & Mac-Guir (ut enim varie pronunciant, ſic varie ſcribunt) Archiepiſcopus Armachanus, Hiberniæ Primas. *Cavalerius Tomo I pag.* 679 *num. CXCVIII. Belgium Dominicanum pag.* 422.

Anno 1678. F. Dominicus de Guſman, ex Epiſcopo *Lerienſi*, ut in hac *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Eborenſis, *Evora*, in Luſitania. *Cavalerius Tomo I pag.* 652 *num. CLXXIX, ex Sovegio. Franciſcus de Fonſeca in Evora Glorioſa pag.* 310.

Anno 1678. F. Hyacinthus Serroni, ex Epiſcopo *Mimatenſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Alexandri VII* dictum fuit, Archiepiſcopus Albienſis, *Alby*, in Occitania. *Cavalerius*, & *Echard* ſupra laudati.

Anno 1678. F. Dominicus Ferdinandus Navarrete, vulgo *Fernandez*, Hiſpanus, Archiepiſcopus S. Dominici, *S. Domingo*, in ejuſdem nominis Inſula Americæ. *Cavalerius Tomo I pag.* 650 *num. CLXXVII*, & *pag* 680 *num. CC*, non enim diſtinguendus *Dominicus* iſte *Ferdinandus* a *Dominico Fernandez*. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXXIX pag.* 720.

Anno 1678. F. Philippus Pardo, Hiſpanus, Archiepiſcopus Manilianus, *Manilla*, in Philippinis. *Cavalerius Tomo I pag.* 652 *num. CLXXX. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 27 *Indicis Epiſcoporum*.

Anno 1683. F. Antonius de Vergara, Hiſpanus, Archiepiſcopus Saſſarin., *Saſſari*, in Sardinia. *Cavalerius Tomo I pag.*658 *num.CLXXXVI, ex Actis Conſiſtorialibus*.

Anno ...... IDem ad Archiepiſcopatum Calaritanum translatus fuit, vulgo *Cagliari*, in Sardinia. *Cavalerius* mox laudatus, ex iiſdem *Actis Conſiſtorialibus*. Monet enim *Cavalerius* notitiam Præſulum, de quibus a *pag.* 636 ad finem uſque loquitur, ſibi ex *Actis Conſiſtorialibus*, vel ex Pontificiis Diplomatibus comparatam. Ad Eccleſiam *Zamorenſem* translatus fuit.

Anno 1684. F. Thomas Maria Ruffus, e Ducibus Balneariæ, Archiepiſcopus Barenſis, in Regno Neapolitano. *Ughellus in Archiepiſcopis Baren. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.*671 *edition. Venetæ*. *Cavalerius Tomo I pag.*654 *num. CLXXXIII.*

F. An-

F. Antonius de Monroy, origine Hiſpanus, ex illuſtri Comitum de Monroy Hiſpaniæ magnatum ſtirpe *Mexici* natus, ibique Ordini aſcriptus, Romæ poſtea Generalis Magiſter renunciatus, Archiepiſcopus Compoſtellanus, in Gallæcia. *Cavalerius Tomo I pag. 681 num. CCIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXVII pag. 668.* Anno 1685.

F. Julius Vincentius Gentilis, patricius Genuenſis, Archiepiſcopus Genuenſis, in Liguria. *Cavalerius Tomo I pag. 663 num. CXCI. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXCIV pag. 736.* Anno 1685.

F. Vincentius Maria Urſinus, S. R. E. Cardinalis, ex Epiſcopo *Cæſenatenſi*, ut in hac *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Beneventanus, in Italia. *Cavalerius*, aliique ſupra laudati in *Appendice ad Pontificatum Clementis X.* Anno 1686.

F. Franciſcus Ramirez, Hiſpanus, Archiepiſcopus Brunduſin., *Brindiſi*, in Regno Neapolitano. *Ughellus in Archiepiſcopis Brunduſin. Tomo IX Italiæ Sacræ pag. 45 edition. Venetæ. Cavalerius Tomo I pag. 683 num. CCIX. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Clocbe Cap. VIII pag. 209 num. VI.* Ad *Agrigentinam* Eccleſiam translatus fuit. Anno 1689.

EPISCOPI.

F. Didacus de Aguillar, aliis de Anguillara, Epiſcopus Nominis Jeſu, in Indiis Occidentalibus. *Cavalerius Tomo I pag. 642 num. CLXII.* Quod in Indiis Occidentalibus ſit hæc Sedes, liquet ex ſequenti Diplomate. *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Didaco de Aguillar Electo Nominis Jeſu, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per translationem Johannis Archiepiſcopi de Manila olim Epiſcopi Nominis Jeſu &c. de jure patronatus Regis Hiſpaniarum in Indiis Occidentalibus &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne illa longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ, perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & in Theologia Magiſtrum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Sexcenteſimo Septuageſimo Sexto, Decimoſexto Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.* Ex Archivo Apoſtolico. *Lib. III fol. XIV Innocentii XI.* Anno 1676.

F. Emmanuel Pereria, ſeu Pereira, Luſitanus, Epiſcopus S. Sebaſtiani, in Braſilia, ſub Archiepiſcopo Ulyſſipponen. *Cavalerius Tomo I pag. 643 num. 165.* Ejuſdem mentio in ſequenti Diplomate: *Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Emanueli Pereria Electo Sancti Sebaſtiani &c. Apoſtolatus officium &c. gubernare. Sane Eccleſia Sancti Sebaſtiani nuper Parochiali Eccleſia ſub invocatione ejuſdem Sancti Sebaſtiani oppidi Sancti Sebaſtiani prædicti quod quidem oppidum nos hodie ad ſupplicationem dilecti filii nobilis viri Petri Portugalliæ, & Algarbiorum Principis, & Gubernatoris, in Civitatem, Parochialem vero Eccleſiam hujuſmodi in Cathedralem Eccleſiam de venerabilium Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, Apoſtolica auctoritate, perpetuo ereximus, & inſtituimus, ac ex certis cauſis, tunc adductis eidem Petro Principi, & Gubernatori, & pro tempore exiſtentibus Portugalliæ, & Algarbiorum Regibus Juſpatronatus, & præſentandi ad prædictam Eccleſiam S. Sebaſtiani tam hac prima vice, quam quoties vacare contigerit, nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, ac aliis ſub certo modo, & forma tunc expreſſis, & perpetuo dicta auctoritate reſervamus, conſtituimus, & aſſignamus prout in noſtris deſuper confectis literis plenius continetur, a primæva erectione, & inſtitutione hujuſmodi paſtoris ſolatio deſtituta, ſeu carente, nos ad proviſionem hujuſmodi Eccleſiæ celerem, & felicem &c. ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem Theologiæ Magiſtrum, & Provincialem Terræ Sanctæ, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate, morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum acceptæ, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, &* Anno 1676.

Apoſto-

Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Sexenteſimo Septuageſimo Sexto, Sextò decimo Kal. Novembris Pontificatus noſtri Anno Primo. Ex Archivo Apoſtolico. fol.CXXXVI..

Anno 1676. F. Reginaldus Cools, Antuerpienſis, Epiſcopus Ruremunden., in Belgio, ſub Archiepiſcopo Mechlinienſi. Bernardus de Jonghe in Belgio Dominicano pag.349. Quod anno MDCLXXVI Epiſcopus renunciatus ſit, liquet ex hoc Diplomate: Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Reginaldo Cools Electo Ruremunden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Lancellotto Epiſcopo Ruremunden. ad quam Eccleſiam dum vacat nominatio Regis Hiſpaniarum exiſtit ratione Ducatus Geldriæ cujus ipſe Carolus etiam Dux exiſtit, ex privilegio Apoſtolico, cui hactenus derogatum non exiſtit, dum viveret Præſidente: poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Lancellotti Epiſcopi Ruremunden. qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ, perſonam, utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & Theologiæ Magiſtrum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis: quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias &c. Volumus autem quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas, ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimó Sexcenteſimo Septuageſimo Sexto, Decimo ſexto Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo. Ex Archivo Apoſtolico fol.XVII Libro III Innoc.XI.

Anno 1677. F. Thomas Carbonel, Hiſpanus, Epiſcopus Seguntinus, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Toletano: Cavalerius Tomo I pag.657 num. CLXXXV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.26 Indicis Epiſcoporum. Succeſſit cuidam Petro, quem Petrum de Godoi crediderim. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomæ Carbonel Electo Seguntin. de Jurepatronatus Regis Hiſpaniarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Petro Epiſcopo Seguntin. regimini Eccleſiæ Seguntin. præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum, & inane &c. poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Petri Epiſcopi qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictæ Eccleſiæ &c. de qua nullus præter nos &c. ne longæ vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam, utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum, ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, ac Theologiæ Magiſtrum, cui de Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium, circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus committendo, in illo qui dat gratias &c. Volumus autem, quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas, ad præfatam Eccleſiam te conferas &c. Jugum igitur Domini &c. tuque præter æternæ &c. noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Sexcenteſimo Septuageſimo Septimo, Quarto Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo. Ex Archivo Apoſtolico. Lib.II An. Primo fol.731.

Anno 1677. F. Dominicus de Guſman, Hiſpanus, ex Ducibus de Medina Sidonia, Epiſcopus Lerienſis, Leyria, ſub Archiepiſcopo Ulyſſipponen., in Portugallia. Cavalerius Tomo I pag.652 num.CLXXIX. Franciſcus de Fonſeca in Evora Glorioſa pag.310 num. DXLIV. Quod ex illuſtribus parentibus Matriti natus ſit Dominicus iſte, docet ſequens Diploma. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico de Guſman. Electo Lerien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus officium gubernare &c. Sane Eccleſia Lerien., quæ de jure patronatus pro tempore exiſtentium Portugalliæ, & Algarbiorum Regum ex privilegio Apoſtolico, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, fore dignoſcitur, & cui bonæ memoriæ Petrus Epiſcopus Lerien dum viveret præſidebat, per obitum dicti Petri Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, paſtoris ſolatio deſtituta, nos vacatione hujuſmodi dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intenden., poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum ex illuſtribus, & Catholicis parentibus in Oppido Matriti Toletan. Diœceſis ortum, in quadrageſimo, & ultra tuæ ætatis, & a pluribus annis in Presbyteratus Ordine conſtitutum, Magiſtrum in Theologia, aliaque requiſita haben., & quem dilectus filius nobilis vir Petrus Portugalliæ, & Algarbiorum Princeps, & Gubernator nobis ad hoc per ſuas literas præſentavit, & de cu-

cujus religionis zelo, vitæ munditia, morum probitate, ſpiritualium providentia, & temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis fide digna apud nos teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis præfatæ Eccleſiæ, de perſona tua nobis &c. accepta de Fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, & ipſius Eccleſiæ ſuper cujus menſæ Epiſcopalis fructibus &c. penſio annua duorum millium quinquaginta cruciatorum monetæ Portugalliæ, venerabili Fratri Cæſari Epiſcopo Laudunen. S. R. E. Presbytero Cardinali de Eſtrees nuncupato illam annuatim percipien., Apoſtolica auctoritate ſervata reperitur, tibique committen. In illo, qui dat gratias confidentes, quod dirigente Domino &c. dirigetur gratia &c. incrementa: jugum igitur tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens curam &c. merearis. Volumus autem, quod in Civitate Lerien. Montem Pietatis fieri cures &c. conſcientiam oneran. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Sexconteſimo Septuageſimo Septimo, Sexto Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Simili modo: dilectis filiis Capitulo Eccleſiæ Lerien., Salutem &c. Hodie Eccleſiæ veſtræ Lerien., tunc per obitum bonæ memoriæ Petri olim Epiſcopi Lerien. extra Romanam Curiam &c. deſtitutæ de perſona dilecti filii Dominici electi Lerien. nobis &c. continetur. Quocirca mandamus, quatenus eidem Dominico electo tanquam patri &c. alioquin &c. obſervari, datum, ut ſupra. Simili modo: dilectis filiis Clero Civitatis, & Diœceſis Lerien., Salutem &c. Hodie Eccleſiæ Lerien. tunc per obitum bonæ memoriæ &c. continetur. Quocirca mandamus, quatenus eundem Dominicum electum tanquam Patrem &c. curetis, alioquin &c. obſervari. Datum, ut ſupra. Simili modo: dilectis filiis populo Civitatis, & Diœceſis Lerien., Salutem &c. Hodie Eccleſiæ Lerien. tunc per obitum bonæ memoriæ &c. continetur. Quocirca univerſitatem veſtram monemus &c. mandantes quatenus eundem Dominicum tanquam Patrem &c. gaudeatis. Datum, ut ſupra. Simili modo: dilectis filiis Vaſſallis Eccleſiæ Lerien., Salutem &c. Hodie Eccleſiæ Lerien. tunc per obitum bonæ memoriæ &c. continetur. Quocirca univerſitati veſtræ mandamus, quatenus eundem Dominicum electum tanquam Patrem &c. gaudeatis. Datum, ut ſupra. Simili modo, venerabili Fratri Archiepiſcopo Ulixbonen., Salutem &c. ad cumulum &c. proſequaris. Hodie ſiquidem Eccleſia Lerien. tunc per obitum bonæ mem. &c. continetur. Cum igitur, ut idem Dominicus electus in commiſſæ ſibi Eccleſiæ cura facilius proficere valeat, tuus favor &c. opportunus fraternitatem tuam monemus &c. mandantes quatenus eundem Dominicum electum &c. Eccleſiam ſuffraganeam tuam tibi commiſſam, necnon noſtra &c. commendatos in ampliandis &c. quod ipſe Dominicus electus perpetuæ auxilium gratiæ &c. exercere. Datum, ut ſupra. Ex Archivo Apoſtolico. Libro IV Innocentii XI Anno II folio 7.

F. Bernardus Caraſco, Epiſcopus S. Jacobi de Chile, in America, ſub Archiepiſcopo Limano. Succeſſit cuidam Didaco, ut ex ſequentibus Diplomatibus videre eſt. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Bernardo Caraſco electo S. Jacobi de Chile, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatus Officium &c. gubernare. Sane Eccleſia S. Jacobi de Chile in Indiis Occidentalibus, quæ de Jurepatronatus cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniæ Regis Catholici ex privilegio dignoſcitur, & cui bonæ memoriæ Didacus S. Jacobi de Chile, dum viveret præſidebat, per obitum dicti Didaci Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, ac fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ profeſſorem ex legitimo matrimonio, ac honeſtis, & Catholicis parentibus procreatum in quinquageſimo tuæ ætatis anno, & nonnullis annis in Presbyteratus Ordine conſtitutum, quem prædictus Carolus Rex nobis ad hoc per ſuas literas præſentavit, & de cujus Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis &c. accepta de fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem. Curam &c. committendo. In illo, qui dat gratias confidentes, quod dirigente Domino &c. diriget &c. ut grata &c. incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipias, curamque &c. merearis. Volumus autem, ut antequam regimini, & adminiſtrationi dictæ Eccleſiæ in aliquo te immiſceas in manibus dilectorum filiorum Decani, & Archidiaconi dictæ Eccleſiæ, ſeu alterius eorum Fidei Catholicæ profeſſionem juxta formam &c. introcluſam emittere, & ſic a te emiſſæ profeſſionis formam ad Sedem prædictam tranſmittere tenearis, quibus, & eorum cuilibet per alias mandamus, ut ipſi, vel eorum alter a te profeſſionem hujuſmodi recipiant, ſeu recipiat. Præterea volumus, ut præbendam Theologalem, & pœnitentiariam in dicta Eccleſia ad præſcriptum Concilii Tridentini erigas, Montem Pietatis fieri cures, conſcientiam &c. oneran. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Sexconteſimo Septuageſimo Septimo, pridie Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Simili modo: dilectis filiis Capitulo Eccleſiæ S. Jacobi de Chile, Salutem &c. Hodie Eccleſia S. Jacobi de Chile tunc per obitum bo. me. Didaci S. Jacobi de Chile extra Romanam Curiam deſtituta, de perſona dilecti filii Bernardi electi S. Jacobi de Chile nobis &c. continetur. Quocirca mandamus, quatenus eidem Bernardo electo tanquam Patri &c. curetis &c. alioquin &c. obſervari. Datum, ut ſupra. Simili modo: dilectis filiis populo Civitatis, & Diœceſis S. Jacobi de Chile, Salutem &c. Hodie Eccleſiæ S. Jacobi de Chile tunc per obitum bonæ memoriæ &c. continetur. Quocirca Univerſitatem veſtram monemus &c. mandantes quatenus eundem Bernardum electum tanquam Patrem &c gaudeatis. Datum, ut ſupra. Simili modo: dilectis filiis univerſis vaſſallis Eccleſiæ S. Jacobi de Chile, Salutem &c. Hodie Eccleſiæ S. Jacobi de Chile tunc per obitum bo. mem. &c. continetur. Quocirca Univerſitati veſtræ &c. mandamus quatenus eundem Bernardum electum devote &c. ſtudeatis alioquin &c. obſervari. Datum, ut ſupra. Simili modo: venerabili Fratri Archiepiſcopo Liman., Salutem &c. ad cumulum &c. proſequaris. Hodie ſiquidem Eccleſiæ S. Jacobi de Chile tunc per obitum bonæ memoriæ &c. continetur, cum igitur, ut idem Bernardus electus in com-

Anno 1678.

commiſſa ſibi dictæ Eccleſiæ cura &c. valeat , tuus favor opportunus ſit. fraternitatem tuam rogamus &c. mandantes quatenus eundem Bernardum electum, & prædictam Eccleſiam ſuffraganeam tuam tibi commiſſam habens pro noſtra &c. commendatos &c. in ampliandis proſequaris, quod ipſe Bernardus electus perpetuæ auxilium &c. exercere, tuque &c. promereri . Datum , ut ſupra . Simili modo *cariſſimo in Chriſto filio Carolo Hiſpaniarum Regi Catholico , Salutem &c. Gratiæ divinæ &c. impendatur . Hodie ſiquidem Eccleſia Sancti Jacobi de Chile , tunc per obitum bonæ memoriæ &c. continetur &c. cum igitur fili cariſſime virtutis opus Dei ſit &c. proſequi , ac venerari , majeſtatem tuam rogamus , & hortamur , quatenus eundem Bernardum electum ad prædictam Eccleſiam ſuæ curæ commiſſam , hactenus per noſtra &c. commendantes in ampliandis &c. proſequendis , quod ipſe Bernardus electus tuæ celſitudinis &c. grata, datum, ut ſupra .* Ex Archivo Apoſtolico . *Libro IV Anno II fol.* 38.

Anno 1679. F. Angelus Dominicus Grimaldi , patricius Genuenſis , Epiſcopus Mothonen. , *Modon* , in Peloponneſo , ſub Archiepiſcopo Corinthio . Cardinalis *Grimaldi* Epiſcopi Albanen. Suffraganeus , ſeu Vicarius fuit . *Cavalerius Tomo I pag.644 num. CLXVII . Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 21. Indicis Epiſcoporum .*

Anno 1679. F. Vincentius Maria Silva , ex Epiſcopo *Policaſtren.* , ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis X* dictum fuit , Epiſcopus Calvenſis , *Calvi* , in Regno Neapolitano , ſub Archiepiſcopo Capuano . *Cavalerius Tomo I pag. 666 num. CXCIV , ex Actis Conſiſtorialibus .*

Anno 1679. F. Severus Thomas Auther , alumnus Aragonię Provincię , Epiſcopus Gerundenſis , *Girona* , in Catalonia , ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi . *Cavalerius Tomo I pag.* 680 *num. CXCIX , ex Actis Conſiſtorialibus .* Ad Eccleſiam *Dertuſanam* translatus fuit .

Anno 1680. F. Vincentius Maria Urſinus , ex Archiepiſcopo *Sipuntino* , ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis X* dictum fuit , Epiſcopus Cæſenaten. , in Italia ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi . *Ughellus in Epiſcopis Cæſenaten. Tomo II Italiæ Sacræ pag. 466. edition. Venetæ . Cavalerius* , aliique ſupra laudati . Ad Eccleſiam *Beneventanam* translatus fuit .

Anno 1680. F. Albertus Mugiaſca , nobilis Comenſis , Alumnus Provinciæ Lombardiæ , Epiſcopus Alexandrinus , *Aleſſandria* , tunc in Ducatu Mediolanenſi , ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi . *Cavalerius Tomo I pag. 661 num. CLXXXIX , ex Actis Conſiſtorialibus .*

Anno 1680 Die 13 Maii. F. Hyacinthus Maria de Paſſatis , Epiſcopus Stagnenſis , in Dalmatia , ſub Archiepiſcopo Raguſino . *Cavalerius Tomo I pag. 646 num. CLXXI .* Obiit *Raguſii* die VIII Auguſti eodem anno MDCLXXX. Ex Monumentis Conventus *Raguſini* .

Anno circiter 1680. F. Hyacinthus Demetrius , Dalmata , Epiſcopus Bidinen. , ſeu Budinen. , *Budoa* , in Dalmatia , ſub Archiepiſcopo Antibaren. *Echard* mox laudandus .

Anno 1681. IDem Epiſcopus Signienſis , & Modruſienſis , ſeu Corbavienſis . *Segna* , & *Modruſch* , in Illyrico , ſub Archiepiſcopo Spalatenſi . *Cavalerius Tomo I pag.649 num. CLXXVII . Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 29 Indicis Epiſcoporum .*

Anno 1681. F. Ignatius Fiume , Siculus , Epiſcopus Polymnianen. , *Polignano* , in Regno Neapolitano , ſub Archiepiſcopo Barenſi . *Cavalerius Tomo I pag. 662 num.CXC. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXCIV pag. 736 .*

Anno 1682. F. Franciſcus Nuñez , Hiſpanus , Epiſcopus Civitatis Regalis , ſeu Chiapen. , in America, ſub Archiepiſcopo Mexicano . *Cavalerius Tomo I pag. 681 num. CCI . Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 27 Indicis Epiſcoporum .*

F. Mat-

F. Matthæus Fazio, aliis Faccio, ſeu Fatius, Siculus, Epiſcopus Pactenſis ſub Archiepiſcopo Meſſanenſi, in Siciliæ Regno. *Cavalerius Tomo I pag. 661 num. CLXXXVIII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXCII pag.* 734. Anno 1682.

F. Antonius Morales, Epiſcopus Conceptionis Chilen., in America, ſub Archiepiſcopo Limano, vel, ut nonnullis placet, ſub Archiepiſcopo Platenſi, ſeu Argentenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 646 num. CLXXII, ex Actis Conſiſtorialibus.* Anno 1682.

F. Gabriel Ramirez, Epiſcopus Mindonienſis, *Mondonnedo*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Cavalerius Tomo I pag. 644 num. CLXVIII.* Anno 1682.

F. Valerius a S. Raymundo, Hiſpanus, Epiſcopus Helven., ſeu Eluen., *Elvas*, & *Yelves*, in Portugallia, ſub Archiepiſcopo Eborenſi, vel, ut aliis placet, ſub Archiepiſcopo Ulyſſipponenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 651 num. CLXXXI, ex Actis Conſiſtorialibus.* Anno 1683.

F. Johannes Baptiſta Natalius, Raguſinus, Epiſcopus Stagnenſis, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Raguſino. *Cavalerius Tomo I pag. 649 num. CLXXVI, ex Actis Conſiſtorialibus.* Ex Monumentis *Raguſini* Conventus habetur quod obiit *Stagni* die *V* Auguſti *MDCLXXXVII.* Anno 1683.

F. Michael Hieronymus Fuenbuena, alumnus *Aragoniæ* Provinciæ, Epiſcopus Albaracinen., in Hiſpania Tarraconenſi, ſub Archiepiſcopo Valentino. *Cavalerius Tomo I pag. 681 num. CCII., ex Actis Conſiſtorialibus.* Anno 1683.

F. Aloyſius, ſeu Ludovicus de Philippis, Neapolitanus, Epiſcopus Potentinus, *Potenza*, in Regno Neapolitano, ſub Acheruntino, & Materano. *Ughellus in Epiſcopis Potentin. Tomo VII Italiæ Sacræ pag. 144 edition. Venetæ. Cavalerius Tomo I pag. 647 num. CLXXIII.* Anno 1684.

F. Andreas Gonzalez, Hiſpanus, Epiſcopus Caſeren., *nueva Caçeres*, in Inſula Lutzonia, ſub Archiepiſcopo Maniliano. *Cavalerius Tomo I pag. 682 num. CCIV, ex Actis Conſiſtorialibus.* Anno 1685.

F. Johannes de los Rios, Epiſcopus S. Crucis, *Santa Croce de la Sierra*, in America, ſub Archiepiſcopo Platenſi, ſeu Argentenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 682 num. CCV, ex Actis Conſiſtorialibus. Dominicus Ponſi in Vita Reverendiſſimi P. Antonini Cloche Cap. VIII pag. 208 num. I.* Anno 1687.

F. Dominicus Maria Marcheſius, Neapolitanus, Epiſcopus Puteolanus, *Pozzuolo*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Neapolitano. *Cavalerius Tomo I pag. 659 num. CLXXXVII, ex Actis Conſiſtorialibus. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXCII pag. 730. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 208 num. II.* Anno 1688.

F. Carolus Olantes, Raguſinus, Epiſcopus Stagnenſis, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Raguſino. *Cavalerius Tomo I pag. 582 num. CCVI, ex Actis Conſiſtorialibus. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 208 num. III.* Ex Monumentis *Raguſini* Cœnobii mortuus eſt die *XI* Novembris *MDCXCII.* Anno 1688.

F. Michael Ludovicus Tevenardi, nobilis Salutien., Epiſcopus Salutienſis, *Saluzzo*, in Pedemontio immediate ſub S. Sede. *Cavalerius Tomo I pag. 682 num. CCVII. Ughellus in Epiſcopis Salutien. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 1233 edition. Venetæ. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 208 num. IV.* Anno 1688.

Anno 1688. **F**. Dominicus Maria de Ciaja, nobilis Senenſis, alumnus Romanæ Provinciæ, Epiſcopus Suanen. *Soana*, in Hetruria, ſub Archiepiſcopo Senenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 682 *num. CCVIII*, *ex Actis Conſiſtorialibus. Ughellus in Epiſcopis Suanen. Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 762 *edition. Venetæ. Dominicus Tonſi in Vita Antonini Clocbe Cap. VIII pag.* 208 *num. V.*

Anno 1689. **F**. Severus Thomas Auther, ex Epiſcopo *Gerundenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit. Epiſcopus Dertuſanus, *Tortoſa*, in Catalonia, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. *Cavalerius* ſupra laudatus.

Anno ...... **F**. Antonius de Vergara, ex Archiepiſcopo *Calaritano*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Zamorenſis, *Zamorra*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Cavalerius* ſupra laudatus.

ALEXANDER VIII.

Petrus Ottobonus, Venetus, electus eſt die VI Octobris MDCLXXXIX. Obiit die I Februarii MDCXCI. Sedit Annum unum, Menſes III, Dies XXVI.

Quæ de reſtituendo Aneſienſi (1) Cœnobio ſancita ſunt firmat. Anno 1689 Die 7 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VIII. I.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ALias pro parte dilecti filii Magiſtri Generalis (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum expoſito, quod quinque Fratres Conventus dicti Ordinis Oppidi Aneſii, Gebennen. Dięceſis Superiore carentes, & jugum Regulę recuſantes, abſque Superiorum ſuorum conſenſu, ac beneplacito Apoſtolico, aut Ordinarii deſuper minime obtento, Eccleſiam dicti Conventus, ſeu illius uſum Capitulo Eccleſię Gebennen., quod in dicto Oppido Aneſii jam dudum reſidere noſcebatur, ſub certis pactis nulliter, & de facto conceſſerant, dictumque Capitulum ſucceſſive poſſeſſionem Eccleſię Conventus hujuſmodi jam inde uſque a die XXVI Maii anni proxime pręteriti cęperant; ideoque pro parte ipſius Magiſtri Generalis eidem Congregationi ſupplicato, ut ſaltem per modum proviſionis ab ipſa Cardinalium Congregatione ei rei de aliquo opportuno juris remedio provideretur, dum ipſe interim pro ſuo Magiſtri Generalis munere Commiſſarium illuc cum facultatibus neceſſariis, & opportunis tranſmitteret, pro ſuo Ordine in Eccleſia Conventus hujuſmodi reintegrando; Emanavit a pręfata Cardinalium Congregatione Decretum tenoris, qui ſequitur videlicet. Die XXV Junii MDCLXXXIX. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, veris exiſtentibus narratis, cenſuit declarandum, prout Decreti pręſentis tenore declarat, nullam, & irritam alienationem, ſeu ceſſionem ſuperius expoſitam abſque beneplacito Apoſtolico initam, injungendo propterea, tum Epiſcopo Geneven., quatenus eandem aſſertam tranſactionem, ſive alienationem, ſeu ceſſionem, caſſet, revocet, & annullet, ac pro caſſa, revocata, & annullata haberi mandet, atque Conventum, illiuſque Priorem, & Fratres ad poſſeſſionem Eccleſię nulliter, ut ſupra, alienatę, reintegret; tum Miniſtro Generali Ordinis Prędicatorum quatenus Religioſos, qui dictam alienationem, ſive ceſſionem fecerunt, & pęnas in extravaganti: Ambitioſę: & in Decretis de rebus Regularibus non alienandis contentas, incurſos declaret, & ad illarum executionem contra ipſos ſervatis ſervandis procedat. I. Cardinalis Columna Pręfectus. Loco † Sigilli. A. Altovitus S.C.C. Secretarius. Cum autem, ſicut memoratus Magiſter Generalis Nobis ſubinde exponi fecit, Fratres Conventus, & Ordinis hujuſmodi etiam notabilem ipſius Conventus partem vigore ejuſdem contractus ſupradicto Capitulo, & illius perſonis conceſſerint, ipſum vero Capitulum diſpoſitioni pręinſerti Decreti parere renuat, ac proinde Magiſter Generalis pręfatus, Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri, & alias opportune in pręmiſſis a Nobis provideri plurimum deſideret. Nos, dicti Magiſtri Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, ipſumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum pręinſertum, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Pręterea Venerabili Fratri Epiſcopo Gebennen. veris exiſtentibus narratis, omnia, & ſingula, quę in pręinſerti Decreti executionem, ſive alias pro omnimoda Fratrum Conventus, & Ordinis pręfatorum in antiqua, & libera poſſeſſione, tum Eccleſię, tum partis Conventus hujuſmodi, ut pręfertur, alienatarum reintegratione quomodolibet neceſſaria, & opportuna fuerint, ſecundum datam ſibi a Domino prudentiam faciendi, & decernendi, ac ordinandi, etiam ſub excommunicationis latę ſententię, a qua nonniſi per Nos, aut Succeſſores noſtros Romanos Pontifices, pręterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi poſſint, ac interdicti ingreſſus Eccleſię, per inobedientes, ſeu contraventores eo ipſo incurrendis pęnis, quamcunque neceſſariam, & opportunam facultatem auctoritate, & tenore pręfatis tribuimus, & impartimur. Decernentes eaſdem pręſentes literas, firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus, Apoſ-

Apoſtolicis, ceteriſque contrarjis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII Novembris MDCLXXXIX, Pontificatus noſtri Anno Primo.

J. F. Albanus.

1. *Aneſien.*) Seu *Annecien.*, in *Sabaudia*.
2. *Archivo.*) In quo exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCLXXXIX.*
3. *Generalis.*) Is erat celeberrimus *Antoninus Cloche*;

Anno 1689 Die 10 Decembris.

II.

Indulgentia (1) pro XV Feriis Tertiis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VIII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, in diverſis Orbis Chriſtiani partibus pia erga Sanctum Dominicum Ordinis Fratrum Prędicatorum Fundatorem, & Roſarii Beatę Virginis Marię auctorem devotio inducta fuerit &c. (3). Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die X Decembris MDCLXXXIX Pontificatus noſtri Anno Primo.

J. F. Albanus.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo lit. I.*
2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCLXXXIX.*
3. *Fuerit &c.*) Ut in Conſtitutione *X Alexandri VII*;

Anno 1690 Die 7 Januarii.

III.

Firmat ea, quæ pro Provincia Portugalliæ ſancita ſunt.

Ex Archivo (1) Ordinis.

ALEXANDER PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

COmmiſſi Nobis divinitus paſtoralis officii ratio exigit, ut paternam Chriſti fidelium, qui e fluctibus ſeculi, in religioſę vitę portum confugerunt, curam gerentes, illa, quę pro abuſibus felici eorum directioni noxiis evellendis provide ſapienterque conſtituta, & ordinata eſſe noſcuntur, ut firma ſemper, atque inviolata perſiſtant, Apoſtolici muniminis pręſidio conſtabiliamus, & alias deſuper diſponamus, ſicut omnibus mature perpenſis in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Montero, Frater expreſſe profeſſus, ac Procurator Provincię Portugallię Ordinis Prędicatorum, quod cum alias ex ſupplici quodam libello pro parte nonnullorum tunc exiſtentium Fratrum Provincię pręfatę felicis recordationis Innocentio Papę XI, Prędeceſſori noſtro, porrecto, ipſi Innocentio Prędeceſſori innotuiſſet, quod aliquibus dictę Provincię Fratribus conceſſum fuerat, ut privilegiis Pręſentatorum, licet eo gradu, juxta ſtatuta, & conſuetudines dicti Ordinis, minime inſigniti reperirentur, frui, & potiri deberent, necnon pariter aliqui Fratres laici, ſeu converſi Provincię pręfatę obtinuerant, ut retento ſtatu, & conditione laicali, habitu per Fratres Clericos Provincię, & Ordinis hujuſmodi geſtari ſolito induerentur, eoque induti incederent, ac pręterea plures in eadem Provincia Fratres aderant, qui obtenta aſſignatione, ſeu collocatione in aliquo Conventu a Superioribus dicti Ordinis, eam auctoritate extra Ordinem pręfatum, ſive etiam aliquando a tunc exiſtentibus Magiſtris Generalibus ejuſdem Ordinis confirmari obtinuerant, atque exinde ab eiſdem Conventibus per Superiores Provinciales pro tempore exiſtentes Provincię hujuſmodi amoveri minime poſſe pręſumebant, idem Innocentius Prędeceſſor abuſibus in regularis obſervantię Provincię pręfatę detrimentum vergentibus occurrere ſtudens, dilecto filio Antonino Cloche Magiſtro Generali dicti Ordinis mandavit, ut conceſſiones, & facultates hujuſmodi reſcinderet, ac circumſcriberet, eaque omnia, cujuſcunque tandem auctoritate facta eſſent, niſi immediate ab Apoſtolica Sede conceſſa fuiſſent, ad terminos Conſtitutionum, & decretorum Capitulorum Generalium dicti Ordinis reduceret. Porro ipſe Antoninus Magiſter Generalis quaſdam patentes literas deſuper edidit tenoris, qui ſequitur, videlicet. In Dei filio, ſibi dilectis Reverendis admodum PP. Provinciali, in Sacra Theologia Magiſtris, Prioribus, Pręſentatis, Prędicatoribus generalibus, aliiſque Fratribus Provincię noſtrę Portugallię Ordinis Fratrum Prędicatorum Frater Antoninus Cloche, Sacrę Theologię profeſſor, ac ejuſdem Ordinis humilis Magiſter Generalis, & ſervus, Salutem, & legum noſtrarum zelum, Ordiniſque noſtri honorem, chariſmataque meliora. In his, quę Religionis noſtrę ſunt, paſtorali ſolicitudine pro ſua in Nos, Ordinemque noſtrum benignitate, clementia, & zelo invigilat Sanctiſſimus Dominus noſter Innocentius Papa XI, quippe qui ob incrementum regularis obſervantię plura ſancivit, juſſit, & mandavit, quę omnia filiali obedientia exequi debemus. Cum ad ſuas aures pervenerit nomine gravium Patrum Provincię noſtrę Portugallię humili libello ſupplici Suę Sanctitati porrecto, quod ea in Provincia aliquibus ex Fratribus noſtris conceſſum fuerit, ut privilegiis Pręſentatorum, licet eo gradu, juxta normam, & praxim

Or-

Ordinis inſigniti non ſint, potiantur, & gaudeant, aliique ſint Fratres laici, qui obtinuerunt, ut retento ſtatu laicali, habitu Clericorum Ordinis noſtri induerentur, eoque veſtiti incederent, immo plures ſint ea in Provincia, qui obtenta aſſignatione pro aliquo Conventu a Superioribus Ordinis, eam auctoritate extra Ordinem, vel aliquando a Magiſtris Ordinis, etiam a Nobis obtinuerunt, qua obtenta ab eiſdem Conventibus per Provinciales amoveri non poſſe prçſumunt, & gloriantur, quibus malis, & Conſtitutionum noſtrarum relaxationi, ut mederi poſſimus, juſſit Nobis Sanctiſſimus, & in mandatis dedit, ut has conceſſiones, facultates, abuſus reſcinderemus, & circumſcriberemus, eaque omnia cujuſcunque ſint auctoritate facta, niſi immediate a Sua Sanctitate conceſſa fuerint, ad terminos Conſtitutionum noſtrarum, & Capitulorum Generalium ſanctiones reduceremus. Quare harum ſerie, & auctoritate Apoſtolica Nobis hac in parte ſpecialiter commiſſa, & juſſu ſpeciali Sanctiſſimi Domini noſtri declaramus, quoſcunque Fratres Provinciç noſtrç Portugalliç, quibus a quocunque conceſſum eſt, etiam a Magiſtris Ordinis, & aliis cujuſcunque ſint dignitatis, & auctoritatis, ut privilegiis, & juribus, prçeminentiis, aliiſque, quibus Prçſentati ea in Provincia, & Ordine noſtro potiuntur, & gaudent, frui, potiri, & gaudere, etiamſi eo gradu Prçſentaturç ſecundum normam, & praxim Ordinis noſtri inſigniti non ſint, eoſque omnes, & ſingulos reducimus, & redigimus ad eundem ſtatum, & ad eadem jura, & privilegia, quç ante talem conceſſionem habebant, ſive ſtatum Sacerdotum ſimplicium, niſi alias juxta normam Ordinis aliquo gradu inſigniti ſint. Inſuper eadem auctoritate Apoſtolica, & eodem ſacro mandato Sanctiſſimi quoſcunque Fratres laicos, qui quacunque auctoritate, etiam Magiſtri Ordinis, vel alia quacunque, retento ſtatu laicali, habitum Clericorum deferunt, intra vigintiquatuor horas a prçſentium notitia, habitum Clericorum dimittere teneantur, & habitum Fratrum Converſorum publice, & ubique deferant ſub pçnis apoſtatis debitis, & privationis ſuffragiorum Ordinis. Ceterum eadem auctoritate, & ejuſdem Sanctiſſimi juſſibus declaramus, quaſcunque aſſignationes Fratrum in Conventibus per quoſcunque Superiores datas, & a Magiſtris etiam Ordinis confirmatas, & a quocunque alio quacunque auctoritate pollente aliam vim, aut robur habere non poſſe, quam ſimplicis aſſignationis, poſſeque Superiores Provinciç pro tempore, non obſtantibus hujuſmodi aſſignationibus, Fratres a ſuis Conventibus amovere, & in aliis aſſignare, & ſi qui ſint renitentes, eos gradibus, officiis, voce activa, & paſſiva privatos eſſe dicimus, & pçnis arbitrio Superiorum infligendis rebelles illos Fratres ſubjicimus, ſicque omnes illas aſſignationes, ut prçfertur, ſeu confirmatas ad terminos Conſtitutionum noſtrarum, & ordinationum Capitulorum Generalium reducimus. Ut igitur Fratres noſtri Provinciç noſtrç Portugalliç mandatis, & juſſibus Sanctiſſimi Domini noſtri, uti par eſt, ſubſint, & pareant, mandamus in virtute Spiritus Sancti, & ſanctç obedientiç ſub formali prçcepto R. A. P. Magiſtro Provinciali moderno prçnominatç Provinciç, ut hçc mandata, & juſſa Sanctiſſimi immediate poſt prçſentium receptionem in Conventu Ulyſſipponenſi, aut in Conventu, in quo has receperit, coram omnibus Patribus, ac Fratribus in communi Capitulo ſignificare, vel legere publice faciat, & ſucceſſive in omnibus Conventibus curç noſtrç ſubjectis, prçcipientes omnibus, & ſingulis, tam Capitibus, quam membris Conventuum ſub eiſdem virtute, & prçcepto, & ſub pçnis privationis vocis activç, & paſſivç, graduum, & officiorum, & inhabilitatis ad ipſa, aliiſque pçnis poſitivis, ut poſt prçſentium intimationem, & ſignificationem, hçc omnia reſpective, juxta Sanctiſſimi Domini noſtri mandata exequi fideliter, & inviolabiliter faciant, injungentes Superioribus Conventuum ſub eiſdem virtute, & prçcepto, ut intra viginti quatuor horas poſt prçſentium receptionem publice coram tota Communitate legere faciant, teneaturque modernus R. A. P. Provincialis de prçſenti receptione, ſignificatione, & executione ſub eiſdem virtute, & prçcepto, & pçnis Nobis arbitrariis debito tempore Nos certiores facere, ut geſtorum rationem reddere valeamus. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Quibuſcunque in contrarium non obſtantibus. In quorum fidem his officii noſtri ſigillo munitis, manu propria ſubſcripſimus. Datum Romç in Conventu noſtro Sanctç Mariç ſuper Minervam die XIX Octobris MDCLXXXVII. Fr. Antoninus Cloche Magiſter Ordinis. Regiſtrata fol. 3. Fr. Ignatius de Queſſada Magiſter Provincialis Sanctç Crucis. Loco ✝ Sigilli. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, prçfatus Petrus Procurator literas hujuſmodi, quippe ad conſervandum, & ſolidandum in Provincia prçfata regularis diſciplinç vigorem eximie conducibiles, pro firmiori illarum ſubſiſtentia, & ne unquam earum obſervantia ſub quovis prçtextu, titulo, & capite, etiam validitatem, & juſtitiam ipſarum literarum concernente, in controverſiam vocari poſſit, Apoſtolicç confirmationis noſtrç patrocinio communiri ſummopere deſideret. Nos ipſius Petri Procuratoris votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pçnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum prçſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ac venerabili Fratre noſtro Palutio Epiſcopo Sabinen. S. R. E. Cardinale de Alteris nuncupato Ordinis prçdicti apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectore audito, prçinſertas memorati Antonini Magiſtri Generalis literas, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, auctoritate Apoſtolica, tenore prçſentium, confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicç firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, etiam ſubſtantiales, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſeu interveniſſe dici, cenſeri, vel prçtendi poſſent, ſupplemus, & ſanamus. Decernentes ipſas prçſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in prçmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apoſtolicç Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quacunque prçeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter

aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabili Fratri Franciſco Archiepiſcopo Rhodien. in Portugallię, & Algarbiorum Regnis noſtro, & Apoſtolicę Sedis Nuncio per pręſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſe per ſe, vel alium, ſeu alios, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte pręfati Petri Procuratoris, ſeu aliorum intereſſe in pręmiſſis habentium, ſeu alicujus eorum deſuper fuerit requiſitus, eaſdem pręſentes literas, & in eis contententa quęcunque ſolemniter publicans, illiſque in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtens, faciat auctoritate noſtra illos omnes, & ſingulos pręſentium literarum, & in eis contentorum eorundem commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittens illos deſuper a quoquam, quavis auctoritate quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pęnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pręmiſſis, ac felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris pariter noſtri, de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon, quatenus opus ſit, pręfatorum Ordinis, & Provincię, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis ejuſdem Ordinis Superioribus, Fratribus, & perſonis ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum pręmiſſorum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę pręſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII Januarii MDCXC, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

Anno 1690
Die 22 Maii.

Pœnitentiarius in Eccleſia Suriani (1) Cœnobii conſtitutus:

Ex Archivo (2) Ordinis.

IV.

ALEXANDER PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EX incumbenti Nobis Apoſtolicę ſervitutis Officio pia Chriſti fidelium quorunlibet vota pręſertim ad divini cultus incrementum, ipſorumque Chriſti fidelium animarum ſalutem tendentia, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, illaque favoribus, & gratiis proſequimur opportunis. Cum itaque, ſicut dilectus filius Antoninus Cloche Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum Nobis nuper exponi fecit, ipſe pro ſpirituali Chriſti fidelium ad Eccleſiam Conventus Sancti Dominici Terrę Suriani ejuſdem Ordinis Militen. Diœceſis in Calabria undique, & pręcipue ex utriuſque Sicilię Regnis devotionis cauſa aſſidue confluentium, nec a Confeſſariis dicti Conventus abſolvi valentium, conſolatione, aliquem Pęnitentiarium ad Sacramentales illorum confeſſiones audiendas deputari plurimum deſideret. Nos pio ipſius Antonini Magiſtri Generalis deſiderio, quantum cum Domino poſſumus, annuere, illumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis, ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Antonino nunc, & pro tempore exiſtenti Magiſtro Generali dicti Ordinis, ut unum Fratrem expreſſe profeſſum Ordinis prędicti, quem ad id idoneum, vitaque ac moribus conſpicuum cognoverit, in dicta Eccleſia Pęnitentiarium, dummodo tamen ab Ordinario loci prius examinatus, & approbatus fuerit, conſtituere, & deputare valeat, ita ut idem Pęnitentiarius ſic conſtitutus, & deputatus omnibus, & ſingulis facultatibus, non tamen a caſibus in literis Apoſtolicis, quę dię Cęnę Domini legi conſueverunt, contentis, neque a cenſuris contra Duellantes, aut ſanctimonialium clauſuram, vel libertatem, immunitatem, ſeu juriſdictionem Eccleſiaſticam violantes fulminatis, abſolvendi, quibus Pęnitentiarii Sacrę Domus Lauretanę utuntur, potiuntur, & gaudent, ſimiliter uti, potiri, & gaudere poſſit, facultatem ad quinquennium proximum duntaxat duraturam Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe dero-

derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII Maii MDCXC, Pontificatus noſtri Anno Primo.

J. F. Cardinalis Albanus.

1. *Suriani.*) De quo ſæpius dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Suriano*.

S. Ludovicus (1) Bertrandus Patronus Principalis Novi Regni Granatæ.

Anno 1690 Die 3 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

HISPANIARUM.

V.

SAcrorum Rituum Congregatio, enixis precibus Catholicę Majeſtatis Sereniſſimi Caroli Secundi Hiſpaniarum Regis Sanctiſſimo porrectis, & ad eandam Sacram Congregationem remiſſis, referente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Capiſucchio (3), benigne annuens, declaravit, & elegit in Patronum Principalem totius Novi Regni Granatę in Indiis Occidentalibus Sanctum Ludovicum Bertrandum Ordinis Prędicatorum, cujus Patrocinio, & interceſſione apud Altiſſimum, ut in iiſdem literis addebatur, plura in dies recipiuntur beneficia, cum omnibus prerogativis principalibus Patronis competentibus juxta Conſtitutionem ſanctę memorię Urbani Papę VIII ſuper obſervatione Feſtorum ſub die XIII Septembris MDCXLII editę; ac proinde decrevit, ut ejus feſtum ſingulis annis die X Octobris cum Officio ſub ritu duplici Primę Claſſis, tanquam de Patrono recolatur ad formam Rubricarum Miſſalis, & Breviarii Romani. In ceteris vero Regnis, & Ditionibus ipſi Regi Catholico ſubjectis, ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur tam Secularibus, quam Regularibus utriuſque ſexus juxta pręfatas Rubricas ſub ritu duplici minori in poſterum recitetur, & reſpective celebretur in die ipſius feſto cum Lectionibus propriis pro ſecundo Nocturno ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Colloredo reviſis, & approbatis. Die II Septembris MDCXC. Et facto de prędictis per me Secretarium verbo cum Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa Alexandro VIII. Sanctitas Sua benigne annuit, quibuſcunque in contrarium diſponentibus non obſtantibus. Die III Septembris MDCXC.

A. Epiſc. Oſtien. Card. Cybo.

Loco ✝ Sigilli.

Joſeph Vallemanus (4) Sac. Rit. Congr. Secr.

1. *Ludovicus.*) Conſulenda Conſtitutio *XX Clementis X.* Legitur *pag.* 274.

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCXC.*

3. *Capiſucchio.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii XI.*

4. *Vallemanus.*) S.R.E. Cardinalis poſtea fuit. Obiit paucis ab hinc annis.

Inſerit, & firmat Conſtitutiones (1) ab Innocentio XI editas pro Univerſitatibus S. Fidei, & Quiten. in gratiam doctrinæ S. Thomæ.

Anno 1690 Die 7 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VI.

ALEXANDER PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EX injuncto Nobis cęlitus Apoſtolicę ſervitutis munere, illa, quę a Romanis Pontificibus Predeceſſoribus noſtris, pro ſacrarum, ejuſque ancillantium bonarum literarum ſtudiis ubique locorum, & pręſertim in remotiſſimis ab hac Sancta Sede partibus, opportune promovendis pie, provideque emanaſſe noſcuntur, ut ſolidiori robore perennent, & optati exinde fructus ad Dei gloriam, Catholicę Fidei, divinique cultus propagationem, & Chriſtiani populi edificationem, benedicente Domino, conſequantur, Apoſtolici muniminis noſtri pręſidio, cum id a Nobis petitur, libenter conſtabilimus. Alias ſiquidem emanarunt a felicis recordationis Innocentio PP. XI Prędeceſſore noſtro ternę in ſimili forma Brevis litterę, tenoris, qui ſequitur, videlicet. Innocentius PP. XI. Ad Futuram Rei Memoriam. Paſtoralis officii &c. (3) Innocentius PP. XI. Ad Futuram Rei Memoriam. Exponi Nobis &c. (4) Innocentius PP. XI. Ad Futuram Rei Memoriam. Nuper pro parte dilecti filii Ignatii de Queſſada, Definitoris, & Procuratoris Provincię S. Catharinę Virginis, & Martyris de Quito, in Indiis Occidentalibus, Ordinis Prędicatorum, in Sacra Theologia Magiſtri, Congregationi &c. (5) Cum autem, ſicut dictus Ignatius Nobis nuper exponi fecit, Collegii, ſeu Univerſitatis hujuſmodi fundatio ſub titulo ejuſdem Beati Ferdinandi prope memoratum Conventum Sancti Petri Martyris dictę Civitatis Quitenſis, pręfati Ordinis Fratrum Prędicatorum ſecuta fuerit, certiſque inibi Lectorum ſtipendiis, perpetuo ſtabilitis, ac tribus inſuper Sacrorum Canonum Cathedris pręfinitis, alia pręterea ſchola, in qua Religioſus dicti Ordinis pueros quoſcunque legere, & ſcribere, necnon Chriſtianę Fidei rudimenta caritatis intuitu edoceret, adjecta fuerit, ipſiuſque Collegii fabrica pro qua ingens pecuniarum ſumma ero-

erogata fuit abſoluta, dilecti filii Fratres prędictę Provincię Sanctę Catharinę de Quito ejuſdem Ordinis, illius poſſeſſionem cum maxima Incolarum illarum partium gratulatione, & lętitia, necnon cum venerabilis Fratris moderni, ſeu tunc exiſtentis Epiſcopi Quitenſis, Regalis Audientię, totiuſque tam ſecularis, quam regularis Cleri, dictę Civitatis interventu ſolemniter cęperint, ea vero firmiora ſint, quibus iterata accedit Apoſtolicę Sedis auctoritas. Nobis propterea idem Ignatius humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Ignatium ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia, & ſingula privilegia, jura, facultates, pręrogativas, gratias, & indulta, necnon donationes, conceſſiones, aſſignationes, decreta, & alia quęcunque ad favorem memorati Collegii, ſeu Univerſitatis Beati Ferdinandi Regis Catholici Civitatis Quitenſis a memorato Innocentio Prędeceſſore, per ſuas literas pręinſertas, conceſſa, & confirmata reſpective, ipſaſque literas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, ac innovamus, illiſque inviolabilis, ac irrefragabilis Apoſtolicę firmitatis robur, & efficaciam adjungimus. Decernentes pariter ipſas preſentes literas, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quę in pręinſertis Innocentii Prędeceſſoris literis conceſſa ſunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut ipſarum pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quę ipſis pręſentibus haberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII Novembris MDCXC, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

J. F. Cardinalis Albanus.

1. *Conſtitutiones.*) Mox laudandas.
2. *Archivo.*) In quo exemplaria authentica typis R. Camerę Apoſtolicę *Romę* impreſſa anno *MDCX*..
3. *Officii &c.*) Ut in Conſtitutione *XVI* ad finem uſque. Legitur *pag.* 359.
4. *Exponi Nobis &c.*) Ut in Conſtitutione *XXVIII* ad finem uſque.
5. *Congregationi &c.*) Ut in Conſtitutione *XXXIV* ad finem uſque. Legitur *pag.* 376.

Anno ....
Die ....

VII.

Indulgentia (1) pro XV Sabbatis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ALEXANDER PP. VIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, in Eccleſiis Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Toloſanę, pia erga Redemptoris noſtri Myſteria, quę Chriſti fideles in recitatione Roſarii B. Marię Virginis, per quindecim decades, meditantur, devotio introducta ſit, qua plurimi fideles Sabbatis, quindecim hebdomadarum in anno peccata ſua confiteri, & Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſumere conſueverunt. Nos, ut opus tam pium majori cum fructu, ac devotione fiat, & ad augendam eorundem fidelium religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in quindecim Sabbatis ejuſmodi ſibi ſuccedentibus, prędictum B. Marię Virginis Roſarium, devote recitaverint, Sacramque Communionem in aliqua ex Eccleſiis Provincię, & Ordinis ejuſmodi ſumpſerint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, & S. Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & abſolutionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus &c. Datum &c.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I, & XV.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar, ſed mutilum.

APPEN-

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiſcopi, & Epiſcopi Dignitates, Alexandro VIII Summo Pontifice, promotos exhibens.

ARCHIEPISCOPUS.

F. Franciſcus de Sobrecaſſas, alumnus Aragoniæ Provinciæ, Archiepiſcopus Calaritanus, *Cagliari*, in Sardinia. *Cavalerius Tomo I pag.* 683 *num. CCX, ex Actis Conſiſtorialibus. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXCVI pag.*743, *& in Addendis pag.* 997. *Dominicus Ponſi in Vita Reverendiſſimi P. Antonini Cloche Cap. VIII pag.* 209 *num. VII.* Anno 1689.

EPISCOPI.

F. Marcellus Cavalerius, nobilis Bergomas, alumnus Provinciæ Lombardiæ, Epiſcopus Gravinenſis, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Acheruntino, & Materano. *Cavalerius Tomo I pag.* 684 *num. CCXI, ex Actis Conſiſtorialibus. Ughellus in Epiſcopis Gravinen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 129 *edition. Venetæ. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCCV pag.* 768, *& in Addendis pag.* 998. *Dominicus Ponſi in Vita Reverendiſſimi Patris Antonini Cloche pag.* 209 *num. VIII.* Anno 1690.

F. Antonius Mazenski, Polonus, Epiſcopus Calamacen., *Calamatra*, in Numidia, ſub Archiepiſcopo Carthaginen. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Epiſcopi Luceorien.. *Cavalerius Tomo I pag.* 687 *num.CCXII, ex Actis Conſiſtorialibus. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag.* 209 *num. IX.* Anno 1690.

F. Gineſius de Barientos, Regius Concionator, Epiſcopus Trojanus, in Phrygia, ſub Archiepiſcopo Cyziceno, & Coadjutor Archiepiſcopi Maniliani. *Cavalerius Tomo I pag.* 665 *num. CXCII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCXCV. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche pag.* 209 *num. X.* Anno 1690.

INNOCENTIUS XII.

Antonius Pignatellus, Neapolitanus, electus eſt die XII Julii MDCXCI. Coronatus fuit Die XV ejuſdem Menſis. Obiit die XXVIII Septembris MDCC. Sedit Annos IX, Menſes II, Dies XVII.

Anno 1691 Die 19 Octobris.

I.

Quandonam Officium recitandum ſit de Sanctis quorum Sacræ Reliquiæ aſſervantur in Eccleſiis Ordinis.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CUm Sacrę Rituum Congregationi innotuerit, quamplures abuſus irrepſiſſe circa recitationem Officii ſub prętextu Decreti ab eadem Congregatione evulgati de Anno MDCXXX, & in Breviario Romano impreſſi, in quo permittitur poſſe in Eccleſia recitari Officia, & Miſſam celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora, aut Reliquię inſignes in ea aſſervantur: Eminentiſſimi PP. eidem Sac. Congregationi Prępoſiti, iiſdem abuſibus evellendis pręcipue intenti, inhęrendo Decretis alias in ſimilibus editis, declararunt, prędicta Officia Sanctorum, ratione Corporis, ſeu inſignis Reliquię recitanda, intelligi debere de Sanctis duntaxat in Martyrologio Romano deſcriptis, & dummodo conſtet de identitate Corporis, ſeu Reliquię inſignis illiuſmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano deſcriptus: de ceteris autem Sanctis in prędicto Martyrologio non deſcriptis, aut de quibus a Sancta Sede non fuerit ſpecialiter conceſſum, Officia recitari, & Miſſas celebrari, vetuerunt, non obſtante, quod ipſorum corpora, vel inſignes Reliquię in Eccleſiis aſſerventur: Quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis debitam fidelium venerationem, prout hactenus ſervatum eſt, exhibendam eſſe cenſuerunt, ſed abſque Officio, & Miſſa, ſub pęnis de non ſatisfaciendo pręcepto recitandi Officium, aliiſque in Conſtitutione B. Pii V, contentis. Die XI Auguſti MDCXCI. Et facta de prędictis Sanctiſſimo per me Secretarium, relatione Sanctitas Sua hujuſmodi Decretum approbavit, ac, ut debitę executioni demandetur locorum Ordinariis injungendum eſſe pręcepit. Die XIX Octobris ejuſdem anni MDCXCI.

A. Epiſcopus Oſtien. Card. Cybo.

J. Vallemanus Sac. Rit. Cong. Secret.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1692 Die 1 Martii.

De Confraternitatibus (1) SS. Roſarii conſtituendis in Indiis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Fratri Antonino Cloche Magiſtro Generali Ordinis Prędicatorum.

II.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Cloche (3) Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, tam ſuo, quam dilectorum filiorum modernorum Priorum Provincialium Canarien., S. Crucis, & S. Antonini in Indiis, S. Jacobi Mexican., S. Johannis Baptiſtę Peruan., S. Catherinę Virginis, & Martyris Quiten., S. Laurentii Chilen., S. Hippolyti Martyris Oaxacan., S. Vincentii Chiapen., Angelorum in nova Hiſpania, Sanctiſſimi Roſarii in Inſulis Philippinis, & Congregationis Indiarum Orientalium Portugallię reſpective Provinciarum dicti Ordinis nomine quod cum Chriſti fidelium devotio erga Sanctiſſimum Roſarium, majora in dies incrementa ſuſcipiat, ipſe Antoninus Magiſter Generalis, ut devotio hujuſmodi, facilius in poſterum cum eorundem Chriſti fidelium progreſſu, etiam in remotiſſimis Chriſtiani orbis partibus propagetur, opportunum, quinimmo neceſſarium omnino exiſtimat, ut tam ipſe, quam pro tempore exiſtentes Magiſtri Generales dicti Ordinis, quemadmodum vigore facultatis ſibi a Sede Apoſtolica attributę Confraternitates utriuſque Sexus Chriſti fidelium ſub titulo ejuſdem Sanctiſſimi Roſarii per ſe ipſos erigere, & inſtituere poſſunt, ita etiam ſupradictos ac pro tempore exiſtentes Priores Provinciales Provinciarum prędictarum in Indiis conſiſtentium cum eaſdem Confraternitates hujuſmodi in illis partibus erigendi, & inſtituendi facultate ſubſtituere valeant, ac alias, ob Regionis longinquitatem, ac diuturnitatem temporis, ſex circiter annorum, pro habendis expeditionibus, neceſſariam Chriſti fidelium earundem partium, pietas frigeſcat, & illorum animę tot ſpiritualium munerum theſauris orbatę remaneant. Nobis propterea idem Antoninus Magiſter Generalis humiliter

Facultas.

ſupplicari fecit, ut in prẹmiſſis, opportune providerẹ, &, ut infra, indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Antoninum Magiſtrum Generalem, ac Priores Provinciales prędictos, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſ-

ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum conſilio eidem Antonino Magiſtro Generali, quoad ipſe vixerit, duntaxat petitam ſubſtituendi facultatem in ſupradeſignatis locis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium concedimus, ita tamen, ut ab eo ſubſtituti, ſeu deputati, alios ſubſtituere, vel ſubdelegare non poſſint, & quotannis eundem Antoninum Magiſtrum Generalem, de Confraternitatibus erectis, certiorem reddere teneantur, ac ſalva ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas, firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, Provinciarum, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum, inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die Prima Martii MDCXCII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

J. F. Cardinalis Albanus.

1. *Confraternitatibus*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo*.) In quo autographum.

3. *Antoninus Cloche*.) Cujus nomen laus eſt egregia.

Ut Indi qui per quinquennium ſtuduerint in Collegiis Fratrum Prædicatorum promoveantur ad Gradus (1).

Anno 1692 Die 10 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XII.

III.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ALias felicis recordationis Paulo Papę Quinto, Prędeceſſori noſtro, pro parte clarę memorię Philippi Tertii Hiſpaniarum Regis Catholici expoſito, quod in partibus Indiarum Occidentalium, propter magnam multorum locorum, & Civitatum a Liman., & Mexican. Civitatibus, in quibus Univerſitates ſtudii generalis erectę ſunt diſtantiam, multi reperiebantur, qui ex eo, quod ad dictas Univerſitates, pro ſuſcipiendis inibi gradibus conſuetis accedere non poterant, ſtudiis operam navare nolebant, unde magna in eiſdem partibus virorum, qui Logicę, Philoſophię, & Sacrę Theologię ſtudiis pro Verbi Dei prędicationibus, & Sacramentorum adminiſtratione verſati eſſent, penuria vigebat, dictus Paulus Prędeceſſor ſupplicationibus ejuſdem Philippi Regis nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, tunc exiſtentibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis Indiarum Occidentalium, & Sede illorum vacante, Cathedralium Eccleſiarum Capitulis, ut gradibus Baccalaureatus, Licentiaturę, Magiſterii, & Doctoratus inſignire valerent quotquot annis quinque ſtuduiſſent in Collegiis formatis tam Fratrum Ordinis Prędicatorum, quam Presbyterorum Societatis Jeſu, quę a publicis Univerſitatibus ducentis ſaltem milliaribus diſtarent, dum tamen iidem promovendi prius geſſiſſent actus omnes, qui in Univerſitatibus Generalibus fieri conſueverant pro his gradibus adipiſcendis, atque a Rectore, & Magiſtro Collegii approbationem obtinuiſſent, Apoſtolica auctoritate ad decennium tunc proximum conceſſit, & indulſit, volens, quod gradus hujuſmodi nemini ſuffragarentur, nec quiſquam illis uti poſſet extra Indias Occidentales prędictas, & alias prout in ipſius Pauli Prędeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis die XI Martii MDCXIX expeditis plenius continetur. Subinde vero recolendę memorię Urbano PP. VIII Prędeceſſori etiam noſtro pro parte clarę pariter memorię Philippi Quarti earundem Hiſpaniarum Regis Catholici ſimiliter expoſito, quod ex conceſſione, & Indulto Pauli Prędeceſſoris hujuſmodi nonnulla inconvenientia in dies oriebantur, ac propterea per ipſum Urbanum Prędeceſſorem deſuper opportune provideri ſummopere deſiderabat; idem Urbanus Prędeceſſor ſupplicationibus dicti Philippi Quarti Regis nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis pariter inclinatus, voluit, & pari auctoritate decrevit, quod gradus prędicti in dictis tantum Provinciis ſuffragarentur, nec extra illas quiſquam illis uti poſſet, iidemque gradus illi duntaxat, qui in dictis Collegiis ſpatio quinque annorum ſtuduerant, ac adhibito per ipſos Archiepiſcopos, & Epiſcopos conſilio trium Canonicorum ſeniorum ſuarum Eccleſiarum, necnon ſervata in reliquis dictarum Pauli Prędeceſſoris literarum forma con-

conferrentur, & alias prout in ejuſdem Urbani Prędeceſſoris deſuper pariter in forma Brevis Literis, quas ad decennium tantum valere voluit, die VII Januarii MDCXXVII expeditis, quarum, & pręfatarum Pauli Prędeceſſoris Literarum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, ſicut cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli earundem Hiſpaniarum Regis Catholici nomine nobis per dilectum filium nobilem virum modernum Ducem de Medina Cęli ipſius Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Oratorem nuper expoſitum fuit, eędem cauſę, propter quas pręfatę Pauli, & Urbani Prędeceſſorum Literę emanarunt, adhuc perdurent, nec alię in illis partibus Univerſitates Studii generalis niſi poſt longum tempus erigi poſſe videantur, Nobis propterea ipſius Caroli Regis nomine per memoratum Ducem humiliter ſupplicatum fuit, ut in pręmiſſis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dicti Caroli Regis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitorum conſilio, attentis narratis, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, atque Epiſcopis Eccleſiarum Indiarum Occidentalium, & Sede illarum vacante, earundem Eccleſiarum Capitulis, ut adhibito conſilio trium Canonicorum ſeniorum ſuarum Eccleſiarum gradibus Baccalaureatus, Licentiaturę, Magiſterii, & Doctoratus inſignire valeant, quotquot annis quinque ſtuduerint in Collegiis formatis Fratrum Ordinis Prędicatorum, quę a publicis Univerſitatibus ducentis ſaltem milliaribus diſtant, dummodo tamen iidem promovendi prius geſſerint actus omnes, qui in Univerſitatibus generalibus fieri conſueverunt pro his gradibus adipiſcendis, atque a Rectore, & Magiſtro Collegii approbationem obtinuerint, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus, & indulgemus; Ita tamen, ut indultum hujuſmodi ad decennium tantum durare debeat, dictique gradus nemini ſuffragentur, nec illis quiſquam uti poſſit extra pręfatas Indias Occidentales, ac ſalva ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes ipſas pręſentes literas, firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; Sicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quę ipſis pręſentibus haberetur ſi exhibitę forent, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die X Maii MDCXCII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Facultas.

J. F. Card. Albanus.

1. *Gradus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar typis impreſſum.

Anno 1692 Die 15 Maii.

Valentina Confraternitas (1) Militiæ Angelicæ Indulgentiis ornatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

IV.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Conſiderantes noſtrę mortalitatis fragilitatem, & humani generis conditionem, diſtrictique ſeveritatem judicii percupimus fideles ſingulos judicium ipſum bonis operibus, & piis precibus pręvenire, ut per illa eorum peccata deleantur, atque ęternę felicitatis gaudia facilius conſequi mereantur. Cum itaque, ſicut accepimus, in Eccleſia S. Dominici Conventus Regalis nuncupati Fratrum Ordinis Prędicatorum Valentin., una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas ſub denominatione Militię Angelicę Cinguli S. Thomę Aquinatis ad Dei Omnipotentis laudem, & honorem, animarumque ſalutem, proximique ſubventionem, non tamen pro hominibus unius ſpecialis artis, canonice erecta, ſeu erigenda exiſtat, cujus Confraternitatis Confratres quamplurima pietatis, caritatis, & miſericordię opera exercere conſueverunt, ſeu intendunt. Ut igitur dicta Confraternitas majora in dies ſuſcipiat incrementa, ac dicti exponentes, & pro tempore exiſtentes dictę Confraternitatis Confratres in hujuſmodi piorum operum exercitio magis confoveantur, & ad ea in poſterum exercenda, necnon alii Chriſti fideles ad dictam Confraternitatem de cetero ingrediendum peramplius invitentur, dictaque Eccleſia in debita veneratione habeatur, & ab ipſis Chriſti fidelibus congruis frequentetur honoribus, illique eo libentius ad dictam Eccleſiam devotionis cauſa confluant, quo ex hoc dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe eſſe refectos, de ejuſdem Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pę-

pęnitentibus, & confeſſis, qui dictam Confraternitatem de cetero ingredientur die primo illorum ingreſſus ſi Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſumpſerint, necnon eiſdem Confratribus nunc, & pro tempore exiſtentibus, etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione, ſi id commode fieri poterit, refectis, vel ſaltem contritis, in eorum mortis articulo pium nomen Jeſu corde, ſi ore nequiverint, devote invocantibus, ac dictis Confratribus, etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione etiam refectis, qui Eccleſiam prędictam die feſto principali dictę Confraternitatis per dictos Confratres eligendo, & per Ordinarium loci approbando, qui ſemel electus, & approbatus amplius variari non poterit, citra tamen feſtum Paſchatis Reſurrectionis Dominicę a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei feſti hujuſmodi annis ſingulis devote viſitaverint, & inibi pro Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, hęreſum extirpatione, hęreticorum, & infidelium converſione, & inter Chriſtianos Principes concilianda, & fovenda pace, & concordia, & unione, ac Romani Pontificis ſalute, pias ad Deum preces effuderint, quo die feſto prędicto id pro tempore egerint, Plenariam omnium, & ſingulorum ſuorum peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem, Apoſtolica auctoritate perpetuo concedimus, & elargimur. Preterea eiſdem Confratribus ſimiliter vere pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione, etiam refectis, qui Eccleſiam prędictam in quatuor aliis anni feſtivitatibus per dictos Confratres, etiam eligendis, & per Ordinarium loci approbandis, quę ſemel electę, & approbatę amplius variari non poterint, citra tamen dictum feſtum Paſchatis Reſurrectionis Dominicę annis ſingulis, etiam devote viſitaverint, ac, ut prefertur, oraverint, quo die quatuor poſteriorum feſtivitatum hujuſmodi id pro tempore fecerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas. Poſtremo eiſdem Confratribus quoties divinis officiis in eadem Eccleſia more Confratrum celebrandis, aut Congregationibus publicis, vel ſecretis ipſius Confraternitatis pro quocunque opere pio exercendo, vel proceſſionibus ordinariis, vel extraordinariis tam dictę Confraternitatis, quam aliis de licentia Ordinarii faciendis, vel ſepeliendis mortuis officioſe interfuerint, aut ipſum Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum dum ad aliquem infirmum defertur aſſociaverint, vel qui hoc facere impediti campanę ad id ſigno dato genibus flexis ſemel Orationem Dominicam, vel Salutationem Angelicam pro eodem infirmo recitaverint, vel pauperes peregrinos hoſpitio receperint, aut eleemoſynis, & officiis adjuverint, aut pacem cum inimicis propriis, vel alienis compoſuerint, ſive devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, aut ignorantes Dei pręcepta, & quę ad ſalutem ſunt docuerint, aut quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem prędictam pro animabus Confratrum dictę Confraternitatis in Chriſti caritate defunctorum recitaverint, toties pro quolibet pręmiſſorum piorum operum exercitio ſexaginta dies de injunctis eis pęnitentiis quomodolibet debitis, miſericorditer in Domino, etiam perpetuo relaxamus. Pręſentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod ſi dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata ſit, vel in poſterum aggregetur, ſeu quavis alia ratione, vel cauſa, pro illius Indulgentiis conſequendis, aut de illis participandis uniatur, ſeu alias quomodolibet inſtituatur, priores, ſeu quęvis alię literę deſuper obtentę pręter pręſentes, nullatenus ei ſuffragentur, ſed ex tunc prorſus nullę ſint eo ipſo. Quodque ſi Confratribus prędictis ratione pręmiſſorum, aut alias aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per Nos conceſſa fuerit eędem pręſentes literę nullius ſint roboris, vel momenti. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Nonageſimo Secundo, Idibus Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Confraternitas.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo lit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Valentino.*

Anno 1692 Die 28 Maii.

V.

F. Antoninum Cloche (1) Ordinem viſitantem privilegiis ornat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Antonino Cloche Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum.

INNOCENTIUS PP. XII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, Tu pro injuncto &c. (3). Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Maii MDCXCII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

J. F. Card. Albanus.

1. *Antoninum Cloche.*) De quo ſæpius dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo autographum.

3. *Injuncto &c.*) Ut in *Conſtitutione XII Innocentii XI* ad finem uſque. Legitur *pag. 355.*

Anno 1693 Die 5 Februarii.

Ut Venetæ Congregationis, ac Conventuum Provinciæ utriuſque Lombardiæ Fratres ad ipſos ſeſe recipiant.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

VI.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Henricus de Guſman. (2) Vicarius Generalis Ordinis Prędicatorum, quod cum ipſe a dilectis filiis Fratribus Congregationis B. Jacobi Venetiarum dicti Ordinis necnon ſuperioribus Conventuum in Provincia Lombardię ejuſdem Ordinis pro exacta regulę ipſius Ordinis obſervantia deputatorum certior factus ſit, viginti ab hinc annis a Congregatione, & Conventibus prędatis egreſſos fuiſſe pleroſque ex Fratribus Congregationis, & Conventuum hujuſmodi, eoſque in aliis Provinciis, & Conventibus Ordinis ſupradicti pro obſervantia minime deputatis, commorari, adhuc tamen retinere ſuas filiationes in Congregatione, & Conventibus primodictis, atque hac ratione impedimento eſſe ne alii in Congregatione, & Conventibus hujuſmodi recipi valeant, indeque fieri non poſſe, ut inibi regularis diſciplina adamuſſim cuſtodiatur, ac Eccleſiis Sacerdotum penuria laborantibus debitus cultus exhibeatur: idem Henricus Vicarius Generalis ex incumbenti ſibi Officii ſui debito rigoroſam Conſtitutionum dicti Ordinis obſervantiam promovere ſatagens, opportune in pręmiſſis a Nobis provideri plurimum deſiderat. Nos igitur ipſum Henricum Vicarium Generalem ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitorum conſilio, & attenta relatione Venerabilis Fratris noſtri Palutii Epiſcopi Pręneſtin., ejuſdem S. R. E. Cardinalis de Alteriis nuncupati Ordinis pręfati apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris ſuper pręmiſſis eiſdem Cardinalibus facta, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium ſtatuimus, atque decernimus, eos Fratres qui ex Conventibus ſupradictę Congregationis Obſervantis B. Jacobi Venetiarum, & pro eadem obſervantia in Prędicta Provincia Lombardię deputatis, & deinceps deputandis egreſſi ſunt, vel in poſterum egredientur niſi intra tres menſes a die egreſſus computandos ad eoſdem Conventus reverſi fuerint affiliationem in ipſis Conventibus abſque alia inſinuatione amiſiſſe, & amittere, & per Superiores ejuſdem Ordinis in aliis Conventibus pro obſervantia prędicta non deputatis, uti eorundem Conventuum filios pro ſuo arbitrio, & conſcientia collocandos eſſe: ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes ipſas pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, Congregationis, Provincię, & Conventuum, pręfatorum, aliiſque quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores, pręſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubicunque locorum habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die V Februarii MDCXCIII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

J. F. Cardinalis Albanus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.
2. *Henricus de Guſman.*) Vicarius Generalis conſtitutus ab anno *MDCXCII* quo *Roma* profectus erat Generalis Magiſter *Antoninus Cloche* Ordinem ſibi commiſſum viſitaturus.

Cul-

Cultum B. Johannæ (1) exhibitum ratum habet.

Anno 1693. Die 4 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VII.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Sacroſancti Apoſtolatus cura, quam inſcrutabilis divinę ſapientię, atque bonitatis altitudo humilitati noſtrę, meritis licet, & viribus longe imparibus, imponere dignata eſt, Nos urget, ut piis Orthodoxorum Regum magno in Eccleſiam Dei meritorum fulgore conſpicuorum votis ad augendam in terris ſacrarum Virginum cum cęleſti Sponſo in beata ęternitate regnantium, illarum pręſertim, quę in diebus peregrinationis ſuę, tametſi in rerum humanarum ſublimitate poſitę eſſent, non ſperarunt in lubrico divitiarum, ſed divini Spiritus depromptum infuſione Apoſtolicum conſilium ſecutę, cogitarunt, quę ſunt Domini, ut eſſent ſanctę corpore, & ſpiritu, venerationem laudabiliter tendentibus favorabilem aſſenſum libentiſſime prębeamus. Cum itaque alias, videlicet die X Julii MDCLXXXVIII Congregatio venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Prępoſitorum proceſſus ſuper ſanctitate vitę, & virtutibus Beatę Johannę clarę memorię Alphonſi V, dum vixit, Portugallię, & Algarbiorum Regis illuſtris natę, ac Religioſę Ordinis S. Dominici cognomento Sanctę Principiſſę die XII Maii MCCCCXC, defunctę, auctoritate ordinaria confectos examinaverit, ac commiſſione introductionis cauſę Beatificationis, ſeu Canonizationis ejuſdem Beatę Johannę admiſſa, eaque ſubinde a felicis recordationis Innocentio PP. XI Prędeceſſore noſtro ſignata, in illius executionem vigore literarum remiſſorialium, & compulſorialium, alii proceſſus in Colymbrien., Elboren., & Ulyxbonen. reſpective Civitatibus ſuper cultu immemorabili ipſi Beatę Johannę prętito, & caſu excepto a decretis recolendę memorię Urbani Papę VIII Prędeceſſoris pariter noſtri in Congregatione Sanctę Inquiſitionis editis, Apoſtolica auctoritate fabricati fuerint, ac venerabilis Frater modernus Epiſcopus Colymbrien. prędictę Congregationis Cardinalium judex delegatus ſuper eiſdem cultu immemorabili dictę Beatę Johannę cum ſcientia, & tolerantia Ordinariorum exhibito, necnon caſu, ut pręfertur, excepto ſententiam protulerit, demum vero ad enixas preces cariſſimi in Chriſto filii noſtri Petri Portugallię itidem, & Algarbiorum Regis illuſtris, accedentibus etiam ſupplicationibus venerabilium Fratrum Epiſcoporum, necnon dilectorum filiorum Religioſorum, Senatuum, Collegiorum, Academiarum, & Univerſitatum Regni Luſitanici, & ad iteratas inſtantias dilecti pariter filii Paulini Bernardini (3) Fratris expreſſe profeſſi Ordinis Prędicatorum in ſacra Theologia Magiſtri, cauſę Beatificationis, ſeu Canonizationis hujuſmodi poſtulatoris in eadem Congregatione Cardinalium propoſito dubio, An ſententia ſupradicta eſſet confirmanda in caſu, & ad effectum, de quo agebatur, relatiſque contentis in dictis proceſſibus, eiſque ſerio, & diligenter diſcuſſis, atque examinatis, dicta Congregatio Cardinalium, audito pariter in ſcriptis, & in voce dilecto filio promotore Fidei, de cultu immemorabili conſtare prędictamque ſententiam confirmandam eſſe cenſuerit. Hinc eſt, quod Nos piis, & devotis dicti Petri Regis ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis favorabiliter annuere cupientes, decretum a memorata Cardinalium Congregatione editum, ut pręfertur, quod ſcilicet de cultu immemorabili dictę Beatę Johannę, & caſu excepto a decretis pręfati Urbani Prędeceſſoris conſtet, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate pręfatę Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut ipſarum pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IV Aprilis MDCXCIII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

J. F. Card. Albanus.

1. *Johanna.*) Cognomento *Luſitana*. Ipſius vitam ſcripſere *Antonius Luſitanus*, *Margarita Pineria*, *Nicolaus Dias &c.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCXCIII.*

3. *Bernardini.*) Seu *de Bernardinis*, Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici. Diſtinguendus *Paulinus* iſte ab aliis ejuſdem nominis, cognominis, & gentis, de quibus loquitur *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDLXXXV pag. 274.*

Anno 1693 Die 29 Augusti.

Ne libri ex Bibliotheca Conventus Sancti Dominici Malacitan. (1) extrahantur, cavet.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VIII.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut dilecti filii modernus Prior, & Fratres Malacitani Provinciç Bçticç Ordinis Prçdicatorum Nobis nuper exponi fecerunt, alias bonç memoriç Alfonſus a S. Thoma (3) dum vixit, Epiſcopus Malacitan., qui in minoribus conſtitutus, dicti Ordinis profeſſus fuerat, Bibliothecam ſuam Conventui ſupradicto donaverit, ac propterea exponentes prçfati, tam Bibliothecç hujuſmodi, quam aliorum ejuſdem Conventus librorum conſervationi, & manutentioni opportune a Nobis provideri plurimum deſiderent. Nos, ipſos exponentes, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pçnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatç exiſtunt, ad effectum prçſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quiſquam, etiam quavis auctoritate, ſuperioritate, officio, vel dignitate fungen., libros, codices, ſcripturas, quinterna, vel folia, tam manu exarata, quam typis impreſſa, Bibliothecç Conventus prçfati hactenus per memoratum Alfonſum Epiſcopum, ſeu alios quoſcunque Chriſti fideles quomodolibet donata, & aſſignata, ſeu in poſterum quandocunque donanda, & aſſignanda, ex ipſa Bibliotheca ſub quovis quçſito colore, prçtextu, cauſa, vel occaſione extrahere, vel aſportare, ſeu, ut extrahantur, vel aſportentur, conſentire audeat quovis modo, vel prçſumat ſub excommunicationis latç ſententiç, & quoad regulares, etiam privationis vocis activç, & paſſivç, per contrafacientes eo ipſo, abſque alia declaratione incurrendis, a quibus nemo abſolutionis beneficium, niſi in mortis articulo conſtitutus, vel relaxationis, ſive rehabilitationis gratiam a quoquam, prçterquam a Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, valeat obtinere, Apoſtolica auctoritate, tenore prçſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Conventus, Provinciç, & Ordinis prçfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prçmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores prçſentibus pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prçmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut prçſentis prohibitionis exemplum, in valvis dictç Bibliothecç, vel alio loco conſpicuo, ubi ab omnibus cerni, & legi poſſit, affixum aſſidue remaneat. Datum Romç apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIX Auguſti MDCXCIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. F. Card. Albanus.

1. *Malacitan.*) In *Hiſpania Bætica*.
2. *Archivo*.) In quo exemplar.
3. *Alfonſus a S. Thoma*.) De quo in *Appendice ad Pontificatum Alexandri VII.*

Anno 1693 Die 13 Septembris.

Cæſarauguſtana Confraternitas (1) Militiæ Angelicæ Indulgentiis ornatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

IX.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus prçſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

COnſiderantes noſtrç mortalitatis &c. Cum itaque, ſicut accepimus, in Eccleſia S. Ildefonſi, Conventus Fratrum Ordinis Prçdicatorum Cçſarauguſtan. una pia, & devota utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas ſub invocatione Militiç Angelicç Cinguli S. Thomç Aquinatis &c. (3) qui Eccleſiam prçdictam die vigeſima octava Januarii, in qua celebratur translatio corporis S. Thomç Aquinatis &c. Datum Romç apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicç Milleſimo Sexcenteſimo Nonageſimo Tertio, Idibus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Confraternitas*.) De qua in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo*.) In quo exemplar ex autographo *Cæſarauguſtan.*
3. *Aquinatis &c.*) Ut in Conſtitutione data *XXIV* Decembris *MDCXCV*, ex qua mutuandum quicquid hic deeſt.

Ne

No Congregationis S. Marci Florentin. Studentes in Collegiis Minervitan., vel Peruſin. ſtudiorum curricula peragere teneantur. Anno 1693 Die 20 Octobris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

X.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Militantis Eccleſię regimini, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione prędidentes, ad ea per quę Chriſti fidelium Altiſſimi obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipatorum, laudabilibuſque inſtitutis ſuis inhęrentium, ſtatui, & felici directioni opportune conſulitur, propenſis ſtudiis intendimus, ac in illis commiſſi Nobis cęlitus officii partes interponimus, ſicut rationi conſentaneum eſſe in Domino arbitramur; Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres ſtudentes, ſeu Alumni S. Marci Florentin., Sancti Dominici Feſulan., & Sancti Jacobi Sancti Miniati reſpective Conventuum Ordinis Prędicatorum, quod ipſi, tametſi habitum per Fratres dicti Ordinis geſtari ſolitum in Conventibus pręfatis ſuſceperint, atque inibi quamexactiſſime conſtitutiones ejuſdem Ordinis juxta pręſcriptum decretorum felicis recordationis Clementis VIII, & Alexandri VII Romanorum Pontificum prędeceſſorum noſtrorum, ac ſpecialium Ordinationum Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitę obſervare hactenus ſtuduerint, & adhuc ſtudeant de pręſenti, illiſque ſuperiores Ordinis prędicti polliciti fuerint, ſe eis poteſtatem facturos eandem plane vitę rationem, quam in Conventibus ſupradictis inierunt, Deoque ſpoponderant, continuandi, nihilominus de pręſenti pro ſuis ſtudiis proſequendis in eos dicti Ordinis Conventus ſe conferre compelluntur, in quibus illud vivendi genus, cui ipſi in vim Conſtitutionum prędictarum, ac ſolemnium ſuorum votorum addicti reperiuntur, minime ſervatur; Quocirca exponentes prędicti, imbecillitatis ſuę probe conſcii, ſe in ſuſcepto Inſtituto permanere poſſe diffidunt, ac pluribus illorum, qui poſtquam aliquando ſtudiorum cauſa in Conventus hujuſmodi ſe tranſtulerant nunquam ad priſtinam vitę normam redierunt, exemplis edocti, ne ſibi ſimiliter ab arrepto propoſito declinare contingat ſummopere verentur, niſi a Nobis diſtricte prohibeatur, ne ipſi ſub prętextu ſtudiorum a Conventibus primodictis amoveri valeant, vel ſaltem decernatur, ut nonniſi in alios Conventus, in quibus revera tum vita communis obſervetur, tum Regularis obſervantia vigeat, mitti debeant, quemadmodum per quoddam decretum a recolendę memorię Innocentio Papa X, etiam prędeceſſore noſtro editum, & in Capitulo Generali Ordinis prędicti in hac Alma Urbe die V Junii MDCL celebrato ordinatione VI incipien. De nutu, juſſuque &c. acceptatum, necnon per aliud ſimiliter decretum alterius Capituli Generalis ejuſdem Ordinis Valliſoleti anno MDCV habiti ordinatione XVI incipien. in quibus &c. pręſcriptum fuiſſe dicitur, quorum decretorum vigore quondam Johannes Baptiſta de Marinis, dum vixit, Magiſter Generalis Ordinis ſupradicti, necnon venerabiles Fratres Johannes Thomas de Roccabertis Valentin., ac Antonius de Monroy Compoſtellan. reſpective Archiepiſcopi, dum munere itidem Magiſtri Generalis Ordinis hujuſmodi reſpective fungebantur, nunquam permiſerunt, quod juvenes in primo dictis Conventibus educati, ſacrarum, bonarumque literarum ſtudiis alibi, quam in Conventibus ſtrictę obſervantię incumberent, unde vel eis, ut eadem ſtudia in Conventibus primodictis proſequi poſſent conceſſerunt, vel potius illos in ſtrictiſſimę obſervantię Provinciam Toloſanam, ſive Congregationem Beati Jacobi Venetiarum ejuſdem Ordinis, ne ſcilicet minus perfectorum Religioſorum contubernio eorum in via Domini fervor tepeſceret, tranſmiſerunt, quinimmo cum in Conventibus primodictis Religioſorum, ac pręcipue ſtudioſorum numerus excreviſſet, dictus Antonius Archiepiſcopus tunc temporis Magiſter Generalis Conventuum hujuſmodi ſtudentibus indulſit, ut ſtudia, quę ipſi, ſive in S. Marię ſuper Minervam de Urbe, ſive in Peruſin. reſpective Conventus perficere debuiſſent in Conventu S. Marci ſupradicto peragere poſſent, ea tamen lege, quod peractis ſtudiorum curriculis rigoroſo examini in eodem Conventu S. Marię ſuper Minervam habendo ſe ſubjicere deberent, quemadmodum huc uſque fieri conſuevit. Cum autem, ſicut eadem expetitio ſubjungebat, per quoddam ſtatutum Provincię Romanę Ordinis ſupradicti Apoſtolica auctoritate, ut aſſeritur, confirmatum, caveatur expreſſe quod Fratres Provincię prędictę ad Lectoris gradum promoveri minime valeant, niſi in S. Marię ſuper Minervam, ſeu Peruſin. Conventibus ſupradictis ſtudia ſua peregerint, Nobis propterea iidem exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium tantum conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes: hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium, qui dilectos filios Vicarium, & Procuratorem Generales dicti Ordinis audiverunt, conſilio; Ut Fratres ſtudentes, ſeu Alumni ſupradictorum Conventuum Sancti Marci Florentin., Sancti Dominici Feſulan., & Sancti Jacobi Sancti Miniati nunc, & pro tempore exiſtentes ſtudiorum cauſa non alibi quam in Sancti Marci Florentin. prędicto, ſive aliis ſtrictę obſervantię Conventibus, cujuſmodi ſunt Conventus Provincię Toloſanę, ac Congregationis Sancti Jacobi Venetiarum hujuſmodi, a quoquam, quavis auctoritate, vel ſuperioritate fungentes de cetero mitti, ſeu collocari poſſint auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium ſtatuimus, & ordinamus. Pręterea eiſdem Fratribus ſtudentibus, ſeu Alumnis, ut ſuorum ſtu-

ſtudiorum curriculo exacto licet in S. Marię, ſuper Minervam de Urbe, ſeu Peruſin. Conventibus prędictis ſtudia minime peregerint, nec peragant in futurum, nihilominus ſervatis alias ſervandis, & dummodo ad id ceteroquin idonei reperiantur, ad gradum Lectoris, promoveri libere, & licite valeant in omnibus, & per omnia perinde ac ſi eadem ſtudia in Conventibus hujuſmodi peregiſſe, & compleviſſe reperirentur, auctoritate, & tenore pręſentium concedimus, & indulgemus; ſalva tamen ſemper in prę miſſis auctoritate memoratę Congregationis Cardinalium. Decernentes ipſas pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac iis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari: ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, Congregationis Beati Jacobi Venetiarum, Provinciarum, & Conventuum prędictorum, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XX Octobris MDCXCIII Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. F. Cardinalis Albanus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Florentino.*

Anno 1694 Die 16 Februarii.

Facultates Protectorum Ordinum coanguſtat.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XI.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CHriſti fidelium, qui ſpretis ſeculi hujus illecebris ſub ſuavi Religionis jugo divini Numinis ſeſe manciparunt obſequiis, ſalubriori regimini, & felicioribus in Domino progreſſibus, quantum Nobis ab alto conceditur, proſpicere ſatagentes, inter multiplices curas, quibus occurrentium rerum, negotiorumque varietatibus obſidemur, ad illam quoque noſtrę conſiderationis aciem dirigimus, per quam hujuſmodi Religioſorum Ordinis S. R. E. Cardinalium protectioni commiſſi, ita ejuſdem protectionis perfruantur ſubſidio, ut clauſtralis diſciplinę vigor illibatus permaneat, inſtitutique obſervantia ſarta, tecta ſervetur, ac propterea quę curę hujuſmodi protectorum, & quę cenſurę Superiorum regularium reſpective, & magis aptę conveniunt, congrua diſtinctione ordinentur, ſeu potius, quę reſpectu alicujus Ordinis, per Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros provide deſuper ordinata noſcuntur, quo ad illum confirmationis noſtrę munimine conſtabiliantur, & quo ad eundem, & alios Ordines pręfatis protectoribus, ſive ſimiliter, ſive diſſimiliter commendatos pro una, eademque regula, ad limites tamen pręſentium, pariformiter conſtituantur. Sane licet Sanctus Franciſcus de Aſſiſio in ejus Regula, per Sedem Apoſtolicam confirmata, hiſce verbis pręceperit. Per obedientiam ad hoc injungo Miniſtris, ut petant a Domino Papa unum de Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalibus, qui ſit gubernator, protector, & corrector iſtius Fraternitatis, ut ſemper ſubditi, & ſubjecti pedibus ejuſdem S. R. E. ſtabiles in Fide Catholica paupertatem, & humilitatem, & Sanctum Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus. Nihilominus nonnulli Romani Pontifices Prędeceſſores noſtri protectoris hujuſmodi facultates declarandas, fineſque, quibus illę concludi deberent, pręſcribendos eſſe, in Domino exiſtimarunt, ſuiſque deſuper editis literis decreverunt. Cum enim aliqui eorundem protectorum ſuam poteſtatem nimium extendiſſe dicerentur in pluribus, ex quibus in Ordine Minorum graves perturbationes, & ſcandala fuiſſent exorta, felicis recordationis Gregorius Papa XI Prędeceſſor noſter ſuis ſexto Kal. Junii, Pontificatus ſui anno tertio expeditis literis, ut idem Ordo in ſua primęva quiete permaneret, de virtute in virtutem iret aſſidue, & quibuslibet amotis prępedimentis, eradicatiſque ſpinis, & tribulis, fructum non ſolum conſuetum, ſed etiam uberiorem afferret, ad radicalem ſubmotionem turbationum, & ſcandalorum ejuſmodi jam exortorum, & ne orirentur in poſterum, providere, ac ejuſdem Ordinis pro tempore exiſtentibus protectoribus tranſgreſſionis ſuę poteſtatis occaſionem tollere efficaci remedio cupiens, auctoritate Apoſtolica eiſdem protectoribus diſtrictius inhibuit, ne pręſumerent quęcunque ordinata, ſtatuta, ſive diſpoſita, aut ordinanda, ſtatuenda, ſive diſponenda per generalia, vel provincialia, aut cuſtodialia Capitula infringere, reprobare, corrigere, ſuſpendere, aut diſpenſare ſuper ipſis, ſeu contra ea, vel eorum aliquid quomodolibet immutare, niſi contra pręmiſſos articulos in pręfata regula, ut pręfertur, poſitos, vel aliquem ipſorum exiſteret manifeſte. Aut quemcunque Prelatum, ſeu officialem dicti Ordinis, ſeu alicujus loci ejuſdem quocunque nomine nuncuparetur, ponere, ſeu inſtituere, aut deponere, deſtituere, ſeu privare, aut a ſuo officio ſuſpendere, ſeu impedire ſuper ejus libero exercitio quovis modo. Aut aliquem Fratrem Ordinis antedicti ad lectoratum, aut quamcunque lecturam, ſeu ſtudium, vel gradum promovere, aut promotos ab eis removere, ſeu etiam revocare. Aut de loco ad locum mittere, aut mutare, ſive alicui Fratrum eorundem eundi ad quodcunque Monaſterium, vel locum alium, vel domum, vel aliquam perſonam, licentiam impartiri. Et ne inſuper quemvis ſingularem Fratrem memorati Ordinis de quocunque crimine, vel delicto punire,

vel

vel a pęna, ſeu pęnitentia liberare, aut eam minuere, augere, vel immutare. Aut etiam alicui Fratri locum, cameram, cellam, libros, vel alias res dicti Ordinis concedere, vel ejus uſui deputare. Aut quemcunque per Pręlatos ejuſdem Ordinis, aut alios deputatum quomodolibet amovere. Nec etiam de rebus, aut correctione Fratrum dicti Ordinis, niſi in caſibus pręmiſſis contentis in pręfata regula, ſeu eorum aliquo ſe aliquatenus intromittere quovis modo, itaut dictus Ordo, ſeu Fratres ejuſdem Ordinis in nullo ſubeſſent futuris protectoribus, niſi in caſu, in quo ipſorum Fratrum Communitas, vel generale Capitulum, quod abeſſet, a prędictis articulis, vel eorum aliquo deviaſſent, alioquin ſi ſecus feciſſent, id decrevit irritum, & inane. Et nihilominus Fratres, qui contra ejuſmodi inhibitionem quidquam impetraſſent, ſeu poſt inhibitionem ejuſmodi uſi fuiſſent etiam per alios impetratis, punirentur illis pęnis, quibus fuiſſent pro gravibus culpis ſecundum ſtatuta dicti Ordinis puniendi, & nihilominus eſſent actibus privati legitimis, & a ſuis, ſi quę habuiſſent, ſuſpenſi officiis ipſo facto. Ceterum memoratus Gregorius Prędeceſſor eoſdem futuros protectores hortatus fuit attentius, quod per facti efficaciam ſic nominis ſui officii procurarent effectum, ut Ordo ipſe per eos non lęderetur in aliquo, ſed potius ab adverſis, pro tempore forſan imminentibus, ſuo opportuno defenſionis clypeo protegeretur, & a noxiis pręſervaretur, ſic acturi provide, & ęquitatis, ac modeſtię limites ſervaturi, ut non traheretur ad noxam, quod proviſum fuerat ad ſalutem, ſed ex caritativis geſtis eorum Ordo pręfatus quietem, & conſolationem perciperet, & ipſi protectores magnum apud Deum pręmium ſortirentur, & ſuper contrario non oporteret dictę Sedis providentiam aliud remedium adhibere. Succeſſive recolendę memorię Sixtus Papa IV, etiam Prędeceſſor noſter, qui cum ſibi in minoribus conſtituto memorati Ordinis generalis cura, & adminiſtratio incubuiſſet, ſaluberrimum, opportunum, & neceſſarium dicto Ordini fuiſſe conſpexerat, ut protectores ultra prefixum ab ejuſdem Ordinis regula auctoritatem non extenderent, nam expertus fuerat, & viderat, quanta pax, quies, utilitas, quantaque commoda pręfato Ordini, & Fratribus ejuſdem ex firma, & inconcuſſa pręfatarum literarum dicti Gregorii pariter Prędeceſſoris obſervantia provenerant, quę, & quantę perturbationes, jacturę, incommoda, damna, & gravia ſcandala in dicto Ordine ſuſcitata fuerant, quoties illius protectores ſuę auctoritatis limites excedere attentantes, in particularibus dicti Ordinis, & Fratrum ejuſdem cauſis, & negotiis ſe intromittere, & uſurpata ſibi auctoritate ea videre, cognoſcere, judicare, & decernere voluerant. Cupiens, ut Religio, & Ordo pręfatus, quem affectuoſiſſima caritate cemplectebatur, utpote quia in eo a teneris annis enutritus, & doctrina, ac regularibus diſciplinis, & moribus inſtitutus fuerat, quieto conſiſtens ſtatu, virtutibus, & meritis augeretur, & multiplicaretur, ut Fidei Catholicę, & Chriſtianę Reipublicę augmentum, & multiplex, ac ſolidum fundamentum ex ejuſdem Ordinis Fratrum operibus, & exemplis ſapientia, & ſplendore, ac fructuoſis ſtudiis, & prędicationibus provenirent, promptiſſimo, & liberali animo uti dignum cenſuit, & debitum, ut ea, quę pro ipſius Ordinis quiete, pace, tranquillitate, & proſperitate a Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus provide ſtatuta, & ordinata fuerant, illibata perdurarent, ſuę approbationis munimine ſolidavit, interpretatus fuit, & declaravit, prout ipſius Ordinis tranquillitati conſpexit ſalubriter expedire. Pręmiſſa igitur dictarum memorati Gregorii Prędeceſſoris literarum inſertione; ac pręvia hujuſmodi narrativa, idem Sixtus Prędeceſſor, ut de cetero ipſius Ordinis profeſſoribus omnis evagandi extra Religionem occaſio tolleretur, & vera ſuis Pręlatis obedientia, in qua Religionis verum, & ſolidum firmamentum, & robur conſiſtit, exhiberetur, pręfatique Ordinis, & Fratrum ejuſdem negotia, & cauſę, non alibi, neque per alios, quam in ipſo Ordine, & per ipſius Pręlatos tractarentur, agitarentur, judicarentur, & determinarentur, tunc exiſtentis Generalis dicti Ordinis Miniſtri, & totius generalis Capituli in hac parte ſupplicationibus inclinatus, inhibitionem, & literas pręfatas memorati Gregorii Prędeceſſoris, auctoritate Apoſtolica ſuarum tenore literarum approbavit, & robur perpetuę firmitatis obtinere debere decrevit. Et per eas protectori pręfato pro tempore exiſtenti, niſi in illis caſibus, & articulis in regula dictorum Fratrum expreſſis, & pręfati Gregorii Prędeceſſoris literis declaratis, neque in illis, dum non univerſi, ſed aliqui ipſius Ordinis profeſſores in quovis numero a Fidei unitate, ſacroſanctę Romanę Eccleſię obedientia deviarent, vel regulam pręfatam non ſervarent, ſed de eorundem deviantium, & non obſervantium regulam correctione, aut reductione, ac aliis quibuslibet cauſis, & negotiis dicti Ordinis ſe intromitteret, inhibitum fuiſſe, dicta auctoritate decrevit, & declaravit. Hortatuſque fuit illum, qui ad officium protectionis hujuſmodi, quod tunc per obitum bonę memorię Beſſarionis Epiſcopi Sabinenſis dicti Ordinis, dum viveret, protectoris, vacabat, aſſumi, & deputari contigiſſet, & ipſius ſucceſſores dicti Ordinis protectores, ac eis in virtute ſanctę obedientię diſtricte pręcipiendo inhibuit, ne extra prędictos articulos, & caſus in regula pręfata contentos, & expreſſos, nec etiam in illis, cum non univerſus Ordo, ſed aliqua ipſius pars, vel ſpeciales perſonę errarent, ipſorum Fratrum querelas audire, ſeu de ipſorum cauſis, & negotiis contra literas, & declarationes hujuſmodi intromittere ſe quoquo modo pręſumerent, ſed curarent, vigilarent, & intenderent, uti erat eorum officium, & prędicti S. Franciſci, & pręfatę Sedis intentio fuerat, ipſum Ordinem in quieto, tranquillo, & pacifico ſtatu conſervare, & augere, & ab impugnantibus, moleſtantibus, & perturbantibus protegere, defendere, & tueri, ne ſecus agendo Ordinem pręfatum non ſolum non protegerent, conſervarent, & exaltarent, ut tenebantur, ſed in animarum ſuarum perniciem, & dicti Ordinis detrimentum, & ſcandalum perturbarent, deſtruerent, & confunderent, ut in ejuſdem Sixti Prędeceſſoris Anno Incarnationis Dominicę milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, quinto Kalendas Februarii, Pontificatus ſui anno ſecundo, expeditis literis continetur. Quas, ac alias pręfatas memorati Gregorii Prędeceſſoris literas pię memorię Julius Papa II etiam Prędeceſſor noſter, qui in minoribus conſtitutus, Cardinalatus honore fulgens, dicti Ordinis Protector viginti ſex annis, & ultra fuerat, dictoſque Fratres tanquam peculiares filios in viſceribus caritatis gerens, eadem commoda, & tranquillitatem ſinceris affectibus exoptabat, pręvia ambarum pręfatarum inſertione, aliis ſuis literis ſub Dat. Anno Incarnationis pręfatę milleſimo quingenteſimo octavo, Idibus Octo-

Octobris, Pontificatus ſui Anno Quarto, approbavit, ac earundem ſuarum literarum patrocinio communivit. Cupientes itaque, ut pluries animo attente revolvimus, etiam in hac parte Apoſtolicę ſolicitudinis ſtudium apponere, ac nolentes ſalutaris proviſionis remedium jamdiu a Nobis pręmeditatum, ac etiam a quampluribus diverſorum Ordinum Regularibus ſuppliciter petitum, diutius differre, dictorumque Romanorum Pontificum Prędeceſſorum veſtigiis inhęrentes, Motu proprio, ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, necnon de nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanę Curię Prelatorum pietate, doctrina, prudentia, & rerum uſu pręſtantium, ad hunc effectum de mandato noſtro congregatorum conſilio, pręfatas memoratorum Gregorii, Sixti, & Julii Prędeceſſorum literas tenore pręſentium approbamus, confirmamus, innovamus, & ad primęvum ſtatum, priſtinumque uſum reducimus, & reintegramus, illiſque in omnibus, & per omnia perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus. Inſuper, ut in omnibus, & ſingulis quorumcunque Regularium Ordinibus memoratorum Protectorum curę commiſſis, ſeu committi conſuetis, una, eademque, & pariformis, hujuſmodi protectionum ſit, & perpetuo eſſe debeat regula, & diſciplina, omnia, & quęcunque tam in pręfatorum Prędeceſſorum, ut prefertur, confirmatis, quam in pręſentibus noſtris literis contenta, in omnibus, & ſingulis, ſive Sancti Franciſci, ſive cujuſcunque alterius Regulę, vel Inſtituti, ac quomodocunque erectis, reformatis, ſeu exiſtentibus, ac erigendis, reformandis, ſeu futuris, & quomodolibet nuncupatis, ſeu nuncupandis Ordinibus, Religionibus, Congregationibus, vel Reformationibus tam virorum, quam mulierum, curę Protectorum Ordinis, cujus illi, ſeu illę exiſtunt, generaliter commiſſorum, ſeu commiſſarum, obſervanda, attendenda, ac omnimodę executioni demandanda eſſe, & fore, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, & mandamus. Et nihilominus ne hujuſmodi Protectores in aliquibus negotiis, cauſis, ſeu rebus, quę univerſum Ordinem, ſeu totum corpus Religionis non concernunt, ex quacunque cauſa, occaſione, titulo, ſeu pretextu ſeſe quoquo modo intromittant, ſeu ingerant, etiam tenore pręſentium penitus prohibemus, ſtatuimus, atque decernimus. Hinc cum retento prefatarum a Nobis confirmatarum, & ad omnes Ordines Regulares extenſarum, ac pręſentium noſtrarum literarum themate, congruere, & in conſequentiam venire videatur, ut memorati Protectores etiam a cognitione, & definitione cauſarum, ſeu litium, vel negotiorum dictos Regulares, vel eorum bona, jura, domos, aliaque, ut prefertur, particulariter concernentium pariter, ſeu magis abſtinerent: Vice autem verſa cauſę, lites, inſtantię, petitiones, vel negotia hujuſmodi, ſive ex indultis, privilegiis, aut Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſive ex Regulis, vel Statutis, ſeu Ordinationibus aliquorum Ordinum, ſive ex declarationibus, vel decretis dictę S. R. E. Cardinalium aliquibus Congregationibus prepoſitorum, ſive ex uſu, vel quacunque conſuetudine, in aliqua inſtantia, ſeu gradu cujuſcunque appellationis, vel recurſus a memoratis Protectoribus, ſeu eorum aliquibus hactenus cognita, examinata, ſeu judicata fuerint, vel cognoſci, examinari, ſeu judicari potuiſſe, vel debuiſſe dignoſcerentur, ſeu pretenderentur: Propterea ut modus, forma, & ordo in pręfatis confirmatis, & extenſis, ac pręſentibus noſtris literis conſtituti, ſuum plenarium, & conſimilem etiam in hac parte ſortiantur effectum, omnibus, & ſingulis pręfatis Indultis, Privilegiis, Conſtitutionibus, Regulis, Statutis, Ordinationibus, Declarationibus, Decretis, uſibus, & conſuetudinibus, quorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti eſſent, pro plene, & ſufficienter expreſſis habemus, pleniſſime, & ampliſſime motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, derogamus, & derogatum eſſe volumus, & mandamus, illis alias in ſuo robore permanſuris, ac quamcunque inſtantiam, ſive gradum cujuſcunque appellationis, vel recurſus coram Protectoribus, ſeu ad Protectores hujuſmodi, removentes, tollentes, ſeu reſecantes, quamcunque inſtantiam, prout de jure, & juxta Ordinis inſtituta relinquimus, & cujuſcunque appellationis, ſeu recurſus gradum, quem ſingulis Cardinalibus Protectoribus tenore pręſentium omnino, & abſolute adimimus, ipſis Cardinalibus, inſimul tamen in Congregatione negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium Prępoſita convenientibus, earundem tenore pręſentium reſtituimus, concedimus, tribuimus, & impartimur, ſeu verius utrumque, ſeu duplicem appellationis gradum, qui ſuper pręmiſſis prius ad Cardinales Protectores pręfatos, & ſucceſſive, vel reſpective omiſſo medio, ad memoratam Congregationem devolvebantur, in eadem Congregatione conſolidamus, annectimus, & unimus, & ad unum cognitionis, ſeu appellationis gradum reducimus. Ad hęc cum pariter ex Indultis, Privilegiis, ſeu Conſtitutionibus Apoſtolicis, vel ex Regulis, Statutis, ſeu Ordinationibus, ſive ex uſibus, & conſuetudinibus, vel alias quoquo modo, aliqua nonnullos Prelatos, Superiores, ſeu alios in aliquibus Ordinibus eligendi, ſeu deputandi, vel alia quęque facultas, ſeu auctoritas nonnulla quęcunque gerendi, committendi, mandandi, demandandi, ſeu ordinandi pręfatis Protectoribus, ſeu aliquibus eorum quomodolibet attributa, commiſſa, commendata, ſeu demandata ſpecialiter, vel generaliter contra formam pręfatarum Gregorii, & Sixti Prędeceſſorum literarum exiſtat, hinc Nos hujuſmodi electiones, ſeu deputationes ad limites Sacrorum Canonum, ſeu Regularum, & Inſtituti, vel ad modum, & formam in Comitiis generalibus, ſeu per Nos auctoritate Apoſtolica ſtatuendum, & ſtatuendam reducimus, & reductas eſſe volumus, & mandamus. Quo vero ad cetera, facultatem, ſeu auctoritatem, quam iiſdem ſingulis Cardinalibus Protectoribus in pręmiſſis, & circa ea penitus adimimus, eorundem Cardinalium Congregationibus, juxta cujuslibet Congregationis facultates, congrua congruis referendo, ſimiliter reſtituimus, concedimus, tribuimus, & impartimur; ſub ea tamen moderatione, ſeu declaratione, ut pręfatę Congregationes in illis duntaxat, quę ad Protectores hujuſmodi ex Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ſeu ex Statutis, Regulis, vel Conſtitutionibus cujuslibet reſpective Ordinis, non autem ex uſu, conſuetudine, vel alias ſpectarunt, loco eorundem Protectorum ſubrogentur, & ſubrogatę ſint, & intelligantur. Quia vero ſępe ſępius contingit, ut in cauſis, ſeu negotiis, quę in memoratis dictorum Cardinalium Congregationibus proponuntur, exquiratur ſuper expoſitis informatio, ac quandoque etiam votum, ſeu delegetur reſolutorum

exe-

executio, eandem proportionem, ſeu diſtinctionem, quam pręmiſimus, etiam in hac parte ſervari mandamus, ut nimirum in reſpicientibus totum Ordinem Protectorum Curę, ut pręfertur, commiſſis, ſeu relictis, iiſdem Protectoribus; In ceteris vero cauſis, & negotiis, Superiori Generali, ſive Procuratori generali, & in utroque, ſeu alterutro caſu, etiam Congregationi ſive Aſſiſtentium, ſive Definitorum, ſive Conſultorum, ſive aliter quomodocunque nuncupatę hic in Urbe, vel in alio Italię loco exiſtenti, in qua Ordinis negotia tractantur, ſeu tractari ſolent, vel debent, & quo ad illos Ordines, in quibus hujuſmodi inſimul, & continue conveniens Congregatio non exiſtit, ſeu exiſtit, ſed extra Italiam, eidem Procuratori Generali vel ſoli, vel inſimul etiam nonnullis aliis ejuſmodi Ordinis Superioribus, ſeu Pręlatis, tametſi in diverſis locis in Italia ſeu extra eam reſpective, ut pręfertur, commorantibus, arbitrio ſemper cujuslibet ex pręfatis Cardinalium Congregationibus, juxta rerum, locorum, & perſonarum qualitates, & circumſtantias, reſpective, informatio, & votum, ut pręfertur, necnon executio hujuſmodi, congrua congruis referendo, & ſervata ceteroquin quoad ſingulos Ordines forma proprię Regulę, ſtatutorum, ſeu Inſtituti, remittatur, delegetur, ſeu committatur. Perpendentes etiam Chriſtianę Reipublicę pręceteris expedire, ut Ordinibus Regularibus Pręlati inculpatę vitę, morumque integritate, virtutibus, meritis, rerumque experientia pręſtantiores, & aptiores pręficiantur, & ad hunc effectum omnimodam, & ab humanis reſpectibus undequaque immunem, & ſacroſanctam libertatem in illorum electionibus, nedum mirabiliter conferre, ſed requiri, memoratos Protectores in Domino hortamur, & enixe obſecramus, ac Electoribus pariter in Domino, & in virtute Sanctę Obedientię diſtricte pręcipimus, ſeu hortationes, obſecrationes, & pręcepta hujuſmodi renovamus, ut in comitiis pręſertim Generalibus, quibus eoſdem pro tempore pręſidere, & reſpective intereſſe contigerit, nedum inter ſe, & aliis intra clauſtra degentibus, ſed exteris ipſis quibuſcunque etiam Laicis, quacunque majeſtate, pręeminentia, gradu, & dignitate fulgentibus, proprię indifferentię, ac unici in Dei gloriam, & Religionis bonum reſpectus, ita ſe prębeant ſingulare ſpecimen, & exemplar, talemque hujus rectę intentionis, & melioris operationis odorem diffundant, ut illi propterea vexationes, & importunas commendationes, ubi Spiritus Paraclitus ſpirat, & pręſidet, inutiles, & incongruas eſſe, ſeu fore, certius agnoſcentes, ab iiſdem prorſus abſtineant, ſeu deſiſtant, indeque tam intrinſecus, quam extrinſecus, omnibus vexationibus, commendationibus, machinationibus, humaniſque finibus eliminatis, & exploſis, integra, illibata, & intacta Vocalibus remaneat eligendi facultas, & tam Superioris Generalis, quam aliorum reſpective Pręlatorum, undequaque libera, optima, & canonica ſequatur electio, ad quam cum voto, ſi quod, & eo modo, quo Protectori juxta cujuſque Ordinis Regulas, Statuta, vel alias competit, Deum, ejuſque honorem, & gloriam duntaxat pręoculis habens, concurrat. Nolumus tamen abſentium vota, nec Protectoris, nec cujuſcunque alterius, nec etiam ipſarum Cardinalium Congregationum auctoritate ſuppleri, ſeu alios Vocales eorundem abſentium loco, ſeu vice ſubrogari, deputari, ſeu eligi, ſed jus eligendi in ſolis juxta juris, & Inſtituti regulas ad hunc effectum aſſumptis, & in deſtinatis loco, & tempore convenientibus conſolidari, ſeu alias, prout de jure, permanere omnino volumus, & mandamus. Ut autem pręmiſſa omnia, & ſingula eo magis debitum conſequantur effectum, & executioni demandentur, ac ad majorem cautelam, ſeu declarationem, omnia, quęcunque, & ſingula, quę in pręmiſſis confirmatis, ac extenſis, & pręſentibus noſtris literis ſunt quoquo modo explicite, vel implicite memoratis Protectoribus interdicta, in poſterum annullamus, caſſamus, & irritamus, ſeu potius nulla, caſſa, inania, irrita, nulliuſque roboris, & momenti ipſo jure, & ipſo facto omni meliori modo declaramus, atque decernimus. Mandantes iiſdem nunc, & pro tempore in futurum exiſtentibus Protectoribus, ne cuncta, vel ſingula pręmiſſa quoquo modo injungant, faciant, mandent, committant, permittant, ſive tolerent; necnon quibuſcunque Regularibus utriuſque ſexus, tum Superioribus etiam Generalibus, tum Subditis, ne iiſdem omnibus, & ſingulis, ut pręfertur, pręmiſſis pareant, obediant, morem gerant, adhęreant, ſeu illa tolerent, vel permittant, ſive omnia, vel ſingula pręmiſſa quęcunque fiant, ſeu attententur per ſententias, vel decreta, ſive in forma judiciali, ſive extrajudiciali, tam per patentes, quam per privatas literas, ſeu epiſtolas, ſive per ſe ipſos, ſive per quoſcunque alios, nedum per viam pręcepti, juſſionis, mandati, vel commiſſionis, ſed etiam commendationis, & ſive palam, ſive ſecrete, tum in quibuſcunque ſcriptis, tum oretenus, & tam directe, quam indirecte, mediate, vel immediate, ac aliis quibuſcunque formis, & modis, nihil penitus omiſſo, pręfatorum omnium conſcientias deſuper onerantes. Propterea omnes, quaſcunque, & ſingulas facultates, auctoritates, & juriſdictiones quomodocunque, qualitercunque, & quandocunque, tam in genere, quam in ſpecie omnibus, & ſingulis antehac, ſive nunc exiſtentibus Protectoribus hujuſmodi, & tam eorum perſonis, quam gradui, muneri, vel officio conceſſas, & attributas, vel communicatas, ſeu ab illis quoquo modo exerceri conſuetas, etiam ſpeciali, & individua mentione, moderatione, ſeu revocatione dignas, earundem omnium, & ſingularum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti eſſent, pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, in omnibus, & ſingulis, quę pręmiſſis adverſantur, moderamur, reformamus, & ad limites, modum, formam, & tenorem pręſentium reducimus, & pro ſic moderatis, reformatis, & reductis haberi, cenſeri, & intelligi volumus, & decernimus; Sicque pariter, & non alias quam ſervata forma pręſentium, & omnium, ac ſingulorum in illis contentorum facultates, juriſdictiones, & auctoritates hujuſmodi, necnon deputationes eorundem Protectorum in poſterum quomodocunque concedendas, attribuendas, ſeu communicandas, & reſpective faciendas, obſervari, attendi, intelligi, & exequi omnino volumus, & mandamus. Quo circa pręfatę Congregationi memoratorum negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium Prępoſitorum, Cardinalium, & dilecto filio Curię cauſarum Camerę Apoſtolicę Generali Auditori per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus omnibus, & ſingulis pręmiſſis ſemper ſalvis, & in ſuo robore permanentibus, Congregatio, vel Auditor pręfati pręſentes literas in ea parte quę pręnarratam moderationem, ſeu limitationem facultatum Protectorum hujuſmodi, ac in contrarium deſuper ab iiſdem Protectoribus gerendorum, nullitatem, ſeu irritationem duntaxat concernunt, ubi, & quando opus fue-

Nota.

fuerit, quoties pro parte quorumcunque deſuper intereſſe habentium Congregatio, vel Auditor pręfati fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque deſuper efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem prę́ſentes in dicta parte duntaxat firmiter obſervari, & ſingulos, quos eędem literę in dicta parte concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos quomodolibet indebite moleſtari, contradictores, auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Decernentes, eaſdem prę́ſentes literas, & in eis contenta quęcunque, etiam ex eo quod omnes, & ſinguli ſupradicti, ac alii quicunque cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, prę́eminentię, vel dignitatis, ſeu alias ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni in prę́miſſis quomodolibet jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere prętendentes, iiſdem prę́miſſis non conſenſerint, nec ad ea vocati, ſeu auditi fuerint, tametſi ſuorum indultorum, vel privilegiorum vigore conſentire, ſeu vocari, & audiri ſemel, vel pluries quoquo modo debuiſſent, aut ex alia quacunque juridica, privilegiata, & rationabili, ac etiam tali, quę ad effectum validitatis prę́miſſorum neceſſario exprimenda foret, cauſa, & occaſione, colore, prętextu, titulo etiam oneroſo, & capite, etiam in corpore juris clauſo, ullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, vel intereſſe habentium conſenſus, alioque quolibet etiam maximo, ſubſtantiali, eſſentiali, & formali, aut incogitato defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, reſcindi, in controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratię remedium intentari, vel impetrari, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare nullatenus poſſe, ſed eaſdem prę́ſentes literas, & in eis contenta quęcunque ſemper, & perpetuo firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, & ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque, & quomodocunque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari; Sicque, & non aliter per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & quoſcunque Nuncios, & Cardinales etiam de latere Legatos, necnon quaſcunque eorundem Cardinalium Congregationes, & quoſvis alios qualibet auctoritate, prę́eminentia, & poteſtate fungentes, & quandocunque functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis prę́miſſis, & quatenus opus ſit, noſtris, & Cancellarię Apoſtolicę regulis, & ſignanter illa de jure quęſito non tollendo, & alia, quod Cardinales in Conſtitutionibus, & regulis per Nos edendis non comprehendantur, niſi illę eorundem Cardinalium favorem concernant, vel ipſę edendę Conſtitutiones de illorum, ſeu majoris partis eorum conſilio editę fuerint, aliiſque quibuſcunque etiam in generalibus, provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, etiam Apoſtolicis, necnon quorumcunque, & ſingulorum Ordinum Regularium, Religionum, Congregationum, ſeu reformationum inſtitutis, regulis, ſtatutis, decretis, & ordinationibus quibuſcunque, etiam in limine erectionis, fundationis, ſeu reformationis, etiam in Comitiis Generalibus quoquo modo factis, ac uſibus, ſtylis, & conſuetudinibus quibuſcunque, etiam centenariis, & immemorabilibus, privilegiis quoque, & indultis, ac literis Apoſtolicis quibuſcunque ſub quibuſvis tenoribus, & formis, & cum quibuſcunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet, in contrarium prę́miſſorum conceſſis, editis, confirmatis, & approbatis, ac pluries, & quantiſcunque vicibus innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, iiſdem prę́ſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, inſertis, ſervatis, & ſpecificatis reſpective habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prę́miſſorum effectum harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe, ac pleniſſime, & ampliſſime derogamus, & derogatum eſſe, volumus, & mandamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem prę́ſentium literarum, tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quę haberetur prę́ſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum approbationis, confirmationis, innovationis, reductionum, reintegrationis, ſanctionis, mandatorum, prohibitionis, ſtatuti, decretorum, derogationum, voluntatum, ademptionum, reſtitutionum, conceſſionum, conſolidationis, annexionis, unionis, hortationis, obſecrationis, prę́cepti, renovationis, annullationis, caſſationis, irritationis, declarationis, onerationis, moderationis, & reformationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prę́ſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Nonageſimo Tertio (2), Quartodecimo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. F. Card. Albanus.

B. Card. Prodatarius.

Viſa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco † plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Ann

Anno a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſexenteſimo nonageſimo quarto. Indict one ſecunda, die vero decimaſeptima Februarii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Innocentii divina providentia Papę XII Anno Tertio, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Eccleſię S. Johannis Lateranenſis, Baſilicę Principis Apoſtolorum, & Cancellarię Apoſtolicę, in Acie Campi Florę, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Jo: Baptiſtam de Comitibus ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papę Curſorem.

Petrus Cannamellinus Curſ. Magiſter.

1. *Archivo.*) In quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCXCIV*. Legitur etiam in *Bulla 10* ejuſdem *Innocentii XII*.

2. *Nonageſimo Tertio.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDCXCIV*.

Anno 1694. Die 9 Junii.

XII.

Coimbrien. ſeu Luſitaniæ Canonizationis Beatæ Iohannæ (1) filiæ Alphonſi V Regis Luſitaniæ Tertii Ordinis Sancti Dominici.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

REdditis SS. D. N. a D. Benedicto de Fonſeca Sereniſſimi Regis Luſitanię apud S. Sedem Reſidente literis, in quibus idem Rex, & Regina Sanctitati Suę humiliter ſupplicabant, ut nedum toti Regno Portugallię, verum etiam Ordinis Prędicatorum Religioni Officium, & Miſſam de Beata Iohanna Alphonſi Quinti Regis filia Tertii Ordinis S. Dominici, de cujus Cultu immemorabili S. Rit. Congr. ſub die XX Decembris MDCXCIII annuente etiam Sanctiſſimo conſtare declaravit, ſingulis annis ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur die duodecima Maii anniverſaria ejus obdormitionis in Domino recitandum, & reſpective celebrandam concedere dignaretur: illiſque ad Sacrorum Rituum Congregationem remiſſis, & ad humillimas Reverendiſſimi Patris F. Antonini Cloche Ordinis Prędicatorum Magiſtri Generalis, R. P. Magiſtri Paulini Bernardini, cauſę Canonizationis ejuſdem Beatę poſtulatoris, & prędicti D. Reſidentis inſtantias ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinale de Abdua relatis. Eadem Sac. Congregatio audito prius tam in ſcriptis, quam in voce ſub prę miſſis Reverendiſſimo Archiepiſcopo Myren. Fidei Promotore, Reſpondit: Poſſe a Sanctiſſimo concedi Officium, & Miſſam. Die XXIX Maii MDCXCIV. Et facta de prędictis per me Secretarium Sanctitati Suæ relatione Sanctitas Sua pro toto Regno Portugallię tantum, totaque Ordinis Prędicatorum Religione juxta petita Officium, & Miſſam de dicta Beata de communi tamen Virginum, & ſub ritu Semiduplici, non obſtantibus quibuſcunque, benigne conceſſit. Die IX Junii ejuſdem Anni MDCXCIV.

A. Card. Cybo.

B. Inghirami Sacror. Rit. Congreg. Secr.

1. *Johanna.*) Conſulenda Conſtitutio *VII*.

2. *Archivo.*) In quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſum anno *MDCXCIV*.

Anno 1694 Die 30 Auguſti.

XIII.

De B. Johannæ (1) Officio recitando.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EXigit injunctę Nobis divinitus Apoſtolicę ſervitutis ratio, ut Sacrarum Virginum in Cęlis cum Chriſto earum ſponſo regnantium cultum, & venerationem in terris promovere ſtudeamus, ſicut pia Regum Orthodoxorum prę claris in Eccleſiam Dei meritis fulgentium, necnon Religioſorum virorum proprię, alienęque ſaluti laudabiliter incumbentium, ſtudia poſtulant, & Nos locorum, & temporum qualitatibus mature perpenſis ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Eccleſię decus, & prę ſidium, ac ad ſpiritualem fidelium ędificationem, atque conſolationem conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Itaque glorioſa Beatę Johannę cla. me. Alphonſi V, dum vixit, Portugallię, & Algarbiorum Regis Illuſtris natę, ac Monialis non profeſſę Ordinis Sancti Dominici merita, devota conſideratione, magnoque cum ſpirituali noſtro gaudio recolentes, ac piis, enixiſque cariſſimi in Chriſto filii Noſtri Petri Portugallię itidem, & Algarbiorum Regis illuſtris, necnon cariſſimę in Chriſto filię Noſtrę Marię Sophię Reginę, ejus Uxoris, per dilectum filium Benedictum de Fonſeca (3) ejuſdem Petri Regis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Reſidentem, ac etiam dilectorum filiorum Antonini Cloche Magiſtri Generalis, & Paulini Bernardini Fratris expreſſe profeſſi dicti Ordinis, in Sacra Theologia Magiſtri, cauſę Beatificationis, ſeu Canonizationis ejuſdem Beatę Johannę Poſtulatoris nomine Nobis humiliter porrectis ſupplicationibus, favorabilem aſſenſum prębere cupientes, ipſorumque Antonini Magiſtri Generali, & Paulini ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum prę ſentium duntaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cen-

cenſentes, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S R. E. Cardinalium Sacris Ritibus prępoſitorum conſilio, ut in poſterum quolibet anno die XII Maii anniverſaria obitus memoratę Beatę Johannę poſſit de illa in toto Regno Portugallię ab omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, necnon in univerſo Ordine prędicto, recitari Officium, & celebrari Miſſa de Communi Virginum ſub ritu Semiduplici, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quę ipſis pręſentibus haberetur, ſi exhibitę forent, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXX Auguſti MDCXCIV Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

J. F. Card, Albanus.

1. *Johannæ.*) Conſulenda Conſtitutio *VIII.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum, aliaque typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ* anno *MDCXCIV.*
3. *Fonſeca.*) Gens eſt nobilitate clara.

Anno 1694 Die 30 Octobris.

XIV.

Ne laici ultra triduum in Calaritano (1) Cœnobio pernoctare poſſint.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut dilectus filius modernus Vicarius Generalis Fratrum Ordinis Prędicatorum in Regno Sardinię Nobis nuper exponi fecit, experientia compertum ſit, obſervantię Regulari, ac bono regimini tam ſpirituali, quam temporali Conventus Sancti Dominici Calaritan. dicti Ordinis graviſſimum prejudicium afferre commercium Laicorum, qui patratorum criminum, aliiſve ex cauſis quam frequentiſſime in eo ſe recipiunt, Nobis propterea dictus Vicarius Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ipſius Vicarii Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, dilectis filiis modernis, & pro tempore exiſtentibus Superioribus Conventus prędicti, ne de cetero ullum Laicum cujuſcunque qualitatis, conditionis, pręeminentię, vel dignitatis exiſtat, intra Clauſuram ejuſdem Conventus, ſub quocunque pretextu, colore, cauſa, vel occaſione ultra triduum pernoctare permittant, ſub pęna excommunicationis per contravenientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Conventus, & Ordinis pręfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentis prohibitionis exemplum in ingreſſu dicti Conventus, vel alio loco conſpicuo, ubi ab omnibus legi poſſit, affixum aſſidue remaneat. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXX Octobris MDCXCIV, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

J. F. Card. Albanus.

1. *Calaritano.*) In *Sardinia.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

Anno 1694 Die 27 Novembris.
XV.

Mantuana, Beatificationis, ſeu Canonizationis Beatæ Oſannæ (1) de Andreaſiis Tertii Ordinis S. Dominici.

Ex Archivo (2) Ordinis.

PRopoſito ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Card. Colloredo hujuſmodi cauſę Beatificationis ſeu Canonizationis dictę B. Oſannę Dubio: An coſtet de cultu ab immemorabili tempore dictę Beatę Apoſtolicę Sedis auctoritate pręſtito, ſeu de caſu excepto a decretis generalibus felicis recordationis Urbani VIII. Et an ſententia ſuper eo lata per Eminentiſs. D. Card. Urbis Vicarium ſit confirmanda in caſu &c. Eadem Sacra Congregatio audito prius tam in ſcriptis, quam in voce Reverendiſſimo Archiepiſcopo Myren. Fidei promotore, cenſuit conſtare de caſu excepto, & ſententiam prędictam eſſe confirmandam, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro placuerit. Die XX Novembris MDCXCIV. Facta igitur deinde Sanc-

Sanctiſſimo Domino Noſtro de prędictis per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die XXVII ejuſdem Menſis Novembris, & Anni MDCXCIV.

A. Card. Cybo.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

1. *Oſanna.*) Conſulenda ſequens Conſtitutio.

2. *Archivo.*) In quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCXCV.*

Anno 1695 Die 19 Januarii. XVI.

Mantuan., Canonizationis Beatæ Oſannæ (1) de Andreaſiis Tertii Ordinis Sancti Dominici.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

COnfirmata in Sacrorum Rituum Congregatione ſub die XX Novembris proxime prçteriti MDCXCIV ſententia lata ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Urbis Vicario ſuper cultu immemorabili Beatę Oſannę de Andreaſiis prędicti Ordinis prçſtito, de quo fuit dictum conſtare, annuente etiam Sanctiſſimo Domino Noſtro ſub die XXVII ejuſdem Menſis, & Anni: Reverendiſſimus Pater Antoninus Cloche Magiſter Generalis totius prędicti Ordinis Prędicatorum, & Rev. Pater Magiſter Paulinus Bernardinus hujuſmodi cauſę poſtulator humiliter Sacrę eidem Congregationi pro tota eorum utriuſque ſexus religione ſupplicaverunt, ut in poſterum ſingulis annis eidem nedum facultatem recitandi Officium, & celebrandi Miſſam de Beata prędicta, verum etiam Officii, & Miſſę Collegiatę S. Barbarę Civitatis Mantuę, prout aſſerebant alias conceſſorum, extenſionem benigniter concederet. Et Sacra eadem Congregatio ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Colloredi Ponentis, audito prius tam in ſcriptis, quam in voce Reverendiſſimo Archiepiſcopo Myren. Fidei promotore, reſpondit. Pro conceſſione Officii, & Miſſę pro Religione ſub ritu duplici de communi Virginum, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro videbitur. Die XVIII Decembris MDCXCIV. Facta igitur deinde Sanctiſſimo Domino Noſtro de prędictis per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die XIX Menſis Januarii MDCXCV.

A. Card. Cybo.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

1. *Oſanna.*) Cujus vitam ſcripſerunt *Franciſcus Silveſter, Raphael Badius, Seraphinus Thomas Miguel &c.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar impreſſum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ *MDCXCV.*

Anno 1695 Die 22 Januarii. XVII.

De translatione feſti B. Johannæ (1) Portugalliæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

ORDINIS PRÆDICATORUM.

OCcurrente in Aſcenſione Domini hoc anno MDCXCV die anniverſaria felicis tranſitus B. Johannę Alfonſi V Regis Portugallię filię, & Religioſę non profeſſę Ordinis prędicti, Reverendiſſimus P. Fr. Antoninus Cloche ejuſdem Ordinis Magiſter Generalis Sacrorum Rituum Congregationi humiliter ſupplicavit, ut diem feſtum Beatę Johannę prędictę in Dominicam infra Octavam Aſcenſionis transferri poſſe benigniter concederet. Et Sacra eadem Congregatio pro gratia petitę translationis pro hac vice tantum reſcribendum cenſuit die XXII Januarii MDCXCV.

A. Card. Cybo.

B. Inghirami Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Johanna.*) Conſulenda Conſtitutio *VII.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1695 Die 26 Februarii. XVIII.

Feſtum B. Johannæ (1) Ritu duplici celebrandum.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

ORDINIS PRÆDICATORUM.

CUm Sacrorum Rituum Congregatio ſub die XXIX Maii anni proxime prçteriti, nedum toti Ordini Prędicatorum, verum etiam Regno Portugallię Officium, & Miſſam de B. Johanna Alfonſi V Regis filia, & Ordinis prędicti Religioſę non profeſſę a Sanctiſſimo concedi poſſe cenſuit. Cumque Sanctitas Sua ſub die IX Junii ejuſdem anni, ſub ritu ſemiduplici, benigne annuerit, Reverendiſſimus P. Fr. Antoninus Cloche Ordinis pręfati Generalis Magiſter, de nullo ſuę Religionis Sancto Officium fieri ſub ritu ſemiduplici Sacrę Rituum Congregationi nuper expoſuit, cum ritus prędictus in Kalendario ab eadem Sacra Congregatione reformato, prout aſſeruit, non habeatur, & proinde Officium, & Miſſam Beatę prędictę pro ſua Religione tantum ſub ritu duplici concedi humiliter ſupplicavit. Et eadem

Sacra Congregatio, gratiam pro ritu duplici, non toto, concedi poſſe cenſuit. Si Sanctiſſimo Domino Noſtro videbitur. Die XXII Januarii MDCXCV. Facta igitur deinde Sanctiſſimo D.N. per me Secretarium de prędictis relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die XXVI Menſis Februarii ejuſdem anni MDCXCV.

A. Card. Cybo.

B. Inghirami Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Johanna.*) Conſulenda Conſtitutio *VII.* 2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1695
Die 14 Junii.

S. Sabinæ, & S. Marci Florentin. Congregationes conſtitutæ.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XIX.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

AD paſtoralis dignitatis faſtigium, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, per ineffabilem Divinę Sapientię, atque bonitatis abundantiam evecti, in id pręcipue peculiari ſtudio ſummaque animi contentione incumbimus, ut proſpero, felicique Chriſti fidelium in ſortem Domini aſſumptorum, & divinis obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipatorum, ſtatui, regimini, & progreſſui, quantum Nobis ex alto conceditur, providere jugiter ſatagamus; ac proinde novas ejuſmodi Religioſorum virorum Congregationes pro data Nobis cęlitus poteſtate interdum inſtituimus, ſicut perſonarum, locorum, rerum, & temporum qualitatibus maturę conſiderationis trutina perpenſis, ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Religionis incrementum, ſpiritualemque Chriſti fidelium ędificationem, & animarum ſalutem in Domino expedire arbitramur. Regularem itaque diſciplinam in Provinciis Lombardię, & Romanę Ordinis Fratrum Prędicatorum cuſtodire, ac promovere, eamque, quoad perfectę maturitatis frugem, adſpirante ſuperni favoris auxilio, provectam, Eccleſiam Domini uberioribus in dies bonorum operum fructibus lętificet, Apoſtolicis benignitatis favoribus excolere, ac felici infraſcriptorum Conventuum earundem Provinciarum, Fratrumque in eis degentium ſtatui, & gubernio, ac incremento ſalubriter conſulere, cupientes, necnon eorundem Fratrum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis, ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtant, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanę Curię Pręlatorum, ſuper diſciplina Regulari ſpecialiter a Nobis deputatorum, conſilio, ac motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, Conventus S. Sabinę de Urbe, S. Dominici Ravennaten., S. Dominici Ferrarien., S. Dominici Civitatis S. Severini, S. Crucis, & omnium Sanctorum Oppidi Boſchi Dertonen., ac S. Catharinę oppidi, ſeu loci Tridini Caſalen. reſpective Dięceſum primodictę, necnon S. Marci Florentin., S. Dominici Feſulan., & ejuſdem S. Dominici Civitatis S. Miniatis, ac Hoſpitium Liburni Piſan. Dięceſis, ſecundo dictę reſpective Provinciarum, eorumque Fratres, & perſonas quaſcunque cum omnibus, & ſingulis illorum membris, juribus, & pertinentiis univerſis, ab omni, & quacunque juriſdictione, ſuperioritate, correctione, viſitatione, regimine, cura, & gubernio dilectorum filiorum modernorum, & pro tempore exiſtentium Priorum Provincialium earundem Provinciarum tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, tenore pręſentium, perpetuo eximimus, & plenarie liberamus; Ipſoſque Conventus in duas novas, primam nimirum ſub Sanctę Sabinę utriuſque Lombardię, ſecundam vero ſub S. Marci Romanę reſpective Provinciarum ejuſdem Ordinis titulis nuncupandas Congregationes, quę dilecto filio moderno, & pro tempore exiſtenti Magiſtro Generali, ſive ejus loco in eadem Romana Curia pro tempore reſidenti Vicario Generali Ordinis hujuſmodi immediate ſubjacere debeant, itaut in illas nulli alii ipſius Ordinis Superiores, pręterquam earum Vicarii, ceterique earundem Congregationum Pręlati, juxta morem deputari ſoliti, poteſtatem aliquam valeant exercere, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine, ac tenore pręfatis, pariter perpetuo erigimus, & inſtituimus. Ceterum in omnibus Conventibus de prępenti ſpectantibus, & qui deinceps ſpectabunt ad dictas Congregationes ſic a Nobis erectas, & inſtitutas, Fratres omnes ad Regulę, quam profeſſi fuerunt, pręſcriptum exacte vitam inſtituere, & componere, atque illa, quę communem vitam, victum, & veſtitum concernunt, juxta Concilii Tridentini, ac felicis recordationis Clementis PP. VIII prędeceſſoris noſtri decretorum tenorem, fideliter, ac inviolabiliter obſervare debeant, & omnino teneantur. Utrique vero Congregationi de idoneo Vicario Generali ex Fratribus alicujus ex Conventibus ejus Congregationis, cui is pręficiendus erit, qui illam, adjuvante Domino, ſalubriter dirigere, valeat, quique in Conventibus hujuſmodi ſaltem per ſeptennium exactę Regularis obſervantię ſpecimen dederit, & quantum fieri poteſt alicui ex illis laudabiliter pręfuerit, a Magiſtro Generali pręfato de biennio in biennium provideatur. Quod ſi Vicarium ſic inſtitutum ante completum ſui Vicariatus tempus ab humanis decedere contigerit, is, qui Vicarii officio noviſſime functus fuerit, quatenus adſit, ſin minus Prior antiquioris Conventus ejus Congregationis, quę ſuo Vicario, ſicut prœmittitur, deſtituta remanſerit, in omnibus, & per omnia deficientis Vicarii vices gerat, donec alter Vicarius a Magiſtro Generali ſupradicto fuerit inſtitutus; teneaturque hic Provicarius ſtatim de ſequuta officii hujuſmodi vacatione eun-

eundem Magiſtrum Generalem admonere, & ab eo novum Vicarium expoſcere. Porro Vicarius pro tempore exiſtens eandem prorſus Juriſdictionem, & auctoritatem habeat in Conventus, & Fratres ſuę Congregationis, quam juxta Apoſtolicas, & dicti Ordinis Conſtitutiones Priores Provinciales habent in ſuis Provinciis. Poſſit quoque idem Vicarius quoſcunque Fratres Ordinis ſupradicti, undecunque venientes ſuſcipere, & eiſdem de Conventibus pręfatę ſuę Congregationis per deputationem, vel aſſignationem providere, quod tamen criminoſis juxta dicti Clementis prędeceſſoris decreta nullatenus prodeſſe poterit; non autem intelligantur iidem Fratres Congregationi hujuſmodi incorporati, nec in Priores, aut Magiſtros Noviciorum inſtitui valeant, niſi poſt quadriennium, eoque durante, ſi ad ſuos Conventus, vel Provincias redire voluerint, licentia eis abeundi libere concedatur. Pręterea nulli ex Fratribus dictarum Congregationum, ſive intra eas habitum ſuſceperit, ſive aliunde per quadriennium, ut pręfertur, incorporatus fuerit, permittatur tranſire ad Conventus extra ſuam Congregationem, niſi de licentia Vicarii una cum conſilio ſex graviorum Patrum ejuſdem Congregationis, quę tamen licentia non facile detur, ſed omnimoda diligentia, & caritatis officia adhibeantur, ut abire volentes in ſuſcepto vitę inſtituto confirmentur; quod ſi adhuc in diſcedendi voluntate permanſerint, tandem dimittantur, ne aliis impedimento ſint. Decernentes eaſdem pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, etiam ex eo quod quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prętendentes, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, pręeminentię, & dignitatis exiſtant, aliive quilibet, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſę propter quas ipſę pręſentes emanaverint, ſufficienter adductę, verificatę, & juſtificatę fuerint, aut ex alia quacunque quantumvis legitima, juridica, & privilegiata cauſa, colore, prętextu, & capite, etiam in corpore Juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, individuamque expreſſionem requirente, defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, ad viam, ſeu terminos juris, vel Conſtitutionum dicti Ordinis reduci, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratię remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed eaſdem pręſentes literas ſemper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, & adimpleri; Sicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & alios quoslibet, quacunque pręeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum, ac Conventuum hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramentis, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ac Conſtitutionibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordini, & Provinciis, ac Conventibus, illorumque reſpective Magiſtro Generali, & Provincialibus, aliiſque Superioribus, Fratribus, & perſonis quibuslibet, ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, ſeu alias quomodolibet in contrarium pręmiſſorum conceſſis, confirmatis, vel etiam pluries approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones pręſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſis, inſertis, ſervatis, & ſpecificatis reſpective, habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV Junii MDCXCV. Pontificatus noſtri Anno Quarto.

J. F. Cardinalis Albanus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur in *Collectione Bullarum Innocentii XII pag.* 185.

Quæ

Anno 1695
Die 18 Julii.
XX.

Quæ pro vita regulari fovenda ſancita ſunt, firmat.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Innocentius divina providentia Papa XII, pro paterna caritate, qua Religioſos Ordines multis, magniſque in Eccleſiam Dei meritis refulgentes, & peculiaris erga Sedem Apoſtolicam devotionis nomine commendatos, complectitur, volens eorum conſervationi, & propagationi conſulere, ſimulque ex injuncto ſibi cęlitus paſtoralis Officii debito providere, ut Regularis in iis diſciplina ad Religioſorum ſalutem, & totius Chriſtiani populi ędificationem, utilitatemque, ſarta tecta cuſtodiatur, ac vigeat, & ſicubi collapſa eſt, adjuvante Domino, reparetur, conſtituit, & declaravit, ſe licentiam recipiendi Novicios in ſingulis approbatis Ordinibus benigne conceſſurum, ut volentibus e periculoſis ſeculi fluctibus ad Religionis portum confugere facilis, tutuſque, aditus aperiatur, dummodo tamen ea, quę pro Regulari vita recte inſtituenda tam a Sacroſancta Tridentina Synodo, quam a Prędeceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus, prędipue vero felicis recordationis Clemente VIII in decretis Generalibus pro Regularium reformatione, necnon Innocentio X, & Alexandro VII, pro noviciorum receptione, & Profeſſorum educatione ſalubriter conſtituta ſunt, quibus omnibus firmiter inhęret Sanctitas Sua, eaque, quatenus opus ſit, confirmat, & renovat, ſalvis tamen in hac parte ſingulorum Ordinum ſtatutis, ſeu aliis Ordinationibus ab Apoſtolica Sede in forma ſpecifica poſt eadem decreta forſitan approbatis, aut editis, exacte, & inviolate ſerventur. Quocirca Sac. Congregatio ab eodem Sanctiſſimo Domino Noſtro ſuper Diſciplina Regulari ſpecialiter deputata, quę plura hactenus pro recta nonnullorum Monaſteriorum gubernatione Decreta edidit, aliaque in dies editura eſt, ut omnibus pręfata ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri mens pateat ac plenius, & celerius innoteſcat, de mandato Sanctitatis Suę pręſentis Decreti tenore denunciat omnium, & ſingulorum Ordinum Regularium, iis duntaxat exceptis, qui in pręfatis Clementis VIII. Decretis excepti reperiuntur, Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, quocunque nomine nuncupentur, ceteriſque, ad quos ſpectat, ut in unaquaque Provincia per Italiam, & Inſulas adjacentes quamprimum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos cenſuerint, vel unum ſaltem, ibique auctoritate Apoſtolica ſtatuant omnimodam obſervantiam Regulę, Conſtitutionum uniuſcujuſque Ordinis, & Decretorum Apoſtolicorum, pręcipue vero exactę Vitę Communis ad formam eorundem Decretorum ab omnibus Religioſis, qui in Conventibus, ubi recipiendi Novicii, & Profeſſi educandi ſunt, morabuntur, omnino ſervandę. Poſtquam vero Regularem Obſervantiam, & ſignanter quoad exactam vitam communem cum effectu ſtabilitam fuiſſe, tam ex eorundem Superiorum Generalium, ſeu Provincialium relatione, quam Prępoſiti, & Fratrum in pręfatis Conventibus degentium jurejurando firmato teſtimonio, necnon per ſecretas informationes, atque etiam, ubi opus fuerit, per Apoſtolicos Viſitatores ad hoc ſpecialiter deputandos, eidem Sac. Congregationi ſufficienter conſtiterit, tunc Sanctitas Sua antedictam licentiam quam hactenus diſtulit, Novicios ibi recipiendi benigne concedet, & locum ad Profeſſos pietate, & literis inſtituendos uſque ad Sacerdotium, vel alias juxta conſtitutiones, & laudabiles cujuſque Ordinis conſuetudines, in iiſdem Conventibus, non autem in aliis, niſi fuerint ejuſdem obſervantię, deſtinabit. Quę quidem omnia quo facilius, efficacius, & durabilius ad praxim deduci valeant, eadem Sac. Congregatio Sanctitatis Suę auctoritate committit, & in virtute S. Obedientię pręcipit pręfatis Superioribus, ad quos pertinet, ut in ſupradictis Conventibus non collocent niſi Religioſos graves, devotos, exemplares, regularis obſervantię, & puritatis Regulę ſtudioſos, orationi pręſertim, ac mortificationi ſine quibus non poteſt Religioſa vita conſiſtere, addictos, quique conſentiant exacte ſervare vitam communem, atque inde amoveant eos omnes, qui tam Sanctę Ordinationi contradicere, ſeu verbis, aut factis quoquomodo ſeſe opponere audeant. Ut autem tam laudabilis vitę inſtitutum, & Regulari Profeſſioni maxime proprium, Religioſi alacrius arripiant, omniſque excuſatio infirmioribus pręcludatur, eadem Sacra Congregatio ſimiliter pręcipit Superioribus antedictis, ut memoratis Conventibus implorata etiam ubi opus fuerit, Apoſtolica auctoritate, pręfici omnino curent viros non ſolum diſciplinę zelo, ſed etiam caritate, & morum ſuavitate pręditos, compatientes, Fraternitatis amatores, miſericordes, quorum regimini libenter alii ſe ſubmittant. Studeant vero pręcipue, ut ea omnia, quę tam ad victum, & veſtitum, quam ad reliquas vitę neceſſitates pertinent, ſingulis Religioſis prompte ſubminiſtrentur, ac pręſertim ęgritudinis tempore nihil alicui deſit, quod ad ſanitatem recuperandam pertineat: Ac propterea Religioſos in iiſdem Conventibus morari non patiantur ultra eum numerum, qui ex illorum redditibus, & conſuetis communibus, vel etiam ſingulorum eleemoſynis, aliiſve quibuſcunque obventionibus, pariter in commune conferendis, valeat commode ſuſtentari. Eos vero, qui ſemel pręfatę obſervantię, & exactę vitę communi libenter, ut vere Religioſos viros decet, ſeſe ſubjecerint, & in ea laudabiliter perſeverent, nullatenus a memoratis Conventibus nolentes transferant, niſi forte ad alia Monaſteria, ubi ſimilis obſervantia vigeat, iiſque pariter de omnibus ad vitam neceſſariis poſſit commode provideri. Quod ſi reddituum, & eleemoſynarum tenuitas hujuſmodi exactę vitę communis obſervantię alicubi videatur obſiſtere, liceat eiſdem Superioribus, vel per annuam contributionem aliorum Conventuum huic neceſſitati proſpicere, vel ab Apoſtolica Sede per ſuppreſſionem alicujus Conventus minus utilis perpetuam, vel ad tempus, vel alia demum ratione, quę opportunior viſa fuerit, remedium poſtulare. Sciant vero Superiores prędicti, eos, qui pręfata omnia ſedulo, ut par eſt, adimplere curaverint, ſpecialem a Sanctitate Sua, & Sede Apoſtolica inituros gratiam, & protectionem, atque, in iis pręcipue, quę ad antedictam obſervantiam ſtabiliendam pertinent, favorem omnem, & auxilium experturos; qui vero e contra negligentes, aut, quod abſit, contu-

contumaces reperti fuerint, gravibus pęnis pro modo culpę, & etiam privationis Officiorum, ac perpetuę inhabilitatis ad ea, aut alia in poſterum obtinenda puniendos fore: Pręfatę autem obſervantię nihilominus ſtabiliendę per alios Superiores, vel per Commiſſarios Apoſtolicos, ubi opus fuerit, etiam extra Religionem aſſumendos, a Sancta Sede efficaciter providendum; omnemque interim, ubi eadem obſervantia non vigebit, recipiendi Novicios licentiam denegandam. Porro ne Regularis diſciplina, dum in Conventibus jam erectis ſtatuitur, relaxetur in erigendis, & quod una ex parte conſtruitur, ſimul ex altera deſtruatur, Sacra Congregatio Sanctitate Sua ſimiliter approbante, ſtatuit, atque decernit, nulla in poſterum Monaſteria, Collegia, Domos, Conventus, aut alia Religioſorum virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo inſtitui debere, niſi ſub expreſſa obligatione exactę vitę communis ab omnibus Religioſis ibi commorantibus perpetuo, & inviolate ſervandę; ac propterea nullas deinceps admittendas hujuſmodi fundationes, niſi, pręter alia ad id requiſita, prius legitime conſtiterit, adeſſe annuos redditus, vel certam eleemoſynarum ſpem, quibus duodecim ſaltem Religioſi in exacta vita communi commode valeant ſuſtentari. Non obſtantibus circa pręmiſſa omnia, & ſingula Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quorumcunque Ordinum Statutis, conſuetudinibus, privilegiis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ad extremum eadem Sacra Congregatio Regulares omnes, cujuſcunque Ordinis, & Inſtituti ſint, Sanctitatis Suę verbis, ſerio admonet, & in Domino obteſtatur, ut omni mora poſtpoſita, ſicuti filios Obedientię decet, ad Regulę, quam amplexi ſunt, pręſcriptum vitam inſtituant, & componant, Decretiſque Apoſtolicis pro ęterna illorum ſalute editis, ſincere, ac fideliter pareant, nec ab eorum obſervantia inanibus interpretationibus, & fallaciis, aut relaxationum prętextibus, ad excuſandas excuſationes in peccatis, abduci ſe ſinant; ſed Profeſſionis ſuę memores, qua ſe totos Dei obſequio mancipârunt, ſuſceptum Chriſtianę perfectionis iter, arduum quidem, ſed Divinę caritatis dulcedine aſperſum, abjectis terrenarum rerum curis alacriter proſequantur: Nimis enim turpe eſſet, eos ad ſecularia deſideria, quibus ſemel aſpirante Domino renunciarunt, animum revocare, & obligatam Deo, qui non irridetur, primam fidem irritam facere. Meminerint, ſe ad peculiarem Salvatoris Noſtri ſequelam vocatos, qui, cum dives eſſet, propter nos egenus factus eſt, veterumque illorum Fidelium glorioſos imitatores, ac veluti hęredes eſſe, quorum erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum, quę poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia, dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat, ideoque in Regularis vitę, ac pręcipue Sanctę Paupertatis, quę eſt parens quędam generatioque virtutum, propoſito perſeverent, omnem ſolicitudinem ſuam projicientes in eum, cujus oculi in pauperes reſpiciunt, qui non derelinquit ſperantes in ſe, ſed dives in miſericordia centuplum, & vitam ęternam propter nomen ſuum relinquentibus omnia repromiſit. Datum Romę die XVIII Julii MDCXCV.

G. Card. Carpineus.

Loco † Sigilli.

Carolus Auguſtinus Fabronus Sac. Congr. Secr.

Anno a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Sexcenteſimo Nonageſimo quinto, Indictione tertia, die vero vigeſima prima Julii, Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D.N D. Innocentii Divina Providentia Papę XII Anno ejus Quinto, ſupradicta Decreta affixa, & publicata fuerunt ad Valvas Eccleſię S. Johannis Lateranenſis, Baſilicę Principis Apoſtolorum de Urbe, Cancellarię Apoſtolicę, & Curię Generalis in Monte Citorio, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Gregorium Staggium ejuſdem SS. Domini Noſtri Papę Curſ.

Joannes Gręcus Mag. Curſ.

1. *Archivo*.) In quo exemplar *Romæ*, ex Typographia R. Cameræ Apoſtolicæ *MDCXCV*.

Confirmatio literarum Innocentii XI ſuper reductione Magiſtrorum, aliorumque Graduatorum (1) Ordinis Fratrum Prædicatorum ad numerum pro unaquaque Provincia ſtabilitum, ac ſuper aliis eundem Ordinem reſpicientibus proviſionibus editarum, cum annullatione forſan geſtorum adverſus illarum formam.

Anno 1695 Die 22 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

INNOCENTIUS PP. XII. XXI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EX injuncto Nobis cęlitus Apoſtolicę ſervitutis munere ea, quę a Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris promovendę inter Chriſti fideles divinis obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipatos regularis diſciplinę ſtudio ſapienter diſpoſita eſſe noſcuntur, ut ſolidiori robore perennent, Apoſtolici muniminis noſtri pręſidio libenter conſtabilimus, ac alias deſuper ſolicitudinis, & providentię noſtrę partes interponimus, ſicut conſpicimus ſalubriter in Domino expedire. Alias ſiquidem ſuper reductione Magiſtrorum, aliorumque Graduatorum Ordinis Fratrum Prędicatorum ad numerum pro unaquaque Pro-

Provincia dicti Ordinis reſpective ſtabilitum, necnon ſuper diverſis aliis executionem eorum, quę per Conſtitutiones, ac Capitula Generalia Ordinis hujuſmodi pręſcripta reperiuntur, potiſſimum reſpicientibus ordinationibus, emanarunt a fel. recordationis Innocentio PP. XI Prędeceſſore noſtro literę in ſimili forma Brevis tenoris, qui ſequitur, videlicet: Innocentius Papa XI. Ad Futuram Rei Memoriam. In ſupremo militantis Eccleſię ſolio &c. (3) Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX Novembris MDCLXXVII, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Cum autem firmiora ſint ea, quibus iterata accedit Sedis Apoſtolicę auctoritas: Hinc eſt, quod Nos pręmiſſorum efficacię, debitęque executioni, quantum Nobis ex alto conceditur, conſulere, ac, ſi quę illis quomodolibet adverſantia forſan irrepſerint, opportunę proviſionis noſtrę miniſterio recidere, atque amovere cupientes, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanę Curię Pręlatorum ſuper diſciplina regulari ſpecialiter a Nobis deputatorum conſilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, pręinſertas Innocentii Prędeceſſoris literas, omniaque, & ſingula in eis contenta, & expreſſa tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, ac innovamus, illiſque inviolabilis, & irrefragabilis Apoſtolicę firmitatis vim, robur, & pręſidium adjungimus. Pręterea Motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine ſimilibus omnia, & ſingula, quę ſive per collationem magiſterii, aliorumque graduum, ſeu officiorum ſupra numerum in Capitulis Generalibus dicti Ordinis pro unaquaque Provincia ipſius Ordinis, reſpective pręfinitum, ſive per numeri hujuſmodi ampliationem, ſive per promotionem ad eoſdem gradus, ſeu officia pro locis vacaturis, ſive abſque petitione ipſius Provincię per Conſtitutiones Ordinis pręfati, ac Capitulorum Generalium hujuſmodi ordinationes requiſita, ſive per aliquam a choro, aliamve cujuſvis generis exemptionem, aut pręrogativam loci Baccalaureorum, & vocis in Capitulis Provincialibus conceſſam iis Fratribus, qui realiter, & cum effectu, non autem per ęquipollens, laudabiliter non exercuerint, atque compleverint illa officia, & non ſupportaverint omnia illa onera, quę juxta pręſcriptum Conſtitutionum, & Capitulorum Generalium prędictorum ad obtinendos gradus, officia, & exemptiones hujuſmodi neceſſario pręcedere debent, ſive demum per alia indulta, & gratias id ipſum importantia contra prędictarum Innocentii Prędeceſſoris literarum formam, & diſpoſitionem hactenus quomodolibet forſan acta, geſta, ſeu attentata fuerunt, penitus, & omnino nulla, inania, invalida, irrita, nulliuſque roboris, & momenti eſſe, & fore earundem tenore pręſentium declaramus. Et nihilominus ad majorem cautelam, &, quatenus opus ſit, illa omnia, & ſingula Motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus, harum ſerie revocamus, caſſamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac pro revocatis, caſſatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuis haberi debere decernimus, & pariter declaramus, ſine ullo tamen pręjudicio illorum Fratrum, qui dictarum Innocentii Prędeceſſoris literarum mentione facta, earumque derogatione legitime obtenta, Sedis pręfatę auctoritate promoti, ſeu exempti quomodolibet reperiuntur. Decernentes pariter eaſdem pręſentes, & pręinſertas literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, nec de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etiam quantumvis formali, ac individuam expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, redargui, in controverſiam vocari, ſeu ad terminos juris reduci, aut adverſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratię remedium impetrari, vel intentari, ſeu impetrato, aut etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo unquam poſſe, ſicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Cardinales, & Legatos, necnon Nuncios, & alios pręfatos nunc, & pro tempore exiſtentes, ſublata pariter eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes propterea dilectis filiis Prioribus Provincialibus Provinciarum, necnon Vicariis Congregationum quarumvis dicti Ordinis ubicunque exiſtentibus in virtute ſanctę obedientię, ac ſub privationis officiorum per eos obtentorum, perpetuęque ad illa, & alia quęlibet in poſterum obtinenda inhabilitatis pęnis, ut ipſas pręſentes literas in ſuis quiſque Provinciis, & Congregationibus reſpective quamprimum executioni demandari, ac inviolabiliter obſervari, illaſque in proxime celebrando Capitulo dictarum Provinciarum, & Congregationum, toto earundem pręſentium tenore in actis Capituli hujuſmodi ad perpetuam rei memoriam relato, ſolemniter publicari curent, & faciant. Non obſtantibus pręmiſſis, ac, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę regula de jure quęſito non tollendo, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quę in pręinſertis Innocentii Prędeceſſoris literis conceſſa ſunt non obſtare, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII Septembris MDCXCV, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

J. F. Cardinalis Albanus.

1. *Graduatorum.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCXCV.*

3. *Solio &c.*) Ut in *Conſtitutione III Innocentii XI* ad finem uſque. Legitur *pag.* 336.

De

De Mutinenſi Confraternitate (1) Cinguli S. Thomæ, ſeu Militiæ Angelicæ.

Anno 1695 Die 24 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XII.

XXII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, in Eccleſia Sancti Dominici Fratrum Ordinis Prędicatorum Civitatis Mutinen., una pia devota utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas ſub titulo Cinguli S. Thomę Aquinatis Militię Angelicę nuncupata, non tamen pro hominibus unius ſpecialis artis, canonice erecta, ſeu erigenda exiſtat, cujus Confratres, & Conſorores quamplurima pietatis, & caritatis opera exercere conſueverunt. Nos, ut Confraternitas hujuſmodi majora in dies ſuſcipiat incrementa, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui dictam Confraternitatem in poſterum ingredientur, die primo eorum ingreſſus, ſi vere pęnitentes, & confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſuſceperint, Plenariam, ac eiſdem tam deſcriptis, quam pro tempore deſcribendis in dicta Confraternitate Confratribus, & Conſororibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi vere pęnitentes, & confeſſi, ac Sacra communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti, Nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin minus corde devote invocaverint, etiam Plenariam. Ac eiſdem nunc, & pro tempore exiſtentibus dictę Confraternitatis Confratribus, & Conſororibus, vere pariter pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui prędictę Confraternitatis Eccleſiam, ſeu Capellam, vel Oratorium die feſto principali dictę Confraternitatis per Confratres prędictę Confraternitatis ſemel tantum eligendo, & ab Ordinario approbando, a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, inſuper eiſdem Confratribus, & Conſororibus vere quoque pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, Eccleſiam, ſeu Capellam, vel Oratorium hujuſmodi in aliis quatuor anni feriatis, vel non feriatis, ſeu Dominicis diebus per dictos Confratres ſemel tantum eligendis, & ab Ordinario approbandis, ut ſupra, viſitantibus, & ibidem orantibus, quo die prędictorum id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas. Quoties vero Miſſis, & aliis divinis officiis, in Eccleſia, ſeu Capella, vel Oratorio hujuſmodi pro tempore celebrandis, & recitandis, ſeu Congregationibus publicis, vel privatis ejuſdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hoſpitio ſuſceperint, vel pacem inter inimicos compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procuraverint, vel etiam qui corpora defunctorum tam Confratrum, & Conſororum hujuſmodi, quam aliorum ad ſepulturam aſſociaverint, aut quaſcunque proceſſiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctiſſimumque Euchariſtię Sacramentum, tam in proceſſionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicunque, & quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel, ſi impediti, campanę ad id ſigno dato ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem, & Salutationem eaſdem pro animabus defunctorum Confratrum, & Conſororum hujuſmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes pręcepta Dei, & ea, quę ad ſalutem ſunt docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet prędictorum operum exercitio, ſexaginta dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus. Prędentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV Decembris MDCXCV, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Confraternitate.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Mutinenſi*.

Indulgentia (1) pro XV feriis tertiis.

Anno 1696 Die 8 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XII.

XXIII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, in diverſis Orbis Chriſtiani partibus pia erga S. Dominicum Ordinis Fratrum Prędicatorum Fundatorem, & Roſarii Beatę Marię Virginis auctorem devotio inducta fuerit &c. (3) Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VIII Junii MDCXCVI.

J. F. Card. Albanus.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar typis impreſſum.

3. *Fuerit &c.*) Ut in *Conſtitutione X Alexandri VII.* Legitur *pag.* 185.

Anno 1696
Die 23 Julii.

XXIV.

Congregationis S. Marci ſtudentes (1) in ejuſdem nominis Florentino Cœnobio examinari, & Lectores renunciari poſſunt.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Vicarius Generalis, & Fratres Congregationis Sancti Marci Provincię Romanę Ordinis Prędicatorum, quod cum alias Nos per quaſdam noſtras in ſimili forma Brevis literas die XX Octobris MDCXCIII expeditas tunc, & pro tempore exiſtentibus Fratribus ſtudentibus, ſeu Alumnis ejuſdem Sancti Marci Florentin., Sancti Dominici Feſulan., ac Sancti Jacobi Civitatis Sancti Miniatis reſpective Conventuum dicti Ordinis indulſerimus, ut ſtudia ſua in prętato Conventu Sancti Marci peragere poſſent cum iiſdem omnino privilegiis, ac ſi illa in Sanctę Marię ſuper Minervam de Urbe, ſive in Peruſino reſpective Conventibus Provincię prętatę peragerent, dummodo tamen ſtudiorum ſuorum hujuſmodi curriculo exacto pro gradu Lectoris ſuſcipiendo, examini in eodem Conventu Sanctę Marię ſuper Minervam habendo ſe ſubjicerent, quemadmodum hucuſque obſervatum fuit, ſubinde vero, nempe anno MDCXCV, Conventus ſupradictos, quo magis regularis obſervantia in illis ſtabiliretur, ab omni, & quacunque juriſdictione, & ſuperioritate tunc & pro tempore exiſtentis Prioris Provincialis memoratę Provincię perpetuo exemerimus, & plenarie liberaverimus, eoſque in prętatam Sancti Marci Provincię Romanę nuncupandam Congregationem per Vicarium Generalem a ſimiliter pro tempore exiſtente Magiſtro Generali dicti Ordinis inſtituendum, regendam, & gubernandam, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis pariter perpetuo erexerimus, & inſtituerimus, ipſi exponentes, quo ejuſmodi opus abſolutum, perfectumque reddatur, omniaque cum majori eorum commodo, pace, & quiete, ac mentis in Deum recollectione peragantur, plurimum cupiunt, ſe illa ſtudentes, ſeu alumnos ſuos prętatos ad dictum Conventum Sanctę Marię ſuper Minervam, cui nullatenus amplius ſubjacere dignoſcuntur, pro eorum ad Lectoris gradum hujuſmodi examine tranſmittendi lege ſolvi, itaut illi de cetero in eodem Conventu Sancti Marci pro gradu prędicto ad pręſcriptum Conſtitutionum dicti Ordinis examinari valeant, quemadmodum in pluribus, & diverſis, nempe in Sanctę Marię de Sanitate Neapolitan., Sancti Marci de Gavotis, Sanctiſſimi Roſarii Venetiarum reſpective nuncupatis, aliiſque Fratrum ejuſdem Ordinis Congregationibus fieri conſuevit. Nos igitur, ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum prętentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanę Curię Pręlatorum ſuper diſciplina regulari ſpecialiter a Nobis deputatorum conſilio, ut Fratres dictę Congregationis Sancti Marci in poſterum examinari, & Lectores creari, ſeu habiles ad legendum declarari valeant in eodem Conventu Sancti Marci, tanquam in ſtudio formali, dummodo quinque ſaltem examinatores, videlicet Vicarius Generalis ejuſdem Congregationis, ſeu Prior Conventus ſupradicti pro tempore exiſtentes, necnon duo ſcholaſticę, alter Moralis Theologię, & alius Philoſophię in Conventu prętato Lectores adhibeantur, ceteraque omnia ſerventur, quę ad id per Conſtitutiones Ordinis hujuſmodi, ac ordinationes Capitulorum Generalium ipſius Ordinis prętcribuntur, auctoritate Apoſtolica, tenore prętentium indulgemus. Decernentes ipſas prętentes literas (3) ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in prӕmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, Congregationis, & Conventuum prędictorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores prętentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Julii MDCXCVI, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

J. F. Cardinalis Albanus.

1. *Studentes.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

3. *Literas.*) Conſtitutionem ſcilicet *XIX.*

Cæſe-

Anno 1696 Die 15 Septembris.

Cæſenatenſis Conventus juris ſit Congregationis (1) S. Sabinæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXV.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm nos alias nonnullos tunc expreſſos Conventus Provincię Lombardię Ordinis Fratrum Prędicatorum ab omni, & quacunque juriſdictione, ac ſuperioritate tunc, & pro tempore exiſtentis Prioris Provincialis ejuſdem Provincię perpetuo exemerimus,& plenarie liberaverimus, illoſque in novam Congregationem ſub titulo S. Sabinę Provincię utriuſque Lombardię nuncupandam per Vicarium Generalem a ſimiliter pro tempore exiſtente Magiſtro Generali dicti Ordinis inſtituendum, regendam, & gubernandam, itidem perpetuo erexerimus, & inſtituerimus, & alias prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis, die XIV Junii MDCXCV expeditis literis, quarum tenorem pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius continetur, &, ſicut accepimus, plurimum expediat eidem Congregationi, quo ejus alumni mandatorum Dei ſtadium lętioribus in dies progreſſibus decurrere, populumque Chriſtianum bono vitę ſuę exemplo latius ędificare, & ſpiritualium aromatum odore perfundere valeant, aliquem alium memoratę Provincię Conventum aggregari. Hinc eſt quod Nos, qui regularem diſciplinam, quantum Nobis ex alto conceditur, confovere, ac promovere omni ſtudio connitimur, felicibus prędictę Congregationis incrementis optime conſultum eſſe cupientes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, Conventum S. Petri Martyris Cęſenaten. Provincię, & ordinis prędictorum, ejuſque Fratres, & perſonas quaſcunque cum omnibus, & ſingulis illius membris, juribus, & pertinentiis univerſis, ab omni, & quacunque juriſdictione, ſuperioritate, correctione, viſitatione regimine, cura, & gubernio dilecti filii moderni, & pro tempore exiſtentis Prioris Provincialis ejuſdem Provincię, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, tenore pręſentium perpetuo eximimus, & plenarie liberamus, ipſumque Conventum ſic exemptum, & liberatum memoratę Congregationi S. Sabinę itidem perpetuo unimus, conjungimus, annectimus, & incorporamus. Decernentes eaſdem pręſentes literas, etiam ex eo quod quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet pretendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſę propter quas ipſę pręſentes emanarint, ſufficienter adductę, verificatę, & juſtificatę fuerint, aut ex alia quacunque quantumvis legitima, juridica, & privilegiata cauſa, colore, prętextu, & capite etiam in corpore Juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, & ad viam, ſeu terminos juris, vel Conſtitutionum dicti Ordinis reduci, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratię remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvari ullo modo poſſe, ſed eaſdem pręſentes literas ſemper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque,& non aliter in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios,& delegatos,etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacunque pręeminentia,& poteſtate fungentes,& functuros, ſublata eis,& eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis, necnon, Ordinis,Congregationis, Provincię, ac Conventus Cęſenaten. hujuſmodi, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, literis Apoſtolicis, in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XV Septembris MDCXCVI, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

J. F. Cardinalis Albanus.

1. *Congregationis.*) Conſulenda Conſtitutio *XIX.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1697 Die 13 Martii.

De Bibliotheca maxima a F. Johanne Thoma (1) Archiepiſcopo Valentino, quem laudibus effert, vulganda.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXVI.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Johannes Thomas Archiepiſcopus Valentinus, quod cum ipſe opus, cui titulus: Bibliotheca Maxima Pontificia, in qua Auctores melioris notę, qui hactenus pro hac Sacta Sede, ſive Theologice, ſive Canonice ſcripſerunt, fere omnes referendi erunt, compilari curet, jamque priores tres Tomos dicti operis in lucem ediderit, opus tamen hujuſmodi proſequi non poteſt, eo quia libros plurimos, qui in eo inſeri, ac imprimi deberent, quique penes Bibliopolas, ſeu librorum venditores minime inveniuntur, ex Bibliothecis ſive publicis ſive, privatis in quibus aſſervantur, quovis modo extrahi ſub cenſuris, & pęnis Eccleſiaſticis Apoſtolica auctoritate interdictum reperitur. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi in prȩmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eximium ejuſdem Johannis Thomę Archiepiſcopi pro dictę Sedis dignitate, ac juribus tuendis, zelum ſummopere in Domino commendantes, eumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum prȩſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Johanni Thomę Archiepiſcopo ut ipſe per ſe, vel alium, ſeu alios, quos ad id deputandos duxerit, omnes, & quoſcunque libros pro proſecutione operis prȩdicti neceſſarios e quibuſvis Bibliothecis, ſive publicis, ſive privatis ubicunque exiſtentibus, de conſenſu tamen illarum Adminiſtratorum, ſeu Cuſtodum, ad effectum illos imprimi faciendi, ac ſic impreſſos in eodem opere inſerendi, extrahere; ipſis autem Adminiſtratoribus, ſeu Cuſtodibus, ut conſenſum hujuſmodi prȩſtare libere, & licite, ac abſque ullius cenſurę, vel pęnę Eccleſiaſticę incurſu poſſint, & valeant reſpective, ita tamen ut libri ipſi ſtatim finito uſu hujuſmodi ad Bibliothecas, unde extracti fuerunt, reportari, in eiſque reponi debeant, quamcunque neceſſariam, & opportunam facultatem, & licentiam auctoritate Apoſtolica, tenore prȩſentium concedimus, & impertimur. Non obſtantibus prȩmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prȩmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores prȩſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prȩmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem prȩſentium tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę prȩſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII Martii MDCXCVII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

J. F. Cardinalis Albanus.

1. *Johanne Thoma.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii XI.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar authenticum typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCXCVII.*

Anno 1697 Die 20 Aprilis.

Cæſenatenſis Conventus pro Studio (1) Congregationis S. Sabinæ deputatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXVII.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EX injuncto Nobis divinitus Apoſtolicę ſervitutis officio ſacrarum, bonarumque Literarum ſtudia, prȩſertim inter Chriſti fideles Altiſſimi obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipatos, opportunis rationibus fovemus, ac promovemus, ſicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis decus, & incrementum, ac Catholicę Fidei prȩſidium ſalubriter expedire in Domino arbitramur. Cum itaque, ſicut dilectus filius modernus Vicarius Generalis Congregationis S. Sabinę Provincię utriuſque Lombardię Ordinis Fratrum Prȩdicatorum Nobis nuper exponi fecit, ut Sacrarum, eiſque ancillantium bonarum literarum Studia in Congregatione prȩfata magis in dies vigeant, Conventum S. Petri Martyris Cęſenaten. dictę Congregationis pro ſtudio ipſius Congregationis, itaut in illo Fratres Studentes, ſive Alumni, ejuſdem Congregationis pro gradu lectoris ſuſcipiendo examinari, alięque Scholaſticę functiones peragi

valeant

valeat a Nobis deputari ſummopere deſideret, quemadmodum alias pro ſtudio Congregationis S. Marci Provinciç Romanç dicti Ordinis Conventus ejuſdem S. Marci Florentin. Congregationis hujuſmodi deputatus fuit, Nos ejuſdem Vicarii Generalis Votis hac in re quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S R.E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanç Curię Prçlatorum ſuper Diſciplina Regulari ſpecialiter a Nobis deputatorum, conſilio, Conventum S. Petri Martyris Cęſenaten. ſupradictum pro Studio dictę Congregationis S. Sabinę, itaut inibi Fratres Congregationis hujuſmodi in poſterum examinari, & Lectores creari, ſeu habiles ad legendum declarari valeant, tanquam in ſtudio formali, dummodo quinque ſaltem examinatores, videlicet Vicarius Generalis ejuſdem Congregationis S. Sabinę, ſeu Prior dicti Conventus S. Petri Martyris pro tempore exiſtentes, necnon duo Scholaſticę, alter moralis Theologię, & alius Philoſophię in Conventu hujuſmodi Lectores adhibeantur, ceteraque omnia ſerventur, quę ad id per Conſtitutiones dicti Ordinis, ac Ordinationes Capitulorum generalium ipſius Ordinis pręſcribuntur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium deputamus. Decernentes ipſas pręſentes literas, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; Sicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, Congregationis S. Sabinę, & Conventus S. Petri Martyris pędictorum aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX Aprilis MDCXCVII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

J. F. Card. Albanus.

1. *Studio.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Montis-Politiani Conventus juris ſit Congregationis (1) S. Marci.

Anno 1697 Die 11 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

INNOCENTIUS PP. XII.

XXVIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm Nos alios nonnullos tunc expreſſos Conventus Provinciç Romanç Ordinis Fratrum Prędicatorum ab omni, & quacunque juriſdictione, ac ſuperioritate, tunc pro tempore exiſtentis Prioris Provincialis ejuſdem Provinciç perpetuo exemerimus, & plenarie liberaverimus, illiſque in novam ſub titulo S. Marci Provinciç Romanç nuncupandam Congregationem, per Vicarium Generalem a ſimiliter pro tempore exiſtente Magiſtro Generali dicti Ordinis inſtituendum, regendam, & gubernandam itidem perpetuo erexerimus, & inſtituerimus, & alias prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die XIV Junii MDCXCV expeditis literis, quarum tenorem pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius continetur: Et, ſicut accepimus, plurimum expediat eidem Congregationi, quo ejus alumni mandatorum Dei ſtadium lętioribus in dies progreſſibus decurrere, populumque Chriſtianum bono vitę ſuę exemplo latius ędificare, & ſpiritualium aromatum odore perfundere valeant, aliquem alium memoratę Provinciç Conventum aggregari. Hinc eſt, quod nos, qui Regularem diſciplinam, quantum Nobis ex alto conceditur, confovere, ac promovere, omni ſtudio connitimur, felicibus prędictę Congregationis incrementis optime conſultum eſſe cupientes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine Conventum Beatę Agnetis Montis-Politiani Provinciç, & Ordinis prędictorum, ejuſque Fratres, & perſonas quaſcunque, cum omnibus, & ſingulis illius membris, juribus, & pertinentiis univerſis, ab omni quacunque juriſdictione, ſuperioritate, correctione, viſitatione, regimine, cura, & gubernio, dilecti filii moderni, & pro tempore exiſtentis Prioris Provincialis, ejuſdem Provinciç, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus tenore pręſentium perpetuo eximimus, & plenarie liberamus, ipſumque Conventum, ſic exemptum, & liberatum, memoratę Congregationis S. Marci, eidem perpetuo unimus, conjungimus, annectimus, & incorporamus. Decernentes eaſdem pręſentes literas, etiam ex eo quod quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet pętendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſę propter quas ipſę pręſentes emanarint ſufficienter adductę, verificatę, & juſtificatę fuerint, aut ex alia quacunque quamtumvis legitima, juridica, & privilegiata cauſa, colore, pętextu, & capite

etiam

etiam in corpore juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis, magno, & ſubſtantiali, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, ad viam ſeu terminos juris, vel Conſtitutionum dicti Ordinis reduci, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratię remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullomodo poſſe, ſed eaſdem pręſentes literas ſemper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque & non aliter in pręmiſſis, per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet quacunque pręeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi; & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus, Apoſtolicis, necnon Ordinis, Congregationis, Provincię, & Conventus Montis-Politianen. hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI Maii MDCXCVII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

J. F. Cardinalis Albanus.

1. *Congregationis.*) Conſulenda Conſtitutio *XIX*. 2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1697 Die 15 Julii.

XXIX.

Quæ pro Matritenſi Cœnobio Sanctiſſimi Roſarii ſancita ſunt firmat,

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres, ſeu filii Conventus Sanctiſſimi Roſarii Oppidi Matriti, Toletanę Diœceſis, Provincię Hiſpanię Ordinis Fratrum Pr(a)dicatorum, quod alias dictus Conventus, a dilecto filio moderno Marchione de Monaſterio, pro Religioſorum dicti Ordinis, qui ſub arctiori vitę regularis diſciplina Altiſſimi obſequiis incumbere deſiderarent, ſeceſſu, fundatus fuit, ideoque in limine illius fundationis facta fuerunt nonnulla ſtatuta, per quę ordinatum fuit, ut in Conventu hujuſmodi, pręterquam pro tempore exiſtentem illius Priorem, & filios, eos nempe qui habitum in eo regularem ſuſcepiſſent, duo Fratres ex ſingulis aliis Conventibus Provincię, necnon Priore pro familia ejuſdem Conventus, quo ſpiritualia in eo ſtabilitę diſciplinę regularis bona multis communicarentur, aſſignare valerent. Ceterum expreſſe prohibitum fuit, ne alia quęvis perſona cujuſcunque conditionis, gradus, & dignitatis, ſive regularis, etiam prędicti Ordinis, ſive alterius Ordinis exiſteret, in eo nullo unquam tempore commorari, hoſpitari, aut pernoctare poſſet, ne ſcilicet religioſa Fratrum dicti Conventus pro ſeceſſu, ut pręfertur, fundati, quies perturbaretur, pręſertim cum nullum inde aliis prędicti Ordinis Religioſis pręjudicium inferatur, attento quod in ſupradicto Oppido pręter alios duos Conventus dicti Ordinis, unum hoſpitium ejuſdem Ordinis pro ſolis hoſpitibus deſtinatum, ubi commode commorari poſſunt, reperiatur. Poſtmodum vero cum ipſi exponentes ſtatuta hujuſmodi a dilecto pariter filio Antonino Cloche Magiſtro Generali dicti Ordinis confirmari petiiſſent, ipſe Antoninus Magiſter Generalis eadem ſtatuta approbavit, & confirmavit, illaque ab omnibus, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari pręcepit, & mandavit, Prioremque, ſeu Pręſidentem dicti Conventus pro tempore exiſtentem, ſeu quemcunque alium Superiorem, qui pręmiſſis contraveniſſet, ſeu contraveniri permiſiſſet, voce activa, & paſſiva, ac Prioris munere, ſeu reſpective omnis ſuperioritatis officio, eo ipſo abſque alia declaratione abſolutum eſſe declaravit, ac pręterea modum, & formam eligendi in poſterum Priorem ejuſdem Conventus pręſcripſit, & alias prout plenius continetur in ipſius Antonini Magiſtri Generalis literis patentibus deſuper emanatis, tenoris, qui ſequitur, videlicet. In Dei filio ſibi dilectis R. P. Priori, ſeu Provinciali Conventus noſtri Sanctiſſimi Roſarii curię Matritenſis, Provincię noſtrę Hiſpanię Ordinis Pr(a)dicatorum, Frater Antoninus Cloche, Sacrę Theologię profeſſor, ac ejuſdem Ordinis humilis Magiſter Generalis, & ſervus, ſalutem, & regularis diſciplinę incrementum. Exigit officii noſtri ratio, ut quę pro Conventuum Ordinis noſtri, ac regularis diſciplinę in illis conſervatione conſtituta reperiuntur, confirmationis noſtrę munimine, in quantum poſſumus, roboremus, ac ſi quid amplius expedire dignoſcitur, de novo conſtituere non omittamus. Cum itaque fide digna expoſitione, & authentico teſtimonio noverimus in Conventu noſtro Sanctiſſimi Roſarii Beatiſſimę Virginis Matritenſi, & in illius fundationis limine inter cetera cautum eſſe ſalubriter, ne intra dictum Conventum, excepto duntaxat Domino Marchione de Monaſterio, ejuſdem Conventus Patrono, bene-

me-

merito, nullo unquam tempore quęcunque, & qualiſcunque perſona, ſive ſecularis, ſive eccleſiaſtica, & noſtri Ordinis Prędicatorum, ultra Religioſos pro ſervitio, & familia Conventus legitime aſſignatos, ſeu in poſterum aſſignandos ad convivendum admitti poſſit, immo nec titulo hoſpitii, nec per modum depoſiti ad commorandum, aut ad ſemel dormiendum recipi, aut admitti, ac pari ratione ex filiis aliorum Conventuum ullo unquam tempore ad convivendum pro familia, & ſervitio ejuſdem deputari, & admitti poſſint, pluſquam duo ex uno, & eodem Conventu, excepto Priore, ejus officio durante duntaxat, exceptiſque pariter filiis ejuſdem Conventus Sanctiſſimi Roſarii. Hinc eſt quod perſpicientes pręmiſſa non ſolum eſſe obſervanda, tanquam ſtatuta in limine fundationis, quę ſemper & omni tempore ſancte ſunt cuſtodienda, verum etiam, & obſervantię regulari ſalubriter expedire, propterea eadem pręmiſſa approbantes, & in quantum opus ſit confirmantes, illa inviolabiliter ab omnibus, ad quos ſpectat obſervari pręcipimus, & mandamus, & nihilominus Priorem, ſeu Pręſidentem prędicti Conventus, ſeu quemcunque alium Superiorem, qui pręmiſſis, aut alicui pręmiſſorum contraveniri permiſerit, voce activa, & paſſiva, ac Prioris munere, ſeu etiam omni ſuperioritatis officio, ipſo facto abſque ulla declaratione, ex nunc pro tunc abſolutum eſſe declaramus. Pręterea conſiderantes ad ejus regularis diſciplinę conſervationem propemodum expedire, ſi circa perſonas, & Priorem dicti Conventus, ne ſucceſſive ex filiis aliorum Conventuum aſſumantur opportune provideamus, propterea harum ſerie, & officii noſtri auctoritate pręcipimus, ne in poſterum Prior, ſeu Priores de novo eligendus, ſeu eligendi, in dicto noſtro Conventu Sanctiſſimi Roſarii ſit filius illius Conventus, cujus erat filius Prior anteceſſor immediatus, ſed debeat ſaltem triennium effluere antequam alius Prior, ex filiis ejuſdem Conventus eligatur, ſeu quomodolibet aſſumatur, irritam, ac nullam ex nunc pro tunc declarantes electionem, vel inſtitutionem, quę contra pręmiſſa fieri contigerit, quibuſcunque in contrarium, non obſtantibus. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem &c. datum Romę in Conventu noſtro Sanctę Marię ſuper Minervam die VII Octobris MDCXCVI. Fr. Antoninus Cloche Magiſter Ordinis. Cum autem, ſicut eadem expetitio ſubjungebat, dicti exponentes pręmiſſa, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri ſummopere deſiderent, Nos, ſpecialem eiſdem exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Religioſorum, ac Regularium prępoſitorum conſilio pręinſertas memorati Antonini Magiſtri Generalis, patentes literas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper forſitan intervenerint, ſupplemus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari; & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis, & Provincię, ac Conventuum pręfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris &c. hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XV (2) Julii MDCXCVII, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

J. F. Card. Albanus.

1. *Archivo*.) In quo exemplar authenticum ex autographo *Matritenſi*.

2. *XV*.) Vel in die vel in anno aſcriptis irrepſit mendum, ut attentum lectorem non fugiet.

Anno 1697 Die 14 Novembris.

XXX.

De Cæſarauguſtan. Confraternitatibus (1) SS. Roſarii, & SS. Nominis Dei in ejuſdem Civitatis duobus Cœnobiis conſtitutis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XII.

Venerabilis Frater (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti Officiales, & Confratres Confraternitatum ſub titulis, ſeu invocationibus Sanctiſſimi Roſarii, ac Nominis Dei in Eccleſia Conventus S. Idelphonſi Fratrum Ordinis Prędicatorum Civitatis Cęſarauguſtanę reſpective erectarum, quod duo in eadem Civitate Conventus dicti Ordinis, unus nempe antiquior de Predicadores nuncupatus, alter vero pręfatus Sancti Idelphonſi per mille centum nonaginta paſſus invicem diſtantes, reperiuntur, in quorum primo ab immemorabili tem-

tempore, in ſecundo vero ab anno MDCVI auctoritate tunc exiſtentis Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis, duę Confraternitates pro qualibet uniuſcujuſque illorum Eccleſia reſpective erectę fuerunt ſub titulis, ſeu invocationibus prędictis, cum communicatione Indulgentiarum, & privilegiorum a Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris ejuſmodi Confraternitatibus conceſſorum, quibus illę abinde citra pacifice potitę fuerunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, de Confraternitatum hujuſmodi erectione in dicto Conventu Sancti Idelphonſi, ſicut pręmittitur, facta dubitetur, an ſubſiſtat, cum ei hac in re obſtet Conſtitutio felicis recordationis Clementis Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, ſuper Confraternitatum &c. erectionem hujuſmodi confirmari, &, quatenus opus ſit, de novo concedi plurimum deſide rent, quemadmodum alias a felicis recordationis Innocentio Papa XI Prędeceſſore pariter noſtro, per quaſdam ſuas deſuper in ſimili forma Brevis anno MDCLXXXVIII expeditas literas Conventui Sanctę Marię de Pilar nuncupato conceſſum fuiſſe aſſerunt, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium Concilii Tridentini interpretum conſilio, & attentis tua, ac dilecti filii moderni Magiſtri Generalis Ordinis prędicti relationibus, ſuper pręmiſſis ad eoſdem Cardinales tranſmiſſis, fraternitati tuę per pręſentes committimus, & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis erectionem pręfatarum Confraternitatum in Eccleſia prędicti Conventus Sancti Idelphonſi cum communicatione omnium privilegiorum, & Indulgentiarum a Summis Pontificibus conceſſarum hujuſmodi Confraternitatibus auctoritate noſtra Apoſtolica pro tuo arbitrio, & conſcientia gratis approbes, atque confirmes, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV Novembris MDCXCVII, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

J. F. Cardinalis Albanus.

1. *Confraternitatibus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Caſaraugustano.*

3. *Venerabilis frater.*) Inſcriptio deeſt.

Anno 1697 Die 23 Decembris.

XXXI.

Confirmatio Decretorum Congregationis S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ſuper Celebratione Miſſarum, etiam cum declarationibus, & innovatione Decretorum ab eadem Congregatione, auctoritate fel. rec. Urbani Papæ VIII deſuper alias factorum.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam

Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum prodierunt Decreta tenoris infraſcripti, videlicet:

Alias ſuper celebratione Miſſarum, ac prohibitione illas moderandi, ſeu reducendi abſque Sedis Apoſtolicę licentia, necnon ſuper earundem oneribus perpetuis ſuſcipiendis, & Religioſorum numero ultra redditus, & conſuetas eleemoſynas locorum Regularium non habendo, emanarunt ab hac Sac. Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII illi ſpecialiter attributa, quamplura Decreta tenoris ſequentis.

Cum ſępe contingat in quibuſdam Eccleſiis tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum, ex variis Defunctorum relictis, aut piorum eleemoſynis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus pręſcriptis nequeat ſatisfieri, & tamen nova onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur; indeque fiat, ut depereant pię Teſtantium voluntates, obſtricta Benefactoribus fides violetur, Defunctorum animę ſuffragiis priventur, Eccleſiis debitus ſubtrahatur cultus, ac Chriſti fideles gravi ſcandalo affecti, plerumque a ſimilibus caritatis operibus retrahantur. Cumque his malis maximum inter ceterum fomentum prębeant, aut quod ii, qui Miſſas ſupra vires celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas brevi ad pauciorem numerum a Superioribus reductum iri; aut quod Eccleſiis forte pecuniarum abſumpta, plerumque nuda remaneant onera Miſſarum, abſque ullo emolumento, aut quod eleemoſyna pro illis celebrandis ſit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic ſe muneri ſubjicere, & redditus Eccleſię aut Monaſterii adeo exigui, ut Sacerdos pro neceſſaria ſua ſuſtentatione novis ſe oneribus obſtringere compellatur. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum animadvertens, facturam ſe rem Deo gratiſſimam, caritatique, ac juſtitię maxime conſentaneam, ſi pro viribus ſatagat, hunc teterrimum abuſum e Chriſtiana Republica convellere, atque eradicare. Sanctiſſimi D. N Urbani Divina providentia Papę VIII auctoritate ſibi ſpecialiter attributa, infraſcripta Decreta edidit.

Ac primo diſtricte prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Dięceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt

idem

idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis, ſed pro his omnibus reducendis aut moderandis, vel commutandis ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quę, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujuſmodi, ſi quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.

Deinde ubi pro pluribus Miſſis, etiam ejuſdem qualitatis celebrandis, ſtipendia, quantumcunque incongrua, & exigua, ſive ab una, ſive a pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſteriis, Conventibus Congregationibus, Domibus, ac Lociis Piis quibuſcunque, tam Secularibus, quam Regularibus; Sacra Congregatio ſub obteſtatione Divini Judicii mandat, ac pręcipit, ut abſolute tot Miſſę celebrentur, quot ad rationem attributę eleemoſynę pręſcriptę fuerint, itaut alioquin ii, ad quos pertinet, ſuę obligationi non ſatisfaciant, quinimmo graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

Id vero, ut deinceps obſervetur exactius, Sac. Congregatio eadem auctoritate revocat Privilegia, & Indulta omnia quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ac Locis Piis, tam ſecularibus, quam Regularibus cujuſcunque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, quamcunque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu Orationibus plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Ac ſimiliter, omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eandem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynę ſibi retenta, celebrandam committat.

Pręterea, ne in Eccleſiis, in quibus onera Miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, Sacerdotes in eis, ut par eſt, adimplendis eo tepidiores, ac ſegniores reddantur, quod onera hujuſmodi cum nulla, aut parva ſint utilitate conjuncta, ſtatuit, atque decernit, ut pecunię, ac bona mobilia Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſteriis, Conventibus, ac locis omnibus, tam ſecularibus, quam regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, ſub pęna interdicti ab ingreſſu Eccleſię ipſo facto incurrenda a die realis acquiſitionis, ſtatim deponi debeant penes Ædem Sacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, ſeu illorum pretium quamprimum inveſtiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expreſſa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

Ac ſi eadem bona immobilia auctoritate Apoſtolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium, ſub eadem pęna, ut ſupra, deponi, atque in aliis bonis ſtabilibus itidem fructiferis cum ejuſdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

Ad hęc Sacra Congregatio quibuſvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac piorum locorum, tam ſecularium, quam regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, diſtricte prohibet, ne in poſterum onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum, ſeculares quidem ſine Epiſcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares vero ſine Generalis, vel Provincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda, alioquin ſecularis, qui hujus prohibitionis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſię interdictus ſit eo ipſo. Regularis vero pęnam privationis omnium Officiorum, quę tunc obtinebit, ac perpetuę inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda, vociſque activę, ac paſſivę, abſque alia declaratione incurrat.

Eleemoſynas vero manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis, ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera ſuſcipere valeant, alioquin omnino abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſiis cum inſcriptione illa: Eleemoſyna pro Miſſis, vel alia ſimili, ſub iiſdem pęnis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtrentur.

Epiſcopus vero, ſeu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant, de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus cuique Eccleſię, Monaſterio, aut loco pio incumbentibus, nec antea aſſenſum hujuſmodi, aut licentiam prębeant, quam eis legitime conſtiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri ſuſcipiendo, quam antiquis jam ſuſceptis ſatisfacere poſſe, pręcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Eccleſiis, & locis piis relinquuntur, omnino reſpondeant oneribus adjunctis ſecundum morem cujuſque Civitatis, vel Provincię, intelligantque, ſi in re tanti momenti deſides, ac negligentes fuerint, in noviſſimo die ſe hujus prętermiſſi muneris rationem eſſe reddituros.

Poſtremo Illuſtriſſimi Patres non ſine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quę regularem diſciplinam evertunt, ac pręcipue nimiam hanc facilitatem fovent, in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori regularium numero, quam ferant redditus, & eleemoſynę cujuſque Monaſterii, inhęrentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilii decretis, hac de re editis, Sanctiſſimi Domini noſtri auctoritate pręcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Pręſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Prępoſitis, Guardianis, Vicariis, & quibuſcunque aliis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, ac domorum regularium, bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſcunque Ordinis, Congregationis, & inſtituti exiſtentium intra fines Italię, & Inſularum adjacentium, ut ſinguli, ad quos pertinet in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum uſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, & proventus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obventiones tam communes Monaſteriorum, Conventuum, & domorum ejuſdem Provincię, quam etiam ſingularibus perſonis Religioſis aſſignatas, ſeu per-

permiſſas in communem uſum deinceps conferendas, decem annorum immediate precedentium habita ratione diligenter, & mature recognoſcant, iis omnibus detractis, quę reparationes, pręſtationes, grandines, ſterilitates, aliave cujuslibet generis onera conſueverunt abſorbere.

Eaque omnia ſcripto fideliter exarata, idem Superior, cujus intereſt; in proximo Capitulo, ſeu Congregatione Generali, vel Provinciali coram tribus judicibus ab ipſomet Capitulo, ſeu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obventionibus univerſis, & oneribus, ut ſupra, detractis, ſeduloexaminent, quot Religioſi homines connumeratis etiam laicis, aliiſque neceſſariis ſervientibus in unoquoque Monaſterio, Conventu, & domo regulari juxta regionis, & proprii inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari. Tum eorundem bonorum, redditaum, eleemoſynarum, & onerum pręciſam notam ipſimet Capitulo, ſeu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus diſcuſſis, cujuſque familię, Monaſterii, Conventus, ac domus regularis in ſingula quaque Provincia certus earum tantum perſonarum numerus, Patrum capitularium voto pręfigatur, quę redditibus, eleemoſynis, & obventionibus, ut ſuperius ſufficienter ali poſſint.

Ne vero Superiores, qui id pręſtare debent, ſerius, aut remiſſius, quam par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant, mandat Sacra Congregatio, ut infra annum, poſt proximum Capitulum Generale, vel Provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta, in authenticam formam redacta, ad Sacram ipſam Congregationem Concilii ſinguli mittant.

Numerumque familię, ſingulorumque Conventuum, Monaſteriorum, & domorum hujuſmodi regularium, Capituli, ſeu Congregationis Generalis, vel Provincialis ſententia, & auctoritate pręfinitum, iidem Superiores tam Generales, & Provinciales omnes, quam locales perpetuo ſervare omnino teneantur, nec poſſint illum quoquomodo augere, etiam pretextu augmenti redditaum abſque Sacrę ipſius Congregationis licentia, Superiores autem hujuſmodi, qui pręedicta omnia in pręfixo termino non pręſtiterint, vel numerum, ut ſupra pręſcriptum, quovis modo augere pręſumpſerint, privationis omnium officiorum, quę tunc temporis obtinebant, vociſque activę, ac paſſivę, & ad omnia ſuę Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pęnam eo ipſo incurrere, atque aliis etiam gravioribus a Sede Apoſtolica infligendis pęnis, Sacra Congregatio ſubjacere voluit, & declaravit.

Deinceps vero Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium nullibi recipiatur, niſi pręter alia ad id requiſita, in ſingulis hujuſmodi locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monaci, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, ut ſupra detrahendis, competenter ſuſtentari valeant ad pręſcriptum decreti felicis recordationis Gregorii XV hac de re editi, alioquin Monaſteria, & loca hujuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, ut ſupra ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint Ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodę juriſdictioni ſubjecta eſſe intelligantur.

Porro, ne ullo unquam tempore hęc in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant, Superiores locales cujuſque Monaſterii, Conventus, ac domus Regularis curare, atque efficere teneantur, ſub pęna privationis officii, vociſque activę, & paſſivę ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum, ſexto quoque menſe, id eſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Adventus, & feria ſexta poſt Octavam Corporis Chriſti, pręſentes ordinationes in publica menſa perlegantur.

Omnibus tam eccleſiaſticis perſonis cujuſcunque ſint Ordinis, conditionis, & gradus, quam laicis quocunque honore, & poteſtate pręditis, pręſentia decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

Non obſtantibus, quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in pręſentibus decretis contenta, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcunque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum etiam Sancti Johannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius inſtituti, etiam neceſſario, & in individuo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcunque tam ſecularium, quam regularium locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, pręſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quę pręſentibus adverſantur, illis alias in ſuo robore permanſuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suę auctoritate ſpecialiter, & expreſſe derogat, ceteriſque contrariis quibuſcunque.

Et ne pręmiſſorum ignorantia a quoquam pretendi poſſit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut pręſentes ordinationes in Valvis Baſilicarum S. Johannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in Acie Campi Florę, ut moris eſt, affixę omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatę fuiſſent.

Utque earundem pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę die XXI Junii MDCXXV.

Coſmus Card. de Torres. Proſper Fagnanus S. Congreg. Secr.

Exci-

Excitatis autem ſuper pręmiſſorum decretorum intelligentia , ſeu interpretatione infraſcriptis dubiis, prodierunt a memorata Congregatione ſimili auctoritate illi a pręfato Urbano Papa Octavo ſpecialiter attributa reſponſiones, ſeu declarationes inferius apponendę.

Super primo Sacrę Congregationis decreto , de celebratione Miſſarum , quo prohibetur, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus , vel alias quoquomodo , reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum , aut poſt idem Concilium impoſita , aut in limine fundationis .

Quęritur , quid ſi legatum ſit ita tenue , ut non ſit , qui velit onus illi injunctum ſubire , & ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſariis ?

Et quid , ſi permittatur Epiſcopo in fundatione , ut poſſit hujuſmodi onera moderari ?

Secundo, ſuper ſecundo ejuſdem Congregationis decreto , quo cavetur , ut celebrentur tot Miſſę, quot ad rationem tributę eleemoſynę pręſcriptę fuerint ?

Quęritur , an verba illa (pręſcriptę fuerint) intelligenda ſint de pręſcriptione facta ab Offerente, vel ab Ordinario?

Tertio , an cum Ordinarius pręſcripſerit eleemoſynam congruam juxta qualitatem loci, perſonarum , ac temporum , Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo , teneantur Miſſas illis ab Offerente pręſcriptas celebrare ?

Quarto , an Sacerdotes , qui tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii , ſeu Capellę , legati , aut ſalarii , poſſint etiam manualem eleemoſynam , pro Miſſis votivis , aut Defunctorum recipere , & unico Miſſę Sacrificio utrique oneri ſatisfacere ?

Quinto , poſito , quod Teſtator relinquat, ut celebrentur pro ejus Anima centum Miſſę, abſque ulla pręſcriptione eleemoſynę .

Quęritur , an liberum ſit hęredibus , eleemoſynam ſibi bene viſam pręſcribere , an vero eadem eleemoſyna pręſcribenda ſit ab Ordinario .

Sexto , ſuper tertio Congregationis decreto , in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur , ut certarum Miſſarum , vel Anniverſariorum celebratione , aut aliquibus collectis, ſeu Orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Quęritur , an verba (in futurum ſuſcipiendis) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt Privilegium ?

Septimo , ſuper quarto ejuſdem Congregationis Decreto , quo prohibetur Sacerdoti , qui ſuſcepit Miſſam celebrandam cum certa eleemoſyna , ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynę ſibi retenta , celebrandam committat.

Quęritur , an permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum , ut retineant aliquam eleemoſynarum portionem , pro expenſis manutentionis Eccleſię , Altarium , Inſervientium, paramentorum, luminum , Vini , Hoſtię , & ſimilium ?

Octavo , an hoc decretum habeat locum in beneficiis, quę conferuntur in titulum , ideſt , an Rector beneficii , qui poteſt per alium celebrare , teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium , ad rationem reddituum Beneficii ? (2).

Decimo , an Sacerdotes , quibus aliquando offertur eleemoſyna , major ſolita , pro celebratione Miſſę , debeant dare eandem integram eleemoſynam iis, quibus Miſſas celebrandas committunt ; An vero ſatis ſit, ut dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam ?

Undecimo , ſuper quinto ejuſdem Congregationis decreto , quo inter cetera ſtatuitur in hęc verba (eleemoſynas vero manuales , & quotidianas pro Miſſis celebrandis) Ita demum iidem accipere poſſint , ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint , ut nova quoque onera obire valeant ; Alioquin omnino abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis , etiam ſponte oblatis in futurum recipiendis , & capſulas auferant &c.

Quęritur , an hoc decretum prohibeat abſolute , quo minus accipiant novas eleemoſynas ii , qui acceptis non ſatisfecerunt , & quid , ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere ?

Duodecimo , quid , ſi offerens eleemoſynas , audito impedimento conſentiat, ut Sacerdos Miſſam celebret , cum primum poterit ?

Decimotertio ; an pęna interdicti , & alię appoſitę in eodem decreto afficiant tam eos , qui accipiunt eleemoſynas contra formam ibi pręſcriptam , quam eos , qui non auferunt capſulas ab Eccleſiis, ut ibidem pręcipitur ?

Decimoquarto , an in hoc Decreto compręhendantur illę Capſulę , quę apponi ſolent in Eccleſiis, in die commemorationis omnium Sanctorum , & vulgo dicuntur *Caſſe de Morti ?*

Decimoquinto , an Adminiſtratores Eccleſię , magnę devotionis , & concurſus , poſſint eleemoſynas pro Miſſis celebrandis accipere , ſi iiſdem Miſſis, non niſi poſt longum tempus ſatisfacere valeant, ne alias cultus Eccleſię , & devotio , ac concurſus Fidelium , ut ajunt , minuantur ?

Decimoſexto , quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa ſolis Capitulis , Collegiis , Societatibus , Congregationibus, necnon omnibus , & ſingulis Eccleſiarum , & piorum locorum , tam Secularium , quam Regularium Superioribus , de quibus ſit expreſſa mentio , non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula generali : *& aliis ad quos pertinet* : ſupplicatur pro opportuna declaratione ?

Decimoſeptimo , ſuper ſeptimo ejuſdem Sacrę Congregationis decreto , quo cavetur , ut in ſingulis Monaſteriis Religioſorum pręfigatur numerus , qui ex conſuetis redditibus , aut eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari .

Quęritur , an ubi hęc pręfixio facta jam fuit in vim ſimilis decreti Sanctę memorię Pauli V abſque tamen computatione reddituum , cujuſque Religioſi, ſit denuo facienda , necne ?

Decimo octavo , An Novicii , ad habitum regularem admiſſi , poſſint admitti ad profeſſionem in Mo-

Monaſteriis, in quibus habita, ut ſupra, præfixione numeri, commode ali non poſſunt?

Decimo nono, ſuper ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, niſi præter alia ad id requiſita, duodecim ſaltem Fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, ita ut alioquin ſubſint juriſdictioni Ordinariæ.

Quæritur, an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum comprehendat eas Religiones, quæ non conſueverunt onera Miſſarum recipere, ut ſunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jeſu?

Ultimo, An idem decretum, ubi diſponit, ut nullibi recipiantur Monaſteria, niſi &c. habeat locum in Italia, duntaxat; ad quam eſt reſtrictum decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam.

DECLARATIONES, SEU RESPONSIONES AD SUPRADICTA DUBIA.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate ſibi a Sanctiſſimo Domino Noſtro attributa, ad ſingula dubia ſuperius propoſita, ad hunc modum reſpondit, videlicet:

Ad primum, etſi legatum ſit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut ſupra impoſiti, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſque ulla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino e re eſſe judicaverit: Verumtamen, ſi in ipſa Beneficii erectione expreſſe cautum fuerit, ut liceat Epiſcopo injunctum onus reducere, ac moderari legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſervandam.

Ad Secundum, eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario: Quod ſi tribuens eleemoſynam numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad Quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii, ſeu Capellæ Legati, aut Salarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere.

Ad Quintum, cenſuit, ubi nullam certam eleemoſynam Teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad Sextum, ita eſſe intelligenda.

Ad Septimum, reſpondit, permittendum non eſſe, ut Eccleſiæ, ac loca pia, ſeu illorum Adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum ullam, utcumque minimam portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & Loca pia alios non habent redditus, quos in uſum earundem expenſarum erogare licite poſſint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum quæ pro ipſomet tantum Miſſæ Sacrificio neceſſario ſunt ſubeundæ, & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis, ut ſupra deductis, abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab Offerentibus eleemoſynas.

Ad Octavum, non habere locum. Sed ſatis eſſe, ut Rector Beneficii, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundum morem Civitatis, vel Provinciæ, niſi in fundatione ipſius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad decimum debere abſolute integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad Undecimum, reſpondit, non prohibere abſolute; Ac propterea, etſi oneribus jam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen nova etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

Ad duodecimum, quamvis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant; ſi tamen tribuens elemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione id ſciat, & conſentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, decretum non prohibere, quo minus eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iiſdem Miſſis juxta Benefactoris conſenſum celebrandis.

Ad Decimum tertium, has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcepturis onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad Decimum quartum, comprehendi.

Ad Decimum quintum. Non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, ut ſupra in reſponſione ad Duodecimum.

Ad Decimum ſextum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad Decimum ſeptimum, numeri præfixionem eſſe iterum faciendam ſervata forma ultimi decreti hac de re editi.

Ad Decimum octavum, eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi alias habiles exiſtant, ac deinde in aliquo alio Monaſterio ejuſdem Religionis eſſe collocandos, ubi commode ali poſſint.

Ad Decimum nonum, cenſuit comprehendere.

Ad Ultimum, habere locum extra Italiam.

Coſmus Card. de Torres.

Proſper Fagnanus S. Congr. Secretarius.

Cum autem ſuper præmiſſis diverſi irrepſerint abuſus, illorumque occaſione, quam plures querelæ, & recurſus ad Apoſtolicam Sedem pervenerint; Cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum hujuſmodi deteſtabiles abuſus e Chriſtiana Republica pro viribus evellere, ac opportune providere, ut ſublatis fraudibus, ac emendata negligentia piæ diſponentium, ſeu benefactorum voluntati fides illibata ſervetur, defunctorum animabus integra, & prompta præſtentur ſuffragia, itidemque Deo major gloria, & Eccleſiis præſtantior cultus reddatur, prævia auctoritate per SS. D. N. Innocentium Divina Providentia Papam XII ei ſpecialiter attributa infraſcripta decreta, prius in

par-

particulari nonnullorum ex præfatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata, & poſtea in generali hujuſmodi Cardinalium Congregatione mature, & accurate diſcuſſa, recognita, & examinata edidit.

In primis, præinſerta decreta cum præmiſſis illorum declarationibus pleniſſime, & ampliſſime approbat, confirmat, & innovat, omniaque, & ſingula ibidem contenta, & expreſſa iterum omni meliori modo decernit, ſtatuit, ac ab omnibus, & ſingulis etiam ſpeciali, & individuali nota, ſeu expreſſione dignis penitus obſervari, & omnimodę executioni demandari decernit, ſancit, & pręcipit.

Inſuper, ut in re tanti momenti conſultius, ac majori, ut par eſt, circumſpectione procedatur; Si qui forſan fuerint, vel ſint, qui ſuis pravis, & erroneis intentionibus, ſeu opinionibus blandiri volentes Miſſarum celebrationem omittunt ſub malitioſa, vel irrationabili ſpe, earundem condonationem, vel reductionem a Sede Apoſtolica, vel compoſitionem a Reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe obtinendi; Congregatio pręfata tum eoſdem, tum quoſcunque alios, qui poſthac in adeo deteſtabiles abuſus auſi fuerint offendere, certiores fieri, & monitos eſſe voluit, pręfatas condonationes, & reductiones ab eadem Sede, nonniſi ex rationabili cauſa, ſeu ęqua commiſeratione, compoſitiones vero a dicta Fabrica utente ſuis facultatibus, & privilegiis, nonniſi ex cauſa pariter rationabili, & cum clauſulis opportunis, & pręſertim cum illa: *dummodo malitioſe non omiſerint animo habendi compoſitionem, alias gratia nullo modo ſuffragetur*, admitti conſueviſſe, & ſolere; quapropter, ut locus omnis in poſterum hiſce pręte xtibus pręcludatur memorata Congregatio tales intentiones, opiniones, ſeu ſpes, ac eleemoſynarum, ſive in toto, ſive in parte verſiones in alium, quam pręfatarum Miſſarum uſum, ſeu ſatisfactionem, & quaſcunque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, ſeu circumventiones declarat prorſus irrationabiles, injuſtas, & illicitas, illaſque omnino reprobat, damnat, & interdicit.

Cumque hujuſmodi abſurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Miſſarum ſupra vires ſuſcipiantur; caveant omnes, & ſinguli Rectores, Superiores, & Miniſtri quarumcunque tum Secularium, tum Regularium Eccleſiarum, ſeu illarum Capitula, ne onera, ſeu Miſſas tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum ſatisfactioni impares fuerint, quoquomodo ſuſcipiant, utque id ipſum quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, ſemperque in loco magis patenti, & obvio retinere Tabellam onerum perpetuorum, & temporalium literis perſpicuis, & intelligibilibus deſcriptorum, quorum implemento, ſi moraliter, & intra pręſcriptum, ſeu breve tempus ſatisfacere non poſſe, ſeu illa duntaxat, & non ulteriora adimplere poſſe crediderint, ſeu credere debuerint, alias Miſſas, ſive perpetuas, ſive temporales, ſive manuales per ſe, vel per interpoſitas perſonas quoquomodo recipere, ſeu acceptare omnino deſiſtant, ſeu abſtineant, & ulterius tali caſu in eadem Tabella ſimiliter exprimant, ſeſe propterea aliis Miſſis acceptandis, & celebrandis impares eſſe.

Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero ſingula onera perpetua, & temporalia; in altero autem Miſſas manuales, & tam illorum, quam iſtarum adimplementum, & eleemoſynas diſtincte, & diligenter annotare, & annotandas, ſeu annotanda curare, ſinguliſque annis de ſupradictis adimplementis, eleemoſynis, & oneribus pariter exactam rationem ſuis Superioribus reddere, ac omnes, & ſingulas rationes hujuſmodi in pręfatis reſpective libris ſimili diſtinctione, & diligentia, tam pręfati, a quibus rationes debent reddi, quam Superiores quibus reddendę erunt, deſcribere, ſeu annotare, ſive deſcribendas, vel annotandas reſpective curare.

Quibus ſemper ſalvis, debeant ulterius Regulares prędicti, omnes, & quaſcunque eleemoſynas tum manualium, tum perpetuarum, & temporalium Miſſarum reponere in capſa particulari ſub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera vero penes alium a Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de iiſdem eleemoſynis, & celebratione Miſſarum coram Patribus diſcretis, ſeu Conſiliariis, vel alio ſimili modo nuncupatis ſingulis menſibus diſtrictam rationem exigere, & reſpective reddere.

Quod ſi prędicti, ad quos cura Tabellę, Capſę, & librorum pręfatorum reſpective pertinet, ſeu pertinere debet, ſuam operam pręmiſſis, ut pręfertur, minime navaverint, & Superiores, tum Secularium, tum Regularium Eccleſiarum rationem prędictam non exegerint, ſeu non invigilaverint, quod pręfati, qui in curam Tabellarum, & librorum incumbunt ſuo muneri, ut pręfertur, ſatisfaciant, in ſingulis reſpective caſibus Seculares pęnam ſuſpenſionis incurrant; Regulares vero voce activa, & paſſiva, ac gradibus, & officiis, quę obtinent, ipſo facto, & abſque alia declaratione privati ſint, & intelligantur, necnon ad hujuſmodi gradus, & officia obtinenda ſimiliter inhabilitentur, & inhabilitati ſint, & intelligantur.

Porro, ne ullo unquam tempore omnia, & ſingula decreta prędicta in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant, Rectores, Superiores, ſeu Capitula Eccleſiarum Secularium illa retineant publice expoſita in eorum Sacrario; Superiores vero Locales cujuſcunque Monaſterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, & efficere teneantur ſub pęna privationis officiorum, quę obtinent, vociſque activę, & paſſivę ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum ſexto quoque menſe, ideſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Adventus, & feria ſexta poſt Octavam Corporis Chriſti omnes, & ſingulę pręmiſſę tum inſertę, ſeu confirmatę, tum in pręſens factę Ordinationes una cum dictis declarationibus in publica Menſa perlegantur.

Meminerint igitur, & ſatagant Ordinarii, ut a perſonis, & in Eccleſiis quoquomodo etiam in vim decretorum Concilii Tridentini ſibi ſubjectis Miſſę ea, qua par eſt, fide, & diligentia celebrentur, & cuncta, & ſingula decreta hujuſmodi omnimodę executioni demandentur, nedum juſtitiam recurrentibus, ſeu inſtantibus reddentes, ſed ex officio tum in viſitationibus, tum in aliis actibus, & modis quos expedire, & convenire toties, quoties judicaverint inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, & ſingulis decretis adverſetur.

Caveant etiam reſpective omnes Regulares tum Subditi, tum Superiores quicunque nedum locales, ſed etiam Provinciales, & Generales, ne Miſſarum celebratio, & omnium decretorum pręmiſſorum exe-

executio, cum pernicie propriarum animarum, cum prçjudicio illarum, quibus Miſſę ſunt applicandę & cum magno Chriſti fidelium ſcandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, ſeu pervertantur, alioquin ultra propriç conſcientię onerationem, pęnam privationis vocis activę, & paſſivę, ac graduum, & officiorum, quę obtinent, necnon inhabilitationis ad hujuſmodi gradus, & officia obtinenda prorſus incurrant.

Curent propterea prçfati Superiores Regulares in omnes, & ſingulos Contravenientes debitis pęnis diligenter, & prompte etiam per inquiſitionem animadvertere, & inſuper teneantur omnes, & ſinguli Superiores locales in Provincialibus Capitulis, ſeu Congregationibus exhibere atteſtationem, ſeu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monaſterii, ſeu cujuſcunque Domus regularis ſubſcriptam, & juratam, quod omnibus, & ſingulis tum perpetuis, tum manualibus Miſſarum oneribus, ſeu obligationibus ad limites, & tenorem prçſentium decretorum tempore eorum regiminis fuerit omnino, & integraliter ſatisfactum, vel deficiente aliqua modica ſatisfactione, poſſint etiam hujuſmodi reſiduali implemento Miſſarum diſtinćte referendarum intra breve tempus moraliter ſatisfieri, ea adjecta, & omnino adimplenda conditione, quod ante prçfatę atteſtationis exhibitionem quicunque Superiores locales prçdicti vocem activam, ſeu paſſivam in memoratis Capitulis, ſeu Congregationibus omnino habere non valeant,

Prętera Provinciales, Vicarii, & Viſitatores Provinciarum, ſeu Congregationum debebunt in fine eorum regiminis Superioribus Generalibus in forma probante oſtendere, quod executioni prçſentium decretorum ſedulo invigilaverint, & ad eorum tenorem in omnibus, & ſingulis Conventibus, ſeu Monaſteriis, vel domibus Regularibus Provinciç, ſeu Congregationis de omnibus, & ſingulis oneribus, & obligationibus, ac inſimul ſatisfactionibus Miſſarum exactam, & diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem, & executionem reſpective pęnarum in decretis contentarum proceſſerint, & de adimplemento circa ea, quę in prçmiſſis ad ipſos ſpectant legitime docuerint, alias ad vocem activam, & paſſivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittuntur.

Ceterum, quia etiam ad quamplures Archiconfraternitates, Confraternitates, Societates, Congregationes, Hoſpitalia, Altaria, Capellas, Oratoria, & Eccleſias, ac alia loca, & opera pia quomodolibet nuncupata, quę cuicunque curę, ſeu regimini, aut adminiſtrationi, vel directioni laicorum cujuslibet gradus, ſtatus, conditionis, & prçeminentię etiam ſpeciali, & individuali nota dignorum duntaxat, vel quorumcunque eccleſiaſticorum, & laicorum hujuſmodi mixtim commendata, annexa, ſeu quomodocunque commiſſa, vel attributa ſunt, onus, ſeu cura celebrationis Miſſarum, ſive manualium, ſive ad tempus, vel in perpetuum pertinet. Hinc ſalvis ſemper iis, quę in prçinſertis decretis continentur omnes, & quicunque hujuſmodi Archiconfraternitatum, Societatum, Congregationum, Hoſpitalium, Altarium, Capellarum, Oratoriorum, & Eccleſiarum, ac aliorum locorum, & operum piorum Rectores, ſeu Adminiſtratores, vel Directores, & alii hujuſmodi officiales, necnon ii, ad quos cura tabellę, & librorum in prçmiſſis ſpectat, tabellam, libros, & hęc decreta reſpective juxta modos ſuperius expreſſos, ſimiliter retinere, necnon de oneribus, ac celebrationibus, & eleemoſynis dictarum Miſſarum ſingulis annis rationem exigere, & reſpective iis, ad quos pertinet, reddere ſub pęnis arbitrio, & in ſubſidium excommunicationis, teneantur.

Poſtremo omnibus, & quibuſcunque tam eccleſiaſticis perſonis cujuſcunque Ordinis, ſtatus, gradus, Regulę, Congregationis, Societatis, conditionis, & dignitatis exiſtant, quam laicis quocunque honore, ac poteſtate prçdictis omnia, & ſingula prçmiſſa decreta interpretandi, necnon eccleſiaſticis prçdictis pęnas in hujuſmodi decretis relaxandi, ſub quoquomodo circa prçmiſſa diſpenſandi, omnis, & quęcunque facultas ſit penitus interdicta.

Non obſtantibus quoad ſuprascripta omnia, & ſingula in hujuſmodi decretis contenta, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcunque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum etiam S. Johannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius inſtituti etiam neceſſario, & in individuo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcunque tam ſecularium, quam regularium locorum, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, prçſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quę prçſentibus adverſantur, illis alias in ſuo robore permanſuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suę auctoritate ſpecialiter, & expreſſe derogat, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę die XXIII Novembris MDCXCVII.

Joſeph Card. Sacripantes Prçfectus.

Ferdinandus Nuptius S. Congr. Secret.

Quocirca, cum dilectus filius noſter Joſeph tituli Sanctę Marię Tranſpontinę S. R. E Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratę Congregationis Prçfectus, prçfata decreta Nobis retulerit, Nos conſiderantes eadem omnia, & ſingula decreta, ea qua decet maturitate digeſta, & examinata, ac in vim Apoſtolicę auctoritatis, eidem Congregatione ſpecialiter, ut prçfertur, attributę peracta, perutilia fore cen-

cenſentes, illaque propterea perpetuo, & inviolabiliter obſervari, necnon Conſtitutionis noſtrę munimine roborare volentes, Motu proprio, non ad cujuſquam Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine prąinſerta decreta, omniaque, & ſingula in eis contenta, tenore pręſentium, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis, & irrefragabilis Apoſtolicę firmitatis robur, & efficaciam adjicimus, quinimmo motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, omnia, & ſingula in ſupradictis decretis contenta, de novo ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, ac ab omnibus, & quibuſcunque, etiam ſpeciali, & individua nota dignis omnino exacte, & perpetuo ſervari volumus, ſancimus, & mandamus.

Decernentes pręſentes literas, cum omnibus, & ſingulis inibi contentis ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, & ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque, & quomodocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime, & inviolabiliter obſervari; Sicque, & non aliter per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate, pręeminentia, aut poteſtate fungentes, & functuros, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apoſtolicę Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quę pręfata Congregatio, auctoritate per ejuſdem recordationis Urbanum Papam VIII, & reſpective per Nos illi ſpecialiter attributa, decrevit non obſtare, quę pariter, & iterum Nos tenore pręſentium non obſtare decernimus, & mandamus, quibus omnibus quoad ea, quę pręſentibus adverſantur, illis alias in ſuo robore permanſuris, etiam harum ſerie pleniſſime, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque.

Volumus autem, ut pręſentes literę in valvis Eccleſię Lateranenſis, ac Baſilicę Principis Apoſtolorum, necnon Cancellarię Apoſtolicę, Curięque generalis in Monte Citorio, ac in acie campi Florę de Urbe, ut moris eſt, publicentur, & affigantur, ſicque publicatę, & affixę, omnes, & ſingulos, quos illę concernunt perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum perſonaliter intimatę fuiſſent.

Pariterque, ut earundem pręſentium tranſumptis impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum confirmationis, approbationis, ſtatuti, decretorum, ordinationis, voluntatis, ſanctionis, mandatorum, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Sexcenteſimo Nonageſimo Septimo, Decimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

J. F. Card. Albanus.

B. Card. Prodatarius.

Viſa de Curia J. Ciampinus.

J. Catallus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo octavo. Indictione ſexta, die vero tertia Januarii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Innocentii divina providentia Papę XII Anno Septimo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Eccleſię S. Johannis Lateranenſis, Baſilicę Principis Apoſtolorum, Curię Innocentianę, Cancellarię Apoſtolicę, in Acie Campi Florę, & in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Jo: Baptiſtam de Cappellis ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papę Curſorem.

Franciſcus Antonius Simoncellus Magiſter Curſ.

1. *Archivo*.) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *MDCXCVIII*. Legitur in *Collectione Bullarum Innocentii XII Num. CIX pag. 296.*

2. *Beneficii*.) Nonum quæſitum deeſt in ipſamet *Collectione* mox laudata.

De Sacris Reliquiis non extrahendis ex Eccleſia Bononien. Cœnobii:

Anno 1699 Die 11 Martii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

INNOCENTIUS PP. XII. XXXII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CONſervationi, & manutentioni Sacri Corporis, & aliarum Reliquiarum S. Dominici, quę, ut pie creditur, in Eccleſia ejuſdem S. Dominici Civitatis Bononien. Ordinis Fratrum Pręedicatorum aſſervantur, quantum cum Domino poſſumus, providere cupientes, ac dilectos filios Priorem, & Fratres dicti Conventus ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, & pęnis, a jure,

jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibuſvis quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quiſquam, ſive Secularis, ſive Regularis, etiam quocunque officio, munere, Superioritate, vel poteſtate fungens, aut quacunque dignitate, vel pręeminentia Eccleſiaſtica, vel mundana pręditus, Sacrum Corpus, vel alias Reliquias hujuſmodi, aut aliquam etiam minimam illius, ſeu illarum partem, ex Eccleſia pręfata ſub quovis pretextu, quęſito, colore, ingenio, cauſa, ratione, vel occaſione extrahere, vel aſportare, aut cuivis perſonę Eccleſiaſticę, vel Loco Pio donare, aut quomodolibet alienare, ſeu ut extrahantur, vel aſportentur, aut donentur, vel alienentur, permittere audeat quovis modo, ſeu pręſumat, ſub excommunicationis latę ſententię, & quoad Regulares, etiam privationis vocis activę, & paſſivę pęnis per contrafacientes eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis, a quibus nemo Romano Pontifice inferior abſolutionem cuiquam, niſi in Mortis articulo conſtituto, aut pęnarum hujuſmodi relaxationem concedere poſſit, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetuo prohibemus, & interdicimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus ac, quatenus opus ſit, Conventus, & Ordinis pręfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentis prohibitionis exemplum in valvis Eccleſię pręfatę, vel alio loco conſpicuo, ubi ab omnibus cerni, & legi poſſit, affixum aſſidue remaneat &c. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI Martii MDCXCIX, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar in *Bullario Benonien. pag.* 118.

Anno 1699 Die 17 Septembris.

XXXIII.

De Libris e Cœnobii S. Sabinæ Bibliotheca (1) non extrahendis ſine conſenſu Prioris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Prior Conventus Sanctę Sabinę de Urbe Ordinis Fratrum Pręedicatorum Congregationis Lombardię, quod dudum felicis recordationis Urbanus Papa VIII Prędeceſſor noſter per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis literas, ſub certis tunc expreſſis pęnis expreſſe prohibuit, ne quiſquam ſub quovis pretextu, vel quęſito colore libros in Bibliotheca dicti Conventus exiſtentes inde extrahere, ſeu aſportare, vel extrahi, ſeu aſportari permittere auderet, vel pręſumeret, & alias prout in eiſdem literis uberius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, experientia compertum ſit, prohibitionem hujuſmodi Fratribus ſupradicti Conventus multum incommodi afferre, plurimumque expediat, ut eis commoditas ſtudendi in eorum cellis pręſtetur, Nobis propterea dictus Prior humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Priorem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut libri e dicta Bibliotheca per Fratres in eodem Conventu nunc, & pro tempore commorantes, de Prioris tamen ipſius Conventus pro tempore exiſtentis licentia extrahi, ac ſtudiorum cauſa ad eorum cellas pręfatas, relicta per eos in Bibliotheca hujuſmodi ſchedula, in qua libri, quos ab ipſis extrahi contigerit adnotentur, transportari libere, & licite, ac abſque ullius cenſurę, vel pęnę per pręfatas *Urbani* Prędeceſſoris literas inflictę, ſeu comminatę incurſu poſſint, & valeant, ita tamen, ut libri ipſi a Conventu prędicto minime aſportentur, & finito uſu hujuſmodi ad Bibliothecam pręfatam reportari, in eaque reponi debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus memoratis Urbani Prędeceſſoris literis, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII Septembris MDCXCIX, Pontificatus noſtri Anno Nono.

J. F. Card. Albanus.

1. *Bibliotheca.*) Conſulendus *Tractatus de Cenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

De

De Lectoribus Cæſaraugustani Cœnobii S. Ildefonſi ad Magiſterii Gradum promovendis (1).

Anno 1699 Die 19 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIV.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii, Prior, & Fratres Conventus Sancti Ildefonſi Cęſarauguſtani Provincię Aragonię, Ordinis Prędicatorum, quod alias dictus Conventus, qui anno MDCVIII initium habuiſſe memoratur, eo intuitu ut in illo ab ipſis ſuę fundationis primordiis vitę communis obſervantia ad veram Conſtitutionum dicti Ordinis, necnon quondam fel. record. Clementis PP.VIII prędeceſſoris noſtri decretorum ſuper reformatione regularium, tunc temporis editorum, formam, ſtabiliretur, fundatus, ac Domino benedicente res ad optatum effectum perducta, vitaque communis hujuſmodi in eodem Conventu accurate hactenus obſervata fuit, & etiam de pręſenti obſervatur, prout ex quadam atteſtatione juramento vallata, ac Congregationi infraſcriptorum Cardinalium, & Prężlatorum exhibita conſtare dicitur. Porro ne Fratres pro tempore exiſtentes Conventus pręfati, ſi ad alios decem Conventus Studiorum formalium dictę Provincię, in quibus perfecta vitę communis ratio non obſervatur, mitterentur ab ea vitę ratione deflecterent, conſuetudo obtinuit, ut in eodem Conventu Studia ſua peragerent, iiſque, Studiis hujuſmodi ſibi ſuffragantibus, prout occaſio tulit, a dicta Provincia poſtulati, gradus Scholaſticos per memoratas Conſtitutiones pręſcriptos, non ſecus ac Lectores aliorum decem Conventuum prędictorum, conſecuti fuerunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ipſi Exponentes licet ſe, & pro tempore futuros dicti Conventus Fratres, gradus hujuſmodi etiam in poſterum pari modo conſecuturos ſperent; attento, quod Studia in dicto Conventu omnimoda attentione peraguntur, ac ad dictę vitę communis conſervationem plurimum expedit a pręfata conſuetudine non recedi, nihilominus ad majorem cautelam Lectoribus Conventus ſtrictioris obſervantię hujuſmodi, ne ipſi deterioris conditionis ſint quam alii, qui in decem Conventibus ſupradictis legunt, ut eis lectura, quam in dicto Conventu exercuerint, ad Gradum Magiſterii conſequendum ſuffragetur a Nobis indulgeri ſummopere deſiderent. Nos, ipſos exponentes, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis, ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S.R.E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanę Curię Prężlatorum, ſuper diſciplina Regulari a nobis deputatorum, qui dilectum etiam filium Procuratorem Generalem dicti Ordinis ſuper pręmiſſis audiverunt, conſilio, ut Lectoribus ejuſdem Conventus nunc, & pro tempore exiſtentibus, qui in eo tempus Lecturę ad prędictum Magiſterii gradum per Conſtitutiones prędictas requiſitum, abſolverint, Lectura hujuſmodi ad dictum Magiſterii gradum in Provincia prędicta obtinendum pari modo, & abſque ulla prorſus differentia ſuffragetur, & ſuffragari debeat in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi illam in aliquo ex dictis decem Conventibus per idem tempus exercuiſſent, dummodo tamen cetera omnia ſerventur, quę ad id, per dictas Conſtitutiones, & Ordinationes Capitulorum Generalium prędicti Ordinis pręſcribuntur, ac donec, & quouſque in Conventu ſupradicto viguerit omnimoda regularis obſervantia, ac exacta vita communis, & non alias, auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes, eaſdem pręſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, Provincię, & Conventuum prędictorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores, pręſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis, quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX Septembis MDCXCIX, Pontificatus noſtri Anno Nono.

J. F. Card. Albanus.

1. *Promovendis.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum typis impreſſum.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Dignitates, Innocentio XII Summo Pontifice, promotos exhibens.

CARDINALIS.

Anno 1695 Die 12 Decembris. F. Thomas Maria Ferrari, alumnus Congregationis Sanitatis, ex Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici, S. R. E. Cardinalis tituli S. Clementis. *Cavalerius Tomo II pag.* 254 *num. VIII. Dominicus Ponſi in Vita Reverendiſſimi P. Antonini Clocbe Cap. VIII pag.* 207.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1691. F. Petrus Martyr Juſtinianus, nobilis Chienſis, alumnus Provinciæ Lombardiæ, Archiepiſcopus Pari-Naxien., in ejuſdem nominis Inſulis. *Cavalerius Tomo I pag.* 687 *num. CCXIII. Dominicus Ponſi in Vita Reverendiſſimi Patris Antonini Clocbe Cap. VIII pag.* 210 *num. XI.*

Anno 1692. F. Paulus Baptiſta Avenicen., Armenus, Archiepiſcopus Naſcivanen., *Naſſivanen.*, in Armenia. *Cavalerius Tomo I pag.* 688 *num. CCXV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 31 *Indicis Epiſcoporum. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Clocbe Cap. VIII pag.* 210.

EPISCOPI.

Anno 1692. F. Vincentius de Magiſtris, Neapolitanus, Provinciæ *Regni* alumnus, Epiſcopus Caſſanen., *Caſſano*, in Calabria, ſub Archiepiſcopo Conſentino. *Cavalerius Tomo I pag.* 687 *num. CCXIV, ex Actis Conſiſtorialibus. Ughellus in Epiſcopis Caſſanen. Tomo IX Italiæ Sacræ pag.* 355, *& Tomo X in Addendis ac corrigendis ad Epiſcopos Caſſanen. pag.* 253 *num. LIII edition. Venetæ. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Clocbe Cap. VIII pag.* 210 *num. XII.*

Anno 1693. F. Thomas Rovetta, nobilis Brixienſis, alumnus Provinciæ Lombardiæ, Epiſcopus Leſinen., ſeu Pharien. *Leſina*, Slavis *Huar*, in ejuſdem nominis Inſula, ſub Archiepiſcopo Spalatenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 688 *num. CCXVI, ex Actis Conſiſtorialibus. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Clocbe Cap. VIII pag.* 210 *num. XIV.*

Anno 1693. F. Antonius de San-Jurio, nobilis Hiſpanus, Epiſcopus Aſturicenſis, *Aſtorga*, in Hiſpania Tarraconenſi, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Cavalerius Tomo I pag.* 688 *num. CCXVII, ex Actis Conſiſtorialibus. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Clocbe Cap. VIII pag.* 210 *num. XV.*

Anno 1693. F. Petrus Palacios, Hiſpanus, alumnus Provinciæ Hiſpaniæ, Epiſcopus Guadixen, ſeu Guadicen., & Accien., *Guadix*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Granatenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 689 *num. CCXVIII, ex Actis Conſiſtorialibus. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Clocbe Cap. VIII pag.* 210 *num. XVI.*

Anno 1693. F. Hyacinthus Cajetanus Chiurlia, nobilis Bituntinus, alumnus Provinciæ Apuliæ, Epiſcopus Juvenacenſis, *Giovenazzo*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Ughellus in Epiſcopis Juvenacen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 738 *edition. Venetæ. Cavalerius Tomo I pag.* 689 *num. CCXIX, ex Actis Conſiſtorialibus. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Clocbe Cap. VIII pag.* 210 *num. XVII.* Obiit anno *MDCCXXX*, rebus præclare geſtis, ac virtutum ſplendore celeberrimus.

Anno 1694. F. Petrus Paceco, nobilis Luſitanus, Epiſcopus Cochinen., *Cochim*, in Indiis, ſub Archiepiſcopo Goano. *Cavalerius Tomo I pag.* 689 *num. CCXX, ex Actis Conſiſtorialibus. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Clocbe Cap. VIII pag.* 211 *num. XVIII.*

F. Ar-

F. Arnaldus, aliis Amandus, & Arnandus, Victorinus Cieſeyko, Polonus, Epiſcopus Bachovien., *Backow*, in Walachia, ſub Archiepiſcopo Leopolienſi. *Cavalerius Tomo I pag.689 num. CXXI, ex Actis Conſiſtorialibus. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 211 num. XIX.* Anno 1694.

F. Emmanuel Mercadillo, Hiſpanus, Epiſcopus Tucumanen., *Tucuman*, in America Meridionali, ſub Archiepiſcopo Limenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 689 num. CCXXII, ex Actis Conſiſtorialibus. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 211 num. XX.* Anno 1694.

F. Philippus Galindo, Hiſpanus, Epiſcopus Guadalaxaren., in America, ſub Archiepiſcopo Mexicano. *Cavalerius Tomo I pag 690 num. CCXXIII, ex Actis Conſiſtorialibus. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII num. XXI.* Anno 1695.

F. Thomas Carnizer, nobilis Calaritanus, Epiſcopus Algaren., *Algher*, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Turritano. *Cavalerius Tomo I pag. 690 num. CCXXIV, ex Actis Conſiſtorialibus. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 211 num. XXII.* Anno 1695.

F. Hieronymus Lopez, nobilis Hiſpanus, Epiſcopus Barbaſtren., in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Cæſarauguſtano. *Cavalerius Tomo I pag. 690 num. CCXXV., ex Actis Conſiſtorialibus. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 211 num. XXIII.* Anno 1695.

F. Gregorius Compagni, Romanus, Conventus Minervitani alumnus, Epiſcopus Burgi S. Sepulcri, *Borgo S. Sepolcro*, in Italia, ſub Archiepiſcopo Florentino. *Cavalerius Tomo I pag.690 num. CCXXVI, ex Actis Conſiſtorialibus. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 211 num. XXIV.* Ad Eccleſiam *Larinenſem* translatus fuit, ut in *Appendice* ſequenti dicetur. Anno 1696.

F. Raymundus Lizoli Mediolanenſis, Epiſcopus Olenen., aliis Olonen., & Olnen in Achaja, ſub Archiepiſcopo Patracenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 692 num. CCXXIX. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 212 num. XXV.* Ejuſdem meminit *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 31 Indicis Epiſcoporum*, ubi *Raymundum* noſtrum recenſet inter Epiſcopos *Aulonenſes*, & in hoc emendandus. Vicarius Apoſtolicus fuit in Miſſionibus *Sinen.*, uti liquet ex *F. Franciſco Gonzalez a S. Petro* in Narratione eorum, quæ geſta ſunt in Miſſionibus Sinenſibus. Anno 1696.

F. Thomas Reluz, Hiſpanus, Epiſcopus Ovetenſis, *Oviedo*, in Hiſpania. *Cavalerius Tomo I pag.691 num. CCXXVII. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 26 Indicis Epiſcoporum. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 212 num. XXVI.* Anno 1697.

F. Thomas Maria Franza, patricius Conſentinus, Epiſcopus Uritanus, *Oria*, ſub Archiepiſcopo Tarentino, in Regno Neapolitano. *Cavalerius Tomo I pag. 691 num. CCXXVIII. Ughellus in Epiſcopis Uritan. Tomo IX Italiæ Sacræ pag. 168, & Tomo X pag. 357 num. VII edition. Venetæ. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 23 Indicis Epiſcoporum. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 212. num. XXVII.* Anno 1697.

F. Franciſcus Ramirez, ex Archiepiſcopo *Brunduſino*, ut in *Appendice ad Pontificatum Innocentii XI* dictum fuit, Epiſcopus Agrigentinus, *Giorgenti*, in Siciliæ Regno, ſub Archiepiſcopo Panormitano. *Cavalerius*, aliique ſupra laudati, quibus addendus *Ughellus*, ſeu potius *Nicolaus Coletus*, qui *Ughellianam* editionem, quam *Venetam* vocamus, vulgandam curavit, ac variorum notis illuſtravit, & auxit, addens Epiſcopos, qui ad hæc uſque tempora floruerunt. Hinc fit, quod nonnunquam, *Ughelli* nomine, laudamus, quæ, vel clariſſimo viro *Nicolao Coleto*, vel variis auctoribus additionum *Ughellianarum* accepta referantur, oportet. Hæc autem de *Franciſco Ramirez* leguntur *Tomo X Italiæ Sacræ in addendis, & corrigendis pag. 217* edition. Venetæ. *Pauperes omnes dilexit, ac perpetuo fovit, quorum duos ſemper ſecum habere voluit in eadem menſa diſcumbentes, & cum quibus ſemper ſuas mutabat lances, ut unus eſſet patris, & filiorum cibus, eo ſiquidem prædulci nomine, ac loco, & vocavit ſemper eos, & habuit.* Anno 1697.

Anno 1699. F. Didacus Garoſpe Y Rala, Hiſpanus, alumnus Provinciæ Angelopolitanæ, Epiſcopus Novæ Segobiæ, *Cagayan*, in Inſulis Philippinis, ſub Archiepiſcopo Maniliano. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 28 Indicis Epiſcoporum, Dominicus Ponſi in Vita Antonini Clocbe Cap. VIII pag. 212 num. XXVIII.*

Anno 1699. F. Antonius Gaudioſus, Neapolitanus, Epiſcopus Bovenſis, *Bova*, in Calabria, ſub Archiepiſcopo Rhegienſi. *Ughellus in Epiſcopis Boven. Tomo IX Italiæ Sacræ pag. 342 edition. Venetæ. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 23 Indicis Epiſcoporum. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Clocbe Cap. VIII pag. 212 num. XXIX.*

CLEMENS XI.

Johannes Franciſcus Albanus, electus eſt die XXIII Novembris MDCC. Coronatus fuit Die VIII Decembris. Obiit die XIX Martii MDCCXXI. Sedit Annos XX, Menſes III, Dies XXV.

Regienſis (1) Eccleſiæ altari B. Mariæ conceſſum privilegium extendit, & ampliat. Anno 1700 Die 15 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

C L E M E N S PP. XI. I.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

DUdum felicis recordationis Gregorius Papa XIII Prędeceſſor noſter, ut Eccleſia Domus Regularis S. Dominici Regien. Ordinis Fratrum Prędicatorum, duodecim Fratrum in Sacro Presbyteratus Ordine conſtitutorum reſidentium numero ſuffulta, nec ſimili eouſque privilegio decorata, & in ea Altare B. Marię Virginis, quod non erat majus, hoc ſpeciali dono illuſtraretur, auctoritate ſibi a Domino tradita conceſſit, ut quoties ab aliquo dictę Domus Sacerdote duntaxat Miſſa Defunctorum ad prędictum Altare celebraretur pro anima cujuſcunque fidelis, quę Deo in caritate conjuncta ab hac luce migraſſet, ipſa de Theſauro Eccleſię Indulgentiam conſequeretur, quatenus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimę Virginis Marię, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, aliorumque Sanctorum omnium meritis ſuffragantibus a Purgatorii pęnis liberaretur, prout in dicti Gregorii Prędeceſſoris literis deſuper ſub Plumbo Anno Incarnationis Dominicę MDLXXXIII pridie Idus Auguſti Pontificatus ſui Anno XII. Ad Perpetuam Rei Memoriam expeditis, uberius continetur. Cum autem, ſicut dilecti filii Prior, & Fratres Domus pręfatę nobis nuper exponi fecerunt, etiam Sacerdotes exteri ad Eccleſiam prędictam confluere ſoleant, qui Sacroſanctum Miſſę Sacrificium ibidem celebrant, Nobis propterea dicti exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut de opportuna pręnarrati privilegii ampliatione providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſorum exponentium hac in re pio deſiderio favorabiliter annuere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus, quomodolibet innodatę exiſtant, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, privilegium pro liberandis a pęnis Purgatorii fidelium Defunctorum animabus, ſi Miſſa Defunctorum per aliquem prędictę Domus Sacerdotem celebraretur a memorato Gregorio Prędeceſſore conceſſum, ut pręfertur, ad Miſſas Defunctorum hujuſmodi per quoſcunque Sacerdotes ſeculares, ac cujuſvis Ordinis Regulares ad Altare ſupradictum de cetero celebrandas, ſervata tamen in reliquis pręfatarum Gregorii Prędeceſſoris literarum forma, & diſpoſitione, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium extendimus, & ampliamus, in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque, pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XV Decembris MDCC Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Oliverius.

Regiſtrata fol. 27

1. Regien.) Juris eſt Provinciæ utriuſque *Lombardiæ*. 2. *Archivo*.) In quo exemplar.

Ut quicunque libri prohibiti & damnati aſſervari poſſint in Bibliotheca (1) Caſanatenſi. Anno 1701 Die 12 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

C L E M E N S PP. XI. II.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Cum, ſicut dilectus filius Antoninus Cloche (3) Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum Nobis nuper exponi fecit, alias bonę memorię Hieronymus, dum vixit, S. R. E. Cardinalis Caſanate nuncupatus celebrem Bibliothecam ſuam Conventui B. Marię ſuper Minervam de Urbe dicti Ordinis donaverit, ac unum, ſeu plura capitalia annuorum reddittuum pro Bibliothecariorum, ac Profeſſorum Textus Sancti Thomę, & ſex Theologorum ſtipendiis, ſeu manutentione, ac libris, qui Congregationum pro tempore exiſtentium S. R. E. prędictę Cardinalium, vel adverſus hęreticam pravitatem generalium Inquiſitorum, vel Indici librorum prohibitorum, & expurgandorum prępoſitorum cenſurę, & judicio ſubjici deberent quotannis emendis, aſſignaverit; in ipſa vero Bibliotheca multi reperiantur libri quorum retentio, atque lectio per ſacros Canones, & conſtitutiones Apoſtolicas prohibentur. Et propterea dictus Antoninus Magiſter Generalis opportune in pręmiſſis a Nobis provideri, & ut infra in-

indulgeri plurimum deſideret. Nos ipſum Antoninum Magiſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum dictæ S.R.E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem prædictam generalium Inquiſitorum a Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatorum conſilio, eidem Antonino Magiſtro Generali, aliiſque pro tempore exiſtentibus dicti Ordinis Magiſtris Generalibus, ut ipſi in Bibliotheca præfata quorumvis hæreticorum, & hæreſiarcharum, aliorumque reprobatorum Auctorum, cujuſcunque Sectæ, & Claſſis etiam primæ, & ex quacunque cauſa, etiam ob falſi dogmatis ſuſpicionem a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſeu in quibuſvis Conciliis generalibus, ac etiam a Nobis, & Sede prædicta quomodolibet prohibitos, & damnatos, & a Nobis, Succeſſoribuſque noſtris Romanis Pontificibus, & dicta Sede forſan prohibendos, & damnandos libros, manuſcripta, & opera, tam hactenus in lucem edita, quam in poſterum edenda, ſeu ſcribenda quæcunque, etiamſi ex profeſſo, & in capite de Religione, & fide Catholica, ſeu contra religionem, & fidem eaſdem tractent in ipſa Bibliotheca collocatos, & collocata, ac in futurum quandocunque collocandos, & collocanda retinere, habere, & aſſervare tantum libere, licite, & impune, ac abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo, & quarumcunque Eccleſiaſticarum ſententiarum, & cenſurarum, vel aliarum pœnarum, etiam irregularitatis, infamiæ, aut inhabilitatis incurſu poſſint, & valeant; ita tamen ut illos, & illa ab iis ſeparatos, & ſeparata, & ſub clave, ne ad aliorum manus deveniant, retineant, & nonniſi ab iis, qui opportunam ſuper eorum lectione licentiam ſibi canonice conceſſam eſſe oſtenderint legi permittant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, concedimus, & indulgemus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis, & edendis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon prohibitionibus deſuper factis, & in poſterum quomodolibet faciendis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe, ac latiſſime derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XII Februarii MDCCI, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Oliverius.

1. *Bibliotheca.*) Quam rei literariæ bono *Romæ* fundavit S.R.E. Cardinalis *Hieronymus Caſanate*, præclaris animi dotibus, pietate, doctrina, & omnigena eruditione celeberrimus. Audiendus hac de re ipſemet Cardinalis: Sic enim in ſupremis tabulis loquitur: *Il mio fine principale in laſciare erede ne i beni, che ho fuori del Regno di Napoli, il Convento della Minerva, è ſtato il voler fondare una Biblioteca publica in Roma, ed altro, come ſi dirà appreſſo* (ac ad rem ſatis dicunt ſuperiores literæ Apoſtolicæ) *che ſia a benefizio comune di tutti quelli, che vorranno approfittarſi nelle lettere, e renderſi abili al ſervitio, ed alla difeſa della Religione Cattolica, e di queſta S. Sede.* Ac inferius inter ſtatuendum quinam curandæ Bibliothecæ, ac Literæ S. Thomæ exponendæ per præſcriptos Electores ſint præficiendi ... *paricolarmente che ſiano tali, che ſempre tengano, e difendano la dottrina di S. Tomaſo, e di S. Agoſtino da me ſempre venerata, e ſeguita; eſſendo queſto il motivo mio principale di fondare queſta mia Libreria, e Cattedra ... e laſciarla a i PP. Domenicani, e al Convento della Minerva di Roma.* Quam merito autem in Fratribus Ordinis, quos Cuſtodes, vindiceſque depoſiti doctrinæ SS. PP. Auguſtini, & Thomæ re ipſa, atque verbis ſuis ibidem pluries agnoſcit, fiduciam collocavit ſuam in dies ſingulos Romanorum cujuſcunque ſtatus, ac conditionis ingens concurſus ſatis ſuperque loquitur.

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo aſſervato in *Caſanatenſis* Bibliothecæ ſcriniis.

3. *Antoninus Cloche.*) Vide notas ad *Conſtitutionem XXXV Innocentii XI pag. 379. &c.*

Anno 1701 Die 20 Aprilis. III.

Regi Perſarum nonnullos Miſſionarios Ordinis S. Dominici Aſpahamum proficiſcentes enixe commendat.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Illuſtri, ac Potentiſſimo Regi Perſarum.

CLEMENS PP. XI.

Illuſtris, ac Potentiſſime Rex ſalutem, & lumen divinæ Gratiæ.

CUM ad amplificandam inclyti Regis famam ſummopere pertineat liberaliter excipere, & humaniter fovere eos, qui ab exteris, atque remotis Regionibus ad ſua Regna, ditioneſque honeſto aliquo fine ducti properant, Nobis profecto pollicemur Celſitudinem Tuam gloriæ ſibi ducturam eſſe Regium patrocinium impertiri dilectis filiis Religioſis Viris, Petro Martyri de Parma, Corradino de Valletelina, Archangelo a Brixia, Antonino Poſchiavano, & Joſeph Mariæ Armeno, Ordinis S. Dominici, Congregationis Sanctæ Sabinæ de Urbe Miſſionariis (2), qui non alio conſilio, aut propoſito iſtuc adveniunt, quam ut Evangelicæ, Catholicæque veritatis lumen volentibus, atque optantibus oſtendant. Quia tamen confidimus Te præcipuam etiam rationem habiturum eſſe hujus noſtri officii, atque commendationis, a Te, quo majori ſtudio poſſumus, expetimus, ut intuitu noſtro, & ut gratam rem No-

Nobis facias, eoſdem Religioſos Viros libertate, ac privilegiis, quibus anteactis temporibus gaviſi ſunt, in pręſens etiam uti, ac frui permittas, itaut nulla eiſdem neque quoad perſonas, neque quoad res inferatur moleſti 2. Et pręterea domum, atque habitationem, quam in Suburbiis Aſpahami Regiæ tuę Civitatis antea poſſidebant, retinere, actuque poſſidere, ac pacifice inhabitare poſſint. Perſuaſum autem Tibi eſſe volumus Nos viciſſim ſemper paratos fore noſtrę erga Te voluntatis pręclara teſtimonia deferre Celſitudini Tuę, quam ut Deus uberi temporalium bonorum copia augeat, & ſpiritualium participem efficiat, vehementer cupimus. Datum Romę apud S. Petrum ſub Anulo Piſcatoris die vigeſima Aprilis MDCCI, Pontificatus noſtri anno Primo.

1. *Archivo*) In quo exemplar. Legitur *T. I Epiſtol. & Brevium Clementis XI pag.* 47.

2. *Miſſionariis.*) *Doctrina, & Apoſtolici Miniſterii diuturno experimento comprobatis*, ut legitur *Lib. II de Vita, & rebus geſtis Clementis XI. pag.* 84. *N. XXII*. Addit Auctor, quod *Clemens XI* hoc anno *in Guineam quoque Pradicatorum Ordinis Fratres allegavit, quorum opera res Catholica multiſariam aucta eſt*.

Eoſdem Fratres Armenorum Patriarchæ commendat.

Anno 1701 Die 20 Aprilis.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Venerabili Fratri Nahabiet totius Nationis Armenorum Patriarchę.

IV.

C L E M E N S PP. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

OPportunam explicandę ſingularis illius erga hanc Sanctam Sedem obſervantię, quam Fraternitas tua uberi ſignificatione alias teſtata eſt occaſionem tibi in pręſens exhibebunt dilecti Filii Religioſi Viri, Petrus Martyr de Parma, Corradinus de Valletelina, Archangelus a Brixia, Antoninus Poſchiavanus, & Joſeph Maria Armenus, ex Ordine S. Dominici, Congregationis Sanctę Sabinę, qui in Perſiam a Nobis non alio fine allegantur, quam ut Nationi Armenę, quę Nobis apprime cordi eſt, ſpiritualia deferant pręſidia. Confidimus itaque Te, prò egregia tua in Nos voluntate, libenter eſſe excepturum pręfatos Evangelicę veritatis Pręcones, ac Dominici agri Operarios, quos Tibi etiam, atque etiam commendatos eſſe volumus, quatenus eos fovere, & omni prorſus caritate, ubi res expoſcet, intuitu noſtro tueri velis. Erit id plane Nobis gratum, Tibique perpetuo conciliabit benevolentiam noſtram, quam, ubi ſuppetent occaſiones, explicare non omittemus tum Tibi ipſi peculiaribus documentis, tum iis omnibus ex iſta Natione, qui Romam forte advenient, quos certe paterno amore, quod hucuſque fecimus, ſemper recipiemus; nam pręter illam animi propenſionem, quam pridem erga ipſos geſſimus, peculiaris in pręſens ratio ejuſdem pręferendę Nobis incumbit, ex quo licet immerentes, pręſidemus Eccleſię Dei, piiſſimę videlicet Matri, quę cum libenter excipiat omnes ad ſe accurrentes, tum maximè Nationis veſtrę populos lętanter complectitur, quos memorat, ſedente pię memorię Beato Silveſtro, Evangelici lactis ubertate fuiſſe potatos, per ea felicia tempora, quibus in fronte Regum lucere cępit Crux Redemptoris. Accedit ad Paternę noſtrę pietatis excitamentum tum conſideratio malorum, quę tot jam ſeculis eandem Nationem premunt, a quibus, ut ipſam relevari aliquando poſſit, enixe cupimus. Vota autem noſtra in eo in primis verſantur, ut ſinguli ejuſdem Nationis, qui Chriſtiano nomine cenſentur, ad antiquam unitatem cum Romana Eccleſia omnium Magiſtra, ac parente revertantur, Te præſertim adlaborante, cui pignus Pontificię dilectionis Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX Aprilis MDCCI, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo*) In quo exemplar. Legitur *T. I Epiſtol. & Brevium ſelectior. Clementis XI pag.* 48.

De feſto S. Catharinæ Senenſis celebrando Romæ in Monaſterio S. Catharinæ.

Anno 1701 Die 29 Aprilis.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

C L E M E N S PP. XI.

V.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ALias felicis recordationis Sixtus PP. V Prędeceſſor noſter omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Eccleſiam Monaſterii Monialium Sanctę Catharinę Senenſis de Urbe Ordinis Sancti Dominici die feſto ejuſdem Sanctę Catharinę ſecunda Dominica Menſis Maii celebrari ſolito a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effudiſſent, Plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino conceſſit, & alias prout in ipſius Sixti Prędeceſſoris literis deſuper expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius dicitur contineri. Cum autem, ſicut dilectę in Chriſto filię Prioriſſa, & Moniales dicti Monaſterii, Nobis nuper exponi fecerunt, ipſę a Congregatione tunc exiſtentium Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium Sacris Riti-

Ritibus prępoſitorum indulgeri obtinuerint, ut deinceps feſtum pręfatę Sanctę Catharinę, quod ſecunda Dominica Menſis Maii, ſicut pręmittitur, celebrare ſolebant, impedita aliquando, aut Pentecoſtes, aut Sanctiſſimę Trinitatis, ſolemnitate, vel Dominica infra octavam Corporis Chriſti, ad primam Dominicam ejuſdem Menſis Maii transferre poſſint, & valeant, prout in ipſius Congregationis decreto deſuper emanato plenius continetur. Nobis propterea dictę exponentes humiliter ſupplicare fecerunt, ut in pręmiſſis opportune providere, &, ut infra indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur earundem exponentium votis hac in re quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Plenariam Indulgentiam Chriſti fidelibus dictam Eccleſiam viſitantibus, aliaque pręfata pietatis opera peragentibus a memorato Sixto Prędeceſſore conceſſam, ut pręfertur, ad primam Dominicam ejuſdem Menſis Maii ſervata tamen in reliquis, & firma remanente earundem literarum forma, & diſpoſitione, dicta auctoritate tenore pręſentium perpetuo transferimus. In contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIX Aprilis MDCCI, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo aſſervato in Monaſterio *S. Catharinæ* de Urbe. Huc etiam ſpectant hæc Decreta.

Ex autographis exiſtentibus apud Moniales Monaſterii Sanctæ Catharinæ Senenſis de Urbe.

U R B I S.

AD humillimas preces Prioriſſę, & Monialium Monaſterii Sanctę Catharinę Senenſis de Urbe, Sanctiſſimo D. N. Clementi Papę XI porrectas, a Sanctitate Sua ad Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Cardinalem de Carpinea Urbis Vicarium, & Sacrorum Rituum Congregationis Pręfectum remiſſas, & ab eodem Eminentiſſimo relatas, eadem Sacra Rituum Congregatio ex gratia ſpeciali benigne indulſit, atque conceſſit, ut dies feſti S. Catharinę Senenſis prędictę, & dedicationis earundem Monialium Eccleſię, quorum primus in prima Dominica Menſis Maii, & alter in die immediate dictam primam Dominicam Maii ſequente, celebrari ſolent, hoc pręſenti anno tantum, attenta occurrentia Dominicę in Albis in Dominica prima Menſis Maii, & ex aliis circumſtantiis, a Monialibus S. Catharinę prędictis ad ſecundam Dominicam Menſis Maii, & ad diem immediate ſequentem prędictam ſecundam Dominicam Maii transferri poſſint, & valeant, & pro Indulgentia cum Sanctiſſimo die II Aprilis MDCCVII.

G. Cardinalis Carpineus.

Locus ✝ Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Cong. Sec.

U R B I S.

SAcra Rituum Congregatio ad humillimas preces Prioriſſę, & Monialium Ordinis S. Dominici Monaſterii Sanctę Catharinę Senenſis de Urbe inhęrendo alteri indulto ſub die II Aprilis MDCCVII ipſis elargito, benigne conceſſit, ut dies feſti Sanctę Catharinę Senenſis, & dedicationis earundem Eccleſię, quorum primus in prima Dominica Menſis Maii, & alter in die immediate ſequenti celebrari ſolent, etiam hoc pręſenti anno ob occurrentiam Dominicę in Albis in dicta prima Dominica, a Monialibus prędictis ad ſecundam Dominicam Menſis Maii, & ad diem immediate ſequentem pręfatam ſecundam Dominicam transferri poſſint, & valeant. Die XIII Februarii MDCCXXXIV.

A.F. Card. Zondadari P. Pręfectus.

Locus ✝ Sigilli.

N. M. Thedeſchi Arch. Apamen. S.C.R. Sec.

Anno 1701 Die 14 Junii.

In Archiepiſcopum (1) Aquenſem Fratres Mendicantes moleſtiis afficientem.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VI.

Venerabili Fratri, Danieli Archiepiſcopo Aquenſi (3).

C L E M E N S PP. XI.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EGerunt apud Nos enixis precibus dilecti filii Religioſi viri Superiores infraſcriptorum Ordinum, videlicet, Servorum Beatę Marię Virginis, Minorum Conventualium, Eremitarum Sancti Auguſtini, Carmelitarum, Minimorum, ac Recollectorum iſtius Civitatis, ac ejuſdem Suburbiorum, necnon Prioriſſę, ac Moniales S. Bartholomęi Ordinis S. Dominici, & S. Clarę Ordinis Sancti Franciſci, quibus

quibus omnibus profeſſores Ordinis Prędicatorum pro eorum jure, etiam adhęſerunt, appellantes, ac reſpectivè reclamantes adverſus Ordinariam, Paſtoralemque viſitationem, quam fraternitas tua peragere ſategit Menſe Octobris proxime pręteriti tam Eccleſiarum, Capellarum, Chori, Vaſorum Sacrorum, quam aliorum in eis exiſtentium, aſſertis privilegiis, & exemptionibus pręfatorum Regularium, etiam Apoſtolicarum Conſtitutionum, & Conciliorum Generalium auctoritate munitis minime attentis; quatenus mandaremus aboleri cenſuras, & interdictum removeri ob hujuſmodi viſitationis recuſationem inflictas, ac in eorum Eccleſiis reſpectivè appoſitum a fraternitate tua, eaque omnia irrita, ac inania eſſe declararemus. Nos itaque rei gravitatem expendentes, ac merito ſoliciti, ne occaſione hujuſmodi Eccleſiaſticarum pęnarum ullum divino cultui, ac ſpirituali iſtius populi ſaluti detrimentum inferatur, aut alia ſcandala ſuboriantur, his omnibus provide occurrendum eſſe ducimus, te tamen prius audito, quam ſuper ea re quidquam definitivè ſtatuamus. Interim vero pręfatas cenſuras, memoratumque interdictum per quatuor Menſes a prima die proxime venturi Menſis Julii inchoandos, cum reincidentia tamen poſt illos elapſos, ſuſpendimus. Quamobrem Paſtoralis tui zeli, ac vigilantię erit non tam cenſurarum, & interdicti, inflictarum, & reſpectivè appoſiti ſuſpenſionem executioni ſtatim demandare, quam diſtincte intra eundem terminum Nos de omnibus, quę ad eandem controverſiam pertinent, inſtruere, ut rationibus ab utraque parte deducendis mature penſatis, illud, quod ęquitati conſonum judicabimus, cum Domino decernere valeamus, dum Nos fraternitati tuę perpetuum benevolentię noſtrę pignus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIV Junii MDCCI, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archiepiſcopum.*) Is erat Illuſtriſs. D. *Daniel de Coſnac.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur *T. I Epiſtol. &* *Brevium Select. Clementis XI pag.60.*
3. *Aquenſi.*) In *Gallo Provincia.*

De B. Auguſtini (1) Epiſcopi Lucerin. officio recitando.

Anno 1702 De 4 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLEMENS PP. XI.

VII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

NUper ad ſupplicationem dilecti filii Antonini Cloche (3) Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, emanavit a Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus Prępoſitorum decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet. Lucerina Canonizationis Beati Auguſtini Dalmatę Ordinis Prędicatorum Epiſcopi Zagabrienſis, & demum Lucerin.. Cum Sacrorum Rituum Congregatio ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Petrucci ſub die XIX Junii MDCC cum ſubſequuta approbatione Sanctiſſimi cenſuerit, conſtare de cultu immemorabili Beato Auguſtino prędicto pręſtito. Pater Antoninus Cloche Ordinis Prędicatorum Magiſter Generalis humiliter Sacrorum Rituum Congregationi ſupplicavit, quatenus concedere dignaretur, ut in Civitate Lucerina continuari poſſit in celebratione feſti dicti Beati Auguſtini cum Officio, & Miſſa propriis ejuſdem Beati, prout aſſerebatur fuiſſe hactenus recitatum, necnon ut idem indultum ad totum Ordinem Prędicatorum, ad Provinciam Beneventanam in qua ſita eſt Civitas Lucerina, ad Civitatem, & Diœceſim Tragurienſem Patriam ejuſdem Beati, necnon ad Civitatem, & Diœceſim Spalatrinam benigne extendere dignaretur. Et Sacra eadem Rituum Congregatio ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. Cardinalis Gabrielli tam in voce, quam in ſcriptis Reverendiſſimo Archiepiſcopo Myren. fidei promotore audito, accedentibus piis ſupplicationibus Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. Cardinalis Urſini (4) Archiepiſcopi Beneventani, Archiepiſcopi Spalatrini, Epiſcopi Lucerini, & aliorum Epiſcoporum totius Provincię Beneventanę & Epiſcopi Tragurienſis Sanctiſſimo Domino noſtro porrectis, & ad eandem Sacrorum Rituum Congregationem remiſſis, Officium cum Miſſa de Beato Auguſtino prędicto pro Civitatibus Lucerina, Zagabrienſi, & Tragurienſi, necnon earundem Diœceſibus, & pro Ordine Prędicatorum, de communi tamen Confeſſorum Pontificum poſſe concedi cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die prima Octobris MDCCI. Et facta deinde de prędictis per me Secretarium Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die XIX ejuſdem Menſis Octobris, & anni MDCCI. G. Cardinalis Carpineus. Loco † ſigilli. Cum autem, ſicut dictus Antoninus Magiſter Generalis Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri ſummopere deſideret, Nos ipſum Antoninum Magiſtrum Generalem ſpecialis favore gratię proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum pręinſertum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate memoratę Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & or-

& ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IV Aprilis MDCCII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Oliverius.

1. *Auguſtini.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII.* Ipſius feſtum celebratur die *VIII* Auguſti.

2. *Archivo.*) In quo autographum. Legitur in *Bullario Clementis XI pag.* 20.

3. *Antonini Cloche.*) Conſulenda Conſtitutio *XXXV Innocentii XI pag.*379.

4. *Urſini.*) Poſtea *Benedicti XIII.*

Anno 1702 Die 25 Aprilis.

De Melitenſis Cœnobii S. Mariæ Portus Salutis Priore conſtituendo.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

VIII.

CLEMENS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Alias poſtquam felicis recordationis Alexander PP. VII Prędeceſſor noſter ordinationem quandam tunc exiſtentis viſitatoris Provincię Sicilię Ordinis Prędicatorum, qua decernebatur, ut Prior Conventus S. Marię Portus Salutis Civitatis Vallettę dicti Ordinis non a vocalibus eligi, ſed a tunc in humanis agente Johanne Baptiſta de Marinis, dum vixit Magiſter Generalis ejuſdem Ordinis, ejus vita durante, ſeu eo abſente ab ejus Vicario Generali, immediate dari deberet, ipſeque Prior ſic pro tempore dandus ſimul exerceret munus Vicarii Inſulę Meliten. per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die III Octobris MDCLVI expeditas literas confirmaverat, & approbaverat, ac ſubinde idem Alexander Prędeceſſor ordinationem hujuſmodi ad decennium a die obitus dicti Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis computandum per alias ſuas pariter in forma Brevis literas die XIV Octobris MDCLXII expeditas extenderat, & prorogaverat, ac deinde recolendę memorię Clemens PP. X, etiam Prędeceſſor noſter eandem ordinationem a memorato Alexandro Prędeceſſore confirmatam, & approbatam, ac ſubinde ad decennium prorogatam, ut pręfertur, ad alios decem annos a fine dicti decennii numerandos per quaſdam ſuas in eadem forma Brevis literas die XXI Julii MDCLXX deſuper emanatas extenderat pariter, & prorogaverat, pię memorię Alexandro PP. VII Prędeceſſori pariter noſtro pro parte tunc exiſtentis Magni Magiſtri Hoſpitalis S. Johannis Hieroſolymitani expoſito, quod ipſe pro majori regularis obſervantię incremento ordinationem pręfatam perennare plurimum deſiderabat, ipſe Alexander VIII Prędeceſſor ſupplicationibus ejus nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, ut ad decennium tunc proximum Prior dicti Conventus Sanctę Marię Portus Salutis Civitatis Vallettę juxta memoratam ordinationem, non a vocalibus eligi, ſed a pro tempore exiſtente Magiſtro Generali, & in ejus abſentia a Vicario Generali dicti Ordinis Prędicatorum immediate dari deberet, ipſeque Prior, ſic pro tempore dandus, ſimul exerceret munus Vicarii dictę Inſulę per literas ab eodem Magiſtro Generali pro tempore exiſtente, ſeu ejus Vicario Generali obtinendas, auctoritate Apoſtolica ſtatuit, & ordinavit, & alias prout in ejuſdem Alexandri VIII Prędeceſſoris literis in eadem forma Brevis die V Auguſti MDCXC deſuper expeditis, quarum, & ternarum Alexandri VII, & Clementis Prędeceſſorum literarum prędictarum, tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi volumus uberius continetur. Cum autem, ſicut dilectus filius modernus magnus Magiſter dicti Hoſpitalis Nobis nuper exponi fecit ipſe ſtatutum, & ordinationem hujuſmodi decennio, ad quod illa a dicto Alexandro VIII Prędeceſſore, ſicut pręmittitur, facta fuerunt jam elapſo, ad aliud decennium, quo dicta regularis obſervantia majora ſemper ſuſcipiat incrementa a Nobis renovari plurimum deſideret, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ejuſdem Magni Magiſtri votis hac in re quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, illa, quę circa memoratum Priorem Conventus S. Marię Portus Salutis per dictas Alexandri Prędeceſſoris literas ad decennium ſtatuta, & ordinata fuerunt, ut pręfertur, ad aliud decennium proximum tantum ſervata in omnibus literarum hujuſmodi forma, & diſpoſitione, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium ſtatuimus ſimiliter, & ordinamus. Decernentes eaſdem pręſentes literas, firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quę in literis ſupradictis conceſſa ſunt, non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXV Aprilis MDCCII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo autographum.

Pa-

Patriarcham (1) Antiochenum Viſitatorem Apoſtolicum ad Imperium Sinarum miſſum ſignificat F. Raymundo (2) Epiſcopo Olnen. Ordinis Prædicatorum. Anno 1702. Die 20 Junii.

Ex Archivo (3) Ordinis. IX.

Venerabili Fratri Raymundo Epiſcopo Olnen., Vicario Apoſtolico in Indiis Orientalibus.

C L E M E N S PP. XI.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UBi ad univerſalis Eccleſię regimen Nos, licet immerentes, inſcrutabile Dei judicium evexit, intelleximus ſingularem illam animi propenſionem, quam pridem erga fideles iſtarum partium, tanquam erga genus electum, & populum acquiſitionis, gerebamus, tum demum pręcipuam noſtram ſolicitudinem fieri, & ad paſtoralis officii debitum quammaxime pertinere eos perpetua, ac peculiari caritate complecti. Ut itaque vigilantię noſtrę partibus in promovenda ſemper magis ſpirituali ipſorum ſalute, ac in propaganda latius iſtic Catholica Religione reſponderemus, habita matura rei deliberatione, divinoque pręſidio enixis precibus exorato, allegare decrevimus ad iſtas partes Venerabilem Fratrem Carolum Thomam (4) Patriarcham (5) Antiochenum, quem ſingulari integritate, pietate, prudentia, ac doctrina, pręter generis pręſtantiam, eſſe inſtructum dudum novimus, ut Provincias, ac loca iſta, in quibus Chriſtiana Fides colitur, vel per ſe, vel per delegatos ſuos auctoritate noſtra diligenter luſtret, ac propterea munus Viſitatoris Apoſtolici, cum poteſtate noſtri, & hujus S. Sedis de Latere Legati, ipſi demandavimus, quod ille Miniſterium, eo zelo, ea animi alacritate ſuſcepit, qua profecto ſolent, qui non ſua, ſed quę Dei ſunt, inquirunt, & rebus omnibus humanis animarum lucrum, & Divini cultus incrementum pręponunt. Fraternitatem itaque Tuam, quę eodem deſiderio incenſa Evangelii, & Catholicę veritatis propagationi pie iſthic, ac ferventer dat operam, hortamur, & pro ea, quam in hanc Sanctam Sedem, Noſque ipſos devotione, atque obedientia profitetur, eidem injungimus, ut pręfato Patriarchę Fraterna caritate, & congruis perſonę, quam ipſe gerit, honoris ſignificationibus, omni pręterea ope, ac diligentia adeſſe curet, quatenus miniſterium pręfatum juxta eas, quibus a Nobis ampliſſime communitus eſt, facultates probe, & utiliter, benedicente Domino, obire, & tanti laboris per eum ſuſcepti fructum, quo fieri poterit, ampliorem valeat referre. Ceterum de Pontificia noſtra benevolentia luculenter ab eo certior fies, nec ambigimus, quin maximum in eis, quę attinent ad promovendum unanimi omnium voluntate pium Miſſionum opus, in ejus probitate, atque prudentia pręſidium nanciſcaris. Fraternitati interim Tuę Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XX Junii MDCCII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Patriarcham.*) De quo ſæpius.
2. *Raymundo.*) *Lizoli*,) De quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii XII.*
3. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur *Tomo I Epiſt. & Brevium Select. Clementis XI pag.* 117.
4. *Carolum Thomam.*) *Maillard de Tournon*, Taurinenſem, genere, virtutum præſtantia, eruditione clariſſimum. Legendus *Liber II de Vita, & Rebus Geſtis Clementis XI pag.* 85 *&c.*
5. *Patriarcham.*) Poſtea S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalem.

De Ritibus Sinicis. Anno 1702. Die 9 Decembris.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro, Petro Portugallię, & Algarbiorum Regi Illuſtri. X.

C L E M E N S PP. XI.

Cariſſime in Chriſto fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benectionem.

COnſiderare omnino debet pro ſua in Nos, atque in hanc S. Sedem filiali obſervantia Majeſtas Tua, Nos in cauſa, quę agitur circa Sinenſium Ritus, nullo modo receſſuros eſſe ab inſtituto Prędeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, qui in ſimilibus controverſiis nullam, quoad maturam rei inſpectionem, diligentiam prętermittere conſueverunt: ferendi vero judicii rationem a Patre luminum ſępius conſulto, ac exorato expetendam, expectandamque eſſe intellexerunt. Quod quam Nobis propoſitum ſit, vel ex eo facile conſtare poteſt, quod quamvis ſatis compertum haberemus, quam accurato examine hęc ipſa cauſa ſub felicis recordationis Innocentio XII Prędeceſſore noſtro expenſa fuerit, Nobis tamen ad Apoſtolicum munus ſubinde evocatis viſum eſt cogitationes, atque conſilia noſtra in eundem ſcopum conferre, ipſamque controverſiam ulteriori diſquiſitioni ſubjicere, ut demum, Deo auctore, cujus opem humiliter expoſcimus, & pręſtolamur, id, quod Eccleſię bono, animarumque ſaluti expedire docebimur, perficere valeamus. Majeſtati itaque Tuę, quam in ſolicitudine noſtra conquieturam eſſe non ambigimus in hoc pręſertim negotio, quod nullo partium ſtudio, nullo officiorum genere urgeri poteſt, auſpicium uberis felicitatis deferimus, & Apoſtolicam Benedictionem amantiſſime im-

impartimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IX Decembris MDCCII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur *Tomo I Epiſt. & Brevium Select. Clementis XI pag.* 131.

Anno 1703 Die 13 Februarii.

Quicquid in Mendicantes Fratres geſſit Archiepiſcopus (1) Aquenſis, irritum declarat, & cavet, ne prædictus Archiepiſcopus violet privilegia iiſdem Mendicantibus conceſſa.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XI.

Venerabili Fratri, Danieli Archiepiſcopo Aquenſi.

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolicę libertati, & ſincerę in Domino caritati, in primis vero debito muneris, quod humilitati noſtrę inſcrutabile Dei judicium impoſuit, conſentaneum eſſe ducimus ea diuturniori ſilentio minime prçterire, quę ad cuſtodiendam, ut par eſt, hujus S. Sedis Dignitatem, atque auctoritatem quam maxime pertinere intelligimus. Noſtro itaque obſequentes officio ita hęc ad Fraternitatem tuam perſcribimus ut non dimiſſa ea, quam de tua pietate conſtanter gerimus, opinione, nequaquam refrigeſcat caritas illa, qua Te proſequimur, immo quo magis perſuaſum habemus Te zelo pro Dei Eccleſia incendi, & conſilio, atque doctrina prçſtare, eo Te propenſiorem fore confidimus in id omne, quod, veritate, ac juſtitia dictante, Tibi explicare cogimur; cum prçſertim Te latere non poſſit lędi quodlibet honorabile Eccleſię membrum in ipſo capite, ubi ea, quę provide Romani Pontifices Prędeceſſores noſtri conſtituerunt, everti, aut ſuo fruſtrari effectu contingat. Cum itaque apud omnes compertum ſit, Ordinum Regularium Mendicantium Eccleſias, Monaſteria, Loca, ac perſonas ab Ordinariorum juriſdictione per Apoſtolicam Sedem exempta eſſe, & ejuſdem Sedis auctoritati immediate ſubjici, nec cuiquam licere Privilegia hujuſmodi immutare, quinimo nec poſſe regulares ipſos, niſi de Romani pro tempore exiſtentis Pontificis licentia, eiſdem renunciare, propterea non tam grave, quam mirum Nobis accidit ea audire, quę Fraternitas Tua in iſta Civitate, ac Dięceſi jampridem attentaverat, dum prçfatorum Regularium Ordinum Eccleſias, quibus cura animarum non ſubeſt, ac Sedes Confeſſariorum in eis exiſtentes, necnon Sanctiſſimam Euchariſtiam, ac Tabernaculum, Pixidemque, in qua eadem ſervari ſolet, fruſtra reclamantibus, & ſua ſatis nota privilegia allegantibus Regularibus ipſis, viſitare voluiſti, quaſi in hoc Concilii Tridentini Te tueretur auctoritas, aut quam invaluiſſe in quibuſdam Dięceſibus aſſeverabas, ejuſmodi actum validare poſſet conſuetudo, ſuppoſitis prçterea Eccleſiaſtico Interdicto illorum Eccleſiis, qui ſimilibus juribus freti viſitationi hujuſmodi reſtiterant, ſublataque eorundem perſonis facultate excipiendi confeſſiones ſecularium, ac populi verbum Dei de more annunciandi. Ejuſmodi itaque rerum ſerie a Nobis percepta, etſi celeri, ac publica opus eſſe reparatione intelligeremus, non tamen animum ſtatim convertimus ad ea conſilia, quibus eadem parari poſſet, ſed ejus exemplo, & monitis, quantum patitur infirmitas noſtra, inhęrentes, cujus vices, licet immeriti, gerimus, rem Tecum in ſpiritu lenitatis agi voluimus, ac proinde injunximus venerabili Fratri Philippo Antonio Archiepiſcopo Epiſcopo Imolenſi, Nuncio apud Chriſtianiſſimum Regem Noſtro, ut de ejuſdem rei gravitate ea, qua par erat, diligentia cum Fraternitate Tua differeret, noſtraſque in ſimili forma Brevis literas, quibus eum inſtruximus, tibi redderet, confiſi Te, pro ſpectata tua prudentia, ęquitati ipſi, votiſque noſtris non ęgre adhęſurum. Verum non multo poſt ab ea ſpe decidimus, cum nedum Te eodem conſtitiſſe veſtigio intelleximus, ſed ulterius etiam progreſſum fuiſſe, ac viſitationem pariter in Eccleſia Fratrum Ordinis Beatę Marię de Carmelo, adjuncta Tibi ſeculari poteſtate, effractiſque, quod plane dolentes dicimus, ſacri illius loci foribus, habuiſſe. Quanto hęc omnia, & quam intimo mœrore Nos compleverint, verbis vix conſequi poſſumus: imo non ambigimus, quin Tu ipſe, ubi rem ſerio velis expendere, probe agnoſcas, quam pravi exempli, quam gravis apud Fideles, & plebem Tibi commiſſam offenſionis, atque periculi occaſio fuerit eo rem videre adductam, ut tu ipſe homines retraheres a Sacrificio Domini: validos ac fortes, robur panis, & robur aquę a Jeruſalem nova auferres: conductos a Patre familias Operarios, ſtrenueque laborantes ab ipſius vinea, eo inconſulto removeres, ac demum adverſus filios Matris tuę poneres ſcandalum. Ceterum quia palam, ac publice lęſa fuiſſe videmus tum Privilegia Regularibus ob multa, atque prçclara in Eccleſiam Dei promerita, ab Apoſtolica Sede indulta, tum jura ipſius Sanctę Sedis, ad quam, tanquam ad Conditorem, judicium circa eadem Privilegia pertinet, ut unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat: liberum non eſt Nobis, integra conſcientia noſtra, ulterius acquieſcere. Cum itaque ſatis conſtet iis, qui in partem ſolicitudinis noſtrę, non in plenitudinem poteſtatis, vocati ſunt, minime licere in illis, quę Apoſtolica Sedes ſibi reſervavit, manum apponere, niſi quatenus eidem Sanctę Sedi viſum fuerit id ſpecialiter committere: cumque illud, quod Fraternitas tua in prçfatis Regularium Eccleſiis attentavit, neque Concilii Tridentini Decretis relaxatum ſit, neque Prędeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus, aut Decretis commiſſum fuerit, neque uſu, ſeu potius abuſu contra jus, & auctoritatem Sedis Apoſtolicę induci potuerit; idcirco de nonnullorum venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio declaramus, atque decernimus non licuiſſe Fraternitati Tuę, neque licere in Eccleſiis Regularium exemptorum, quibus non incumbit cura animarum, ſedes deſignatas ad audiendas fidelium confeſſiones, Pixidem, & Tabernaculum, ac Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum, neque ipſas

ipſas Eccleſias viſitare, ac propterea viſitationem ipſam interdictum, cenſuras, aut prohibitionem audiendi confeſſiones perſonarum ſecularium, & annunciandi Populo verbum Dei aliaque forſan contra exemptionis Privilegia attentata, & quę in poſterum attentari contigerit, omnia fuiſſe, eſſe, ac reſpective fore nulla, atque irrita, nullumque ex viſitatione, aliiſque memoratis actibus pręfatorum Regularium Ordinibus adverſus notoriam illorum exemptionem pręjudicium illatum fuiſſe, nec inferri potuiſſe, ideoque in dictis Eccleſiis poſſe, uti prius Divina Officia celebrari, ac eoſdem Regulares libere, ac licite miniſtrare. Quę dum per hęc Apoſtolica ſcripta Fraternitati Tuę nota facimus, eandem enixe hortamur, ut ſicut in iſta crediti ſibi Dominici gregis parte muneri ſuo reſpondere ſatagit, ita ab iis, quę Apoſtolica Sedes ſibi reſervavit, abſtinendum eſſe intelligat, ne a Capite diſcrepare videatur id quod ne cogitare quidem de perſpecta virtute, ac zelo tuo patitur animus, quo in te ſumus, ſed imo perſuaſum Nobis eſt, Te recti amatorem, noſtręque in te eximię caritatis memorem, ſincerę tuę in Nos, & eandem Sedem, addictęque voluntatis argumenta daturum eſſe, quibus ab hac gravi cura pręter multiplices, quibus circumdamur, quam primum exolvamur, & Fraternitati Tuę Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII Februarii MDCCIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Archiepiſcopus.*) Conſulenda Conſtitutio *VI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur *Tomo I Epiſt. & Brevium Select. Clementis XI pag.* 142.

Indulgentia (1) pro XV feriis tertiis.

Anno 1703 Die 5 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

C L E M E N S PP. XI.

XII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, in diverſis Orbis Chriſtiani partibus pia erga S. Dominicum Ordinis Fratrum Prędicatorum Fundatorem, & Roſarii Beatę Marię Virginis auctorem devotio inducta fuerit &c. (3) Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die V Martii MDCCIII., Pontificatus noſtri Anno Tertio.

F. Oliverius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCIII.*

3. *Fuerit &c.*) Ut in *Conſtitutione X Alexandri VII.* Legitur *pag.* 185.

Confirmatio diviſionis (1) Provinciæ Hungariæ a Provincia Germaniæ.

Anno 1703 Die 21 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

C L E M E N S PP. XI.

XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ALias pro parte dilectorum filiorum Prioris Provincialis, & Fratrum Provincię Germanię Ordinis Prędicatorum Nobis expoſito, quod licet per quaſdam felicis recordationis Alexandri PP. VII, Prędeceſſoris noſtri, ad inſtantiam dictę Provincię die IX Junii MDCXLVI emanatas, ipſius Provincię diviſio ſub cenſuris eccleſiaſticis prohibita reperiretur, nihilominus dilectus etiam filius Antoninus Cloche Magiſter Generalis dicti Ordinis, eandem Provinciam ipſis exponentibus inſciis diviſerat, duodecim videlicet illius Conventus in Auſtria, Tyroli, & Styria conſiſtentes ab ea ſeparaverat, illoſque Provincię Hungarię Ordinis prędicti incorporaverat, Priore Provinciali, ut aſſerebant, minus canonice, & contra electionis per conſtitutiones ejuſdem Ordinis pręceptam libertatem, pręfecto, ac ordinaria Prioris Provincialis primodictę Provincię in dictos Conventus poteſtate ſuſpenſa, ac propterea dicti Exponentes, denegatam a dicto Antonino Magiſtro Generali licentiam, ut duo Fratres dictę eorum Provincię ad illius cauſam hujuſmodi coram ipſo Antonino Magiſtro Generali, vel coram Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita, dicendam, & tractandam ad hanc Almam Urbem noſtram venire poſſent, a Nobis concedi ſummopere deſiderabant. Nos, ſupplicem libellum eorum nomine Nobis ea ſuper re porrectum ad dictam Congregationem Cardinalium remiſimus; Ipſa vero Cardinalium Congregatio audito deſuper dilecto pariter filio moderno Magiſtro Generali dicti Ordinis, cenſuit ſeparationem prędictam, rejectis dictorum exponentium precibus a Nobis approbari poſſe. Quare Nos dicti Antonini Magiſtri Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes; eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium conſilio, ſeparationem dictorum Conventuum a prędicta Provincia Germanię ab ipſo Antonino Magiſtro Generali factam, ut prefertur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illique in-

inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur, adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui desuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, ſalva tamen ſemper in prę fatis auctoritate dictę Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; Sicque, in prędictis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prędictis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provinciarum, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis, quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus, pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXI Martii MDCCIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Diviſionis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1703 Die 17 Aprilis.

XIV.

Archiepiſcopum Naxivanienſem (1), & Catholicos omnes in Perſide commorantes Perſarum Regi diligenter commendat.

Ex Archivo* (2) *Ordinis.

Illuſtri, ac Potentiſſimo Regi (3) Perſarum.

CLEMENS PP. XI.

Illuſtris, ac potentiſſime Rex, Salutem, & lumen divinę gratię.

Nihil eſt Orbi univerſo tam exploratum, quam Celſitudinem Tuam in ſublimi humanę dignitatis faſtigio conſtitutam, potentia, atque opibus affluere, & ſuper populos, atque nationes tum multas, tum ſane celebres, & per ingentia locorum, atque regionum ſpatia auctoritatem ſuam longe, lateque protendere, & Nos quidem, qui hęc omnia novimus, & quanti par eſt, ęſtimamus, multo tamen pluris facimus pręſtantiam animi tui, & egregiam erga Nos voluntatem, quam alias nobis luculentis ſignificationibus perſpectam, atque explicatam eſſe voluiſti: Sed illud in primis magnitudine tua, ac commendatione noſtra dignum in Te ſpectamus, quod cum ea ſis ęquitate, ac benignitate, ut velis nedum ſubjectos Tibi populos, ſed exteros etiam homines in iſtis partibus degentes publica tranquillitate, ac Regni tui felicitate perfrui, peculiari etiam propenſione Catholicos iſthuc adventantes, aut in tuis ditionibus commorantes, excipere, tueri, atque fovere non prętermittas. Confiſi itaque grata Tibi fore officia profecta a Pontificia noſtra caritate tam equidem in te inclinata, quam pręclare de Te ſentiente, Celſitudini Tuę enixe commendamus Venerabilem Fratrem Stephanum Archiepiſcopum Naxivanienſem Armenum probitate morum, & Religione in Deum pręſtantem, vehementerque cupimus, ut eum pręſidio, atque favore tuo ita communias, ut nemo audeat ipſi moleſtias, aut impedimentum inferre, quominus libere munus ſuum pro Animarum ſalute obire valeat, imo eidem, ac aliis Catholicis permittas dirutas multis in locis priſtinas Eccleſias ſui cultus inſtaurare, ac illas pręcipue, quę ſunt in Koſcaſce, & Sciabjunix; nam cum hę omnes aliud non ſint, quam domicilia quędam pietatis, & Sedes, atque refugium Fidelium aſſidue orantium Deum Optimum Maximum pro temporum felicitate, ac pro incolumitate Principum, quorum beneficio conſtabilitę ſunt, deſtitui regia Tua protectione non debent. Pertinet pręterea ad Tuam magnitudinem cavere, ne Mercatores pariter Catholici, quorum notum eſt exiguas eſſe fortunas, novis tributis per tui Regni adminiſtros occaſione ultimę cenſionis, ſive numerationis prę graventur, cum ipſi antiquis oneribus ferendis impares prope eſſe noſcantur; Quę eo confidentius a Te expoſtulamus, quo Nos eo ſumus erga Te animo, ut vehementer optemus Nobis dari opportunitates, quibus Celſitudini Tuę gratificari viciſſim poſſimus, precantes interim humillime miſericordiarum Patrem bonorum omnium Auctorem, ut eandem diu ſoſpitem eſſe velit, & quod caput eſt, in viam verę, & non interiturę ſalutis cęleſti ſuo lumine perducat. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII Aprilis MDCCIII Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Naxivanien.*) Is erat *F. Stephanus Sciran*, de quo *in Appendice ad praeſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur *Tomo I Epiſt. & Brevium Select. Clementis XI pag. 155.*

3. *Regi.*) *Hoſaino*, cujus mentio *Lib. II de Vita & Rebus Geſtis Clementis XI pag. 129 Num. LIX.*

Ut

Anno 1703
Die 2 Maii.

XV.

Ut Conventus Cortonen. juris ſit Congregationis S. Marci.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CLEMENS PP. XI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm alias felicis recordationis Innocentius PP. XII, prędeceſſor noſter, nonnullos tunc expreſſos Conventus Provincię Romanę Ordinis Fratrum Prędicatorum ab omni, & quacunque juriſdictione, ac ſuperioritate tunc, & pro tempore exiſtentis Prioris Provincialis ejuſdem Provincię perpetuo exemerit, & plenarie liberaverit, illoſque in novam, ſub titulo S. Marci Provincię Romanę nuncupandam, Congregationem per Vicarium Generalem a ſimiliter pro tempore exiſtente Magiſtro Generali dicti Ordinis inſtituendum, regendam, & gubernandam itidem in perpetuum erexerit, & inſtituerit, & alias prout in ipſius Innocentii Prędeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis, die XIV Junii MDCXCV expeditis, quarum tenorem pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius continetur, & ſicut accepimus dictę Congregationis Conventus ita religioſis abundent ut locus pro illis non ſuperſit, & ipſi Conventus inde aggravati remaneant, eaque de cauſa, & quo dictę Congregationis Alumni mandatorum Dei ſtadium lętioribus in dies progreſſibus decurrere, populumque Chriſtianum bono vitę ſuę exemplo, latius ędificare, & ſpiritualium aromatum odore perfundere valeant, plurimum expediat, aliquem alium memoratę Provincię Conventum, eidem Congregationi aggregari. Hinc eſt, quod Nos, qui regularem diſciplinam, quantum Nobis ex alto conceditur, confovere, ac promovere, omni ſtudio connitimur, felicibus prędictę Congregationis incrementis optime conſultum eſſe cupientes, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanę Curię Pręlatorum ſuper diſciplina regulari ſpecialiter deputatorum, conſilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione, noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, Conventum Cortonen. Provincię, & Ordinis pręfatorum, ejuſque Fratres, & perſonas quaſcunque cum omnibus, & ſingulis illius bonis, mobilibus, & immobilibus, juribus, membris, & pertinentiis univerſis, ab omni, & quacunque juriſdictione, ſuperioritate, correctione, viſitatione, regimine, cura, & gubernio dilecti filii moderni, & pro tempore exiſtentis Prioris Provincialis ejuſdem Provincię, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, tenore pręſentium perpetuo eximimus, & plenarie liberamus, ipſumque Conventum ſic exemptum, & liberatum, memoratę Congregationi S. Marci, itidem perpetuo unimus, conjungimus, annectimus, & incorporamus. Decernentes eaſdem pręſentes literas, etiam ex eo quod quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prętendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſę propter quas ipſę pręſentes emanarint, ſufficienter adductę, verificatę, & juſtificatę fuerint, aut ex alia quacunque quantumvis legitima, juridica, & privilegiata cauſa, colore, prętextu, & capite etiam in corpore Juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, individuamque expreſſionem requirente, defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, & ad viam, ſeu terminos juris, vel Conſtitutionum dicti Ordinis reduci, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratię remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvari ullo modo poſſe, ſed eaſdem pręſentes literas ſemper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac dictę S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacunque pręeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, Ordinis, Congregationis, Provincię, ac Conventus Cortonenſis hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die II Maii MDCCIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

F. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

In-

Anno 1703
Die 2 Junii.

Indulgentia pro die VIII Auguſti, qua primo celebratum fuit feſtum B. Auguſtini (1).

XVI.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLEMENS PP. XI.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris, pia caritate intenti, ac ſupplicationibus dilecti filii Antonini Cloche Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis quorumcunque Conventuum, ac domorum Regularium Fratrum dicti Ordinis ubicunque locorum exiſtentibus, die octava Menſis Auguſti, a primis veſperis, uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus pro hac vice tantum valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium, aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint. Quodque pręſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die II Junii MDCCIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

F. Oliverius.

1. *Auguſtini.*) Conſulenda Conſtitutio *VII.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCCIII.*

Anno 1703
Die 18 Julii.

De libris non extrahendis e Bibliotheca (1) Caſanatenſi.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XVII.

CLEMENS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut dilectus filius Antoninus Cloche (3) Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum Nobis nuper exponi fecit, ipſe in Conventu Beatę Marię ſuper Minervam de Urbe dicti Ordinis inſignem Bibliothecam per bonę memorię Hieronymum, dum vixit S. R. E. Cardinalem Caſanate nuncupatum, cum omnibus illius libris impreſſis, & manuſcriptis ad publicam commoditatem, eidem Conventui relictam collocaverit, cupiatque propterea opportune in pręmiſſis a Nobis provideri, & , ut infra indulgeri. Nos conſervationi, & manutentioni dictę Bibliothecę, quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere, dictumque Antoninum Magiſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quiſquam, quavis auctoritate, ſuperioritate, officio, vel dignitate fungens libros, codices, ſcripturas, quinterna, vel folia tam manu exarata, quam typis impreſſa, aut alia quęcunque eidem Bibliothecę hactenus quomodolibet donata, & aſſignata, ſeu in poſterum quandocunque donanda, & aſſignanda ex ipſa Bibliotheca ſub quovis quęſito colore, prętextu, cauſa, vel occaſione extrahere, vel aſportare, ſeu, ut extrahantur, vel aſportentur permittere audeat quovis modo, ſeu prędumat ſub excommunicationis latę ſententię, & quoad Regulares etiam privationis vocis activę, & paſſivę pęnis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium perpetuo prohibemus, & interdicimus. Permittimus tamen, ut libri, codices, ſcripturę, folia, quinterna hujuſmodi juxta dicti Hieronymi Cardinalis diſpoſitionem, ſeu de mandato Congregationum pro tempore exiſtentium S. R. E. prędictę Cardinalium adverſus hęreticam pravitatem generalium Inquiſitorum, vel Indici librorum prohibitorum, & expurgandorum prępoſitorum ex Bibliotheca pręfata extrahi, & aſportari valeant, itaut finito uſu, ad quem illos, & illa extrahi, & aſportari contigerit, illi, & illa ad Bibliothecam ipſam quantocitius reportari debeant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Conventus, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice dun-

duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentis prohibitionis exemplum in valvis dictę Bibliothecę, vel alio loco conſpicuo, ubi ab omnibus cerni, & legi poſſit, affixum aſſidue remaneat. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Julii MDCCIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

F. Oliverius.

1. *Bibliotheca.*) Conſulenda Conſtitutio *II* data die *XII* Februarii *MDCCI*.

2. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo aſſervato in ſcriniis Bibliothecæ *Caſanatenſis*.

3. *Antoninus Clocbe.*) Vide Notas ad *Conſtitutionem XXXV Innocentii XI pag.379 &c.*

Librum Launoii (1) *fulgidiſſimo Catholicæ Eccleſiæ lumini* S. Auguſtino injurium damnat.

Anno 1704 Die 28 Januarii.

Ex Bullario Clementis XI pag.32.

XVIII.

CLEMENS PP. XI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm, ſicut Nobis innotuit, in lucem prodierit libellus quidam, cui titulus: *Veritable tradition de l'Egliſe, ſur la predeſtination, & la grace &c. Par Mr. de Launoy Docteur en Theologie, de la Maiſon, & Societé de Navarre. A Liege chez Nicolas le Francois, proche les Carmes en Isle, à la prudence MDCCII.* Nuperrime vero Venerabiles Fratres noſtri S.R.E. Cardinales, in tota Republica Chriſtiana contra hęreticam pravitatem Generales Inquiſitores a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputati, audita libelli hujuſmodi cenſura, illum ad minus, tanquam impium, blaſphemum, necnon fulgidiſſimo Catholicę Eccleſię lumini, maximoque Doctori Sancto Auguſtino, quinimmo ipſimet Eccleſię, atque Apoſtolicę Sedi injurioſum, damnandum, & prohibendum eſſe cenſuerint. Hinc eſt, quod Nos pro commiſſa Nobis divinitus gregis Dominici cura, animarum periculis, atque detrimentis, quę ex pręfati libelli lectione, & uſu provenire poſſent, paſtorali ſollicitudine, quantum cum Domino poſſumus, occurrere cupientes, necnon Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum, qui ejuſdem S. Doctoris, pręcelſam doctrinam magno ſemper in pretio habuerunt, totoque mentis affectu amplexi fuerunt, laudabilibus veſtigiis firmiter inhęrere volentes, de memoratorum Cardinalium conſilio, libellum prędictum auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, damnamus, & reprobamus, ac legi, ſeu retineri prohibemus, ipſiuſque libelli impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione dignis, ſub pęna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam, pręterquam a Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolutionis beneficium obtinere valeat, omnino interdicimus. Volentes, & auctoritate pręfata mandantes, ut quicunque libellum hujuſmodi penes ſe habuerint, illum ſtatim, atque pręſentes literę eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hęreticę pravitatis Inquiſitoribus tradere, atque conſignare teneantur, hi vero exemplaria ſibi ſic tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Ut autem eędem pręſentes literę ad omnium notitiam facilius perducantur, ne quiſquam illarum ignorantiam allegare poſſit, volumus, & auctoritate prędicta decernimus, illas ad valvas Baſilicę Principis Apoſtolorum, ac Cancellarię Apoſtolicę, necnon Curię generalis in Monte Citatorio, ac in acie campi Florę de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, ſic vero publicatas, omnes, & ſingulos, quos concernunt, perinde afficere, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatę, & intimatę fuiſſent. Ipſarum autem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fidem tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum haberi, quę haberetur eiſdem pręſentibus, ſi exhibitę forent, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Januarii MDCCIV, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Nota.

F. Oliverius.

Anno a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo quarto. Indictione duodecima, die vero XXVIII Januarii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis divina providentia Papę XI Anno ejus quarto, ſupradictę literę Apoſtolicę affixę, & publicatę fuerunt ad Valvas Baſilicę Principis Apoſtolorum, Cancellarię Apoſtolicę, Curię Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Florę, & in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Nicolaum Vaſellum Sanctiſſimi Domini Noſtri Papę Curſorem.

Pro D. Magiſtro Curſorum Sebaſtianus Vaſellus Curſ.

1. *Launoii.*) Quem Sarcinatorem vocant. Fuit etiam cognomento *Everſoris Sanctorum*.

Anno 1704 Die 20 Novembris.

XIX.

De Sacris, aliiſque peragendis in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam, per novem dies antecedentes feſtum Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CLEMENS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, in Eccleſia S. Marię ſuper Minervam nuncupata de Urbe, Fratrum Ordinis Prędicatorum per novem continuos dies immediate antecedentes Feſtum Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Miſſa, & alia Divina Officia, ac Chriſtianę pietatis opera, magno Chriſti fidelium concurſu, quotidie celebrari, & exerceri conſueverint, Nos ad augendam Chriſti fidelium devotionem, & animarum ſalutem, cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui in primo, & ultimo prędictorum novem dierum eandem Eccleſiam devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſumque extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prędictorum id egerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero ex pręfatis novem diebus iiſdem Chriſti fidelibus prędictam Eccleſiam, ut ſupra viſitantibus, & ibidem orantibus, aliaque pręmiſſa peragentibus, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis ſeu alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus. Pręſentibus ad ſeptennium tantum valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium, aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur pręſentes nullę ſint. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die XX Novembris MDCCIV, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Oliverius.

1. *Archivo*.) In quo exemplar.

Anno 1704 Die 20 Novembris.

XX.

De Ritibus (1) Sinicis.

Ex Bullario Clementis XI pag. 511.

Feria V die XX Novembris MDCCIV.

IN Congregatione Generali Sanctę Romanę, & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Quirinali, coram Sanctiſſimo D. N. D. Clemente divina providentia Papa XI, ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hęreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis, Sanctitas Sua, poſtquam in pluribus Congregationibus coram ſe habitis, ab ipſo Pontificatus ſui primordio, ſuper pręmiſſis quęſitis, ſeu dubiis Theologorum, ac Qualificatorum ad id a Sanctę memorię Innocentio XII deputatorum, ſententias exceperat; poſtquam itidem pluries de iis egerat cum DD. Epiſcopis Beritenſi, & Roſalienſi Vicariis Apoſtolicis in Regno Sinarum, Romę nunc commorantibus, ac poſtquam demum quicquid in ejuſmodi controverſiis Patres Franciſcus Noel, & Gaſpar Caſtner Societatis Jeſu Procuratores, & Miſſionarii Apoſtolici ejuſdem Regni deducere potuerunt, ſeu voluerunt, audiverat: Reſponſa ſupradicta, quę in aliis pręcedentibus Congregationibus ſimiliter coram Sanctitate Sua habitis, diu multumque diſcuſſa, ac mature examinata fuerant, confirmavit, & approbavit, illaque Domino Carolo Thomę de Turnon Patriarchę Antiocheno Commiſſario, & Viſitatori Apoſtolico in pręfato Sinarum, & aliis Indiarum Orientalium Regnis tranſmitti mandavit, una cum congrua, & opportuna inſtructione deſuper facienda, ad hoc ut tam ipſe, quam reliqui Archiepiſcopi, Epiſcopi, ſeu alii, qui in illis partibus Viſitatoris, Delegati, ſeu Vicarii Apoſtolici munus exercent, vel in poſterum exercebunt, reſponſa hujuſmodi ab omnibus, & ſingulis nunc, & pro tempore ibidem exiſtentibus Miſſionariis cujuſcunque Ordinis, Religionis, & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, necnon ab univerſis Chriſti fidelibus earundem partium ſub pęnis canonicis ea, qua decet obedientia obſervari curent, & faciant; ſuſpenſa tamen interea, juſtis, & rationabilibus ex cauſis animum Sanctitatis Suę moventibus, eorundem reſponſorum publicatione, ſeu quavis evulgatione tam in Urbe, quam in aliis Europę partibus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque.

Joſeph Bartolus Sanctę Romanę, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

1. *Ritibus*.) Huc ſpectant Diplomata quæ ſequuntur. Notanda præſertim S. Apoſtolicæ Sedis reſponſa.

MAN-

I.

MANDATUM.

Seu edictum Domini Caroli Maigrot Vicarii Apoſtolici Fokienſis in Regno Sinarum, nunc Epiſcopi Cononenſis,

Ex Bullario Clementis XI pag. 501.

CArolus Maigrot Sacerdos, Vicarius Apoſtolicus Fokienſis, Sacrę Facultatis Pariſienſis Doctor, Sociuſque Sorbonicus, omnibus Vicariatus noſtri Conſacerdotibus ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Ex quo in Sinarum Imperium, Deo favente, appulimus, Nobis ſemper hęc Vicariorum Apoſtolicorum ſolicitudinis pręcipua pars viſa eſt, ut diverſis quęſtionibus, de quibus inter Miſſionarios, jam diu controvertitur, finem, ſi fieri poſſet, afferrent, ſin minus, regulam Miſſionariis traderent, quę donec Apoſtolica Sedes controverſiam dijudicaret, ęquali ab omnibus uſu, & ratione ſervaretur. Neque enim quod ſępius gementes conſpeximus, ſine magno Eccleſiarum iſtarum detrimento accidit, ut Evangelii Miniſtri in rebus, quę ad Dei cultum, & idololatrię extirpationem attinent, inter ſe non conſentiant, ut quod alii ſine idololatrię labe fieri poſſe non putent, hoc alii Chriſtianos facere permittant, aut etiam ad faciendum adhortentur, utque illi ipſi, qui certos uſus ſuperſtitioſos eſſe arbitrantur, eoſdem pro bono pacis interdum tolerent. E qua mali tolerantia malum radices agere, atque in dies incrementum accipere, diuturna experientia cognovimus.

Et quidem plerique Vicariatus noſtri Miſſionarii, hanc in quęſtionibus tanti momenti non ſententiarum modo diſcrepantiam, ſed praxis, & uſus diſſimilitudinem tolli magnopere cupientes, noſtram pro eo, quo indigni fungimur, Vicarii Apoſtolici munere ſententiam ſciſcitati ſunt, ac ne continuis conſcientię ſcrupulis, & angoribus premerentur, aliquid ſaltem per interim a Nobis decerni ſępius inſtarunt. Rerum autem gravitas fecit, ut non ita cito reſponderimus, atque illi exoptabant. Etſi enim jam a multo tempore bonę memorię Epiſcopi Heliopolitani, olim Vicarii Apoſtolici Fokienſis, & Sinarum Miſſionum generalis adminiſtratoris juſſu, cum ſuas Nobis vices demandaret, his rebus incumberemus, nova tamen, & acrior diligentia, poſtquam ad Apoſtolicum Vicariatum a S. Sede electi fuimus, adhibenda eſſe viſa eſt. Qua in re, id vere affirmare poſſumus, nihil a Nobis ſponte pretermiſſum fuiſſe, ut ſive ex Sinicis fontibus, ſive ex Commentariis hoc in genere Europę idiomate conſcriptis, quoſcunque habere potuerimus, ſive ex eruditorum virorum conſortio veritatem indagaremus. Et quod omnium maxime neceſſarium eſt, Deum jugi ſacrificio, & aſſiduis precibus obſecravimus, ut tenebras noſtras illuminaret, & ſemitas ſuas, quodque placitum, & acceptum eſt in oculis ſuis, edoceret.

Cum itaque decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis ſancitum ſit ad Apoſtolicos Vicarios ſpectare, ut iis, quę ad cultum divinum, & bonos mores pertinent, intra ſuorum Vicariatuum fines provideant, ut hac in parte officio noſtro faciamus ſatis, omnibus, & ſingulis Vicariatus noſtri Miſſionariis obſervanda pręcipimus, quę ſequuntur, donec aliter ab Apoſtolica Sede decretum fuerit.

Primo. Excluſis nominibus Europęis, quę nonniſi barbaro quodam modo Sinicis literis, & vocibus exprimi poſſunt, Deum Optimum Maximum longo uſu recepto nomine Tien Chu, Cęli Dominum appellandum eſſe ſtatuimus, itaut duę alię Sinicę voces, Tien Cęlum, & Xang Ti, ſupremus Imperator prorſus repellantur, multo minus affirmetur id, quod Sinę pręfatis nominibus Tien, Xang Ti intelligunt, Deum eſſe, quem Chriſtiani colimus.

Secundo. Diſtricte prohibemus, ne in ulla Eccleſia tabella quędam, cui hę duę literę: Cęlum colito King Tien inſcriptę ſunt, appendatur, & ubicunque appenſa fuerit, intra duos menſes auferri mandamus, cum aliis ejuſdem ſenſus tabellis, & verſibus, in quibus nomine Tien, & Xang Ti Deo affinguntur, ac noſtro quidem judicio, cum omnes illę tabellę, tum ea in primis, quę literas King Tien continet ab idololatria excuſari non poſſint. Tametſi vero non ita certa res eſſet, ac Nobis videtur, vel ipſa periculi ſuſcipio, ne ab Evangelii Miniſtris abominatio deſolationis in loco ſacro collocetur, Nos ab ejuſmodi tabellis deterrere debet, maxime cum experientia Nobis conſtet eos Vicariatus noſtri Miſſionarios, quorum in Eccleſiis illę tabellę non habentur, nihilo ad Evangelium prędicandum imparatiores eſſe, nec minorem, quam alii, laborum ſuorum fructum percipere.

Tertio. Quęſita ſuper capitibus Summo Pontifici Alexandro VII propoſita multis in rebus non eſſe veridica declaramus, ac proinde Miſſionarios reſponſis ab Apoſtolica Sede, recte quidem, & ſapienter, ac juxta circumſtantias in dubiis expreſſas datis, inniti non poſſe ad uſitatum apud Sinas Confucii, & Progenitorum cultum permittendum.

Quarto. Miſſionarii nullatenus, nullaque de cauſa Chriſtianis permittant, ſolemnibus, quę ſemel, & iterum ſingulis annis Confucio, & progenitoribus offerri ſolent, ſacrificiis, ſeu oblationibus pręeſſe, miniſtrare, aut intereſſe, quas oblationes ſuperſtitione imbutas eſſe declaramus.

Quinto. Miſſionarios, qui in locis, ubi Evangelio operam navant, tabellarum in defunctorum honorem, privatis in domibus erectarum uſum abolere ſtuduerunt, magnopere laudamus, atque, ut eo, quo ceperunt pede, in poſterum pergant, adhortamur. Ubi vero hunc uſum tollere difficilius erit, ad hoc ſaltem res temperamentum revocetur, ut ſublatis literis Xin Chu, Xin Goei, Ling Goei, ſolummodo defuncti nomen tabellę inſcribatur, aut ad ſummum litera Goei ſuperaddatur, ac ne hujuſmodi tabella, quam in prędicta forma, donec Apoſtolica Sedes de re ipſa judicaverit, non omnino reprobamus, ſuperſtitioſe accipiatur, in loco, ubi tabellę privatis in domibus erigi ſolent, ſcripta majoribus characteribus declaratio apponatur, in qua, & quę ſit Chriſtianorum de defunctis fides, & qualis filiorum, ac nepotum in progenitores pietas eſſe debeat, enuntietur; Cujus declarationis formam ad hujus mandati calcem

calcem tradidimus, neque tamen prohibemus aliam ejuſdem ſenſus apponi ſi modo prius a Nobis approbata fuerit.

Sexto. Cum nonnulla, ſeu verbo, ſeu ſcripto, evulgari animadvertimus, quę incautos in errorem inducunt, & viam ad ſuperſtitionem patefaciunt, V. G.

Philoſophiam, quam Sinę profitentur, ſi bene intelligatur, nihil habere legi Chriſtianę contrarium.

Nomine Taii Kie ſapientiſſimos Priſcos, Deum cauſam primam rerum omnium, definire voluiſſe.

Cultum, quem Confucius ſpiritibus adhibuit, civilem potius, quam Religioſum fuiſſe.

Librum, quem Sinę Je King appellant, ſummam eſſe optimę doctrinę phiſicę, & moralis.

Hęc, & ſimilia, uti falſo, temere, & ſcandaloſe dicta, ſcriptave, diſtricte inhibemus, ne in toto Vicariatu noſtro diſſeminentur.

Septimo. Caveant Miſſionarii, ne qui Chriſtiani Sinicos libros in ſcholis legunt, Atheiſmum, & diverſas ſuperſtitiones, quibus illi libri, tam in Textu, quam in Commentariis, ſcatent, in auditorum animos infundant, ſed illos Miſſionarii admoneant, ut obvios errores refutent, & errorum occaſione, quę de Deo, de Mundi creatione, & gubernatione, Chriſtiana Religio tradit, diſcipulos diligenter edoceant, atque eoſdem Chriſtianos Miſſionarii frequenter commonefaciant, ne quod facile contingit, ſuis in ſcriptionibus aliquid e ſcholę Literarię principiis, legi Chriſtianę contrarium admiſceant.

Sunt, & alię quęſtiones, quas hac vice nondum attingimus, quia cum memoratis capitibus, quę pręcipua ſunt, & e quibus alia magna ex parte dependent, proviſum fuerit, facilius erit, quid in ceteris tenendum ſit, pręſcribere, & in uſum inducere.

Si quis autem Miſſionarius, quod abſit, nulla habita hujus declarationis, & mandati ratione intra duos menſes, memoratas tabellas, & verſus, ab Eccleſiis ſuis, aut domibus non auferat, aut intra pręfatum tempus manum operi non adhibeat, ut quas pręſcribimus, regulas in uſum, & morem inducat, conceſſas ei a Nobis, & a quocunque alio Vicario, & Provicario Apoſtolico facultates per pręſentes revocamus, ac pro tempore pręfato revocatas eſſe declaramus.

Neque tamen hac pręſenti declaratione, & mandato eos culpare intendimus, qui aliter antea cenſuerunt, aliamque praxim ſecuti ſunt, ab ea quam in poſterum ſequendam eſſe ſtatuimus. Mirum enim videri non debet, ſi in rebus hujuſmodi Miſſionarii omnes unius, ejuſdemque ſententię non fuerint, & eam unuſquiſque praxim amplexus ſit, quę ſibi in Domino magis veritati conſona videbatur. Nunc vero in hoc omnes ſtudia noſtra conferamus, ut idem ſapiamus, & unanimes uno ore exhibeamus iſtam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, ſed ut ſit ſancta, & immaculata, ac Deus pacis, & dilectionis erit nobiſcum. Datum in Oppido Changlo Provincię Fokienſis die XXVI Menſis Martii MDCXCIII.

Carolus Maigrot Presbyter Vicarius Apoſtolicus Fokienſis.

II.

QUÆSITA

In cauſa Rituum Sinenſium ſuper mandato, ſeu Edicto Domini Caroli Maigrot Vicarii Apoſtolici Fokienſis in Regno Sinarum nunc Epiſcopi Cononenſis ab Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus ſpecialiter a ſanctæ memoriæ Innocentio Papa XII deputatis, poſt varias Congregationes, ac longum jurium hinc inde deductorum examen, confecta; primum quidem Theologis, & Qualificatoribus ad id ſelectis propoſita, ac deinde in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis diſcuſſa, & reſoluta.

Controverſiis in Imperio Sinico ſubortis inter Miſſionarios Apoſtolicos, iiſque ad Sanctam Sedem delatis ſub Innocentio Decimo, Alexandro VII, & Clemente IX, num quędam, quę a Sinis Gentilibus peraguntur, pręſertim erga Confucium antiquum Philoſophum, & Progenitores defunctos permitti poſſint iis, qui ad Chriſtianam fidem converſi fuerint, propterea quod alii ex Miſſionariis affirmarent actiones illas ſuperſtitioſas, vel idololatricas eſſe, alii e contra civiles tantum, & politicas.

Die XII Septembris MDCXLV. Quęſita quędam in Sacra Congregatione de Propaganda Fide propoſita, examinata, & reſoluta fuerunt, approbante ſanctę memorię Innocentio X.

Alia quoque in Sacra Congregatione Sancti Officii pariter diſcuſſa, & reſoluta die XXIII Martii MDCLVI ſanctę memorię Alexander VII approbavit: & deinde die XX Novembris MDCLXIX ſanctę memorię Clemens IX utraque vim habere pro diverſa facti, & circumſtantiarum expoſitione declaravit.

At vero, cum ejuſmodi controverſię Miſſionariorum non adhuc quieſcerent, D. Carolus Maigrot Vicarius Apoſtolicus Fokienſis, nunc Epiſcopus Cononenſis, in toto ſuo Vicariatu quędam obſervanda pręcepit, donec aliter ab Apoſtolica Sede decretum fuerit, Edicto promulgato die XXVI Martii MDCXCIII, & in Septem Articulos diſtributo.

Porro petente eodem D. Maigrot ſui mandati confirmationem, ſanctę memorię Innocentius XII rem ad Sa-

ad Sacram Congregationem Sancti Officii diligentiſſime diſcutiendam remiſit, deputatis ad id quatuor Theologis Qualificatoribus, videlicet P. D. Johanne Maria Gabriellio Abbate Generali Reformatorum S. Bernardi, nunc S. R. E. Cardinali, Patre Nicolao Serrano Priore Generali Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, P. Philippo a S. Nicolao Exgenerali Carmelitarum Diſcalceatorum, & P. Carolo Franciſco Vareſio olim Commiſſario Generali Ordinis Fratrum Minorum de obſervantia Reformatorum.

Utque opportuna quęſita proponerentur, & de facti circumſtantiis probe conſtaret, Sanctitas Sua juſſit adeſſe Patrem Johannem Franciſcum a Leoniſſa Ordinis Minorum de Obſervantia Reformatorum Epiſcopum Beritenſem, & Vicarium Apoſtolicum Hu Quang, qui poſt longam plurium annorum in Imperio Sinico moram, huc redux advenit, rerum, quę in illis Regionibus peraguntur, oculatę Fidei teſtis, Sinorumque Rituum apprime inſtructus.

Igitur ſolerti cura, & omnibus ſerio, exacteque perpenſis, & addita facti circumſtantiarum plena enarratione infraſcripta, efformata fuerunt quęſita ſuper unoquoque ex ſeptem articulis Edicti D. Maigrot Vicarii Apoſtolici Fokienſis, videlicet:

Super Primo Articulo.

Primo. Quęritur, an excludi debeant nomina Europęa ad ſignificandum Deum Optimum Maximum.

Nomen enim Deus, aliaque vocabula Europęa, quibus ſupremum Ens ſignificatur, Sinicis characteribus exprimi vix poſſe, nullamque rei ſignificatę ideam apud Sinas excitare videntur. Videri poſſunt. (A)

(A) *Supplex Libellus Procuratoris Generalis Societatis Jeſu §. Il primo.*

Obſervationes P. Dez in mandatum Vicarii Maigrot a Patribus Societatis Jeſu Sacræ Congregationi exhibitæ fol. 108 *§. Prævalui part.* 2 *obſerv.* 1.

Secundo. Quęritur, an ad ſignificandum Deum Optimum Maximum, repellendę ſint voces Tien Cęlum, vel Xang Ti, Supremus Imperator.

Ratio dubitandi eſt, quia licet aliqui Miſſionarii Europęi exiſtimaverint, & exiſtiment antiquos Sinas pręfatis nominibus Tien, & Xang Ti indigitaſſe Deum vivum, & verum; nihilominus Miſſionarii fere omnes aſſerunt, quod Sinenſes Literati, quę eſt pręcipua in Sinę Imperio Secta, quatenus ejuſdem Sectę doctrinam exponunt, & ſequuntur, ſaltem a quingentis annis, cum in Atheiſmum deciderint, vel omnes, vel ut aliquibus videtur, fere omnes, nominibus Tien, & Xang Ti, nil aliud, niſi Cęlum materiale, & viſibile, vel ad ſummum quandam Cęli virtutem eidem Cęlo inſitam, quam rerum omnium principium, ſeu potius conprincipium eſſe putant, deſignant. Unde Cęlo ſic ſumpto, quemadmodum & Terrę, Planetis, Montibus, & Fluviis reſpective ſacrificant: & in Regiis Urbibus Peching, & Nanching Templa viſuntur, in quibus ſtatis anni temporibus pręſertim in Templo Pechinenſi, ipſemet Imperator Cęlo ſolemne ſacrificium offert. (B)

(B) *Semedo Relazione della gran Monarchia della China par.* 1 *cap.* 17. *pag.* 105, *qui ſolummodo teſtatur ſacrificari Cœlo.*

Maffæus Hiſtoriarum Indicarum pag. 100, *ait, quod aliqui Cœlum præcipue omni ſtudio colendum exiſtimant.*

Johannes Guelter in Libro Italico - Notizie varie dell' Imperio della China pag. 88, *teſtatur ſacrificari Cœlo.*

Memoriale Procuratoris Generalis Societatis Jeſu, Sacræ Congregationi exhibitum §. Il primo.

Videantur Ludovicus le Compte in Libro Gallico - Nouveaux memoires to. 2 *pag.* 186, *& Pater a Leoniſſa in ſuis reſponſionibus ad quæſita Sacræ Congregationis....*

Et ad quæſita Eminentiſſimi Caſanate....

Longobardus apud Navarettam tom. 1 *pag* 246.

Tertio. Quęritur, an Deus Optimus Maximus ſit appellandus nomine Tien Chu, Cęli Dominus.

Ratio eſt, quia ab omnibus Miſſionariis Sinenſibus vocabulum Tien Chu, ad ſignificandum Deum Optimum Maximum longo uſu receptum eſt. Et in hoc Patres diſſentire non videntur. Videri poſſunt iidem Auctores, quibus additur. (C)

(C) *Pater a Leoniſſa in ſuis reſponſionibus ad Quæſita Sacr. Congregationis Particularis....*

Et ad quæſita Eminentiſſ. Caſanate....

Quarto. Quęritur, an attentis prędictis liceat affirmare Sinas prę̨fatis nominibus Tien, & Zang Ti intelligere Deum quem Chriſtiani colunt.

Super Secundo Articulo.

Primo. Quęritur, an permitti poſſit appendi in Eccleſiis Chriſtianorum Tabellam inſcriptam King Tien: Cęlum colito.

Ratio dubitandi eſt, quia prędicta vox Tien nunc temporis a Sinenſibus Literatis accipitur pro Cęlo materiali, ut ſupra dictum eſt in ratione dubitandi ad tertium Quęſitum ſuper primo Articulo. (D)

(D) *Videri poſſunt Auctores allegati lit. B.*

Et quatenus negative.

Secundo. Quęritur, an ſaltem permitti poſſit cum declaratione, & qua.

Super Tertio Articulo.

Proponetur Quęſitum infra, quia pendet a decidendis in ſequentibus.

Super

Super Quarto Articulo.

Primo. Quęritur, an ſuperſtitione imbuta ſint ſolemnia, quę ſemel, & iterum ſingulis annis Confucio, & Progenitoribus offerri ſolent ſacrificia, ſeu oblationes, itaut iis prępeſſe, miniſtrare, aut intereſſe Chriſtianis nullatenus, nullaque de cauſa permitti poſſit.

Ratio dubitandi eſt, reſpectu Confucii, quia Secta Literaria, quę primas obtinet in illo Imperio, Confucium non ſolum uti Magiſtrum, verum etiam uti Sanctum colere videtur. (E)

(E) *Videri poſſunt Semedo Relazione della Gran Monarchia della China par.1 cap.10 pag.63.*
Kircher China Illuſtrata par.3 cap. prim. fol.132, & pag.137 col.1.
De Marin. Hiſt. de fel. ſucc. lib.1 c.8 pag.104 qui tamen loquitur de Tunchinenſibus.
Rhodes in Catechiſ. pag.113, & in Relatione Hiſtorica de Tunchino pag.60.
Bartol. la Cina lib. 1 pag. 74 verſ. 12.

Pręterea in quadam oblatione facienda Confucio, quę deſcribitur in libro, ſeu Rituali Sinico, Ta Ming Hoey Tien, nonnullę orationes, ſeu offertoria pręſcripta ſunt, in quibus Confucii virtus, Cęlo, Terręque ęquiparatur, Doctrina antiquis, moderniſque pręfertur: Imo ex quo homines eſſe cęperunt, nemo illum ęquaſſe dicitur, & quod ejus Spiritus pręteritus Xing, ſeu Sanctos excellit. Quod autem hic dictio Xing Sanctitatem potius, quam Sapientiam, vel ſapientiam ſimul, & ſanctitatem ſignificet, infertur ex hoc, quod inter illos, qui Confucium pręceſſerunt, & Xing ſuperius appellantur, comprehenduntur ſaltem nonnulli, de quibus expreſſis verbis in claſſicis Sinarum libris dicitur, quod poſt mortem in Cęlum evolarunt, & in Cęlis poteſtatem habent favendi hominibus, eoſque etiam Sinenſes antiquitus, ut Sanctos venerati ſunt, & hactenus celebrant, ut tales. Inſuper alibi in libris Sinicis hęc habentur. Xing Jin Chy Chy Ye: Ju Jao, Xun, Ven Vang, Cheu Kung, Kung çhu, ideſt, Sanctorum Virorum ſummitas: ut verbi gratia, Antiquiſſimi Imperatores Jao, & Xun, Rex Ven Vang, Princeps Cheu Kung, & Kung çhu, ſeu Confucius. Quod vero hoc etiam in loco dictio Xing, Sanctitatem potius, quam Sapientiam ſignificet, inferri videtur ex eo quod omnes ante Confucium hic nominati apud Sinas in ſuprema Sanctorum ſerie ab antiquis temporibus referantur, & ut tales ab iiſdem Sinenſibus ſemper habiti fuerint, ut conſtat ex libris eorum claſſicis; licet apud Sinenſes Atheos pręfata dictio Xing, in allatis Textibus perfectiſſimum, & ſapientiſſimum virum, vel ſummum perfectionis gradum, ad quem homines Cęlo, ſeu natura favente pertingere poſſunt, ſignificare videatur.

Ipſe Confucius in ſingulis Civitatibus Ædes habet ei dedicatas, quę Gymnaſia non ſunt, nec Aulę tantum eſſe videntur, ſed potius Capellę, eo quod Sinice vocentur Miao, quo vocabulo Idolorum Templa deſignantur, & a nonnullis Auctoribus Ædes prędictę, Templa, ſeu Fana dicantur videri poſſunt. (F)

(F) *Trigantius, & Riccius de Chriſtian. expeditione lib.1 pag.118.*
Samedo par. prima cap.10 pag 63.
Kircher China Illuſtrata par.3 c.1 pag.132 col.1.

In quibus Ædibus extat effigies Confucii, vel ſaltem Tabella cum hac inſcriptione Sedes Spiritus Sanctiſſimi, vel Sapientiſſimi Protomagiſtri Confucii, quę verbis Sinicis eſt hujuſmodi: Cnl Xing Sien Sũ Kunc çhu Xin Goey, ut teſtatur Pater a Leoniſſa, qui aſſerit dictionem Sinicam Xing non ſignificare tantummodo Sanctum, ſed aliquando etiam ſapientem. Alii pręfatam inſcriptionem, ſic latine vertunt Sanctiſſimi, & ſuper-Excellentiſſimi.

Mandarini, ſeu Gubernatores, ac Magiſtratus Urbium una cum Literatorum Pręfectis, necnon Graduatis, ſeu Doctoribus Literatis bis in anno, nempe circa Æquinoctium Veris, & Autumni ibidem ſolemnem oblationem, ſeu ſacrificium peragunt, in quo a Miniſtro, & Aſſiſtentibus cum variis genuflexionibus, & inclinationibus, dirigente Cęremoniarum Magiſtro, ante Tabellam Confucii ſupra menſam, ſeu Altare expoſitam, candelis accenſis, cum odorum ſuffitu, immolati, ſeu immolandi Animalis ſanguis, ac pili offeruntur, ac deinde terrę infodiuntur, itemque panni ſerici, qui poſtea extra Templum, ſeu Ædem in proximo atrio, accenſo igne, comburuntur. Item vinum libatur, occiſorum Animalium, ſuis videlicet, caprę, ſeu cervi, & ſimilium carnes immolantur, quę inter Aſſiſtentes, & alios peracta oblatione, ſeu ſacrificio diſtribuuntur, & ab omnibus magni ſiunt, & comeduntur. Ante omnia autem jam a principio Confucii ſpiritus invitatur, ut adſit, immolatiſque fruatur, venienſque ad oblationem certis cęremoniis recipitur, eique, quicquid in Sacrificio geritur, tanquam pręſenti, in Tabella ſignificatur: Miniſtris nonnullorum ante Sacrificium dierum jejunia, & a Thoro conjugali abſtinentia, publico ritu pręſcripta ſunt: Hoſtias immolandas, fuſo in earum auriculis probandi cauſa liquore quodam, ſeu vino calido, ſeligunt. Oblatio incipit poſt primum, aut ſecundum Galli cantum, & ſummo mane terminatur: ſpiritum Confucii, finita oblatione, abeuntem grato animo, ac certis verborum formulis proſequuntur; & adſtantibus omnibus, antequam dimittantur, ob ſacrificium bene peractum, felicitates plurimę promittuntur, prout in Rituali Ta Ming Hoei Tien, tomo, ſeu tractatu 91 in deſcriptione oblationis faciendę Confucio apud Patrem a Leoniſſa. Videri poſſunt reſpective (G).

(G) *Bartol. China par. 3. lib. 1 pag. 71.*
Kircher in China Illuſtrata par 3 cap. 10 pag. 132.
Le Tellier tom. 2 pag 274 §. Vous direz.
Lopez c. 5 de Confucio n. 60 circa med. p. 64.

Pręter prędictas binas ſolemnes oblationes, alię minus ſolemnes eodem in loco, ſeu quidam alii Ritus, & cęremonię in ejuſdem Confucii honorem ſtatutis temporibus peraguntur tum a Magiſtratibus, ſeu Gubernatoribus Urbium, tum a reliquis literatis, de quibus etſi ſpeciatim a Vicario Apoſtolico Maigrot mentio facta non fuerit, nihilominus quia in quęſitis Patris Martinii Societatis Jeſu aliqua ſaltem ex-

expoſita fuerunt, hic aliud quęſitum ad rem clarius elucidandam inſtituitur.

Secundo. Igitur quęritur, an cęremonię, ritus, & oblationes minus ſolemnes, quę fiunt in honorem ejuſdem Confucii, a Chriſtianis licite exerceri, & peragi poſſint in loco pręfato.

Ratio dubitandi, pręterdicta in pręcedenti ratione ad primum eſt, quia bis ſingulis menſibus in novilunio ſcilicet, & plenilunio cujuſcunque Urbis Mandarinus, ſeu primarius Magiſtratus, aliique Officiales, & Literati ſummo mane Ædem, ſeu Templum Confucii magna cum pompa adeunt, & ante ejus effigiem, ſeu tabellam, accenſis cereis, cum thuris, atque odorum ſuffitu, repetitis vicibus genuflectunt, toto corpore proſtrati, ac terram fronte percutientes. Item quandoque pręſertim in novilunio ab aliquibus vinum, & olera quędam, ac fructus offerri ſolent. Mandarini, ſeu Gubernatores Urbium, ac Magiſtratus, antequam dignitatem adeant, ſeu ſtatim poſt aditam dignitatem, ſeu dignitatis poſſeſſionem, ad Templum, ſeu Ædem Confucii pergunt, ibique ante ejus effigiem, ſeu tabellam, eadem peragunt, quę fieri ab eis in novilunio, ac plenilunio modo dictum eſt. Non tamen vinum, olera, nec fructus offerunt. Videri poſſunt (H).

(H) *Omnes qui allegati ſunt lit. G.*

Pręterea literati poſtquam in ampliſſimo Gymnaſio, ſeu Palatio, ubi per aliquos dies probantur gradus Literarios adepti ſunt, ſtatim ad Ædem, ſeu Templum Confucii ſe conferunt, ibique coram prędicta tabella cereis accenſis, cum thuris, atque odorum ſuffitu, iteratis vicibus genuflectunt toto corpore ad terram proſtrati, prout in aliis proxime relatis ritibus, ſeu oblationibus, minus ſolemnibus. Hę vero in honorem Confucii oblationes tum ſolemniores, tum minus ſolemnes, ſeu ritus pręfati ita Sinenſium Imperatorum legibus, publicoque Regni uſu ſtabiliti ſunt, ut non liceat eos omittere, ſaltem abſque gravi periculo reſpective amiſſionis Mandarinatus, graduum, & dignitatum. Videri poſſunt (I).

(I) *Lopez in Prol. dicti tractatus §. Dubia quoque circa finem. Pater a Leoniſſa in ſuis reſponſ. ad quæſita.*

Reſpectu vero Progenitorum, ratio dubitandi circa ſolemnes oblationes, quę in primo quęſito proponuntur, eſt, quia Sinę defunctos parentes, ſeu Progenitores, ſaltem uſque ad quartum gradum, publico, ac ſingulari cultu proſequuntur, Ædes eis dedicant, quę potius Capellę, & Templa, quam ſimplices Aulę videntur eſſe, tum ex his, quę in eis geruntur, tum ex nomine Miao, quo Imperalium, aliorumque Imperii Procerum, Progenitorum defunctorum, Ædes ex antiquiſſima inſtitutione vocantur, quo pariter nomine etiam Idolorum Templa communiter deſignantur, ut ſupra dictum eſt, & animalium quoque ſanguine ex antiquiſſimo ritu, in Rituali Ly Ki pręſcripto, etiam oblationum, ſeu ſacrificiorum vaſa, quę nulli uſui extra Templa prędicta applicari licet, dedicari ſolent. Veſtes vero, quibus Proceres, ac pręſertim Imperatores uti ſolebant, aut ſolent in pręfatis oblationibus, ſpeciali ritu in eodem Ly Ki pręſcripto fieri debent, ac conſumptę, abſoletęque cremari, ne prophanis uſibus inſerviant.

Ceterorum autem Progenitorum defunctorum Ædes, licet non Miao, ſed çhu Tang appellentur, in re id ipſum ſignificare, & ad eoſdem cultus erga defunctorum pręfatorum ſpiritus exhibendo deſtinari videntur, quia tam in Ædibus çhung Miao dictis, quam in çhu Tang nuncupatis, Imagines, ſeu Statuę Primariorum Progenitorum reperiuntur, aut ſaltem, & communiter ubique tabellę Progenitorum aſſervantur ſupra menſam, vel Altare cum hac inſcriptione: Sedes Spiritus N. defuncti Progenitoris.

Quę quidem tabellę ſaltem his temporibus, ideo fieri videntur, ut non tantummodo loco ſpirituum, ſeu defunctorum adhibeantur, ſed etiam ut iidem ſpiritus, ſeu defunctorum animę quodammodo in eis reſideant, quia eo tempore, quo defuncti Progenitores ſepeliuntur, quo etiam earundem tabellarum incipit uſus, in ipſomet ſepulturę loco, ut ex Rituali Sinico Kia Ly nuncupato conſtat, ad dictas tabellas, flexis genibus, & expreſſis verbis, ſpiritus, ſeu animę pręfatę invitantur, ut in illis reſideant, & domum revertantur, quo facto eędem tabellę ſolemniter domum deferuntur, ac ſtatuto tempore in Ædibus pręfatis, etiam ſolemniter collocantur: Dicitur etiam in dicto Rituali, quod quando in pręfatis tabellis aliquę literę mutandę, vel addendę ſunt (quod quidem fit quando in Ædes pręfatas novę tabellę introducuntur, & antiquę, ſeu priores ad gradum ſuperiorem tranſeunt juxta ordinem conſanguinitatis, vel quando ab Imperatore nova dignitas, ſeu dignitatis titulus aliquibus Progenitoribus defunctis juxta Regni morem confertur, qui tabellis inſcribendus eſt) aqua madefiant, ut abradi poſſint, abraſſis, lotiſque, lotionis aqua, in Ædis, ſeu Templi parietem proiiciatur, quę ceremonia ſummam Sinenſium reverentiam erga eaſdem tabellas indicare videtur. Item in eodem Rituali dicitur, quod tranſacto quarto conſanguinitatis gradu, quando ſcilicet in Ædibus, ſeu Templis pręfatis dictas tabellas aſſervari amplius non licet, hujuſmodi tabellę terrę infodi debent reſpective, vel in propriis ſepulturis eorundem Progenitorum, vel in parte anteriori Ædis, ſeu prope januam. Antiquitus autem ab Ædibus çhung Miao nuncupatis ad alias Ædes transferri ſolebant, ibique aſſervari, & recondi, & in Rituali Kia Ly dicitur, quod Imperator, & Imperii Proceres id faciunt, ad eaſdem tabellas, vel ad loca, & ſedilia, ſeu menſas, in quibus dictę tabellę e ſuis tabernaculis cum ſpeciali reverentia extractę, expoſitę jam ſunt, ſi adhiberi debeant, eorundem Progenitorum ſpiritus, ſeu animę, pręſertim ſolemnium oblationum tempore, invitantur, ut deſcendant, & in eis maneant, quod quidem fit, vel expreſſis verbis, ut conſtat ex formula deſcripta in Rituali Kia Ly, ubi de oblationibus faciendis primis familiarium Progenitoribus Xy çhu, & Sien çhu nuncupatis, qui jam quartum gradum aſcendentię pręceſſerunt, fit ſermo, quę formula in medio Ædis, ſeu Templi ante vas ibidem cum carbonibus accenſis poſitum, flexis genibus a Primario oblationis Miniſtro recitari debet, eaque recitata, ſuper eiſdem carbonibus cum ſpeciali ceremonia animalis, ſeu victimę pinguedo ponitur, ſeu effunditur, ut vapor aſcendat, vel ſaltem, & ſemper cum cęremonia effundendi vinum ſuper palearum manipulis, quę Kiang Xin, id eſt deſcenſus ſpirituum in eodem Rituali appellatur, quęque pariter cum ſolemnitate, & reverentia magna ordinarie fieri debet in medio Tem-

Templi, ſeu Ædis ante menſam, ſeu Altare, ubi odores cremantur, quę Hiang Cho, ideſt odorum menſa vocatur, ibique poſtea fit alia ſimilis cęremonia effundendi vinum, quę vocatur Chy, ideſt oblatio, quę loco ſpirituum fit (fierique dicitur antiquis vini inſtitutoribus, ſeu inventoribus) Itemque Progenitores, ſeu Progenitorum ſpiritus invitantur, ut oblatis fruantur, ſeu frui velint, ut in eodem Rituali pręſcribitur, de eodem deſcenſu, ſeu adventu ſpirituum etiam Primogenitorum defunctorum, & de fruitione, ſeu acceptatione oblatorum pluries fit mentio in libris antiquis, & aliis Ritualibus Sinicis, unde multi Sinenſes eoſdem Progenitorum ſpiritus cęremoniis ſupradictis invitatos venire, & frui putant, aut credunt. Non pauci tamen ad imaginariam, vel dubiam potius, quam realem ſpirituum pręſentiam, adventum, & fruitionem hęc omnia, ut etiam ex libris, & Ritualibus Sinicis colligitur, reducere videntur: Confucius vero in libro Lun Yu ait: çhi ju çhay: çhi xin ju xin çhay, ideſt offerendum, ſeu ſacrificandum eſt, veluti adeſſent, (ſcilicet illis, quibus offertur:) offerendum, ſeu ſacrificandum eſt ſpiritibus, veluti ſpiritus adeſſent, ſeu exiſterent. Statutis autem anni temporibus in eiſdem locis, ſeu Templis pręfatorum Progenitorum defunctorum ſpiritibus ſolemnes oblationes, ſeu ſacrificia offeruntur, ad quę tantummodo cujuſque familię viri, ac mulieres reſpective conveniunt, ac earundem familiarum Primogeniti, ex lege debent primaria officia in dictis oblationibus exercere, qui etiam propriis manibus animalia offerenda occidunt in locis, ac cum cęremoniis, in Ritualibus pro perſonarum qualitate reſpective pręſcriptis, omniaque peraguntur eodem fere ritu, mutatis mutandis, qui ſupra in oblationibus ſolemnibus Confucio exhibitus deſcriptus eſt. In Templis, ſeu Ædibus çhu Tang nuncupatis juxta Rituale Kia Ly ſerica non offeruntur, nec in eodem fit mentio illius Papyracee monetę, quę nunc temporis in omnibus oblationibus, quę Progenitoribus defunctis a Gentilibus fieri ſolent, crematur, eo quod hęc cęremonia, non ſit propria ſectę Literarię, neque in fine oblationis illa verborum formula pręſcribitur, qua in ſuperioribus oblationibus abeuntes ſpiritus proſequuntur, ſed tantum ad id quędam inclinationes, & proſtrationes faciendę referuntur, quibus peractis tabellę, ſi adhibitę, & expoſitę fuerint, in locum ſuum reportantur, & in tabernaculis reponuntur, necnon Progenitorum nomine, ſeu de mandato eorundem, ut in Rituali Kia Ly dicitur, a Magiſtro cęremoniarum Miniſtris Primariis, & implicite adſtantibus omnibus plurimę felicitates promittuntur, & antequam fiant nonnullę ex prędictis ſolemnibus oblationibus, ſortibus cum ſpeciali cęremonia ante januam Ædis, ſeu Templi çhu Tang eligitur dies, & de felici electione monentur pariter ſpeciali Ritu in eadem Æde, ſeu Templo Progenitores defuncti, ſeu eorundem ſpiritus, ut videre eſt in dicto Rituali, in quo etiam dicitur, quod omnes oblationes çhi conſiſtunt tantummodo, ſeu principaliter in totali ſoliditate, & perfectione amoris, & reverentię, & ideo pauperes juxta paupertatem ſuam, infirmi juxta vires ſuas, in illis faciendis ſe gerant, qui vero divitiis, & viribus abundant, juxta pręſcriptos ritus eas peragant.

Preces vero, licet ex antiquiſſimo Ritu in libro, ſeu Rituali Ly Ky tantummodo certis temporibus, ſeu publicis Imperii neceſſitatibus in Templis Progenitorum defunctorum çhung Miao nuncupatis, peragendę perſcribantur, & non pro privatis neceſſitatibus, ſeu indigentiis, vel ad priuatas felicitates poſtulandas. Cum e contra hoc ipſum ex eodem antiquiſſimo Ritu, in oblationibus etiam ſolemnibus ordinarie offerendis interdictum videatur, nihilominus ad privatas felicitates ab eiſdem Progenitoribus defuncti petendas, deprecationes, pręſertim nunc temporis a Sinenſibus quandoque fieri referuntur, & probantur ex alio Rituali Sinico in quatuor Tomos diviſo, & Kya Ly pariter dicto, quo Gentiles paſſim utuntur in Sinis, licet hujuſmodi deprecationes non fuerint auctoritate publica, ſed potius tacita permiſſione in eodem Rituali, & alibi a privatis Doctoribus inſertę. Communiter autem eo magis felices, ac fortunatos ſe fore putant, aut ſperant, quo majori pietate, ac diligentia ſolitis officiis erga pręfatos defunctos functi fuerint. Ex Claſſico Rituali etiam habetur, quod in alendis animalibus ad uſum ſacrificiorum tum Xang Ti, tum ſpiritibus omnibus etiam Progenitorum in Templis, & locis eiſdem reſpective dicatis offerendorum, deſtinatis, Imperii Urbium Pręfectis de mandato Regio injunctum ſit, ut omnem curam adhibeant, populiſque id ipſum ſuadeant, eo quod ad felicitates pro eiſdem populis petendas in dictis oblationibus offerri debeant. Item ex Claſſicis Ritualibus plura referuntur, unde deduci videtur, Sinenſes non tantum a Xang Ti, aliiſque ſpiritibus, montium ſcilicet, fluminum &c verum etiam a ſpiritibus defunctorum felicitates plurimas concedi ob pręfatas oblationes bene peractas, docuiſſe, credidiſſe ab antiquo tempore, aut ſaltem finxiſſe.

Qui vero Atheiſticam Doctrinam profitentur, & ſequuntur, licet eorundem ſpirituum exiſtentiam negent, tamen, quadam motione ſympathica, per diſpoſitionem Miniſtris ad ſacrificandum, vel offerendum, pręſcriptam, Cęli aerem tenuiſſimum, in quem defunctorum ſpiritus reſolvi aſſerunt, concitari, ac moveri, & quodammodo attrahi ad oblationem inſinuant, unde beneficos influxus erga offerentes, adſtanteſque promanare docent. Quod infertur etiam ex iis, quę habentur in extractis ex libro, cui titulus: Confucius Sinarum Philoſophus, & per Patres Societatis iterum impreſſis, ac in parvo libello Sacrę Congregationi oblatis. Tandem pręfati Athei, prout antiqui omnes ſub nomine Quey Xin ſpiritus omnes etiam defunctorum, dum generice eos deſignare, vel nominare volunt, comprehendunt, & de pręfatis Quey Xin generice multa pręclara referunt, ſicque populis erga illos timorem pariter, & honorem ſuadent. (L)

(L) *Maffeus hiſt. Indic. pag.* 100.
Semed. par. 1 *cap.* 118 *pag.* 101 *ubi tamen negat eſſe proprie ſacrificia.*
Alexand. de Rhodes lib. 1 *cap.* 27 *pag.* 88, *&* 89 *qui loquitur de Tunchino.*
De Marin. lib. 1 *cap.* 14 *fol.* 155, *qui pariter loquitur de Tunchino.*

Pręter prędictas ſolemnes oblationes, quę fiunt in honorem defunctorum Progenitorum, alię etiam minus ſolemnes oblationes, necnon alii Ritus, ac ceremonię eiſdem in Ædibus, ſeu Templis diverſis anni temporibus, pręſertim prima die anni Sinici, in ſolſtitiis, ac ſingulis menſibus, in novilunio ſcilicet, & ple-

& plenilunio, in honorem eorundem defunctorum fieri ſolent, de quibus licet Vicarius Apoſtolicus Maigrot ſpecificam mentionem non fecerit, expedire videtur, ob rationem ſupra allatam, ubi de oblationibus minus ſolemnibus Confucio fieri ſolitis agitur, ut etiam ſpeciale quęſitum hic inſtituatur, unde

Tertio. Quęritur an Chriſtianis liceat in pręfatis Ædibus, ſeu Templis ſupradictas oblationes minus ſolemnes offerre, in eis miniſtrare, ſeu quomodolibet inſervire, necnon alios Ritus, & cęremonias peragere.

Ratio dubitandi, pręter ea, quę dicta ſunt in ſuperiori ratione ad quęſitum reſpectu pręfatorum defunctorum, eſt, quia ſupradictis temporibus uniuſcujuſque familię perſonę utriuſque ſexus, ad quas, juxta pręſcriptum in Ritualibus Sinicis, ac pręcipue in Rituali Kia Ly, ex officio ſpectat, ſummo mane debitis, ac ſpecioſis veſtibus indutę, Ædes Progenitoribus dicatas, ac pridie pro more ornatas reſpective adeunt, in eis coram tabellis eorundem Progenitorum poſt ablutionem manuum, cum variis inclinationibus, & genuflexionibus, e Tabernaculis per Miniſtros deſignatos extractis, & ſuper menſam, ſeu Altare collocatis, cereis accenſis, odores, ac thura cremantur, vinum libatur, & ſuper palearum manipulum effunditur (quę cęremonia indicat deſcenſum ſpirituum) fructus varii, ac potio Chà dicta offertur, ſeu apponitur coram qualibet ex eiſdem tabellis, ac tandem cum aliis genuflexionibus, & inclinationibus, ſpiritibus abeuntibus quodammodo vale dicitur.

In plenilunio vero juxta ea, quę habentur in Rituali Kia Ly, cęremonia extrahendi tabellas e Tabernaculis non fit, vinum non apponitur, ſed fructus, & potio Cha, cetera, ut in novilunio, peraguntur.

Inſuper diebus quaſi ſingulis, & in certis caſibus coram tabellis pręfatis, ab his ad quos ſpectat, inclinationes, & proſtrationes varię fiunt, odoreſque quandoque cremantur cereis accenſis.

Tandem, qui ſunt tenuioris fortunę, ut non habeant Ædes, ſeu Templa Progenitoribus defunctis dicata, in domibus privatis coram tabellis eorundem, in ſupradictis anni temporibus reſpective accenſis candelis cum thuris, ſeu odorum ſuffitu offerunt, ſeu apponunt carnes, vinum, potionem Cha, fructus, & alia hujuſmodi, genuflexionibus, ſeu inclinationibus etiam adhibitis, minori tamen cum ſolemnitate. Sinę enim domi communiter habent locum aliquem, tanquam lararium, ubi dictas tabellas cum ſolita inſcriptione aſſervant, eaſque ſingulis diebus ſępe ſalutant, ac certis temporibus, uti dictum eſt, coram eiſdem Ritus, ac cęremonias pręfatas peragunt.

Item Sinenſes fere omnes ſepulcra eorundem Progenitorum, quę in montibus, ſeu locis pręaltis extra męnia ſunt, ſemel in anno adeunt, ibi oblationem faciunt, apponendo ſcilicet carnes, vinum, fructus, potionem Cha, & alia hujuſmodi cum ſolitis genuflexionibus, & inclinationibus, aliquando autem ſolemnius hęc omnia peragunt juxta Ritus, ac vires, adhibita etiam cęremonia effundendi vinum, quę, ut ſupra, Kiang Xin vocatur, herbas etiam, & gramina circa ſepulturas nata eradicant, purgant, plorant, mox finitis lacrymis, oblatis veſcuntur.

Alias inſuper oblationes tum ſolemnes, tum minus ſolemnes Sinenſes facere ſolent mortuis Progenitoribus, pręſertim a die obitus, uſquequo ſepulturę tradantur, quę excepta circumſtantia Templi, ſeu Ædis, necnon veſtium ſpecioſarum, quia lugubribus veſtimentis eo tempore utuntur, in ceteris cum ſupradictis reſpective concordant. Et ideo

Quarto. Quęritur, an Chriſtianis liceat pręfatas oblationes, Ritus, ac cęremonias coram ſupradictis Progenitorum tabellis in privatis domibus, vel etiam in eorundem Progenitorum ſepulcris, aut antequam defuncti prędicti ſepulturę tradantur, in eorum honorem fieri conſuetos, una cum Gentilibus, vel ſeorſim peragere, eiſque miniſtrare, aut intereſſe.

Quinto. Quęritur, an Chriſtianis liceat pręfatas omnes oblationes, tum ſolemniores, tum minus ſolemnes, necnon alios Ritus, ac cęremonias, tam in Ædibus, ſeu Templis defunctorum, quam domi, & in ſepulcris, prout ſupra relatę ſunt, peragere, aut eis ſimul cum Gentilibus intereſſe, vel in eis miniſtrare, ſaltem pręmiſſa publica, vel ſecreta proteſtatione eos non religioſo, ſed civili tantum, ac publico cultu erga defunctos Progenitores hęc omnia pręſtare, nec ab eis quidquam petere, aut ſperare.

Sexto. Quęritur, an liceat, ſeu permitti poſſit Chriſtianis, eaſdem omnes oblationes reſpective in locis ſupradictis, vel ſaltem domi, ac defunctorum ſepulcris ſeorſim, vel etiam cum Gentilibus offerre, alioſque Ritus, ac cęremonias peragere, ſublatis omnino ſuperſtitioſis, vel ſuperſtitionis ſpeciem pręſeferentibus. hoc eſt ea tantummodo offerendo, quę juxta Regni morem vivis offerri ſolent, & cum cęremoniis, ac Ritibus erga vivos fieri, vel adhiberi ſolitis. Et an hoc ſaltem liceat, pręmiſſa, ſeu adhibita ſupradicta proteſtatione.

Ratio eſt, quia niſi hęc ſaltem Sinenſibus Chriſtianis permittantur, valde timendum eſt, ne qui Chriſtiani jam ſunt, Chriſtianam Religionem penitus abjiciant, & qui nondum illam ſuſcepere, in poſterum nullatenus amplectentur. Immo in Chriſtianos, tanquam in Patriorum Rituum erga defunctos Progenitores deſertores, ac deſtructores inſurgant, eoſque, ac Miſſionarios omnes minis, ac perſecutionibus exagitent, & a Regno penitus excludant.

Ita quoad factum pertinet, teſtatur Pater Johannes Franciſcus de Nicolais a Leoniſſa Vicarius Apoſtolicus Hu Quang Epiſcopus Beritenſis, apud quem ſunt Ritualia, aut Textus allegati, eaque exhibuit, & interpretatus eſt.

Super quinto Articulo.

Quęritur primo, an Chriſtianis permitti poſſit dictas tabellas Progenitorum in privatis domibus retinere cum Inſcriptione Xin Chù, Xin Goei, Ling Goei, ideſt: Thronus, ſeu ſedes ſpiritus, ſeu animę N. defuncti.

Et quatenus negative.

Secundo. Quęritur, an ſaltem abraſa ea Inſcriptione, ſolummodo defuncti nomine inſcripto, aut ad ſummum ſuperaddita litera Goei, Sedes, ſeu Thronus.

Et quatenus negative.

Tertio. Quęritur, an ſaltem cum declaratione, qua declaretur, quę ſit Chriſtianorum de defunctis fides, & qualis filiorum, ac nepotum in Progenitores pietas eſſe debeat.

Hic quęritur quid decernendum ſit circa tertium Articulum ſupra omiſſum, tenoris ſequentis.

Quęſita ſuper capitibus inter hujuſce Miſſionis operarios controverſis, Summo Pontifici Alexandro VII propoſita, multis in rebus non eſſe veridica declaramus, ac proinde Miſſionarios, reſponſis ab Apoſtolica Sede, recte quidem, & ſapienter, at juxta circumſtantias in dubiis expreſſas datis, inniti non poſſe, ad uſitatum apud Sinas Confucii, & Progenitorum cultum permittendum.

Super ſexto Articulo.

Quęritur, quid decernendum ſit ſuper ſexto Articulo pręfati edicti D. Maigrot, tenoris ſequentis.

Cum nonnulla, ſeu verbo, ſeu ſcripto evulgari animadverterimus, quę incautos in errorem inducunt, & viam ad ſuperſtitionem patefaciunt, verbi gratia: Philoſophiam, quam Sinę profitentur, ſi bene intelligatur, nihil habere Legi Chriſtianę contrarium.

Nomine Tay Kie Sapientiſſimos Priſcos Deum cauſam primam rerum omnium definire voluiſſe.

Cultum, quem Confucius ſpiritibus adhibuit, civilem potius, quam religioſum fuiſſe.

Librum, quem Sinę Je Hing appellant, ſummam eſſe optimę Doctrinę phiſicę, & moralis.

Hęc, & ſimilia, uti falſo, temere, & ſcandaloſe dicta, ſcriptave diſtricte inhibemus, ne in toto Vicariatu noſtro diſſeminentur.

Super ſeptimo Articulo.

Quęritur, an ſit approbandum, quod D. Maigrot diſponit in ſeptimo Articulo, tenoris ſequentis.

Caveant Miſſionarii, ne qui Chriſtiani Sinicos Libros in ſcholis legunt, Atheiſmum, & diverſas ſuperſtitiones, quibus illi libri tam in Textu, quam in Commentariis ſcatent, in Auditorum animos infundant, ſed illos Miſſionarii admoneant, ut obvios errores refutent, & errorum occaſione, quę de Deo, de Mundi creatione, & gubernatione, Chriſtiana Religio tradit, diſcipulos diligenter edoceant, atque eoſdem Chriſtianos Miſſionarii frequenter commonefaciant, ne quod facile contingit, ſuis in ſcriptionibus aliquid e Scholę Literarię principiis Legi Chriſtianę contrarium admiſceant.

III.

RESPONSA

Quæ ad quæſita ſuperius relata, prævio diuturno, maturo, ac diligentiſſimo examine, de mandato ſanctæ memoriæ Innocentii XII prius inchoato, ac deinde juſſu Sanctiſſimi D. N. D. Clementis PP. XI per plures annos continuato a Sacra Congregatione Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum DD. S. R. E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana adverſus Hęreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatorum, auditis Partibus, necnon Theologorum Qualificatorum ad id deputatorum votis, data fuerunt, ac poſtmodum ab eodem Sanctiſſimo Domino noſtro approbata, & confirmata.

Super Primo Articulo.

Ad primum quęſitum Sacra Congregatio cenſuit non eſſe adhibenda nomina Europęa ad ſignificandum Deum Opt. Max. Inutilis ſiquidem eſſet eorum uſus, poſito quod illa Sinicis characteribus exprimi vix poſſint, nec ullam apud Sinas rei ſignificatę ideam excitare valeant.

Ad ſecundum reſpondit affirmative. Si enim illis vocibus apud pręcipuam Sinenſium Sectam, quę Literatorum nuncupatur, nonniſi Cęlum corporeum, & viſibile, vel quędam Cęli virtus eidem Cęlo inſita deſignatur, quęcunque alia tandem eiſdem vocibus ſignificatio attribui valeat, abſtinere ab eis prorſus debent Miſſionarii, ne anſam prębeant illis gentibus exiſtimandi nihil aliud eſſe Deum, quam Chriſtiani colunt, quam Cęlum corporeum, aut ejus virtutem.

Ad tertium. Similiter reſpondit Affirmative, pręſertim cum nulla hac in re adſit inter partes controverſia.

Ad quartum. Sufficienter fuiſſe proviſum in reſponſione ad ſecundum quęſitum.

Super Secundo Articulo.

Ad primum. Attentis iis, quę dicta ſunt in reſponſione ad ſecundum quęſitum primi Articuli, Sacra Congregatio reſpondit permittendum non eſſe in Eccleſiis Chriſtianorum appendi Tabellam, de qua agi-

agitur, nec jam appenſam retineri. Etſi enim nefas omnino ſit ſuſpicari, quod aliqui Miniſtri Evangelici Tabellam hujuſmodi in Eccleſiis Chriſtianorum permittentes, alio animo id faciant, quam per inſcriptionem in ea appoſitam non Cęli materialis, ſed factoris, ac Domini Cęli, adeoque veri Dei cultum explicandi: abſtinendum tamen omnino eſt ab illa praxi, quam juxta ea, quę habentur apud S. Leonem ſer.7. de Nativit. Domini, cum quis in noſtris invenerit, qui erroribus relictis Chriſtianam fidem amplexus eſt, eam ſecum partem opinionis vetuſtę, tanquam probabilem retinere poſſet, quam Fidelibus, & Infidelibus viderit eſſe communem.

Ad ſecundum. Pręſuppoſita inſcriptione, de qua agitur, reſpondit negative. Quod ſi loco inſcriptionis: Cęlum colito: proponeretur alia: Dominum Cęli colito: eſſet hęc ſubrogatio novę Tabellę, non declaratio antiquę.

Super Tertio Articulo.

Remiſſa ad alium locum quęſtione, remittitur, & ad illum reſponſio.

Super Quarto Articulo.

Ad ſex quęſita hujus articuli Sacra Congregatio reſpondit Chriſtianis nullatenus, nullaque de cauſa eſſe permittendum, pręeſſe, miniſtrare, aut intereſſe ſolemnibus Sacrificiis, ſeu oblationibus, quę in utroque Æquinoctio cujuſque anni Confucio, & Progenitoribus defunctis fieri ſolent, tanquam ſuperſtitione imbutis.

Similiter nec eſſe permittendum in Ædibus Confucii, quę eo appellari dicuntur vocabulo, quo apud Sinas Idolorum templum deſignari dicitur, exerceri, ac peragi a Chriſtianis cęremonias, Ritus, & oblationes, quę in honorem ejuſdem Confucii fieri dicuntur tum ſingulis menſibus in novilunio, & plenilunio, a Mandarinis, ſeu Primariis Magiſtratibus, aliiſque Officialibus, & Literatis, tum ab iiſdem Mandarinis, ſeu Gubernatoribus, ac Magiſtratibus, antequam dignitatem adeant, ſeu ſaltem poſt ejuſdem poſſeſſionem adeptam: tum denique a Literatis, qui poſtquam ad gradus ſunt admiſſi, e veſtigio ad Templum, ſeu Ædem Confucii ſe conferunt.

Item non eſſe permittendum Chriſtianis, in Templis, ſeu Ædibus Progenitoribus dicatis oblationes minus ſolemnes eiſdem facere, nec in illis miniſtrare, aut quomodolibet inſervire, vel alios Ritus, & cęremonias peragere.

Demum, nec eſſe permittendum Chriſtianis pręfatas oblationes, Ritus, ac cęremonias, prout in quęſitis relatę ſunt, coram Progenitorum Tabellis, in privatis domibus, nec in eorundem Progenitorum ſepulcris, aut antequam Defuncti ſepulturę tradantur, in eorum honorem fieri conſuetas, una cum Gentilibus, vel ſeorſim peragere, eiſque miniſtrare, aut intereſſe; imo prędicta omnia tanquam a ſuperſtitione inſeparabilia, juxta ea, quę in Quęſitis propoſita ſunt, ne quidem eſſe permittenda Chriſtianis, pręmiſſa publica, vel ſecreta proteſtatione, ſe non religioſo, ſed civili, ac politico tantum cultu erga Defunctos illa pręſtare, nec ab eis quidquam petere, aut ſperare.

Ceterum per reſponſa hujuſmodi non cenſendam eſſe damnatam pręſentiam illam, ſeu aſſiſtentiam mere materialem, quam cum Gentilibus ſuperſtitioſa peragentibus, citra ullam, ſive expreſſam, ſive tacitam geſtorum approbationem, ac quovis miniſterio penitus ſecluſo, eidem ſuperſtitioſis actibus quandoque pręſtari contingat a Chriſtianis, cum aliter odia, & inimicitię vitari non poſſunt, facta tamen Fidei proteſtatione, & ceſſante periculo ſubverſionis.

Similiter nec per eadem reſponſa vetari, quo minus erga defunctos peragi poſſint alia, ſi quę ſint juxta earum gentium mores, quę vere ſuperſtitioſa non ſint, nec ſuperſtitionis ſpeciem pręſeferant, ſed intra limites civilium, ac politicorum Rituum contineantur. Porro quęnam hęc ſint, & quibus adhibitis cautelis tolerari valeant, tum Domini Patriarchę Antiocheni Commiſſarii, & Viſitatoris Generalis in Imperio Sinarum, tum Epiſcoporum, ac Vicariorum Apoſtolicorum illarum partium judicio relinquendum eſſe, qui tamen interea omni, quo poterunt, ſtudio, ac diligentia curare debebunt, ut Gentium cęremoniis penitus ſublatis, illi ſenſim a Chriſtianis, & pro Chriſtianis hac in re uſu recipiantur Ritus, quos Catholica Eccleſia pro Defunctis pie pręſcripſit.

Super Quinto Articulo.

Ad tria quęſita hujus Articuli Sacra Congregatio reſpondit: Chriſtianis non poſſe permitti Tabellas Progenitorum, juxta Sinenſium morem, in privatis domibus retinere, cum inſcriptione, qua Thronus, ſeu ſedes ſpiritus, vel Animę N. defuncti, adeoque qua Spiritum, ſeu Animam illius defuncti ibidem aliquando ſiſti, vel reſidere ſignificetur; Imo nec cum alia, qua Sedes, ſeu Thronus, adeoque idem ac priori, licet magis contracta, inſcriptione deſignari videatur,

Quo vero ad Tabellas ſolo Defuncti nomine inſcriptas, tolerari poſſe illarum uſum ſecluſo ſcandalo, hoc eſt, dummodo qui Chriſtiani non ſunt, arbitrari non poſſint Tabellas hujuſmodi a Chriſtianis retineri ea mente, qua ipſi illas retinent, & adjecta inſuper declaratione ad latus ipſarum Tabellarum apponenda, qua & quę ſit Chriſtianorum de defunctis fides, & qualis filiorum, ac nepotum in Progenitores pietas eſſe debeat, enuncietur.

Ad Quęſitum tertii Articuli huc remiſſum, Sacra Congregatio ſatius duxit nihil reſpondere; ne alias Apoſtolica Sedes ab eo, quem in ejuſmodi controverſiis Sinicis hactenus tenuit, antiquo more recedere cogatur; quo nimirum ad ea, quę ſibi pro tempore, tametſi diverſimode expoſita fuerunt, reſponſa quidem veritatis ſemper dare, nunquam vero ſuper expoſitorum hujuſmodi veritate, ſeu falſitate pronunciare conſuevit.

Super Sexto Articulo.

Nihil certi firmari poſſe quoad propoſitiones enunciatas in hoc ſexto Articulo, niſi pręhabitis plenioribus, & neceſſariis rerum in eis contentarum notitiis. Interea tamen committendum eſſe pręfato Domino Patriarchę Antiocheno, ut auditis Epiſcopis, & Vicariis Apoſtolicis, necnon peritioribus Miſſionariis illarum Partium, hac in re id ſtatuat, atque decernat, quod juxta datam ſibi a Domino prudentiam Catholicę Religionis indemnitati, atque Animarum ſaluti magis expedire cenſuerit.

Super Septimo Articulo.

Pręſuppoſito, quod Sinici Libri Atheiſmum, & diverſas ſuperſtitiones contineant, prout in Mandato Domini Epiſcopi Cononenſis dicitur, utile non modo, ac ſalutare, ſed & omnino neceſſarium fuiſſe monitum, de quo agitur in ſeptimo Articulo, adeoque illud eſſe approbandum.

Laudandam demum eſſe declarationem in calce ejuſdem Mandati adjectam, qua dicitur culpandos non eſſe illos Miſſionarios, qui aliam praxim ab ea, quę in ipſo Mandato pręſcribitur, ſequi hactenus duxerunt; cum mirum videri non debeat, quod in ejuſmodi materia per tot annos diſcuſſa, & in qua juxta diverſas Apoſtolicę Sedi expoſitas circumſtantias, diverſa itidem ante hac emanarunt ejuſdem Sedis reſponſa, concordes omnes non fuerint in eadem ſententia. Ita proinde hac in re agendum fore tum a pręfato Domino Patriarcha Antiocheno, tum ab aliis, quibus ſuperius reſponſorum executio injungetur, ut omnis quidem Ethnicę ſuperſtitionis ſpecies, ejuſque afflatus, juxta Tertulliani monitum, etiam de longinquo devitetur: inſimul tamen Operariorum Evangelicorum in Vinea Domini ſtrenue, ac ſedulo laborantium, qui priuſquam ſupra relata Dubia ex ſolita hujus S. Sedis providentia, ac rectitudine dirimerentur, aliter ſenſerunt, honori, ac famę conſulatur, nec tanquam Idololatrię Fautores traducantur; pręſertim quia pleraque ex illis, quę Chriſtianis permittenda non eſſe, ſicut pręmittitur, reſponſum fuit, ipſi quoque ſe nunquam revera permiſiſſe declararunt; nec dubitandum ſit illos, finita jam cauſa, pręfatę Sanctę Sedis mandatis ea, qua decet, humilitate, & obedientia eſſe obſecuturos.

Anno 1704 Die 16 Decembris.

Soli Fratres Prædicatores ſolemnem ſupplicationem (1) ſeu Proceſſionem, habeant Dominica infra Octavam Feſti SS. Corporis Chriſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXI.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Compoſtellano, ſeu dilecto filio ejus Officiali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Prędicatorum Civitatis Compoſtellanę Nobis fuit humiliter expoſitum, quod cum olim ſanctę memorię B. Pius V Prędeceſſor noſter, perpetuo conceſſerit profeſſoribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, ut in quibuſcunque Civitatibus, terris, villis, locis, ac Caſtris, in quibus [illegible] fuerint facere Proceſſionem Sanctiſſimi Euchariſtię Sacramenti, ſoli in prima Dominica infra Octavam feſti Sanctiſſimi Corporis Chriſti, ſingulis Annis illam facere, & celebrare poſſent, & deberent, omnibus Fratribus, & Presbyteris aliarum Religionum, ne dicto tempore, & hora ſimiles Proceſſiones, aut Feſta celebrare, aut in ea, cum profeſſoribus prędictis concurrere deberent, perpetuo inhibendo, ac ulterius Chriſti fidelibus utriuſque ſexus dictę Proceſſioni, ſive ante, vel poſt prandium facien. intereſſentibus omnium peccatorum ſuorum, Indulgentiam, & remiſſionem indulgendo, prout latius in Literis (3) in forma Brevis die XX menſis Junii Anno Domini MDLXXI, deſuper expeditis, plenius continetur, felicis recordationis Clemens PP. VIII, etiam Prędeceſſor noſter, quantumvis firmiter crederetur, quod dictus B. Pius Prędeceſſor prędictus, gratias conceſſerit, tam tunc fabricatis, quam in poſterum in quibuſvis Orbis partibus fabricandis dicti Ordinis Domibus, ac Priores, & Fratres novarum Domorum ejuſdem ordinis poſtea fabricatarum poſſe juxta tenorem prędictarum Literarum, celebrare Proceſſionem prima Dominica infra Octavam Corporis Chriſti hujuſmodi, & Chriſti fideles dictis Proceſſionibus intereſſentes, & confeſſos, aut pro tempore debito firmiter confitendi propoſitum habentes, Indulgentiam Plenariam prędictam conſequi, ac inhibitione aliqua in dictis Literis contenta, ad eas ſe extendere; ad amputan. tamen omnem dubitandi materiam, prędictas Literas dicti B. Pii V, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis Clauſulis, & Decretis, ac inhibitionibus, non ſolum confirmavit, ſed etiam omnes, & ſingulas dicti Ordinis Domus in quibuſcunque Civitatibus, Terris, villis, locis, & Caſtris poſt dat. ipſarum literarum fabricatas, & in poſterum fabricandas extendit, & ampliavit, itaut Priores, & Fratres Domorum dicti Ordinis fabricatarum, & in poſterum in quibuſcunque mundi partibus fabricandarum, Proceſſionem ejuſdem SS. Corporis Chriſti, per vicos, & plateas, ac loca ab eis electa, & ſemel tantum eligenda, in prima Dominica infra Octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti ſingulis annis ſoli, abſque ullo prorſus impedimento per quoſcunque quavis auctoritate fungen. illato, & inferendo, celebrare poſſent, & deberent, inhibendo omnibus Fratribus, & Presbyteris aliarum Religionum, ne dicto tempore, & hora, ſimiles Proceſſiones, aut Feſta celebrare, aut in ea cum Fratribus Prędicatoribus prędictis, concurrere auderent, necnon omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, vere penitentibus, & confeſſis; ſeu ſtatutis ad id temporibus, firmum confitendi propoſitum habentibus, qui Proceſſionibus dicti Sanctiſſimi Euchariſtię Sacramenti per Priores, & Fratres dictarum Domorum poſt erectarum, & in futurum erigendarum Prima Dominica, infra

infra Octavam dicti Feſti celebrandis hujuſmodi devote interfuerint, Plenariam omnium Peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem pariter elargitus fuit, non obſtantibus quibuſcunque, & alias prout latius in Literis (4) dicti Clementis Prędeceſſoris ſimiliter in forma Brevis deſuper ſub die VIII Menſis Martii Anno ejuſdem Domini MDXCII expeditis continetur. Et licet, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat de validitate Literarum, tam dicti B. Pii, quam Clementis prędicti Prędeceſſorum noſtrorum, & in eis contentorum, ambigi non poſſit, nec debeat, pręcipue cum jam executioni demandatę, & ſemper pacifice obſervatę fuerint; Attamen, quia nuper dilecti etiam filii Fratres Ordinis S. Franciſci Civitatis Compoſtellanę occaſione, qua currenti Anno celebraverunt Feſtum Sanctiſſimi Corporis Chriſti, non dubitaverunt, illud ſolemniter celebrare eadem die Dominica infra Octavam dicti Feſti Corporis Chriſti, executionem, & obſervantiam dictarum literarum Apoſtolicarum de facto ſubvertendo; Ideo dicti exponentes, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eis in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, dictos exponentes, & eorum quemlibet a quibuſvis excommunicationis, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę, Frater Archiepiſcope, ſeu diſcretioni tuę, fili Officialis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, ad executionem, & obſervantiam literarum dicti Pii, & aliarum prędicti Clementis juxta illarum formam, & tenorem, dummodo in dictis ſuper pręmiſſis alibi judicium cęptum non ſit, auctoritate noſtra, prout de Jure procedas, procedique mandes, & facias. Nos enim dictos Patres Ordinis S. Franciſci, omneſque alios, quos opus erit, etiam per Edictum publicum, conſtito de non tuto acceſſu, citandi, illiſque, & quibus videbitur, ſub ſententiis, cenſuris, & pęnis inhibendo, contradictores in illas ſervata forma Concilii Tridentini incidiſſe declarandi, aggravandi, reaggravandi, & interdicendi, auxiliumque brachii ſecularis, ſi ad hoc opus fuerit, invocandi, aliaque in pręmiſſis, & citra ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna, faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, & exequendi, plenam, & liberam eadem Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium concedimus facultatem; Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Septingenteſimo Quarto, Decimo ſeptimo Kal. Januarii, Pontificatut noſtri Anno Quinto.

1. *Supplicationem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar authenticum ex autographo *Compoſtellano*.
3. *Literis.*) Quæ deſiderantur.
4. *Literis.*) Conſtitutione nempe *II*. Legitur *Tomo V hujuſce Bullarii pag.* 486.

De Priorissa Piſciacen. (1) Monaſterii conſtituenda.

Anno 1705
Die 5 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro Ludovico (3) Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

C L E M E N S PP. XI.

XXII.

Cariſſime in Chriſto fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX injunctę Nobis divinitus Apoſtolicę ſollicitudinis munere, pia & laudabilia chriſtianiſſimorum Regum de Eccleſiis pręſertim inſignibus, quę ab eorum Prędeceſſoribus magnifice conſtructę fuerunt, reparandis, conſilia libenter promovemus, ac favoribus, & gratiis incitamus opportunis, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Nuper ſiquidem pro parte Majeſtatis Tuę Nobis expoſitum fuit, quod dudum clarę memorię Philippus IV, dum vixit Francorum Rex Chriſtianiſſimus Prędeceſſor tuus, Monaſterium Monialium loci de Poiſſy Ordinis S. Dominici, Carnotenſis Dięceſis, ac illius Eccleſiam magnificentiſſimę ſtructurę, ſub protectione Beatę Marię Virginis, & invocatione S. Ludovici, itidem dum vixit eorundem Francorum Regis Chriſtianiſſimi, etiam Prędeceſſoris Tui, Avi ſui propriis ſumptibus conſtrui, & fabricari, ac inibi communitatem ducentarum Monialium conſtitui curavit, ipſumque Monaſterium per plura ſecula ſub protectione, & pietate clariſſimorum Regum Prędeceſſorum tuorum, in primęvi ſtatus ſui ſplendore permanſit, & per Superioriſſas ſublimi admodum genere natas, quarum aliquę Regii ſanguinis Principiſſę fuerunt, gubernatum fuit: Verum die XXII Julii MDCXCV. dictę Eccleſię ędificium ictu fulminis percuſſum omnino dirutum, ejuſque Campanile totum plumbeum, & magnę altitudinis, cum majori totius ejuſdem Eccleſię culmine, penitus conſumptum remanſit, camque ob cauſam cum Moniales Monaſterii prędicti, divinorum officiorum celebrationi in dicta Eccleſia amplius vacare non poſſent, ſe in quandam Capellam ad illa celebranda receperunt, & quia Capella hujuſmodi ab earum cellis adeo diſtabat, ut ad eam noctu convenire non valerent, rei neceſſitate coactę, a dilecto filio Antonino Cloche Magiſtro Generali dicti Ordinis exemptionem ab officio nocturno impetraverunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, facultates dicti Monaſterii numeroſę communitatis ſuſtentationi addictę, pluribuſque aliis neceſſariis ſumptibus quotannis exhauſtę, pręfatę Eccleſię refectioni, & reſtaurationi, quę juxta peritorum relationem, ſummam centum millium ſcutorum monetę Francię exceſſura eſt, longe impares exiſtunt, hocque reſtaurationis beneficium ex ſola Majeſtatis tuę pietate, & munificentia ſperari poſſit, Tuque, ut Eccleſia hujuſmodi in honorem dicti Sancti Ludovici, ſub cujus invocatione, ut pręfertur, erecta eſt, priſtinę dignitati reſtituatur, ac in-

intermiſſa, ſicut præmittitur, divinorum officiorum celebratio in ea renovetur, expenſas reſtaurationis hujuſmodi facere paratus ſis, dummodo tibi, tuiſque Succeſſoribus Regibus Francorum Chriſtianiſſimis, jus Prioriſſam dicti Monaſterii, quotieſcunque illius Prioriſſatus officium vacare contigerit, nominandi a Nobis concedatur. Nos eximiam Majeſtatis Tuę pietatem, inter tot alias Rege Chriſtianiſſimo dignas virtutes, & multiplicia decora præfulgentem, plurimum in Domino commendantes, Tibique, ac dictis Succeſſoribus tuis Regibus Francorum Chriſtianiſſimis ſpecialem gratiam facere volentes, ac ſperantes Te, & illos in nominandis ad Prioriſſatus officium hujuſmodi Monialibus, quę Religionis zelo, vitę munditia, fide, pietate, prudentia, caritate, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione præſtent, ac ejuſdem officii prærogativa dignę ſint, ſummum ſtudium, ſummamque diligentiam ſemper adhibituros, nec conſcientiam veſtram hac in re ullo modo lędi paſſuros eſſe, ſupplicationibus ejuſdem Majeſtatis Tuę nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper hoc negotio a Nobis ſpecialiter deputatorum conſilio, Tibi, tuiſque Succeſſoribus Regibus Francorum Chriſtianiſſimis, jus nominandi Nobis, & pro tempore exiſtentibus Romanis Pontificibus Succeſſoribus noſtris, Monialem dicti Monaſterii loci de Poiſſy, ſecundum diſpoſitionem Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini decretorum idoneam, & habilem, ſeu quatenus idonea, & habilis in eo non reperiatur, de quo Nobis, & Succeſſoribus noſtris prædictis conſtare debeat, aliam alterius Monaſterii ejuſdem Ordinis Sancti Dominici Monialem ſimiliter idoneam, & habilem ad officium Prioriſſatus ipſius Monaſterii loci de Poiſſy, quotieſcunque illud vacare contigerit, etiamſi ad ipſum conſueverint Moniales per electionem, ſeu alium quemcunque modum aſſumi, dummodo intra ſexennium, Monaſterium, & illius Eccleſia præfata, ſumptibus tuis reficiatur, reparetur, & renovetur, per Nos, & Succeſſores noſtros prædictos in Prioriſſam perpetuam ejuſdem Monaſterii ad nominationem hujuſmodi, quę infra ſex menſes a die vacationis ipſius Prioriſſatus officii fieri, ac nobis, & dictis Succeſſoribus noſtris præſentari debeat, deputandam, & conſtituendam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę Regula de jure quęſito non tollendo, aliiſque quibuſcunque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon fundationibus, inſtitutionibus, ſtatutis, & conſuetudinibus prædicti de Poiſſy, & quorumvis aliorum Monaſteriorum dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda foret, illorumque tenores præſentibus pro expreſſis, habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die V Junii MDCCV, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Loco ✝ Sigilli.

F. Oliverius.

1. *Piſciacen.*) Vulgo *Poiſſy*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.
3. *Ludovico.*) Hujus nominis *XIV*.

Anno 1706 Die 15 Martii.

XXIII.

De S. Vincentii (1) Ferrerii Officio ab omnibus recitando.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

URBIS, ET ORBIS.

AD pias Eminentiſs., & Reverend. D. Cardinalis Archiepiſcopi Toletani preces, & non minus enixas, quam demiſſas inſtantias Reverendiſſimi Patris Antonini Cloche Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum, deputatorum Regni, & Conſulum Juratorum Civitatis Valentinę Editanorum, Sanctiſſimo Domino Noſtro porrectas, a Sanctitate Sua, ad Sacram Rituum Congregationem remiſſas, & ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali S. Clementis relatas. Sacra eadem Congregatio cenſuit poſſe indulgeri, & concedi, ut Officium S. Vincentii Ferrerii Confeſſoris, alias ſub ritu ſemiduplici ad libitum pro Eccleſia univerſali recitari conceſſum, in poſterum ab omnibus utriuſque ſexus, qui ad horas canonicas tenentur ſub eodem Ritu ſemiduplici de Pręcepto recitetur. Si Sanctiſſimo D. N. videbitur. Die VI Martii MDCCVI. Et facta deinde per me Secretarium de prędictis Sanctiſſimo D. N. relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die XV ejuſdem Menſis, & Anni MDCCVI.

G. Card. Carpineus.

Loco ✝ Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Cong. Sec.

1. *Vincentii.*) Conſulenda Conſtitutio *IV Pii II*. Legitur *Tomo III hujuſce Bullarii pag.* 379.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.

De-

Decreta generalia Sacrorum Rituum Congregationis circa Rubricas.

Anno 1706 Die 20 Martii.

XXIV.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CUm Sacrorum Rituum Congregationi demiſſe ſupplicatum fuerit ſequentia dubia declarare.

Primum. An cum multis Congregationibus, Religionibus, ſive Eccleſiis, vel Nationibus conceſſum ſit a Sancta Sede Apoſtolica, ut ſemel, vel pluries in ſingulis hebdomadis, vel menſibus celebrentur varia Officia per annum v. g. de Sanctiſſimo Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo feſto duplici, vel ſemiduplici, liceat ejuſmodi Officia facere etiam in diebus S. Quadrageſimę, Adventus, Vigiliarum, & Quatuor Temporum, etiamſi de his diebus nulla ſit facta ſpecialis mentio in aliquibus Officiorum conceſſionibus.

Secundum. An dies impeditus feſto duplici, vel ſemiduplici pro dictis Officiis recitandis, intelligantur etiam dies, in quibus ponendum eſt Officium de feſto duplici, vel ſemiduplici tranſlato, quemadmodum dicitur reſponſum fuiſſe olim a Sacra Congregatione, quod ſcilicet feſtum duplex, vel ſemiduplex etiam tranſlatum, necnon dies octavę ſit dies impeditus reſpectu talium Officiorum?

Tertium. An Regulares abſque ſpeciali privilegio, ſed ſola communicatione privilegiorum aliarum Religionum poſſint addere nomen S. Fundatoris in Litaniis, & Confiteor, itemque recitare Officia, & Miſſas conceſſas aliis Religionibus.

Sacrorum Rituum eadem Congregatio ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Colloredo reſpondit.

Ad primum, negative, & hujuſmodi indulta non habere locum in feriis Adventus, Quadrageſimę, Quatuor Temporum, Vigiliarum, ſive cum jejunio, ſive abſque jejunio, nec in feria ſecunda Rogationum, nec in illa feria, in qua ſecundum Rubricas ſit reponendum Officium Dominicę.

Ad ſecundum affirmative.

Ad Tertium negative in omnibus.

Et ita declaravit, ac ſervari voluit, ac inſuper ut declarationes, ſeu decreta prędicta omnibus innoteſcant, typis ea imprimi mandavit. Die XX Martii MDCCVI.

G. Card. Carpineus.

B. Inghirami Sac. Rit. Cong. Sec.

1. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur in *Bullario Carmelitano Parte II pag.* 686.

De S. Antonini (1) Officio ab omnibus recitando.

Anno 1707 Die 16 Aprilis.

XXV.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

URBIS, ET ORBIS.

AD enixas preces nomine Sereniſſimi Magni Ducis Hetrurię Sanctiſſimo Domino Noſtro Clementi PP. XI porrectas, a Sanctitate Sua, ad Sacrorum Rituum Congregationem remiſſas, & ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Card. S. Clementis relatas, eadem Sac. Rit. Congregatio poſſe concedi cenſuit, ut Officium S. Antonini Archiepiſcopi Florentini, hactenus ſub ritu ſemiduplici ad libitum in Eccleſia univerſali recitari conceſſum, in poſterum ſub eodem Ritu ſemiduplici, de Prępcepto tamen, ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, recitetur, ſi Sanctiſſimo D N. videbitur. Die II Aprilis MDCCVII. Et facta per me Secretarium de prędictis Sanctiſſimo D. N. relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die XVI ejuſdem Menſis Aprilis, & Anni MDCCVII.

Pro Eminentiſſimo Card. Carpineo Pręf.

L. Card. Colloredus.

Loco ✝ Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Cong. Sec.

1. *Antonini.*) Conſulenda Conſtitutio *I Clementis VII.* Legitur *Tomo IV bujuſce Bullaris pag.* 417.

2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur in *Bullario Clementis XI pag.* 566.

Indulgentia (1) pro quatuor Anniverſariis quotannis celebrandis.

Anno 1707 Die 15 Octobris.

XXVI.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

C L E M E N S PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut pro parte dilecti filii Antonini Cloche Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, Nobis nuper expoſitum fuit, in ſingulis Eccleſiis Fratrum, & Monialium dicti Ordinis quatuor quotannis anniverſaria, unum ſcilicet pro omnium, & ſingulorum Fratrum, & Monialium dicti, ac

ac etiam Tertii Ordinis Sancti Dominici, defunctorum, die decima Menſis Novembris, ac ſecundum pro eorundem Fratrum, & Monialium, parentum, ac conſanguineorum, ſeu affinium defunctorum animarum refrigerio, die quarta menſis Februarii, & alterum in ſuffragium animarum familiarium, & benefactorum ejuſdem Ordinis, die vigeſimaquinta menſis Septembris, necnon reliquum in ſuffragium animarum Chriſti fidelium in Eccleſiis, & cęmeteriis tam Fratrum, quam Monialium dicti Ordinis ſepultorum, die duodecima menſis Julii, ſeu aliis immediate ſequentibus, reſpective diebus non impeditis celebrari conſueverint, nos ut opus tam pium majori cum fructu fiat, ad augendam eorundem Fratrum, & Monialium devotionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, ac ſupplicationibus dicti Antonini Magiſtri Generalis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & ſingulis Fratribus dicti Ordinis in ſacro Presbyteratus Ordine conſtitutis, qui Miſſam in diebus, quibus anniverſaria prędicta celebrabuntur in Eccleſiis dicti Ordinis reſpective celebraverint, Plenariam, aliis vero Fratribus dicti Ordinis non celebrantibus, necnon Monialibus prędictis vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui Miſſę, ſeu Officio defunctorum in Eccleſiis prędictis, diebus anniverſariorum hujuſmodi celebrandis devote interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, quam etiam animabus ſupradictorum defunctorum, quę Deo in caritate conjunctę ab hac luce migraverint, per modum ſuffragii applicari poſſe indulgemus. In contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque; Pręſentibus quoad Indias ad quindecim annos, extra Indias vero ad ſeptem annos tantum valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicationę pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint. Quodque pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides ubique locorum habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XV Octobris MDCCVII, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

F. Oliverius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCVII*. Idem conceſſum ab eodem *Clemente XI* die *V* Julii *MDCCXV*. Pontificatus Anno Decimoquinto.

Anno 1707 Die 15 Octobris.

XXVII.

Indulgentia pro feſto (1) omnium Sanctorum Ordinis Prædicatorum.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLEMENS PP. XI.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris, pia caritate intenti, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi ſupplicationibus dilecti filii Antonini Cloche Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum, & Monialium Ordinis S. Dominici ubique locorum exiſtentibus, die nona Menſis Novembris, qua ſolemnitas, ſeu Commemoratio omnium dicti Ordinis Sanctorum ex Indulto Sedis Apoſtolicę celebrari ſolet, a primis veſperis, uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium, aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint. Utque pręſentium literarum tranſumptis, & exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datnm Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Octobris MDCCVII, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

F. Oliverius.

1. *Feſto.*) Conſulenda *Conſtitutio XLVII Clementis X* data die *VIII* Auguſti *MDCLXXIV*.

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCVII*. Idem ab eodem *Clemente XI* conceſſum die *XII* Decembris anno *MDCCXVI*, Pontificatus anno Decimoſeptimo.

De

De conſtituendo Pœnitentiario pro Cœnobio Suriano.

Anno 1709 Die 21 Auguſti.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXVIII.

CLEMENS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EX incumbenti Nobis Apoſtolicę ſervitutis officio pia Chriſti fidelium quorunlibet vota, pręſertim ad divini cultus incrementum, ipſorumque Chriſti fidelium animarum ſalutem tendentia, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, illaque favoribus, & gratiis proſequimur opportunis. Cum itaque, ſicut dilecti filii modernus Prior, & Fratres Conventus S. Dominici Terrę Suriani Ordinis Pręedicatorum, Militen. Diœceſis, Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi pro ſpirituali Chriſti fidelium ad Eccleſiam Conventus pręfati, & pręcipuę ex utriuſque Sicilię Regnis, devotionis cauſa aſſidue confluentium, nec a Confeſſariis dicti Conventus abſolvi valentium conſolatione, aliquem Pęnitentiarium ad Sacramentales illorum Confeſſiones audiendas deputari plurimum deſiderent, Nos pio ipſorum Prioris, & Fratrum deſiderio, quantum cum Domino poſſumus, annuere, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, dilecto pariter filio Antonino Cloche nunc, & pro tempore exiſtenti Magiſtro Generali dicti Ordinis, ut unum Fratrem expreſſe profeſſum Ordinis pręedicti, quem ad id idoneum, vitaque, & moribus conſpicuum cognoverit, in dicta Eccleſia Pęnitentiarium, dummodo tamen ab Ordinario loci prius examinatus, & approbatus fuerit, conſtituere, & deputare valeat, ita tamen ut idem Pęnitentiarius ſic conſtitutus, & deputatus omnibus, & ſingulis facultatibus, non tamen a caſibus in literis Apoſtolicis, quę die Cęnę Domini legi conſueverunt contentis, neque a cenſuris contra duellantes, aut ſanctimonialium clauſuram, vel libertatem, immunitatem, ſeu juriſdictionem eccleſiaſticam violantes fulminatis, abſolvendi, quibus Pęnitentiarii Sacrę Domus Lauretanę utuntur, potiuntur, & gaudent, ſimiliter uti, potiri, & gaudere poſſit, facultatem ad quinquennium proximum duntaxat duraturam, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXI Auguſti MDCCIX, Pontificatus noſtri Anno Nono.

F. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo autographum.

Catholicos Hiberniæ, ab hæreticis dire ac diverſimode afflictos, Regi Portugalliæ ſummopere commendat, & F. Antonii Carwel Ordinis Prædicatorum meminit.

Anno 1709 Die 28 Septembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXIX.

Cariſſimo in Chriſto filio Noſtro Johanni Portugallię & Algarbiorum Regi Illuſtri.

CLEMENS PP. XI.

Cariſſime in Chriſto fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UBi Majeſtas Tua ingenitam ſuam pietatem conſulat, ac ſecum reputet, quantum meriti apud Deum, quantum apud homines laudis, & glorię aſſecuti ſint Majoris tui inclyti nominis Reges ob ſtrenue, ac feliciter aſſertam, ac in univerſum prope orbem amplificatam Chriſti fidem, & Catholicam veritatem, non multis apud Te Nobis agendum erit, ut Te hortemur ad magis, magiſque in dies valida tuę auctoritatis ope juvandos Catholicos Hibernię, qui hoc tempore dura nimis, ac ſęva perferunt a Magiſtratibus Hęreticis, irreconciliabili odio in Romanam Eccleſiam ejuſque ſectatores incenſis. Nihil itaque dignius, pręſtantia, ac magnitudine animi tui, & eximio zelo, quo pro divini nominis honore ferves, facere potes, quam tueri, ut facis, illorum fidelium cauſam, atque ad eam opportune, & utiliter tuendam media illa deligere, & adhibere, quę pręfatis Catholicis magis profutura eſſe pro ſpectata tua prudentia dijudicaveris. Quam autem grave, ac imminens ſit eorum periculum, tum quidem quoad temporalem, tum vero pręſertim quoad ſpiritualem ſalutem, quę vehementius impetitur, plu-

pluribus accipies a venerabili Fratre Johanne Baptiſta Epiſcopo Corcagenſi, ſive, eo abſente a dilecto filio Religioſo Viro Antonio Carwel Ordinis Fratrum Prędicatorum has Tibi noſtras reddituro. Perge igitur, cariſſime in Chriſto fili Noſter, ſuſceptam jamdiu illorum fidelium tutelam conſtanter tueri, novaque in dies eximię tuę virtutis ſpecimina in ſolatium noſtrę ſolicitudinis alacriter dare; dum Nos interim Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuę, in auſpicium optati exitus, amantiſſime impertimur. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Septembris MDCCIX Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur *T. I Epiſtol. & Brevium Selectior. Clementis XI pag.* 587.

Anno 1710 Die 3 Februarii.

Montis Marii Cœnobium (1) Romæ extra portam Angelicam conſtitutum.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXX.

C L E M E N S PP. XI.

Dilecte fili noſter (3), ſeu dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Vicarius Generalis, & Fratres Congregationis S. Marci Florentin. Provincię Romanę Ordinis Prędicatorum, quod alias quondam Johannes Victorius de Rubeis in ſuo ultimo die XXI Decembris MDCXLVI condito teſtamento, Congregationem Fratrum B. Petri de Piſis hęredem inſtituit, voluitque, ut extra portam Angelicam hujus almę Urbis, in loco qui ad Crucem Montis Marii vocatur, ubi Eccleſia ſub titulo ſeu invocatione Beatę Marię Virginis de Roſario, & febre nuncupata reperitur, novus Conventus ſecundo dictę Congregationis, & manſiones ad uſum illius Fratrum quę perfectioris vitę ſtudio ducti ſe ſe illuc recipere vellent ędificarentur, dictique Fratres dictę Eccleſię divina Officia celebrare deberent, & declaravit tot ex dictis Fratribus ibidem permanere debere, quot ex ejus hęreditate, aſſignatis eorum cuilibet quotannis quinquaginta ſcutis monetę ab omni expenſa in Eccleſiam pręfatam facienda liberę ali poſſent, adjecta inter alias ea conditione, quia pręvidebat nonniſi ſex Fratres ex dicta ejus hęreditate in hoc novo Conventu ali poſſe, quod prędicta Congregatio ea ſuper re neceſſarias literas Apoſtolicas derogatorias intra ſex menſes obtinere curaret, & in eventum quo illas non obtineret, ſex Presbyteros ſeculares a ſe nominatos ei ſubſtituit cum eodem onere celebrationis divinorum Officiorum, ac pari aſſignatione quinquaginta ſcutorum ſimilium cuilibet tot Presbyterorum ſecularium hujuſmodi, quot ex ejus hęreditate ali poſſent annuatim perſolvendorum, ac cum libera facultate, ut eorum quilibet ſucceſſorem ſibi in perpetuum eligere valeret, ac denique tam dictis Fratribus, quam Presbyteris ſecularibus in adimplemento alicujus conditionis, ſeu rerum eis ab ipſo teſtatore injunctarum, deficientibus, Confratres pro tempore exiſtentes Congregationis ſub invocatione B. Marię Virginis Aſſumptę in domo profeſſa Romana Clericorum, ſeu Presbyterorum Regularium Societatis Jeſu erectę, ad dictam ſuam hęreditatem vocavit, & alias prout in dicto teſtamento uberius dicitur contineri. Pręfata vero Congregatio B. Petri cum intra pręfixum ſibi tempus memoratas literas Apoſtolicas non obtinuiſſet, dictique Presbyteri ſeculares ſe ad hereditatem, & Eccleſiam hujuſmodi admitti contenderent, poſt diſpendioſam duodecim annorum litem, eos per concordiam ad illas admiſit, facta anno MDCLVI cuicunque ſuo prętenſo juri ad favorem eorundem Presbyterorum, eorumque ſucceſſorum plena renunciatione. Porro ſubinde nempe anno MDCLXXXVII, tunc exiſtentes Eccleſię prędictę Presbyteri ceteros ſuos collegas, uno duntaxat diſſentiente excepto, induxerunt ad ſimilem renuntiationem faciendam in favorem Congregationis piorum Operariorum Neapolitan., qui cum uſque ad annum MDCXCIII Eccleſiam, & hęreditatem prędictam poſſediſſent, agnoſcentes ſe eas minus legitime poſſidere, poſt diuturnam litem cum dicta Congregatione B. Marię Virginis Aſſumptę agitatam ſimiliter per concordiam, Eccleſiam, & hęreditatem hujuſmodi dimittere coacti fuerunt, ideoque eadem Congregatio B. Marię Virginis locum tandem ſucceſſioni in dictam hęreditatem ad ſui favorem factum eſſe exiſtimans, litem etiam contra memoratos Presbyteros, qui dicto anno MDCLXXXVII Eccleſię, & hęreditatis prędictarum poſſeſſores erant, in Sacro cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorio movit. Verum per primam deciſionem anno MDCXCVI ab eodem Auditorio emanatam excluſa, motę litis hujuſmodi ad favorem eorundem Presbyterorum, quorum plerique adhuc ſuperſtites exiſtunt, pariter per concordiam renunciavit. Demum eadem Congregatio S. Joſephi in Eccleſia S. Pantaleonis in Montibus de Urbe, prędicta inſtituta cum anno MDCCIV ſuper tribus dubiis litem prętenſi juris, ad dictam Eccleſiam, & hęreditatem contra dilectos etiam filios Hieronymum Berti, & Johannem Meſſorotti Presbyteros illarum poſſeſſores in Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum pariter filiorum Romanę Curię Pręlatorum ſuper negotiis Viſitationis Apoſtolicę Eccleſiarum, & locorum piorum dictę Urbis, auctoritate Apoſtolica inſtituta ſimiliter moviſſet, die VIII Maii ejuſdem anni, omnium votis ſuper ſingulis dictorum dubiorum pęnitus excluſa remanſit, nec unquam novam audientiam pluries licet petitam obtinuit, quinimmo ſententia tunc exiſtentis cauſarum Curię Camerę Apoſtolicę Generalis Auditoris ſuper executione decretorum dictę Congregationis Cardinalium, & Pręlatorum, ad favorem Hieronymi, & Johannis Presbyterorum poſſeſſorum prędictorum, emanavit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, propter pręnarratas, aliaſque diſpendioſas lites, & calamitates temporum, malamque adminiſtrationem dictę hęreditatis, tempore preſertim defunctorum illius poſſeſſorum Presbyterorum, & Eccleſia prędicta cum ejus facie, quatuor Capellis artis omnino ruſticę reperiantur, illiuſque tholos, & hypethrum imbribus pervia, celeri reparatione indigeant, necnon murus corruerit, aliuſque ſimilis, & quidem ſcapus grandior, ac alia ędificia ruinę proxima ſint, quodque magis dolen-

dolendum eſt dictę hereditatis redditus jam uſque ad medietatem diminuti reperiantur, itaut cum antea ſex Presbyteri ex dictis redditibus alerentur, nunc tres tantum de hac reliqua illorum medietate, licet alius Presbyter partem, etiam in ea prętendat, participent, adeoque ibi cultus divinus juxta piam dicti Johannis Victorii teſtatoris mentem adimpletus non fuerit, nec attento prẹſertim quod nunc unus tantum Presbyter ibidem reſideat, adimpleri poſſe videatur, ac propterea dicti Hieronymus, & Johannes duo ex tribus modernis dictarum Eccleſię, & hereditatis poſſeſſores Presbyteri, habito alias de licentia noſtra ſuper hoc cum prędicta Congregatione S. Marci tractatu die XXII Auguſti proxime prẹteriti, dictam hereditatem cum omnibus illius redditibus, & pertinentiis, reſervato tamen ſibi quoad vixerint uſu cellarum, ſeu manſionum prędictę Eccleſię annexarum, quo de preſenti gaudent, & dummodo ad id noſtrum, & hujus Sanctę Sedis beneplacitum accedat, ad favorem ejuſdem Congregationis S. Marci quantum ad eos ſpectat ceſſerint, & renunciaverint. Ipſi vero exponentes, qui, ut aſſerunt, nullum in dicta Urbe, ſeu prope illam pro negotiis ſuis agendis hoſpitium, vel diverſorium habent, ſi dicta Eccleſia cum illius redditibus, & manſionibus dictę eorum Congregationi a Nobis concedatur prędicto uſu manſionum dictis Hieronymo, & Johanni ſub titulo hoſpitii, quoad vixerint relicto, a die habitę poſſeſſionis, loci, ſeu Eccleſię hujuſmodi, omniumque illius pertinentiarum; dilecto pariter filio Franciſco de Sanctis, qui una cum illis tertius Eccleſię, & hereditatis prędictarum poſſeſſor, Presbyter exiſtit, & hactenus ceſſioni hujuſmodi minime conſenſit, quinquaginta ſcuta paria, quot ſcuta dictus Johannes Victorius teſtator ſingulis Presbyteris, ſicut premittitur, aſſignavit, illius vita durante, ex prędictis redditibus annuatim ſolvere, ac dilecto etiam filio Johanni Baptiſtę Perotti, qui uti quartus Presbyter jus etiam ad illos prętendit, id quod Nobis, conſiderata prenarrata dicti Johannis Victorii teſtatoris diſpoſitione, juſtum viſum fuerit, ex eiſdem redditibus quotannis ad ejus pariter vitam prẹſtare; rebuſque ita compoſitis duos Sacerdotes, & duos laicos Religioſos predictę eorum Congregationis ad dictam Eccleſiam mittere, ibique collocare, ac deinde Conventum formalem, & Seminarium Religioſorum Miſſionariorum uſque ad numerum ſex Religioſorum hujuſmodi ad majorem Dei gloriam, divini cultus incrementum, & Catholicę Fidei propagationem modo, & tempore a Nobis prẹſcribendis, quantum in ipſis erit adjuvante Domino inſtituere, paratos ſe ſe offerant, ſibique propterea in prẹmiſſis opportune a Nobis provideri, & ut infra indulgeri ſummopere deſiderent; Nos ſacrarum Miſſionum incrementa promovere, ac ſpecialem dictis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & penis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum prẹſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, necnon dicti teſtamenti tenorem, & alia quęcunque etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia prẹſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, ſupplicationibus earundem exponentium nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, circumſpectioni tuę fili noſter Vicari, ſeu diſcretioni tuę, fili vices gerens, per prẹſentes committimus, & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, & accedente conſenſu dictorum Hieronymi, & Johannis, necnon exhibita tibi valida, & authentica illorum renunciatione, cuicunque juri, quod in dicta Eccleſia, illiuſque ędificiis, & redditibus, ac perceptione emolumentorum habere poſſunt, facultate eiſdem duntaxat habitandi in cellis prędictis, quatenus tamen tot alię cellę ſuperſint, in quibus infraſcripti Religioſi commode habitare poſſint, reſervata, ut dictum fuit, non obſtantibus prędictorum Franciſci, & Johannis Baptiſtę, quibus ut infra providebitur, diſſenſu, quatenus ipſi ad prẹſtandum conſenſum a te requiſiti cum aſſignatione termini competentis diſſentiant, vel non conſentiant, eandem Eccleſiam una cum omnibus illius ędificii juribus, & pertinentiis, introitibus univerſis, prędictę Congregationi S. Marci, quatenus tamen prius ad ſex Religioſos ipſius Congregationis Sacerdotes, qui intra ſepta dictę Eccleſię degant, & Eccleſiaſticis functionibus ibi exercendis juxta proprium inſtitutum adducti ſint, ſimulque dicti Johannis Victorii teſtatoris voluntatem in ea parte, quę cultum Eccleſię, & bonum ſpirituale Chriſti fidelium reſpicit adimpleant, necnon ad munus Miſſionariorum explendum, & Catholicam Fidem propagandam idonei exiſtant, intra ſexennium a die executionis prẹſentis gratię computandum ex dictę Eccleſię, & propriis ipſius Congregationis redditibus perpetuo ſuſtentandos, in forma valida ſe obliget, itaut Conventus inibi ante dicti ſexennii lapſum erigendus, ſit Seminarium Miſſionariorum, qui mandatis Congregationis venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. prędictę Cardinalium negotiis propagandę fidei prępoſitę ſemper obtemperare debeant, interim vero ſtatim atque prẹſens gratia executioni demandata fuerit, unum regularem laicum & tres pariter regulares Sacerdotes ſui Ordinis, & inſtituti, qui memoratę teſtatoris voluntati cultum Eccleſię, & bonum ſpirituale Chriſti fidelium concernenti, obſequi debeant, intra ſepta hujuſmodi Eccleſię dicto ſexennio durante ex eiſdem redditibus, etiam ſuſtentare promittat, auctoritate Apoſtolica noſtra concedas, & aſſignes, quatenus vero dicta Congregatio conditionibus prẹfatis intra tempus ſibi, ſicut prẹmittitur, a te prẹfigendum, non pareat, eam quocunque jure quod ex hujuſmodi gratia ſibi acquiſitum fuiſſe prętendere poſſet, perinde ac ſi illa conceſſa non fuiſſet, omnino carere, dicta auctoritate declares. Porro eandem Congregationem, ad quinquaginta ſcuta monetę dicto Franciſco quoad vixerit, & alia quinquaginta prędicto Johanni Baptiſtę etiam quoad vixerit, vel aliter de ęquivalenti rata ei a Nobis proviſum fuerit quotannis ex redditibus dictę Eccleſię, a die quo poſſeſſionem bonorum ejuſdem Eccleſię acquiſiverit, & non antea ſubminiſtranda teneri, ac pro ſubminiſtratione hujuſmodi, bona ipſius Eccleſię ad illorum favorem obligata, atque hypothecata remanere eadem auctoritate decernas. Non obſtantibus prędicti Johannis Victorii teſtatoris etiam ultima voluntate, quam quoad prẹmiſſa ſufficienter, & expreſſe commutamus, rebus judicatis, aliiſque prẹmiſſis, ac recolendę memorię Pauli II, & aliorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſię non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Congregationis S. Marci, & Ordinis prędictorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia fir-

firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceterisque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Februarii MDCCX, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

F. Oliverius.

1. *Cœnobium.*) Juris eſt Congregationis S. *Marci Florentin.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

3. *Dilecte fili noſter.*) Inſcriptio deeſt, liquet tamen quod Cardinalem Urbis Vicarium alloquitur.

Anno 1710 Die 1 Martii.

XXXI.

Ferrarien. Beatificationis, & Canonizationis Beatæ Luciæ (1) de Narnia Ordinis S. Dominici, fundatricis Monaſterii S. Catharinæ de Senis, Ferrariæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

FActa relatione ad humillimas, ac repetitas preces, & Inſtantias Magiſtratuum Ferrarię, Viterbii, & Narnię, ac Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum, nomine ejuſdem Ordinis per clarę memorię Card. Aldobrandinum, tunc hujus cauſę Ponentem, in Congregatione Sacrorum Rituum habita coram felicis recordationis Innocentio PP. Decimo die XIX Januarii MDCLIV de contentis in duobus Proceſſibus auctoritate Ordinaria confectis per clarę memorię Franciſcum Mariam Cardinalem Macchiavellum, tunc Epiſcopum Ferrarienſem; primo nimirum Anno MDCXLVII ſuper Cultu, ſcientibus, & tolerantibus Ordinariis, ab immemorabili tempore exhibito Beatę Lucię de Narnia, quę feliciter obdormiverat in Domino die XV Novembris MDXLIV, & caſu excepto a Decretis per ſanctę memorię Urbanum Octavum, editis in Congregatione Sanctiſſimę Inquiſitionis, cujus vigore idem Cardinalis Macchiavellus per Sententiam latam die XIX Decembris ejuſdem Anni MDCXLVII pronunciaverat, conſtitiſſe, & conſtare de immemorabili Cultu dictę Servę Dei, & propterea non fuiſſe, nec eſſe contraventum Decretis Apoſtolicis ſupradictis; & ſecundo de Anno MDCXLVIII ſuper Sanctitate Vitę, Virtutibus, & Miraculis, cum exhibitione etiam nonnullorum antiquorum documentorum ſuper Stigmatibus, quę inibi dicuntur impreſſa in Corpore prędictę Beatę, viſum fuit, ſignari poſſe Commiſſionem introductionis hujus cauſę, eidem Sacrę Congregationi directam, ut cognoſceret, an rite, & recte pronunciatum fuiſſet per ſupradictum Ordinarium Ferrarienſem, ſuper caſu excepto ex immemorabili, in cujus Commiſſionis ſubinde a pię memorię Alexandro Septimo ſignatę executionem, ad humillimas preces Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. Joſephi Tituli Sanctę Marię Tranſpontinę Presbyteri Cardinalis Sacripantis, etiam nomine Communitatis Narnię ſuę Patrię, necnon Reverendiſſimi P. Antonini Cloche Magiſtri Generalis prędicti totius Ordinis Prędicatorum, & Monialium S. Catharinę de Senis Ferrarię, prout etiam Rev. P. Magiſtri Thomę Ripoll Sacerdotis Profeſſi ejuſdem Ordinis Provincialis Terrę Sanctę Poſtulatoris hujuſmodi cauſę, propoſitum fuit in Congregatione Sacrorum Rituum ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Thoma Maria Tituli S. Clementis Presbytero Cardinali Ferrario in locum dictę clarę memorię Cardinalis Aldobrandini deputato, ſeu ſubrogato, dubium, An ſententia bonę memorię Cardinalis Macchiavelli ſuper Cultu ab Immemorabili erga Beatam Luciam de Narnia pręſtito, ſit confirmanda in caſu, & ad effectum de quo agitur: Super quo auditis prius pluries in voce, & ſcriptis bonę memorię Johanne Baptiſta Bottino Fiſci, & Camerę Apoſtolicę Advocato ſpecialiter deputato ad ſupplendas vices Reverendiſſimi Archiepiſcopi Myrenſis Promotoris Fidei, & ſubinde D. Proſpero de Lambertinis Sacrę Conſiſtorialis Aulę Advocato, necnon ejuſdem Reverendiſſimi Promotoris Coadjutore; Eadem Sacra Congregatio cenſuit, Sententiam Cardinalis Macchiavelli, ut pręfertur, latam ſuper Cultu Immemorabili non eſſe infirmandam in caſu, & ad effectum, de quo agitur, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro videbitur. Die XV Februarii MDCCX. Et facta de prędictis per me Secretarium Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die prima Menſis Martii ejuſdem Anni MDCCX.

G. Card. Carpineus.

Loco ✝ Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Luciæ.*) Conſulenda ſequens Conſtitutio.

2. *Archivo.*) In quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCCX.* Legitur in *Bullario Clementis XI pag.566.*

De

De Cultu exhibito B. Luciæ (1) de Narnia.

Anno 1710 Die 26 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

C L E M E N S PP. XI.

XXXII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EX injuncto Nobis divinitus Paſtoralis ſolicitudinis munere, Beatarum Chriſti Ancillarum in Cęlis cum eo regnantium, in quibus utpote vaſculis imbecillioribus opus dexterę Excelſi mirabilius, ac illuſtrius apparuit, quęque non humanum, ſed Divini Spiritus infuſione depromptum Apoſtolicum conſilium ſecutę, cogitarunt quę ſunt Domini, ut eſſent Sanctę corpore, & ſpiritu, venerationem, & cultum libenter in terris promovemus, ſicut pia perſonarum non minus virtutum meritis, quam ſublimi Cardinalatus dignitate fulgentium vota poſtulant, & Nos ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Eccleſię decus, ſpiritualemque fidelium populorum, pręſertim noſtrorum, & Apoſtolicę Sedis etiam quoad temporalia ſubditorum ędificationem, ac devotionem fovendam, atque augendam conducibile fore in Domino arbitramur. Cum itaque alias, videlicet die XIX Januarii MDCLIV ad humillimas, ac repetitas preces, & inſtantias tunc exiſtentium Magiſtratuum Civitatum noſtrarum Ferrarien., Viterbien., & Narnien., necnon tunc etiam exiſtentis Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum nomine ejuſdem Ordinis, facta relatione in Congregatione tunc pariter exiſtentium Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium Sacris Ritibus prępoſitorum coram felicis recordationis Innocentio PP. X Prędeceſſore noſtro habita a bonæ memoriæ Baccio, dum vixit, ejuſdem Sanctę Romanę Eccleſię Card. Aldobrandino (3) nuncupato, de contentis in duobus proceſſibus auctoritate ordinaria confectis, per ſimilis me. Franciſcum Mariam, etiam dum vixit dictę S.R.E. Cardinalem Macchiavellum nuncupatum, tunc Eccleſię Ferrarien. ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica Pręſulem: primo nimirum anno MDCXLVII ſuper cultu, ſcientibus, & tolerantibus Ordinariis ab immemorabili tempore exhibito Beatę Lucię de Narnia Moniali Ordinis S. Dominici, quę feliciter obdormiverat in Domino die XV Novembris MDXLIV, & caſu excepto a decretis recolendę memorię Urbani PP. VIII, Prędeceſſoris pariter noſtri in Congregatione Sanctę Inquiſitionis editis, cujus vigore idem Franciſcus Maria Cardinalis & Pręſul per Sententiam latam die XIX Decembris ejuſdem anni MDCXLVII pronunciaverat, conſtitiſſe, & conſtare de immemorabili cultu dictę Servę Dei, & propterea non fuiſſe, nec eſſe contraventum decretis Apoſtolicis ſupradictis: ſecundo autem Anno MDCXLVIII, ſuper Sanctitate Vitę, virtutibus, & miraculis, cum exhibitione etiam nonnullorum antiquorum documentorum ſuper Stigmatibus, quę inibi dicuntur impreſſa in corpore prędictę Beatę Lucię decretum fuerit, ſignari poſſe commiſſionem introductionis hujus cauſę eidem Congregationi Cardinalium directam, ut cognoſceret, an rite, & recte pronunciatum fuiſſet per ſupradictum Franciſcum Mariam Cardinalem, & Pręſulem ſuper caſu excepto, ex immemorabili; In hujuſmodi vero Commiſſionis executionem ſubinde a pię memorię Alexandro PP. VII, etiam Prędeceſſore noſtro, ſignatę nuper, nempe die XV Februarii proxime pręteriti ad humillimas itidem preces dilecti filii noſtri Joſephi tituli S. Marię Tranſpontinę ejuſdem S. R. E. Presbyteri Cardinalis Sacripantis (4) nuncupati, etiam nomine dilectorum filiorum Communitatis, & hominum dictę Civitatis noſtrę Narnien. Patrię ſuę porrectas, necnon dilecti filii Antonini Cloche (5) Magiſtri Generalis memorati Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac dilectarum in Chriſto filiarum Monialium Monaſterii S. Catharinę de Senis pręfatę Civitatis noſtrę Ferrarien., prout etiam dilecti filii Thomę Ripoll (6) Fratris expreſſe profeſſi ejuſdem Ordinis in Sacra Theologia Magiſtri cauſę hujuſmodi poſtulatoris in Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum ipſius S. R. E. Cardinalium eiſdem Sacris Ritibus prępoſitorum a dilecto etiam filio noſtro Thoma tituli Sancti Clementis dictę S. R. E. Presbytero Cardinale Ferrario nuncupato, in locum memorati Baccii Cardinalis deputato, ſeu ſubrogato, propoſitum fuerit dubium, an ſententia prędicti Franciſci Marię Cardinalis & Pręſulis, ſuper cultu immemorabili erga pręfatam Beatam Luciam pręſtito, eſſet confirmanda in caſu, & ad effectum, de quo agebatur, auditiſque deſuper tam in voce, quam in ſcriptis prius quidem quondam Johanne Baptiſta Bottinio, dum vixit, Fiſci, & Camerę noſtrę Apoſtolicę Advocato, atque ad ſupplendas vices Venerabilis Fratris Proſperi (7) Archiepiſcopi Myrenſis Promotoris Fidei ſpecialiter deputato: ſubinde vero dilecto filio Proſpero de Lambertinis (8) Aulę noſtrę Conſiſtorialis Advocato, necnon ejuſdem Proſperi Archiepiſcopi, & Promotoris Coadjutore (9) ultimo dicta Congregatio Cardinalium cenſuerit, ſententiam pręfati Franciſci Marię Cardinalis, & Pręſulis, ut pręfertur, latam ſuper cultu immemorabili, non eſſe infirmandam in caſu, & ad effectum de quo agebatur, ſi ita Nobis viſum fuiſſet: Hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis ejuſdem Joſephi Cardinalis ſupplicationibus, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, favorabiliter annuere cupientes, Decretum ab ultimo dicta Cardinalium Congregatione editum, ut pręfertur, quod ſcilicet ſententia ſupradicti Franciſci Marię Cardinalis, & Pręſulis ſuper cultu immemorabili dictę Beatę Lucię non ſit infirmanda, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus; ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate ultimo dictę Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cete-

ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut ipſarum literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quę haberetur i pſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę, Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Martii MDCCX, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

F. Oliverius.

1. *Luciæ.*) Cujus vitam ſcripſit eruditus noſter *Dominicus Ponſi*, de quo ſæpius dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo exemplaria authentica typis R. Cameræ Apoſtolicæ. *Romæ* vulgata fuit hæc Conſtitutio anno *MDCCX.* Legitur in *Bullario Clementis XI pag. 97.*

3. *Aldobrandino.*) Gens eſt nobilitate clara.

4. *Sacripantis.*) Obiit paucis ab hinc annis.

5. *Antonini Cloche.*) De quo ſæpius.

6. *Thomæ Ripoll.*) Nunc Generalis Magiſtri Ordinis Fratrum Prædicatorum.

7. *Proſperi.*) *Bottini*, viri celeberrimi.

8. *Proſpero de Lambertinis*) *Bononienſi*, hujſce ſeculi raro lumine.

9. *Promotoris Coadjutore.*) Promotoris Fidei munus egregie plures annos explevit poſtea. Nunc *Bononienſem* regit Eccleſiam Sacræ purpuræ, quam decorat, ſplendore conſpicuus eſt, eruditione clarus, prudentia præſtans, conſilio gravis, rebus præclare geſtis inſignis.

Anno 1710 Die 4 Auguſti. XXXIII.

Romana, ſeu Terdonen. Canonizationis Beati Pii (1) Papæ Quinti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CUm alias in Congregatione Sacrorum Rituum, prævio, maturo, ac diligenti examine approbatis heroicis Virtutibus, quibus Beatus Pius V Pontifex Maximus eximie refulſit, necnon diſcuſſis, itidemque approbatis Miraculis ad ejus interceſſionem ab Altiſſimo patratis, felicis recordationis Clemens Papa X, ipſum Beatum Pium per ſuas literas in forma Brevis die XXVII Aprilis MDCLXXII expeditas Beatorum Numero adſcripſerit: ſubinde ad inſtantiam Patris Antonini Cloche Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, quem idem Beatus Pius in minoribus conſtitutus per plures annos profeſſus fuit, reaſſumpta cauſa ad effectum Canonizationis per Commiſſionem a recolendę memorię Innocentio Papa XII die XI Julii MDCXCVI ſignatam, conceſſiſque de more literis remiſſorialibus, & compulſorialibus ſuper iis, quę poſt indultam eidem Beato Pio a Sede Apoſtolica venerationem ſupervenerunt, necnon conſtructis vigore dictarum Remiſſorialium tam in Urbe, quam in Civitate Caſtellana, ac Civitate Terdonen. Proceſſibus, atque illis in pręfata Congregatione exhibitis, illorum validitas ibidem die XXI Martii MDCCV Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente Papa XI ſucceſſive annuente, approbata fuit. Tranſitus deinde factus eſt ad examen relevantię, propoſitiſque in Congregatione Generali eorundem Sac. Rituum, coram pręfato Sanctiſſimo Domino Noſtro habita, quinque Miraculis, diſtulit quidem tunc Sanctitas Sua reſolutionem, ut prius cęleſtis luminis opem in tam gravi deliberatione de more imploraret, ſed poſtmodum, nempe die XVI Maii proxime pręteriti ex dictis quinque propoſitis Miraculis, duo approbavit, ſcilicet:

Primum, ſubitę Sanationis Puellę decennis, a diuturna paralyſi, qua in coxis, & cruribus laborabat; necnon

Quartum, inſtantaneę emiſſionis fętus a pluribus diebus jam mortui in utero Matris, & abſque ullo ejus dolore editi, cum ipſius Matris pręſervatione ab evidenti mortis periculo.

Demum dicta generali Congregatione coram eodem Sanctiſſimo Domino Noſtro die VIII Julii proxime elapſi iterum habita, ibique a Reverendiſſimo D. Card. Gabriellio, pro Reverendiſſimo D. Card. de Carpineo, propoſito dubio: An tuto deveniri poſſet ad ſolemnem Canonizationem ejuſdem Beati Pii? omnes quidem unanimi voce affirmative reſponderunt; Ipſe tamen Sanctisſimus Dominus Noſter, antequam quidquam decerneret, tam ſuis, quam alienis precibus, ſe denuo ad Deum recurrere velle declaravit, ut dirigente Domino greſſus ſuos, eam, quam ipſe monſtraſſet, viam tuto pede inire poſſet.

His porro impletis, Sanctitas Sua, infraſcripta die Sancto Dominico Fundatori dicti Ordinis Prędicatorum Sacra, Secretario Congregationis ſupradictę, necnon Coadjutore Promotoris Fidei accitis, pręſens Canonizationis ejuſdem Beati Pii V quandocunque faciendę Decretum expediri, & publicari mandavit, non tam ad novum, ac pręclarum decus pręfati Ordinis Fratrum Prędicatorum de Catholica Eccleſia optime meriti, quam ad majorem ipſius Apoſtolicę Sedis honorem, & gloriam, ut ei, his potiſſimum calamitoſis temporibus, prędicti Beati Pii, in quo eluxit Religionis propagandę perpetuum ſtudium, in Eccleſiaſtica Diſciplina reſtituenda indefeſſus labor, in extirpandis erroribus aſſidua vigilantia, in dictę demum Sedis Apoſtolicę juribus vindicandis robur invictum, ſpeciale, & maxime opportunum, & neceſſarium patrocinium accedat. Hac die IV Auguſti MDCCX.

Nota.

G. Card. Carpineus.

Loco ✝ Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

1. *Pii.*) Conſulenda Conſtitutio *XXXV Clementis X.* Legitur *pag. 306.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ*, typis R. Cameræ Apoſtolicæ *MDCCX.*

DE-

D E C R E T U M.

Super omnimoda, ac inviolabili obſervatione Reſponſorum (1) alias in cauſa Rituum, ſeu cæremoniarum Sinenſium a Sacra Congregatione datorum, & a Sanctiſſimo approbatorum, cum aliis ordinationibus.

Anno 1710 Die 25 Septembris.

XXXIV.

Ex Bullario Clementis XI pag. 513.

Feria V die XXV Septembris MDCCX.

IN Congregatione Generali S. Romanę, & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Quirinali coram Sanctiſſimo Domino Noſtro D. Clemente divina providentia Papa XI, ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hęreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Idem Sanctiſſimus Dominus noſter in cauſa Rituum, ſeu cęremoniarum Sinenſium, auditis tam in Congregationibus anno pręterito non ſemel, quam in aliis menſe, & anno pręſentibus pluries coram Sanctitate Sua habitis, pręfatorum Eminentiſſimorum, & RR. DD. Cardinalium, qui rem mature, ac diligentiſſime diſcuſſerunt, ſententiis, decrevit, & declaravit Reſponſa alias in cauſa hujuſmodi ab eadem Congregatione data, & a Sanctitate Sua die XX Novembris MDCCIV confirmata, & approbata, necnon mandatum, ſeu decretum ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo DD. Cardinali de Tournon, tunc Patriarcha Antiocheno, Commiſſario, & Viſitatore Apoſtolico Generali in Imperio Sinarum die XXV Januarii MDCCVII hac de re editum, ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, inconcuſſe, & inviolabiliter ſub cenſuris, & pęnis in mandato, ſeu decreto hujuſmodi expreſſis, obſervanda eſſe; Quovis contrafaciendi quęſito colore, ſeu prętextu penitus ſublato, ac potiſſimum non obſtante quacunque appellatione a quibuſvis perſonis, ſive ſecularibus, ſive regularibus, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione dignis, ac quavis eccleſiaſtica dignitate fulgentibus, ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, quam propterea Sanctitas Sua rejiciendam eſſe decrevit, ac re ipſa rejecit. Porro cum idem D. Cardinalis de Tournon in ſuo mandato, ſeu decreto ſupradicto, Apoſtolicę deciſioni die XX Novembris MDCCIV latę ſe expreſſe inhęrere profeſſus fuerit, Sanctitas Sua ulterius declaravit ipſum mandatum, ſeu decretum una cum cenſuris in eo contentis ad normam eorundem reſponſorum accipiendum eſſe, itaut nihil per illud reſponſis pręfatis additum, ſeu detractum fuiſſe cenſendum ſit, ac omnia, quę in eis inſunt, etiam in mandato, ſeu decreto prędicto ineſſe intelligantur. Ceterum Sanctitas Sua, tametſi non ſine ingenti animi ſui mętrore acceperit, quod humani generis hoſtis multiplicia in dies zizania in latiſſimis illis regionibus ſuperſeminare non ceſſat, non tamen propterea in eis Catholicę Religionis propagandę ſaluberrimum, ac ſanctiſſimum opus ullatenus deſerere volens, ſed illud majori, qua poteſt, animi contentione, ac ſtudio, iiſque potiſſimum diſſidiis, quibus inibi Chriſtianę Fidei ſeges, veluti ſpinis ſuffocatur, prorſus ſubmotis, ardentius ſemper, & enixius promovere cupiens, congruam ſuper pręmiſſis, aliiſque ed ea pertinentibus inſtructionem confici, illamque dicto D. Cardinali de Tournon, quatenus adhuc in illis partibus commoretur, ſin minus illi, qui ejus loco deputatus fuerit, necnon Epiſcopis, & Vicariis Apoſtolicis earundem partium tranſmitti mandavit, qua non minus debitę Apoſtolicorum decretorum executioni, quam Miſſionariorum concordię, Evangelicę veritatis prędicationi, atque animarum ſaluti opportune conſulatur. Demum, ut nimię illi de his rebus ſcribendi licentię, quę non ſine fidelium ſcandalo inter partes diuturna contentione exaſperatas invaluit, modus imponatur, Sanctitas Sua diſtricte pręcepit omnibus, & ſingulis cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam de neceſſitate exprimendę, Regularibus, aliiſque quibuſcunque ſecularibus perſonis tam eccleſiaſticis, quam laicis, cujuſcunque tandem ſtatus, gradus, conditionis, & dignitatis exiſtant, ut in poſterum non audeant ſub quovis quęſito colore, vel prętextu imprimere, vel quoquomodo in lucem edere libros, libellos, relationes, theſes, folia, ſeu ſcripta quęcunque, in quibus ex profeſſo, vel incidenter de Ritibus Sinicis hujuſmodi, vel de controverſiis deſuper, ſeu illorum occaſione exortis quomodolibet tractetur, ſine expreſſa, & ſpeciali licentia a Sanctitate Sua, ſeu pro tempore exiſtente Romano Pontifice in Congregatione ſupradictę Sanctę, & univerſalis Inquiſitionis obtinenda. Ut autem ejuſmodi prohibitio inviolabiliter obſervetur, eadem Sanctitas Sua voluit, & declaravit, contravenientes quoſcunque excommunicationis latę ſententię, Regulares vero etiam privationis vocis activę, & paſſivę pęnas ipſo facto abſque alia declaratione incurrere, & nihilominus aliis etiam pęnis Sanctitatis Suę, & Succeſſorum ſuorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, ſubjacere. Libros porro, libellos, relationes, theſes, folia, ac ſcripta quęcunque, quę in futurum contra pręſentis prohibitionis tenorem edi contigerit, citra ullam aliorum hactenus editorum approbationem, ſuper quibus opportune providebitur, pro expreſſe prohibitis haberi voluit, abſque alia declaratione ſub pęnis, & cenſuris in Regulis Indicis librorum prohibitorum contentis. Impreſſores vero, pręter ſcriptorum ſic impreſſorum amiſſionem, pecuniariis, aliiſque corporalibus pęnis, juxta criminis gravitatem, teneri mandavit, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque.

Joſeph Bartolus Sanctę Romanę, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Die prima Octobris MDCCX ſupradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicę Prin-

Principis Apoſtolorum, Palatii S. Officii, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum S. Inquiſitionis Curſorem.

1. *Reſponſorum.*) Vide Conſtitutionem XX. Huc etiam ſpectant ſequentes Epiſtolæ.

Ex Bullario Clementis XI pag. 514.

LETTERA

Scritta da Monſignor Aſſeſſore del S. Offizio al P. Generale della Compagnia di Gieſù li XI Ottobre MDCCX d'ordine della Santità di Noſtro Signore.

PEr riparo delle ſiniſtre interpretazioni, che contro la mente di N. S. da alcuni ſi danno al decreto ultimamente publicato nella cauſa de Riti Cineſi, quaſi che nella Seconda parte di eſſo venga diſtrutto quanto ſi diſpone nella prima, dichiarai nella ſettimana paſſata a V. P. Reverendiſſima per ordine della Santità Sua, che ſiccome la medeſima non ha mai riputato, che il ſuo primo Decreto dell'anno MDCCIV foſſe condizionato, di maniera che l'oſſervarlo, o nò reſtaſſe in arbitrio di chi ne credeſſe, o non ne credeſſe verificata l'eſpoſizione; così vuole, che l'eſatta oſſervanza di eſſo, e del mandato del Signor Cardinale di Tournon, ſi ſtrettamente ingiunta nell'ultimo Decreto, non ſi poſſa eludere con tal preteſto, ſotto le pene contenute in detto mandato; aggiungendole, come le diſſi, che appunto principalmente con l'oggetto di levare queſto preteſto della preteſa condizionalità del primo Decreto, aveva la Santità Sua ordinato, che nel ſudetto ultimo Decreto ſi metteſſero quelle parole -- quovis contrafaciendi quæſito colore, ſeu prætextu penitus ſublato: Ubbidiſco ora a un nuovo commandamento della Santità Sua, con ſignificare, come faccio a V. P. Reverendiſſima, che eſſendo oggi giorno di poſta, ella ſi contenti, in occaſione, che traſmetterà il ſudetto Decreto a ſuoi Religioſi nella China, di accompagnarlo anco con la notizia dell'accennata dichiarazione da me fattagliene, affinche non abbia per conto loro, come pienamente confida Sua Santità, a venir ritardata in conto alcuno la puntuale oſſervanza del medeſimo Decreto, che come ella ben ſa, tanto preme a Sua Beatitudine, e le bacio divotamente le mani.

Di V. P. Reverendisſima

Da S. Offizio XI Ottobre MDCCX.

Divotisſimo, & Obligatiſs. Servitore
Antonio Banchieri.

RISPOSTA

Del Padre Generale della Compagnia di Gieſù.

Illuſtrisſimo, e Reverendisſimo Signore Padrone Colendisſimo.

RIcevo con la dovuta venerazione i ſentimenti, e i commandi di Sua Santità, eſpoſtimi da V. S. Illuſtriſſima in queſta ſua delli XI ſtante, e la prego ad aſſicurar la Santità Sua, che mi conformerò ad eſſi, e gl'eſeguirò colla maggiore attenzione, e farò tutto il poſſibile, perche con egual pontualità ſiano eſeguiti anche da gli altri tutti della Compagnia. Spero di trovare in ogn'uno di eſſi in ciò la prontezza, che tutti dobbiamo a i cenni di Sua Santità, e riverendo V. S. Illuſtrisſima con tutto il riſpetto mi raſſegno.

Di V. S. Illuſtrisſima, e Reverendisſima.

Dalla Caſa Profeſſa XI Ottobre MDCCX.

Devotisſimo, & Obligatisſimo Servitore
Michel' Angelo Tamburini Prepoſito Generale
della Compagnia di Gieſù.

Ex Bullario Clementis XI pag. 515.

LETTERA

Scritta da Monſignor Aſſeſſore del S. Offizio alli PP. Generali de Predicatori, degl'Agoſtiniani, e V. Commiſſarii Generali de Minori Oſſervanti, e Riformati di S. Franceſco li XVII Ottobre MDCCX d'ordine della Santità di Noſtro Signore.

PEr riparo delle ſiniſtre interpetrazioni, che contro la mente di N. S. da alcuni ſi danno al decreto ultimamente publicato nella cauſa de i Riti Cineſi, quaſi che nella ſeconda parte di eſſo venga diſtrutto quanto ſi diſpone nella prima, mi commanda la Santità Sua di dichiarare in ſuo nome, come faccio, a V. P.

a V. P. Reverendiſſima, che ſiccome la medeſima non ha mai riputato, che il ſuo primo Decreto dell'anno MDCCIV foſſe condizionato, di maniera che l'oſſervarlo,o no,reſtaſſe in arbitrio di chi ne credeſſe o non ne credeſſe verificata l'eſpoſizione; così vuole, che l'eſatta oſſervanza di eſſo, e del mandato del Signor Cardinale di Tournon, ſi ſtrettamente ingiunta nell'ultimo Decreto,non ſi poſſa eludere con tal preteſto, ſotto le pene contenute in eſſo mandato, aggiungendole, che appunto principalmente con l'oggetto di levare queſto preteſto della preteſa condizionalità del primo Decreto, ordinò la Santità Sua, che nel ſuddetto ultimo Decreto ſi metteſſero quelle parole: quovis contrafaciendi quęſito colore, ſeu prętextu penitus ſublato: Vuole perciò la Santità Sua, che V. P. Reverendiſſima in occaſione di traſmettere a Religioſi del ſuo Ordine Miſſionarii della Cina il ſuddetto Decreto, lo accompagni anche colla notizia di queſta dichiarazione, affinchè non abbia per conto loro, come pienamente confida, a venire ritardata in conto alcuno la puntuale oſſervanza del medeſimo Decreto, che, com'ella ben ſa, tanto preme a Sua Beatitudine; e le bacio divotamente le mani.

Di V. P. Reverendiſſima.

Dal S. Offizio XVII Ottobre MDCCX.

Devotiſs. & Obligatiſs. Servitore.
Antonio Banchieri.

RISPOSTA

Del P. Generale de Predicatori.

Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Signore Padrone Oſſervandiſſimo

Ricevo con li dovuti ſentimenti d'oſſequio gli ordini di N. S. notificatimi da V. S. Illuſtriſſima nella ſua delli XVII corrente, con i quali la Santità Sua mi comanda, chè in occaſione di traſmettere a Religioſi del mio Ordine Miſſionarii nella Cina il Decreto ultimamente publicato nella Cauſa de Riti Cineſi, debba accompagnarlo con la notizia, che Sua Santità, ſiccome non ha mai riputato, che il ſuo primo Decreto dell'Anno MDCCIV fuſſe condizionato, così vuole, che qualunque ſiniſtra interpetrazione di preteſa condizionalità non poſſa impedire l'eſatta oſſervanza di eſſo, e del mandato del Signor Cardinale di Tournon. Eſeguiſco prontamente gli ordini di Sua Santità, e ſon certo, che li Miſſionarii del mio Ordine nella Cina ubbidiranno con tutta raſſegnazione, come ſempre hanno fatto, e le bacio riverentemente le mani.

Di V.S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima.

Minerva XVIII Ottobre MDCCX,

Divotiſs., & Obligatiſs. Servitore.
F. Antonino Cloche Maeſtro Generale de Predicatori.

RISPOSTA

Del Padre Generale degl' Agoſtiniani

Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Signore Padrone Colendiſſimo.

Ricevo il benigniſſimo foglio di V.S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima, con cui mi comanda a nome di N. S., che nel traſmettere a i Miſſionarii del mio Ordine nella Cina, il Decreto ultimamente publicato nella Cauſa de i Riti Cineſi, faccia loro ſaper l'obligo, che hanno di eſattamente oſſervarlo, ſenza far conto delle ſiniſtre interpetrazioni, che da alcuni ſi danno, mentre la Santità Sua dichiara, che ſiccome non ha mai riputato, che il ſuo primo Decreto dell'Anno MDCCIV foſſe condizionato, così vuole, che l'eſatta oſſervanza di eſſo, e del mandato del Signor Cardinale di Tournon non ſi poſſa eludere con verun preteſto. Io mi darò l'onore di ubbidire a i zelantiſſimi comandamenti della Santità Sua, e bacio a V. S. Illuſtriſſima riverentemente le mani.

Di V. S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima

Da S. Agoſtino li XVIII Ottobre MDCCX.

Umiliſſimo, & Obligatiſſimo Servo.
F. Diodato Nuzzi Generale degl' Agoſtiniani.

RISPOSTA

Del P. V. Commiſſario Generale de Minori Oſſervanti.

Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Signor mio Signore Padrone Colendiſſimo.

HO ricevuto la Lettera di V. S. Illuſtriſſima in data de XVII corrente ſpedita dal S. Offizio, con cui mi partecipa la dichiarazione di Sua Santità all' ultimo Decreto uſcito ſopra le materie de Miſſionarii della Cina, & il comando, che in occaſione di traſmettere a miei Religioſi Miſſionarii nella Cina il Decreto, vi uniſca la notizia della dichiarazione, acciocche, e l' uno, e l' altra ſia inviolabilmente atteſo, & eſeguito, come richiede la qualità della materia, e l' ubbidienza prontiſſima, che ſi deve a N. S., & alla S. Sede. Nella contingenza della riſpoſta, che ho l'onore di dare a V.S. Illuſtriſſima, di avere ricevuto la da me riveritiſſima Lettera, devo aſſicurarla, che ubbidirò eſattamente a quanto mi vien comandato nella medeſima Lettera, e nelle occaſioni, che mi ſi offeriranno, ne darò a V. S. Illuſtriſſima atteſtati della puntuale ubbidienza, e con riverentemente baciarli le ſacre mani, reſto a comandi.

Di V.S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima

Roma Araceli XVIII Ottobre MDCCX.

Umiliſsimo, e Divotiſsimo Servitore.
Fr. Celeſtino V. Commiſſario Generale.

RISPOSTA

Del Padre V. Commiſſario Generale de Riformati.

Illuſtriſsimo, e Reverendiſsimo Signore Padrone Colendiſsimo.

IN eſecuzione prontiſsima di quanto V.S. Illuſtriſsima ſi compiacque comandarmi per ordine di N. S. l' accerto, che alla prima congiuntura, che vi ſarà di poter traſmettere nella Cina alli Miſsionarii del mio Ordine l' ultimamente emanato Decreto di Sua Santità, gli s' inculcarà la piena oſſervazione del medeſimo, e gli ſi manifeſterà la dichiarazione, e mente di Sua Beatitudine, affinche ſia in tutto effettuata. Tanto m' accade in riſpoſta della favoritiſsima di V.S. Illuſtriſsima, alla quale oſſequioſo bacio le ſacre mani.

Di V. S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima.

S. Franceſco a Ripa XVIII Ottobre MDCCX.

Umiliſsimo, & Obligatiſsimo Servo.
Fr. Antonio da Monte Buſo V. Commiſſario Generale.

Anno 1711 Die 3 Januarii.

Summam S. Thomæ typis Seminarii Patavini excuſam, ſibique a Cardinale Cornelio dono miſſam, grato, libentique animo excepiſſe, ſignificat.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Dilecto filio noſtro Georgio tituli Sanctorum duodecim Apoſtolorum Presbytero, S. R. E. Cardinali Cornelio nuncupato.

XXXV.

CLEMENS PP. XI.

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DIlectus filius Leander de Porcia (2) Monachus Ordinis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis, tuo nomine Nobis obtulit Summam Divi Thomę, typis iſtius Seminarii accurate ac diligenter excuſam, quo munere pretium habente ex illuſtri, quod pręfert, Angelici Doctoris nomine pręter modum oblectati ſumus inſpecta in primis pręſtanti tua in Nos, & egregia voluntate, Nobis quidem jamdudum explorata, ſed hac etiam occaſione per eundem Religioſum virum diſerte, & per adjectas tuas literas luculenter, ac officioſe explicata, deinde vero, quia ex hujus operis editione, quaſi ex quodam ſpecimine, argumentum ducimus dari iſthic ſerio operam ſacris ſtudiis, ac diſciplinis, & Seminarium iſtud, quod Cardinalis Barbadicus Epiſcopus Prędeceſſor tuus, cujus nomen in benedictione eſt, eritque ſemper, ſingulari ſtudio ac diligentia ſin minus plantavit, certe magnopere excoluit, te irrigante, Deo-

Deoque incrementum dante, in dies magis effloreſcere. Eximium itaque zelum tuum, & ceteras, quibus pręſtas, virtutes debitis in Domino laudibus efferentes, profitemur Nos libenti ſemper animo amplexuros eſſe occaſiones, quibus facultas Nobis detur gratam, atque propenſam, quam erga te, domumque tuam, gerimus voluntatem pręcipuis benevolentię noſtrę documentis tibi teſtandi, dilecte fili noſter, cui interim Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Januarii MDCCXI, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur *Tomo II Epiſtol., & Brevium Select. Clementis XI pag. 9.*

2. *Leander de Porcia.*) Nunc S.R.E. Cardinalis præſtantiſſimis animi dotibus celeberrimus.

De Ritibus (1) Sinenſibus,

Anno 1711 Die 12 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro Johanni, Portugallię, & Algarbiorum Regi illuſtri.

XXXVI.

CLEMENS PP. XI.

Cariſſime in Chriſto fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum procul dubio Majeſtati Tuę innotuiſſe non dubitamus reſponſa illa, quę in celebri cauſa Rituum, ſeu cęremoniarum Sinenſium, pręvio diuturno, diligentiſſimoque examine prius edita, Pontificię ſubinde auctoritatis noſtrę acceſſione ante ſex annos confirmanda, & approbanda eſſe cenſuimus, ut antiqua inter Evangelicos Miſſionarios illarum partium ea de re oborta diſſidia, quę ſaluberrimo, Sanctiſſimoque Catholicę Religionis propagandę operi magnum adeo injiciebant, &, quod dolentes dicimus, adhuc injiciunt, impedimentum, e medio penitus tolleremus. Noviſſe pariter Majeſtatem Tuam non ambigimus, quę poſtea dilectus filius noſter Carolus Thomas, S. R. E. Cardinalis de Tournon, tunc Patriarcha Antiochenus, Commiſſarius, & Viſitator Generalis in Sinarum, aliiſque Indiarum Orientalium Regnis a Nobis ſpecialiter deputatus, eadem in re per ſuum decretum die vigeſima quinta Januarii MDCCVII editum, Apoſtolicę noſtrę Deciſioni inhęrens mandavit. Æquum nunc ducimus Te itidem ſcire, aliud noviſſime a Nobis in eadem cauſa promulgatum fuiſſe decretum, quo poſt maturam, accuratamque diſcuſſionem eorum omnium, quę adverſus mandatum pręfati Cardinalis de Tournon poſtremo deducta fuerunt, tum ante dicta reſponſa, tum etiam ipſum mandatum, ſeu decretum Cardinalis ſupradicti ab omnibus, ad quos ſpectat, inconcuſſe, ac inviolabiliter ſub cenſuris, & pęnis in mandato, ſeu decreto hujuſmodi expreſſis obſervanda eſſe declaravimus, quovis contrafaciendi quęſito colore, vel prętextu penitus ſublato, ac potiſſimum non obſtante, quacunque appellatione a quibuſvis perſonis, ſive ſecularibus, ſive regularibus, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione dignis, ac quavis eccleſiaſtica dignitate fulgentibus, ad hanc Apoſtolicam Sedem interpoſita, quam, propterea rejiciendam eſſe duximus, ac re ipſa rejecimus, quemadmodum ex eodem decreto die vigeſima quinta Septembris proxime pręteriti edito, cujus exemplum hiſce noſtris literis adjungetur, uberius intelliges. Ad hęc Majeſtatem tuam latere nolumus, Nos cum ſubinde non ſine gravi animi noſtri moleſtia acceperimus a nonnullis interpretationes quaſdam, ne dum a mente noſtra prorſus alienas, verum etiam ſatis perſpicuo noviſſimi hujus decreti ſenſui repugnantes, ſtatim ac illud promulgatum fuit, vulgatas fuiſſe, illico mentem noſtram, germanumque ſenſum ipſius decreti, primum quidem dilecto filio Prępoſito Generali Societatis Jeſu, poſtea verum dilectis etiam filiis Ordinum Fratrum Prędicatorum Eremitarum S. Auguſtini, necnon Minorum S. Franciſci de Obſervantia, ac Reformatorum reſpective nuncupatorum, Superioribus Generalibus diſerte aperiendum, denunciandumque curaviſſe, eiſdem propterea ſedulo injungentes, ut ſuis quiſque Religioſis in Sinica Miſſione collaborantibus id ipſum patefaceret, ne alias ejuſdem decreti executionem tantopere a Nobis optatam, inanium ejuſmodi, ac futilium explicationum obtentu ullatenus retardari, aut etiam eludi contingeret. Noſſe demum Te etiam volumus decreti ſupradicti, eorumque omnium, quę in ejuſmodi cauſa ab hac Sancta Sede hactenus conſtituta fuere, executionem enixe a Nobis demandatam fuiſſe pręfato Cardinali, quem ſcilicet in priſtinam libertatem jampridem reſtitutum fuiſſe certo credimus ex iis, quę tuo in Indiis Proregi non ſemel injunxiſſe Nobis ſignificaſti. Nec plane veremur, quin ipſe Cardinalis pro eo, quo prę ditus eſt ſingulari zelo, ſedulam ſtrenuamque operam daturus ſit, ut voluntati noſtrę, munerique ſuo cumulate ſatisfaciat. Quoniam vero probe compertum habemus, quantum rebus gerendis momentum acceſſurum ſit, ubi Majeſtas Tua eidem Cardinali pręmiſſorum executionem, aliaque in hoc ipſum tendentia, quibus optatam tandiu pacem Miſſionibus illis reddendam fore confidimus, promovere ſatagenti Regio ſuo patrocinio ſuffragari dignetur, vehementer idcirco a Te petimus, & majori, quo poſſumus, animi conatu Te hortamur, atque etiam rogamus, ut pro eo, quo polles Orthodoxę Religionis conſervandę, & amplificandę ſtudio plane eximio, ipſi Cardinali Regię tuę auctoritatis ope, atque pręſidio adeſſe, tuiſque illis in partibus adminiſtris opportuna mandata in eum finem tradere accurate velis, quibuſvis hactenus interjectis impedimentis penitus, & omnino ſubmotis. Quod certe, & inſigni tua, Majorumque tuorum inclytę memorię Regum pietate maxime dignum erit, & Omnipotentis Dei, cujus cauſa in primis agitur, benedictiones Tibi, Regięque domui Tuę, ſicuti optamus, uberrimas conciliabit. Nos interim, cariſſime fili noſter, pręcipuę, qua Te in Domino complectimur, caritatis teſtem Apoſtolicam benedictionem Majeſtati Tuę amantiſſime impartimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XII Januarii MDCCXI, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Ritibus*.) Conſulenda Conſtitutio XX.

2. *Archivo*.) In quo exemplar. Legimus *Tomo II Epiſtol.*, & *Brevium Clementis XI pag.* 10.

Anno 1711 Die 21 Februarii.

XXXVII.

Indulgentia (1) pro XV feriis tertiis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLEMENS PP. XI.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, in diverſis Orbis Chriſtiani partibus, pia erga S. Dominicum Ordinis Fratrum Pędicatorum Fundatorem, & Roſarii Beatę Marię Virginis auctorem devotio inducta fuerit &c. (3) Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXI Februarii MDCCXI, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Nota.

F. Oliverius.

1. *Indulgentia*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.I.* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXI*.

2. *Archivo*.) In quo autographum, & exemplaria *Romæ*

3. *Fuerit &c.*) Ut in *Conſtitutione X Alexandri VII.* Legitur *pag.* 185.

Anno 1711 Die 14 Martii.

XXXVIII.

De gravibus injuriis Cardinali de Tournon, quatuor Fratribus Ordinis Prædicatorum, aliiſque, illatis conqueritur.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro, Johanni Portugallię, & Algarbiorum Regi illuſtri.

CLEMENS PP. XI.

Cariſſime in Chriſto fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX binis Majeſtatis Tuę reſponſis, altero ſcilicet die decima ſeptima Maii, altero autem die decima nona Septembris anni proxime elapſi, ad Nos datis, grato quidem animo, ut par erat, intelleximus, Te non minus enixis noſtris, iteratiſque expoſtulationibus, quam Tui ipſius ęquitate impulſum, quin etiam, ut opinamur, rei dignitate commotum, non ſemel tuo in Indiis Proregi diligenter mandaſſe, ut in Capitaneum Generalem, alioſque Officiales, & Adminiſtros tuos in Civitate Machaonenſi reſidentes, qui dilecto filio noſtro Carolo Thomę S. R. E. Cardinali de Tournon Apoſtolicę Sedis Legato, ejuſque familiaribus, ex quo illuc devecti fuerunt, graves adeo injurias, & contumelias intulerunt (2), ſedulo inquirat, tantique flagitii reos debitis afficiat pęnis, ac inſuper eidem Cardinali, ejuſque ſociis ereptam jamdudum ſacrilego auſu libertatem, incunctanter reſtituat. Porro, etſi perſuaſum habeamus, nullum ea de re ad Majeſtatem Tuam reſponſum ab Indiis afferri hactenus potuiſſe, & ceteroquin Proregem Goanum, mandatis tuis obtemperaturum fore minime vereamur, impatientia tamen doloris, quem pro facto acerbiſſimum hauſimus ex iis, quę non ita pridem ad Nos delata ſunt, Majeſtatem Tuam denuo interpellare Nos cogit, Tibique recentia, & ſane graviſſima explicare vulnera, quę a prefatis Officialibus, & Adminiſtris tuis, Legato Apoſtolico, ejuſque dignitati, etiam poſtquam ipſis illius ad Cardinalatum aſſumptio innotuit, temere non minus, quam impie inflicta fuerunt. Ea vero quemadmodum ex poſtremis illarum partium literis deprehendimus, ſunt, quod in pędicta Machaonenſi Civitate juſſu Goani Proregis, Menſe Decembri MDCCVIII primum, & deinde Menſe Septembri MDCCIX ſolemni ritu promulgatum rurſus fuit edictum, quo ſine intolerabili, Tibique ſummopere injurioſo Regię Tuę auctoritatis abuſu, ſub graviſſimis etiam rebellionis pęnis interdicitur univerſis, ne ullum obedientię genus eidem Legato Apoſtolico exhibeant, ac propterea mandatur, ut quicunque morem illi geſſerint, ſive Eccleſiaſtici, ſive laici fuerint, captivi Goam tranſmittantur. Quatuor porro Regulares Ordinis Pędicatorum (3), e quibus tres Sacerdotali dignitate inſigniti, quod edicto hujuſmodi non paruiſſent, ipſa in Eccleſia coram Sanctiſſimo Euchariſtię Sacramento fidelium cultui expoſito, quod referre exhorreſcimus, capti, & ad carceres deportati fuerunt, uno excepto, qui ſacris veſtibus indutus, cum clavi cuſtodię collo appenſa, ad arcem, tota ſpectante Civitate, ac ipſis ſacrilegum facinus deteſtantibus Ethnicis, deductus fuit. Plures inſuper alii variorum Regularium Ordinum profeſſores, non alio objecto crimine, niſi quod Legato Apoſtolico debitam obedientiam pęſtitiſſent, juſſu Capitanei Generalis Machaonenſis, barbaro ac prorſus hoſtili modo vexati, ab Eccleſiis, aliiſque ſacris locis, vi adhibita, extracti, & in cuſtodiam traditi ſunt. Ad hęc idem Capitaneus Generalis, ut contumeliam reliquis omnibus inſigniorem Legato Apoſtolico irrogaret, octo ex ejus domeſticis, pręter complures Miſſionarios, in ipſo publico Machaonenſi foro a Militibus comprehendi, & in carcerem detrudi juſſit, ſubinde in eos, qui cum Miſſionariis, & Religioſis viris Legato obtemperantibus ullam haberent conſuetudinem, vel in ipſius Legati domum pedem inferrent, graviſſimas conſtituit pęnas. Pętermittimus, ne Majeſtatem Tuam longiori Epiſtola oneremus, Tibi ſigillatim explicare ſacra Templa Militibus bellico more circumvallata, & obſeſſa, irruptiones in ea, vel perfractis foribus, vel feneſtris ſcala occupatis, factas, Sacerdotes inno-

innocentiſſimos, fame ac ſiti pene ad necem compulſos, ſanctiora quęque per ſummam audaciam paſſim contempta, atque polluta, omnia demum tam divina, quam humana jura, inaudita hactenus inter Chriſti fideles barbarie, violata, prędicto Capitaneo Generale omnium ejuſmodi flagitiorum non conſcio tantum, ſed etiam pręcipuo Auctore. Quę cum ita eſſe, etſi dolentes, ac inviti, minime dubitare cogamur, ſancte nimirum ea affirmantibus illis ipſis, quorum in oculis geſta ſunt, pręterire nequaquam poſſumus, quin Te de iis ſedulo admoneamus, Regiamque ultionem in ſacrilegos violatores hujuſmodi, qui graviores Eccleſię pęnas, quas jampridem incurrerunt, minime pertimeſcunt, quanto majori poſſumus animi ſtudio a Te iterum, ſicuti facimus, efflagitemus, ſimulque expectamus, ut illatas pręfato Cardinali tam ingentes injurias, congruis publiciſque debitę reverentię ſignificationibus emendari, ac reſarciri omnino jubeas. Vides, cariſſime in Chriſto fili noſter, quid agendum Tibi ſit, ut muneri, officioque tuo cumulate, & quam citiſſime ſatisfacias, & conſulas nedum famę, ac exiſtimationi, ſed etiam, quod longe gravius eſt, animę tuę periculo, cui graviſſima certe labes inureretur, ubi ejuſmodi nefaria ſcelera a Te jam reſcita, & probe comperta vindicare negligeres, aut differres, eorumque proinde culpam haud dubie in diſtricto Dei judicio ſuſtineres. Ceterum ſpectata Religio, atque juſtitia tua, immo etiam, quam in tuis literis luculenter profiteris, eximia, ac prorſus filialis in Nos, & hanc Sanctam Sedem devotio, Nos dubitare non patitur, quin omni ope curaturus ſis, ut eorundem criminum auctores, & conſcii, meritis quamprimum coerceantur pęnis, & ad exhibenda Legato Pontificio ea honoris publica argumenta, quę irrogatis contumeliis ſarciendis apta exiſtimaveris, compellantur. Quę dum Nos anxio ſane animo pręſtolabimur, Majeſtati Tuę Apoſtolicam Benedictionem cum felicitatis tuę voto conjunctam, amatiſſime impartimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIV Martii MDCCXI, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur *Tomo II Epiſt. & Brevium Selecl. Clementis XI pag.* 29.

2. *Intulerunt.*) Legendus hac de re *Liber III de Vita, & Rebus Geſtis Clementis XI.* Id unum tranſcribam quod habetur *Num. LXIII* pag. 227. *Triennalibus vir fortiſſimus* (Tournonius) *rerum anguſtiis, vexatione permoleſtæ cuſtodiæ, aliiſque gravibus periclitantis valetudinis affectus, ærumnis, quum duriſſimum vitæ genus experiretur, ineunte vere vehementibus viſcerum doloribus affligari cœpit. Quibus ſupra modum ob curas mordaces, & permoleſta imbecillis corporis incommoda, in dies auctis, tandem ſexto idus junias, ipſo Sacratiſſimo Pentecoſtes die, poſtquam in ſacellum delatus divinis Myſteriis interfuiſſet, Eucbariſtia refectus, & Sacræ Unctionis vallatus præſidio, migravit ad Chriſtum, anno ætatis ſecundo & quadrageſimo. Supremis tabulis pecuniam, quæ quotidianis ſuperfuit impendiis, pauperibus diſtribuendam reliquit, conſanguineis nudam cum Imagine Chriſti Domini Crucem legavit, propaganda Fidei in Sinis opus ex aſſe heredem ſcripſit. Poſt obitum ab ipſomet Clemente in Apoſtolico Senatu honorifico ad Cardinales ſermone laudatur: mox in Pontificio ſacello piaculari impertitus ſacrificio, magnificis cohoneſtatur exequiis, inter quarum ſolemnia, panegyrica item oratione eſt commendatus. Spectatis jamdiu in Europa virtutibus, rebuſque pro Orthodoxa Religione in Aſia præclare geſtis, non aliud poſteritati nomen reliquit, quam quod invicti Martyres Chriſti, perfuncti pro Catholica Eccleſia laboribus, ac fortiter inter diriſſimos cruciatus morte obita, promereri conſueverunt. Intempeſtivus, & perincommodus compertus Tournonii interitus, Religioni apud Sinenſes afflictæ, cui vel carcere præpeditus Cardinalis magno erat præſidio, & levamento. Maturatæ tamen viro inclyto mortis cauſa, & egregia, quibus eminebat, virtutum ornamenta, luctum Clementi minime cumularunt, immo vero omnem penitus doloris ſenſum abſterſere. Conſtantem illo ſpem fovente, illuſtrem animam e Carceris ſqualloribus, & cruciatibus ad æternam Beatorum hominum felicitatem, Deumque perfruendum commigraſſe.*

3. *Ordinis Prædicatorum.*) Loquitur etiam idem Summus Pontifex in Conſtitutione: *Ad Apoſtolatus noſtri:* dat. ſub Annulo Piſcatoris die XV Martii MDCCXI eximia cum laude, hiſque conceptis verbis de *dilecto filio Petro de Amaral, Fratre expreſſe profeſſo Ordinis Prædicatorum, qui pro debita eidem Carolo Cardinali ſemper, & conſtanter præſtita obedientia, ærumnas plurimas magno, fortique animo ſuſtinuit, aliiſque Fratribus Conventus Macaonen. dicti Ordinis.* Hæc Conſtitutio habetur in Bibliotheca Caſanaten. in *Summ. reſt. n.*27.

Proſcribit novum Roſarium, in honorem SS. Trinitatis adinventum (1).

Anno 1712 Die 8 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

C L E M E N S PP. XI.

XXXIX.

Ad Futuram Rei Memoriam.

IN ſupremo militantis Eccleſię ſolio, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinę bonitatis abundantiam conſtituti, exortas inter Religioſos Viros controverſias, opportunis rationibus dirimere ſtudemus, ſicut in Domino conſpicimus ſalubriter expedire; Itaque dilectum filium modernum Procuratorem Generalem (3) Ordinis Prędicatorum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus prępoſitorum, qui prius dilectum etiam filium modernum Procuratorem Generalem Ordinis Sanctiſſimę Trinitatis Redemptionis Captivorum, & ſucceſſive dilectum pariter filium Proſperum Lambertinum Aulę noſtrę Conſiſtorialis Advocatum, & venerabilis Fratris Proſperi Archiepiſcopi Myren. Promotoris Fidei Coadjutoris, tam in ſcriptis, quam in voce audiverunt, conſilio, novum Roſarium, quod dilecti itidem filii Fratres ſecundo dicti Ordinis in eorum Eccleſia B. Marię Virginis, Conventus Toloſan. edito liberculo, Gallico Idiomate impreſſo, in quo methodus recitationis Roſarii hujuſmodi edocetur, in honorem ejuſdem Sanctiſſimę Trinitatis recitare introduxerunt, aucto-

auctoritate Apoſtolica tenore præſentium prohibemus, quo vero ad liberculum, ſicut præmittitur, impreſſum, inſtantiam primodicti Procuratoris Generalis ad Congregationem venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium Indici Librorum Prohibitorum, & expurgandorum præpoſitam remittimus (4). Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VIII Martii MDCCXII, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

F. Oliverius.

1. *Adinventum.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo varia exemplaria authentica, etiam typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ* anno *MDCCXII.*

3. *Procuratorem Generalem.*) Reverendiſſimum ſcilicet P. F. *Angelum Guillelmum Molum* virum præſtantiſſimum, cujus præclaras animi dotes Urbs etiam nunc miratur.

4. *Remittimus.*) Huc ſpectat ſequens Decretum.

TOLOSANA.

AD humillimas preces Procuratoris Generalis Ordinis Prædicatorum, Sanctiſſimo D. N. Papæ Clementi XI porrectas, in quibus enixe ſupplicabatur, pro prohibitione cujuſdam novi Roſarii, quod in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, in eorum Eccleſia B. M. V. Conventus Toloſani recitare introduxerant, edito libereulo Gallico Idiomate impreſſo, in quo methodus recitationis edocetur; eiſque a Sanctiſſimo D. N. ad Sac. Rit. Congregationem remiſſis. Sacra eadem Rituum Congregatio, ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis de Abdua, audito prius Procuratore Generali ſupradictæ Religionis Sanctiſſimæ Trinitatis, & ſucceſſive D. Proſpero Lambertino S. Conſiſtorialis Aulæ Advocato, ac Reverendiſſimi D. Archiepiſcopi Myren. fidei Promotoris Coadjutore in ſcriptis, & in voce audito, Roſarium, de quo agitur prohibendum eſſe cenſuit, & quoad libereulum Gallico idiomate deſuper impreſſum remiſit Inſtantiam ad Sac. Indicis Congregationem. Die XXI Novembris MDCCXI.

G. Cardinalis Carpineus.

B. Inghirami Sac. Rit. Congregationis Sec.

Anno 1712 Die 22 Maii.

XL.

Canonizatio S. Pii Quinti (1) Pont. Max. ex Ordine FF. Prædicatorum, illiuſque in Sanctorum numerum relatio.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Proœmium.

§. 1. INter multiplices tribulationes, quæ invenerunt nos nimis, clementiſſimus Deus, qui non continet in ira miſericordias ſuas, viſitavit populum ſuum in pace, & de cæleſtium chariſmatum abundantia, quibus locupletavit electos ſuos, velut ab ubertate domus ſuæ replevit Nos gaudio, atque in tantis periculis conſtitutos, novis ſubſidiis inſtruxit, & confirmavit. Enim vero egregia Sanctorum Virorum facinora, tametſi magnalia Dei potiſſimum, ejuſque potentiam loquantur, & prædicent, qui ex humanæ naturæ figmento, vaſa miſericordiæ conflare dignatur, ut per infirma mundi fortia quæque confundat, ipſa tamen immenſa Dei bonitas, artifex ad ſalutem in paucorum triumphis plurimorum commodis proſpicit, & virtutem præcedentium inſtructionem efficit poſterorum, ut nimirum, qui viderint fragiles homines, eadem generis infirmitate circumdatos, in carne ſupra carnem vixiſſe, & per fidem operantes juſtitiam, adeptos eſſe repromiſſiones, pari Religionis ardore excitentur ad pugnam, ac nitantur ad coronam, eorumque intuentes exitum converſationis, imitentur & fidem; Simul etiam ne quis certantibus diffidentiæ torpor obrepat, in ipſis ſervorum ſuorum operibus, in quibus proponit imitationis exemplum, imbecillitati noſtræ præſidium parat, eorumque merita, noſtra vult eſſe ſuffragia. Tantas profecto ſui in Nos amoris divitias uberrime effudit Dominus, cum dedit Nobis de Pii V Romani Pontificis Prædeceſſoris noſtri virtutibus, ac meritis lætari, & exultare. Cui enim dedit Sacerdotium Magnum, ut haberet laudem in nomine ipſius, & quem induit virtute ex alto, ut præliaretur prælia Domini, & virtute irrumperet iniquitates, factus in columnam fer-

ferream, & in murum ęreum pro domo Dei, eundem etiam tranſlatum de hoc ſeculo, & ſignis admirabilibus illuſtratum, poſuit in lucem, ac lętitiam populi ſui, quem provocaret exemplis, ac foveret auxiliis.

§. 2. Nos igitur, quos in hac ſublimi Apoſtolatus ſpecula conſtituit Dominus, ut annunciemus populis mirabilia ejus, atque ad currendam viam mandatorum ipſius, Chriſti fidelium animos excitemus, officii noſtri eſſe duximus, ut eundem Pium Quintum, quem Nos divina fruentem in Cęlis Beatitate jampridem colebamus (3), in terris etiam, auctoritate Nobis a Domino tradita, Sanctorum faſtis ſolemniter adſcriberemus, atque ita univerſa Chriſti Eccleſia, inter pia gaudia Deum prędicaret mirabilem in Sanctis ſuis, tantęque pietatis incitamento, ac tutela proficeret. Neque enim ſine peculiari divinę Providentię conſilio contigiſſe arbitramur, ut eo plane tempore, quo Orthodoxę Religioni tot ab ejus hoſtibus undequaque ſtruuntur inſidię, quo Sacrorum Canonum ſalutaris norma tam impudenter contemnitur, quo turbulenti homines continua novitatum prurigine laborantes, damnatos dudum errores ſubdolis artibus inſtaurare conantur, quo abundante nequitia, Chriſtiani populi caritas plurimum refrigeſcit, quo ſeculi poteſtates, nova in dies vulnera eccleſiaſticę libertati inferre moliuntur, quo demum ſuprema hęc Beati Petri Sedes tot contumeliis, & injuriis palam afficitur. Is Pontifex in Sanctorum album referretur, adeoque noſtrę non minus, quam Epiſcoporum omnium imitationi proponeretur, in quo fuit Religionis propagandę perpetuum ſtudium, in eccleſiaſtica diſciplina reſtituenda indefeſſus labor, in extirpandis erroribus aſſidua vigilantia, in ſublevandis egentium neceſſitatibus indeficiens beneficentia, in Sedis Apoſtolicę juribus vindicandis robur invictum. Sed pręſtat jam his noſtris literis virtutum ipſius, vitęque rationem enucleate referre, ut tantorum meritorum memoria, Apoſtolici etiam Miniſterii noſtri pręconio, ac teſtimonio propagetur.

Inter præſentium temporum calamitates gaudet Pontifex, Beatum Pium Sanctorum faſtis adſcribere, illiuſque virtutes omnibus Epiſcopis imitandas proponere.

§. 3. Gens Ghisleria, perantiqua & generoſa Nobilitate Bononię illuſtris, atque Ordini Senatorio adſcripta, civilium diſſidiorum cauſa in varias Italię Regiones diſtracta, in Oppido Boſchi Dortonenſis Diœceſis apud Inſubres, ſedem ac domicilium poſuit; Ubi licet avito fortunarum ſplendore exuta, reique familiaris difficultate depreſſa, non ultimum tamen locum inter ceteras honeſtiores familias retinens, anno reparatę ſalutis MDIV, Paulo Ghislerio, & Dominica Augeria parentibus, Michaelem, qui ad Apoſtolicam deinde Cathedram evectus, Pius V eſt appellatus, in lucem protulit.

B. Pius anno 1504. de Nobili gente Ghisleria, Paulo Ghislerio, & Dominica Angeria parentibus oritur, & Michael in Baptiſmate appellatur.

§. 4. Sacro regenerationis lavacro Cęlo renatus, generoſus Alumnus, ac pia Chriſtianaque educatione imbutus, futurę Sanctitatis pręludia ab ipſa edidit adoleſcentia; Nam ſtatim ac quartum ſupra decimum ętatis annum attigit, Mundo, ſeculique illecebris valedicens, Fratrum Prędicatorum inſtituto nomen dedit, pręclara illius Ordinis decora, ac potiſſimum eximia in hanc Sanctam Sedem merita plurimum aucturus. Hic enim ille eſt laudatiſſimus Sancti Dominici Ordo (4), in quo, ut primum inſtitutus fuit, tanquam in opimo, ac fertili agro, eodemque bene, ac diligenter ſubacto, & exculto, Viri doctrinę pręſtantia, & Vitę Sanctitate conſpicui, nunquam alii aliis ſuccreſcere deſierunt.

Decimoquarto ſuæ ætatis anno, Ordinem Fratrum Prædicatorum merito à Pontifice commendatum, ingreditur.

§. 5. Strenuus itaque in his Caſtris Miles, munia ejuſdem Ordinis, Lectoris (5) ſcilicet, Prioris, & Definitoris, quę exacta Regularis diſciplinę obſervantia promeruit, ſumma cum laude obivit, totuſque in eo fuit, ut viva probatorum Patrum exempla ſibi proponeret imitanda; Ratus, & quidem merito, baſim, ac fundamentum Religioſę vitę in aſſidua ad Deum precatione, atque in legendis, imitandiſque Sanctorum Virorum geſtis, Sancti Dominici pręſertim, ac eorum, qui Dominicanam Familiam Sanctitatis fama illuſtraverant, eſſe collocanda.

In eodem Ordine ita emicuit, ut Lectoris, Prioris, & Diffinitoris munus laudabiliter functus, ob implacabile odium, quod ſemper in eo adverſus Hæreticos eluxit, apud Novocomenſes, & deinde apud Bergomates Fidei Quæſitor renunciatus fuerit.

§ 6. Cum autem plurima in hoc Viro admirabilia fuerint, pręcipue ſingulare ſtudium, conſervandę verę & Catholicę Religionis, & adverſus eorum fraudes, & inſidias, qui illam ulla ex parte labefactare conarentur, implacabile odium ſemper eluxit. Quare apud Novocomenſes (6) primum, deinde apud Bergomates, Fidei Quęſitor renunciatus, illis, qui ab Eccleſia deſciviſſent, perpetuum bellum indixit; Tum, ut errantes ipſos in viam ſalutis revocaret, tum ut ceteros ab erroris contagione ſervaret illęſos.

§. 7 Ergo cum ei munus in eos publice inquirendi mandatum fuiſſet, non ille potentum inimicitias, non pericula, non vitę, ac capitis dimicationes, dum illos modis omnibus perſequeretur, ſibi fugiendas putavit; Sed potius ultro, ac cupide appetiit; ſervatoque a Deo mirabiliter, non animum

In exequendo hoc munere, nihil Potentum inimicitiarum, periculorum vitæ, & capitis dimicationis pertimeſcit. Eccleſiæ Curien. vacanti quidam Canonicus ſuſpectæ Fidei, ob ſuffragiorum numerum præficiendus erat; ſed per Bea-

tum Pium illuc hujus Cauſæ cognitorem, Hæreſeos criminis reus declaratur.

Hortatus, ut ad eius vitæ periculo conſulendum, ſui Ordinis habitum Hæreticis inſenſum, per breve tempus exueret, & alieno veſtitu incederet, id ſe facturum negat, teſtans ſe quam libentiſſime Sacra illa Veſte in Dei, Religioniſque holocauſtum moriturum.

animum Martyrio dicendum, ſed Martyrium animo defuiſſe. Erat tunc temporis ſuo viduata Paſtore Curienſis Eccleſia apud Rhetios, cui Canonicus (7) quidam, etſi ſuſpectę Fidei, ob ſuffragiorum numerum forte pręficiendus erat. Mittitur propterea hujuſce cauſę cognitor Beatus Pius; Eaque ad juris normam probe confecta, Hęreſeos Criminis reus, Canonicus ille declaratus eſt. Pius vero rem hanc totam ita forti animo geſſit, ut nunquam Ordinis ſui indumenta, etiam per breve tempus exuere voluerit, quanquam eum omnes alieno veſtitu incedere hortarentur, ne oculos Hęreticorum offenderet, qui capitale odium adverſus Dominicanos Fratres profitebantur. Negavit id ſe facturum Pius, ſancte teſtatus, ſe quamlibentiſſime, ſi ita Deo viſum fuiſſet, Sacra illa Veſte indutum mortem oppetiturum.

Bergomenſem Civitatem ab Hæreticis purgat, & adverſus Medolacum falſæ Doctrinæ Propagatorem, acerrime inſiſtit.

§.8. Pari ſane conſtantia Bergomenſem Civitatem ab Hęreticorum peſte diligenter purgavit; Ubi invicto animo adverſus Medolacum falſę doctrinę propagatorem acerrime inſtitit, quamvis magna amicorum, ac conſanguineorum copia ſuffultum, a quibus ſubinde graves excitatę ſunt turbę.

B. Pii opera Epiſcopus Bergomenſis, qui quoſdam neſarios homines in eum immiſerat, ut vi, doloque captum maximis cruciatibus eum perimerent, Hæreſeos damnatus, ab illius ſede deiicitur, & Hæreticorum pœnas luit, & Medolacus carceri apud Venetos mancipatus miſerrime obiit.

§. 9. Id quod prętitit adverſus ejuſdem Civitatis Epiſcopum, cujus profecto prępotens auctoritas, eo devenerat inſanię, ut quoſdam nefarios homines immitteret, qui integerrimum Fidei Miniſtrum, vi, dolove captum, maximis cruciatibus perimerent. Verum uterque tandem jure, ac merito Hęreſeos damnatus, Hęreticorum pęnas luit. Medolacus enim carceri apud Venetos mancipatus extremum diem miſerrime clauſit: Epiſcopus vero e Sede Epiſcopali dejectus, dignitatem amiſit.

Supremæ Romanæ Inquiſitionis Commiſſarius, a felicis recordationis Paulo PP. IV, declaratur, & Eccleſiæ Nepeſin. in Epiſcopum præficitur. Anno 1557. in Sacrum S.R.E. Cardinalium Ordinem cooptatur, ac Supremus, & perpetuus Inquiſitor efficitur.

§. 10. Demum cum in hoc arduo munere ſtrenue, fideliterque laboraſſet, Supremę Romanę Inquiſitionis Commiſſarius, a felicis recordationis Paulo Papa IV (8) Prędeceſſore noſtro declaratus fuit, inde ad Epiſcopale Nepeſinę Eccleſię regimen aſſumptus (9), ac ſubinde anno MDLVII (10) in Sacrum S. R. E. Cardinalium Ordinem cooptatus, eique ſupremi, ac perpetui Inquiſitoris provincia demandata fuit, facta omnibus Epiſcopis ac delegatis juſſione, ut in rebus ad Sanctum Officium pertinentibus, ipſum veluti Superiorem agnoſcerent.

Hanc Dignitatem, quæ nemini unquam antea, nec poſtea collata fuerat, Pius PP. IV Cardinali Alexandrino (hoc nomine B. Pius inter Cardinales nuncupabatur) nedum confirmat, verum a Nepeſina Eccleſia ad Eccleſiam Montis Regalis Provinciæ Taurinen. transfert.

§. 11. Hanc vero ampliſſimam dignitatem, quę nemini unquam antea, nec poſtea collata fuit, recolendę memorię Pius Papa IV, etiam Prędeceſſor noſter, qui memorato Paulo Prędeceſſori in Pontificatu ſucceſſerat, Cardinali Alexandrino (hoc nomine Beatus Pius inter Purpuratos Patres nuncupabatur) nedum confirmavit, verum etiam illum novis in dies fulgentem meritis, a Nepeſino Epiſcopatu ad ampliorem regendam Eccleſiam Montis Regalis in ſubalpinis tranſtulit.

In Cardinalatus ſublimitate, modeſtiam, humilitatem, cæteraſque omnes Virtutes excoluit, paucis in ejus famulatu, ſed probis viris adſcitis, quos charitate complectens, more Religioſorum ſecum vivere, & Deo inſervire docet.

§. 12. Divina itaque Providentia ad majora vocatus, Sacręque Purpurę ornamento cohoneſtatus, ita modeſtiam, humilitatem, ceteraſque virtutes omnes excoluit, ut illę novo lumine illuſtratę, & adauctę magis, magiſque ſuſpiciendę, intuentium oculis apparuerint. Paucis enim in famulatu, probiſque in primis, adſcitis, paterna illos caritate complexus, more Religioſorum ſecum vitam agere, Deoque inſervire, verbo docuit, & exemplo.

In arduis Religionis negociis, quæ tunc in Tridentina Synodo tractabantur, & quæ Romæ examini doctiſſimorum Virorum ſubjiciebantur, magni ponderis Cardinalis Alexandrini calculus exiſtimatur.

§. 13. Coacta ea tempeſtate apud Tridentum Oecumenica Synodo, cum ardua ibi Religionis, diſciplinęque eccleſiaſticę negotia tractarentur, illaque Romę maturo examini in Conventu Doctiſſimorum Virorum ſubjicerentur; Magni apud omnes ponderis, ſummoque in pretio fuit Cardinalis Alexandrini calculus, qui, poſthabitis ſeculi rationibus, nihilque ſapiens terrenę affectionis, Apoſtolica plane libertate ſententiam dicere ſemper viſus fuit, quamquam ſimultates, & odia ſępius ea de re ſubiturus.

Pio IV rebus humanis exempto, ſummo omnium Patrum conſenſu Cardinalis Alexandrinus die 7. Januarii anni 1566. Pontifex Maximus renunciatur; aſſumpto nomine Pii V. Eccleſiæ Univerſalis gubernacula, nonniſi poſt effuſas Deo preces ſuſcipit.

§. 14. Interea pręfato Pio IV Prędeceſſore, rebus humanis exempto (11), ſummo omnium Patrum conſenſu, Cardinalis Alexandrinus die VII Januarii anni MDLXVI Pontifex Maximus renunciatur, aſſumptoque Pii V nomine, Eccleſię Univerſalis gubernacula, poſt fuſas Deo ferventiſſimas preces, non minori Populorum gaudio, quam expectatione ſuſcepit. Nec profecto communem opinionem fefellit; Nam vix ſupremo faſtigio admotus, nil antiquius habuit, quam clementię, ac beneficentię teſtimonia, & ſingularia edere documenta, nedum erga illos, qui vel minimum commodi ipſi contulerant, verum etiam in eos, qui de ſe male meriti fuerant, ut perfectiſſimam imitaretur charitatem Patris Noſtri, qui in Cęlis eſt.

Inter Pontificatus curas, licet affecta ætate, & corpore imbecillo, numquam jejunia, carnis macerationes, orationeſque intermittit, & quoties pro re Catholica aliquid magni momenti decernendum erat, de nocte orationes ipſas

§. 15. Inter tot, tantaſque Apoſtolici Miniſterii curas, nunquam a piiſſimo Pontifice, quanquam affecta ętate, & corpore admodum imbecillo, intermiſſa jejunia, carnis macerationes, orationum, precationumque frequentia, interdiu nunquam poſthabita, de nocte vero ſępius adaucta

adaucta, quoties pro re Catholica quidquam magni momenti decernendum accideret. Nihil enim de priſtina Religioſę Vitę ſeveritate remiſerat, demptiſque Principatus Inſigni s, & externo dignitatis ſplendore, in mentis receſſu privatum agebat: imo, quanquam adhuc in terra poſitus, verſabatur in Cęlo; cumque inter Mortales degeret, jam tamen Civis erat Sanctorum, & Domeſticus Dei.

adauget, nihil de priſtina Religioſæ Vitæ ſeveritate remittit.

§. 16. Hinc Conſanguineos ſuos non titulis, non divitiis, non honorum gradibus inſignitos, ac donatos voluit; ſed Michaelem Bonellum ſuum ex ſorore Pronepotem, nonniſi poſt exactum in Dominicana Familia tyrocininm, ſacrarumque literarum peritiam adeptam, totius Sacri Collegii non approbatione tantum, ſed enixis etiam precibus accedentibus, inter Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales aſſumpſit.

Conſanguineos ſuos titulis, divitiis, & honorum gradibus non vult inſignitos. Michaelem Bonellum, ſuum ex ſorore pronepotem, non niſi exacto prius per eum in Dominicana Familia tyrocinio, literarum peritia adepta, & accedentibus enixis Sacri Collegii precibus, inter Cardinales aſſumpſit.

§. 17. Nemini item in Aula Pontificia locum dari paſſus eſt, niſi cui probatę vitę ratio illum comparaſſet; Adeout Pontificis Familia, ad exemplum Domini ſui inſtituta atque compoſita, nulla re magis, quam modeſtia ſingulari, & pręcipua quadam animi, morumque integritate a ceteris diſcerneretur.

In Aula Pontificia nemini locum præbet, niſi quem ſibi probatæ vitæ ratio proponit.

§. 18. Nulli apud ipſum ad Eccleſię dignitates aditus patuit, niſi cui merita prudenti judicio expenſa, ad illas obtinendas viam ſtraviſſent, viresque ad eaſdem probe exercendas, abunde ſuppeditaſſent.

Nemini ad Eccleſiæ Dignitates aditus patet, niſi cui merita vireſque ad illas obtinendas, & probe exercendas accedunt.

§. 19. Flagrans in eo propagandę Religionis Catholicę deſiderium, indefeſſus pro inſtauranda eccleſiaſtica diſciplina labor, incredibilis, ac quaſi perpetua in extirpandis erroribus vigilantia, pro tuendis Eccleſię Juribus ferreum pectus, in caſtigandis corrupti ſeculi moribus, malorumque hominum licentia & temeritate, duriores renovatę Leges, atque excitata judiciorum ſeveritas. Contra vero prona, ac ſemper inexhauſta beneficentia, curavit ſubditorum commoda, quorum querelas, ſuppliceſque recurſus non ſine modico valetudinis ſuę diſpendio, data cuilibet adeundi, fandique copia, prolataque audiendi patientia, a mane uſque ad Veſperas, pene quotidie excipiebat.

Cupidus, indefeſſus, ſummeque vigilans ad Catholicam Religionem propagandam, Eccleſiaſticam diſciplinam inſtaurandam, erroreſque extirpandos, & ad corruptos mores caſtigandos, Leges renovat duriores.

Pronus, ac ſumme beneficus, in Subditorum commoda, eorum preces fere quotidie a mane uſque ad Veſperas, non ſine modico ſuæ valetudinis diſpendio excipit.

§. 20. Talis demum, ac tantus in eo effulſit ſplendor virtutum, ut ab eis Sanctitatis radiis illuſtrati, & nobilis quidam Anglus, & Ollicę Dux, Hebręique nonnulli ad admirabile Evangelii, Orthodoxęque Fidei lumen libenter acceſſerint. Quos inter Elias quidam Archiſynagogus, divitiis famaque celebris, una cum filiis Vaticano in Templo, ſolemni Ritu Pii Pontificis manu, Sacri Baptiſmatis beneficium accepit.

Ex ſuarum Virtutum, & Sanctitatis radiis illuſtrati, quidam Nobilis Anglus, & Ollicæ Dux, ac nonnulli Hebræi, ad Evangelii lumen accedunt. Elias quidam Archiſynagogus, divitiis & fama celebris, una cum eius filiis, a Beati Pii manu Sacrum Baptiſma, ſolemniter in Baſilica Vaticana accipit.

§. 21. Qua integritate, qua juſtitia, qua ęquitate Sanctę hujus Sedis regimen, totiuſque Catholicę Eccleſię procurationem Pius geſſerit, editę ab eo ſanctiones, inter alia Romanorum Pontificum decreta typis vulgatę probe teſtantur.

Integritatem, Juſtitiam, æquitatem quibus Eccleſiam rexit, editæ ab eo ſanctiones, & Typis vulgatæ teſtantur.

§. 22. Quanta protinus ipſe fecerit, ut in Gallia, Belgio, Germania, Scotia, Anglia, Poloniaque ſarta tecta Catholica Religio conſervaretur, ac propagaretur, ex luculentis Scriptorum monumentis, ac publicis, omnique fide dignis Hiſtoricis colligi poteſt, adeout pene miraculo proxima ſit, ingens illa vis pecuniarum, qua omnibus fere Orbis Chriſtiani partibus inopia preſſis, aut Religionis cauſa laborantibus, ſine ulla cunctatione ſubvenit.

Quæ quantaque ipſe geſſerit pro Religione, & pro illa in pluribus Provinciis conſervanda propagandaque, ex Scriptorum monumentis, ac fide dignis Hiſtoricis colligitur.

Ingenti pecuniarum copia miraculo proxima, omnibus fere Orbis Chriſtiani partibus, inopia preſſis aut pro Religione laborantibus, ſubvenit.

§. 23. Cum Galliam omnem Hęreſis Calviniana Hugonottorum (12) appellata, ſuſquedeque verteret, atque hujus rei cauſa, nonnulla inibi Orthodoxę Religioni parum conſentanea in publicum emiſſa eſſent decreta; Tam forti animo apud Regem Chriſtianiſſimum inſtitit Pius, ut illa penitus publicis tabulis deleta fuerint, atque abrogata. Tum conſilio, pecunia, commeatu, ac Militibus in Galliam, Duce Comite Sfortia Sanctę Florę Domino, opportune tranſmiſſis, ita Catholicorum partes adjuvit, ut inflicta Hęreticorum copiis inſigni plaga, Regnum Regi, Regno Religionem, verum Deo cultum, reſtituerit.

Hugonottorum hæreſi Galliam omnem vaſtante, & ob id, illo Rege nonnulla publica Edicta Religioni noxia edere coacto, edicta hujuſmodi abrogari facit, & illuc pecunia, & Militum Copiis DuceComite Sfortia Domino ſanctæ Floræ, opportune tranſmiſſis inſignem de Hugonottis ipſis Victoriam reportat.

§. 24. Neque minores in Belgio turbas ad labefactandam Religionem excitaverant Heterodoxi, quibus ne ſtatim curſum retardaret Hiſpaniarum Rex, curatis tunc ſolummodo politicis rebus, ac dilato in aliud tempus Religionis negotio, auctores erant Aulicorum Conſiliariorum quamplurimi. At Pius Pontifex evertit tam perniciosa conſilia, collataque tempeſtive pecunia, ac nonnullis inter Italos bellicoſis viris, ut Belgium pro Fide pugnaturi pergerent, perſuaſis, in cauſa fuit, ut quamplurimę Albano Duce Belli ſummam dirigente, de Hęreticis Victorię fuerint reportatę, exuvięque, & Vexilla perduellium e parietibus Lateranenſis Baſilicę, celebris facti monumenta pependerint.

Excitatis & in Belgio, ad Religionis damna, non minoribus turbis ab Hæreticis, dilatoque ab Hiſpaniarum Rege hujuſmodi negocio, ſuadentibus id ſibi aulicorum Conſiliis, Beatus Pius everſis ab eo tam pernicioſis Conſiliis, collataque pecunia, & perſuaſis inter Italos ſtrenuis Viris, ut illuc pro fide pugnaturi adirent, efficit ut quam plurimæ, Albano Duce ſummam Belli dirigente, de hæreticis victoriæ referantur, & illorum vexilla ad Baſilicam Lateranenſem ſuſpendit.

§. 25. Prope erat, ut Cęſar neceſſitate compulſus in Auſtrię Archiducatu Hęreticis Auguſtanę, ut vocant, Confeſſionis liberum ſuę hęreſeos exer-

Cæſari, ex neceſſitate liberum, in Archiducatu Auſtriæ, Auguſtanæ Confeſſionis exercitium jamjam permiſſuro, Cardinalem Commendonum mittit, & malum illud avertit.

exercitium permitteret, niſi Pius Pontifex; miſſo in Germaniam Cardinali Commendono, pericula Orthodoxę Religionis, quę jam imminebant, opportune avertiſſet.

Confeſſionis hujuſmodi, & Calvinianæ hæreſis profeſſores a Polonia tuto inibi degentes, non ſine eorum rabie, expelli, efficitque ut ille Rex ſolemni jure jurando ſe in Religione Catholica moriturum, & nunquam paſſurum quidquam in dicto Regno, de Romanæ Fidei dogmatibus imminui, vel immutari promittat.

Plurimas e ſcriptis Michaelis Baii propoſitiones, Orthodoxæ Fidei adverſantes, edita ſanctione damnat.

§. 26. Similiter cum apud Polonos, publicis edictis mulctati fuiſſent Antitrinitarii, aliique Hęretici: Verum dictę Confeſſionis Auguſtanę, Calvinianęque Hęreſeos Profeſſoribus in eodem Regno degere, eſſet permiſſum, Pius apud Regem effecit, ut ille ſolemnem, ac jure jurando firmatam ſponſionem ederet, qua ſe ſe in Religione Catholica ad mortem uſque perſeveraturum, ac nunquam paſſurum, vel minimum imminui, immutarique Romanę Fidei dogmata, avitoſque Ritus, quidquid contra niterentur Hęretici, ſancte promitteret. Plurimas e ſcriptis Michaelis Baii excerptas propoſitiones, e quibus tanquam errorum fonte, Janſeniana Labes orta in hęc uſque tempora derivavit, ac licet a pluribus Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris, immo etiam a Nobis ſępius confixa, atque proſcripta, adhuc tamen latenti propagine reviviſcere, viruſque contagii effundere non deſinit, provido, & Eccleſię ſalutari conſilio, edita ſanctione, in ipſa origine damnavit (13).

Mariæ Stuardæ, Religioſiſſimæ Scotorum Reginæ, ab Eliſabetha impia Angliæ Regina, Carceribus mancipatæ invictam conſtantiam, paternis pioque Zelo refertis Epiſtolis fovet, & Catholicos Germaniæ Principes, periclitantem in Scotia Fidem, tueri hortatur.

§. 27. Hęrebat ſquallore carcerum, Hęreticorum dolis, odioque implacabili Eliſabethę prętenſę Reginę Anglię mancipata clarę memorię Maria Stuarda Regina Scotorum, Religioſiſſima fęmina, reſque Catholica, in illo Regno lacerata, & undique colliſa, animum Sanctiſſimi Pontificis paternę caritatis ſtimulis exagitabat. Quare, afflicto illo rerum ſtatu explorato, Marię Reginę conſtantiam amantiſſimis, Sanctoque zelo refertis Epiſtolis fovere non deſiit, ac excitare, ut a puritate Fidei, quam a parentibus hauſerat, & eatenus illibatam ſervaverat, nullis ſe conditionibus divelli pateretur, menteque recoleret, longe potiora eſſe ęterna Cęli pręmia, quam caduca hęc, & inania terrenę dominationis bona; Eodem vero tempore Catholicos Germanię Principes adhortatus eſt, ut traductis in Scotiam opportunis auxiliis, periclitantem Fidem, ac Religionem validiſſime tuerentur. At ubi, per ſummum ſcelus Marię (14) Reginę ſupradictę Carnificis manu caput abſciſſum, omneſque Anglici Regni Epiſcopos, a Sede ſua violenter depulſos cognovit, atrocitate rei commotus, impiam Eliſabetham flagitiorum ſervam, uti hęreticam, & Hereticorum fautricem, horribili anathemate ferire nil cunctatus, a juramento fidelitatis proceres, ſubditos, & populos dicti Regni perpetuo abſolvit, illamque omni, & quocunque ejuſdem Regni prętenſo jure, dominio, dignitate, ac privilegio privatam, Pontificia auctoritate declaravit.

Inſignem, ac omni ſeculo memorabilem Victoriam, de Navali Prælio contra Selimum Turcarum Tyrannum, non ſolum Armis, verum etiam ferventiſſimis ejus apud Deum precibus, refert.

§. 28. Verum quos labores ſuſceperit, quot, quantoſque ſumptus, ac curas impenderit pro Chriſtiana Republica ſervanda, propulſandoque a fidelium cervicibus hoſte immaniſſimo, ac potentiſſimo, nemo eſt, qui ignoret; Cum ſcilicet Navali prędio commiſſo, pręclaram illam, & poſt hominum memoriam inſignem, maximamque Victoriam, Chriſto Duce, quem in vexillo Imperatorię Triremis elevari juſſerat, reportavit.

§ 29. Expugnata ſiquidem ſuperiori anno Nicoſia, Regnoque Cypri florentiſſimo (dolentes recordamur, & acerbitate jacturę adhuc ingemiſcimus) in ditionem redacto: ſecundis rebus elatus Turcarum Tyrannus Selimus, odioque in Chriſtianum nomen, ac inſatiabili avaritia inflammatus, Claſſem inſtructiſſimam comparaverat, qua Cretam, Corcyram, Zacintum, Oraſque omnes Maritimas incendiis, rapinis, miſerorumque captivitate fęde populabatur, ipſamque Italiam, & Almam hanc Urbem ſuperba ſpe devorabat.

§. 30. Nemo erat tunc temporis, qui expenſis nefarii hoſtis viribus, & effrenata illius regnandi cupiditate, opprobria, ignominias, ſervitutem, vitęque extrema non expaveſceret. Quiſque Religioſiſſima Templa, Araſque Sanctiſſimas complexus pro liberis, pro Conjugibus, pro fortunis, proque dulci hujus lucis uſura, lacrymans deprecabatur. At vero, in tanta rerum perturbatione, ac inveterata apud omnes opinione, ferociſſimum hoſtem Chriſtianorum armis ſuperari non poſſe, invicta Pii conſtantia, inito cum Chriſtianis Principibus ſacro fędere, ac Claſſe copioſiſſima inſtructa pręliatus eſt Bella Domini, & in ſpiritu vehementi Naves Tharſis penitus contrivit, atque delevit.

Superno lumine illuſtratus, illo ipſo die eademque hora, qua pugnatum fuit, felices Victoriæ hujuſmodi videt eventus.

§. 31. Nec tantę Victorię nuncium, optatumque rumorem diu expectavit Sanctiſſimus Pontifex; defixis quippe oculis in Imagine Redemptoris Noſtri, e Cruce pendentis, cum anxiis precibus, & voce fletus ſui ſolito uberioris, divinam miſericordiam exoraret, ne gentibus efferatis hęreditatem ſuam diripiendam relinqueret, ſed in brachio

excelſo

excelſo populum ſuum ſalvum faceret, in exceſſu mentis, ſuperno lumine illuſtratus, videre meruit Chriſtianę Claſſis proſperos eventus, illo ipſo die, ac eadem hora, qua feliciter ad Chinadas Inſulas pugnatum fuit (15).

§. 32. Sed & alia, & fortaſſe majora, ad Religionis incrementum cogitantem Pium, Deo ſic diſponente, communis neceſſitas pręvenit; Cujus in occurſum, humilem, conſtantem, patientemque animum pręſeferens piiſſimus Senex, extrema vi morbi correptus, acerbiſſimos dolores tam fortiter toleravit, ut ſolum ad Jeſu Chriſti Crucifixi Imaginem dulciter ſuſpirans, hęc ſępius ingeminare verba auditus fuerit: Domine auge dolorem, ſed & auge patientiam: Mortem autem ſibi ab ipſo morbi principio certam, atque exploratam ita non exhorruit, ut de ea ſine ulla prorſus aut vultus, aut animi perturbatione coram familiaribus ſuis loqueretur, eamque a ſe in lucro poni, anteactę vitę fiducia plane demonſtraret. Ceterum quod ex illo morbo ſibi pereundum fore, divina revelatione pręſciviſſet, duas apertas, atque illuſtres ejus rei ſignificationes dedit. Unam ſcilicet, quod Cardinalem Alexandrinum, pridie Paraſceves, hoc eſt vigeſimo nono ante ipſius obitum die, Sacroſanctam Euchariſtiam ſibi porrigentem, & uſitata verborum formula utentem juſſit ſubſiſtere, & ita verba concipere, ut in iis tantum ſit, qui Sanctiſſimum illud Sacramentum pro Viatico accipiunt, ſupremum iter, & viam univerſę carnis ingreſſuri; Alteram vero, quod cum aliqua morbi remiſſione, depulſum ab eo mortis periculum conſtans opinio eſſet, ſeptem pręcipua Urbis Templa inviſere voluit, ejuſque itineris, quanquam viribus infirma valetudine dejectis, magnam partem pedibus confecit, aperte profitens velle ſe eorum Reliquias poſtremò videre, quorum animas non multo poſt viſurum eſſe ſperaret in Cęlo.

Majora ad Religionis Incrementum cogitans, extrema vi morbi corripitur, & de ſibivicina a ſe prævisa morte, ſine ulla prorſus animi perturbatione, coram familiaribus ſuis loquitur.

Cardinali Alexandrino, Euchariſtiæ Sacramentum, ſibi vigeſimo nono die ante ejus obitum, porrigenti, uſitatam verborum formulam tunc ommittere juſſit, & illa verba concipere, quibus in porrigendo Viatico Sacerdos utitur.

Remiſſa aliqua in parte vi morbi, & depulſo a communi opinione mortis periculo, ſeptem præcipua Urbis templa inviſit, ejuſque itineris magnam partem licet viribus deſtitutis, perficit.

§. 33. Denique vi morbi invaleſcente; ſtatim ac noviſſimam appropinquare horam pręſenſit, Sacrum Chriſtianorum Principum Fędus, Cardinali Alexandrino ferventiſſime commendavit: Deinde Pſalmos Davidicos ſibi pręlegendos popoſcit, lectori mandans, illos alta voce pronunciare, interpoſita ſingulis verſiculis mora, ut ipſe divina eloquia per aures admiſſa, dulci contemplationis affectu ſenſim deguſtaret, ſitientemque ſpiritum irroraret nectare ſuaviſſimo.

Invaleſcente deinde morbo, extremamque horam appropinquare præſentiens, Chriſtianorum Principum fœdus Cardinali Alexandrino commendat. Pſalmos Davidicos ſibi prælegendos poſcit, illoſque dulci contemplationis affectu deguſtat.

§. 34. Tandem, cum Hiſtoria Paſſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ex Evangelio legeretur, manibus in modum Crucis expanſis, nullo motu, ſtrepituve edito, ſuaviter efflavit animam (16), eamque reddidit Creatori.

Demum, cum hiſtoria Paſſionis Dominicæ ſibi ex Evangelio legitur, ſuaviſſimo obdormit in Domino.

§. 35. Maxima, eo defuncto, ſtatim percrebuit fama illius Sanctitatis; Cujus nempe deſiderium, publicamque jacturam, ipſa etiam muta elementa terrę, fremitu, fulminibus, amniumque exundatione, teſtata fuerunt. Quare non Romani Populi ſolum, verum etiam plurimorum e vicinis Regionibus hominum concurſus, ad viſendum illius cadaver factus eſt, adeout majorum Cuſtodum, Militumque numerum adhibere opus fuerit, ne Populi fervor, qui Beati Cadaveris Veſtes jam violenter ſciderat, Carnes etiam in fruſta diſtractas ſecum aſportaret.

Maxima illius Sanctitatis oritur fama, & publicam Jacturam, Terra fremitu, Cælum fulminibus, & Amnes exundationibus, teſtantur.

Non ſolum Romani Populi, verum etiam plurimi e vicinis Regionibus homines, ad viſendum illius Cadaver concurrunt.

§. 36. Agi cęptum de Pio inter Sanctos referendo anno MDCXXI, cujus rei gratia inſtructis variis tam Ordinaria, quam Apoſtolica auctoritate Proceſsibus, fuit, ut mos erat illius temporis, tribus antiquioribus Romanę Rotę Judicibus, eoſdem examinandi demandata facultas, qui, lato de hac re judicio, & documentorum auctoritatem probarunt, & Virtutum pręſtantiam, hęroicum gradum attigiſſe, necnon Miracula ſupra communem naturę uſum fuiſſe patrata dixerunt. Horum Judicio, Sacrorum Rituum Congregationis examen ſuperinductum, in quo pariter juridica Actorum validitas, atque in gradu heroico comprobatę virtutes, ſimulque duo, quę ſubſecuta fuerant, miracula plene comprobata.

Anno 1621, inſtructis Proceſſibus de referendo Pio inter Sanctos, facultas illos examinandi, ut mos erat, commiſſa fuit tribus antiquioribus Rotæ Auditoribus, qui eorum validitatem probarunt, & illius Virtutes hæroicum gradum attigiſſe, ac Miracula ſupra naturæ uſum patrata dixerunt. Quæ omnia, & ſimul duo Miracula ſubſecuta a Congregatione Rituum comprobata fuerunt.

§. 37. Quorum fuit primum, ab igne penitus illęſas remanſiſſe hujus Beati Pontificis duas Imagines, ex papyro unam, alteram ex tela confectas, in privato Oratorio, ſeu Sacello Antonii Cordubę, & Cardonę, Ducis Seſſę, e pariete pendentes, licet ignis ita vehementer per totam ędem graſſatus fuiſſet, ut etiam argentea Simulacra flammarum vi liquefacta fuerint, lapideumque Altare in formam cocti pumicis tranſierit, ac univerſa illius ędiculę Sacra Suppellex, dictis duntaxat duabus Imaginibus, eaque ſtrati Altaris prędicti parte, in quam altera earumdem Imaginum ceciderat, exceptis, in favillam, & cinerem redacta fuerit.

Primum, ab igne, ita vehementer per totam ædem Antonii Cordubæ, & Cardonæ, Duce Seſſæ, graſſante, ut etiam argentea Simulacra vi flammarum liquefacta fuerint, duæ B. Pii Imagines, ex papyro una, altera ex tela confectæ, in Oratorio privato dicti Antonii e pariete pendentes, illæſæ remanſerunt, licet Oratorii præfati univerſa Sacra ſupellex, exceptis dumtaxat dd. Imaginibus, & ea parte Altaris, in quam altera Imaginum hujuſmodi ceciderat, in cinerem redacta fuerit.

§. 38. Alterum fuit Tiburtię Florentię Auximanę mulieris ſeptuagenarię repentina ſanatio. Hęc ſiquidem acuta, malignaque febri correpta, aliiſque congeſtis morbis oppreſſa, itaut Medicorum judicio, intra trium horarum ſpatium jam jam moritura crederetur: Ubi Pii induſium ęgro

Alterum fuit repentina ſanatio Tiburtiæ Florentiæ, mulieris Auximanæ ſeptuagenariæ, quæ variis afflicta morbis, intra ſpatium trium horarum, Medicorum judicio moritura credebatur, ſed B. Pii induſio, ægro corpori devote ap-

plicio, illico ſana e lectulo ſurrexit, & ad multos annos vitam protraxit.

ęgro corpori devote applicuit, nulla interpoſita mora, ſana, & incolumis e lectulo ſurrexit, vitamque ad multos annos feliciter protraxit.

Congregationis judicium ſuper præmiſſis, Pontificio decreto firmatur, remiſſo reliquorum Miraculorum examine in aliud tempus.

§. 39 Fuerunt Pontificio Decreto firmata, tum quę ad virtutes, tum quę ad miracula pertinebant, ſupradictę Congregationis Judicia; remiſſo in aliud tempus reliquorum miraculorum, quę a Cauſę Poſtulatoribus proponebantur, examine.

Novis ab Urbano Papa VIII, ſuper hujuſmodi Cauſis, editis Decretis, novus ſuper non cultu conditur Proceſſus, & quædam Pii Epiſtolæ exhibentur.

Conſtito de eorundem Decretorum obſervantia, nihilque in eiſdem Epiſtolis, quod pietatem non redoleat reperto, novum miraculorum, & quæ poſt obitum contigerunt, inſtauratur examen. Inter quæ duo in præfata Congregatione Rituum a Clemente X approbantur.

§. 40. Interea cum pię memorię Urbanus Papa VIII pariter Prędeceſſor Noſter, ſuper hujuſmodi cauſis quędam nova Decreta edidiſſet; novum condere Proceſſum ſuper non cultu, ac quaſdam a Pio exaratas epiſtolas exhibere neceſſe fuit. Quibus omnibus impletis, conſtitit de obſervantia eorundem Decretorum, prout etiam nihil in prędictis epiſtolis contineri, quod pietatem tanti Pontificis non redoleret: Quamobrem inſtauratum fuit examen miraculorum, nedum alias relictorum, imo & ipſo Pio vivente patratorum, ſed etiam eorum, quę poſtmodum intermedio tempore aſſerebantur contigiſſe. Horum duo, pręcipue in memorata Congregatione, coram ſimilis memorię Clemente Papa X etiam Prędeceſſore noſtro habita, omnium calculis admiſſa, & ab eodem Clemente Prędeceſſore approbata fuerunt.

Primum fuit, victoriæ illa Navalis prælii a Chriſtianis contra Turcas reportatæ cognitio, quam clariſſime divinitus reſcivit, atque patefecit.

§. 41. Primum fuit divina illa B. Pio immiſſa cognitio, qua ipſe eodem prorſus die, eademque hora, quibus Navalis, quam ſupra innuimus, victoria a Chriſtianis reportata fuerat, clarisſime illam reſcivit, atque iis, qui ſecum aderant, patefecit; qui, cum menſem, diem, horamque adnotaſſent, ubi poſtea certus de victoria Nuncius advenit, illam, uti Pius ipſis prędixerat, eveniſſe apertisſime cognoverunt.

Alterum, mira, ac perampla triticeæ farinæ multiplicatio, in Monaſterio S. Dominici apud Pratum.

§. 42. Alterum fuit mira quędam, ac perampla triticeę farinę multiplicatio, quę contigit in Monaſterio Monialium S. Dominici apud Pratum, in Hetruria.

His miraculis admiſſis, prædicta Congregatio ipſo Clemente approbante, cenſet Pium V Beatorum Cathalogo adſcribi poſſe, miſſamque, & Officium concedi.

Anno 1672 idem Clemens Pium V Beatum nuncupari, ejuſque Corpus, & Reliquias venerari, & aliquibus in locis Officium recitari, & Miſſam de Confeſſore Pontifice celebrari, indulget.

§. 43. His itaque duobus miraculis, ſicut pręmittitur, admisſis, cum ſubinde eadem Congregatio, ipſo Clemente Prędeceſſore approbante, cenſuiſſet, Servum Dei Pium V Beatorum Cathalogo adſcribi poſſe, necnon Officium, ac Miſſam in ejus honorem concedi, idem Clemens Prędeceſſor Anno MDCLXXII. Pium V prędictum, Beati nomine nuncupari, ejus Corpus, & Reliquias venerationi Fidelium exponi, & aliquibus in locis de eo Officium recitari, Miſſamque de Confeſſore Pontifice, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani celebrari poſſe indulſit.

Reaſſumpta Cauſa, & Remiſſorialibus, & Compulſorialibus Literis expeditis, ſuper probatione Miraculorum poſt venerationem ſuperventorum, novi efformantur Proceſſus, quorum validitate perpenſa, & admiſſa, ſententiam deſuper a præfata Congregatione latam, Pontifex approbat.

§. 44. Porro reaſſumpta denuo Cauſa, expeditiſque Remiſſorialibus, ac Compulſorialibus Literis, ut quę poſt venerationem eidem Beato Pio, ſicut prędmittitur, indultam ſupervenerant, rite probarentur, novi Proceſſus efformati fuerunt; quorum diligenter perpenſa, & deinde admiſſa validitate ab eadem Sacrorum Rituum Congregatione, illius ſententiam approbavimus.

Duorum de novo ſuperventorum Miraculorum relevantia, in prædicta Congregatione coram Pontifice habita diligenter expenſa, approbantur.

§. 45. Firmata Actorum validitate, ſuum ſubiit examen eorundem relevantia; adeoque duo de novo ſuperventa miracula, in ipſa Congregatione coram Nobis habita, diligenter expenſa, & ab ea approbata fuerunt.

Primum, Margarita Maſſia decennis puella, diuturna paralyſi in coxis, & cruribus laborans, incontinenti priſtinæ ſaluti reſtituitur.

Alterum, inſtantanea emiſſio fætus, in utero materno a pluribus diebus mortui; abſque ullo Genitricis parientis dolore editi, cum ipſius Genitricis præſervatione ab evidentis mortis periculo.

§. 46. Primum fuit de Margarita Maſſia decenni Puella, paralyſi diuturna in coxis, & cruribus laborante, ſtatim, & incontinenti priſtinę ſanitati reſtituta.

§. 47. Alterum de inſtantanea emiſſione fętus, materno in utero a pluribus diebus jam mortui, abſque ullo Iſabellę Riccię Genitricis parientis dolore editi, cum ipſius Genitricis pręſervatione ab evidenti mortis periculo.

Auditis deſuper tam Cardinalium, quam eiuſdem Congregationis Conſultorum ſuffragiis, nihil a Pontifice, Divinum Auxilium prius de more imploraturo definitur.

§. 48 Auditis tamen deſuper tam Cardinalium, quam Conſultorum pręfatę Congregationis ſuffragiis, nihil tunc fuit a Nobis definitum, ut in re tanti momenti, Divinum prius de more imploraremus auxilium.

Quo implorato, Pontifex duo hæc poſtrema Miracula approbat, habitaque coram eo Generali Congregatione prædicta, agitur an tuto ad Solemnem Canonizationem Beati Pii deveniri poſſit, & licet unanimiter affirmative reſponſum fuerit, nihilominus denuo divinum Auxilium deſuper expetendum cenſet.

Die 4. Auguſti 1710 d. Congregationis Secretario, necnon Coadiutore Promotoris Fidei accitis, Beatum Pium V, ad novum Ordinis Prædicatorum de Catholica Eccleſia optime meriti, & ad majorem Sedis Apoſtolicæ honorem, inter Sanctos referendum eſſe decernit.

§. 49. Quod cum a Nobis peractum fuiſſet, Nos pariter duo hęc poſtrema miracula approbavimus. Deinde habita iterum coram Nobis Generali Congregatione ſupradicta, fuit in deliberatione poſitum. An tuto ad ſolemnem Canonizationem B. Pii deveniri poſſet; licet autem omnes unanimi conſenſu affirmative reſpondiſſent, adhuc tamen, antequam in tam arduo negocio quidquam decerneremus, denuo Superni Luminis adjutorium expetendum eſſe cenſuimus. At poſtmodum dictę Congregationis Secretario, necnon Coadiutore Promotoris Fidei accitis, die IV Auguſti MDCCX Sancto Dominico Fundatori Ordinis Prędicatorum Sacra, B. Pium V, non tam ad novum, ac pręclarum decus pręfati Ordinis de Catholica Eccleſia optime meriti, quam ad majorem ipſius Apoſtolicę Sedis honorem & gloriam, canonizandum, & inter Sanctos referendum eſſe, decrevimus.

§. 50. Re-

§. 50. Reliquum erat, ut accurata pręmiſſorum omnium relatio univerſo S. R. E. Cardinalium Collegio de more fieret, quod cum recte, fideliterque pręſtitiſſet, tunc in humanis agens bonę memorię Johannes Maria, ejuſdem S.R.E. Cardinalis Gabriellius nuncupatus, pro Venerabili Fratre noſtro Gaſpare Epiſcopo Sabinen. dictę S. R. E. Cardinali Carpineo nuncupato, prefatę Congregationis Pręfecto tunc ęgrotante, totius ſumma Proceſſus in Conſiſtorio noſtro ſecreto, die XX Aprilis proxime pręteriti habito, plene relata; reliqui omnes Cardinales, qui tunc aderant, unanimi voce dixerunt, ſibi placere, quod Nos ad ſolemnem Beati Pii Canonizationem deveniremus.

Facta pręmiſſorum omnium, a tunc in humanis agente, bonæ memoriæ Iohanne Maria Card. Gabriellio, pro Gaſpare Epiſcopo Card Carpineo, prædictæ Congregationis Præfecto ægrotante, univerſo Cardinalium Collegio in Conſiſtorio ſecreto, die 20. Aprilis proxime præteriti, plena relatione, omnes, qui tunc aderant Cardinales, unanimi voce aſſentiunt, quod ad ſolemnem B. Pii Canonizationem deveniendum ſit.

§. 51. Quocirca ſequenti publico Conſiſtorio, in quo dilectus filius Marcellinus Coyrus Aulę noſtrę Conſiſtorialis Advocatus, pro eadem Canonizatione luculenter peroravit, ac nomine totius Ordinis Pr'ędicatorum, ut ad eam procederemus, humiliter ſupplicavit. Nos attenta rei gravitate, Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ibidem pręſentes, omni animi contentione hortati ſumus, ut orationibus, jejuniis, & eleemoſynis ſedulo incumberent, quo divina voluntas clarius Nobis eluceſceret.

Sequenti publico Conſiſtorio, Marcellino Coyto Advocato Conſiſtoriali, pro eadem Canonizatione perorante, & nomine d. Ordinis ſupplicante, Pontifex, Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos inibi præſentes, hortatur, ut orationibus, jejuniis, & eleemoſynis incumbant.

§. 52. Deinde in ſemipublico Conſiſtorio, vocatis non ſolum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis prędictis, ſed etiam noſtris, & Sedis Apoſtolicę Notariis, Prothonotariis nuncupatis, ac Palatii Noſtri Apoſtolici cauſarum Auditoribus de more pręſentibus, plura a Nobis de eximia Beati Pii ſanctitate, ac miraculis commemorata fuerunt; cumque omnes concorditer ad ejus Canonizationem deveniendum eſſe, ſuffragiis ſuis aperte cenſuiſſent; Nos unanimi eorum conſenſu audito, aperuimus os noſtrum in benedictionibus, ac Dei nutum, & voluntatem ſecuti, juſtum, & debitum eſſe cenſentes, ut quos Deus honorat in Cęlis, Nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris, diem celebrandę Canonizationis indiximus, cunctos adhortati, ut in orationibus, jejuniis, & eleemoſynis perſeverantes, Spiritus Sancti gratiam, noſtrę humilitati in tam alto negocio impetrare ſtuderent.

In ſemipublico Conſiſtorio, vocatis etiam Prothonotariis Apoſtolicis & Rotæ Romanæ Auditoribus, Pontifex plura de B. Pii Sanctitate, ac Miraculis commemorat, & omnes concorditer ad ejus Canonizationem deveniendum eſſe cenſent: Pontifex diem celebrandæ Canonizationis indicit, cunctos adhortans, ut in orationibus, jejuniis, & eleemoſynis perſeverantes, Spiritus Sancti gratiam deſuper impetrare ſtudeant.

§. 53. Demum peractis omnibus, quę ex Sanctorum Patrum auctoritate, Canonicis Sanctionibus, S. R. E. antiqua conſuetudine, ac novorum decretorum pręſcripto, agenda & obſervanda erant, hodie, hoc eſt Feſto Sanctiſſimę Trinitatis, in Sacroſancta Beati Petri Apoſtolorum Principis Baſilica, in qua ſolemni Ritu cum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſupradictis, necnon dilectis filiis Romanę Curię Pręlatis, Officialibus, & Familiaribus noſtris, Clero ſeculari, & regulari, ac maxima populi frequentia, mane convenimus, poſt repetitas a dilecto filio noſtro Annibale, S.R.E. Diacono Cardinali Albano nuncupato, noſtro ſecundum carnem ex fratre germano nepote, per Marcellinum Advocatum, prędictas inſtantias illas, quę dudum Sedi Apoſtolicę a Catholicis Regibus, & Principibus pro Canonizatione hujuſmodi porrectę fuerant, Nobiſque a pręfato Ordine Fratrum Prędicatorum aſſidue porrigebantur, poſt Sacros Hymnos, Litanias, aliaſque preces decantatas, ac Spiritus Sancti gratiam humiliter imploratam, ad honorem ejuſdem Sanctę, & Individuę Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catolicę, & Chriſtianę Religionis augmentum, auctoritate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra, matura deliberatione pręhabita, & divina ope ſępius implorata, ac de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Urbe exiſtentium, conſilio, Beatum Pium V Sanctum eſſe decrevimus, & definivimus, ac Sanctorum Cathalogo adſcripſimus, prout tenore pręſentium ſimiliter decernimus, definimus, & adſcribimus, ſtatuentes ab Eccleſia univerſali, illius memoriam, quolibet anno die V Maii, inter Sanctos Confeſſores Pontifices, pia devotione recoli debere. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Die Dominico, Sanctiſſimæ Trinitatis feſto, ſervatis ſervandis, B. Pium Sanctum eſſe pronunciat, & definit, ac Sanctorum Cathalogo adſcribit.

§. 54. Parique auctoritate, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, vere pęnitentibus, & confeſſis, qui annis ſingulis dicta die V Maii, ad Sepulcrum, in quo ejus Corpus requieſcit, viſitandum acceſſerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pęnitentiis, miſericorditer in Domino relaxavimus in forma Eccleſię conſueta.

§. 55. His peractis, Deum Patrem Ingenitum, Regemque Glorię Chriſtum Dominum, Patris Filium Unigenitum, ac Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum, laudibus, & confeſſionibus vene-

Canonizationi Adſtantibus, plenariam peccatorum remiſſionem concedit.

venerari, Sacroque Hymno Te Deum, magna cum animi noſtri exultatione, decantato, Patri miſericordiarum, & Deo totius conſolationis gratias agere non ceſſavimus, quod Sanctiſſimum hunc Prędeceſſorem noſtrum, in conſpectu omnium gentium honorificaverit, eumque Nobis dederit in hac tribulationum noſtrarum nocte, tanquam Solem fulgentem in Templo ſuo, ut qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt juſtus, in tempore iracundię fieret reconciliatio. Miſſam deinde, ad Altare Sancti Petri Apoſtoli ejuſdem Baſilicę, ſolemniter de more celebravimus, omnibuſque Chriſti fidelibus ibidem pręſentibus, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam conceſſimus.

Hujus Bullæ tranſumptis fidem adhiberi mandat.

§. 56. Ceterum, quia difficile foret, pręſentes ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus, ut earum exemplis etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quę eiſdem pręſentibus adhiberetur, ſi exhibitę eſſent, vel oſtenſę.

Sanctio pœnalis.

§. 57. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrorum definitionis, decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, relaxationis, conceſſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac eorundem Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S Petrum, Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Septingenteſimo Duodecimo, Undecimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſc.



*
*
*
*
*
*
* G. Card. Mareſcottus.
* F. Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Aſtallius.
*
*
*
*
*
*
*
* Joſeph Tit. S. Marię Tranſpontinę Presbyter Card. Sacripantes.
*

* F. Tit. SS. Jo: & Pauli Presbyter Card. Paulutius, Major Pęnitent.
*
*
*
*
*
* Laurentius Tit. S. Suſannę Presbyter Card. Corſinus.
*
* Franciſcus Tit. S. Cęcilię Presbyter Card. de Acquaviva.
*
*
* Philippus Tit. S Chryſogoni Presbyter Card. Gualterius.
* I. Tit. S. Marię Angelorum Presbyter Card. Vallemanus.
*
*
*
*
* C. A. Tit. S. Auguſtini Presbyter Card. Fabronus.
*
*
*
*
*
*
*
*
*
*
*
*
*
*
* Jo: Baptiſta e Societate Jeſu Presbyter Card. Ptholomęus.

*S. Ma-

✻
✻
✻ S. Mariȩ in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
✻ Petrus S. Laurentii in Damaſo Card. Otthobonus.
✻
✻ I. R. Diaconus S. Georgii in Velabro Card. Imperialis.
✻ Franciſcus S. Angeli in Foro Piſcium Diaconus Card. Barberinus.
✻ L. S. Nicolai in Carcere Tulliano Card. de Alteriis.
✻ C. S. Mariȩ de Scala Diaconus Card. Columna.
✻
✻ Annibal S. Euſtachii Diaconus Cardinalis Albanus.

Loco ✻ Plumbi.

Joſeph Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Viſa de Curia pro R. P. D. Maſſerio L. Sergardus.

L. Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

1. *S. Pii Quinti.*) Cujus præclare geſta ſcripſerunt *Antonius de Lorea*, *Archangelus Caraccia*, *Clemens de Salis*, *Cornelius Woons*, *Franciſcus Guidi*, *Johannes Doye*, *Johannes Baptiſta Feuillet*, *Thomas Maria Minorelli*, *Thomas Moniot*, *Vincentius Willart*, *Hieronymus Manfredus*, *Johannes Pinadellus Tarviſinus*, *Johannes Antonius Gabutius Congregationis Oratorii Preſbyter*, *Hieronymus Catena*, *Panphilius Ceſius Caſſia*, *Ludovicus Jacobillus*, *Illuſtriſſimus Epiſcopus Vencienſis Antonius Godeau &c.* Conſulendi præ ceteris Vir Clar. Eques *Paulus Alexander Maffei* patricius *Volaterranus*, qui vitam eleganter & accurate ſcripſit Italice, *Abrahamus Bzovius*, ac *Jacobus Laderchius*. Adeas etiam *Antuerpienſes* Editores Auctorum Sanctorum, & *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad ann MDLXXII pag.* 219.

2. *Archivo.*) In quo exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXX.*

3. *Colebamus.*) Conſulenda *Conſtitutio XXXV Clementis X*. Legitur *pag.* 306.

4. *Ordo.*) Egregia ſane laus, cui vix aliud addi poteſt.

5. *Lectoris.*) Docendi munere ſexdecim annis functus eſt.

6. *Novocomenſes.*) Ubi, irrumpente tunc in Italiam hæreſi Luterana, multa, pro fide catholica tuenda, præclare geſſit, & graviora vitæ ſubiit pericula.

7. *Canonicus.*) Adeas *Paulum Alexandrum Maffei lib. I Cap. VI Vitæ S. Dominici*.

8. *Paulo PP. IV.*) Emendandi ergo *Maffeus*, *Echard* ceterique, dicentes *S. Pium* a *Julio III* conſtitutum Commiſſarium Generalem.

9. *Aſſumptus.*) Anno *MDLVI.*

10. *Anno MDLVII.*) Die *XV* Martii.

11. *Exempto.*) Anno *MDLXV* Die *IX Decembris*.

12. *Hugonottorum.*) Gallice *Huguenot*. Unde ſic vocati fuerint, non conſtat. Adeas *Morerium* in *Dictionario Hiſtorico* verbo: *Calviniſte*.

13. *Damnavit.*) Legenda *Conſtitutio CIV Gregorii XIII T. V hujuſce Bullarii pag.* 373.

14. *Mariæ.*) Stuardæ. Gens eſt nobiliſſima, quæ nunc etiam floret. De *Maria* conſulendus *Abraham Bzovius* ſupra laudatus. Hic porro nonnihil, amanuenſis incuria, deſiderari, crediderim. Legerem. *At ubi per ſummum ſcelus, Mariæ Reginæ ſupradictæ, cujus poſtea, carnificis manu, caput abſciſſum fuit, captivitatem &c.*

15. *Pugnatum fuit.*) Vide notas ad *Conſtitutionem CXXV S. Pii V T. V hujuſce Bullarii pag.* 297.

16. *Efflavit animam.*) Anno *MDLXXII* die *I* Maii.

Ducem Sabaudiæ certiorem facit de Canonizatione (1) S. Pii V, ac Fratres Cœnobii Boſchenſis (2) diligenter commendat.

Anno 1712 Die 25 Maii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Dilecto filio, Nobili Viro, Victorio Amedȩo Duci Sabaudiȩ.

C L E M E N S PP. XI. XLI.

Dilecte fili nobilis vir, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUod prȩvia virtutum, & miraculorum, actorumque omnium B. Pii V, dum vixit Summi Pontificis, accuratiſſima diſcuſſione jampridem ſtatueramus, die tandem vigeſima ſecunda labentis menſis Maii, Sanctiſſimȩ Trinitati ſacra, eundem Beatum virum, Sanctorum Confeſſorum Pontificum Catalogo, ſolemni ſtatoque ritu adſcripſimus. Id autem eo ſane libentius, & majori cum animi noſtri lȩtitia peregimus, quod in re graviſſima Nobis licuerit, ſimul etiam Nobilitatis Tuȩ votis ſatisfacere, quȩ ſingulari pietatis ſtudio hoc a Nobis efflagitavit. Indeficiens porro ſuſcepti gaudii argumentum, Nobis ex eo potiſſimum auſpicamur, quod cum idem Sanctus Pius, tua in Ditione, non felicia modo natalia ſortitus fuerit, ſed etiam Epiſcopale munus diu Sanctiſſime adminiſtraverit, cum prȩcipua ope de Cȩlo Tibi, ſubditiſque tuis affuturum confidimus, quibus proſpera, ſecundaque omnia omni tempore peroptamus. Ceterum peculiare ejuſdem Sanctiſſimi Pontificis patrocinium Tibi, tuiſque populis merito conciliabis, ubi Conventum ſub Titulo S. Crucis, ac omnium Sanctorum in Oppido Boſchi, ejus natali ſolo, ab ipſo olim erectum, congruiſque inſtructum redditibus, ac inibi degentem familiam Ordinis Prȩdicatorum, ſingulari benignitate reſpicias, & quoties occaſio feret, eos auctoritatis tuȩ prȩſidio libenter tuearis, ac foveas: cum pro explorato habere poſſis, maxime gratum, acceptumque fore Sanctiſſimo fundatori, quicquid in ejuſdem Conventus beneficium, & incrementa contuleris. Id vero ut cu-

cumulate facias, magnopere a te petimus, & ab ingenita Tibi pietate, Nobis etiam pollicemur. Dilecte fili, Nobilis vir, cui interim ampla Divinę gratię munera, ex corde precamur, & Pontificię benevolentię teſtem, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die Vigeſima quinta Maii MDCCXII, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Canonizatione.*) Conſulenda præcedens Conſtitutio.
2. *Boſchen.*) Vide *Conſtitutionem XX S. Pii V.* Legitur *Tomo V hujuſce Bullarii pag.132.*
3. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur *T.XI Epiſtol. & Brevium Clementis XI pag.177.*

Anno 1712 Die 2 Julii.

XLII.

De electione (1) Provincialium Indiarum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

NUper pro parte dilecti filii Didaci de Herrera Lobaton, fratris expreſſe Profeſſi Ordinis Prędicatorum, Procuratoris Provinciarum S. Antonini, novi Regni Granatenſis, & S. Crucis ejuſdem Ordinis in Indiis Occidentalibus, Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitę expoſito, quod inconcuſſa, & inveterata praxis in dictis Provinciis ſemper viguerat, ut licet ab earum Conventibus, ſeu domibus exiguus, nempe duorum, trium, vel quatuor Religioſorum, numerus aleretur, & in aliqua ex domibus hujuſmodi unus tantum Religioſus nomine Prioris habitaret, eo quia aliquot ex dictis domibus pro Doctrinis, ſeu Parochiis ad inſtructionem populorum illarum partium deſtinatę erant, nihilominus domorum pręfatarum Priores, ſeu Vicarii votum, ſive ſuffragium in eorum Capitulis Provincialibus ſemper tulerant, ac in electione proprii Prioris Provincialis tanquam legitimi Vocales habiti fuerant, quemadmodum dicta praxis approbata, & pręſcripta reperiebatur ad formam propriarum Conſtitutionum, a diverſis Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris, videlicet a felicis recordationis Clemente PP. VII Prędeceſſore noſtro vigore quarundam ſuarum literarum in ſimili forma Brevis die VI Julii MDXXXIII expeditarum, ac a recolendę memorię Paulo PP. III itidem Prędeceſſore noſtro per binas ſuas itidem in forma Brevis, primas quidem ſub data X Aprilis MDXL in quibus per ſequentia verba diſponebatur, ideſt, & quatenus domus, & loca ejuſdem Ordinis duodenarium numerum Fratrum non habuiſſent, & numerum quatuor Fratrum hujuſmodi duntaxat continuiſſent, illarum voces pro electione hujuſmodi Prioris Provincialis juxta earundem Conſtitutionum formam ſufficerent, alteras vero literas hujuſmodi ſub dat. prima Januarii MDXLVI per infraſcripta verba indulgebatur, ut dictarum domorum Vicarii, etiamſi in eis minus, quam quatuor Fratres extitiſſent, vocem in electione dicti Prioris Provincialis haberent. Pręterea idem colligebatur ex quibuſdam aliis pię memorię Gregorii PP. XIII ſimiliter Prędeceſſoris noſtri, Idibus Julii MDLXXX ſub plumbo, ſignanter ad favorem memoratę Provincię S. Antonini, expeditis literis, & denique per alias recolendę pariter memorię Alexandri PP. VII itidem Prędeceſſoris noſtri die VIII Novembris MDCLXIV in eadem forma Brevis expeditas literas ſtatuebatur, & ordinabatur, ut eorundem Priorum electiones in Capitulo Provinciali fierent, ſi vero electio extra Capitulum Provinciale facienda eſſet, illa per vota, ſive ſuffragia ſecreta a Priore Provinciali una cum duodecim aliis Religioſis antiquioribus, ac in Conventu principali fieret, ipſique Priores poſtea dictum votum, ſive ſuffragium in Capitulo pręfato libere ferre poſſent. Porro hoc minime obſtante, ſępe prętenſum fuerat, illam electionem Prioris Provincialis fuiſſe nullam, quę celebrari contigiſſet in aliqua ex dictis Provinciis cum voto, ſive ſuffragio Priorum, ſeu Vicariorum domorum, ſeu Conventuum, in quibus non alebatur ſaltem octo Religioſorum numerus, juxta pręſcriptum quarundam literarum ſimilis memorię Pauli PP. V etiam Prędeceſſoris noſtri, die XXIII Septembris MDCXI in ſimili forma Brevis pariter expeditarum, per quas ſtatuebatur, ut Conventus pręfati, qui numerum octo Religioſorum ſuſtentare non potuiſſent, ſupprimi deberent. Si vero id executioni demandari non valuiſſet, Regulares ad alios Conventus, ſeu ad alias domos Regulares transferrentur. Itaut in partibus Indiarum non reperiretur Monaſterium, aut Regularis domus, in quo, ſeu qua minor numerus octo Monachorum, ſeu Fratrum Regularem vitam duceret, & alias prout in ſupradictis Clementis, binis Pauli III, Gregorii, Pauli V, & Alexandri Prędeceſſorum pręfatorum expeditis literis, quarum tenores pręſentibus pro expreſſis, & inſertis haberi volumus, uberius dicebatur contineri, & in eadem expoſitione ſubjuncto, quod memorati Pauli V Prędeceſſoris literę aliis ſupradictis, & prę ceteris illis ejuſdem Alexandri Prędeceſſoris literis, quę poſterius emanarunt, adverſabantur, minuſque ejuſmodi Pauli V Prędeceſſoris literę, quarum executio, arbitrio Epiſcoporum tunc in eiſdem partibus exiſtentium commiſſa fuerat, ut ſi ita pro divini cultus augmento, & regularis diſciplinę obſervantia expedire judicaſſent, ſuper quo eorum conſcientia onerabatur, ab eis executioni minime demandatę reperiebantur, ac ex diurna experientia compertum fuerat, quod eędem Pauli V Prędeceſſoris literę tunc producebantur, quando prętendentes agnoſcebant, ſe, votum ferentibus, vel non ferentibus dictis Prioribus, poſſe includi, vel excludi, adeo ut hoc tantum tenderet ad perturbandas dictas Provincias, & ad fovendas continuas diſcordias inter Religioſos, & ad validandam, vel annullandam ad proprium libitum electionem. Proindeque eidem Congregationi Cardinalium ſupplicato, ut ipſa circa pręmiſſa ſolitum juxta antiquam praxim Ordinis, & Provinciarum pręfatarum ſervari mandaret, nempe, ut pręfatis Pauli V Prędeceſſoris literis minime obſtan-

obſtantibus, domus, ſeu Conventus, in quibus tametſi numerus octo Religioſorum non aleretur, vel ſuſtentaretur, in priſtino ejus ſtatu conſervarentur, attenta ſpirituali utilitate, quę ex aſſiſtentia, & fervore memoratorum Religioſorum in inſtruendis in Myſteriis Fidei populis earundem partium proveniebat, prout Venerabilis Frater modernus Archiepiſcopus Sanctę Fidei in eiſdem Indiis pręfatę Congregationi Cardinalium retulerat, ac inſuper, ut hujuſmodi domorum, ſeu Conventuum Priores, & Vicarii voce, ſive ſuffragio in electionibus Priorum Provincialium in poſterum gaudere deberent. Itaut electiones juxta tenorem Clementis, Pauli III, Gregorii, & Alexandri Prędeceſſorum pręfatorum literarum exinde faciendę, pro validis, & Canonicis haberentur. Emanavit ab eadem Congregatione decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita, ad quam Sanctiſſimus Dominus Noſter ſupplicem hunc libellum remiſit, audito Patre Magiſtro Generali Ordinis, referente Eminentiſſimo de Abdua, cenſuit, ac decrevit, ſervandum ſolitum, non obſtante enunciato Brevi Pauli V, & aliis quibuſcunque. Romę X Junii MDCCXII. G. Cardinalis Carpineus. F. A. Nicęnus Secretarius. Locus † ſigilli. Cum autem, ſicut dictus Didacus Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri plurimum deſideret. Nos ipſius Didaci votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, decretum pręinſertum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate memoratę Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Provinciarum, & Ordinis pręfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die II Julii MDCCXII, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

F. Oliverius.

1. *Electione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III:*

2. *Archivo.*) In quo exemplaria authentica. *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum fuit anno *MDCCXII*. Legitur in *Bullario Clementis XI pag.* 142.

Anno 1712 Die 9 Julii.

XLIII.

Indulgentia pro Feſto S. Pii (1) V.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm Nos nuper ad honorem Sanctiſſimę, & individuę Trinitatis, ad exaltationem Catholicę Fidei, & Chriſtianę Religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Alma Urbe noſtra exiſtentium conſilio, Beatum Pium PP. Quintum Prędeceſſorem noſtrum, qui dum in minoribus conſtitutus erat, profeſſionem regularem in Ordine S. Dominici emiſit, auctoritate Nobis a Domino tradita, Sanctum eſſe decreverimus, & definiverimus, ac Sanctorum Catalogo ſolemni ritu adſcripſerimus; Et, ſicut accepimus, dilecti filii Fratres Conventuum, & dilectę in Chriſto filię Moniales Monaſteriorum Ordinis pręfati, Solemnitatem, ſeu Feſtivitatem Canonizationis ejuſdem S. Pii V in ſuis reſpective Eccleſiis celebrare intendant. Nos ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris, pia charitate intenti, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Eccleſias quorumcunque Conventuum, Monaſteriorum, & Domorum Regularium, tam Fratrum, quam Monialium dicti Ordinis ubicunque locorum exiſtentes, die, quo Solemnitas, ſeu Feſtivitas Canonizationis hujuſmodi ibidem reſpective celebrabitur, vel aliquo ex ſeptem diebus immediate ſequentibus devote viſitaverint, ac ibidem pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum pre-

preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Prẹſentibus pro unica vice quoad Eccleſias prẹfatas, earumque ſingulas valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, prẹſentatione, admiſſione, ſeu publicatione prẹſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, prẹſentes nullẹ ſint; Utque earundem prẹſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonẹ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutẹ munitis, eadem prorſus fides in Judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quẹ haberetur ipſis prẹſentibus, ſi forent exhibitẹ, vel oſtenſẹ. Datum Romẹ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IX Julii MDCCXII, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

F. Oliverius.

1. *S. Pii.*) Conſulenda Conſtitutio *XL.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar authenticum typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum, anno *MDCCXII.*

Anno 1712 Die 13 Julii.

XLIV.

S. Pium V (1), Ordinis Prædicatorum, ſolemni ritu Sanctorum faſtis aſcriptum fuiſſe nunciat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Cariſſimo in Chriſto filio Noſtro, Carolo (3) Hiſpaniarum Catholico, necnon Hungariẹ, & Bohemiẹ Regi illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS PP. XI.

Cariſſime in Chriſto fili Noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUmmo cum animi gaudio percepimus ea ipſa die, nimirum die Sanctiſſimẹ Trinitati Sacra, qua Nos nova Catholicẹ Eccleſiẹ prẹſidia e Cẹlo quẹſituri, quatuor ſplendidiſſima lumina Sanctitatis, hoc eſt: Pium Quintum Pontificem, Andream Avellinum, & Felicem a Cantalicio Confeſſores, & Catharinam de Bononia Virginem, ſolemni ritu Sanctorum faſtis adſcripſimus: Majeſtatem quoque Tuam inclyti Hungariẹ Regni Regalem coronam more Majorum, plaudente omnium Ordinum, ſubditorumque cẹtu, ac exultante Religione ſuſcepiſſe. Nec ſane abſque Divinẹ Providentiẹ conſilio factum arbitramur, ut eadem dies huic Sanctẹ Sedi, ẹque ac Regio Hungariẹ Throno, lẹta adeo & triumphans acciderit; ut ſcilicet qui ſpeciali arctoque nexu, ab antiquis temporibus inter ſe conjuncti ſunt, pari quoque ſucceſſuum felicitate conjungerentur: quandoquidem, ſicuti vetera tum ſacrẹ, tum prophanẹ Hiſtoriẹ monumenta teſtantur, qui primus in Hungariam Chriſti fidem, & regium nomen invexit, Sanctus Rex Stephanus, regia corona a Romano Pontifice impetrata, ejuſque juſſu in Regem inunctus, Regnum ipſum Apoſtolicẹ ſedi humiliter obtulit. Eo itaque peculiari, prẹter alia plurima, nomine fauſtum hunc eventum Majeſtati Tuẹ effuſẹ, ac prorſus ex animo gratulamur, & de eximia, avitaque pietate tua Nobis grandia quẹque polliciti, magnam in ſpem adducimur fore, ut, quẹ intra ejuſdem Regni fines, quẹ hẹreticorum dolis afflicta, quẹ Turcarum oppreſſa jugo jacet & ſervit Catholica fides, dexterẹ tuẹ potentia aliquando ſublevetur, ac Te vindice, captiva filia ſolvat vincula colli ſui. Hoc a te flagitant, cariſſime in Chriſto fili noſter, pia monita, quẹ per Sacerdotale Miniſterium in ipſo inaugurationis actu Tibi Eccleſia denunciavit. Hoc debes auſpiciis, quibus eidem inaugurationi tuẹ plaudit Chriſtiana Reſpublica. Hoc a te prẹſtolantur clariſſimis Majorum tuorum exemplis, conſona bonorum omnium vota. Hanc demum a Te poſtulat vicem, qui Te tot, tantiſque muneribus extulit, quique interrogabit opera Regum, & cogitationes ſcrutabitur. Nos interea Thronum ejuſdem Regis Regum humilibus enixiſque precibus adire non omittemus, ut de theſauris ſuis abundantius largiri Tibi dignetur ſpiritum conſilii, & fortitudinis, ſpiritum ſapientiẹ, & intellectus, quatenus ea omnia, quẹ Divini ſui nominis gloriam, ſanctẹque Fidei, & Eccleſiẹ incrementa reſpiciunt, animo concipere, ac re ipſa exequi ſtrenue poſſis. Et Majeſtati Tuẹ Apoſtolicam Benedictionem, cum perpetuo felicitatis tuẹ voto conjunctam, amantiſſime impartimur. Datum Romẹ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII Julii MDCCXII, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *S. Pium V.*) Conſulenda Conſtitutio *XL.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur *Tomo II Epiſtol.*, & *Brevium Select. Clementis XI pag.* 195.

3. *Carolo.*) Ex nobiliſſima gente *Auſtriaca.*

De-

DECRETUM

Anno 1712 Die 27 Auguſti. XLV.

In cauſa Uratislavien. Beatificationis, & Canonizationis Beati Ceslai (1) Odrovantii Ordinis Prędicatorum.

Ex Bullario Clementis XI pag. 569.

PRopoſito per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum D. Cardinalem Barberinum Cauſę Beatificationis, & Canonizationis B. Ceslai Odrovantii prędicti Ponentem, ſeu Relatorem in Sacrorum Rituum Congregatione ordinaria, Dubio: An ſententia Reverendiſſimi Suffraganei Uratislavien. Judicis Delegati, lata ſuper Cultu immemorabili, & caſu excepto a Decretis felicis recordationis Urbani VIII, ſit confirmanda, vel infirmanda in caſu &c. Sac. eadem Rituum Congregatio, ad inſtantiam Reverendiſſimi Patris Antonini Cloche (2) Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum, prout etiam R. P. Magiſtri Thomę Ripoll Sacerdotis profeſſi ejuſdem Ordinis, Provincialis Terrę Sanctę, & hujuſmodi cauſę Poſtulatoris, audito prius tam in voce, quam in ſcriptis D Comite Proſpero de Lambertinis Sacrę Conſiſtorialis Aulę Advocato, ac Fidei Promotore, cenſuit reſpondendum, ſententiam Suffraganei eſſe confirmandam, ſi Sanctiſſimo D N. placuerit. Die XX Auguſti MDCCXII. Factaque deinde de pręmiſsis per me Collicolam Prothonotarium Apoſtolicum, & modo exercentem vices Secretarii Congregationis Sacrorum Rituum, Sanctisſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die XXVII ejuſdem Menſis Auguſti, & Anni MDCCXII.

G. Card. Carpineus.

C. Collicola exercens vices R. P. D. Secretarii Congr. Sac. Rituum.

1. *B. Ceslai.*) Vide Notas ad *Conſtitutionem XXXIV Clementis VIII.* Legitur *T. V* hujuſce *Bullarii pag.* 512.
2. *Antonini Cloche.*) De quo in Notis ad *Conſtitutionem XXXV Innocentii XI pag.* 379 *&c.*

Indulgentia pro feſto S. Pii (1) V.

Anno 1713 Die 13 Januarii. XLVI.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. XI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

REdemptoris, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui glorioſos ſaluberrimorum, quę Nobis reliquit, exemplorum ſectatores altis decoravit honoribus, & cęleſtis beatitudinis conſortes effecit, vices licet immeriti gerentes in terris, Spiritualium munerum theſauros, quorum Nobis credita eſt diſpenſatio, libenter erogamus, ſicut ad excitandam, & fovendam erga eoſdem Beatos cęli Incolas, fidelium devotionem, ſalubriter expedire in Domino arbitramur. Cum itaque Nos nuper ad honorem Sanctisſimę & Individuę Trinitatis, ad exaltationem Catholicę Fidei, & Chriſtianę Religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Alma Urbe noſtra tunc exiſtentium conſilio, Beatum Pium PP. V Prędeceſſorem noſtrum, qui in minoribus conſtitutus, religioſam vitam in Ordine Fratrum Prędicatorum profeſſus fuit, auctoritate Nobis a Domino tradita, Sanctum eſſe decreverimus, & definiverimus, illumque Sanctorum Cathalogo ſolemni ritu adſcripſerimus. Hinc eſt quod Nos ad augendam Fidelium Religionem, & Animarum ſalutem, cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, vere pęnitentibus, & confeſsis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis quorumcunque Conventuum, Monaſteriorum, & Domorum Regularium tam Fratrum, quam Monialium Ordinis prędicti hactenus erectis, & in poſterum quomodocunque erigendis, & ubicunque Locorum exiſtentibus, die quinta Maii Feſto ejuſdem Sancti Pii a primis Veſperis, uſque ad occaſum Solis Feſti hujuſmodi annis ſingulis, devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remisſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ipſarum pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XIII Januarii MDCCXIII, Pontificatus noſtri Anno Decimotertio.

F. Oliverius.

1. *S. Pii.*) Conſulenda Conſtitutio *XL.*
2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXIII.* Legitur in *Bullario Clementis XI pag.* 148.

Anno 1713 Die 17 Februarii.

De Officio S. Pii (1) ab omnibus recitando.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLVII.

URBIS, ET ORBIS.

UT magis, magiſque promoveatur cultus, ac veneratio, atque fidelium major devotio, erga S. Pium PP. V ex Ordine Prędicatorum a Sanctiſſimo D. N. Clemente PP. XI, nuper in Sanctorum albo ſolemniter adſcriptum, Reverendiſſimus P. Antoninus Cloche Magiſter Generalis totius prędicti Ordinis, eidem Sanctiſſimo demiſſe ſupplicavit, ut concedere dignaretur dictum S. Pium deſcribi in Martyrologio Romano die V Maii cum elogio Sanctitati Suę beneviſo, utque Officium ejuſdem S. Pii cum Oratione, & Lectionibus ſecundi Nocturni propriis, a Sacra Rituum Congregatione approbatis, & jam aliquibus Civitatibus, & Dięceſibus conceſſum, extendatur ad Eccleſiam univerſalem ſub ritu ſemiduplici de pręcepto, recitandum ab omnibus utriuſque ſexus, tam ſecularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, & cum Sanctitas Sua ſupplicationem, ac inſtantiam remiſerit ad Sacram Rituum Congregationem. Eadem Sacra Congregatio Oratoris inſtantię indulgeri poſſe cenſuit, tam pro appoſitione in Martyrologio dicti S. Pii cum elogio, quam pro extenſione Officii cum Oratione, & Lectionibus propriis ſecundi Nocturni ad Eccleſiam univerſalem ſub ritu ſemiduplici de Pręcepto, ut ſupra recitandi, ſi Sanctiſſimo D. N. videbitur. Die XXVI Januarii MDCCXIII. Factaque deinde per me infraſcriptum Proſecretarium, de prędictis Sanctiſſimo D. N. relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die XVII Februarii MDCCXIII.

G. Cardinalis Carpineus.

Loco † ſigilli.

C. Collicola Sac. Rit. Congreg. Proſec.

1. *S. Pii.*) Conſulenda Conſtitutio *XL.* 2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1713 Die 18 Februarii.

De Confraternitatibus (1) SS. Roſarii conſtituendis in Tunkini, & Sinarum Regnis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLVIII.

C L E M E N S PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Cloche Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, quod cum dilecti pariter filii Religioſi Miſſionarii dicti Ordinis in Tunkini, ac Sinarum Regnis, ob devotionem Chriſti fidelium utriuſque ſexus erga Sanctiſſimum Roſarium, ab eo facultatem erigendi, ſeu fundandi in illis Eccleſiis Confraternitates ejuſdem Sanctiſſimi Roſarii, petiiſſent, ipſe Antoninus Magiſter Generalis, qui vigore facultatis ſibi a Sede Apoſtolica attributa per ſe ipſum tantum Confraternitates hujuſmodi erigere, ac inſtituere poteſt, quo facilius, & quamcitius pio eorundem Miſſionariorum deſiderio, attenta immenſa illarum Provinciarum diſtantia, ſatisfacere valeat, facultatem delegandi ad pręmiſſum effectum Vicarios Provinciales dictorum Miſſionariorum immediatos Superiores, ſibi a Nobis concedi plurimum deſiderat; Nobis propterea idem Antoninus Magiſter Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Antoninum Magiſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum conſilio, eidem Antonino Magiſtro Generali quoad vixerit duntaxat petitam ſubſtituendi facultatem in ſupradictis Regnis pręfatos Vicarios Provinciales ad premiſſorum effectum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus. Ita tamen, ut ab eo ſubſtituti, ſeu deputati, alios ſubſtituere, vel ſubdelegare non poſſint, & quotannis eundem Antoninum Magiſtrum Generalem de Confraternitatibus erectis certiorem reddere teneantur, ac ſalva ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſto-

Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Februari MDCCXIII, Pontificatus noſtri Anno Decimotertio.

F. Oliverius.

1. *Confraternitatibus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXIII.* Legitur in *Bullario Clementis XI pag.* 149.

Anno 1713 Die 25 Februarii.

De SS. Roſarii Confraternitatibus (1) conſtituendis in Sinarum Regnis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLIX.

CLEMENS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Cloche Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod, cum in Sinarum Regnis inviolabilis mos vigeat, quod Eccleſiæ Chriſti fidelium, tam reſpectu ſitus, quam mulierum, inter eas, & Viros diſtinguantur, ita ut nec viri ad earundem Mulierum Eccleſias, nec prædictæ Mulieres ad illas virorum accedere valeant, ipſe Antoninus Magiſter Generalis, ne Mulieres hujuſmodi a participatione Indulgentiarum Sanctiſſimi Roſarii, cujus Confraternitates in Eccleſiis virorum erigi, illarumque erectio a Conſtitutionibus Apoſtolicis in una duntaxat Eccleſia cujuslibet Civitatis permitti ſolent, excludantur, eaſdem Indulgentias etiam ad Eccleſias prædictarum Mulierum, quarum non minor eſt erga idem Sanctiſſimum Roſarium devotio, per Nos extendi plurimum deſiderat; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos igitur ipſum Antoninum Magiſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum conſilio, eidem Antonino Magiſtro Generali, ac ei, quem ipſe in illis Regionibus delegaverit, facultatem erigendi in eodem loco unam pro viris, & alteram pro Mulieribus Confraternitatem Sanctiſſimi Roſarii, cum declaratione, quod tam viri, quam mulieres eiſdem Sanctiſſimi Roſarii Indulgentiis, in eorum reſpective Eccleſiis frui, poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus; Salva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium; Decernentes eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXV Februarii MDCCXIII, Pontificatus noſtri Anno Decimotertio.

F. Oliverius.

1. *Confraternitatibus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar authenticum, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXIII.* Legitur in *Bullario Clementis XI pag.* 149.

De

Anno 1713 Die 8 Aprilis.

De S. Pii (1) feſto celebrando die Quinta Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

L.

ORDINIS PRÆDICATORUM.

AD enixas ſupplicesſque preces Reverendiſſimi P. Antonini Cloche Magiſtri Generalis totius Ordinis Prędicatorum, quibus Sacrorum Rit. Congregationi humillime ſupplicatum fuit,ut Officium S. Pii PP. V, ſingulis Annis Die Quinta Maii ſub ritu, & octava Simplici, quibus celebrantur Feſta aliorum dicti Ordinis Sanctorum, ſolemni ritu Canonizatorum, & Miſſa reſpective celebrari in univerſa ſua religione, necnon ejuſdem S. Pii Nomen in Litaniis Sanctorum pro uſu ejuſdem Religionis, inter Sanctos Pontifices, & Confeſſores apponi poſſit, concedere dignaretur. Sac. eadem Rituum Congregatio Oratoris Inſtantiis, juxta petita benigne annuendum cenſuit. Die VIII Aprilis MDCCXIII.

G. Card. Carpineus.

Loco ✝ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Epiſcopus Liparitanus Sac. Rit. Congr. Profecr.

1. *S. Pii.*) Conſulenda Conſtitutio *XL.* 2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1713 Die 22 Aprilis.

Fratres Provinciæ Philippinarum laudibus ampliſſimis ornat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LI.

Dilectis filiis Priori Provinciali, & ceteris Religioſis viris Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſoribus, Provincię Sanctiſſimi Roſarii nuncupatę, in Inſulis Philippinis.

CLEMENS PP. XI.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUę de ſingulari pietate veſtra, ac plane prętanti erga Nos, atque Sanctam hanc Sedem devotione, non ſemel commemorari audivimus, cum Ordinis, quem ſummopere diligimus, laudibus ſuffragentur, uberem Nobis gaudii materiam attulerunt. Gratum autem in primis, ac pręter modum acceptum Nobis fuit, quod pię memorię Cardinali de Tournon (3), cujus nomen in benedictione eſt, ſimulque Vicariis Apoſtolicis iſtarum partium, debitam obedientiam alacriter omni tempore pręſtiteritis, eiſque ſincera, incorruptaque fide, ut par erat, ſemper adhęſeritis. Quin etiam ſtantes in magna conſtantia adverſus eos, qui vos anguſtiaverunt, vincula, exilia, aliaque mala plurima, infracto excelſoque prorſus animo ſuſtinueritis. Eſt propterea, cur, tot pręclaris documentis comprobatam virtutem veſtram peculiari, hoc gratę, ac in vos admodum propenſę mentis noſtrę teſtimonio proſequamur, ſimulque partam vobis, non levem apud veros Eccleſię filios Chriſtianę fortitudinis ac zeli laudem, impenſe gratulemur. Ceterum paternę benevolentię noſtrę luculentiora, quotieſcunque occaſio ſuppetet, vobis non deerunt argumenta, ejuſque interea pignus, nonnulla vobis mittimus ſacra munera, quę religioſis animis veſtris pergrata fore minime dubitamus: Vobis demum, dilecti filii, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur, bonorumque omnium largitorem Deum humiliter obſecramus, ut cęleſtium chariſmatum donis vos uberius in dies cumulet. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII Aprilis MDCCXIII, Pontificatus noſtri Anno Decimotertio.

1. *Ornat.*) Conſulendus *Franciſcus* noſter *Gonzalez a Sancto Petro*, qui de geſtis in *Sinarum* Regnis Relationem vulgavit. De *Franciſco* loquens *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCCXII pag.* 781. hæc habet: *Clemens XI accepta hac relatione, Priori Provinciali, ceteriſque Provinciæ Philippinarum Ordinis Prædicatorum Profeſſoribus, Breve ſcripſit datum Romæ XXII Aprilis MDCCXIII, quo de obedientia Cardinali de Tournon, Vicariiſque Apoſtolicis alacriter omni tempore præſtita, ac vinculis, exiliis, aliiſque malis plurimis ſibi ea de cauſa inflictis, infractoque animo perpeſſis gratulatur.*

2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar authenticum. Legitur in actis Capituli Provincialis Provinciæ *Philippinarum*, die VII Maii MDCCXVIII *Manilæ* celebrati. Typis impreſſi ſervantur in Archivo Ordinis. Exemplar autenticum in membranis habetur quoque in Bibliotheca Caſanatenſi Ordinis, inter libros Sinicos impreſſos &c.

3. *Cardinali de Tournon.*) De quo audiendus ipſemet *Clemens XI* Cardinales alloquens his verbis:

Verba per Sanctiſſimum Dominum noſtrum Clementem Papam XI, habita in Conſiſtorio ſecreto fer. IV, XIV Octobris MDCCXI.

De obitu Cardinalis de Tournon.

VEnerabiles Fratres. Sępius Nos ex hoc loco publica mala deflevimus: domeſticam hodie, noſtram ac veſtram itidem jacturam dolemus, niſi tamen, & publica dici illa mereatur, quę cum noſtra, & veſtra ſit, cenſeri etiam debet univerſę Eccleſię calamitas. Bene jam intelligitis, de acerbo Nos obitu

Caroli

Caroli Thomę Cardinalis de Tournon verba facturos. Amiſimus, venerabiles Fratres, amiſimus Orthodoxę Religionis zelatorem maximum: Pontificię auctoritatis intrepidum defenſorem: eccleſiaſticę diſciplinę aſſertorem fortiſſimum: magnum Ordinis veſtri lumen, & ornamentum. Amiſimus filium noſtrum, Fratrem veſtrum, plurimis, quos pro Chriſti cauſa ſuſcepit, laboribus attritum: diuturnis, quas pertulit, ęrumnis confectum: contumeliis, quas forti, magnoque animo ſuſtinuit, innumeris, velut aurum in fornace probatum. Hęc tamen ſi recte perpendantur, tantum abeſt, ut ad cumulandum luctum noſtrum ſint apta, ut potius omnem doloris ſenſum ab animis noſtris abſtergant. Neque enim, juxta monitum Apoſtoli, contriſtari de dormientibus debemus, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent. Pretioſam in conſpectu Domini piiſſimi Cardinalis mortem fuiſſe, juſte ſperare Nos jubet eximius ille Catholicę Fidei propagandę zelus, quo ubi primum ad Apoſtolicum Miniſterium a Deo vocatus per Nos fuit, illico humiliter obtemperans, Aulam, Urbem, Parentes, Conſanguineos, Amicos, eaque omnia, quę natura cuique gratiſſima facit, alacri, ſicuti noſtis, animo dereliquit, longiſſimoque itineri, ac periculorum pleno ſe committere non dubitavit. Sperare Nos jubet ardens illa caritas, qua tot remotiſſimis Terrarum, Mariumque ſpatiis peragratis, nunquam fecit animam ſuam pretioſiorem, quam ſe: ac foras miſſo timore, loquutus fuit de teſtimoniis Domini in conſpectu Regum, & non fuit confuſus, ſemperque in tribulationibus gaudens, pergratum Deo, & Angelis ejus ſpectaculum exhibuit. Sperare Nos jubet excelſus ille humanarum rerum contemptus, quo ampliſſimam dignitatem, ad quam ſuis ita abunde exigentibus meritis, a Nobis evectus fuerat, & a qua nihil aliud, quam pro Eccleſia, & pro Chriſto uſque ad ſanguinis effuſſionem incluſive, imperterrite decertandi onus, ac monitum acceperat, dimiſſurum ſe potius, quam in Europam, Miſſionibus Sinicis derelictis, remigraturum, ſerio ad Nos ſcripſit, & palam profeſſus fuit. Sperare Nos jubet ſingularis illa pietas, qua in ſupremis ſuis tabulis, relicta pauperibus pecunia, conſanguineis legata Cruce, propagandę Fidei opus vere ſanctiſſimum ex aſſe ſcripſit hęredem: illuſtre nobis documentum relinquens, quę, & qualia eſſe debeant eorum teſtamenta, qui de Altari vixerunt, & Eccleſię miniſteriis ſe addixerunt. Sperare Nos demum jubet invicta illa Sacerdotalis roboris conſtantia, qua vir vere Apoſtolicus, tametſi ſuſtentaretur pane tribulationis, & aqua anguſtię, officium tamen ſuum nunquam dimiſit, ac non minus diuturnę cuſtodię injuriis, quam aliis graviſſimis vexationibus, ad ſupremum uſque vitę ſpiritum fortiter toleratis, bonum certamen certavit, curſum conſummavit, fidem ſervavit. Quid ergo reliquum eſt, niſi quod & merito etiam ſperemus, repoſitam ei fuiſſe coronam juſtitię? Ita ſane, & juſte ſperare nos convenit. Verum quia id facit humana fragilitas, ut de mundano pulvere etiam religioſa corda ſępe ſordeſcant, noſtras pro defuncti Cardinalis anima ad Deum preces, atque ſuffragia deeſſe, chriſtianę caritatis ratio non patitur. Id, & privatim hactenus Nos ipſi ſępius agere non omiſimus, ac, ut aliquid pręter morem erga inſuetę virtutis viri memoriam peragamus, publicis inſuper in Pontificio noſtro Sacello Exequiis, ſtata die vobis indicenda ſolemni ritu pręſtabimus. Firmam interim in ſpem adducimur, fore, ut Cardinalis de Tournon Sinenſem Miſſionem, quam vivens dilexit, etiam e cęleſti ſtatione, benigno vultu reſpicere non dedignetur, ſuaque ope id in primis efficiat, ut quod ipſe anxiis adeo votis exoptavit, avulſis tandem ex illo agro, quę inimicus homo ſuperſeminavit, zizaniis, Catholicę Fidei ſeges illic refloreſcat, & ad majorem divini nominis gloriam uberius in dies multiplicetur.

Anno 1713 Die 8 Julii.

Elogium S. Pii (1) in Romano Martyrologio inſcribendum.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LII.

Urbis, & Orbis.

S. PII PP. QUINTI.

CUm Sac. Rituum Congregatio, ſub die XXVIII Januarii MDCCXIII Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Card. S. Clementis, inſtantiam R. P. Generalis Ordinis Prędicatorum pro Elogio S. Pii V in Martyrologio apponendo, nonnulliſque verbis in Lectionibus Secundi Nocturni apponendis, remiſerit; idemque Eminentiſſimus & Reverendiſſimus D. Cardinalis, ſequens Elogium pro Martyrologio, videlicet. Romę S. Pii PP. V ex Ordine Prędicatorum, qui Eccleſiaſticę Diſciplinę reſtituendę, hęreſibus extirpandis, & chriſtiani nominis hoſtibus conterendis, ſtrenue ac feliciter incumbens, vitę, ac legum Sanctitate Catholicam Eccleſiam gubernavit: Necnon pro tertia Lectione Secundi Nocturni poſt illa verba: Multis a Deo ejus Interceſſione patratis Miraculis, infraſcripta nempe: Quibus rite probatis a Clemente XI Pontifice Maximo Sanctorum numero adſcriptus eſt, a ſe diligenter reviſa, in eadem Sac. Rituum Congregatione pro approbatione retulerit. Eadem Sac. Congregatio, tum Elogium, tum verba prędicta approbavit, & in Martyrologio, & Lectionibus apponi, imprimique poſſe conceſſit, ſi Sanctiſſimo placuerit. Die Prima Julii MDCCXIII. Et facta deinde per Me Infraſcriptum Proſecretarium Sanctiſſimo D. N. de prędictis relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die Octava Menſis Julii, & Anni MDCCXIII.

G. Card. Carpineus.

Loco ✝ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Epiſcopus Liparitanus Sac. Rit. Cong. Profec.

1. S. Pii.) Conſulenda Conſtitutio XL.

2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur in *Bullario Clementis XI pag.* 569.

Ura-

Anno 1713 Die 6 Septembris. LIII.

Uratiſlavien. Canonizationis B. Ceſlai (1) Odrovantii Ordinis Prædicatorum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

RElatis, ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Cardinali Barberino, precibus ex parte R. P. Antonini Cloche Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum, nomine totius ſuę Religionis Sanctiſſimo D. N. porrectis, & a Sanctitate Sua ad Sac. Rituum Congregationem remiſſis, quibus humillime ſupplicatur; ut nedum in toto prędicto Ordine, verum etiam in Civitate, & Diœceſi Wratiſlavien., Officium, & Miſſam de B. Ceſlao ejuſdem Ordinis Prędicatorum, ſingulis annis, ab omnibus, tam dicti Ordinis Religioſis, quam etiam Eccleſiaſticis prędictę Civitatis, & Diœceſis Wratiſlavien., qui ad horas Canonicas tenentur, die ipſius Feſto, recitandum, & reſpective celebrandam concedere dignaretur. Sac. eadem Rituum Congregatio, audito prius, tam in ſcriptis, quam in voce R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore, gratiam petitam concedendam eſſe cenſuit, ſi Sanctiſsimo D. N. viſum fuerit. Die XXVI Auguſti MDCCXIII. Factaque deinde per Me Profecretarium, de prędictis Sanctiſsimo D. N relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, prędictumque officium de communi Confeſſorum non Pontificum pro Civitate, & Diœceſi Wratiſlavien. ſub ritu Semiduplici, pro Religione vero Prędicatorum ſub ritu Duplici celebrari conceſſit. Die VI Septembris ejuſdem Anni MDCCXIII.

G. Card. Carpineus.

Loco ✝ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Epiſcopus Liparitanus Sac. Rit. Congr. Profec.

1. *B. Ceſlai.*) Conſulenda Conſtitutio *XLV.* 2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1713 Die 11 Octobris.

De electione (1) Provincialium Indiarum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LIV.

CLEMENS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ALias pro parte Provinciarum Sancti Antonini novi Regni Granatenſis, & Sanctę Crucis Ordinis Fratrum Prędicatorum in Indiis Occidentalibus Nobis expoſito, quod licet praxis inconcuſſa inoleviſſet, Priores, ſeu Vicarios illorum Conventuum, ſeu domorum, tametſi ſufficientem Religioſorum numerum minime alerent, itaut in nonnullis ex eiſdem Conventibus, quatuor Religioſi, ac etiam unus uti Prior, ſeu Vicarius permanſerit, ad Provincialia Capitula cum voto, & loco in Superioris Provincialis electione, juxta etiam approbationem felicis recordationis Clementis VII, Pauli III, Gregorii XIII, & Alexandri etiam VII Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum ſemper acceſſiſſe, nihilominus nonnullis ab hinc annis, ab aliquibus factionariis ſcandaloſe prętenſum fuerat, Provincialium, ſeu Vicariorum electiones, cum voto, & ſuffragio eorundem Priorum, ſeu Vicariorum ſic celebratas, nullas & irritas fuiſſe, & quidem vigore quarundam pię memorię Pauli PP. V pariter Prędeceſſoris noſtri, deſuper in ſimili forma Brevis, die XXIII Decembris MDCXI expeditarum literarum, quibus prędcribitur, quod dicti Conventus, ſeu Domus, numerum ſaltem octo Religioſorum alere non valentes, perpetuo ſupprimi, aut Fratres in tam exiguo numero inibi viventes ad alios Conventus, ubi regularis viget obſervantia, transferri deberent. Et in eadem expoſitione ſubjuncto, quod ejuſdem Pauli V Prędeceſſoris literas hujuſmodi per Epiſcopos, & Archiepiſcopos earundem Indiarum, quorum arbitrio illarum executio remiſſa fuerat, executioni unquam demandatas fuiſſe, non conſtabat. Imo Venerabilis Frater Archiepiſcopus Sanctę Fidei infraſcriptę Cardinalium Congregationi, per peculiares literas ipſi directas, retulerat impoſſibile prorſus fore ad earum executionem devenire. Ideoque earundem Provinciarum nomine Nobis ſupplicato, ut in dictis Provinciis tam circa permanentiam memoratorum Conventuum, quam acceſſus, & ſuffragia danda, ab illorum Prioribus, & Vicariis in ejuſmodi Capitulis Provincialibus, non obſtantibus prędictis Pauli V Prędeceſſoris ſolitum ſervari mandaremus. Nos controverſiam hujuſmodi, ad Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitorum, examinandam remiſimus; Ipſa vero Congregatio, per ſuum decretum die X Junii anni proxime pręteriti emanatum, reſcripſit, quod ſolitum ſervaretur, prędictis Pauli V Prędeceſſoris literis, & aliis quibuſcunque non obſtantibus. Cum autem, ut dilectus filius modernus Procurator Generalis dicti Ordinis, Nobis nuper exponi fecit, eędem prętenſiones, & ſcandala in omnibus aliis dictarum Indiarum Occidentalium Provinciis prędicti Ordinis vigeant, ſeu irrepant, ac proinde in illis, id quoque quod pro prędictis Provinciis Sancti Antonini, & Sanctę Crucis decretum fuit ſervari plurimum deſideret. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in prędmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum prę-

prę ſentium duntaxat conſequendum , harum ſerie abſolventes , & abſolutum fore cenſentes , hujuſmodi ſupplicationibus inclinati de ſupradictę Congregationis Cardinalium conſilio , ut de cetero in reliquis earundem Indiarum Occidentalium Provinciis ejuſdem Ordinis prędictis Pauli V Prędeceſſoris literis , & aliis quibuſcunque minime obſtantibus , ſervetur ſolitum , Apoſtolica auctoritate , tenore prę ſentium decernimus , & declaramus , ſalva tamen ſemper in prę miſsis auctoritate ejuſdem Congregationis Cardinalium. Decernentes pariter eaſdem prę ſentes literas ſemper firmas , validas , & efficaces exiſtere , & fore, ſuoſque plenarios , & integros effectus ſortiri , & obtinere , ac illis ad quos ſpectat , & pro tempore quomodocunque ſpectabit , in omnibus , & per omnia pleniſſime ſuffragari , & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari ; Sicque , in prędictis per quoſcunque Judices ordinarios , & delegatos , etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari , & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his , a quoquam , quavis auctoritate , ſcienter , vel ignoranter contigerit attentari . Non obſtantibus prędictis , ac conſtitutionibus , & ordinationibus Apoſtolicis , ac Provinciarum , & Ordinis prędictorum , etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis , ſtatutis , & conſuetudinibus , privilegiis quoque , indultis , & literis Apoſtolicis in contrarium prę miſſorum quomodolibet conceſſis , confirmatis , & innovatis . Quibus omnibus , & ſingulis , illorum tenores prę ſentibus , pro plene , & ſufficienter expreſſis , ac de verbo ad verbum inſertis habentes , illis alias in ſuo robore permanſuris , ad prę miſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter , & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque . Volumus autem , ut prę ſentium literarum tranſumptis , ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis , & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur , quę prę ſentibus ipſis adhiberetur , ſi forent exhibitę , vel oſtenſę . Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI Octobris MDCCXIII , Pontificatus noſtri Anno Decimo tertio .

F. Oliverius .

1. *Electione .)* Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo .)* In quo autographum .

Anno 1713 Die 18 Octobris .

De B. Ceslai (1) Officio recitando .

Ex Archivo (2) Ordinis .

LV.

CLEMENS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

NUper ad ſupplicationem dilecti filii Antonini Cloche Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum emanavit a Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus prępoſitorum decretum tenoris , qui ſequitur , videlicet : Wratiſlavien. , Canonizationis Beati Ceslai Odrovantii Ordinis Fratrum Prędicatorum. Relatis ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinale Barberino, precibus ex parte Reverendiſſimi P. Antonini Cloche Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum nomine totius ſuę Religionis Sanctiſſimo D. Noſtro porrectis, & a Sanctitate Sua ad Sacrorum Rituum Congregationem remiſſis , quibus humiliter ſupplicabatur, ut nedum in toto prędicto Ordine, verum etiam in Civitate , & Dięceſi Wratiſlavien. Officium , & Miſſam de B. Ceslao ejuſdem Ordinis Prędicatorum ſingulis annis ab omnibus , tam dicti Ordinis Religioſis , quam etiam eccleſiaſticis prędictę Civitatis, & Dięceſis Wratiſlavien. , qui ad horas canonicas tenentur , die ipſius feſto recitandum , & reſpective celebrandam , concedere dignaretur . Sacra eadem Rituum Congregatio , audito prius , tam in ſcriptis , quam in voce R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei promotore , gratiam petitam concedendam eſſe cenſuit , ſi Sanctiſſimo D. N. viſum fuerit . Die XXVI Auguſti MDCCXIII . Factaque deinde per me Proſecretarium de prędictis Sanctiſſimo D. N. relatione , Sanctitas Sua , benigne annuit , prędictumque Officium de Communi Conf. non Pontif. pro Civitate , & Dięceſi Wratiſlavien. ſub Ritu ſemiduplici , pro Religione vero Prędicatorum ſub Ritu duplici recitari , & Miſſam reſpective celebrari conceſſit die VI Septembris ejuſdem anni MDCCXIII . G. Card. Carpineus . Loco † ſigilli . N. M. Tedeſchi Epiſcopus Liparitan. Sac. Rit. Cong. Proſec. (3) . Cum autem , ſicut dictus Antoninus Magiſter Generalis Nobis ſubinde exponi fecit , ipſe decretum hujuſmodi , quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri ſummopere deſideret . Nos ipſum Antoninum Magiſtrum Generalem ſpecialis favore gratię proſequi volentes , & a quibuſvis excommunicationis , ſuſpenſionis , & interdicti , aliiſque eccleſiaſticis ſententiis , cenſuris , & pęnis , a jure , vel ab homine , quavis occaſione, vel cauſa latis , ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit , ad effectum prę ſentium duntaxat conſequendum , harum ſerie abſolventes , & abſolutum fore cenſentes , ſupplicationibus ejus nomine ſuper hoc humiliter porrectis inclinati , decretum pręinſertum , auctoritate Apoſtolica , tenore prę ſentium approbamus , & confirmamus , illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus , ſalva tamen ſemper in prę miſſis auctoritate memoratę Congregationis Cardinalium . Decernentes eaſdem prę ſentes literas ſemper firmas , validas , & efficaces exiſtere , & fore , ſuoſque plenarios , & integros effectus ſortiri , & obtinere , ac illis , ad quos ſpectat , & pro tempore ſpectabit , in omnibus , & per omnia pleniſſime ſuffragari , ſicque in prę miſſis per quoſcunque judices ordinarios , & delegatos , etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores , judicari , & definiri debere , ac irritum , & inane , ſi ſecus ſuper his , a quoquam , quavis auctoritate , ſcienter , vel ignoranter contigerit attentari . Non obſtantibus conſtitutionibus , & ordinationibus Apoſtolicis , ceteriſque contrariis quibuſcunque . Volumus autem , ut earun-

earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Octobris MDCCXIII, Pontificatus noſtri Anno Decimotertio.

F. Oliverius.

1. *Ceslai.*) Conſulenda Conſtitutio *XXXIV Clementis VIII T. V hujuſce Bullarii pag.* 512.
2. *Archivo.*) In quo autographum.
3. *Proſecretarius.*) Ab annis multis Secretarii munere fungitur Præſul ampliſſimus, præclaris dotibus, quibus præſtat conſpicuus.

Anno 1714. Die 26 Martii.

LVI.

Indulgentia pro die XVI Julii, qua primo celebratum fuit feſtum B. Ceslai (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLEMENS PP. XI.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, vere pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum Ordinis Prędicatorum ubique exiſten., die decima ſexta proxime venturi menſis Julii, a primis veſperis, uſque ad occaſum ſolis, diei hujuſmodi, devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus pro unica vice valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium, aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum, recipiatur, pręſentes nullę ſint, utque pręſentium tranſumptis, & exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Martii MDCCXIV, Pontificatus noſtri Anno Decimoquarto.

F. Oliverius.

1. *Ceslai.*) Conſulenda Conſtitutio *XXXIV Clementis VIII T. V hujuſce Bullarii pag.* 512.
2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar authenticum, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXIV.*

Anno 1714 Die 23 Junii.

LVII.

Limana Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei Fr. Johannis Maſſias (1) Laici Ordinis S. Dominici.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CUm ad inſtantiam P. Magiſtri Thomę Ripoll Ordinis S. Dominici Provincialis Terrę Sanctę, & cauſę Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei Fratris Johannis Maſſias prędicti Poſtulatoris ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Card. Caſino (3) ex diſpoſitione Apoſtolica abſque interventu Conſultorum in Sacra Rituum Congregatione ordinaria, propoſita fuerit hujuſmodi cauſa ſuper dubio: An conſtet de validitate Proceſſus remiſſorialis, & compulſorialis Limani in ſpecie, teſtes in eo examinati, & compulſati ſint rite, & recte examinati, necnon jura legitime compulſata in caſu, & ad effectum &c. Sac. eadem Rituum Congregatio, audito prius, tam in voce, quam in ſcriptis R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore cenſuit reſcribendum: affirmative: in omnibus, ſi Sanctiſſimo D. N. viſum fuerit. Die XVI Junii MDCCXIV. Factaque deinde per me Proſecretarium de prędictis Sanctiſſimo D. N. relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die XXIII ejuſdem Menſis, & Anni MDCCXIV.

F. Card. de Abdua Pręf.

Loco ✝ ſigilli.

N. M. Tedeſchi Epiſcopus Liparitanus Sac. Rit. Cong. Proſec.

1. *Johannis Maſſias.*) De cujus heroicis virtutibus Sacra Congregatio ſententiam brevi latura eſt.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *Caſino.*) Viro celeberrimo, Ordinis Capucinorum alumno.

Lima-

Limana Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei Fr. Martini de Porres (1) Religioſi Donati Profeſſi Ordinis S. Dominici.

Anno 1714 Die 5 Octobris.

LVIII.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CUm ex diſpenſatione Apoſtolica, abſque interventu Conſultorum in Sacrorum Rituum Congregatione ad inſtantiam Patris Magiſtri Thomę Ripoll Ordinis S. Dominici Provincialis Terrę Sanctę, & cauſę Beatificationis, & Canonizationis dicti Servi Dei Martini de Porres Poſtulatoris, ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Card. de Abdua propoſita fuerit cauſa ſuper dubio: An conſtet de validitate Proceſſuum, auctoritate Apoſtolica in ſpecie, & ordinaria reſpective conſtructorum, teſtes ſint rite, & recte examinati, & jura producta legitime compulſata in caſu, & ad effectum, de quo agitur. Sacra eadem Rituum Congregatio: audito prius, tam in ſcriptis, quam in voce R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore reſcribendum cenſuit: affirmative: Si Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit. Die XVIII Auguſti MDCCXIV. Factaque deinde per me Proſecretarium de prędictis Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione. Sanctitas Sua benigne annuit. Die V Octobris ejuſdem Anni MDCCXIV.

F. Card. de Abdua Pręf.

Loco ✝ ſigilli.

N. M. Thedeſchi Epiſcopus Liparitanus Sac. Rit. Cong. Proſec.

1. *Martini de Porres.*) Cujus vitam ſcripſere *Adrianus de Aleſſio, Johannes Vargas de Machuca*, & noviſſime clariſſimus noſter *Dominicus Ponſi*.

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Decernit omnimodam, abſolutam, integram, & inviolabilem obſervationem eorum, quæ de cæremoniis Sinenſibus (1) ſancita fuerunt.

Anno 1715 Die 19 Martii.

Ex Bullario Clementis XI pag. 205.

LIX.

CLEMENS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EX illa die, qua, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, Catholicę Eccleſię gubernacula, hoc eſt, munus, ſua amplitudine graviſſimum, ac temporum iniquitate moleſtiſſimum, Deo ſic diſponente, ſuſcepimus, nihil Nobis manum clavo admoventibus antiquius fuit, quam acerrimas contentiones jam pridem in Imperio Sinarum inter Apoſtolicos illarum partium Miſſionarios exortas, ſemperque in dies magis invaleſcentes, tam circa quaſdam voces Sinicas, ad Sanctum, & ineffabile Dei Nomen exprimendum inibi uſurpatas, quam circa nonnullos earum Gentium ritus, veluti ſuperſtitioſos a quibuſdam ex Miſſionariis prędictis reprobatos: ab aliis vero, utpote eos civiles tantum aſſerentibus, permiſſos, Apoſtolici judicii cenſura opportune dirimere, ut ſublatis diſſidiis, Chriſtianę Religionis, Catholicęque Fidei propagationem turbantibus, omnes tandem id ipſum dicerent in eodem ſenſu, & in eadem ſententia, unoque ore glorificaretur Deus ab iis, qui ſanctificati ſunt in Chriſto Jeſu. Hoc conſilio reſponſa illa, quę ad varias quęſtiones ſuper ejuſmodi rebus excitatas, pręvio diuturno examine, dudum videlicet tempore felicis recordationis Innocentii Papę XII Prędeceſſoris noſtri inchoato, ac deinde juſſu noſtro per plures annos continuato, auditiſque utriuſque Partis rationibus, necnon complurium Theologorum & Qualificatorum ſententiis a Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium in tota Republica Chriſtiana Generalium Inquiſitorum adverſus hereticam pravitatem auctoritate Apoſtolica deputatorum data fuerunt, Nos die XX Novembris MDCCIV eadem auctoritate confirmavimus, & approbavimus. Ea autem, quę in reſponſis hujuſmodi decreta fuerunt, ſunt, quę ſequuntur. Cum Deus Optimus Maximus congrua apud Sinas vocabulis europęis exprimi nequeat: ad eundem verum Deum ſignificandum, vocabulum Tien Chu, hoc eſt Cęli Dominus, quod a Sinenſibus Miſſionariis, & Fidelibus longo, ac probato uſu receptum eſſe dignoſcitur, admittendum eſſe: nomina vero Tien Cęlum, & Xang Ti, Supremus Imperator, penitus rejicienda. Idcirco tabellas cum inſcriptione Sinica King Tien, Cęlum colito, in Eccleſiis Chriſtianorum appendi, ſeu jam appenſas in poſterum inibi retineri permittendum non eſſe. Ad hęc nullatenus, nullaque de cauſa permittendum eſſe Chriſti fidelibus, quod pręſint, miniſtrent, aut interſint ſolemnibus ſacrificiis, ſeu oblationibus, quę a Sinenſibus in utroque ęquinoctio cujuſcunque anni Confucio, & Progenitoribus defunctis fieri ſolent, tanquam ſuperſtitione imbutis. Similiter nec eſſe permittendum, quod in Ædibus Confucii, quę Sinico nomine Miao appellantur, iidem Chriſti fideles exerceant, ac peragant cęremonias, ritus, & oblationes, quę in honorem ejuſdem Confucii fiunt; tum ſingulis menſibus in Novilunio, & plenilunio a Mandarinis, ſeu primariis Magiſtratibus, aliiſque Officialibus, & Literatis, tum ab iiſdem Mandarinis, ſeu Gubernatoribus, ac Magiſtratibus, antequam dignitatem adeant, ſeu ſaltem poſt ejuſdem poſſeſſionem adeptam, tum denique a Literatis, qui poſtquam ad gradus ſunt admiſſi, e veſtigio ad Templum, ſeu Ædem Confucii ſe conferunt. Pręterea non eſſe permittendum Chriſtianis in Templis, ſeu Ædibus Progenitoribus dicatis oblationes minus ſolemnes eiſdem facere, nec in illis miniſtrare, aut quomodolibet inſervire, vel alios ritus, & cęremonias peragere. Item nec eſſe permittendum pręfatis Chriſtianis oblationes, ritus,

ritus, & cęremonias hujuſmodi coram Progenitorum tabellis in privatis domibus, ſive in eorundem Progenitorum ſepulchris, ſive antequam defuncti ſepulturę tradantur, in eorum honorem fieri conſuetas, una cum Gentilibus, vel ſeorſim ab illis peragere, eiſque miniſtrare, aut intereſſe. Immo prędicta omnia, utpote quę, perpenſis hinc inde deductis, necnon diligenter, ac mature diſcuſſis omnibus, ita peragi comperta ſunt,ut a ſuperſtitione,ſeparari nequeant, Chriſtianę Legis cultoribus nequidem permittenda eſſe pręmiſſa publica,vel ſecreta proteſtatione, ſe non religioſo, ſed civili, ac politico tantum cultu erga defunctos illa pręſtare, nec ab eis quidquam petere, aut ſperare. Non tamen per hęc cenſendam eſſe damnatam pręſentiam illam,ſeu aſſiſtentiam mere materialem,quam cum Gentilibus ſuperſtitioſa peragentibus, citra ullam, ſive expreſſam, ſive tacitam geſtorum approbationem, ac quovis miniſterio penitus ſecluſo, eiſdem ſuperſtitioſis actibus quandoque pręſtari contingat a Chriſtianis, cum aliter odia, & inimicitię vitari non poſſunt, facta tamen prius, ſi commode fieri poterit, fidei proteſtatione, ac ceſſante periculo ſubverſionis. Demum permittendum non eſſe Chriſti fidelibus tabellas defunctorum Progenitorum in ſuis privatis domibus retinere juxta illarum partium morem, hoc eſt, cum inſcriptione Sinica, qua Thronus, ſeu Sedes Spiritus, vel Animę N. ſignificetur, immo, nec cum alia, qua Sedes, ſeu Thronus, adeoque idem, ac priori, licet magis contracta inſcriptione, deſignari videatur. Quo vero ad tabellas ſolo defuncti nomine inſcriptas, tolerari poſſe illarum uſum, dummodo in eis conficiendis omittantur omnia, quę ſuperſtitionem redolent, & ſecluſo ſcandalo, hoc eſt, dummodo qui Chriſtiani non ſunt, arbitrari non poſſint tabellas hujuſmodi, a Chriſtianis retineri ea mente, qua ipſi illas retinent, necnon adjecta inſuper declaratione ad latus ipſarum tabellarum apponenda, qua, & quę ſit Chriſtianorum de defunctis fides, & qualis filiorum, ac nepotum in Progenitores pietas eſſe debeat, enuncietur. Per pręmiſſa nihilominus non vetari, quominus erga defunctos peragi poſſint alia, ſi quę ſint, ab iis gentibus, peragi conſueta, quę vere ſuperſtitioſa non ſint, nec ſuperſtitionis ſpeciem pręſeferant; ſed intra limites civilium, & politicorum Rituum contineantur. Porro quęnam hęc ſint, & quibus adhibitis cautelis tolerari valeant, tum pro tempore exiſtentis Commiſſarii, & Viſitatoris Generalis Apoſtolici, ſeu ejus vices exercentis in Imperio Sinarum, tum Epiſcoporum, & Vicariorum Apoſtolicorum illarum partium judicium relinquendum eſſe, qui tamen interea omni, quo poterunt, ſtudio, ac diligentia curare debebunt, ut gentium cęremoniis penitus ſublatis, illi ſenſim a Chriſtianis, & pro Chriſtianis hac in re uſu recipiantur Ritus, quos Catholica Eccleſia pro defunctis pie pręſcripſit. Poſt hęc vero labente fere ſexennio, nempe die XXV Septembris MDCCX, auditis iterum dictorum Cardinalium, qui rem mature, ac diligentiſſime diſcuſſerunt, ſuffragiis, eadem Reſponſa, necnon mandatum, ſeu decretum, quod illis expreſſe inherendo a pię recordationis Carolo Thoma, dum vixit, ejuſdem Sanctę Romanę Eccleſię Cardinali de Tournon nuncupato, tunc Patriarcha Anthiocheno, Commiſſario, & Viſitatore Apoſtolico Generali in pręfato Imperio Sinarum die XXV Januarii MDCCVII, editum fuit, ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectabat, inconcuſſe, & inviolabiliter ſub cenſuris, & pęnis in mandato, ſeu decreto hujuſmodi expreſſis obſervanda eſſe decrevimus, & declaravimus: quovis contrafaciendi quęſito colore, ſeu pretextu penitus ſublato, ac potiſſimum non obſtante quacunque appellatione a quibuſvis perſonis ad Nos, & Sedem Apoſtolicam interpoſita, quam propterea prorſus rejiciendam eſſe ſimiliter decrevimus, ac re ipſa rejecimus, prout in decreto hac de re edito fuſius continetur, Hęc omnia plene, & abunde ſufficere debuiſſent, ut ea, quę inimicus homo ſuperſeminaverat, zizania ex agro illo radicitus evellerentur, fideleſque omnes noſtris, & hujus S. Sedis mandatis, ea qua par erat, humilitate, & obedientia obſequerentur, pręſertim cum in calce Reſponſorum prędictorum a Nobis, ſicut pręmittitur, confirmatorum & approbatorum cauſam jam finitam eſſe apertis, & perſpicuis verbis pronunciatum fuerit. Verum cum, ſicuti ex eiſdem partibus, non ſine intimo animi noſtri dolore, ad noſtri pervenit Apoſtolatus auditum, tam enixe a Nobis pręſcripta Reſponſorum hujuſmodi executio male a pleriſque ſive vano, falſoque obtentu, quod illa a Nobis ſuſpenſa fuerint, vel minus legitime promulgata, ſive conditionum, ut perperam aſſeritur, in eis inſitarum, & ante executionem ipſam verificandarum, factorumve, ſuper quibus ipſa emanarunt, non juſtificatorum ratione, ſive ulteriorum a Nobis ea in re edendarum declarationum colore, ſive gravium, quę tam Miſſionariis, quam Miſſioni ipſi ex demandata executione obvenire poſſent, periculorum formidine, ſive demum decreti dudum, nempe die XXIII Martii MDCLVI ſuper ejuſmodi Ritibus, ſeu cęremoniis Sinicis a pręfata Congregatione Cardinalium editi, ac a recolendę memorię Alexandro Papa VII, etiam Prędeceſſore noſtro approbati prętextu, non ſine gravi Pontificię noſtrę auctoritatis injuria, Chriſti fidelium ſcandalo, ac ſalutis animarum detrimento, ſatis diu, multumque eludatur, aut ſaltem nimium retardetur. Hinc eſt; quod Nos, ex commiſſę Nobis divinitus Apoſtolicę ſervitutis munere, difficultates, tergiverſationes, ſubterfugia, & pręțextus hujuſmodi penitus, & omnino e medio tollere, ac rejicere, necnon Chriſti fidelium quieti, animarumque ſaluti, quantum Nobis ex alto conceditur, proſpicere cupientes, de eorundem Cardinalium conſilio, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, omnibus, & ſingulis Archiepiſcopis, & Epiſcopis in ſupradicto Sinarum Imperio, aliiſque ei conterminis, ſive adjacentibus Regnis, & Provinciis nunc, & pro tempore quandocunque exiſtentibus ſub ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium, & interdicti ab ingreſſu Eccleſię: eorum vero Officialibus, ac Vicariis in ſpiritualibus Generalibus, aliiſque illorum locorum Ordinariis, ac etiam Vicariis Apoſtolicis, qui Epiſcopi non ſunt, eorumve Provicariis, necnon Miſſionariis tam ſecularibus, quam cujuſvis Ordinis, Congregationis, inſtituti, & Societatis, etiam Jeſu, Regularibus, ſub excommunicationis latę ſententię, a qua nemo a quoquam, pręterquam a Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolvi poſſit, & quoad Regulares etiam privationis vocis activę, & paſſivę pęnis, per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis, tenore pręſentium pręcipimus, ac in virtute ſanctę obedientię mandamus, ut reſponſa pręinſerta, omniaque, & ſingula in eis contenta exacte, integre, abſolute, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervent, ac ab eis, quorum cura ad illos ſpectat, ſimiliter obſervari, quantum

in ip-

in ipſis eſt, curent, & faciant, neque illis ſive ullo ex ſuperius expreſſis, ſive alio quovis titulo, cauſa, occaſione, colore, vel prętextu contravenire quoquomodo audeant, vel pręſumant. Pręterea motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus, harum ſerie ſtatuimus, & ſub eiſdem excommunicationis reſervatę, ac privationis vocis activę, & paſſivę pęnis ordinamus, ut omnes, & ſinguli Eccleſiaſtici, tam ſeculares, quam prędictorum, Ordinum, Congregationum, inſtitutorum, & Societatum, etiam Jeſu, Regulares, ad Sinas, aliave pręfata Regna, & Provincias, ſive ab hac Sancta Sede, ſive etiam ab eorum Superioribus miſſi, & quandocunque in poſterum mittendi, cujuſvis tandem tituli, aut facultatis vigore illic exiſtant, vel in futurum extiterint: miſſi ſcilicet, ſtatim ac pręſentes literę eis innotuerint, mittendi vero, antequam ibidem aliquod Miſſionarii munus exercere incipiant, juramentum de fideliter, integre, ac inviolabiliter obſervando ejuſmodi pręcepto, ac mandato noſtro juxta formulam in pręſentium literarum calce annotandam in manibus Commiſſarii, & Viſitatoris Apoſtolici in pręfato Imperio Sinarum pro tempore exiſtentis, vel alterius ab illo deputati, ſive eo deficiente, in manibus Epiſcoporum, vel Vicariorum Apoſtolicorum dictarum partium, in quorum reſpective juriſdictione commorantur, vel commorabuntur, aut aliorum ab eis deputatorum: Regulares vero in manibus inſuper Superiorum ſuę Religionis, vel ab illis deputatorum in eiſdem partibus exiſtentium, pręſtare omnino debeant, ac teneantur, itaut ante pręſtationem juramenti hujuſmodi, & ſubſcriptionem ſub eadem formula ab unoquoque, qui juramentum ipſum pręſtiterit, propria manu faciendam, nullum Miſſionarii munus continuare, aut exercere, immo nec tanquam deputati ab Epiſcopis, ſeu Ordinariis locorum, aut tanquam ſimplices ſuę Religionis Presbyteri, ſive alio quovis titulo, cauſa, ſeu privilegio, de quibus expreſſa, ſpecialis, & ſpecialiſſima eſſet facienda mentio, Chriſti fidelium confeſſiones audire, concionari, aut Sacramenta quomodolibet adminiſtrare ullo modo valeant, nulliſque omnino facultatibus, ſive ſibi ſpeciatim, ſive ſuis reſpective Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Jeſu, hujuſmodi generaliter a Sede pręfata conceſſis uti poſſint, ſed quoad eos, pręter, & ultra ſuperius expreſſas pęnas, omnes, & ſingulę facultates prędictę omnino ceſſent, nulliuſque roboris ſint, & eſſe cenſeantur. Omnia autem juramenta hujuſmodi per quoſcunque Miſſionarios tam ſeculares, quam regulares in memoratorum ſive Commiſſarii, & Viſitatoris Apoſtolici pro tempore exiſtentis, ſive Epiſcoporum, aut Vicariorum Apoſtolicorum manibus, ſicut pręmittitur, pręſtanda, poſtquam ſubſcriptione unita fuerint, vel ſaltem authentica illorum exempla per eoſdem Commiſſarium, & Viſitatorem Apoſtolicum pro tempore exiſtentem, Epiſcopos, & Vicarios Apoſtolicos ad pręfatam Congregationem Cardinalium, quantocitius fieri poterit, tranſmittantur. Superiores vero Regulares, cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam Jeſu, illic nunc, & pro tempore exiſtentes ſub eiſdem pęnis teneantur non ſolum idem juramentum in pręfatorum, ſive Commiſſarii, & Viſitatoris Apoſtolici pro tempore exiſtentis, ſive Epiſcoporum, aut Vicariorum Apoſtolicorum manibus, juxta modum ſupra pręſcriptum, pręſtare, ejuſque formulę ſubſcribere, ſed etiam illius pręſtationem a ſuis reſpective ſubditis exigere, ac authentica ea ſuper re documenta quamprimum tranſmittere ad ſuos reſpective Superiores Generales, qui illa memoratę Congregationi Cardinalium ſtatim tradere debebunt. Decernentes eaſdem pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, etiam ex eo quod prędicti, & alii quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prętendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, pręeminentię, & dignitatis exiſtant, ſeu alias ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, cauſęque propter quas pręſentes emanarint, ſufficienter adductę, verificatę, & juſtificatę non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata cauſa, colore, prętextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimę, & totalis lęſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratię remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud, uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac quibuſcunque juris, ſeu facti defectibus, qui adverſus illas, etiam quorumvis a Sede pręfata conceſſorum privilegiorum prętextu, ad effectum impediendi, ſeu retardandi earum executionem, quovis modo, ſeu ex quavis cauſa opponi, ſeu objici poſſent, minime refragantibus, ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, eaſque propterea, omnibus, & ſingulis quomodolibet allatis, ſeu afferendis impedimentis penitus, & omnino rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, ſicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & pręfatę Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quacunque pręeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, & quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę regula de jure quęſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus; necnon quorumcunque Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Jeſu, ac quarumvis Eccleſiarum, & aliis quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ac pręſcriptionibus quantumcunque longiſſimis, & immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, Ordinibus, Congregationibus,

Nota.

Inſti-

Inſtitutis, & Societatibus, etiam Jeſu, ac Eccleſiis prędictis, aliiſque quibuslibet perſonis, etiam quantumvis ſublimibus, & ſpecialiſſima mentione dignis a Sede prędicta ex quacunque cauſa, etiam per viam contractus, & remunerationis ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu ad quarumcunque perſonarum, etiam Imperiali, Regali, aliave qualibet mundana, vel eccleſiaſtica dignitate fulgentium inſtantiam, aut earum contemplatione, ſeu alias quomodolibet in contrarium pręmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiſcunque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Formula autem juramenti, ſicut pręmittitur, pręſtandi eſt, quę ſequitur, videlicet: Ego N. Miſſionarius ad Sinas, vel ad Regnum N., vel ad Provinciam N. e Sede Apoſtolica, vel a Superioribus mèis juxta facultates eis a Sede Apoſtolica conceſſas miſſus, vel deſtinatus, precepto, ac mandato Apoſtolico ſuper Ritibus, & cęremoniis Sinenſibus in Conſtitutione Sanctiſſimi Domini noſtri Domini Clementis divina providentia Papę XI hac de re edita, qua pręſentis juramenti formula pręſcripta eſt, contento, ac mihi per integram ejuſdem Conſtitutionis lecturam optime noto, plene, ac fideliter parebo, illudque exacte, abſolute, ac inviolabiliter obſervabo, & abſque ulla tergiverſatione adimplebo, ſi autem, quod Deus avertat, quoquomodo contravenerim, toties, quoties id evenerit, pęnis per prędictam Conſtitutionem impoſitis me ſubjectum agnoſco, & declaro. Ita tactis Sacroſanctis Evangeliis promitto, voveo, & juro. Sic me Deus adjuvet, & hęc Sancta Dei Evangelia. Ego N. manu propria. Ceterum volumus, & expreſſe mandamus, ut eędem pręſentes literę, ſeu earum exempla, etiam impreſſa notificentur, & intimentur omnibus, & ſingulis memoratorum Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Jeſu, Superioribus Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, ad hoc, ut tam ſuo, quam prędictorum eis reſpective ſubditorum, ſeu inferiorum nomine, ipſas literas fideliter exequi, & obſervari ſpondeant, actumque ſponſionis hujuſmodi in ſcriptis reddant, earum vero exempla prędicta pluribus viis, quantocitius fieri poterit, tranſmittant ad eoſdem ſuos ſubditos, ſeu inferiores in Sinis, aliiſque Regnis, & Provinciis ſupradictis degentes, cum arctiſſimis pręceptis eaſdem literas, & in eis contenta quęcunque plenarie, & integre, ac vere, realiter, & cum effectu in omnibus, & per omnia ſimiliter exequendi, & obſervandi. Quia vero difficile foret literas hujuſmodi originales ubique oſtendi, & publicari volumus pariter, & decernimus illarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum haberi, quę haberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX Martii MDCCXV, Pontificatus noſtri Anno Decimoquinto.

F. Oliverius.

Anno a Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimoquinto, Indictione octava, die vero vigeſima Martii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papę XI anno ejus decimoquinto, ſupradictę literę Apoſtolicę affixę, & publicatę fuerunt ad valvas Baſilicę SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Cancellarię Apoſtolicę, in Monte Citatorio, in acie Campi Florę, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Horatium Pierum Apoſtolicum Curſorem.

Petrus Romolatius Magiſter Curſorum.

1. *Sinenſibus.*) De Ritibus illis, & iis omnibus, quæ Summus Pontifex *Clemens XI* hac de re geſſit legendi Libri *II*, *III*, & *IV De Vita*, *& Rebus Geſtis Clementis XI.*

Anno 1715 Die 5 Aprilis.

LX.

Cardinalem Urſinum (1) dignis laudibus ornat:

Ex Archivo (2) Ordinis.

Venerabili Fratri noſtro, Vincentio Marię Epiſcopo Portuen., S. R. E. Cardinali Urſino nuncupato.

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis Frater noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INter cetera, quę in priori tua Provincię Beneventanę Synodo anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertio celebrata pie non minus, quam ſalubriter conſtituta fuerunt, tit. II de Conſtit. Cap. V ſancitum fuiſſe animadvertimus, ut Capitula, quę ſtatutis carerent, ne veluti naves fluctuantes quovis vento circunferrentur, infra ſex menſes ea conderent, & ſuis Epiſcopis examinanda, atque probanda deferrent, idemque decretum in altera Provinciali Synodo, quam ſubinde, anno ſcilicet MDCIIC

coe-

coegiſti, tit. I de Conſtitutionibus Cap. I inſtauratum fuiſſe perſpeximus. Etſi autem minime vereamur, quin pro eximio, ac abunde Nobis explorato, zelo tuo providi ejuſmodi, ac plane neceſſarii decreti executionem ſtrenue poſtmodum, ac ſedulo promoveris; quia tamen ea de re certiores fieri maxime cupimus, ut exemplum ad alias etiam Provincias, ac Diœceſes, quę eadem indigent proviſione, manare poſſit, propterea hiſce noſtris literis a te petimus, ut, an idem Decretum ab omnibus prędictę Provincię Capitulis debitę executioni demandatum revera fuerit, diligenter inquiras, ac Nobis ſignifices: nec interim prętermittas, ſi quę Capitula illud exequi neglexiſſe compereris, ita urgere, ac inſtare, ut ab omnibus quemadmodum par eſt, ad effectum primo quoque tempore perducatur. Aſſiduum divinę gratię incrementum, ac longam annorum ſeriem ab ęterno Paſtorum Principe Tibi, Venerabilis Frater noſter, enixe precamur, ut vigilantię tuę commiſſos populos, quod hactenus egregie prętitiſti, non tam doctrinę verbo inſtruere, quam bonorum operum exemplo ędificare diu poſſis. Tibique intimę noſtrę benevolentię pignus Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die V Aprilis MDCCXV, Pontificatus Noſtri Anno decimo Quinto.

1. *Urſinum.*) *Benedictum* ſcilicet *XIII.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur *Tomo II Epiſt. & Brevium Clementis XI pag. 477.*

Anno 1715 Die 6 Aprilis.

LXI.

Wratislavienſis Canonizationis B. Ceslai (1) Odrovantii Ordinis Prædicatorum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

AD ſupplices, humillimaſque preces Patris Magiſtri Thomę Ripoll Ordinis S. Dominici, Provincialis Terrę Sanctę, & Canonizationis B. Ceslai Odrovantii Poſtulatoris Sanctiſſimo Domino Noſtro porrectas, & a Sanctitate Sua ad Sacram Rituum Congregationem remiſſas, Sacra eadem Rituum Congregatio benigne poſſe concedi cenſuit, ut translatio Sacri Corporis prędicti Beati ad nobiliorem urnam in Eccleſia S. Adalberti Patrum Prędicatorum Civitatis Wratislavię, ad hunc effectum jam conſtructam, fieri valeat juxta inſtructionem R. P. D. Proſperi de Lambertinis Fidei Promotoris, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die XXIII Martii MDCCXV. Factaque deinde per me Proſecretarium de prędictis Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die ſexta Aprilis.

F. Cardinalis de Abdua Prępectus.

Gratis. N. M. Thedeſchi Epiſcopus Liparit. Sac. Rit. Congr. Proſecretarius.

1. *B. Ceslai.*) Conſulenda Conſtitutio *XXXIV Clementis VIII T. V hujuſce Bullarii pag. 512.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1715 Die 2 Octobris.

LXII.

De electione (1) Provincialis Provinciæ S. Antonini.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Johannes de Olarte Definitor, ac Procurator, necnon Fratres Provincię S. Antonini novi Regni Granaten. in Indiis Occidentalibus Ordinis Prędicatorum, quod cum occaſione confirmationis actorum Capituli Provincialis anno MDCCX ſuper electione Prioris Provincialis celebrati, nonnullę difficultates ſuper executione Alternativę a dilecto filio Antonino Cloche, Magiſtro Generali dicti Ordinis, ad favorem Fratrum filiorum Conventus de Tunza nuncupat. Provincię, & Ordinis prędictorum conceſſę, tam pro parte eorundem exponentium, quam etiam dilectorum itidem filiorum Fratrum S. Fidei, & Cartaginen., ac ejuſdem de Tunza Conventuum Ordinis prędicti, memorato Antonino Magiſtro Generali repreſentatę, eique alia inconvenientia circa novam, & antiquam Alternativam allegata fuiſſent, ad hoc, ut ipſe circa pręmiſſa pro ſua prudentia illud, quod in Domino expedire cenſeret, decerneret, prędictus Antoninus Magiſter Generalis quamcunque Alternativam pro electione dicti Prioris Provincialis tam a ſe, quam a Prędeceſſoribus ſuis Magiſtris Generalibus, & pręſertim a bonę memorię Johanne Thoma Rocaberti dum vixit Archiepiſcopo Valentin., qui in minoribus conſtitutus Magiſtri Generalis dicti Ordinis officio functus fuerat, ſtabilitam abolevit, caſſavit, & revocavit, ac obſervari minime voluit, & pręcepit, itaut in poſterum ii ſolum, qui ex filiis cujuſcunque Conventus dictę Provincię digniores, & aptiores ad Provincialatus munus obeundum judicabuntur nullo habito reſpectu filiationis hujus, vel alterius Conventus in Priores Provinciales eligantur, & alias prout uberius continetur in ipſius Antonini Magiſtri Generalis decreto deſuper edito, tenoris, qui ſequitur, videlicet: In Dei filiis ſibi dilectis RR. admodum Patribus Magiſtris, Prioribus Pręſentatis, Prędicatoribus Generalibus, ceteriſque Patribus, & Fratribus Provincię noſtrę S. Antonini de novo Regno, Ordinis Prędicatorum, Fr. Antoninus Cloche S. Theologię Profeſſor, ac ejuſdem Ordinis humilis Magiſter Generalis, & ſervus. Cum occaſione novę Alternativę in favorem filiorum Conventus de Tunza pro electione Provincialis ſervandę, & a Nobis conceſſę in confirmatione acto-

actorum Capituli Provincialis anni MDCCX, Nobis exponatis plures difficultates occurrere *in illius* conceſſionis executione, ac pro parte filiorum Conventus S. Fidei, filiorum Conventus de Cartagena, ac filiorum Conventus de Tunza circa Alternativam tam novam, quam antiquam, aliqua allegata ſint, ut noſtro judicio relinquentes, quod magis expediens fuerit, reſolveremus; ideo bono Provinciç regimini, & gubernio providere volentes, viſis, & conſideratis pro utraque parte allegatis, ac ipſarum petitionibus, noſtrique auctoritate officii abolemus omnem, & quamcunque Alternativam pro electione Provincialis in veſtra Provincia ſtabilitam, ſive a Nobis, ſive a Prędeceſſoribus noſtris, prętertim per bonę memorię Reverendiſſimum de Rocabertis, illamque omnino revocamus, ac in poſterum non obſervari volumus, itaut in Provinciales eligantur ii ſolum, qui ex filiis cujuſcunque ſint Conventus, digniores, & aptiores ad prędictum officium judicabuntur, nullo habito reſpectu filiationis hujus, vel alterius Conventus ſic de cetero fieri pręcipimus, ſub pęna nullitatis electionis, ſi aliter fiat, imponentes partibus ſuper hujuſmodi negotio perpetuum ſilentium. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Non obſtantibus dictis conceſſionibus, & aliis quibuſcunque. In quorum fidem &c. Datum Romę in Conventu noſtro S. Marię ſuper Minervam die III Auguſti MDCCXV. Frater Antoninus Cloche Magiſter Ordinis. Fr. Thomas Ripoll Magiſter, Provincialis Terrę Sanctę, & Socius. Locus † ſigilli. Regiſt. fol. VIII. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat dicti exponentes decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri ſummopere deſiderent. Nos ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium, qui dilectum filium modernum Procuratorem Generalem dicti Ordinis ſuper pręmiſſis audierunt, conſilio, decretum pręinſertum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, *ſalva* tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Conventuum, Provincię, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die II Octobris MDCCXV, Pontificatus noſtri Anno Decimoquinto.

F. Card. Oliverius.

1. *Electione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Lit. III.*

2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar authenticum;

Anno 1716 Die 19 Januarii.

Cardinalem Urſinum (1), quem dignis laudibus ornat, ad Imperatorem delegandum Romam accerſit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXIII.

Venerabili Fratri noſtro Vincentio Marię Epiſcopo Portuen. S. R. E. Cardinali Urſino nuncupato.

C L E M E N S PP. XI.

Venerabilis Frater noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

IN ſin da quando ci giunſero le prime funeſte notizie del grande, e forſe non più udito armamento, che ſi faceva da Turchi tanto per mare, quanto per terra, ad effetto d' aſſalire le Provincie Criſtiane, doppo il ricorſo, che facemmo in sì grave neceſſità al divino ajuto prima colle noſtre private, e poi colle publiche, più, e più volte replicate, e anche univerſali preghiere de' Fedeli, non laſciammo in oltre di penſare a tutti quei mezzi umani, co' quali ſi foſſe potuto far argine all' iminenti invaſioni de' Barbari. Pregammo, ſcrivemmo, e ci raccomandammo a tutti i Re, e Prencipi Cattolici per ottenere da loro a queſt' effetto li più validi, e pronti ſoccorſi. Principalmente però rivolgemmo la forza maggiore de noſtri ufficii alla Maeſtà dell' Imperatore, ben ſapendo, che doppo la Divina aſſiſtenza dalle ſue *ſole* armi potevaſi giuſtamente ſperare l' abbaſſamento, anzi la depreſſione dell' orgoglioſa ferocia de' noſtri comu-

comuni Nemici. Non tralaſciammo pertanto con più Brevi, accompagnati dalla viva voce del noſtro Nunzio, ed anco con più lettere, ſcritte di noſtra mano, e traſmeſſe a Vienna con replicate ſpedizioni di corrieri ſtraordinarii, di eſortare il medeſimo Imperatore, e di eccitarlo ad un impreſa a lui ſi facile, e glorioſa, al Criſtianeſimo ſi utile, e neceſſaria. Monſtroſſi la Maeſtà Sua nelle riſpoſte dateci ben diſpoſta ad una ſi grand' opera. Eſſendone però ſtata da varie cagioni ritardata l' eſecuzione, e principalmente, come Noi crediamo, dall' obice frappoſtovi de' noſtri peccati, gl' infelici ſucceſſi della paſſata Campagna pur troppo manifeſtano l' effetto, che n' è riſultato. Ora per prevenire quelli, che nella futura per verità ſi temono aſſai peggiori, già che fra eſſi ſi conta l' invaſione dello Stato Eccleſiaſtico, e di Roma iſteſſa, non abbiamo mancato, ne manchiamo di raddoppiare inceſſantemente all' Imperatore li noſtri clamori, anzi per troncare la radice di nuovi indugj tanto pregiudiziali alla publica cauſa, gli abbiamo ultimamente traſmeſſe le ſicurezze dateci tanto dalla Corte di Francia, quanto dall' altra di Spagna di non punto turbarlo, durante la guerra col Turco nel poſſeſſo de' Stati, che ora gode, onde ſenza timore di altri imbarazzi egli poſſa far liberamente agire le ſue armate contro li Nemici del Nome Criſtiano. Tutti li riſcontri, che riceviamo, ſono, che la Maeſtà Sua continui nella ſteſſa buona diſpoſizione, che ſeguiti a far preparamenti grandi, e che alla fine ſia per riſolverſi a dichiarare apertamente la guerra al Turco, come in vigore della nota lega fatta coll' autorità della ſanta memoria d' Innocenzo XI ne ha l' obligazione. Nondimeno la verità è, che tal guerra, non è ancora dichiarata, ne Noi abbiamo ſopra di ciò ſin ora ricevuta dalla Maeſtà Sua una riſpoſta preciſa, e categorica. In tanto s' avvicina la nuova Campagna, e con eſſa s' avvicinano li pericoli della noſtra eſtrema deſolazione. In queſto ſtato di coſe ſiamo conſigliati, anzi ſtimolati da tutti a fare gl' ultimi sforzi per movere l' Imperatore a riſolverſi, e ciò col mezzo della ſollecita ſpedizione a Vienna d' un Cardinale, che ſia dotto, pio, forte, zelante, e abbia appreſſo tutti la ſtima di eſſere veramente tale; Onde nella maniera che ſi coſtumava negl' antichi ſecoli, e come appunto fece quel gran Cardinale, del quale ſcriſſe S. Bernardo nel lib. IV de conſideratione ad Eugenium Cap. V, quale: *redivit de terra auri ſine auro: tranſivit per terram argenti, & argentum neſcivit*: poſſa portarſi alla Corte Imperiale: *non in curribus, neque in equis, ſed in nomine Domini ſine ſacculo, & pera*, e ſenz' altro equipaggio, che con quello delle proprie virtù, concilii tal credito alla ſua rappreſentanza, che in recare all' Imperatore con le noſtre preghiere le lagrime, e i ſoſpiri di tutta la Criſtianità, poſſa diſporlo ad adempire in sì urgente neceſſità ſenza maggior dilazione quelle parti, che a lui toccano, di Avvocato della Chieſa, e difenſore della Religione. V.S. ben vede, che quelli, i quali ci conſigliano, e come abbiamo detto, ci ſtimolano a tale ſpedizione onninamente neceſſaria ne termini, ne quali ci troviamo, anco per mettere al coperto appreſſo il Mondo la noſtra coſcienza, e il noſtro onore, atteſe le qualità, che eſſi deſiderano nel Cardinale da ſpedirſi all' Imperatore, non altri deſcrivono, che il Cardinale Orſini. Non ſi dolga dunque ella di altri, che delle ſue inſigni qualità, e della ſua gran virtù, ſe Noi colla ſtraordinaria ſpedizione d' un eſpreſſo ſenza punto riflettere agl' incommodi, che potrebbero derivarle da un lungo viaggio nella corrente riggidiſſima ſtaggione, e unicamente affidati nella divina Miſericordia, che ſia per aſſiſterle in tutto, la preghiamo a portarſi ſollecitamente in Roma, non in altra forma, che in quella con la quale vi venne ultimamente per ottare la Chieſa di Porto, ad effetto di paſſare nell' iſteſſa forma di qua a Vienna, proveduta di tutti quei mezzi, Inſtruzioni, brevi, e ricapiti, che potranno eſſerle neceſſarii, per eſeguire ſenza indugio una ſi grave commiſſione. Attendiamo col ritorno del corriero, che le mandiamo, più preſto, che ella potrà, la ſua riſpoſta e poco dopo l' arrivo del Corriero attendiamo anco lei iſteſſa per abbracciarla, per ringraziarla, per benedirla, & inſieme per appoggiarle il più importante affare, che da molti ſecoli in qua abbia avuto queſta Santa Sede. E intanto con tutta la pienezza del noſtro paterno affetto le diamo l' Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX Januarii MDCCXVI.

1. *Urſinum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur *Tomo ultimo Epiſtol. & Brevium Clementis XI pag.* 530. Huc ſpectant epiſtolæ duæ Cardinalis *Urſini*, quarum prior ſcripta fuit *Clementi XI*, alia Generali Magiſtro Ordinis Fratrum Prædicatorum *Antonino Cloche*. Sunt hujuſce tenoris.

BEATISSIMO PADRE.

Genufleſſo non ſolo in iſpirito, ma ancora fiſicamente al trono della S.V. e ripieno di confuſione prendo la penna, per replicare umiliſſimamente al clementiſſimo foglio della S.V. con cui ha voluto onorare fino con proprj caratteri la mia nientezza. Confeſſo avanti al Signore, che vede i cuori, di non eſſere capace. Come mai V.S. dotata di sì fino intendimento, abbia potuto ricordarſi di me inettiſſimo Sacerdote, non che penſare a me per impiego cotanto importante, ſiccome ella medeſima lo definiſce? Con tutta verità poſſo uſurpare le parole di Mosè eletto da Dio per Legato, e dire, Padre Santo: quis ſum ego? *e ſoggiugnere giuſta la ſpiegazione di uno Scritturale:* ego nullus ſum, & plane ineptus ad hanc legationem; *Quindi ardiſco rammentare alla S.V. i ſentimenti del Santiſſimo ſuo Predeceſſore, Gregorio il Grande:* quieto mari recte navem, & imperitus dirigit, turbato autem tempeſtatis fluctibus etiam peritus ſe nauta confundit. *Voſtra Beatitudine mi conoſce (ſiami lecito con ogni ſommiſſione il dirlo)* intus, & in cute; *dunque non potrà ſperare dalle mie miſerie il ſerviggio, che sì ardentemente, e ſantamente pretende dalla meditata Legazione.*

Con tutto ciò non ardiſco eſimermi dall' obbedienza, che inalterabile da me ſe le profeſſa, & ſub humilitatis ſpecie *contradice. Bensì rappreſento alla S.V. come fedeliſſimo ſuddito, ed obligatiſſima creatura, che per accettare la Miſſione ſi ricerca ſoggetto d' altra virtù, e maneggio, che non ſon io.*

Mi figuro, che la di lei ſovrana dignazione verſo di me mi replicherebbe, per animarmi all' impiego, il

dover io ora ridire alla mia puſillanimità quanto per eccesso d' umiltà diſſe la S. V. al Sagro Collegio nel dì della ſua auguſtiſſima elezione al Pontificato: Qui mihi hodie eſt author, ipſe mihi fiet adminiſtrationis adjutor, & ne ſub magnitudine gratiarum ſuccumbat infirmus, det vitutem, qui contulit dignitatem.

Tutto vero, Santiſſimo Padre, così biſogna ſperare, inſegnandomi eziandio il mio S. Tomaſo nella 3. p. q. 27 a. 5 ad 1, che unicuique a Deo datur gratia ſecundum hoc, ad quod eligitur. *Ad ogni modo non è dovere tentare il Signore. E perciò ſupplico con la faccia ſul ſuolo a ſciegliere altro Cardinale già fornito delle doti, che V. B. giuſtamente deſidera nel ſuo futuro Legato a Ceſare.*

Queſte mie ſincere rappreſentazioni ripeterò a piedi della S. V. ſubito che potrò traſferirmice, e lo ſollicterei col partirmi di quà anche domani, ſe non biſognaſſe procurarmi per il viaggio le ſolite ſpedizioni da Napoli.

Intanto proſtrato a' piedi della S. V. umilmente glieli bacio, mentre la ſupplico dell' Apoſtolica Benedizione.

Benevento 21 Gennajo 1716.

Di V. S. &c.

Ex Cod. Mſ. Miſcell. in fol. n. 13 Bibliothecæ Caſanatenſis fol. 115.

REVERENDISSIMO PADRE MIO PADRE OSSERVANDISSIMO.

SE mai non hò ſaputo parlare, e meno ſcrivere, queſta è la volta. Come mai, Padre Reverendiſſimo, il mio oſcuriſſimo nome hà potuto oggettarſi al Papa in negozio tanto grave, e ſuperiore alla mia entità? Prego V. P. Reverendiſſima, por lo amor di Padre, unirſi con Monſignor mio Arciveſcovo Bonaventura in rappreſentarla a S. Beatitudine, acciochè non reſti la medeſima defraudata nel ſervigio della Santa Sede, ed io miſerabile non riporti perpetua infamia dallo havermi addoſſato carico da non reggerlo, non che felicemente portarlo al termine. Per altro, benche gravato da catarro, e fra le nevi, e ghiacci, che facilmente me lo potrebbero più aggravare, io partirò per coſtà, a fin di ubbidire, come devo, ſubito ricevuto di Napoli le conſuete ſpedizioni per le cambiature. E genufleſſo prego la P. V. Reverendiſſima della paterna benedizione, mentre le bacio divotamente il ſagro Scapulare. Benevento 20 Gennajo 1716.

Di V. P. Reverendiſſima.

Devotiſſimo figliuolo, e Servitore.
Fr. Vincenzo Maria Card. Arciveſcovo.

Ex Autographo in Bibliotheca Caſanaten. aſſervato.

Anno 1716 Die 3 Junii.

De Sepultura (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXIV.

CLEMENS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

NUper pro parte dilecti filii Bernardini Solorzani Procuratoris Generalis Provinciæ S. Johannis Baptiſtæ Ordinis Predicatorum Regni Peruani in Indiis Occidentalibus, Congregationi Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negociis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitę expoſito, quod alias prædicta Congregatio Die VII Decembris MDCXXXX, inſtante tunc exiſtente Commiſſario Curię Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatę, declaraverat Parochos, & Presbyteros Terrę de Lauretano, ac alios Diœceſis Brunduſin. accipere non poſſe majorem Eleemoſynam pro Defunctis, qui in Eccleſiis dictorum Fratrum ſepeliebantur, quam accipiebant pro iis, qui in Eccleſiis dictorum Parochorum, & Presbyterorum ſecularium; ſimiliter die XXXI Auguſti anni MDCLVIII inſtantibus Fratribus Provincię Dalmatię ejuſdem Ordinis, decreverat Functiones Generales ſuper Cadaveribus Defunctorum, quę ibidem ſepeliebantur in Eccleſiis Regularium, poſtquam ipſa Cadavera ad Eccleſias ipſorum Regularium perveniſſent, ad eoſdem Regulares, non autem ad Parochos pertinere; eodemque modo die XVI Decembris MDCLXI pariter declaraverat ſuper controverſiis, quę inter Parochos Civitatis Placentinę, & Monachos Monaſterii S. Sixti Congregationis Caſſinen. Ordinis S. Benedicti occaſione funerum exortę fuerant, prout ſtatuerat, & decreverat die XVII Decembris MDCLXXI ad inſtantiam tunc exiſtentis Procuratoris Generalis eorundem Fratrum S. Franciſci, Parochis qui aſſociabant Cadavera Defunctorum, quę in Eccleſiis Regularium pariter ſepeliebantur, non licere ea occaſione ingredi Eccleſias Regularium, ſed a Januis ipſarum Eccleſiarum dimittere debere Cadavera hujuſmodi, & ſolum poſſe benedicere, & dare ultimum vale; Officiaque, & alia munia, quę in ſimilibus fieri ſolebant, a Regularibus, non autem a Parochis fieri debere; his vero non obſtantibus, cum Parochi in partibus Hiſpaniarum, & Indiarum aliter in Eccleſiis Presbyterorum, ſeu Clericorum Regularium Societatis Jeſu in grave eorum pręjudicium prętenderent, tunc pariter exiſtens Procurator Generalis earundem Hiſpaniarum, & Indiarum ejuſdem Societatis memoratę Congregationi tunc exiſtentium ejuſdem S.R.E. Cardinalium die VI Maii MDCLXXII ſupplicarunt, ut ad removenda omnia, & quęcunque ſcandala benigne declararet, ſupradicta omnia Decreta, & Declarationes ad unguem in Eccleſiis ſuarum Domorum, & Collegiorum ſervanda fore, ac ſi ad ipſius Societatis Inſtan-

Inſtantiam emanaſſent; dicta vero Congregatio Cardinalium indulſerat, decernendo, dandas eſſe prędictas declarationes alias editas, eaſque in dictis Eccleſiis Societatis omnino ſervandas eſſe, ejuſque Decretum poſtmodum per felicis recordationis Clementem PP. X Prędeceſſorem noſtrum, per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis expeditas literas confirmatum, ac pro earundem literarum, ac pro Decreti hujuſmodi executione monitorium a tunc etiam exiſtente cauſarum Curię Camerę Apoſtolicę Generali Auditore expeditum fuerat, & in eadem expoſitione ſubjuncto, quod dilecti filii Parochi ejuſdem Regni Peruani in prędictis Indiis prętenſiones dictis Decretis, & Reſolutionibus contrarias, & oppoſitas habebant in Eccleſiis Domorum, & Conventuum dictę Provincię Sancti Johannis Baptiſtę, & ſignanter Oppidi de Potoſi, & Civitatis de Chuquiſache reſpective nuncupat., nempe exigendi majorem Eleemoſynam pro Defunctis, qui in Eccleſiis Parochorum, & Presbyterorum ſecularium ibidem ſepeliebantur, ac rurſus peragendi ſuper ipſos functiones Generales ſuper Defunctorum Cadaveribus, quę in eorundem Fratrum Eccleſiis tumulabantur, poſtquam ipſa Cadavera ad eorum Eccleſias pervenerant, & tandem ingrediendi ſuas Eccleſias occaſione dictorum funerum, & aliorum ſimilium; Ideoque ad removenda ſcandala, aſſiduaſque diſcordias, quę in dies oriebantur, pro parte ejuſdem Bernardini Procuratoris Generalis eidem Congregationi Cardinalium ſupplicato, ut ſuper pręmiſſis in omnibus, & ſingulis Eccleſiis ſupradictę Provincię eodem modo, quo ad favorem eorundem Presbyterorum, seù Clericorum Societatis pręfatę in Partibus Hiſpaniarum, & Indiarum proviſum fuerat, ut pręfertur, provideret, Decretaque ad eorum, & aliorum favorem edita, ad dictas Eccleſias memoratę Provincię Sancti Johannis Baptiſtę, & ſignanter oppidi de Potoſi, & Civitatis de Chuquiſache Provincię, & Ordinis hujuſmodi in poſterum eadem forma exacte, ac ſi ad eorundem Fratrum Prędicatorum Provincię, oppidi, ac Civitatis prędictorum favorem emanaſſent, extendi, & obſervari, & executioni demandari pręciperet; Emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet - Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S.R.E. Cardinalium negociis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita, attentis narratis, ac referente Eminentiſſimo Sanctę Priſcę, cenſuit, & decrevit, danda eſſe decreta alias edita, & ſignanter illud emanatum ſub die VI Maii MDCLXXII ad inſtantiam Patris Alonſi de Alarcos Procuratoris Generalis Hiſpaniarum, & Indiarum Societatis Jeſu, videlicet - Sacra &c. Oratoris precibus benigne indulgens, cenſuit dandas eſſe petitas declarationes ſępe alias editas, eaſque etiam in pręnarratis Eccleſiis Societatis eſſe obſervandas, nimirum - Parochis in aſſociatione, ſive occaſione aſſociationis Cadaverum non licere ingredi Eccleſias Regularium, ſed teneri dimittere eadem Cadavera ad Januam Eccleſiarum, ibique ſolum poſſe benedicere, & dare ultimum vale: Officia vero, & alia Munia, quę in hujuſmodi miniſteriis adhiberi ſolent ab ipſis Regularibus peragi debere non autem a Parochis - Epiſcopos, ſeu Ordinarios locorum permittere non debere, ut Parochi, aliique de Clero ſeculari majorem eleemoſynam ſibi attribui faciant ab hęredibus Defunctorum, qui in Eccleſiis Regularium ſepulturam ſibi elegerint, quam percipere poſſent, ſi in Parochiali, ſeu alia ipſius Cleri ſecularis Eccleſia ſepeliri voluiſſent - Functiones Funeralium ſuper Cadavera Defunctorum, quę in Eccleſiis Regularium contingit ſepeliri, poſtquam ad eaſdem Eccleſias pervenerint, ad ipſos Regulares, non ad Parochos pertinere; Contrariis quibuſcunque circa ſupraſcripta omnia minime obſtantibus. Romę XXIV Aprilis MDCCXVI. F. Cardinalis de Abdua. V. Archiepiſcopus Damaſcenus - Loco ✝ Sigilli. Cum autem ſicut dictus Bernardinus Procurator Generalis Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi quo firmius ſubſiſtat & ſervetur exactius, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri ſummopere deſideret. Nos ipſius Bernardini Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes; ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum pręinſertum auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate prędictę Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; & illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die Tertia Junii MDCCXVI, Pontificatus noſtri Anno Decimo ſexto.

Loco ✝ Annuli Piſcatoris.

F. Cardinalis Oliverius.

1. *Sepulturæ.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.* IX.

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

Anno 1716 Die 7 Auguſti.

LXV.

Decretum de Proceſſione SS. Roſarii (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

IN cauſa Neapolitana Proceſſionis vertente inter PP. Dominicanos S. Severi, & Confratres Congregationis Sanctiſſimi Roſarii ex una, & Parochum Sancti Georgii Majoris Piorum Operariorum ejuſdem Civitatis, Partibus, ex altera propoſita fuerunt infraſcripta dubia, de more reſolvenda, videlicet.

Primum. An liceat PP. Dominicanis S. Severi Neapolis in prima Dominica cujuslibet menſis facere Proceſſionem Sanctiſſimi Roſarii cum ſtola, pluviali, ac Reliquia S. Severi, necnon ſimulacro, ſive ſtatua Beatę Virginis de Roſario intra limites Parochię S. Georgii Majoris abſque licentia Parochi?

Secundum. An prędicti PP. Sancti Severi inciderint in cenſuras comminatas in Decreto Curię Archiepiſcopalis ſub die IV Auguſti MDCCXV in caſu &c.?

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita, viſa relatione Eminentiſſimi Archiepiſcopi Neapolitani, ac mature perpenſis juribus, & rationibus ab utraque parte informante deductis, referente Eminentiſſimo Caracciolo, ad ſupraſcripta dubia infraſcriptum in modum reſpondendum cenſuit.

Ad primum affirmative. Ad ſecundum negative, Romę VII Auguſti MDCCXVI.

F. Card. de Abdua.

Loco ✝ ſigilli.

P. Archiepiſcopus Damaſcenus Secr.

1. *SS. Roſarii.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXVI.*

Anno 1716 Die 3 Octobris.

LXVI.

Decretum ſuper extenſione Officii, & Miſſæ Sanctiſſimi Roſarii (1) ad Eccleſiam Univerſalem.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

URBIS, ET ORBIS.

CUm alias felicis recordationis Gregorius PP. XIII, attente conſiderans celebrem Victoriam, quam Chriſtianorum Claſſis in virtute Domini Dei Sabaoth decertans, ſub ſanctę memorię Pio PP. V, ejus Prędeceſſore, non longe a Corinthiaco ſinu, die VII Octobris MDLXXI, quę eo anno prima Dominica ejuſdem Octobris fuerat, de Claſſe Turcarum, numero licet longe ſuperiore, & prętteritis elata Victoriis, mirabiliter reportaverat, eadem plane die contigiſſe. qua ſodalitates omnes ſub invocatione Sanctiſſimi Roſarii, quod etiam Pſalterium Beatiſſimę Virginis Marię nuncupatur, per univerſum terrarum orbem erectas, juxta earum laudabilia inſtituta, & conſuetudines proceſſionaliter incedentes, devotas ad Deum preces effudiſſe compertum erat, adeoque pie credi poterat, preces hujuſmodi per interceſſionem Sanctiſſimę Virginis ad dictam Victoriam conſequendam plurimum profuiſſe, ad illius memoriam perpetuo conſervandam, agendaſque eo nomine Omnipotenti Deo, ejuſque Glorioſiſſimę Genitrici perennes gratias, per ſuas literas die prima Aprilis MDLXXIII expeditas decreverit, ut ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus qualibet prima die Dominica menſis Octobris per univerſi orbis partes, in iis videlicet Eccleſiis, in quibus Altare, vel Capella ejuſdem Roſarii foret, ab omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus feſtum ſolemne ſub nuncupatione Roſarii hujuſmodi ſub duplici majori Officio, ad inſtar aliarum ſolemnium feſtivitatum celebraretur, & ſanctificaretur, eaque die Officium de eadem Beatiſſima Virgine novem Lectionum more eccleſiaſtico perſolveretur, & recitaretur. Subinde vero recolendę memorię Clemens Papa X ad pias, devotaſque preces clarę memorię Mariannę, dum vixit, Hiſpaniarum Reginę Catholicę, tunc Viduę, per ſimiles ſuas in forma Brevis literas die XXVI Septembris MDCLXXI expeditas indulſerit, ut feſtum ſolemne Roſarii a memorato Gregorio XIII, ſicut pręmittitur, inſtitutum ab omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus tam ſecularibus, quam regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, in omnibus Eccleſiis Hiſpaniarum, aliorumque Regnorum, Provinciarum, ac Dominiorum Regi Catholico ſubjectorum, etiamſi in dictis Eccleſiis non adeſſet Altare, ſeu Capella ejuſdem Roſarii, celebraretur cum Officio, ac Miſſa propriis, & alias, prout in ambabus Apoſtolicis literis ſupradictis uberius continetur. Ac ſucceſſive ejuſmodi indultum diverſis temporibus a Sacra Rituum Congregatione ad plures tam intra, quam extra Italiam, Provincias, Ditiones, Civitates, Diœceſes pari modo extenſum fuerit. Cumque poſtea eadem Congregatio ad enixas clarę etiam memorię Leopoldi, dum vixit, Romanorum Regis in Imperatorem electi, humileſque P. F. Antonini Cloche Ordinis Prędicatorum Magiſtri Generalis ſupplicationes, pię memorię Innocentio Papę XII porrectas, & ab illo ad dictam Congregationem remiſſas, in eaque ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Card. Barberino relatas, Officium, & Miſſam Sanctiſſimi Roſarii hujuſmodi die ipſius feſto ad univerſalem Eccleſiam abſque ulla reſtrictione extendi poſſe cenſuerit, ſi ita eidem Innocentio XII placuiſſet. Verum hujus decreti relatio memorato Innocentio XII,

XII, ob ſuperventam ejus infirmitatem, ac deinde ſecutum obitum, fieri nequiverit. Sanctiſſimus autem D. noſter Clemens Papa XI, ejus Succeſſor quamcunque hac in re reſolutionem hucuſque diſtulerit. Noviſſime Sanctitas Sua animadvertens nuperam inſignem Victoriam ab Exercitu Auguſtiſſimi Caroli VI, ſimiliter Romanorum Regis in Imperatorem electi, de innumeris Turcarum copiis in Hungaria relatam, die V Auguſti proxime prçteriti, hoc eſt, feſto Dedicationis S. Mariç ad Nives, ac eo ferme tempore, quo Confratres ſodalitatis Roſarii publicam Proceſſionem in hac Alma Urbe, magno populi concurſu, & ſingulari devotione peragentes, pias ad Deum preces pro Turcarum depreſſione effundebant, atque ad id validiſsimum Deiparç Virginis patrocinium in auxilium Chriſtianorum humiliter implorabant, obtentam fuiſſe. Necnon inſuper perpendens, Civitatem, & Arcem Corcyrenſem paulo poſt, videlicet in octava feſti Aſſumptionis Sanctiſsimç Virginis prçdictç, ab immaniſsima eorundem Turcarum oppugnatione feliciter liberatam fuiſſe, adeoque nedum prçclara hçc beneficia ejuſdem Deiparç, ut pie credendum eſt, interceſſione Nobis a Domino collata fuiſſe, verum etiam ſub illius prçſidio prçſertim Chriſti fidelibus Roſarium prçdictum, juxta adhortationes dudum juſſu Sanctitatis Suç factas, quotidie, ac devote recitare pergentibus, feliciores in dies eventus Chriſtianis armis ſperari merito poſſe, ut corda fidelium erga ipſam Glorioſiſſimam Virginem vehementius inflammentur, gratiarumque cçlitus conceſſarum memoria nunquam extinguatur, decretum Congregationis prçdictç benigne approbavit, ac Officium proprium ſub ritu duplici majori, necnon Miſſam Roſarii die illius feſto, nempe Dominica prima Octobris, ab univerſis Chriſti fidelibus, qui ad horas Canonicas tenentur ſingulis annis recitari, & reſpective celebrari, ac in Breviario, & Miſſali Romano apponi mandavit. Die tertia Octobris MDCCXVI.

F. Card. de Abdua Prçfectus.

Loco ✝ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Epiſc. Liparitanus Sac. Rit. Cong. Sec.

1. *Roſarii.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum annó *MDCCXVI.* Legitur in *Bullario Clementis XI pag.* 574.

Indulgentia pro Feſto S. P. Dominici in Suriano.

Anno 1716 Die 14 Novembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CLEMENS PP. XI.

LXVII.

Univerſis Chriſti fidelibus prçſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium Religionem, & animarum ſalutem, Cçleſtibus Eccleſiç theſauris, pia caritate intenti, ac ſupplicationibus dilecti Filii Antonini Cloche Magiſtri Generalis Ordinis Prçdicatorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati: omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pçnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis, tam Fratrum, quam Monialium Ordinis Sancti Dominici ubicunque exiſtentes, die decima quinta menſis Septembris, a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi annis ſingulis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hçreſum extirpatione, ac Sanctç Matris Eccleſiç exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Prçſentibus ad ſeptennium tantum valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, prçſentatione, admiſſione, ſeu publicatione prçſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, prçſentes nullç ſint. Utque earundem prçſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonç in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutç munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quç adhiberetur ipſis prçſentibus, ſi forent exhibitç, vel oſtenſç. Datum Romç apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die XIV Novembris MDCCXVI, Pontificatus noſtri Anno Decimo ſexto.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar authenticum typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXVI.*

Quæ

Anno 1717 Die 28 Junii.

LXVIII.

Quæ pro Romano Cœnobio S. Nicolai de Præfectis ſancita ſunt firmat.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CLEMENS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Prior Conventus S. Sabinę de Urbe, Congregationis ejuſdem S. Sabinę Ordinis Prędicatorum, quod alias poſtquam ſanctę memorię Pius PP. V, Prędeceſſor noſter per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die XXXI Julii MDLXVII expeditas literas Parochialem Eccleſiam, ſeu Vicariatum Sancti Nicolai de Pręfectis nuncupatam de eadem Urbe ſupradicto Conventui aggregaverat, ac univerat, ad hoc, ut ibidem ejuſdem Conventus Religioſi, tum eorum temporalibus negotiis, tum etiam Chriſti fidelium confeſſionibus excipiendis, aliiſque functionibus ſpiritualibus, prout neceſſitas poſtulaſſet vacare valerent, felicis recordationis Clemens PP. IX, itidem Prędeceſſor noſter die XXI Maii MDCLIX, per alias ſuas in eadem forma Brevis ſimiliter expeditas literas decrevit, ut in Conventu hujuſmodi Regulę, & Conſtitutiones a S. Dominico dicti Ordinis fundatore pręſcriptę exacte obſervarentur, & ad hujuſmodi effectum mandavit, ut nulli Religioſo, qui prėmiſſa adimplere recuſaſſet, in eodem Conventu permanere liceret, & ſubinde pię memorię Innocentius PP. XII, Prędeceſſor pariter noſter pro firmiori regularis obſervantię firmitate per alias etiam ſuas in ſimili forma Brevis die XIV Junii MDCXCV expeditas literas prędictum Conventum S. Sabinę una cum dicto Vicariatu a juriſdictione pro tempore exiſtentis Prioris Provincialis Provincię Lombardię dicti Ordinis perpetuo exemit, & liberavit, ac in Congregationem una cum aliis Conventibus erexit, ſicque quęlibet communicatio Religioſorum Provincię ſupradictę cum illis ejuſdem Congregationis, & ſignanter Conventus, & Vicariatus prędictorum ſuſpenſa remanſit. Porro pręmiſſis minime obſtantibus, cum memoratus Prior ob frequentes perſonarum auctoritate pollentium interpoſitiones Religioſis; non ſolum Lombardię, ſed etiam aliarum ejuſdem Ordinis Provinciarum diutius in dicto Vicariatu in ſuorum Religioſorum prędjudicium permanendi facultatem concedere coactus fuiſſet, dilecto etiam filio Magiſtro Antonino Cloche Magiſtro Generali prędicti Ordinis ſupplicavit, ut tam modernis, quam pro tempore exiſtentibus dictę Congregationis Vicario Generali, ac Priori dicti Conventus, & Vicario prędicti Vicariatus ſub formali pręcepto mandaret, ut nullum Religioſorum, exceptis illis de familia, & Conventui ſupradicto S. Sabinę aſſignatis, vel perſonam ſecularem cujuſcunque ſtatus, gradus, vel conditionis, ſub quovis colore, vel prętextu in dicto Vicariatu S. Nicolai recipere poſſent, dictus vero Antoninus Magiſter Generalis, decretum edidit tenoris, qui ſequitur, videlicet: Supradictis Summorum Pontificum Brevibus inhęrentes tenore pręſentium, noſtrique auctoritate officii Magiſtri Generalis RR. PP. modernis, & pro tempore exiſtentibus Vicario Generali Congregationis noſtrę S. Sabinę, Priori Conventus noſtri S. Sabinę hujus Almę Urbis, & Vicario loci noſtri S. Nicolai de Pręfectis ejuſdem Urbis pręcipimus in virtute Spiritus Sancti, & ſanctę obedientię, ſub formali pręcepto, necnon ſub pęna ſuſpenſionis ab officio ipſo facto incurren., ne quovis colore, aut prętextu Fratres Ordinis noſtri, cujuſcunque ſint Provincię, aut Congregationis, eodem Vicario Generali, ac Fratribus aſſignatis in dicto Conventu noſtro duntaxat exceptis, minus vero ſeculares, aut alias quomodolibet extraneas perſonas cujuſcunque ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtant in prędicto loco noſtro S. Nicolai recipi, & retinere pęrmittere, ſeu reſpective recipere, & retinere audeant, vel pręſumant, quacunque contraria conſuetudine, ſi qua forſan irrepſerat, quamque omnino ſupprimimus, & ceteris quibuſcunque contrariis non obſtantibus. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c. Datum Romę in Conventu noſtro Sanctę Marię ſuper Minervam die XXI Aprilis MDCCXVII. Fr. Antoninus Cloche Magiſter Ordinis. Loco † Sigilli. Regiſtratum fol. CIV. Fr. Thomas Maria Laſcaris Magiſter, & Socius. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Prior decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri ſummopere deſideret; Nos ipſum Priorem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium Prępoſitorum, qui dilectum etiam filium modernum Procuratorem Generalem dicti Ordinis ſuper pręmiſſis adiverunt, conſilio, decretum pręinſertum auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter obſervari; ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis, Congregationis, Con-

Conventus, & Vicariatus prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Junii MDCCXVII, Pontificatus noſtri Anno Decimoſeptimo.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

Indulgentia (1) pro XV feriis tertiis. Anno 1718 Die 11 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. XI. LXIX.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, in diverſis Orbis Chriſtiani partibus, pia erga S. Dominicum Ordinis Fratrum Prędicatorum Fundatorem, & Roſarii Beatę Marię Virginis auctorem devotio introducta fuerit &c (3) Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI Januarii MDCCXVIII, Pontificatus noſtri Anno Decimo octavo. Nota.

F. Card. Oliverius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXVIII.*
3. *Fuerit &c.*) Ut in *Conſtitutione X Alexandri VII.* Legitur *pag.* 185.

Romanæ Academiæ Theologicæ Statuta ab Eminen. S.R.E. Cardinale Thoma Maria Ferrario Ord. Prædicatorum approbata firmat, & in Theologicis ordinem ad Summam Divi Thomæ accommodandum decernit. Anno 1718 Die 23 Aprilis.

Ex Bullario Clementis XI pag. 256.

CLEMENS PP. XI. LXX.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

INſcrutabili divinę bonitatis, atque ſapientię providentia ad Eccleſię Catholicę per univerſum terrarum orbem diffuſę regimen, meritis licet imparibus, evecti, inter multiplices paſtoralis vigilantię noſtrę curas Sacrarum Literarum, ac pręſertim Theologicę facultatis ſtudia, per quę, depulſa ignorantię caligine, mortalium mentes luce veritatis illuſtrantur, ad ſupernę Deitatis eſſentiam veraciter contemplandam iter panditur, ſana doctrina aſſeritur, Catholicę fidei puritas ab hęreſibus, praviſque dogmatibus gladio ſpiritus vindicata eniteſcit, illiuſque, & divini cultus propagationi, ac aliis Chriſtianę Reipublicę commodis conſulitur, ubique locorum, ac pręcipue in hac Alma Urbe noſtra, ex qua doctrinę, & bonorum operum exempla in reliquas Chriſtiani Orbis partes aſſidue promanant, quantum nobis ex alto conceditur, promovere, excitare, & confovere ſtudemus, ſicut omnibus maturę conſiderationis trutina perpenſis, ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſięque decus, & pręſidium, ac Chriſti fidelium utilitatem cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque alias nempe ab ipſis Pontificatus noſtri primordiis, quędam Academia Theologica nuncupata, in qua plures in ea facultate verſati, ac etiam Magiſtri, ſeu Doctores, aut alias graduati, ad pleniorem, & ſublimiorem ſacrarum, divinarumque rerum cognitionem aſpirantes Sacrę Theologię, necnon hiſtorię Eccleſiaſticę diſciplinis pręcipuam, ſedulamque operam laudabiliter hactenus navarunt, & adhuc indefeſſis ſtudiis navare non deſiſtunt, ſub auſpiciis noſtris, ac Nobis annuentibus in urbe pręfata erecta, ſeu inſtituta ſit, eique uſum loci in ędibus publici Gymnaſii Sapientię nuncupati ejuſdem Urbis pro ſuis conventibus habendis, & functionibus peragendis ſub certis modo, & forma, tunc expreſſis aſſignaverimus, & conceſſerimus; & ſicut plurimorum virorum pręſtantium teſtimonio, imo etiam nonnullorum ex venerabilibus Fratribus noſtris Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalibus, qui literariis ipſius Academię exercitationibus, & diſceptationibus ſępius interfuerunt, relatione accepimus, dilecti Filii Academici eidem Academię adſcripti notabiles in pręfatis diſciplinis progreſſus jam fecerint, & in dies facere pergant, unde non obſcura ſpes affulgeat, fore, ut dicta Academia, benedicente Domino, non ſolum majora in poſterum ſuſcipiat incrementa, verum etiam ſuaviſſimos, uberesque fructus in Eccleſia Dei quandoque proferat; in eumque finem prędicti Academici pro recto, ac felici Academię hujuſmodi gubernio nonnullas conſtitutiones, ſeu ſtatuta, quę per bonę memorię Thomam Mariam, dum vixit ejuſdem Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalem Ferrarium (1) Sancti Clementis nuncupatum, juſſu noſtro reviſa, & ſubinde approbata fuerunt,

jam

Jampridem condiderint; quorum tenor eſt, qui ſequitur videlicet. Conſtitutiones Academię Theologicę: Academiam Theologicam ſolum illis patere volumus, qui Theologię ſaltem quadriennio ſedulam operam navarunt. Horum ingeniis exercendis, perfectaque doctrina imbuendis, bis in hebdomada, ſcilicet feria tertia, & ſexta, de ſacris, diviniſque rebus diſputabitur. Alternis Theologica, alternis Hiſtorica diſputatio erit, identidem vero, vel ad noſtrę Religionis dogmata pertinentes controverſię, vel ad ſacras literas diſceptabuntur. Ab exercitationibus vacatio erit a Dominica ſexageſimę, ad Dominicam Quadrageſimę: a die Palmarum ad diem Dominicam in Albis, & a XVI Kal. Octobris ad XV Kal. Decembris. Ex univerſa Theologia, atque Hiſtoria Eccleſiaſtica pręcipuę quęſtiones a cenſoribus ſelectę triennii diſputationibus abſolventur. Eorundem judicio, quę in contrarias partes diſputari poſſunt quęve in alteram tantum, decernetur. Ordo in Theologicis ad Summam Divi Thomę: In Hiſtoricis ad ſeriem temporum accommodabitur. In quocunque Conventu, Academicus cui id fuerit injunctum, primum ea, quę in quęſtione verſantur, breviter, ac luculenter explicabit. Tum duo cum eo ſolidam horam diſceptando decertabunt; ille eorum argumenta, & conquiſitas rationes acute refellet, & confutabit. Quilibet Academicus exacto anno ſolemnem diſputationem habebit; ſex horas, tres ante, tres poſt meridiem diſputabit. Omnes Academicorum munia triennio ſaltem obibunt, & labores qua diſputando, qua in ſolemnibus diſputationibus accurate diſceptando ſuſtinebunt. Completo triennio, proximum a cenſoribus locum, ac ſedem honoris ergo habebunt. De omnibus, quę ab Academicis conſciſcentur, ſuffragium ferent. Quicunque ſex annos Academici munia obierit, & labores ſubierit, inter cenſores referendus. De controverſiis diſceptandis Cenſoris judicium erit. Unus minus ſolemnibus, tres ſolemnibus diſputationibus pręſidebunt. Quid de illis ſentiat judicabunt: ſuffragia occulta erunt: ſoli Academico a ſecretis nota, ut poſſit, cum fuerit opportunum, doctrinę cujuſque teſtimonio perhibere. Academicus a ſecretis, qui & Cenſor erit, cunctis ſolemnibus diſputationibus una cum duobus aliis Cenſoribus pręerit. Non ſolemnibus, tunc cum Cenſorem non adeſſe contigerit. Diem ſolemnibus diſputationibus ſtatuet. Eum pro iis habendis deſignabit, quem integrum annum in Academia exegiſſe conſtabit; annum autem non dierum, ſed laborum curſu metimur; certiores faciet cenſores de quęſtionibus, quarum diſceptationibus debebunt pręſidere: eas Academicis omnibus, adjecto die ad diſputandum deſtinato, ſcriptas tradet: controverſias diſceptandas quolibet menſe in tabella deſcriptas exponet; ſcriptoreſque, qui de illis uberius, & luculentius differunt, indicabit. Acta omnium, quę geruntur, conficiet. Academicorum nomina in albo deſcribet, & tempus, quo adſcripti fuerint, adnotabit. Academicorum doctrinam, labores, cenſorum judicio probatas diſputationes publicis literis pro cujuſque meritis teſtabitur. Ac proinde, ſicut memorati Academici, exponi nobis nuper fecerunt, ipſi non minus ejuſdem Academię erectionem, ſeu inſtitutionem, perpetuique uſus loci, ei, ſicut pręmittitur, aſſignati, conceſſionem, quam Conſtitutiones, & ſtatuta pręinſerta, quo firmius ſubſiſtant Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri, & alias deſuper paternę providentię noſtrę partes interponi plurimum deſiderent; nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Academię prędictę proſperum ſtatum, & directionem, uberioraque incrementa ſinceris exoptamus affectibus, eorundem Exponentium votis, hac in re, quantum cum Domino poſſumus, benigne annuere, eoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, ac eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati erectionem, & inſtitutionem Academię ſupradictę perpetuique uſus loci ei in ędibus dicti Gymnaſii, ut pręfertur, aſſignati, conceſſionem pręfatas, necnon conſtitutiones, & ſtatuta pręinſerta cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, & expreſſis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſine tamen Univerſitatis ſtudii generalis ejuſdem Urbis, ac cujuſquam alterius prejudicio approbamus, & confirmamus, illiſque, perpetuę, & inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur, & pręſidium adjicimus, ac quoſcunque juris, & facti defectus, ſi qui in pręmiſſis quomodolibet intervenerint, ampliſſime ſupplemus; & nihilominus dictam Academiam Theologicam, quatenus opus ſit, auctoritate, & tenore ſimilibus itidem perpetuo erigimus, & inſtituimus, eique perpetuum uſum loci pręfati denuo concedimus, & aſſignamus. Porro, ne unquam in eadem Academia perpetuis futuris temporibus cenſores, qui Academicorum diſputationibus pręſint, aliaſque eis per conſtitutiones, & ſtatuta pręinſerta demandatas functiones obire valeant deſiderari contingat, volumus, & eadem auctoritate decernimus, ut pręter, & ultra eos in ejuſmodi ſtatutis, & conſtitutionibus deſignatos, omnes, & ſinguli Sacrę Theologię in eodem Gymnaſio Lectores, nunc, & pro tempore exiſtentes, qui Collegium Theologorum inibi conſtituunt, officium Cenſorum in dicta Academia pariter obtineant: pręterea, ut Academici nunc, & pro tempore ſimiliter exiſtentes mercedis laborum ſuorum aliquando recipiendę ſpe excitati, memoratis diſciplinis eo impenſius, ſolertiuſque excumbant, eoſdem Academicos, qui cuncta Academię munia ſedulo, ac laudabiliter adimpleverint, in dignitatibus, perſonatibus, canonicatibus, & pręb endis, aliiſque Eccleſiaſticis beneficiis, ac iis pręſertim, quibus cura imminet animarum, per collationem, vel electionem, in cujuſque ipſorum patriis, reſpective providendis, aliis omnibus, ceteris paribus, tam in Romana Curia, quam extra eam pręferri volumus, & mandamus, ſerio idcirco requirentes, & monentes venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, necnon dilectos filios noſtros, & Apoſtolicę Sedis Nuncios, ceteroſque Pręlatos, ſeu locorum ordinarios, ac quoſcunque beneficiorum ejuſmodi collatores, & collatrices, ut Academicos pręfatos, quorum multi exteri, & ex diverſis nationibus exiſtunt, cum eos in ſuas Regiones reverti contigerit, ſi ſeſe ſupradictę Academię adſcriptos, in eaque diu cum laude verſatos fuiſſe legitimis probationibus, atque in primis literis teſtimonialibus manu ſecretarii ejuſdem Academię ſubſcriptis, ejuſque ſigillo munitis docuerint, in collatione eorundem beneficiorum, quatenus ipſi redditibus ad congruam ſui ſuſtentationem ſufficientibus caruerint, aliis omnibus,

cetę-

ceteris paribus, ſimiliter pręferant. Quia vero etiam nonnulli Regulares prędictę Academię adſcripti plurimum ei adjumenti, atque ſplendoris hucuſque attulerunt, & ut in Domino confidimus, deinceps quoque allaturi ſunt, idcirco eos itidem peculiari favore gratię proſequi cupientes, earundem tenore pręſentium decernimus, ut poſtquam iidem Regulares Academię pręfatę adſcripti, & in futurum adſcribendi de Superiorum ſuorum conſenſu omnes Academicorum partes per ſexennium recte, ac diligenter expleverint, id eis, & eorum cuilibet ſuffragari debeat in omnibus & per omnia, perinde, ac ſi ſacram Theologiam in ſuis reſpective Monaſteriis, Conventibus, ſeu domibus regularibus per triennium actu legiſſent, ita tamen, ut duo duntaxat, & non plures Regulares hujuſmodi ex unoquoque Monaſterio, Conventu, ſeu domo regulari de Urbe pręfata, ubi ſtudia vigeant, & actu ſacra Theologia legatur, a ſuis reſpective Superioribus deputentur, ad hoc ut Academię hujuſmodi adſcribi, & in ea cuncta Academicorum munera exercere valeant, iis autem tranſacto ſexennio, alii duo, & non plures ſubrogentur, ſicque de ſexennio in ſexennium ſervari debeat. Demum, ut ejuſdem Academię conſervationi, bonoque regimini, necnon Academicorum commodis, & utilitatibus uberius conſultum ſit, promptumque, & paratum eis ſuppetat pręſidium, dilectos filios noſtros Johannem Baptiſtam Sancti Cęſarei Spinulam, Johannem Dominicum Sanctę Anaſtaſię Parraccianum, Carolum Auguſtinum Sancti Auguſtini Fabronum, Johannem Baptiſtam Sancti Stephani in Monte Cęlio Ptolomęum titulorum Presbyteros, necnon Annibalem Sanctę Marię in Coſmedin Diaconum Albanum nuncupatos, noſtrum ſecundum carnem ex germano fratre nepotem, prędictę Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, memoratę Academię Protectores, & defenſores conſtituimus, & deputamus, quorum conſilio, ope, ac patrocinio tam ſupradicta, quam quęcunque alia ad Conſtitutionum, & ſtatutorum pręfatorum obſervantiam, Academicorum admiſſionem, & expulſionem, ſecretarii, & cenſorum deputationem, & amotionem ſpectantia, ac generaliter omnia, & ſingula, quę ad ſalubrem Academię directionem, illiuſque progreſſum, decus, & ornamentum tendere, & conducere videbuntur, agantur, ſtatuantur, & ordinentur. Nos enim eiſdem, ac pro tempore exiſtentibus Protectoribus per Nos, & Sedem Apoſtolicam pariter deputandis, plenam, liberam, & amplam ad pręmiſſa facultatem, & auctoritatem harum ſerie tribuimus, & impartimur. Decernentes ipſas pręſentes literas, ac omnia, & ſingula pręmiſſa firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in eiſdem pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Urbis, & Gymnaſii pręfatorum, ac quorumcunque Ordinum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Aprilis MDCCXVIII, Pontificatus noſtri Anno Decimo octavo.

F. Card. Oliverius.

a. Ferrarium.) De quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii XII.*

Quod examine jurium prætermiſſo Decanatum S. Collegii alteri ceſſerit Cardinalem Urſinum (1) laudibus effert.

Anno 1719 Die 8 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXI.

Venerabili Fratri noſtro Vincentio Marię Epiſcopo Portuenſi S.R.E. Cardinali Urſino nuncupato.

CLEMENS PP. XI.

Venerabilis Frater noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXimię virtutis tuę novum, & ſane pręclarum argumentum ad Nos attulerunt tuę literę die XXVII mox elapſi menſis Martii conſcriptę, in quibus tum arctum illud, quo obſtringeris vinculum reſidendi apud Eccleſiam Beneventanam, quam tanta cum tui nominis gloria, gregiſque tibi crediti utilitate adminiſtras, tum grave itidem onus, quod Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii Decani dignitas, atque Oſtienſis, & Velitern. Eccleſiarum regimen ſecum ferunt ſapienter expendis, demumque a Nobis enixe poſtulas, ut quocunque jurium tuorum examine pretermiſſo, Decanatus dignitatem prędictam, quam bonę memorię Nicolaus Cardinalis Acciajolus dum viveret, obtinebat, venerabili Fratri noſtro Fulvio Epiſcopo Sabinenſi ejuſdem S R.E. Cardinali Aſtallio nuncupato deferri patiamur, ejus prefatarum Oſtienſis, & Veliternenſis Eccleſiarum per obitum ipſius Nicolai Cardinalis ultimi illarum Epiſcopi vacantium optionem, abſque ulla majori cunctatione permittamus. Egregiam propterea ac vere ſacerdotalem animi tui moderationem, meritis in Domino laudibus proſequentes, petitioni tuę quamprimum ſatisfacere non omittemus. Interim vero, quemadmodum a Nobis flagitaſti auctoritate Apoſtolica,

tenore prǽſentium declaramus, ex hac tua poſtulatione, iiſque omnibus, quę illam conſequentur, nullum omnino prǽjudicium inferri poſſe, nec debere iis juribus, quę de cetero in ſimilibus vacationis Decanatus hujuſmodi caſibus quovis modo competere poſſent, Cardinalibus promotione antiquioribus tempore dictę vacationis extra Romanam Curiam reſidentibus apud Metropolitanas, ſeu Cathedrales Eccleſias, quibus eos una cum aliqua ex illis ſex Cathedralibus Eccleſiis, quę ipſis Cardinalibus antiquioribus pro eorum titulis, ſeu denominationibus aſſignari ſolent, prǽeſſe contigerit, ſed tam illorum, quam viciſſim aliorum quorumque antiquiorum Cardinalium in eadem Romana Curia tempore ejuſdem vacationis commorantium jura, ſalva prorſus, & integra ſint, & eſſe debeant, itaut ſeu ratione Conſtitutionis felicis recordationis Pauli Papę IV Prędeceſſoris noſtri circa Decanatum ſupradictum, anno Incarnationis Dominicę MDLV undecimo Kalendas Septembris, Pontificatus ſui Anno primo editę, ſive aliis quibuſvis conſtitutionibus, ac decretis Apoſtolicis attentis, in eodem omnino ſtatu remaneant, quo erant ante noviſſimam earumdem Oſtienſis, & Veliternenſis Eccleſiarum vacationem, nec cuiquam ipſorum per ea, quę illius occaſione peracta fuerint aliquid novi juris acquiſitum, aut veteris ſublatum eſſe intelligatur. Tibique demum, venerabilis Frater noſter, Pontificię & quidem prǽcipuę caritatis teſtem Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VIII Aprilis MDCCXIX, Pontificatus noſtri Anno Decimonono.

Jo: Chriſtophorus Arch. Amaſenus.

1. *Urſinum.*) Poſtea *Benedictum XIII.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur *Tomo ultimo Epiſtolarum, & Brevium Clementis XI pag.* 705. Huc ſpectat ſequens Inſtrumentum.

Allocutio Sanctiſſimi Domini Noſtri ad Eminentiſſimos, & Reverendiſſimos S.R.E. Cardinales Habita in Conſiſtorio ſecreto. Feria IV die XXVI Aprilis MDCCXIX.

VEnerabiles Fratres. Satis vobis notum eſt, atque compertum, quę, & quales occaſione obitus bonę memorię Nicolai S. R. E. Cardinalis Acciajoli, Epiſcopi, dum viveret, Oſtienſis, & Veliternenſis, veſtrique Collegii Decani, dubitationes emerſerint circa ſenſum Conſtitutionis felicis recordationis Pauli PP. IV Prędeceſſoris noſtri, qua ſancitur, Decanatum Collegii prędicti perpetuis futuris temporibus, nonniſi ad Epiſcopum Cardinalem antiquiorem in Romana Curia prǽſentem, aut ex cauſa publica abſentem, atque extra eandem Curiam per Romanum Pontificem deſtinatum, devenire poſſe. Ambigebatur ſiquidem a pleriſque, an Conſtitutione hujuſmodi adverſus Cardinales a Curia abſentes lata comprehenderentur, vel potius excluderentur Cardinales promotione antiquiores, qui incidente ejuſdem Decanatus vacatione, ab eadem quidem Curia abfuerint, ſed apud illas Metropolitanas, ſeu Cathedrales Eccleſias reſederint, quibus eos una cum aliqua ex iis Cathedralibus Eccleſiis, quę ipſis Cardinalibus antiquioribus pro ſuis titulis, ſeu denominationibus aſſignari ſolent, prǽeſſe contigerit. Et ſane ejuſmodi rei ambiguitas, cum nullis hactenus hujus Sanctę Sedis definitionibus diſcuſſa, ac dirempta eſſe videretur, animum noſtrum adduxerat, ut eam expendendam, librandamque demandaremus, ſive dilectis filiis Rotę Romanę Auditoribus, ſive aliis hujus Curię Prǽſulibus, integritate, doctrinaque prǽſtantibus, quorum ſententiis, judiciiſque ſuffragantibus, id demum, quod rationi, & ęquitati conſentaneum viſum Nobis fuiſſet, decerneremus. Verum, dum in ea deliberatione verſaremur, venerabilis Frater noſter Vincentius Maria Epiſcopus Portuenſis, S.R.E. Cardinalis Urſinus nuncupatus, quem unum, tanquam ceteris ſuis Collegis promotione priorem, tam ad Decanatus dignitatem, quam ad prędictas Oſtienſem, & Veliternenſem Eccleſias, memorata Pauli IV Conſtitutione ſepoſita, antiquitatis jura vocabant, ſecum animo reputans, rem hanc abſque aliqua contentione tranſigi minime poſſe, ſuorum primum in hac eadem Curia negotiorum geſtori, mox etiam aliis diſerte ſignificavit, ſe probe memorem eſſe verborum Apoſtoli Timotheum ſuum admonentis: Servum Domini non oportet litigare: ideoque firmiter conſtituiſſe, ſuper iſtiuſmodi negotio a quavis concertationis, ſeu litis ſpecie prorſus abſtinere. Ad hęc non ſolum datis ad Nos literis ex ſuburbano receſſu S. Paſtoris conſcriptis, ſed coram etiam, poſt biduum, animi ſui ſententiam Nobis teſtatus eſt, cujus ſumma fuit, ſe Beneventanę Eccleſię jamdudum obſtrictum reperiri. Sacri vero Collegii Decano, eidemque Oſtienſi, & Veliternenſi Epiſcopo multiplices curas, nec levem pro animarum regimine vigilantiam incumbere, optare ſe propterea, atque etiam obteſtari, ut, quacunque ſui ratione poſthabita, dignitatem Decanatus Cardinali Epiſcopo ex reſidentibus in Romana Curia antiquiori deferre vellemus, eidemque Eccleſiarum Oſtienſis, & Veliternenſis optionem permitteremus, ea tamen adjecta declaratione, ut ſimili in poſterum occurrente Decanatus vacatione, ſalva, & illęſa remanerent, ſi quę eſſent, jura Cardinalium Epiſcoporum, qui Cardinalatu quidem eſſent antiquiores, ſed extra Romanam Curiam in prioribus ſuis Epiſcopatibus tunc reſiderent, quemadmodum ex ipſis ejuſdem Cardinalis Urſini ad Nos *ſcriptis literis* mox legendis plenius cognoſcetis.

Hic Conſiſtorium ingreſſus fuit R. P. D. Battellus Archiepiſcopus Amaſenus, Apoſtolicorum Brevium ad Principes a ſecretis, & palam recitavit Epiſtolam ad Sanctitatem Suam a Domino Cardinali Urſino conſcriptam ex receſſu S. Paſtoris die 27 Martii 1719.

Tam enixis, ac piis optimi Cardinalis precibus annuere ęquum duximus, prout ſimiliter non minus congruum cenſuimus ea jura ampliſſime prǽſervare, quę de cetero ſimilibus in caſibus quovis modo competere poſſent Cardinalibus Epiſcopis antiquioribus, extra Romanam Curiam apud ſuas primas Eccle-

Eccleſias tunc reſidentibus, dummodo e converſo ſalva itidem, & inviolata perſiſterent jura aliorum quorumcunque antiquiorum Cardinalium, in eadem Romana Curia tunc commorantium, prout ex reſponſo, quod eidem Cardinali Urſino dedimus, melius percipietis.

Hic idem Archiepiſcopus Amaſenus legit reſponſum a Sanctitate Sua prædicto Cardinali Urſino datum, apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die octava Aprilis 1719.

Hęc omnia, venerabiles Fratres, vobis, de quorum juribus agitur, ex hoc loco communicare non modo ęquum, verum etiam neceſſarium eſſe exiſtimavimus, ut ita, qua ratione, quibus de cauſis, ac quibus cum declarationibus, & clauſulis optionem Oſtienſis, & Veliternenſis Eccleſiarum hodie permiſſuri ſimus, pleniſſime dignoſceretis. Immo, quoniam declarationes, ac rationes hujuſmodi in noſtris ad eundem Cardinalem Urſinum datis literis, quę modo recitatę fuerunt, fuſe explicantur, dilecto filio noſtro Petro S. Laurentii in Damaſo Diacono Cardinali Otthobono S.R.E. Vicecancellario injungimus, ut eas, una cum epiſtola ipſius Cardinalis Urſini ad Nos pręſcripta, quam ſimiliter audiviſtis, inter acta hujus Conſiſtorii ad perpetuam rei memoriam conſignet, ac ſervet.

Ceterum, ne prędicta Pauli IV Conſtitutio ancipiti diutius, varioque ſententiarum judicio, in ambiguum, atque incertum trahatur, neve in poſterum ſuper ea controverſię ullę, aut diſſenſiones inter Cardinales oboriantur, fixum Nobis, decretumque eſt, viros doctrina, prudentia, ac pietate inſignes deligere, qui & ipſam Pauli IV Conſtitutionem diligenter excutiant, & ſi quę alia ad cauſę momentum contulerint, attente exquirant, & accurate perpendant, ut ita, matura deliberatione adhibita, illud tandem hac in re ſtatuere poſſimus, quod ad majorem Dei gloriam, & cultum, ad hujus Sanctę Sedis utilitatem, ad Ordinis veſtri honorem, atque ad animarum ſalutem conducibilius eſſe arbitrabimur.

Gerunden. Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei Dalmatii (1) Monerii Ordinis S. Dominici, Beati nuncupati.

Anno 1719 Die 19 Aprilis.

LXXII.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

AD humillimas preces Patris Magiſtri Thomę Ripoll Ordinis S. Dominici, Provincialis Terrę Sanctę, & cauſę Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei Dalmatii prędicti Poſtulatoris, pro ſubrogatione alterius ex Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Sac. Rituum Congregationi Prępoſitis Cardinalibus, in locum clarę memorię Cardinalis de Abdua, hujuſmodi cauſę Ponentis nuper defuncti, Sanctiſſimo Domino Noſtro demiſſe ſupplicantis; Et Sanctitas Sua cum omnibus, & ſingulis facultatibus neceſſariis, & opportunis in ſtatu, & terminis, in quibus eadem cauſa reperitur, Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum D. Cardinalem Scottum benigne ſubrogavit, ac deputavit. Die XIX Aprilis MDCCXIX.

F. Cardinalis Paulutius Proponens.

N. M. Tedeſchi Ep. Liparitan. Sac. Rit. Congreg. Secr.

1. *Dalmatii.*) Cujus vitam ſcripſit *Nicolaus* noſter *Eymerici.* 2. *Archivo.*) In quo autographum.

Epiſcopi (1) Septenſis pietatem, & fidem dignis laudibus celebrat.

Anno 1719 Die 1 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Venerabili Fratri Franciſco Epiſcopo Septenſi.

LXXIII.

C L E M E N S PP. XI.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRęclare ſemper exiſtimavimus de filiali in hanc Sanctam Sedem devotione Fraternitatis Tuę, atque ſolicita, qua ad paſcendum gregem tuę fidei creditum incumbis, vigilantia. Ubi tamen acceptis literis tuis Kalen. Maii anni proxime pręteriti ad Nos datis, ea perlegimus, quę de Conſtitutione (3) noſtra: Unigenitus Dei filius: magno cum pietatis fervore, nec minori cum eruditione ad Nos ſcripſiſti; ac inſuper mœrorem inſpeximus a Te conceptum ex miſero paucorum illorum Pręſulum ſtatu, qui fiduciam habentes in malitia ſua, eidem Conſtitutioni adhuc ſe ſubmittere detrectant: ita plane commoti ſumus, ut prętermittere nullo modo poſſimus, quin Te, quamvis tanto terrarum ſpatio a Nobis disjunctum, quaſi pręſentem in ſpiritu caritatis Chriſti peramanter amplectamur. Elucet profecto in memoratis tuis literis, qualis ſacrum Antiſtitem maxime decet, Orthodoxę doctrinę cuſtodiendę zelus, debitam Apoſtolicis decretis venerationem aſſerendi ardor, errantium mentes ad veritatis, & juſtitię ſemitam revocandi ſtudium plane eximium, & ſingulare. Qua in re Fraternitatem tuam egregie ſectari conſpicimus illuſtria exempla a ceteris Hiſpaniarum Pręſulibus, cum alias ſępe, tum hac potiſſimum occaſione, palam edita, qui non modo debitam pręfatę Conſtitutioni obedientiam prompto, alacrique animo pręſtiterunt, ſed illam inſuper, & cum illa conjunctam Pontificiam auctoritatem eo Sacerdotalis pectoris robore propugnandam ſuſceperunt; ut certe in Eccleſiaſticis Annalibus eorum memoria celebris, ac in benedictione per-

perpetuo futura ſit. Ceterum quo loco virtus, & merita tua apud Nos ſint, tunc perſpicue Tibi conſtabit, cum opportunitates Nobis ſuppetent gratificandi Tibi; cui interim adjunctum mitti mus Diploma ſacrarum Indulgentiarum, quas a Nobis flagitaſti pro militantibus in iſto luctuoſo bello contra Mauros, Pontificięque noſtrę caritatis pignus Apoſtolicam benedictionem Fraternitati Tuę peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die Prima Decembris MDCCXIX, Pontificatus Noſtri Anno Vigeſimo.

1. *Epiſcopi.*) Fratris ſcilicet *Franciſci de Laſſo* de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur Tomo ultimo *Epiſtolarum & Brevium Clementis XI pag.* 739.
3. *Conſtitutione.*) Qua *Queſnellianos* errores jure damnavit ac merito.

Anno 1720 Die 16 Februarii.

LXXIV.

De Fratribus, ex ceteris Cœnobiis ad Neapolitanum Conventum S. Dominici Majoris, transferendis (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLEMENS PP. XI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EX injuncto Nobis divinitus Apoſtolicę ſervitutis Officio, Chriſti fidelium Altiſſimi obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipatorum quieti libenter conſulimus, ſicut cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Conventus S. Dominici majoris nuncupat. Civitatis Neapolitan. Ordinis Prędicatorum, quod cum alii Fratres dicti Ordinis eidem Conventui affiliari procurent, ea de cauſa, & pręſertim die XXIV Septembris Milleſimo ſeptingenteſimo ſexto, ad infraſcriptam Congregationem Cardinalium nonnulli recurſus habiti fuerunt, auditoque ſuper pręmiſſis dilecto etiam filio Antonino Cloche Magiſtro Generali dicti Ordinis, ipſe eidem Congregationi retulit, grave inconveniens eſſe, quod Conventus Provincię Sancti Dominici de Neapoli, qui extra dictam Civitatem ſiti reperiebantur, viris benemeritis per eorum translationem ad Conventus intra Civitatem hujuſmodi poſitos expoliarentur, ideoque cenſuit, quod in poſterum Religioſi ejuſdem Provincię, qui ad habitum dicti Ordinis admiſſi ſunt, in & pro Conventibus extra Civitatem prędictam exiſtentibus, ad Conventus ejuſdem Provincię intra dictam Civitatem poſitos transfiliari minime poſſent, eadem Congregatio Cardinalium decrevit, translationes filiationum in poſterum, niſi cum cauſa per ipſam Congregationem approbanda, ac de conſenſu omnium Fratrum per ſecreta ſuffragia Capitulariter pręſtando fieri poſſe, & alias, prout in Decreto deſuper confecto, quod pręſentibus pro plene, & ſufficienter inſerto, & expreſſo haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, pretenſores non deſint, qui adfiliationes hujuſmodi variis viis non ſine magno primodicti Conventus, qui undecim Fratribus in Sacra Theologia Magiſtris de pręſenti gravatus reperitur, prejudicio, obtinere tentent; Ipſę vero adfiliationes originalibus Conventibus, qui filiis capacibus deſtituuntur, prejudiciales ſint. Nobis propterea dicti exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab hômine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitorum: qui relationem dilecti pariter filii moderni Procuratoris Generalis dicti Ordinis ſuper pręmiſſis viderunt, conſilio, ut de cetero in prędicto Conventu S. Dominici Majoris Neapolitan. nullus Frater Ordinis pręfati alibi profeſſus, ſine expreſſo omnium Fratrum ſupradicti Conventus filiorum Neapoli tunc exiſtentium conſenſu adfiliari, ſeu in Filium Conventus hujuſmodi coaptari ullo modo valeat, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium ſtatuimus, & ordinamus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate ejuſdem Congregationis Cardinalium. Decernentes ipſas pręſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Conventus, Provincię, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die III Februarii MDCCXX, Pontificatus noſtri Anno Vigeſimo.

F. Card. Oliverius.

1. *Transferendis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.II.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Indul-

Indulgentia (1) pro Generali Capitulo. Anno 1721 Die 8 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLEMENS PP. XI. LXXV.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, Capitulum Generale univerſi Ordinis Fratrum Prędicatorum, in Domo Regulari Sanctę Marię ſupra Minervam nuncupata ejuſdem Ordinis de Urbe, in feſto Pentecoſtes pręſentis anni, benedicente Domino, celebrandum ſit (3). Nos, ut Chriſti fideles ad Eccleſias ejuſdem Ordinis viſitandas, & alia opera pia exercenda promptiores reddantur, quo ex hoc dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui in Annunciationis Beatę Marię Virginis Immaculatę, & Pentecoſtes proxime futuris feſtivitatibus, ac in earum ſingulis feriis octavarum, Eccleſias, loca, & domos Fratrum dicti Ordinis ubicunque exiſten. devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prędictorum id egerint, Plenariam; In feſto autem Pentecoſtes, ac ſingulis diebus actualis illius celebrationis dicti Capituli Eccleſiam S. Marię ſupra Minervam hujuſmodi etiam devote viſitaverint, & ut pręfertur, oraverint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, miſericorditer in Domino concedimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Pręſentibus poſt celebrationem dicti Capituli Generalis minime valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium, aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur pręſentes nullę ſint eo ipſo; quodque pręſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VIII Martii MDCCXXI, Pontificatus Noſtri anno Vigeſimo primo.

F. Card. Oliverius.

1. *Indulgentia*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo*.) In quo autographum, & varia exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXI*.

3. *Celebrandum ſit*.) Obierat enim celeberrimus vir *Antoninus Cloche* de quo ſæpe dictum fuit. In hiſce Comitiis Generalibus electus eſt Reverendiſſimus Pater Magiſter *F. Auguſtinus Pipia*, qui S.R.E. Cardinalis fuit, ut in *Appendice ad Pontificatum Benedicti XIII* videre eſt.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiſcopi, & Epiſcopi Dignitates, Clemente XI Summo Pontifice, promotos exhibens.

ARCHIEPISCOPI.

F. Angelus Maria Carlini, Venetus, Archiepiſcopus Corinthius, in Peloponneſo. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 30 *Indicis Epiſcoporum*. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag.* 212. *num. XXXI.* Anno 1702.

F. Stephanus Sciran, Archiepiſcopus Naſcivanenſis, *Naſſivan.*, in Armenia. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 31 *Indicis Epiſcoporum*. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag.* 213. *num. XXXIV.* Anno 1703.

F. Raymundus Gallani, Archiepiſcopus Ancyranus, in prima Galatia. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 31 *Indicis Epiſcoporum*. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag.* 213 *num. XL.* Idem liquet ex Monumentis *Raguſini* Conventus, ex quibus etiam conſtat, ipſum aliis Eccleſiis præfuiſſe, uti mox dicetur. Anno 1708.

F. Johan-

Anno 1709. F. Johannes Vincentius Caſtelli, alumnus Provinciæ Lombardiæ, Archiepiſcopus Naſcivanen., *Naſſivan*, in Armenia. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 31 *Indicis Epiſcoporum*. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag.* 213 *num. XLI*. Ad alias Eccleſias translatus fuit, ut in hac *Appendice* videre eſt.

Anno 1709. IDem, Archiepiſcopus Martianopolitanus, in ſecunda Mœſia. *Echard*, & *Ponſi* mox laudati. Epiſcopus *S. Angeli in Vado*, & *Urbanien.*, & Orientis Eccleſiarum Viſitator fuit, ut ex *Ughello* mox laudando conſtat.

Anno 1709. F. Petrus Martyr a Parma, alumnus Congregationis S. Sabinæ, Archiepiſcopus Naſcivanen., *Naſſivan*, in Armenia. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 31 *Indicis Epiſcoporum*. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag.* 214 *num. XLII.*

EPISCOPI.

Anno 1701. F. Vincentius Maria Urſinus, S.R.E. Cardinalis, ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis X* dictum fuit, Epiſcopus Tuſculanus, *Fraſcati*, in Latio, immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcop. Tuſculan. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 246 *edition. Veneta*.

Anno 1701. F. Emmanuel a S. Antonio, Luſitanus, Epiſcopus Malacenſis, *Malaca*, in Indiis, ſub Archiepiſcopo Goano. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag.* 212 *num. XXX*. Is ipſe eſt *Emmanuel* quem *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 28 *Indicis Epiſcoporum* vocat *Emmanuelem a S. Auguſtino*.

Anno 1702. F. Didacus Pozuli, Sardus, Epiſcopus Ampurien., ſub Archiepiſcopo Turritano in Sardinia. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 24 *Indicis Epiſcoporum*. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag.* 212 *num. XXXII.*

Anno 1703. F. Jacobus Falconetti, Patricius Senen., Epiſcopus Groſſetanus, *Groſſetto*, in Hetruria, ſub Archiepiſcopo Senenſi. *Ughellus in Epiſcopis Groſſetan. Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 699 *edition. Venetæ*. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 23 *Indicis Epiſcoporum*. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag.* 212 *num. XXXIII.*

Anno 1704. F. Raymundus Aſperti, nobilis Bergomas, Epiſcopus Pharien., ſeu Leſinen., in ejuſdem nominis Inſula, ſub Archiepiſcopo Spalatenſi. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 29 *Indicis Epiſcoporum*. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag.* 213 *num. XXXV.*

Anno 1705. F. Gregorius Compagni, ex Epiſcopo *Burgi S. Sepulchri*, ut in *Appendice ad Pontificatum Innocentii XII* dictum fuit, Epiſcopus Larinen., ſeu Alarinen., *Larino*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag.* 211 *num. XXIV*. Notandum quod *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 22 *Indicis Epiſcoporum*. Gregorium iſtum præficit Sedi *Lavellen.*. Legendum *Larinen.*

Anno 1705. F. Raphael Maria Filamondi, Neapolitanus, ex Bibliothecario Caſanatenſi, Epiſcopus Sueſſanus, *Seſſa*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Capuano. *Ughellus in Epiſcopis Sueſſan. Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 547 *edition. Venetæ*. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 22 *Indicis Epiſcoporum*. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag.* 212 *num. XXXVI.*

Anno 1706. F. Johannes de Montalban, Epiſcopus Guadicen., ſeu Accitanus, vulgo *Guadix*, in Hiſpania Bethica. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 26 *Indicis Epiſcoporum*. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag.* 213 *num. XXXVII*. *Didacus Raſpeño, alumnus Salmanticenſis Conventus in Synopſi Vitæ ejuſdem Johannis de Montalban.* Anno *MDCLXI* die *XV* Aprilis natus eſt *Johannes* noſter. Ætatis anno *XIV* nondum expleto, Chriſti *MDCLXXV* die *XXVII* Septembris, Ordini Fratrum Prædicatorum nomen dedit in *Salmanticenſi* Cœnobio. Ibidem vota ſolemnia nuncupavit anno *MDCLXXVII* die *IX* Maii. Salmanticenſis Academiæ moderator Cathedræ Veſpertinæ renunciatus ætatis anno *XXXII*, Chriſti *MDCXCIV* die *VII* Julii, eandem rexit ad annum *MDCCVI* quo *Guadicenſis* Epiſcopus creatus eſt. Ad Eccleſiam *Placentinam* translatus anno *MDCCXX*, eodem anno diem clauſit extremum die *XII* Menſis No-

Novembris. Inter Theologos primi nominis jure ac merito recenſendus eſt *Johannes de Montalban*, cujus *Diſputationes Theologicas* in I Partem Summæ *D. Thomæ* vulgandas curat vir clariſſimus *Didacus* noſter *Raſpeño*. Legi volumen primum cui titulus eſt: *Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi D. D. Fratris Johannis de Montalban ex Ordine Prædicatorum, Salmanticenſis Academiæ in Sacra Theologia Magiſtri, ac Veſpertinæ Cathedræ diu Moderatoris: Epiſcopi Accitani, & Bacenſis, & jam ad Eccleſiam Placentinam promoti, Diſputationes Theologicæ in I Partem D. Thomæ, Cœlorum Reginæ del Roſario mira pulchritudine in ſuo typo hujus Salmantini Conventus S. Stephani præfulgenti dicatæ, per P. Præſentatum Fr. Didacum Raſpeño, ejuſdem Ordinis, cujus labore, & induſtria in lucem prodeunt. Tomus Primus. Anno Domini MDCCXXIX. Cum Superiorum permiſſu. Excudebat Salmanticæ Joſeph Ortiz Gallardo*. Alia tria Volumina, eodem *Didaco* curante, jam typis impreſſa fuerunt. Ipſa vidi.

F. Raymundus Gallani, Vicarius Patriarchalis Conſtantinopolitanus. *Monumenta Raguſini Cœnobii.* Archiepiſcopus *Ancyranus* fuit, uti ſupra dictum eſt. — Anno 1706 Die 29 Aprilis.

F. Ambroſius Mac Diermot, nobilis Hibernus, Epiſcopus Elfinen., ſeu Olfinen., *Elphen.*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Tuamenſi. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 29 Indicis Epiſcoporum. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 213. num. XXXVIII.* — Anno 1707.

F. Emmanuel Mendoza, a S. Thoma nuncupatus, Epiſcopus Almerien., *Almeria*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Granatenſi. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 26 Indicis Epiſcoporum. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 213 num. XXXIX.* — Anno 1707.

F. Franciſcus Parchich, nobilis Sibinicen., S. Theologiæ Magiſter, & Inquiſitor Generalis in Dalmatia, Epiſcopus Catharenſis, *Cattaro*, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Ughellus in Epiſcopis Catharen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag. 699 edition. Venetæ. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 29 Indicis Epiſcoporum. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 214 num. XLIII.* Obiit anno *MDCCXV* menſe Majo. — Anno 1709.

F. Ambroſius o Conor, S. Theologiæ Magiſter, Provincialis Hiberniæ ab anno MDCC ad MDCCIX, Epiſcopus deſignatus Ardenſis, *Ardat*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Caſſilien. — Anno 1709.

F. Johannes Damaſcenus Lubienski, Polonus, ex Theologo Collegii Caſanatenſis Epiſcopus Bachovien., *Backow*, in Walachia, ſub Archiepiſcopo Leopolienſi. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 30 Indicis Epiſcoporum. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 214 num. XLIV.* — Anno 1711.

F. Carolus Hyacinthus Laſcaris, Nicienſis, e Comitibus de Vintimiglia, ex Bibliothecario Collegii Caſanatenſis Epiſcopus Spoletanus, *Spoleto*, in Umbria, immediate ſub S. Sede. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 21 Indicis Epiſcoporum. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 214 num. XLV.* — Anno 1711.

F. Bartholomæus Jarcia, ſeu Garcia, Americanus, alumnus Cœnobii Quitenſis, Epiſcopus Portus-Divitis, *Portoricco*, in ejuſdem nominis Inſula, ſub Archiepiſcopo S. Dominici. Obiit anno circiter *MDCCXV. Echard Tomo II Scriptorum Ordinis in ſupplemento Noviſſimo pag. 2.* — Anno circiter 1711.

F. Emmanuel Mendoza a S. Thoma, ex Epiſcopo *Almerien.*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Malacitanus, *Malaga*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Granatenſi. *Echard*, & *Dominicus Ponſi* ſupra laudati. — Anno 1713.

F. Jacobus de Mimbella, alumnus Provinciæ Aragonenſis, Epiſcopus S. Crucis, Santa Croce de la Sierra, in America, ſub Archiepiſcopo Platen, ſeu Argenten. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 27 Indicis Epiſcoporum. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 214 num. XLVI.* Notandum quod *Echard* vocat ipſum *Nimbella*, & anno *MDCCIV* Epiſcopum conſtitutum dicit. — Anno 1714.

IDem tranſlatus eſt ad Eccleſiam Trugillenſem, *Truxillo*, in America Meridionali, ſub Archiepiſcopo Limano. *Dominicus Ponſi* mox laudatus. Vivit adhuc *Jacobus* noſter. — Anno ....

F. Johannes Vincentius Caſtelli, ex Archiepiſcopo *Martianopolitano*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſ- — Anno 1714.

Epiſcopus Urbanien., & S Angeli in Vado, in Italia, ſub Archiepiſcopo Urbinatenſi. *Ughellus in Epiſcopis Urbanien. Tomo II Italiæ Sacræ pag. 894 edition. Venetæ. Echard*, & *Ponſi* ſupra laudati.

Anno 1714. F. Joſephus a Jeſu Maria, Luſitanus, Epiſcopus Patarenſis, *Patera*, in Lycia, ſub Archiepiſcopo Myreo, Suffraganeus, ſeu Vicarius *D. Simeonis de Gama* Archiepiſcopi Eborenſis. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 214 num. XLVII. Fonſeca in Evora Glorioſa pag. 317 num. DLXVI.* Patria *Ulyſſipponenſis* eſt, & vivit adhuc. Hinc emendandus *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag 27 Indicis Epiſcoporum*, ubi *Joſephum* noſtrum dicit Vicarium, ſeu Suffraganeum *Ulyſſiponenſem*.

Anno 1715. F. Vincentius Maria Urſinus, S. R. E. Cardinalis, ex Epiſcopo *Tuſculano*, ut in hac *Appendice* dictum eſt, Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ, immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcopis Portuen. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 154 edition. Venetæ.*

Anno 1716. F. Thomas de Seſtri, Epiſcopus Nyſſenus, in Armenia, ſub Archiepiſcopo Cæſarienſi. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 31 Indicis Epiſcoporum. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 214. num. XLVIII.*

Anno 1716. F. Johannes a Sancta Cruce, Hiſpanus, Epiſcopus Nimerienſis, & Vicarius Apoſtolicus in Tunkino. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 28 Indicis Epiſcoporum. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 215 num. XLIX.*

Anno 1716. F. Barnabas de Fidelibus, alumnus Congregationis S. Sabinæ, Epiſcopus Aſpahamen., *Hiſpaham*, *Aſpaham*, & *Haſpacham*, in Perſide. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 31 Indicis Epiſcoporum. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 215 num. L.*

Anno 1716. F. Franciſcus Laſſo, de la Vega, alumnus Provinciæ Hiſpaniæ, Epiſcopus Septenſis, *Ceuta*, in Africa, ſub Archiepiſcopo Ulyſſipponen. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 215 num. LIV.* Ad *Placentinam* Sedem translatus eſt.

Anno 1716. F. Petrus de la Mejorada, alumnus Provinciæ Hiſpaniæ, Epiſcopus Novæ Segobiæ, *Cagayan.*, in Inſulis Philippinis, ſub Archiepiſcopo Maniliano. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 215 num. LV.*

Anno 1717. F. Joſeph de Eſquivel, Epiſcopus Lycopolitan.. *Licopoli*, in Ægypto. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Eminen. Cardinalis de Arias Archiepiſcopi Hiſpalen. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII. pag. 215 num. LI.*

Anno 1717. F. Joſeph Maria Puſitanus, nobilis Neapolitanus, Epiſcopus Acerranus, *Cerra*, & *Acerra*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Neapolitano. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag. 22 Indicis Epiſcoporum. Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 215 num. LII.*

Anno 1717. F. Thomas Maria Farina, Neapolitanus, alumnus Provinciæ Regni, Epiſcopus Teramen., ſeu Interamen, & Aprutin., *Teramo*, in Picenatibus, immediate ſub S. Sede. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 215 num. LVI.*

Anno 1718. F. Cæſar Franciſcus Lucinus, nobilis Comenſis, Epiſcopus Gravinenſis, *Gravina*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Acheruntin., & Materan *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 216 num. LVIII. Ughellus in Epiſcopis Gravinen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag. 131 edition. Venetæ.*

Anno 1718. F. Hyacinthus Zanobetti, Jaderenſis, Epiſcopus Catharen., *Cattaro*, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 215 num. LIII. Ughellus in Epiſcopis Catharen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag. 699 edition. Venetæ.*

Anno 1718. F. Maginus Ventalliol, alumnus Cœnobii Barchinonenſis, Epiſcopus Caryſtenſis, *Cariſto*, in Eubœa, ſub Archiepiſcopo Athenienſi. Fokienſis Provinciæ Sinen. Apoſtolicus Adminiſtrator fuit. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 215 num. LVII.*

F. Jo-

F. Johannes Chryſoſtomus Calvi, Epiſcopus Cephalonen., & Zacynthi, *Ceſalonie*, *&* *Zante*, in ejuſdem nominis Inſulis, ſub Archiepiſcopo Corcyrenſi. Ad Eccleſiam *Feretranam* translatus eſt, quam nunc etiam ſapientiſsime regit, ut poſtea dicetur. Natus die *IV* Novembris *MDCLXXI*, luſtrali nomine vocatus eſt *Antonius Carolus*. Anno *MDCXCVII* Kalendis Aprilibus in Ordinem Fratrum Prædicatorum cooptatus fuit in *SS. Martini*, *&* *Roſæ* Cœnobio *Conelianenſi*, Congregationis *B Jacobi Salomonii*. Solemnem profeſsionem emiſit anno *MDCXCVIII* die *II* Menſis Aprilis, accepto nomine *Johannis Chryſoſtomi*. Anno 1718.

F. Dominicus Maria Cedronio, nobilis Neapolitanus, Epiſcopus Bituntinus, *Bitonto*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Dominicus Ponſi in Vita Antonini Cloche Cap. VIII pag. 216 num. LIX.* Anno 1720.

F. Johannes de Montalban, ex *Guadicenſi* Sede, ut in hac *Appendice* videre eſt, translatus fuit ad Eccleſiam Placentinam, in Hiſpania. *Ex Synopſi vitæ ejuſdem Johannis.* Anno 1720.

INNOCENTIUS XIII.

Michael Angelus e Comitibus, electus eſt die VIII Maii MDCCXXI. Coronatus fuit ejuſdem menſis die XVIII. Obiit Romæ die VIII Martii MDCCXXIV. Sedit Annos II Menſes X.

Anno 1721 Die 29 Maii.

Cardinalis De Via (1) Præſes Generalis Capituli conſtitutus.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio noſtro Johanni Antonio S.R.E. Presbytero Cardinali, De Via nuncupato.

I. INNOCENTIUS PP. XIII.

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum, ſicut accepimus, Capitulum Generale Ordinis Fratrum Prędicatorum in Alma Urbe Noſtra prope diem, benedicente Domino, celebrandum ſit, Nos, cupientes, ut Capitulum hujuſmodi, recte, & feliciter ad Dei laudem, & gloriam, dictique ordinis utilitatem, celebretur, Te, de cujus pietate, prudentia, integritate, & Religionis zelo, plurimum in Domino confidimus, in prędicto Capitulo Generali, noſtro, & Sedis Apoſtolicę nomine Prędidentem, cum auctoritate, facultatibus, honoribus, & meritis ſimilibus Prędidentibus competentibus, & aliis ſolitis, & conſuetis, ac cum facultate, quando Tu, actibus Capitularibus intereſſe non poteris, aliquam perſonam in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutam, tibi beneviſam, intra locum ad hujuſmodi Prędidentis munus obeundum, cum auctoritate, & facultatibus Tibi per pręſentes conceſſis ſubſtituendi, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium facimus, conſtituimus, & deputamus, Teque in Domino hortamur, & monemus, ut Capitulum hujuſmodi feliciter regere, ac in illo omnia, & ſingula quę ad proſperum totius Ordinis hujuſmodi regimen, & gubernium pertinent, decerni, ſtatui, & ordinari cures, & facias; Mandantes propterea in virtute S. Obedientię dilectis filiis dicti Ordinis Superioribus, quocunque nomine nuncupatis, ceteriſque Fratribus, & ſpecialiter vocalibus in prędicto Capitulo Generali congregatis, aliiſque ad quos pertinet, ut Te in ejuſdem Capituli, Noſtro & Sedis pręfatę nomine Prędidentem, reverenter ſuſcipiant, tibique, & per te ſubſtituendę perſonę pręfatę, in omnibus, ad Prędidentis hujuſmodi Officium pertinentibus, pareant, obediant, & aſſiſtant, tuaque, & ejuſdem perſonę a Te ſubſtituendę ſalubria monita, & juſſa, reverenter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo, ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die Vigeſima nona Maji MDCCXXI, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

F. Cardinalis Oliverius.

1. *Cardinalis De Via.*) *Bononienſis*, magni nominis vir, majoris eruditionis, exquiſitæ prudentiæ. Ipſius meminit *Nicolaus Coletus* in *Additionibus ad Ughelli Italiam Sacram Tomo II in Epiſcop. Ariminen. pag.* 441. *edition. Venetæ.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

Anno 1721 Die 13 Auguſti.

Decretum Gerunden. Canonizationis Beati Dalmatii (1) Ordinis S. Dominici.

Ex Archivo (2) Ordinis.

II. Admiſſa a Sacra Rituum Congregatione, habita die XV Menſis Julii MDCCXIX, annuente etiam ſanctę memorię Clemente XI, ac ſucceſſive per eundem Sanctiſſimum ſignata Commiſſione introductionis cauſę Beatificationis, & Canonizationis Dalmatii Monerii prędicti Beati nuncupati. Et modo juxta tenorem pręfatę Commiſſionis ad inſtantiam P. Magiſtri Thomę Ripoll, Sacerdotis Profeſſi Ordinis S. Dominici, Provincialis Terrę Sanctę, hujuſmodique cauſę Poſtulatoris ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Card. Scotto, Ponente, in Sacra Rituum Congregatione propoſito, ac diſcuſſo infraſcripto dubio. An ſententia lata per Judices delegatos a Reverendiſſimo Epiſcopo Gerunden. ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto a decretis felicis recordationis Urbani VIII ſit confirmanda in caſu &c. Sacra eadem Rituum Congregatio, R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore tam in ſcriptis, quam in voce prius audito, reſcribendum cenſuit, affirmative, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro vi-

viſum fuerit. Die IX Auguſti MDCCXXI. Factaque deinde per me Secretarium de prędictis Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio Papę XIII relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die XIII ejuſdem Menſis, & Anni MDCCXXI.

F. Card. Paulutius Pręfectus.

Loco ✝ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Epiſcopus Liparitanus Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Dalmatii*.) Cujus Vitam ſcripſit *Nicolaus Eymericus*.

2. *Archivo*.) In quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCCXXI*.

Anno 1721 Die 12 Septembris.

Univerſitas in Havanæ (1) Cœnobio conſtituta (2), ut ex Angelici Doctoris S. Thomæ Doctrina remotiſſimis etiam partibus in doctrina ſana inſtitutioni, atque eruditioni conſulatur.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

III.

INNOCENTIUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ÆTernę Sapientię conſilio ad Eccleſię Catholicę per univerſum terrarum orbem effuſę regimen, meritis licet imparibus evecti, laudabilibus eorum ſtudiis, per quę Chriſti fidelium, pręſertim in remotiſſimis ab hac S. Sede partibus, degentium, in doctrina ſana inſtitutioni, atque eruditioni conſulitur, peculiarem paſtoralis muneris noſtri ſollicitudinem, cum a Nobis petitur, libenti animo adhibemus, ſicut omnibus mature perpenſis conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provincię S. Crucis Ordinis Prędicatorum in Indiis Occidentalibus, quod cum in eorum Conventu S. Johannis Laterani nuncupato Oppidi Civitatis nuncupatę Havanę, Cuban. Diœceſis, in eiſdem Indiis pluribus ab hinc annis magno cum progreſſu diverſarum ſcientiarum ſtudia, nimirum Grammaticę, Philoſophię, atque Sacrę Theologię, ex quibus per accuratam eorundem Religioſorum ſollicitudinem, experientia teſte, uberes fructus hactenus accepti fuerunt, laudabiliter vigeant, & quamvis conſimilis copioſa meſſis in futurum ſperari potuiſſet, exponentes prefati oppoſitum, non ſine modico mœrore ob fruſtratam fere ſpem aſſequendi in dicto Oppido pręmium ex defectu Academię, & Univerſitatis ſtudii generalis pro collatione graduum experiri cogantur, proximior vero, nempe Mexicana ſtudii generalis Univeſitas Trecentis Leucis a dicto Oppido Havanę, ac altera Inſulę Hiſpaniolę, ubi Conventus S. Dominici ejuſdem Ordinis eam retinet, eaque potitur, longo navigationis intervallo, quę nonniſi cum maximo vitę diſcrimine permittit acceſſum, reſpective diſtent; Ipſi exponentes, ut dicta ſtudia cum antiquo fervore revocentur, ac juventus ad priſtinum certamen reſtituatur, Fratribus pręfati Conventus S. Johannis Laterani facultatem concedendi dictos gradus cum eiſdem privilegiis, honoribus, & gratiis, quibus ſecundo dictus Conventus Hiſpaniolę potitur, per Nos concedi ſummopere deſiderant. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, ac eorum, & Fratrum primodicti Conventus ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium, qui relationes venerabilis Fratris Epiſcopi Cuban., & tunc exiſtentis Procuratoris Generalis ipſius Ordinis, ſuper pręmiſſis eiſdem Cardinalibus factas viderunt, conſilio, modernis, & pro tempore exiſtentibus Fratribus dicti Conventus S. Johannis Laterani facultatem conferendi gradus in illis ſcientiis, & facultatibus, quę in eodem Conventu edocentur, & leguntur, ad inſtar Academię ſecundodicti Conventus S. Dominici Hiſpaniolę ipſius Ordinis, ac cum eiſdem privilegiis, honoribus, & gratiis, quibus ipſe Conventus S. Dominici nunc etiam fruitur, & potitur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium perpetuo concedimus, & impertimur, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſi-

& ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, in judicio, & extra, quę pręſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII Septembris MDCCXXI, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

1. *Havana.*) In *America.*
2. *Conſtituta.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
3. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

Anno 1722 Die 25 Aprilis. IV.

Decretum de Officio Converſionis S. P. Auguſtini recitando.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

ORDINIS SANCTI DOMINICI.

NOn minus enixe, quam humiliter P. Magiſtro Auguſtino Pipia Magiſtro Generali Ordinis Pręḍicatorum, Sacrę Rituum Congregationi ſupplicante, quatenus Officium Converſionis S. Auguſtini, quod die V Menſis Maii in toto Ordine Sancti Auguſtini ſub ritu duplici recitatur, in univerſa ipſius Religione ſub eodem ritu, pro altera tamen die, dum pręḍicta dies V Maii impedita eſt ab Officio diei feſti Sancti Pii PP. V, in poſterum recitari benigne concedere dignaretur; Sacra eadem Rituum Congregatio, attentis circumſtantiis in ſupplici libello expreſſis, pręḍictum Officium ſub ritu duplici univerſo PP. Pręḍicatorum Ordini pro prima die non impedita, & ſervatis rubricis poſſe concedi cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die XXV Aprilis MDCCXXII. Factaque deinde per me Secretarium de pręḍictis Sanctiſſimo D. N. relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die, & Anno pręḍictis.

F. Card. Paulutius Pręfectus.

Loco † Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Cong. Sec.

1. *Archivo.*) In quo exemplaria, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXII.*

Anno 1722 Die 6 Maii.

Eccleſiam SS. Quirici, & Julitæ de Urbe, confert Congregationi S. Marci.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

V. Dilecto filio noſtro in Alma Urbe noſtra, ejuſque diſtrictu Vicario in ſpiritualibus Generali.

INNOCENTIUS PP. XIII.

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Congregationis Sancti Marci Florentin. Ordinis Pręḍicatorum, & pro eis Romanus Felix Vivioni pręḍictę Congregationis Vicarius Generalis, quod nuper dilecti etiam filii Capitulum, & Canonici ſecularis, & collegiatę, quę etiam Parochialis exiſtit, Eccleſię Sanctorum Quirici & Julitę de Urbe, conſiderantes pręḍictam eorum Eccleſiam utpote ad malum ſtatum redactam quampluribus reparationibus indigere, ipſius vero Eccleſię redditibus, qui, ad centum quinquaginta ſcuta monetę Romanę, computata tamen in eis congrua quinquaginta ſcutorum monetę, hujuſmodi Vicario perpetuo dictę Eccleſię, qui curam animarum illius Parochianorum exercet ad formam conſtitutionis Pii Papę V Pręḍeceſſoris noſtri aſſignata, & non deductis expenſis pro manutentione ſacriſtię ipſius Eccleſię, & Eccleſiaſticis functionibus in ea peragendis neceſſario ſubeundis annuatim aſcendunt, adeo tenues exiſtere, ut ex illis ejuſdem Eccleſię urgentibus neceſſitatibus minime occurri, minuſque ex fructibus, redditibus, & proventibus ſuorum Canonicatuum, & Pręḃendarum, quorum ſinguli viginti ſcutorum monetę pręḍictę valorem annuum non excedunt, attenta illorum tenuitate, provideri valeat, proindeque neceſſitatibus hujuſmodi aliquo modo conſulere cupientes, poſt varios deſuper habitos tractatus, pręḍictam Eccleſiam, illiuſque uſum, & adminiſtrationem una cum cura animarum illius Parochianorum, ac Fonte Baptiſmali in ea exiſtente, necnon omnibus, & ſingulis dictę Eccleſię bonis, rebus, proprietatibus, fructibus, redditibus, juribus, obventionibus, & emolumentis certis, & incertis, etiam ab exercitio curę animarum hujuſmodi provenien., ac univerſa illius ſupellectilia ſacra & prophana, in ea quomodolibet ad opus divini cultus exiſten., & ad ea ſpectan., ac cum omnibus illius campanis, crucibus, calicibus, patenis, vaſis, turibulis etiam aureis, & argenteis, ac etiam cum omnibus, & ſingulis bonis, & fructibus, redditibus, & proventibus ad ſex Canonicatus, & Pręḃendas ejuſdem Eccleſię, illoſque pro tempore obtinentes, ſpectan., & pertinen. Fratribus pręḍictis, & pro eis Romano Felici Vicario Generali pręḍicto perpetuo concedere, & aſſignare deliberarunt, ac etiam nuper, reſervato tamen noſtro & Sedis Apoſtolicę beneplacito, ac de conſenſu dilecti filii noſtri Henrici S. R. E. Presbyteri Cardinalis de Biſſi nuncupat. moderni dictę Eccleſię titularis, per dilectum filium Magiſtrum Antonium Mariam Pallavicini, uti Procuratorem ab eodem Henrico Car-

Cardinale a Romana Curia abſente ad id ſpecialiter conſtitutum, & deputatum jam pręſtito conceſſerunt & aſſignarunt, poſſeſſione minime tradita, ſub infraſcriptis tamen pactis, & conditionibus a te viſis, & approbatis, ac inſtrumento publico deſuper confecto, & peracto dilecti etiam filii Sebaſtiani de Bernardinis publici Curię Capitolinę Notarii, ſub die duodecima Menſis Aprilis proxime pręteriti ſtipulato latius expreſſis, videlicet quod ſalva, & illęſa ſemper remaneant omnia, & ſingula jura, rationes, & juriſdictiones, quę nunc ſpectant, & pertinent, & quoquomodo ſpectare, & pertinere poſſunt, & poterunt tam dicto Henrico Cardinali moderno, quam futuris dictę Eccleſię Cardinalibus titularibus pro tempore exiſtentibus, ſupradictam Eccleſiam, quibus per principalem conceſſionem, & aſſignationem nullo modo in aliquo pręjudicatum cenſeatur, ac etiam ſalva, & illęſa remaneat dicto Henrico Cardinali, aliiſque futuris dictę Eccleſię Cardinalibus titularibus pro tempore exiſtentibus, in Urbe prędicta tamen pręſentibus, & prout de jure facultas conferendi Canonicatus, & Prębendas dictę Eccleſię, qui in poſterum non uti Canonicatus & Prębendę, ſed uti perpetua ſimplicia beneficia eccleſiaſtica conferri debeant, quodque attenta conceſſione, & aſſignatione hujuſmodi, etiam quoad bona, & fructus, redditus, & proventus prędictę Eccleſię, & illius Canonicatuum, & Prębendarum, ac etiam ceſſione, & tranſlatione cujuſcunque juriſdictionis prędictis Canonicis ſupradictam Eccleſiam competen., ab eiſdem Canonicis ad favorem dictorum Fratrum factis, Fratres prędicti teneantur, & obligati exiſtant ſolvere, & exburſare prędictis Canonicis, eorumque in Canonicatibus, & Prębendis hujuſmodi ſucceſſoribus pro tempore exiſtentibus in perpetuum, qui de Canonicatibus & Prębendis hujuſmodi, in poſterum perpetuis ſimplicibus beneficiis eccleſiaſticis denominandis a dicto Henrico Cardinale moderno, & futuris dictę Eccleſię Cardinalibus titularibus pro tempore exiſtentibus proviſi fuerint, videlicet cuilibet eorum pro fructibus, redditibus, & proventibus ſuorum Canonicatuum, & Prębendarum hujuſmodi, in poſterum perpetuorum ſimplicium beneficiorum eccleſiaſticorum, ut pręfertur, denominandorum, ſcuta viginti monetę Romanę de juliis decem pro quolibet ſcuto, hujuſmodi libera, immunia, & exempta ab omni onere, & expenſa quolibet anno duabus ſolutionibus ęqualibus, videlicet de ſemeſtre in ſemeſtre poſticipate ratam partem dictorum viginti ſcutorum, incipien. a die poſſeſſionis eis ſuper bonis dictę Eccleſię conceſſis, & aſſignatis traden., & ad hunc effectum Fratres prędicti obligare teneantur omnia, & ſingula bona ſtabilia, cenſus, canones, redditus, & proventus certos, & incertos ad dictam Eccleſiam, ac Canonicatus, & Prębendas prędictos ſpectantes, & pertinentes vigore prędictę conceſſionis, & aſſignationis per eos acquiſitos, & in futurum acquirendos; quodque iidem Fratres prędictam Eccleſiam reſtaurare, illamque, ejuſque ſacriſtiam utenſilibus, & paramentis ſacris providere, & manutenere, ac omnia, & ſingula onera, & obligationes, ad quę, & quos prędictę Eccleſię Canonici illiuſque Vicarius perpetuus curatus teneatur, ſubire, & adimplere debeant, & obligati exiſtant, ſalvo tamen remanente exercitio curę animarum Parochianorum ejuſdem Eccleſię, penes modernum ejuſdem Eccleſię Vicarium perpetuum, in quo idem modernus Vicarius perpetuus, donec vixerit cum omnibus, & ſingulis juriſdictionibus, annexis, connexis, rationibus, & pertinentiis, ac cum perceptione omnium, & quorumcunque fructuum, reddituum, proventuum, & emolumentorum certorum, & incertorum modo, & forma, quibus illos, & illa de pręſenti percipit, continuare debebit, ac etiam ſalva remanente penſione annua viginti quinque ducatorum auri de Camera, alias ſuper perpetuę Vicarię dictę Eccleſię fructibus, redditibus, & proventibus, dilecto filio Thomę Mancini ejuſdem Eccleſię Canonico Apoſtolica auctoritate reſervata, quam idem Thomas annuatim percipit, quamque dictus modernus Vicarius perpetuus donec ipſe vixerit, ac Vicariam prędictam obtinuerit, prędicto Thomę, ut antea ſolvere tenebitur, poſtquam vero dictus modernus Vicarius perpetuus ab humanis deceſſerit, Fratres prędicti ſolvere, & pro hujuſmodi penſionis ſolutione omnia, & ſingula bona, ac fructus, redditus, & proventus, tam certos, quam incertos, Eccleſię & Vicarię prędictarum obligare tenebuntur, quodque ipſi Fratres in aliqua domo prędictę Eccleſię contigua, mediante tamen noſtro beneplacito, inhabitare, & ſi commode fieri poterit, januam, per quam in Eccleſiam ſe commode conferre poſſint, ad effectum inibi eorum proprii inſtituti functiones exercendi aperire, necnon unam clavem Eccleſię, & ciborii retinere valeant, ad hoc ut Sacramenta Eccleſiaſtica aliis in dicta Eccleſia adminiſtrare poſſint, ac alias, prout latius, & diffuſius in dicto inſtrumento contineri dicitur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, conceſſio, & aſſignatio hujuſmodi dictis exponentibus, ut pręfertur, factę ad divini cultus augmentum, & curę animarum ſalutem, necnon prędictę Eccleſię utilitatem, & decorem tendere dignoſcantur, propterea que exponentes prędicti plurimum cupiant illas per nos, & Sedem Apoſtolicam approbari, & confirmari, ideoque Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eis in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem exponentes ſpecialis gratię favore proſequi volentes, necnon eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni tuę per pręſentes injungimus, quatenus veris exiſtentibus narratis conceſſionem, & aſſignationem hujuſmodi, necnon prędictum inſtrumentum deſuper, ut pręfertur, confectum, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis quibuſcunque licitis tamen & honeſtis, auctoritate noſtra pro tuis arbitrio, & prudentia perpetuo approbes, & confirmes. Nos enim illis perpetuę inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, omneſque, & ſingulos tam juris, quam facti, alioſque quantumvis ſubſtantiales defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint in eiſdem ſupplemus, ac conceſſionem, & aſſignationem hujuſmodi, necnon pręſentes literas, ſemper & perpetuo validas, efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac exponentibus prędictis, & quibuſvis aliis, ad quos nunc ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, pleniſſime in omnibus & per omnia ſuffragari, ac ab eis reſpective firmiter, & inviolabiliter obſervari, ſicque

ſicque, & non alias per quoſcunque judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac prędict; Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dict;que Sedis Nuncios judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; necnon dictis exponentibus, ut ipſi in aliqua domo prędictę Eccleſię contigua habitare, &, ſi commode fieri poterit, januam, per quam ad Eccleſiam prędictam ſe commode conferre poſſint ad effectum inibi eorum proprii inſtituti functiones exercendi aperire, ac donec prędictus modernus Eccleſię hujuſmodi Vicarius perpetuus vixerit, unam clavem Eccleſię, & Ciborii retinere ad hoc, ut Sacramenta Eccleſiaſtica aliis adminiſtrare poſſint. Poſtquam vero dictus modernus Vicarius perpetuus e vivis deceſſerit, curam animarum Parochianorum ejuſdem Eccleſię per unum ex prędictę Congregationis Presbyteris regularibus idoneum, a pro tempore exiſtente Superiore ejuſdem Congregationis deputandum, & ad ejus nutum amovibilem, & a te, ſeu pro tempore exiſtente noſtro in Urbe prędicta Vicario examinandum & approbandum exerceri facere reſpective poſſint, & valeant, licentiam, & facultatem, auctoritate noſtra prędicta concedas, & impartiaris, cum hoc tamen quod Fratres prędicti in Conventu Sanctiſſimi Roſarii, ad Montem Marium nuncupatum extra męnia Urbis prędictę permanere, & perſeverare, ipſiuſque Conventus Eccleſiam manutenere, omniaque, & ſingula in literis Apoſtolicis recolendę memorię Clementis Papę XI Prędeceſſoris noſtri, ſub die tertia menſis Februarii Anni Domini milleſimi ſeptingenteſimi decimi deſuper expeditis contenta adimplere obligati exiſtant, & attento, quod Canonicatus, & Prębendę primodictę Eccleſię nullam neque feſtis, neque aliis anni diebus reſidentiam requirunt, ac chori ſervitium non habent, quod de cetero Canonicatus, & Prębendę hujuſmodi, perpetua ſimplicia beneficia eccleſiaſtica denominari, & uti talia reputari, & a nunc, & pro tempore exiſtente Cardinale titulari primodictę Eccleſię, occurrente illorum vacatione, ut ſupra conferri debeant, auctoritate noſtra prędicta concedas, & indulgeas, ac irritum quoque, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac primodictę Eccleſię necnon Congregationis, & Ordinis hujuſmodi etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die Sexta Maii MDCCXXII, Pontificatus noſtri Anno Primo.

P. Card. Prod.

A. Mag. Brevium.
J. Subdatarius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar. Autographum vidi. Aſſervatur in Archivo Cœnobii *SS. Quirici, & Julitæ*.

Anno 1722 Die 1 Julii.

Indulgentia (1) pro quatuor Anniverſariis quotannis celebrandis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

VI.

INNOCENTIUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm ſicut pro parte dilecti filii Auguſtini Pipia, Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum &c. (3) Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die Prima Julii MDCCXXII Pontificatus noſtri Anno Secundo. P. Card. Oliverius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXII*.
2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ*
3. *Prædicatorum &c.*) Ut in *Conſtitutione XXVI Clementis XI.*

Anno 1722 Die 30 Julii.

Labores, a F. Petro Savornin (1) occaſione epidemicæ luis ſuſceptos, commendat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Auguſtino Pipia (3) Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum.

VII.

INNOCENTIUS PP. XIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

REligionis zelus, literarum ſcientia, vitę, & morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Franciſcus Mauritius (4) Archiepiſcopus Avenionen., quod inter alios, qui in ſuſcipiendis laboribus occaſione epidemicę luis in Civitate Avenionen. graſſantis, ſibi adjutores ſeſe prębuerunt, dilectus filius Petrus Savornin Frater expreſſe profeſſus Provincię Provincię tui Ordinis, nulli parcens labori mirum in modum eximię chriſtianę caritatis ſpeciem erga peſte infectos, Rectoris ſpiritualis officium in primo Noſocomio dictę Civitatis, majoris peſtilentię tempore exercendo, edidit, ideoque dictus Franciſcus Mauritius quo

alii

alii Religioſi (5) ad ſimilia peragenda magis incitentur, eundem Petrum Magiſterii Provincię gradu à Nobis decorari plurimum deſiderat. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut prędicto Petro in premiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Petrum premiſſorum meritorum ſuorum intuitu, ſpecialis favore gratię proſequi volentes, cumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum prçſentium duntaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejuſdem Franciſci Mauritii Archiepiſcopi Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium, qui tam tuam, quam dilecti pariter filii moderni Procuratoris Generalis Ordinis prędicti, relationem ſuper premiſſis eiſdem Cardinalibus factam attenderunt, conſilio, diſcretioni tuę per prçſentes committimus, & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, & quatenus in eodem Petro cetera alia requiſita neceſſaria concurrant (6) eundem Petrum ad gradum Magiſtri Provincię cum omnibus privilegiis, prerogativis, ac loco, & voce, ſervatis, ſervandis auctoritate noſtra Apoſtolica pro tuo arbitrio, & conſcientia inſtituas, & aſſumas. Non obſtantibus quibuſdam Innocentii XI, & Innocentii XII Prędeceſſorum noſtrorum literis ſuper reductione Magiſtrorum, aliorumque graduatorum dicti Ordinis emanatis, aliiſque quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provincię, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium premiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores prçſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad premiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXX Julii MDCCXXII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Cardinalis Oliverius.

1. *Petro Savornin.*) Anno *MDCCXXXIII* die *II* Menſis Aprilis, obiit in Americana Inſula *S. Dominici*, in qua Fidei præconem agebat.

2. *Archivo.*) In quo autographum.

3. *Auguſtino Pipia.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Benedicti XIII.* fuit enim S. R. E. Cardinalis.

4. *Franciſcus Mauritius.*) Adeas *Sammarthanos* in *Gallia Chriſtiana* recens edita.

5. *Alii Religioſi.*) Multos adhuc ſuperſtites Ordinis alumnos, qui gravi iſta peſtilentia laborantibus, omnem præbuerunt operam novi. Ex ipſis unum duntaxat appello, virum ſcilicet clariſſimum R. A. P. Magiſtrum *Johannem Sicard*, qui tanta cum laude munus Socii Galli, quo nunc fungor, explevit. Præeſt, & egregiis quibus præſtat dotibus prodeſt, Provinciæ ſuæ *Provinciæ*. De ceteris Ordinis Prædicatorum Fratribus, qui per id tempus peſte contactis, in *Gallo-Provincia*, ſuppetias ferentes, dormierunt in Domino, conſulendus eruditus Pater *Paſtorel* Ordinis Minimorum Provincialis, qui dignis laudibus ipſos ornat in Opere quod ea de re vulgavit, ubi primum peſtis abiit e *Gallo-Provincia*.

6. *Concurrant.*) Plures annos Philoſophiam ac Theologiam docuerat.

Imago S. Dominici in Suriano (1) miraculis clara.

Anno 1722 Die 22 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

DECRETUM

VIII.

Ordinis S. Dominici.

AD ſupplices Reverendiſſimi P. Fratris Auguſtini Pipię Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum, humillimaſque preces P. Magiſtri Ferdinandi Auguſtini Bernabei Poſtulatoris omnium cauſarum Beatificationum, & Canonizationum ejuſdem Ordinis, Sac. Rit. Congregationi porrectas, & ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Card. Salerno, in locum Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. Cardinalis de Comitibus Ponentis relatas, Sac. eadem Rituum Congregatio cenſuit, tam in Martyrologio, quam in Officio prędictorum PP. occaſione feſtivitatis Imaginis S. Dominici in Suriano, ad formam Decreti Sac. Rit. Congregationis de Anno MDCXCII jam impreſſis, apponi in Titulo Commemorationis, etiam Verba, Imaginis Miraculoſę S. Dominici in Suriano; necnon addi poſſe in fine ſextę lectionis ſequentia verba - Ad cujus majorem gloriam cumulandam Deus omnipotens celebrem ejus Imaginem, quę in Oppido Suriani aſſervatur, maximaque Populi devotione colitur, Miraculorum frequentia quotidie illuſtrare dignatur. Hac die XXII Auguſti MDCCXXII.

G. Card. Paulutius Pręf.

Loco ✝ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Epiſcopus Apamenus Sac. Rit. Congr. Secr.

1. *Suriano.*) De hujus nominis Cœnobio ſæpius dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum, typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCCXXII.*

Anno 1722 Die 28 Novembris.

De recitando Officio S. Mariæ de Mercede.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

IX.

ORDINIS PRÆDICATORUM.

ENixis Reverendiſſimi Patris Fr. Auguſtini Pipię, Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum precibus Sacrorum Rituum Congregationi, pro extenſione Officii Beatę Marię Virginis de Mercede porrectis, illiſque relatis, Sacra eadem Rituum Congregatio, attentis circumſtantiis in ſupplici Libello expreſſis, officium petitum in univerſo prężato Ordine, ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur juxta ritum proprii Breviarii in poſterum recitari poſſe, benigne indulſit, atque conceſſit. Die XXVIII Novembris MDCCXXII.

F. Cardinalis Paulutius Prefectus.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſ. Apamenus Sac. Rit. Cong. Sec.

1. *Archivo*.) In quo exemplar authenticum.

Anno 1723 Die 3 Julii.

Lectiones pro die XVIII Junii in feſto Beatæ Oſannæ (1) Virginis Tertii Ordinis S. Dominici.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

X.

LECTIO PRIMA.

OSanna Mantuę nobilibus orta parentibus, gratia ętatem pręveniente, adeo a teneris cęleſtium virtutum, Divinarumque rerum ſtudio exarſit, ut adhuc ſeptennis Virginitatem Deo voverit, quam poſtea ad reliquum vitę ſuę tempus, jejuniis, cilicio, flagellis, aliiſque Corporis Cruciatibus illibatam cuſtodire ſategit. Annos exinde quatuordecim nata, Dominicanę Tertii Ordinis Familię, quam vocant de Pęnitentia nomen dedit, conſuetam tamen Profeſſionem, quod eidem ſe nunquam ſatis parem exiſtimaret, in Annum uſque ętatis Quinquageſimum, eundemque vitę ſuę ultimum diſtulit. Altiorem interea, perfectioremque Sanctitatem ſemper anhelans. In oratione aſſidua erat, in qua ſępe etiam noctes ducere conſuevit. Contemplandis vero Chriſti doloribus pręcipue intenta, ita illis afficiebatur, ut eoſdem in ſe ipſa interdum experiri videretur. Mirifica inde quoque ſuavitate, adeo perfundebatur, ut ad Sacrum Crucifixi Domini latus, veluti ad perennem conſolationis fontem confugeret, quoties tribulationibus angeretur.

LECTIO SECUNDA.

Tanto Divini Sponſi amore flagrabat, ut non raro poſt ſumptam Euchariſtiam, vel cum de illius Paſſione mentio fieret, in extaſim raperetur. Ardentiſſima item caritate Proximum complexa, non modo Pauperes reficiebat, męrentes conſolabatur, inviſebat ęgrotos, ſed aliena etiam mala in ſe transferri cupiens, id ipſum adeo enixis a Deo precibus efflagitabat, ut identidem voti compos effecta fuerit. Parentibus orbata, cum adminiſtrandę Domus curam ſuſcepiſſet, domeſticos, & conſanguineos, quibus virtutum omnium, cęleſtiſque converſationis exemplo pręlucebat, religioſis moribus imbuit, ſanctiſque monitis in Dei timore erudivit. Ejus autem virtutum fama latius manante, cum ad illam, tam cives, quam exteri confluerent, manſuetudine, humanitate, piiſque colloquiis, ad Chriſtianam pietatem, & maxime ad ſpem in Deum, omnes excitabat, & nihilominus de ſe adeo demiſſe ſentiebat, ut omnium ſe ſceleſtiſſimam exiſtimaret.

LECTIO TERTIA.

Prophetię dono fuiſſe a Deo inſignitam conſtans hominum opinio fuit, ac Iſabellę Mantuę Principi virilem prolem diu exoptatam, non modo precibus a Deo impetraſſe, ſed etiam prędixiſſe. Cum per Padum aliquando curſum teneret, fractoque navigio, tam ipſa, quam ceteri vectores fluctibus abrepti, ad certum exitium jactarentur, Divinam opem implorans, & Crucifixi Imaginem manu tenens, incolumis, ut ferunt, una cum Sociis emerſit. Extremo denique oppreſſa morbo adſtantibus, & collacrymantibus Mantuę Principibus, animam Deo reddidit Quarto decimo Kal. Julii Anno ſalutis MDV. Cujus Corpus in Eccleſia S. Dominici honorifice conditum, poſt tres autem annos incorruptum inventum, in ſublimiori, decentiorique ſepulcro collocatum eſt, & Miraculorum etiam fama illuſtratum. Quibus permotus Leo X conceſſit, ut Beatę Oſannę memoria, quotannis in Civitate, & Dięceſi Mantuana, Innocentius vero XII, ut in toto Prędicatorum Ordine, cum Officio, & Miſſa de Communi Virginum celebraretur.

ORATIO.

Exaudi nos Deus: ut in Communi Virginum.

MAN-

MANTUANA.

SAc. Rituum Congregatio, ad humillimas preces P. Magiſtri Fr. Ferdinandi Bernabei (3) Ordinis S. Dominici, & hujuſmodi cauſę Poſtulatoris, nomine, etiam totius pręfati Ordinis, ſupraſcriptas Lectiones Secundi Nocturni proprias in honorem B. Oſannę de Andreaſiis, ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Salerno (4), prius reviſas, correctas, & poſtmodum ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali S. Clementis, ob illius abſentiam in Sacra Congregatione rełatas, Sac. eadem Rituum Congregatio approbavit, & in poſterum ab omnibus Religioſis utriuſque ſexus univerſi Ordinis PP. Prędicatorum, ad formam Indulti ſub die XVIII Decembris MDCXCIV obtenti, in Officio ipſius Beatę recitari ac imprimi poſſe benigne conceſſit. Die III Julii MDCCXXIII.

F. Card. Paulutius Pręf.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Cong r. Secr.

1. *Oſanna.*) De qua dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo autographum.
3. *Bernabei.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Benedicti XIII.*
4. *Salerno.*) Societatis Jeſu. Obiit paucis ab hinc annis.

Indulgentia pro Feſto S. P. Dominici in Suriano.

Anno 1723 Die 2 Auguſti.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XI.

INNOCENTIUS PP. XIII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium Religionem & animarum ſalutem, Cęleſtibus Eccleſię theſauris, pia caritate intenti, ac ſupplicationibus dilecti Filii Auguſtini Pipiæ Ordinis Prędicatorum Magiſtri Generalis nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati: omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis, tam Fratrum, quam Monialium dicti Ordinis ubicunque exiſten., die decima quinta menſis Septembris, a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi annis ſingulis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus ad ſeptennium tantum valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint. Utque earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die II Auguſti MDCCXXIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXIII.*

Indulgentia pro exercitiis Spiritualibus.

Anno 1723 Die 2 Auguſti.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XII.

INNOCENTIUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Auguſtinus Pipia Magiſter Generalis Ordinis Prędicatorum (2). Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die Secunda Auguſti MDCCXXIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

F. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXIII.*
2. *Prædicatorum &c.*) Ut in ejuſdem tenoris *Conſtitutione.*

Anno 1723 Die 3 Augusti.

XIII.

Indulgentia pro Roſario (1) recitando.

Ex Archivo (2) Ordinis.

INNOCENTIUS PP. XIII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium Religionem, & Animarum ſalutem &c. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die III Auguſti MDCCXXIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.
F. Card. Oliverius.

1. *Roſario.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum.

Anno 1723 Die 10 Septembris.

XIV.

De Miſſis celebrandis.

Admodum Reverendo Patri Provinciali, Salutem.

ARdenti, quod tantopere optabamus deſiderio, onerum Miſſarum reductionis indultum, a SS. D. N. Innocentio XIII hodie feliciter regnante, quem diu Omnipotens ſoſpitem ſervet, magno cum noſtri animi ſolatio, cordiſque jucunditate accepimus, humili ad Suam Sanctitatem noſtri Procuratoris Generalis pręvia petitione, tenoris, ut ſequitur.

BEATISSIME PATER.

PRocurator Generalis Ordinis Prędicatorum ad pedes Sanctitatis Veſtrę humiliter provolutus exponit, ſui Ordinis Conventus per Europam conſtitutos, ob bella, peſtilentiam, contributiones, ſubſidia, decimas, & alias calamitates, & infortunia a prędictis cauſis, & aliis, heu nimium! notoriis, derivantia, dura premi paupertate, largitiones fidelium eſſe maximopere imminutas, & fundos quoque, & capitalia Miſſarum perpetuarum ex pręnarratis, aliiſque cauſis, aut in totum deperdita, aut magna ex parte detrita eſſe, & conſumpta, quocirca idem Procurator pari humilitate exorat pro dictarum Miſſarum perpetuarum, quę uſque ad pręſentem diem celebrari debuiſſent, & celebratę non ſunt, benigna condonatione, & pro earundem Miſſarum moderatione, & reductione in futurum.

TENOR DECRETI.

DIe X Septembris MDCCXXIII Sanctiſſimus Dominus Noſter Innocentius Papa XIII ex ſententia Sacrę Congregationis Concilii, mature conſideratis cauſis ſupra recenſitis, necnon exemplis ſuorum Prędeceſſorum Alexandri VII, Clementis X, & Clementis XI Romanorum Pontificum, ab hactenus omiſſa Miſſarum perpetuarum celebratione miſericorditer abſolvit, mandavitque, ut a Patre Generali cum ſuorum Aſſiſtentium conſilio, unus Conventus in unaquaque Provincia eligatur, cum facultate mutandi, & alterum toties quoties ſibi videbitur, adhibito prędicto conſilio in unaquaque Provincia ſubſtituendi, in quorum reſpective Conventuum deſignandorum Eccleſiis quolibet anno in perpetuum, initio ducto ab anno MDCCXXIV uno die infra octavam Commemorationis omnium fidelium defunctorum, unum anniverſarium in tabella onerum Conventuum deſcribendum celebretur, & applicetur pro animabus illorum, pro quibus pręfatę Miſſę perpetuę erant celebrandę, & applicandę, & hactenus non fuerunt celebratę, & applicatę. Quoad onera vero perpetuarum Miſſarum uſque in pręſentem diem acceptata, & in poſterum adimplenda, Sanctitas Sua eidem Patri Generali demandavit, ut adhibito ſuorum Aſſiſtentium conſilio, ex ſingulis Europę Provinciis binos eligat Religioſos, pietate, zelo, doctrina, & probitate pręditos, qui teſtamentis, inſtrumentis, libris, tabellis, ceteriſque documentis, quibus onera Miſſarum unicuique Conventui ſuę Provincię reſpective incumbentia, deſcripta continentur, perſpectis, ac ſedulo examinatis, & redditibus unicuique oneri attributis, necnon eorum diminutionibus diligenter perquiſitis, atque perpenſis, & pręſertim, an diminutiones iſtę perpetuę ſint, vel temporaneę, diſtinctam, atque fidelem deſcriptionem ad eundem Patrem Generalem tranſmittant, qui una cum dictis Patribus Aſſiſtentibus, pro eorum omnium conſcientia, cujus rationem Supremo Judici Chriſto Domino ſe diſtricte reddituros meminiſſe debebunt, unamquamque perpetuam Miſſam moderari valeat, & reducere ad rationem eleemoſynę ſcutorum LX monetę Romanę pro qualibet, intra terminum trium annorum a data pręſentium intra Italiam, & inſulas adjacentes, & intra ſex annos ab eadem data pręſentium, quoad ceteros Conventus per Europam conſtitutos, factaque poſt reductionem diſtincta onerum deſcriptione in tabella Miſſarum uniuſcujuſque Conventus. Ceterum, quoad novorum onerum, ſeu eleemoſynarum, aut oblationum pro Miſſis perpetuis celebrandis acceptationem in futurum, Sanctiſſimus Dominus noſter inhęrendo decretis de celebratione Miſſarum juſſu felicis recordationis Urbani PP. VIII, & felicis pariter recordationis Innocentii PP. XII per Sacram Congregationem Concilii editis, prohibuit omnibus, & ſingulis Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, ne in poſterum onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſuſcipiant, ſine Generalis pro tempore, vel Provincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda, renovata pęna privationis contravenientibus omnium officiorum, quę tunc obtinebunt, & perpetuę inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda,

& pri-

& privationis pariter ipſo jure, & abſque alia declaratione vocis activę, & paſſivę, & quoad ipſos Generales, ſeu Provinciales de licentia requiſitos pro dictis oneribus perpetuis acceptandis, Sanctitas Sua in eorum memoriam revocavit, ipſos in ſingulis caſibus teneri diligenter inquirere de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus, cuique Eccleſię & Monaſterio incumbentibus, nec eos antea aſſenſum, aut licentiam prębere debere, quam ipſis legitime conſtiterit, Sacerdotes uniuſcujuſque Eccleſię, & Monaſterii tam novo oneri ſuſcipiendo, quam antiquis jam ſuſceptis ſatisfacere poſſe, pręcipuamque demum ab ipſis Generalibus, & Provincialibus habendam eſſe rationem, ut redditus, & bona, quę Conventibus aſſignantur pro Miſſis perpetuis, omnino reſpondeant non eleemoſynę manuali, ſed eleemoſynę perpetuę, taxandę juxta morem cujuſque Civitatis, Diœceſis, vel Provincię, & ſi in re tanti momenti deſides fuerint, aut negligentes, ſciant, ſe tam pęnis arbitrio Sanctitatis ſuę, & aliorum pro tempore Romanorum Pontificum eſſe ſubjectos, quam prętermiſſi muneris in noviſſimo die rationem eſſe ſupremo Judici Chriſto Domino reddituros.

C. Cardinalis Origus Pręfectus.

P. De Lambertinis Secretarius.

Quibuſdam vero poſtmodum, circa decreti intelligentiam, exortis dubiis, & primo, circa Miſſas cum cantu celebrandas, ſecundo de binario Religioſorum numero ex ſingulis Europę Provinciis eligendo, & de Monialium Monaſteriis tertio, hiſque per noſtrum eundem Procuratorem Generalem Sacrę Congregationi expoſitis, ſubſequens emanavit declaratio.

Die XX Novembris MDCCXXIII Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum, quoad facultatem reducendi Miſſas Cantatas, cenſuit, poſt receptas notitias de partibus per oratorem, exprimendum earum numerum pro unaquaque Provincia, & deinde ſupplicandum pro reductione. Quoad facultatem augendi numerum Religioſorum deputandorum pro vaſtis Provinciis, eam Patri Generali pro ejus arbitrio benigne impertita eſt, dummodo tamen Religioſi ultra numerum deputandi, eaſdem habeant qualitates in decreto expreſſas. Quo vero ad declarationem circa Monaſteria Monialium Ordinis, cenſuit, decretum extendi ad ea Monaſteria, quę ſunt pleno jure Religioni ſubjecta.

C. Cardinalis Origus Pręfectus.

P. De Lambertinis Secretarius.

Cum ergo pro exequenda per Nos hujuſmodi reductione, opus ſit in qualibet Provincia, & Congregatione, a Nobis, noſtrorum adhibito Aſſiſtentium conſilio, binos deputari Religioſos, vel etiam in vaſtis Provinciis plures, pietate, zelo, doctrina, & probitate pręditos, qui teſtamenta, libros, tabellas, ceteraque documenta, quibus onera continentur Miſſarum, unicuique ſuę Provincię, Conventui, aut Monaſterio reſpective incumbentia, ſedulo examinent, Nos ad id obeundum munus, de eorum noſtrorum Aſſiſtentium conſilio, duos illos eligimus, & pro electis haberi volumus, quos Veſtra Paternitas magis idoneos, ac prędictis conditionibus qualificatos judicaverit. Vel ipſamet Paternitas Veſtra, aſſumpto ſecum ſocio, juxta decreti exigentiam qualificato, per ſe reviſionem iſtam peragat, ea, qua oportet cura, reſervantes Nobis, quot pro vaſtis dictis Provinciis addere opus fuerit, deſignare, ſuper quo Veſtram Paternitatem monebimus.

Et primo. Reviſores deputati, ſingulos junctim adibunt Conventus, Monialiumque Monaſteria Ordinis noſtri curę ſubjecta, omnes prędfatas obligationum ſcripturas accurate perluſtraturi, ex quibus plenam, diſtinctam, & fidam informationem capient, quam in notas referent.

Secundo. Inſpicient cujuſlibet obligationis fundamentum, inveſtigando quale, & quantum fuerit capitale pro qualibet Miſſa relictum, & an illud conſiſtat in bonis ſtabilibus, vel in traditis pecuniis, an, ubi, & quomodo eę pecunię fuerint applicatę. Qua in re non unicus annus erit ſeorſim conſiderandus, ſed ad minus decennium, quandoquidem fundi uno anno plus alio fructificare ſolent. Unde ſubducta proportione, melius calculabitur, an ſpatio decem annorum juſte reſpondeat oneri emolumentum. Et item diſtinguendum erit, an obligationes proveniant ex legato, vel teſtamento, an vero ex contractu, ſeu conventione.

Tertio. Accurate perquirent, an fundi pro Miſſarum obligationibus aſſignati, poſtea quocunque caſu fuerint deperditi, mutati, vel deſtructi in parte, vel ex toto inutiles redditi, ſic quod ex iis hoc tempore fructus, aut nullus capiatur, aut minor, quam capiebatur initio fundationis, & in quanto eorum proventus jam decreverint.

Quarto. An prędicti fundi perierint, aut deteriorati ſint ex culpa, vel neglectu Conventuum, ſeu Monaſteriorum, an vero per injuriam temporum, ex clade, vaſtatione, aliove accidenti inculpabili, & an fructuum inde ſubſecuta diminutio temporaria, ſit, an vero perpetua.

Quinto. Sub quibus conditionibus, clauſulis, & appendicibus obligatio quęlibet fuerit conſtituta, pacta, vel acceptata, & ſi quid aliud inſit ponderatione dignum. Eaque omnia per dictos reviſores, ſuccinte, & clare in notulas redacta, ab eiſdem ſubſcriptas, & Conventuum ſigillo munitas, ad Nos eorundem expenſis tranſmittantur.

Sexto. Numerum Miſſarum cum cantu celebrandarnm notabunt, ſolitum, in unoquoque Conventu, aut Monaſterio dari ſtipendium, deſcribendo, ac cetera, quę pro Miſſis ſine cantu a Nobis, ex decreti tenore Sanctiſſimi, & Sacrę Congregationis declaratione, ſuperius pręſcripta ſunt, facienda.

His ergo viſis Veſtra Paternitas, omnes Provincię . . . . Conventus, Monialiumque Mo-

Monaſteria noſtri Ordinis curę ſubjecta, monebit, ut libros, tabellas, teſtamenta, ceteraque inſtrumenta, quibus onera continentur Miſſarum, parent, ac diſponant, deputatis reviſoribus tradenda, & ab eiſdem, ut dictum eſt, omnimoda cura perluſtranda, ne ſubſtantiali omiſſo aliquo, decretique apicibus minus obſervatis, nullitatis incurratur periculum. Et circa onera Miſſarum in poſterum ſuſcipienda, ſtrictiſſime mandamus, ne aliter, quam habitis ex decreti pręſcripto habendis licentiis ſuſcipiantur. Valeat Paternitas Veſtra cum ſuis, noſtri, noſtrorumque ſociorum in ſuis orationibus memor. Romę in Conventu noſtro S. Marię ſuper Minervam die XXII Novembris MDCCXXIII.

Fr. Auguſtinus Pipia Magiſter Ordinis.

Loco ✝ Sigilli.

Reg. fol. 18.
Fr. Thomas Maria Laſcaris, Magiſter & Socius.

In Dei Filio ſibi dilectis Admodum RR. PP. Provincialibus, & Congregationum Vicariis Generalibus Ordinis Prędicatorum, Fr. Thomas Ripoll Sacrę Theologię Profeſſor, ac ejuſdem Ordinis humilis Magiſter Generalis, & Servus. Salutem.

COmpertum Vobis eſſe non dubitamus, Fratres in Chriſto dilectiſſimi, quod Sanctiſſimus Dominus felicis recordationis Innocentius XIII in ſuo Decreto ſuper reductione Miſſarum ſub die X Septembris Anni MDCCXXIII. Nobis conceſſo, juſte, ſancteque diſpoſuit; nimirum, quod pro hactenus omiſſa Miſſarum perpetuarum celebratione, a qua miſericorditer omnes Conventus noſtros abſolvit, a Nobis cum noſtrorum Aſſiſtentium conſilio, unus Conventus in unaquaque Provincia eligeretur, cum facultate mutandi, & alterum, toties quoties Nobis videbitur, adhibito prędicto conſilio, in unaquaque Provincia ſubſtituendi, in quorum reſpective Conventuum deſignandorum Eccleſiis, quolibet anno in perpetuum, initio ducto ab Anno MDCCXXIV uno die infra octavam Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Unum Anniverſarium, in Tabella onerum Conventuum deſcribendum, celebraretur, & applicaretur pro Animabus illorum, pro quibus pręfatę Miſſę perpetuę erant celebrandę, & applicandę, & hactenus non fuerunt celebratę, & applicatę.

Huic igitur Sanctiſſimi Pontificis diſpoſitioni, prout juſtitię ratio poſtulat, morem gerere cupientes, tenore pręſentium, noſtrique Auctoritate Officii, diſtricte vobis pręcipimus, ut de conſilio Patrum, in veſtra Provincia, & Congregatione reſpective, unum vel plures Conventus deſignetis, in quo vel in quibus per turnum quotannis ſtatuto tempore pręfatum Anniverſarium celebretur, facta ejuſdem deſcriptione in Tabella onerum Miſſarum, ne ullo unquam tempore contingat omitti. Declarantes de noſtrorum Aſſiſtentium conſilio, illum Nos Conventum, vel illos ex nunc pro tunc deſignare, qui a vobis ut ſupra fuerint deſignati.

Quoniam vero hujuſmodi Anniverſarium duobus Annis proxime pręteritis, initio ſcilicet ducto ab Anno MDCCXXIV ut in enunciato Decreto diſponitur, fuerat celebrandum: ſi forte celebratum non ſit, mandamus, ut omnino celebretur, ne Fidelium Animę his duobus ſuffragiis priventur. Admonemus autem vos, ut in deſignatione Conventuum, ad eos potiſſimum attendatis, qui oneribus Miſſarum perpetuarum minus ceteris ſunt gravati, quique majus commodum ex pręfata abſolutione reportarunt.

Porro circa reductionem Miſſarum perpetuarum, quę in eodem Decreto Nobis commiſſa eſt, non ſatis mirari poſſumus moroſitatem quorundam Conventuum in tranſmittendis documentis, quę ad eandem reductionem faciendam neceſſaria ſunt, quęque in citato Decreto fuerunt pręſcripta. Neque enim Nos, plurimis licet, iiſdemque graviſſimis curis valde diſtenti, labori hujuſmodi, & quidem moleſtiſſimo parcimus, ut ſubſidium hoc tandiu dilatum Conventibus omnibus, majori qua poſſumus, celeritate afferamus: Hortamur itaque vos, ut, ſi quę ſunt alia documenta tranſmittenda, abſque cunctatione tranſmitti non negligatis, ne ſcilicet tempus pręfixum, quod adhuc modicum ſupereſt, tandem deficiat, & Conventus Miſſarum onera, quibus gravati ſunt, diutius ſuſtinere cogantur. Valete, Noſtri, & Sociorum in orationibus veſtris memores. Datum Romę in Conventu noſtro S. Marię ſuper Minervam die XII Menſis Januarii MDCCXXVI.

Fr. Thomas Ripoll Magiſter Ordinis.

AP-

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiſcopi, & Epiſcopi Dignitates, Innocentio XIII Summo Pontifice, promotos exhibens.

ARCHIEPISCOPI.

F. Raymundus Gallani, ex Archiepiſcopo *Ancyrano*, ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis XI* dictum fuit, Archiepiſcopus Raguſinus, in ejuſdem nominis Republica. Obiit die X Martii MDCCXXVII. *Ex Monumentis Cœnobii Raguſini*. Anno 1722.

F. Philippus Valignani, nobilis Theatinus, conſobrinus Summi Pontificis Innocentii XIII, ex Priore Cęnobii Minervitani, cujus eſt alumnus (vivit enim Pręſul ampliſſimus) Archiepiſcopus Theatinus, *Chieti*, in Aprutio. Anno 1722.

F. Archangelus Feni, Italus e Bariſſia, alumnus Congregationis S. Sabinę, Archiepiſcopus Naſcivanen., in Armenia. Anno 1722.

F. Joſephus Maria Poſitani, ſeu Puſitanus, ex Epiſcopo *Acerrano*, ut in pręcedenti *Appendice* videre eſt, Archiepiſcopus Acheruntinus, & Maternanus, in Regno Neapolitano. Anno 1723.

EPISCOPI.

F. Joſephus Giron de Alborado, Epiſcopus Nicaraguen., ſeu Legionen., *Leon de Nicaragua*, in America, ſub Archiepiſcopo Mexicano. Succeſſit Illuſtriſſimo *D. Benedicto Garret y Arlova*. Anno 1721.

F. Petrus Vincentius Platamone, Siculus nobilis Panormitanus, alumnus Provinciæ Trinacriæ, cui præfuit, Epiſcopus Liparenſis, *Lipari*, in ejuſdem nominis Inſula Regni Siciliæ, ſub Archiepiſcopo Meſſanenſi. Succeſſit illuſtriſſimo *D. Nicolao Mariæ Tedeſchi*. Anno 1722.

F. Ludovicus Maria a Dura, Neapolitanus, Epiſcopus Caſtellaneten., *Caſtellaneta*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Tarentino. Succeſſit illuſtriſſimo *D. Honuphrio Monteſoro*. Anno 1723.

F. Thomas Marin, Valentinus, Epiſcopus Syracuſanus, in Regno Siciliæ, ſub Archiepiſcopo Montis-Regalis. Obiit anno MDCCXXX. Anno 1724.

Ceterum notes velim, quod in Epiſcopis recenſendis nullos jam Scriptores excipio, quia quę refero vel ipſemet vidi, vel ab oculatis teſtibus audivi.

BENE-

BENEDICTUS XIII.

Frater Vincentius Maria Urſinus, Ordinis Prædicatorum, electus eſt die XXIX Maii MDCCXXIV. Coronatus fuit die IV Junii. Obiit die XXI Februarii MDCCXXX. Sedit Annos V, Menſes VIII, Dies XXIV. Sepultus in Vaticana Baſilica translatus eſt ad Eccleſiam S. Mariæ ſupra Minervam.

Anno 1724 Die 15 Julii.

Pœnitentiarii Baſilicæ Liberianæ, a Provinciale Romanæ Provinciæ conſtituendi.

Ex Archivo (1) Ordinis.

I.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EManarunt alias a Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, in cauſa, ſeu cauſis inter tunc exiſtentes ejuſdem S.R.E. Cardinalem Majorem Pęnitentiarium ex una, & Provincialem Provincię Romanę, & Priorem Conventus S. Marię ſuper Minervam de Urbe Ordinis Prędicatorum ex altera partibus, de, & ſuper facultate conſtituendi, ac removendi minores Pęnitentiarios Baſilicę Liberianę, ſeu Sanctę Marię Majoris Urbis, ac Ordinis Prędicatorum, eorumque ſubjectionem vertentibus decreta tenoris, qui ſequitur, videlicet: Romana Pęnitentiariorum minorum Liberianę Baſilicę. Prę ceteris curis, quibus Apoſtolica ſollicitudo premitur, ea comperitur pręcipua, quę circa pęnitentiale forum verſatur, adeo merito, ut Romani Pontifices, exoriente Eccleſia, eidem muneri per ſe ipſos ſedulo incumberent, ac deinde negotiorum mole oppreſſi, nobiliora Eccleſię hierarchię membra S. R. E. Cardinales addixerit, neque primum ab hujuſmodi onere ipſi relevati fuerunt, niſi cum publicis, magniſque occupationibus eos diſtineri oportuit. Tum quidem probi Sacerdotes Pęnitentiario officio ſuffecti extiterunt, qui fidelibus undequaque ad ſacra limina confluentibus pręſto eſſent, ſub cura, & juriſdictione, unius ex S. R. E. Cardinalibus Majoris Pęnitentiarii nomine nuncupati. Hic ſane tanquam Summi Pontificis Vicarius, in foro Poli memoratis Sacerdotibus minoribus Pęnitentiariis pręſidere cępit, eoſque eligere, ac in nobilioribus Urbis Baſilicis promiſcue deputare conſuevit, tum ex ſeculari, tum ex regulari cętu, varjiſque ex nationibus, & linguis. Perſeveravit ultimo recenſitus Pęnitentiarię ſtatus, quouſque S. Pius V in meliorem partem eum vertere cenſuit, ſimulque tribus Religionibus optime meritis, gratificari voluit, proindeque ſub anno MDLXVIII conſtituit, quod in Liberiana Baſilica PP. Prędicatores eligerentur minores Pęnitentiarii; in Lateranenſi, PP. Minores, ac in Vaticana ex Societate Jeſu aſſumerentur. Quin etiam prę aliis majori beneficentia proſequi volens Religionem S. Dominici ſub cujus vexillo vitam ab adoleſcentia inſtituerat, non ſat habuit correligioſis ſuis jus electionis paſſivum decernere, quemadmodum binis recenſitis Religionibus conſtituit, ſed ulterius diſpoſitionem eorum favore exaravit, quod ſex tantum Pęnitentiarii minores Ordinis Prędicatorum, in dicta Baſilica Liberiana exiſterent ex unica lingua Itala, & Provincia Romana. tributa facultate Provinciali dictę Provincię, vel Priori Conventus Sanctę Marię ſuper Minervam eligendi, ac removendi eoſdem minores Pęnitentiarios, ac certos exercendi actus juriſdictionales in eos privative quoad Cardinalem majorem Pęnitentiarium, exceptis reſpicientibus curam officii Pęnitentiarii, ut latius ex Apoſtolico diplomate ſub die I Septembris anno MDLXVIII. Sed ſtatim vix pręterlapſis diebus octo, aliam edidit conſtitutionem, in qua ſicut jus eligendi Provinciali Romanę Provincię, ſive Priori Conventus S. Marię ſupra Minervam attribuit, ita onus ipſos manutenendi tanquam Religioſos ex ſua menſa Monaſterio prędicto addixit, ac pro ſubſidio eidem Monaſterio univit Abbatiam Sanctę Marię Macularum loci Sancti Gineſii, cum eo tamen ut ipſe Prior de fructibus, redditibus, & proventibus prędictis, penſionem annuam CCC ſcutorum auri in auro ejuſdem ſex Pęnitentiariis, & duobus converſis, annis ſingulis, duobus terminis ęqualiter, in perpetuum perſolvere teneatur &c. Si quid vero dicta ſumma CCC ſcutorum perſoluta reliquum erit, illud omne in communes dictę domus uſus convertatur. At vero ſanctę memorię Sixto V placuit iterum ſtatum Pęnitentiarię Liberianę innovare. Quandoquidem ſedulo idem Pontifex animo volvens, quod inter ipſius Baſilicę Canonicatus, neque Theologalis Prębenda, neque Pęnitentiaria erecta comperiebatur juxta Sacri Concilii Tridentini ſanctiones, ſed ex veteri inſtituto ſex minores Pęnitentiarii fidelibus expiandis operam dabant, proindeque congruum omnino reputans, quod ex menſę Capitularis fructibus alimenta ipſis ſuppeditarentur, hinc memoratus Pontifex inquit. Motu proprio Canonicatum, & Prębendam tunc vacantem ſupprimimus, & extinguimus, eorumque ſic ſuppreſſorum fructus, & proventus, ac etiam diſtributiones quotidianas, emolumenta certa, & incerta, ordinaria, & extraordinaria, & quę anniverſaria mortuorum, ac anni ſancti, ſeu Jubilei, ac quovis modo appellantur, & ſolis pręſentibus, & divinis officiis, & horis canonicis diurnis, & nocturnis perſonaliter intereſſentibus dari ſolita &c. eidem Collegio, & Pęnitentiariis hujuſmodi per eos, ac pro tempore exiſtentes Pęnitentiarios Baſilice S. Marię Majoris prędicta integre pariformiter, & ęque principaliter, ac ſine ulla diminutione, & differentia, ac ſi Canonicus pro tempore exiſtens actu ſemper intereſſet, & quoad hoc, perinde ac ſi ſuppreſſio ipſa facta non fuiſſet, ita tamen

tamen, quod ipſi Pęnitentiarii ſtallum in Choro, aut vocem, locumve in Capitulo non habeant, perpetuo applicamus, & aſſignamus &c. ubi Collegium pęnitentiariorum nuncupatur. Hac quidem innovatione intactum P.P. Prędicatoribus jus electionis paſſivum procul dubio remanſit. Verum Cardinalis major Pęnitentiarius, ut prętendit, reaſſumere, ac uſque adhuc continuare cępit jus activum eligendi ex tota dicta Religione minores Pęnitentiarios, tum vigore nativę ejus facultatis, cum evidentius ex ſpeciali jure ipſi nuncupato in Brevi quod expeditum fuit a ſanctę memorię Urbano VIII favore Cardinalis Sancti Honuphrii Majoris Pęnitentiarii ſub hac verborum periodo - Minores Pęnitentiarios, & alios quoſcunque Officiales ejuſdem officii pęnitentiarię arbitrio tuo deputare, vel confirmare, ſeu a dicto Scipione Epiſcopo, & Cardinale Majori Pęnitentiario, dum vixit, vel etiam a felicis recordationis Clemente VIII, Paulo V, & Gregorio XV ad eorum beneplacitum, & alio quovis modo deputatos removere, & alios ſibi benevisos in illorum locum ſubſtituere, & alia quęcunque neceſſaria, & opportuna facere libere, & licite poſſis, & valeas. Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis. Quę facultates majoribus Pęnitentiariis Succeſſoribus cum expreſſa ſubrogatione ad hęc uſque tempora renovatę fuerunt. Verum enim vero PP. Prędicatores ſibi ipſis perſuadentes integram, intactamque remanſiſſe formam Brevis Sancti Pii V, inde a tempore quo Apoſtolicum clavum gerebat ſanctę memorię Innocentius X, contendere cęperunt ad Provincialem Romanę Provincię, ſive Priorem Conventus Sanctę Marię ſupra Minervam jus eligendi minores Pęnitentiarios pertinere. At vero plurium teſtium uſque ab anno MDCXLVI depoſitionibus formiter receptis circa quaſi poſſeſſionem Cardinalis majoris Pęnitentiarii, diſcuſſaque controverſia in congregatione particulari trium S.R.E. Cardinalium, ad enixas preces jam dictorum Patrum deputata, nihil prorſus obtinuerunt, nec minus voti compotes effici potuerunt temporibus ſanctę memorię Alexandri VII. His tamen non obſtantibus iidem Patres iterum autumantes jus eligendi minores pęnitentiarios, ad Regulares Superiores pręmemoratos ſpectare, quodque plures ipſi exercuerint juriſdictionis actus in Collegium hujuſmodi Pęnitentiariorum, recurſum ſuppliciter habuerunt ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum, qui Partibus minime refragantibus benigniter cauſam remiſit ad EE. PP. conſeſſum, quorum juſſu ſubſcriptis infra exponendis dubiis, ſupereſt in pręſenti, quod ſolita ſapientia, & prudentia decernere ipſi dignentur. I. An Pęnitentiarii minores Ordinis Prędicatorum, in Baſilica Sanctę Marię Majoris conſtitui, debeant per Provincialem Provincię Romanę Ordinis prędicti Prędicatorum, ſeu Priorem Sanctę Marię ſuper Minervam de Urbe ad formam Motus proprii Sancti Pii V, ſive potius conſtitutio ſpectet ad Cardinalem majorem Pęnitentiarium in caſu &c. II. An prędictorum Pęnitentiariorum minorum remotio ſpectet ad Patrem Provincialem, ſeu Priorem S. Marię ſuper Minervam de Urbe Ordinis prędicti ad formam Motus proprii prędicti Sancti Pii V, vel potius ad Cardinalem Majorem Pęnitentiarium in caſu &c. III. An prędicti Pęnitentiarii minores ſubjaceant curę, juriſdictioni, poteſtati, viſitationi, & correctioni prędicti Provincialis, ſeu Prioris ad formam Motus proprii prędicti S. Pii V, vel potius Cardinalis Majoris Pęnitentiarii in caſu &c. Die XV Decembris MDCCXIV. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad primum reſpondit affirmative quoad primam partem, & negative quoad ſecundam, ſervata forma Conſtitutionum Clementis VIII, & Innocentii XII. Ad ſecundam pariter affirmative quoad primam partem, & negative quoad ſecundam, ſervata forma dictarum Conſtitutionum Clementis, & Innocentii. Ad tertiam affirmative quoad primam partem, quoad ea, quę concernunt obſervantiam regularem tantum. Ita reperitur in Regeſto Authographo decretorum ejuſdem Sacrę Congregationis Concilii lib. LXIV fol. CDLXXXV. In quorum fidem &c. Datum hac die VII Julii MDCCXIV. Proſper de Lambertinis Secretarius. Loco † Sigilli. Nunc autem Nos controverſiis hujuſmodi finem imponere cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, decreta pręinſerta, ac omnia, & ſingula in eis contenta tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus. Prędterea lites, & controverſias quaſcunque ſuper pręmiſſis quovis modo exortas, & adhuc forſan pendentes, illarum ſtatum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, & collitigantium, & alia etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, in ſtatu & terminis, in quibus de pręſenti reperiuntur a quibuſcunque Judicibus, & tribunalibus ad Nos, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, harum ſerie avocamus, illaſque perpetuo ſupprimimus, & extinguimus, ac perpetuum deſuper ſilentium utrique parti imponimus. Decernentes pręſentes literas de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas quodcunque juris, facti, vel gratię remedium impetrari, ſeu intentari nullo modo unquam poſſe, ſed ipſas pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. prędictę Cardinales, ceteroſque quoslibet quacunque auctoritate, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quacunque litis pendentia, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, Provincię, & Conventus prędictorum, ac etiam officii Pęnitentiarię, & Collegii Pęnitentiariorum minorum hujuſmodi, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, eorumque perſonis, ac Majori Pęnitentiario prędicto ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac

ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XV Julii MDCCXXIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo autographum. Legitur in *Actis Capituli Generalis MDCCXXV pag.* 18.

Anno 1724 Die 7 Augusti.

Quod Ordini Fratrum Prædicatorum nomen dederit, ſummæ laudi ducit, & hujuſce cæleſtis beneficii ſuaviſſimam memoriam renovat.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum Conventus S. Dominici Caſtelli (2).

II.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUod inter primos adoleſcentis ętatis annos ad ſacrum Fratrum Prędicatorum Ordinem, veluti ad tutam religioſę tranquillitatis ſtationem, Nos evocaverit divina benignitas, nunquam animo noſtro ſine peculiari ſenſu ſpiritualis voluptatis obverſatur: eoque jucundior ſeſe nobis ingerit cęleſtis beneficii recordatio, quod in Cęnobio iſto ſecularibus curis nuncium remittere, & exempla inſignis diſciplinę in ipſo ſacrę iſtius militię tyrocinio haurire, & addiſcere contigerit. Hanc igitur ſuaviſſimam memoriam cum luculentius nobis repręſentaverint literę veſtrę, eximio nobis ſolatio fuerunt in hac maris altitudine, in quam divino judicio venimus, & in qua periculis, curiſque jactati identidem clamamus ad Dominum, ne pereamus. Veſtras propterea ferventes preces requirimus, ut apud quos patuit nobis a ſeculi fluctibus portus ſecuritatis, apud eoſdem per pias obſecrationes, implorato Sancti Patris Dominici patrocinio, ne tempeſtas demergat nos, opportunum ſubſidium inveniamus. Memorem igitur, & pro veſtris erga nos pietatis, & obſervantię ſenſibus gratum animum profitentes, Paternę noſtrę benevolentię teſtem, & peculiaris dilectionis pignus vobis, dilecti filii, Apoſtolicam benedictionem amanter impertimur. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII Auguſti MDCCXXIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Carolus Majellus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Veneto.* Legitur apud *Johannem* noſtrum *Dominicum Armanum* in *Monumentis Selectis Conventus S. Dominici Venetiarum Num. VII pag.* 44. & in *Actis Capituli Generalis MDCCXXV. pag.* 28.

2. *Caſtelli.*) Civitatis *Venetiarum.*

Anno 1724 Die 7 Augusti.

Provinciam Lombardiæ (1) ceu Matrem veneratur, & amantiſſimos erga ipſam dilectionis ſuæ ſenſus demonſtrat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Paulo Hieronymo Gallerate, Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Provinciali Lombardię.

III.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUam libenter jucundeque officium tuę gratulationis exceperimus, verbis explicare vix poſſumus; iſtius enim Provincię, quę Nobis ſingulari Divinę clementię beneficio Mater data eſt, cum Sacro Prędicatorum Ordini nomen dedimus, & quam peculiari pietatis affectu ſemper hactenus obſervavimus, amantiſſimos ſenſus in tuis literis complexi ſumus. Quanquam enim inſcrutabili Divinę Sapientię conſilio factum eſt, ut ex jucundiſſimo dilectiſſimę Matris ſinu primum per Cardinalatus Dignitatem ad hujus Sanctę Sedis miniſterium avocaremur, ac demum totius Chriſtianę Reipublicę regimen, inviti licet trepidique ſuſciperemus, priſtinum tamen filialis animi amorem ſemper coluimus, ad quem

quem ex Paterni nominis acceſſione ampliſſima adjecta ſunt dilectionis, & benignitatis incrementa. Ceterum quę de infirmitate noſtra tam Ordini, quam Chriſtianę Reipublicę lęta, & fauſta ominaris ac polliceris, non niſi precibus tuis, totiuſque Provincię obſecrationibus ſubnixi, ab omnipotenti Deo ſperare audemus. Ab Eodem igitur pietatis vicem univerſę Provincię adprecantes, Tibi, dilecte fili, Apoſtolicam Benedictionem amanter impertimur. Datum Romę apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die Septima Auguſti MDCCXXIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Carolus Majellus (3).

1. *Provinciam Lombardiæ.*) Cui tres Summos Pontifices debet Eccleſia, Beatum ſcilicet *Benedictum XI*, Sanctum *Pium V*, & S. Memoriæ *Benedictum XIII*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar typis impreſſum.
3. *Carolus Majellus.*) Archiepiſcopus ſcilicet *Emiſſenus*, Præſul ampliſſimus multis nominibus commendandus.
Huc ſpectat ſequens epiſtola, quam Provincialis vigilantiſſimus hac de re ſcripſit.

Univerſis in Chriſto ſibi dilectis Religioſis, ad Provinciam utriuſque Lombardię pertinentibus, Fr. Paulus Hieronymus Gallaratus Mediolanenſis, S. T. M., ac Pręfatę Provincię Prior Provincialis, Salutem.

ACcipite, Fratres in Domino dilectiſſimi, novum, illudque inſigne, ac ſeculorum omnium poſthac grata commemoratione celebrandum, operoſi amoris, honoriſque eximii argumentum, quo SS. D. N. Benedictus XIII. Provinciam noſtram, ſibi ſemper ſimilis, cumulatiſſime proſequitur. Æquum quippe eſt, ut qui exultantis prę ceteris ſubjectę Nobis Provincię, pro adſumptione ad ſummum Sacerdotium undique ſpectabilis quondam filii ſui, omnigeni obſequii officia ad Sanctitatis Suę pedes demiſſis literis, communi omnium veſtrum nomine contulimus, iidem Apoſtolicę dignationis perquam teneros atque impune invidendos exundantes conceptus ad eandem Provinciam, ubi primum ſuperius Breve accepimus, ſoliciti referamus. Neque vero in animo eſt quippiam adhuc curſim addere, vel ad perennandam in Vobis lętitiam, vel ad confirmandas, augendaſque preces veſtras, pro incolumitate feliciter regnantis Supremi Eccleſię Hierarchę. Res de ſe loquitur: Idemque peramantiſſimis certo paternę Clementię ſuę viſceribus hoc Vobis, dum oſtendit, imponit. Satagite tamen ita vos componere ad normam domeſticarum legum, quas ſancte adeo, & religioſe Summus ille Pontifex jugiter cuſtodivit, ac etiamnum hodie cuſtodit, ut pervigilis ipſius promiſſeque Vobis Providentię bonis, cumulatius in Religionis incrementum perfrui deinceps poſſitis. Valete, Noſtri ac Sociorum apud Deum memores. Datum Mediolani in Ducali noſtro Conventu apud S. Mariam Gratiarum die XVI Septembris MDCCXXIV.

Ita eſt Fr. Paulus Hieronymus Gallaratus, Magiſter, ac Prior Provincialis, qui ſupra.

Reg fol. 281.

F. Johannes Dominicus de Agnanis, Magiſter, Prior Chienſis, ac Socius.

Conventus Boſchenſis (1) apud S. Crucem, & omnes Sanctos a S. Pio V primum erectus, ac Provinciæ utriuſque Lombardiæ Ordinis Prædicatorum datus, eidem Provinciæ reſtituitur.

Anno 1724 Die 7 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

IV.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Prior, Fratres, ac filii Conventus Sanctę Crucis, & Omnium Sanctorum Oppidi Boſchi Dertonen. Diœceſis, Ordinis Prędicatorum, quod dudum ſanctę memorię Pius PP. V Prędeceſſor noſter volens dictum Oppidum Boſchi Patriam ſuam, ęde Sacra Religioſę Familię, in qua ipſe adoleverat, exornare, ac ędificium, quod adhuc in Cardinalium Ordine conſtitutus aggreſſus fuerat, poſtmodum ad ſummi Apoſtolatus apicem evectus, ad divini nominis laudem, & Fidei Catholicę incrementum proſequi, & abſolvere, prędictum inibi Conventum, qui Provincię Lombardię ejuſdem Ordinis ſubeſſet, ut in eo regularis diſciplina omni tempore obſervaretur, divinę preces diurnę, & nocturnę in Choro, & extra, horis debitis ipſius Ordinis ritu peragerentur, ac ſtudium Artium, & Theologię ſine intermiſſione haberetur, inſtituit, illumque, & ejus Eccleſiam, Sacrarium, clauſtrum, dormitorium, Bibliothecam, & ceteras officinas, vaſis, veſtimentis, campanis, libris, & alia ſuppellectili inſtruxit pro uno Priore, & tredecim Presbyteris, qui omnes ad audiendas laicorum confeſſiones idonei eſſent, & ex quibus ad minimum ſex verbum Dei prędicare poſſent. Item quatuordecim aliis Fratribus ſcholaribus, ac uno Lectore in Artibus, & altero in Theologia, & octo inſuper Tertiariis, ſive Converſis, ſtatuitque, ut omnibus Dominicis, & feſtis diebus prędicatio verbi Dei in dicta Eccleſia haberetur, ac Prior, & Fratres primo quoque die menſis preces pro ſalute animarum defunctorum ſuę domus, & eorum, quibus ipſe Pius Prędeceſſor quomodocunque obſtrictus erat, agerent, ſeque viam univerſę carnis ingreſſo, anniverſarium ſolemne pro animę ſuę refrigerio perpetuis futuris temporibus celebrarent, & alias, prout in ipſius Pii Prędeceſſoris deſuper expeditis literis uberius continetur. Ac ſubinde felicis recordationis Innocentius Papa XII, etiam Prędeceſſor noſter, regularem diſciplinam in dicta Provincia Lombardię promovendi, illiuſque Conventuum, ac in eis degentium ſta-

ſtatui, & gubernio ſalubriter conſulendi ſtudio ductus, ſupradictum, alioſque plures dictę Provincię Lombardię Conventus a cura, & regimine tunc, & pro tempore exiſtentis Prioris Provincialis dictę Provincię Lombardię perpetuo exemit, & liberavit, dictoſque Conventus in Congregationem ſub titulo S. Sabinę Provincię utriuſque Lombardię nuncupatam, quę Magiſtro Generali Ordinis hujuſmodi pro tempore ſimiliter exiſtenti ſubjacere deberet, itaut in illam nulli alii Ordinis pręfati Superiores, prętcrquam ejuſdem Congregationis Vicarius Generalis, ceterique illius Prçlati juxta morem deputari ſoliti, poteſtatem aliquam exercere valerent, erexit. Voluitque, ut eidem Congregationi de idoneo Vicario Generali ex Fratribus alicujus ex dictis Conventibus, qui eandem prorſus juriſdictionem, & auctoritatem haberet in Conventus, & Fratres ipſius Congregationis, quam juxta Apoſtolicas, & dicti Ordinis Conſtitutiones Priores Provinciales in ſuis Provinciis habebant, a Magiſtro Generali prçfato de biennio in biennium provideretur, prout in ejuſdem Innocentii Prędeceſſoris literis die XIV Junii MDCXCV in ſimili forma Brevis deſuper editis plenius etiam continetur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ex quo prędictus Conventus a cura, & regimine memorati Prioris Provincialis Provincię Lombardię exemptus, ac juriſdictioni Vicarii Generalis ejuſmodi Congregationis ſubjectus fuit, Superiore ac Rectore deſtitutus remanſerit eoquod prçfatus quidem Prior Provincialis ipſius Innocentii Prędeceſſoris literarum diſpoſitioni, ut par erat, obſequens, illius gubernio ſe ſe amplius non ingeſſerit, dictus vero Vicarius Generalis ob varias difficultates ei per ſecularem poteſtatem illarum partium motas illud ſuſcipere, & gerere nuſquam hactenus potuerit, indeque factum ſit, ut ipſe Conventus, utpote non habens, qui illum quotannis viſitaret, ac ordinationes quas pro ſalubri illius directione rerum, & temporum ratio exigebat, ederet, plurima tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus acceperit detrimenta, atque penuria Fratrum Confeſſariorum, Concionatorum, Lectorum, ac etiam Studioſorum, & Noviciorum laboraverit, ac etiamnum laboret; eaque de cauſa non minus cultus divinus, quam literarum ſtudium inibi admodum deciderit, itaut ejuſdem Pii Prędeceſſoris voluntas exacte impleri nequeat, dictique exponentes provide conſiderent nullum aliud opportunius prçmiſſis remedium adhiberi poſſe, quam eundem Conventum iterum dictę Provincię Lombardię uniendo. Licet enim ab anno MDCXCV, quo Innocentii Prędeceſſoris literę prçfatę emanarunt, ipſe Conventus ſub cura dicti Magiſtri Generalis fuerit, iſque divini cultus, & literarum ſtudii conſervationi ſedulo advigilaverit, quia tamen eundem Conventum per ſeipſum inviſere non poterat, & in ordinationibus pro tempore faciendis ab aliorum relationibus pendere debebat, eum fructum minime conſecutus ſit, qui ex reunione hujuſmodi merito ſperari poteſt, ac tametſi Congregatio venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanę Curię Prçlatorum ſuper diſciplina regulari auctoritate Apoſtolica deputata, ad inſtantiam Prioris, & Fratrum dicti Conventus Priori Provinciali pro tempore exiſtenti, Provincię prçfatę aliquoties demandaverit, ut ipſum Conventum viſitaret, illiuſque ſtatum ad eandem Congregationem referret, nulli tamen attribuerit facultatem quidquam ſtatuendi, prçterquam dilecto filio moderno Priori Provinciali ejuſdem Provincię, cui injunxit, ut durante biennio ſui Provincialatus, illum viſitaret, ac eandem in eum, quam in Conventus ſuę Provincię exerceret juriſdictionem, ſed quia hęc proviſio ad biennium reſtricta eſt, minime ſufficiens reputetur ad dictum Conventum priſtino ſtatui, & decori reſtituendum. Ex reunione vero hujuſmodi nullum ſupradictę Congregationi Sanctę Sabinę propemodum damnum inferatur, quippe cui non tollitur Conventus in cujus poſſeſſione reperiatur, cum illum nunquam obtinuerit, nullaque vel ſaltem modica ſubſit ſpes etiam in poſterum obtinendi, ac in locum ejuſdem Conventus tribus aliis inſignibus ejuſdem Provincię Lombardię, ac duobus Inſulę Corſicę Conventibus illi aggregatis aucta fuerit. Nobis propterea exponentes prçfati humiliter ſupplicari fecerunt, ut in prçmiſſis opportune providere, &, ut infra, indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eorundem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum prçſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, necnon prçfatarum Pii, & Innocentii Prędeceſſorum literarum tenores, & alia quęcunque etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia prçſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, exemptionem, & liberationem prçfati Conventus Sanctę Crucis & Omnium Sanctorum, a cura, & regimine Prioris Provincialis Provincię Lombardię, illiuſque erectioni in Congregationem Sanctę Sabinę, ſeu unionem, & incorporationem eidem Congregationi, ac ſubjectionem juriſdictioni, & auctoritati Vicarii Generalis ipſius Congregationis, ſicut prçmittitur, factas, ac emanatas deſuper ab eodem Innocentio Prędeceſſore literas prçfatas, quatenus eundem Conventum concernunt, auctoritate Apoſtolica, tenore prçſentium, revocamus, ac revocatas eſſe decernimus, & declaramus, ipſumque Conventum Prioris Provincialis Provincię Lombardię nunc, & pro tempore pariter exiſtentis curę, & regimini, prout ante memoratas Innocentii Prędeceſſoris literas ſuberat, eadem auctoritate reſtituimus, & denuo ſubjicimus. Decernentes etiam eaſdem prçſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit inviolabiliter obſervari, & illis reſpective in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in prçmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quoad ea, quę prçſentibus adverſantur, Innocentii Prędeceſſoris literis prçfatis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, Congregationis, Provinciarum, & Conventus prçfatorum, aliiſve, quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, &

lite-

literis Apoſtolicis in contrarium premiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores, preſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad premiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII Auguſti MDCCXXIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

1. *Boſchenſis.*) Huc ſpectat ſequens inſtrumentum. *AA. RR., & RR. PP., ac FF. curæ ſuæ ſubjectis Fr. Paulus Hieronymus Gallaratus, Mediolanenſis, S. T. M., ac præmiſſæ Provinciæ utriuſque Lombardiæ Prior Provincialis, Salutem: Inſignis obſervantiæ Conventum, quem Provinciæ noſtræ, in Domino amplificandæ erexerat in patrio ſolo Pius V, Pontifex undique Sanctiſſimus, ex eadem Provincia ad Apoſtolicæ dignitatis apicem adſumptus, dum pontificiis literis ſuperius deſcriptis ipſimet Provinciæ reſtituit, non minore beneficentia donat Benedictus XIII, alterum ejuſdem Provinciæ noſtræ immortale ornamentum. Subjecerat equidem illum Nobis, & quam benigne per integrum Provincialatus noſtri biennium, Sacra Congregatio ſuper diſciplina regulari, quemadmodum & refert præmiſſum diploma. Nondum tamen Nobis ut capiti, & ceteris Provinciæ membris adjunctus erat, quo ſtares firmius celeberrimus Conventus. Debebatur ejuſcemodi vivifica conjunctio Regnanti Pontifici, ut in hoc quoque Beati Fundatoris veſtigia terens, tanti operis exhibitione novum vobis daret, ac firmum tenerrimi amoris argumentum. Quid ergo reliquum, niſi ut geminatis precibus veſtris pro incolumitate Benedicti XIII apud Deum ſtatuatur Orator S. Pius V, qui tantum opus in regularis perfectionis incrementum a ſe dudum in terris excitatum, dulci animi ſenſu videt e Cœlis per illum ſancta perinde intentione reſtitui. Valete Noſtri, ac ſociorum in eiſdem orationibus perpetuo memores. Datum Genuæ in Conventu noſtro apud S. Dominicum die VI Novembris MDCCXXIV.*

Ita eſt Fr. Paulus Hieronymus Gallaratus, Magiſter, & Prior Provincialis, qui ſupra.

Regiſt. fol. 281.

F. Johannes Dominicus de Agnanis, Mutinenſis, Magiſter, Prior Chienſis, ac Socius.

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar authenticum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXIV.*

Indulgentiæ Perpetuæ pro Orantibus ad pulſum ſalutationis Angelicæ.

Anno 1724 Die 14 Septembris.

Ex Archivo (1) Ordinis.

BENEDICTUS PP. XIII.

V.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

INjunctę Nobis divinitus Apoſtolicę ſervitutis ratio poſtulat, ut cęleſtium munerum theſauros diſpenſationi noſtrę a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in Terris, Beatiſſimę atque Auguſtiſſimę Cęli Reginę Virginis Deiparę Marię Patronę, & Advocatę noſtrę, venerationem, excitandamque, & confovendam erga illam fidelium devotionem, ac ad animarum ſalutem ſperamus in Domino profuturum: Itaque de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi; Omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui mane, aut meridie, ſeu veſpere ad pulſum Campanę - Angelus Domini nunciavit Marię, & concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum: Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis - cum tribus Ave Maria, flexis genibus devote recitaverint, & pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam in uno die cujuslibet menſis duntaxat, per unumquemque Chriſti fidelem ad ſui libitum eligendo, lucrifaciendam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus: In reliquis vero anni diebus iiſdem Chriſti fidelibus vere contritis, quoties id egerint, centum dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus: Pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris; Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides ubique habeatur, quę ipſis pręſentibus haberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV Septembris MDCCXXIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ *MDCCXXIV* impreſſum.

Eccleſiarum Ordinis quælibet Altaria, privilegiata declarat (1).

Anno 1724 Die 22 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

BENEDICTUS PP. XIII.

VI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Auguſtinus Pipia (3) Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Predicatorum, quod dudum felicis recordationis Gregorius PP. XIII Predeceſſor noſter, ut Eccleſia Domus S. Vincentii, alias Annunciationis Beatę Marię Virginis loci Racconiſii dicti Ordinis, Tau-

Taurinen. Diœceſis, in qua Confraternitas Roſarii canonice, ut acceperat, inſtituta erat, *ſimili eo uſ*que privilegio minime decorata, & in ea Altare ejuſdem Roſarii, quod majus non erat, hoc ſpeciali dono illuſtraretur, auctoritate ſibi a Domino tradita conceſſit, ut quoties ab aliquo dictę Domus Sacerdote duntaxat Miſſa Defunctorum ad prędictum, vel aliud ſub eadem invocatione, impenſis quondam Joi Baptiſtę a Sabaudia pro bonę memorię Carolo Emanuele, dum vixit, Sabaudię Duce apud memoratum Gregorium Prędeceſſorem, & Sedem Apoſtolicam Oratoris, ſumptuoſe in eadem Eccleſia conſtruendum Altare, quod etiam majus non eſſet, celebraretur, pro Anima cujuſcunque Chriſti fidelis dictę Confraternitatis, quę Deo in caritate conjuncta ab hac luce migraſſet, ipſa de theſauro Eccleſię indulgentiam conſequeretur, quatenus D. N. Jeſu Chriſti, & B. Virginis Marię, Beatorum Petri, & Pauli, aliorumque Sanctorum Omnium meritis ſuffragantibus a Purgatorii pęnis liberaretur, prout in dicti Gregorii Prędeceſſoris Literis (4) ſub plumbo deſuper ad Perpetuam Rei Memoriam Anno Incarnationis Dominicę MDLXXXII III Kalendas Septembris Pontificatus Sui Anno XI expeditis, uberius continetur; Ac poſtmodum nonnulli Romani Pontifices pariter Prędeceſſores noſtri, ut omnes indulgentię conceſſę ſpecialiter, vel generaliter, aut quocunque modo, uni, vel pluribus Confraternitatibus Sanctiſſimi Roſarii hujuſmodi, vel etiam Confratribus, & Sororibus alicujus Confraternitatis in aliqua particulari Eccleſia erectę, omnibus Confraternitatibus ejuſdem Roſarii impertitę, & communes eſſe intelligerentur, dicta auctoritate indulſerunt, prout in Literis (5) recolendę memorię Innocentii PP. XI etiam Prędeceſſoris noſtri Summarii indulgentiarum, & gratiarum Spiritualium, prędictis Confraternitatibus ab iiſdem Romanis Pontificibus conceſſarum, confirmatoriis deſuper in ſimili forma Brevis die XXXI Julii MDCLXXIX expeditis, quarum tenores, pręſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Auguſtinus Magiſter Generalis Ordinis pręfati, cujus inſtitutum, & regulam expreſſe profeſſi ſumus, privilegium prędictum, per Nos, ut infra extendi, ſummopere deſideret: Nos piis ipſius Auguſtini Magiſtri Generalis votis, hac
Notà. in re favorabiliter annuere volentes, eumque, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, privilegium pro liberandis a Purgatorii pęnis fidelium Confratrum defunctorum Animabus, ab ipſo Gregorio Prędeceſſore conceſſum, ut prefertur, ad quoſcunque Sacerdotes dicti Ordinis, & ad omnia Altaria Eccleſiarum pręfati Ordinis in Suffragium Animarum omnium fidelium defunctorum in Purgatorio exiſtentium, etiamſi in libro Confraternitatis ejuſmodi Sanctiſſimi Roſarii deſcriptę minime reperiantur, eadem auctoritate perpetuo extendimus, & ampliamus: Non obſtantibus noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę regula de non concedendis indulgentiis adinſtar, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque; Volumus autem, ut pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII Septembris MDCCXXIV Pontificatus Noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

1. *Declarat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXIV*. Legitur in *Actis Capituli Generalis MDCCXXV pag.* 12.

3. *Pipia.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

4. *Literis.*) Conſtitutione ſcilicet *XLIV*. Legitur *Tomo V hujuſce Bullarii pag.* 330.

5. *Literis.*) Conſtitutione nempe *IX*. Legitur *pag.* 344.

Anno 1724 Die 30 Septembris.

Quod olim Ordini Fratrum Prædicatorum nomen dederit lætatur, ipſum laudibus ornat, ejuſdem Ordinis Congregationi S. Marci dat Eccleſiam SS. Quirici & Julitæ, & ejuſdem beneficia ipſi confert.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

VII.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio noſtro in Urbe, ejuſque diſtrictu Vicario, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum ad pręclaram S. Patris noſtri Dominici familiam, ad quam ab ineunte ętate noſtra per calcatas nondum adulto, ſed prompto, pede hujus ſeculi illecebras, ſic divino lumine dirigente greſſus noſtros, perreximus, & nudum Jeſum Chriſtum ſequuturi, ei nomen dedimus, quo ſic dato etiamdum lętamur, devotum noſtrę conſiderationis dirigimus intuitum, attendenteſque quod familia hujuſmodi uberes illos afferre non deſinit fructus, quos illius Pater filiis ſuis per opem Beatiſſimę Virginis, quę eſt ſedula bonorum operum adjutrix, ad divini nominis gloriam, & animarum ſalutem propagandam ſemper uberiores in dies procurare demandavit, ęquum quidem debitum reputamus, ut familiam ipſam filiali, quo adhuc utimur, & paterno, quo nunc tenemur, amore proſequentes, ad ipſius pia opera, noſtras quoque Apoſtolicę liberalitatis manus admoveamus, ac ea ſibi etiam per beneficiorum eccleſiaſticorum unionis miniſterium favorabiliter concedamus, quę ſuis in promovendo divino cultu neceſſitatibus, ęternęque animarum utilitati fore conſpicimus opportuna. Dudum ſiquidem felicis recordationis Innocentius PP. XIII Prędeceſſor noſter, omnia beneficia eccleſiaſtica, quę ſui familiares continui commenſales tunc obtinebant, & in poſterum obtinuiſſent, eorum familiaritate durante, & etiamſi ab ipſa familiaritate receſſiſſent, tunc vacantia, aut in poſterum vacatura, collationi, & diſpoſitioni

ſuę

ſuę reſervaverat, decernens ex tunc irritum & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque poſtmodum perpetuum ſimplex benificium eccleſiaſticum in infraſcripta Eccleſia, quod quondam Cęſar Meniconi in eadem Eccleſia perpetuus beneficiatus, dum viveret, obtinebat, per obitum dicti Cęſaris, qui etiam dum viveret, & beneficium pręfatum obtineret, dicti Prędeceſſoris familiaris, & continuus commenſalis exiſtens, tempore Pontificatus ejuſdem Prędeceſſoris apud Sedem Apoſtolicam diem clauſit extremum, vacaverit, & vacet ad pręſens, nulluſque de illo pręter Nos, pro eo quod dicto Prędeceſſore, per eum de beneficio hujuſmodi aliter non diſpoſito, ſicut Domino placuit, de medio ſublato, nos divina favente clementia ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpti declaravimus, omnia beneficia eccleſiaſtica, quę tempore obitus ejuſdem Prędeceſſoris, ſic reſervata vacabant, per hujuſmodi reſervationem, & decretum remanſiſſe, & remanere affecta, nullumque de illis pręter Romanum Pontificem ea vice diſponere potuiſſe, ſive poſſe quoquomodo, decernentes ex tunc irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan erat eatenus, vel in poſterum contingeret attentari, hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto, ac declaratione obſiſtentibus ſupradictis, &, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum Vicarii Generalis, & Fratrum Congregationis Sancti Marci Florentinę Ordinis Prędicatorum, in quo nos expreſſe profeſſi extitimus, petitio continebat, quod alias tunc exiſtentes Capitulum, & Canonici ſeculares, & Collegiatę, quę etiam Parochialis exiſtit, Eccleſię SS. Quirici, & Julitę de Urbe, conſiderantes pręfatam eorum Eccleſiam, utpote tunc ad malum ſtatum redactam, quampluriмis reparationibus indigere, ipſius vero Eccleſię redditus, qui ad centum quinquaginta ſcuta monetę Romanę, computata tamen in eis congrua quinquaginta ſcutorum monetę hujuſmodi, Vicario perpetuo dictę Eccleſię, qui curam animarum illius Parochianorum exercet, aſſignata, & non deductis expenſis pro manutentione ſacriſtię ipſius Eccleſię, & eccleſiaſticis functionibus in ea peragendis neceſſario ſubeundis annuatim, aſcendebant, adeo tenues exiſtere, ut ex illis, ejuſdem Eccleſię urgentibus neceſſitatibus minime occurrere, minuſque ex fructibus, redditibus, & proventibus ſuorum Canonicatuum, & prębendarum, quorum ſinguli viginti ſcutorum monetę pręfatę valorem annuum non excedebant, attenta illorum tenuitate, providere valebant, proindeque neceſſitatibus hujuſmodi aliquo modo conſulere cupientes, pręfatam Eccleſiam, illiuſque uſum, & adminiſtrationem, una cum cura animarum, illiuſque Parochianorum, ac Fonte Baptiſmali in ea exiſtente, necnon omnibus, & ſingulis dictę Eccleſię bonis, rebus, proprietatibus, fructibus, redditibus, juribus, obventionibus, & emolumentis univerſis, certis, & incertis, etiam ab exercitio curę animarum hujuſmodi provenientibus, ac univerſa illius ſupellectili ſacra, & profana, in ea quomodolibet ad opus divini cultus exiſtente, & ad eam ſpectantibus, ac cum omnibus illius campanis, crucibus, calicibus, patenis, vaſis, thuribulis, etiam aureis, & argenteis, ac etiam cum omnibus, & ſingulis bonis, & fructibus, redditibus, & proventibus, ad ſex Canonicatus, & Prębendas ejuſdem Eccleſię, illoſque pro tempore obtinentes, ſpectantibus, & pertinentibus, modernis Vicario Generali & Fratribus pręfatis, reſervato tamen Sedis Apoſtolicę beneplacito, ac de conſenſu dilecti etiam filii noſtri Henrici Sanctę Romanę Eccleſię Presbyteri Cardinalis de Biſſi nuncupati, tunc, ac etiam nunc dictę Eccleſię titularis, in perpetuum conceſſerunt, & aſſignarunt ſub infraſcriptis tamen pactis, & conditionibus in inſtrumento publico tunc deſuper confecto latius expreſſis; videlicet, quod ſalva, & illęſa remanerent omnia, & ſingula jura, actiones, & juriſdictiones, quę ſpectabant, & pertinebant, & quoquomodo ſpectare, & pertinere poterant tam dicto Henrico Cardinali, quam futuris dictę Eccleſię Cardinalibus titularibus pro tempore exiſtentibus, ſupra Eccleſiam pręfatam, quibus per conceſſionem, & aſſignationem hujuſmodi nullo modo in aliquo pręjudicatum cenſeretur, ac etiam ſalva, & illęſa remaneret dicto Henrico Cardinali, aliiſque futuris dictę Eccleſię Cardinalibus titularibus pro tempore exiſtentibus, in Urbe pręfata tamen pręſentibus, & prout de jure, facultas conferendi Canonicatus, & Prębendas dictę Eccleſię, qui in poſterum non uti Canonicatus, & Prębendę, ſed uti perpetua ſimplicia beneficia eccleſiaſtica conferri deberent, quodque attenta conceſſione, & aſſignatione hujuſmodi, etiam quoad bona, & fructus, redditus, & proventus pręfatę Eccleſię, & illius Canonicatuum, & Prębendarum, ac etiam ceſſione, & tranſlatione cujuſcunque juris, & juriſdictionis, pręfatis Canonicis ſupra Eccleſiam pręfatam competentibus, ab eiſdem Canonicis ad favorem dictorum Fratrum factis, Fratres pręfati tenerentur, & obligati exiſterent ſolvere, & exburſare pręfatis Canonicis, eorumque in pręfatis Canonicatibus, & Prębendis hujuſmodi ſucceſſoribus pro tempore exiſtentibus in perpetuum, qui de Canonicatibus, & Prębendis hujuſmodi in poſterum perpetuis ſimplicibus beneficiis eccleſiaſticis denominandis a dicto Henrico Cardinale, & futuris dictę Eccleſię Cardinalibus titularibus pro tempore exiſtentibus, proviſi fuiſſent, videlicet, cuilibet eorum pro fructibus, redditibus, & proventibus ſuorum Canonicatuum, & Prębendarum hujuſmodi, in poſterum perpetuorum ſimplicium beneficiorum eccleſiaſticorum, ut pręfertur, denominandorum, ſcuta viginti monetę pręfatę de juliis decem pro quolibet ſcuto hujuſmodi, libera, immunia, & exempta ab omni onere, & expenſa, quolibet anno duabus ſolutionibus ęqualibus, videlicet de ſemeſtri, in ſemeſtre poſticipate, ratam partem dictorum viginti ſcutorum monetę hujuſmodi, incipiendo a die poſſeſſionis, eis ſuper bonis dictę Eccleſię conceſſis, & aſſignatis tradendorum, & ad hunc effectum Fratres pręfati obligare tenerentur omnia, & ſingula bona ſtabilia, cenſus, canones, redditus, & proventus certos, & incertos, ad dictam Eccleſiam, ac Canonicatus, & Prębendas prędictos ſpectantes, & pertinentes, vigore pręfatarum conceſſionis, & aſſignationis, per eos acquiſitos, & in futurum acquirendos; quodque iidem Fratres pręfatam Eccleſiam reſtaurare, illamque, ejuſque ſacriſtiam utenſilibus, & paramentis ſacris providere, & manutenere, ac omnia, & ſingula onera, & obligationes, ad quę, & quas pręfatę Eccleſię Canonici, illiuſque Vicarius perpetuus curatus tenebantur, ſubire, & adimplere deberent, & obligati exiſterent, ſalvo tamen remanente exercitio curę animarum Parochianorum ejuſdem Eccleſię penes tunc exiſtentem ejuſ-

Nota.

ejuſdem Eccleſię Vicarium perpetuum, in quo idem Vicarius perpetuus, donec viveret, cum omnibus, & ſingulis juriſdictionibus annexis, connexis, rationibus, & pertinentiis, ac cum perceptione omnium, & quorumcunque fructuum, redditũum, & proventuum, & emolumentorum certorum, & incertorum modo, & forma, quibus illos, & illa tunc percipiebat, continuare deberet, ac etiam ſalva remanente penſione annua viginti quinque ducatorum auri de Camera, alias ſuper perpetuę Vicarię dictę Eccleſię fructibus, redditibus, & proventibus dilecto ſimiliter filio Thomę Mancini ejuſdem Eccleſię Canonico, Apoſtolica auctoritate reſervata, quam idem Thomas annuatim percipiebat, quamque dictus Vicarius perpetuus, donec ipſe vixiſſet, & Vicariam pręfatam obtinuiſſet, pręfato Thomę, ut antea ſolvere teneretur, poſtquam vero dictus Vicarius perpetuus ab humanis deceſſiſſet, Fratres pręfati dictam penſionem ſolvere, & pro hujuſmodi penſionis ſolutione omnia, & ſingula bona, ac fructus, redditus, & proventus tam certos, quam incertos Eccleſię, & Vicarię prędictarum obligare tenerentur; quodque ipſi Fratres in aliqua domo prędictę Eccleſię contigua, mediante tamen beneplacito Apoſtolico, inhabitare, &, ſi commode fieri poſſet, januam, per quam in Eccleſiam ſe commode conferre poſſent, ad effectum inibi eorum proprii inſtituti functiones exercendi, aperire, necnon unam clavem Eccleſię, & Ciborii retinere valerent, ad hoc ut Sacramenta eccleſiaſtica aliis in dicta Eccleſia adminiſtrare poſſent, ac alias, prout latius, & diffuſius in dicto inſtrumento continetur; ſubinde vero Innocentius Prędeceſſor prętatus conceſſionem, & aſſignationem hujuſmodi Vicario Generali, & Fratribus prędictis, ut pręfertur, factam, utpote ad divini cultus augmentum, & curę animarum ſalutem, necnon pręfatę Eccleſię utilitatem, & decorem tendentes, ac pręfatum inſtrumentum, deſuper, ut pręfertur, confectum, cum omnibus, & ſingulis ſupradictis pactis, & conditionibus, aliiſque in eo contentis quibuſcunque, licitis tamen, & honeſtis, Apoſtolica auctoritate perpetuo approbavit, & confirmavit; necnon dictis Vicario Generali, & Fratribus, ut ipſi in aliqua domo pręfatę Eccleſię contigua habitare, &, ſi commode fieri potuiſſet, januam, per quam ad Eccleſiam prętatam ſe commode conferre poſſent aperire, poſtquam vero dictus Vicarius perpetuus e vivis deceſſiſſet, curam Animarum Parochianorum ejuſdem Eccleſię per unum ex pręfatę Congregationis Presbyteris regularibus idoneum, a pro tempore exiſtente ſuperiore dictę Congregationis deputandum, & ad ejus nutum amovibilem, & a pro tempore exiſtente in Urbe prędicta ejuſque diſtrictu Vicario examinandum, & approbandum, exerceri facere reſpective poſſent, & valerent, licentiam, & facultatem conceſſit, & impartitus fuit, & attento quod Canonicatus, & Prębendę dictę Eccleſię nullam neque feſtis, neque aliis anni diebus reſidentiam requirebant, Chori ſervitium non habebant, quodque de cetero Canonicatus, & Prębendę hujuſmodi perpetua ſimplicia Beneficia Eccleſiaſtica denominari, & uti talia reputari, & a pro tempore exiſtente Cardinali titulari Eccleſię prędictę, occurrente illorum vacatione, ut ſupra, conferri deberent, dicta Apoſtolica auctoritate conceſſit, & indulſit, prout in literis Apoſtolicis ejuſdem Innocentii Prędeceſſoris, in forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris deſuper ſub datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem die ſexta Maii, Anni Domini Milleſimi Septingenteſimi Vigeſimi ſecundi Pontificatus ſui Anno Primo, expeditis, & debitę executioni demandatis, plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicti Vicarius Generalis, & Fratres ſtatim ac dictę Eccleſię poſſeſſionem adepti fuerunt, Eccleſiam ipſam reſtaurare, ac functiones eorum inſtituti, pręcipue Verbum Dei prędicando, & Roſarium Beatę Marię Virginis promovendo, cum magna populi frequentia, & conſolatione, ac Animarum ſalute, in ea exercere incęperint, & exerceant de pręſenti, & licet ipſi quamplures in reſtauratione hujuſmodi expenſas jam fecerint, nihilominus pro reſtauratione hujuſmodi perficienda, & ad occurrendum quamplurimis aliis urgentiſſimis ejuſdem Eccleſię neceſſitatibus, longe majores expenſę requirantur, pro quibus faciendis eorum vires, tum propter eorum paupertatem, & exiguos redditus quos habent, tum etiam quia nihil ex fructibus, & proventibus Parochialibus adhuc percipere poſſunt, eo quia illi Vicario perpetuo ejuſdem Eccleſię, qui adhuc ſuperſtes exiſtit, aſſignati, ut pręfertur, fuerunt, & inſuper ſcuta quinquaginta eidem Vicario perpetuo, necnon alia ſcuta quadraginta quinque monetę pro penſione domus pręfatę Eccleſię contiguę, ab eiſdem Vicario Generali, & Fratribus ad inhabitandum conductę, quolibet anno ſolvere tenentur, impares exiſtunt, & ſi ſex Canonicatus, & prębendę dictę Eccleſię ad ſex perpetua ſimplicia Beneficia Eccleſiaſtica, ut pręfertur, redacti, primo dictum ad pręſens, ut pręfertur, vacans videlicet, ex nunc, reliqua vero quinque beneficia hujuſmodi etiam ex nunc pro tunc, poſtquam tamen illa per ceſſum, vel deceſſum, aut alias quovis modo, ex perſonis illa nunc obtinentium, vacaverint, pręvia tamen illorum, & cujuslibet eorum tituli collativi ſuppreſſione, & extinctione, eidem Congregationi, ad effectum infraſcriptum perpetuo unirentur, annecterentur, & incorporarentur, & ex hoc profecto nedum Eccleſię hujuſmodi neceſſitatibus pręfatis conſuleretur, verum etiam in ea Divinus cultus cum ſpirituali populi, ad eam in majori numero confluentis conſolatione, & animarum ſalute, majora in dies ſuſciperet incrementa. Quare pro parte Vicarii Generalis, & Fratrum pręfatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eis in prǽmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum communem ęſtimationem etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, quique dictorum Vicarii Generalis, & Fratrum ſtati felici, & manutentioni conſulere ſinceris deſideramus affectibus, Vicarium Generalem, & Fratres prętatos ſpecialis gratię favore proſequi volentes, & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum prǽſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis omnibus, qui fuerint ad id evocandi, beneficia pręfata, quę perſonalem reſidentiam, ut pręfertur, non requirunt, ac quo-

ac quorum cujuslibet, & illis forſan reſpective annexorum fructus, redditus, & proventus viginti ſcutorum monetę prę́fatę ſecundum ęſtimationem prę́fatam, valorem annuum, ut etiam prę́fertur, non excedunt, primo dictum videlicet ſive prę́miſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per liberam reſignationem dicti Cęſaris, vel cujuſvis alterius de illo in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & Teſtibus ſponte factam, aut aſſecutionem alterius beneficii eccleſiaſtici, quavis auctoritate collati, vacet, ex nunc, reliqua vero quinque Beneficia hujuſmodi ex nunc, prout ex tunc, & e contra, cum primum illa, & illorum quodlibet per ceſſum etiam ex cauſa permutationis, vel deceſſum, ſeu privationem, aut quamvis aliam dimiſſionem, vel amiſſionem, ſeu Religionis ingreſſum, & profeſſionis emiſſionem, illa, & illorum quodlibet nunc obtinentium, & obtinentis, vel quorumvis aliorum reſignationes de illis in dicta Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factas, aut aſſequutionem alterius beneficii eccleſiaſtici, quavis auctoritate collati, vacent, & vacet, etiamſi tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, & beneficia prę́fata diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter, vel alias generaliter reſervata exiſtant, & ſuper eis inter aliquos lis, cujus ſtatum eiſdem prę́ſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo primodicti beneficii diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, illorumque, & cujuslibet eorum reſpective titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, & eſſentiam, ita quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus illa collativa eſſe deſinent, & uti talia in titulum collativum, quavis auctoritate conferri, ſeu de illis quovis modo diſponi amplius nequeat, & ſi illa ullo unquam tempore conferri, vel impetrari, aut alias de eis diſponi contigerit, collationes, impetrationes, ac alię diſpoſitiones de illis quomodolibet faciendę nullę, & invalidę, nulliuſque roboris, vel momenti exiſtant, neminique ſuffragentur, nec cuiquam titulum coloratum poſſidendi tribuant, perpetuo ſupprimas, & extinguas, ac beneficia prędicta cum annexis hujuſmodi, ac omnibus juribus, & pertinentiis ſuis univerſis, eidem Congregationi, ita quod liceat Vicario Generali, & Fratribus Congregationis prę́fatę nunc, & pro tempore exiſtentibus, veram, realem, actualem, & corporalem poſſeſſionem, ex nunc videlicet primodicti beneficii hujuſmodi, & ex nunc pro tunc, poſtquam tamen illa, & illorum quodlibet, vacaverint, & vacaverit, ut prę́fertur, reliquorum quinque beneficiorum prę́fatorum, illorumque rerum, bonorum, proprietatum, jurium, & pertinentiarum quorumcunque, per ſe, vel alium, ſeu alios, eorum, & ejuſdem Congregationis nominibus propria auctoritate libere apprehendere, & apprehenſam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta ex eis provenientia quęcunque percipere, colligere, erigere, levare, recipere, recuperare, locare, diſlocare, arrendare, ac in dictę Eccleſię reſtaurationem, illiuſque neceſſitates prędictas primum, & deinde in ipſius Eccleſię, & illius ſacriſtię manutentionem, ac Fratrum dictę Congregationis in Eccleſia prę́fata pro tempore degentium ſuſtentationem, eorumque communes, & religioſos uſus, neceſſitates tantum, & non in alios uſus, convertere, cujuſvis licentia deſuper minime requiſita, ſupportatis tamen per nunc, & pro tempore exiſtentes, Vicarium Generalem, & Fratres Congregationis hujuſmodi omnibus, & ſingulis, ſi quę ſint, dictorum beneficiorum oneribus, ac ſolutis per eoſdem, & Vicarium Generalem quinque dictę Eccleſię beneficiatis ſuperſtitibus, donec ipſi quinque beneficiati vixerint, & quilibet eorum reſpective vixerit, eorum cuilibet videlicet ſupradictis annuis ſcutis viginti monetę prędictę, Apoſtolica auctoritate, de conſenſu dicti Henrici Cardinalis dictę Eccleſię titularis etiam perpetui, & quoad dictum vacans beneficium ex nunc, quo vero ad reliqua quinque beneficia prę́fata ex nunc pro tunc, poſtquam illa, & illorum quodlibet, vacaverint, & vacaverit, ut prę́fertur, auctoritate noſtra ſine alicujus prę́judicio unias, annectas, & incorpores, unione, annexione, & incorporatione prę́fatis tamen donec ipſi Fratres Eccleſiam prę́fatam retineant, & ea, quę in vim conceſſionis, & aſſignationis dictę Eccleſię eis, ut prę́fertur, factarum adimplere tenentur, adimpleant, duraturis, & non alias. Nos enim ſi ſuppreſſionem, extinctionem, unionem, annexionem, & incorporationem prę́fatas per te vigore prę́ſentium fieri contigerit, ut prę́fertur, eaſdem prę́ſentes quoque nullo unquam tempore ex quibuſvis etiam hic neceſſario exprimendis cauſis de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam vocari, vel ad viam, & terminos juris reduci, aut adverſus illos quodcunque juris, vel facti, aut gratię remedium impetrari, ſed illas ſemper, & perpetuo validas, & efficaces exiſtere, nec ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes quomodolibet factis, & conceſſis comprehendi, ſed ſemper ab illis excipi, & quoties illę emanabunt toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam ſub quacunque poſteriori data per nunc, & pro tempore exiſtentes Congregationis hujuſmodi Vicarium Generalem, & Fratres prę́fatos quandocunque eligenda, conceſſas, validas, & efficaces fore, & eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, eiſdemque nunc, & pro tempore exiſtentibus Vicario Generali, & Fratribus prę́fatis perpetuo ſuffragari, ſicque, & non alias per quoſcunque judices ordinarios, vel delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apoſtolicę Nuncios, judicari, & definiri debere, & prout eſt, ſi quoad primo dictum attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum, quoad reliqua vero beneficia hujuſmodi quidquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus voluntate noſtra prę́fata, ac Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus a jure permiſſis, fieri prohibentis, ac pię memorię Bonifatii PP. VIII ſimiliter Prędeceſſoris noſtri, aliiſque quibuſvis Apoſtolicis, necnon in ſynodalibus, provincialibus, & univerſalibus Conciliis editis, vel edendis ſpecialibus, vel generalibus conſtitutionibus, vel ordinationibus, necnon Ordinis

prę-

prędicti, ac Congregationis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis irritantibus, ac aliis decretis etiam in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, pluries innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, prę̨ſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prę̨miſſorum effectum, hac vice duntaxat latiſſime, & pleniſſime, ac ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in dicta Urbe ſpeciales, vel generales dictę Sedis literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos, & inde ſequuta quęcunque, ad dicta beneficia volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſequutionem beneficiorum aliorum prę̨judicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę prę̨ſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Volumus autem, quod in eventum, in quem Fratres prędicti dictam Eccleſiam deſerant, ſeu ab ea recedant, & ea omnia, per eos, ut ſupra, adimplenda non adimpleant, ſuppreſſio, & extinctio prędictę habeantur pro non factis, ac unio, annexio, & incorporatio ſupradictę diſſolvantur, ac diſſolutę ſint, & eſſe cenſeantur eo ipſo, aliaque omnia, & ſingula prę̨miſſa ad priſtinum ſtatum revertantur. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Septingenteſimo Vigeſimo Quarto, Pridie Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

A. Marianus.

A tergo legitur. Regiſtr. Martinetus.

1. *Archivo*.) In quo exemplar. Autographum vidi. Aſſervatur in Archivo domus *SS. Quirici & Julitæ* de Urbe. Plumbum ſericis filis albis appenditur. Legitur in *Actis Capituli Generalis MDCCXXV pag.* 36.

Anno 1724 Die 10 Octobris.

VIII.

Lugdunenſes Fratres Prædicatores laudat, & ipſorum precibus ſe commendat.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſoribus Civitatis Lugdunenſis.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUod curis noſtris ſolatium eximia veſtra erga Nos, & hanc Sanctam Sedem obſervantia, & luculenter de Apoſtolatu Nobis delato gratulationis officia afferre debuiſſent, perſpecta virium noſtrarum imbecillitas in nova męroris argumenta convertit, nam Pontificem Apoſtolicę ſollicitudini parem, qualem aſpera temporum conditio, & Eccleſię neceſſitates, ipſaque muneris, locique Sanctitas poſtularet, & qualis ad animarum ſalutem procurandam, e Fratrum Prędicatorum palęſtra prodire debuiſſet, veſtra virtus non ſolum in humilitate noſtra ſpectare ſibi viſa eſt, ſed oculis etiam noſtris per obſequentiſſimas literas intuendum ſubjecit. In qua quidem adumbrata Summi Sacerdotis imagine, quantum Nobis ad impoſiti officii neceſſitudinem deeſſet, & clarius perſpeximus, & impenſius doluimus. Veſtrę igitur pietatis erit, ut pro debita univerſali Eccleſię, Sacroque Prędicatorum Ordini, caritatis ſolicitudine opportunas allevandę infirmitatis, adhibendęque conſolationis partes, piis precibus, & obſecrationibus ſuppleatis. Novimus enim, quanta cum Regularis diſciplinę laude S. Patris Dominici inſtituto reſpondeatis, & inſignem iſtius Conventus celebritatem adęquetis. Per Nobis autem jucundum accidit, quod de paterna noſtra benignitate opem vobis polliceri geſtiatis; Non enim Pontificię benevolentię teſtimonia pro rerum, ac temporum opportunitate vobis defutura confidimus. Hujuſce autem propenſę voluntatis ſpecimen, vobis erit pecunię ſubſidium, quam dilecto filio Bernardo de Arcet (2) ejuſdem Ordinis numeratam, pro ſartis tectis veſtri Conventus ad vos curandam mandavimus; Contendite igitur, ut fuſis precibus, votiſque ſuſceptis Chriſtiano populo Pontificatus noſtri veſtrę lętitię fructus conſtet. Ac vobis dilecti filii Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die X Octobris MDCCXXIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo*.) In quo exemplar.
2. *Bernardo de Arcet*.) Doctori *Pariſienſi*, Viro egregio, *Occitanæ* Provinciæ alumno, tunc Generalis Magiſtri Socio pro *Galliarum* Regno. Vivere deſiit ab aliquot annis.

De ſuſcepto Apoſtolatu gratulantem laudat Archiepiſcopum Lugdunenſem, ejuſque ſtudia erga Ordinem Prædicatorum complectitur.

Anno 1724 Die 13 Octobris.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Venerabili Fratri Franciſco Paulo (2) Archiepiſcopo Lugdunenſi.

IX.

BENEDICTUS PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Quamquam ſingulare tuum erga Nos ſtudium facit, ut ſera gratulationis officia propter ſuſceptum ab infirmitate noſtra Apoſtolatus miniſterium detuliſſe tibi videaris, Pariſienſis tamen itineris neceſſitas cum tui nominis, ac dignitatis ornamento conjuncta, quę lętitię tuę ſignificationibus moram objecit, gaudium noſtrum magnis auctibus cumulavit. Adeo enim perſpecta nobis eſt animi tui vigilantia, & fortitudo paſtoralis, ut in Eccleſię utilitatem ceſſuras eſſe tam profectiones tuas, quam honoris acceſſiones non dubitemus. Ceterum etſi in laudibus officioſiſſimis, quibus literę tuę refertę ſunt, diſertiſſime expreſſum cernimus, quam longe a pręclaris tuis de noſtra imbecillitate judiciis, atque a Summi Sacerdotii ſublimitate abſit humilitas noſtra, fraternitatis tamen tuę addictiſſima huic Sanctę Sedi obſervantia, dolorem noſtrum a diſſidentium, ac decertantium ſcandalis inuſtum inſigni conſolatione lenivit, quę ex ſinceris tuis ſenſibus eo uberior in Nos redundavit, quo magis emines claritate generis, celebritate ſedis, & ſplendore virtutis. Ad hęc autem cum acceſſerit fraternitatis tuę erga Prędicatorum Ordinem ſtudioſa voluntas, verbis explicare vix poſſumus, quam gratum, tibique obſtrictum animum geramus. Tuas vero pro Lugdunenſi eorum Conventu preces, & commendationes, quibus Pontificię noſtrę caritatis officio pręvertiſti non irritas fuiſſe, ex iiſdem accipies. Idque argumento etiam tibi erit, quam libenter occaſiones arripiamus benevolentię erga te noſtrę, & exiſtimationis declarandę, cujus teſtem Apoſtolicam Benedictionem fraternitati tuę peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII Octobris MDCCXXIV Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

2. *Franciſco Paulo.*) Ex illuſtri & antiqua gente *de Villeroy de Neufville.*

Adverſus calumnias Doctrinæ (1) SS. Auguſtini & Thomæ intentatas.

Anno 1724 Die 6 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Prędicatorum Profeſſoribus.

X.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Demiſſas preces, & ęquiſſimas conqueſtiones veſtras, quas dilectus filius Auguſtinus Pipia (3) totius Ordinis Magiſter Generalis, Religioſę vitę exemplis, ac doctrina, prudentiaque commendatiſſimus, ſupplici libello ad Nos detulit, ea benignitate complexi ſumus, quam, & veſtra in Catholicam Religionem ampliſſima merita, & noſtra, quam dudum profeſſi ſumus, erga Ordinem Prędicatorum obſervantia filialis, noſtręque demum humilitati impoſitum paternę caritatis, & ſollicitudinis officium poſtulabant. Quod igitur ęgre admodum, ut par eſt, moleſteque feratis, erroribus a felicis recordationis Clemente Papa XI Prędeceſſore noſtro per Conſtitutionem, quę incipit: Unigenitus Dei Filius, ſaluberrimo, & ſapientiſſimo judicio rejectis, damnatiſque, Auguſtinianę, & Angelicę Doctrinę nomen obtendi; indeque audere nonnullos Apoſtolicę auctoritati, ac veſtrę exiſtimationi detrahere, quod ipſa veſtrarum ſententiarum capita, ejus Conſtitutionis cenſuris, notiſque inuſta eſſe calumnientur; juſtam quidem animorum veſtrorum offenſionem laudi damus; qua nimirum Vos germanos Sancti Thomę diſcipulos maxime probaſtis. Magiſterio enim tanti Doctoris imbutos nihil decet magis, quam ut in addictiſſima huic Sanctę Sedi Fide, obedientiaque pręcipuum Studiorum ſuorum fructum, & laudem collocent; & abſonas, refraganteſque Apoſtolicis decretis opiniones, non averſentur modo, ſed per arma etiam lucis, & veritatis diſſipent, & evertant. Tantum tamen abeſt, ut vicem veſtram doleamus, ut vobis potius gratulemur, quod hac etiam in parte cauſa veſtra ab hujus Sanctę Sedis rationibus ſejuncta eſſe non potuerit; quodque alienę prorſus calumnioſęque interpretationes ad conflandam memoratę Conſtitutioni invidiam temere excogitatę, ad injuriam quoque veſtri nominis redundarint. Ceterum non adeo Vobis erat, aut dolendum, aut mirandum, quod cum ipſis Divinorum librorum oraculis, & Apoſtolicis definitionibus pro impotenti, obfirmatoque partium ſtudio paſſim vis afferatur, hęc eadem contentionis, pervicacięque licentia Angelicam Doctrinam attentare non dubitaverit. Illud potius jure mirandum, quod tam prępoſtero conſilio in hac cauſa locus eſſe potuerit, ubi Sancti Thomę exploratiſſimis ſententiis damnati errores diſertiſſime confutantur. Quandoquidem Omnipotentis Dei providentia factum eſt (4), ut Angelici Doctoris vi, ac veritate Doctrinę, non ſolum innumerę, quę vel ipſius ętate, vel antea graſſatę ſunt, ſed multę etiam quę deinceps exortę ſunt hęreſes, confuſę, & convictę diſſiparentur.

Magno igitur animo contemnite, dilecti filii, calumnias intentatas ſententiis veſtris, de Gratia prǽſertim per ſe, & ab intrinſeco efficaci, ac de gratuita Prędeſtinatione ad gloriam ſine ulla prævisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuiſtis, & quas ab ipſis SS. Doctoribus Auguſtino, & Thoma ſe hauſiſſe, & verbo Dei, ſummorumque Pontificum, & Conciliorum decretis, & Patrum dictis conſonas eſſe Schola veſtra commendabili ſtudio gloriatur. Cum igitur bonis, & rectis corde ſatis conſtet, ipſique calumniatores, niſi dolum loqui velint, ſatis perſpiciant, SS. Auguſtini, & Thomę (5) inconcuſſa tutiſſimaque dogmata, nullis prorſus antedictę Conſtitutionis cenſuris eſſe perſtricta; ne quis in poſterum eo nomine calumnias ſtruere, & diſſenſiones ſerere audeat ſub canonicis pœnis diſtricte inhibemus. Pergite porro Doctoris veſtri opera Sole clariora, ſine ullo prorſus errore (6) conſcripta, quibus Eccleſiam Chriſti mira eruditione clarificavit (7) inoffenſo pede decurrere, ac per certiſſimam illam (8) Chriſtianę Doctrinę regulam Sacroſanctę Religionis veritatem, incorruptęque diſciplinę ſanctitatem tueri, ac vin-
Nota. dicare. Hęc ſunt enim, dilecti filii, quę Prędeceſſores noſtri de Sancti Thomę Doctrina ſenſerunt, & prędicarunt; quęque nos, non modo ad curarum veſtrarum lenimentum, ſed ad animi quoque noſtri ſolatium libentiſſime uſurpamus, & pręconio Apoſtolicę vocis efferimus. Inclytus enim Ordo iſte, cui nomen dedimus, & quem expreſſe, Domino miſerante, profeſſi ſumus, eodem Angelicę Doctrinę lacte nos aluit, ac licet impari inſtitutionis fructu, ad gerendam Eccleſiarum ſollicitudinem eduxit; ut privato etiam, diuturnoque colendarum artium experimento ediſcere potuerimus, quod ex Apoſtolatus ſpecula per haſce literas annunciamus. Deum interea, qui pacem, & veritatem diligendam prǽcipit, ſupplices rogate, ut ſincero Angelici Doctoris ſtudio omnes in ſimplicitate cordis nitantur, quę ille docuit, intellectu conſpicere, atque in unitate ſpiritus, & caritate fraternitatis, quę ille egit, imitatione complere. Ac vobis, dilecti filii, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI Novembris MDCCXXIV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Carolus Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Doctrina*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*
2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXIV* & inter *Acta Capit. Gener. MDCCXXV. pag.*15.
3. *Pipia.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
4. *Factum eſt.*) Vt teſtatur *S. Pius V* Conſtit. *XXXVIII.*
5. *SS. Auguſtini, & Thomæ.*) Conſulenda Conſtitutio *XXIII. Alexandri VII.*
6. *Sine ullo prorſus errore.*) Vti docet *Clemens VIII* Conſtitutione. *CX.*
7. *Clarificavit.*) Vt legitur in oratiuncula, vulgo *Collecta* Feſti *S. Thomæ.*
8. *Certiſſimam illam.*) Verba ſunt Conſtitutionis *S. Pii V* mox laudatæ.

Anno 1724 Die 14 Decembris.

Veneti Conventus SS. Johannis & Pauli Fratrum precibus ſe commendat, & gratum animum eiſdem profitetur.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Conventus SS. Johannis & Pauli, Civitatis Venetiarum.

XI. BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Quam Nobis olim in celebri iſto inſignique Cœnobio diverſantibus, fraternam caritatem exhibuiſtis, Paternę benevolentię officiis rependere cupiebamus, poſtquam humilitatem noſtram, tanta licet infirmitate circumdatam, ad hujus Apoſtolicę Sedis formidandam altitudinem, inſcrutabile judicium Dei omnipotentis evexit. Sed pro veteri gratia vicem reddere cogitantes, nova obſervantię veſtrę, ac pietatis argumenta Nos occuparunt. Quę tamen mœrorem Nobis potius, quam lętitiam attulerunt. Jamdudum enim expoſtulavimus apud vos, graviterque indoluimus, cum in Sacrum Cardinalium Ordinem adſciti, parietes veſtros noſtro nomine illitos eſſe, & immeritos laudis titulos referre reſcivimus. Ex quo ſatis intelligitis, quam ęgrius Nobis fuerit, cum ex literis veſtris accepimus, eo vos demum proceſſiſſe,
Nota. ut ſimulacrum etiam e marmore Nobis collocandum decerneretis. Alia prorſus, dilecti filii, & Nos juvant, & vos decent officia. Extat enim noſtrę quam utinam obliterare liceret, remiſſe, ac ſegniter actę vitę apud vos memoria. Ea vobis ſit non ementitę laudis teſtimonium, ſed piarum pro nobis obſecrationum incitamentum. Gratum tamen pro ſenſibus prǽclarę in Nos voluntatis animum teſtatum vobis eſſe vehementer optamus, ejuſque luculentius declarandi, dum opportunitatem prǽſtolamur, vobis, dilecti filii, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIV Decembris MDCCXXIV Pontificatus noſtri Anno Primo.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Veneto*, & inter *Acta Cap. Gen. MDCCXXV pag.*50.

Parochialem curam, ab Eccleſia Sanctimonialium S. Silveſtri Monaſterii Genuen., removendam injungit.

Anno 1725. Die 5 Februarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Dilecto filio noſtro Laurentio Tituli S. Marię de Pace Presbytero S. R. E. Cardinali Fliſco nuncupato.

BENEDICTUS PP. XIII.

XII.

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ZElus fovendę, augendęque Regularis diſciplinę, quam apud Sanctimoniales Ordinis Prędicatorum iſtius Conventus Sancti Silveſtri, plurimum vigere magna cum paterni animi jucunditate reſcivimus, urget nos, ut quidquid ſepoſitę vitę tranquillitati, & piis religioſi inſtituti exercitationibus obſtrepere, mentemque piarum Virginum a rerum divinarum meditatione avocare poſſit, ſollicite removere ſtudeamus. Cum igitur ſupplici libello ſanctimoniales antedictę nobis expoſuerint, pluribus ſeſe incommodis affici, ſuorumque officiorum ordinem perturbari, ob animarum curam quę parochiali illa ſui Conventus Eccleſia exercetur, Nos ab omni ſeculari tumultu, a quo virgineos animos decet eſſe alienos illas eximere cupientes, Te, dilecte fili noſter, per has literas requirimus, ac paſtorali tuę providentię injungimus, ut prędictam animarum curam ab earundem ſanctimonialium Eccleſia, ad aliquam, vel aliquas ex vicinioribus, prout prudentię tuę magis expedire videbitur, quamprimum transferas. Nihil obſtante Decreto S.R.E. Cardinalium Sac. Concilii Tridentini interpretum, quibus ob alias cauſas aliter viſum fuerat, cui pleniſſime derogamus, ſicut & aliis quibuſcunque, quę huic noſtrę voluntati obſiſtere fortaſſe viderentur, ſupplentes etiam ſi quid ulterius requireretur, & tanquam expreſſum habentes, ſi quid eſſet exprimendum. Ne quod vero emolumentorum detrimentum ſubire cogatur is, qui in pręſens animarum ibi curam gerit, earundem Sanctimonialium curę erit. Tibi autem, tuęque erga Nos, & hanc Sanctam Sedem filiali obedientię, novos paternę noſtrę ſollicitudinis ſtimulos non eſſe admovendos reputamus, cum ejuſmodi translationem, & maxime nobis cordi eſſe, & ſanctimonialium prędictarum quieti, ac ſpirituali profectui magnopere neceſſariam intelligas. Ac tibi dilecte fili noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die V Februarii MDCCXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

Utriuſque Lombardiæ Provinciæ Comitia prorogat ad annum.

Anno 1725 Die 6 Februarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

BENEDICTUS PP. XIII.

XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Paulus Hieronymus Gallerate (2) a Mediolano, Prior Provincialis Provincię Lombardię Ordinis Fratrum Prędicatorum, quod cum Capitulum Provinciale dictę Provincię, pro novi Prioris Provincialis electione die XXI proxime futuri menſis Aprilis, parum ante Capituli Generalis celebrationem juſſu noſtro in Conventu Sancti Dominici Bononien. ejuſdem Ordinis die XIX ſequentis menſis Maii intimati, celebrari deberet. Verum nonnullę diſpoſitiones, quę in modica temporis diſtantia inter hoc utrumque Capitulum faciendę eſſent, curam & diligentiam non mediocrem poſtulent ad pręparandas res neceſſarias, eo, quo par eſt, decore, pro ipſius Capituli Generalis celebratione, pręſertim pro diſtributione manſionum eorum, qui e Provinciis exteris ultramontanis, & transmarinis ad ejuſmodi Capitulum Generale acceſſuri erunt, ipſe Paulus Hieronymus Capitulum Provinciale prędictum pro hac vice intermitti, ſive novum Priorem Provincialem per Nos inſtitui, vel idem Capitulum Provinciale uſque ad annum proxime venturum poſt Paſcha Reſurrectionis Dominicę prorogari ſummopere deſiderat. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Paulum Hieronymum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, celebrationem memorati Capituli Provincialis, quod die XXI proxime venturi Menſis Aprilis celebrari deberet, ut pręfertur, ad annum tamen inde proximum, quo durante, ſeu ſtatim elapſo, Capitulum ipſum Provinciale celebrari poſſit, & omnino debeat, itaut interea dictus Paulus Hieronymus, & Definitor (3), ac Socius (4) in ſuis reſpective muneribus, cum omnibus & ſingulis pręeminentiis, pręrogativis, facultatibus, auctoritatibus, privilegiis, gratiis, & indultis, ac ho-

honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis perdurare, & continuare debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium prorogamus, extendimus, & ampliamus. Decernentes eaſdem pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provincię, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI Februarii MDCCXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Mediolanenſi.*
2. *Paulus Hieroynmus Gallerate.*) De quo dictum fuit.
3. *Definitor.*) Is erat *R. A. P. Thomas Laurentius Zacherini*, S. Theologiæ Magiſter.
4. *Socius.*) Clariſſimus nempe *Johannes* noſter *Dominicus de Agnanis*, S. Theologiæ Magiſter, Capituli Generalis Secretarius, de quo poſtea.

Anno 1725 Die 23 Februarii.

Indulgentia pro Capitulo Generali.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XIV.

BENEDICTUS PP. XIII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, Capitulum Generale Fratrum Ordinis Prędicatorum in Eccleſia, ſeu Conventu S. Dominici Civitatis Bononien. die decima nona proxime futuri menſis Maii, celebrandum ſit, Nos ut opus tam pium majori cum fructu fiat, & ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem, cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui prędictam, vel aliam ex Eccleſiis tam Conventuum Fratrum, quam Monaſteriorum Monialium ejuſdem Ordinis ubique exiſten. ipſa die decima nona menſis Maii, ac ſingulis diebus actualis illius celebrationis, devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſemel duntaxat omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, pręſentibus poſt celebrationem dicti Capituli Generalis minime valituris, non obſtante prohibitione a Nobis emanata de non publicandis quibuſvis Indulgentiis pręſenti anno Jubilei durante. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint, utque pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Februarii MDCCXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXV.*

Anno 1725 Die 7 Martii.

Quæ tempore promotionis habent, omnia Superioribus permittere debent, Regulares ad Epiſcoporum, vel alias Dignitates eccleſiaſticas promoti (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XV.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Nota.

POſtulat humilitati noſtrę divina diſpenſatione commiſſum Sacroſancti Apoſtolatus officium, ut quęcunque reſpiciunt bonum, tranquillitatem, & commodum Ordinum Regularium, unde plurimum omni tempore non modo ſplendoris, ac ornamenti, verum etiam utilitatis, atque pręſidii Catholicę Eccleſię acceſſiſſe, ac in dies magis accedere ſatis omnibus notum eſt, & quorum in cętu, nempe in Ordine Fratrum Prędicatorum, Nos ipſos olim fuiſſe, pluriumque annorum ſpatio verſatos eſſe in Domino gloriamur, propenſis ſtudiis, paternaque caritate, & ſolicitudine promovere non omittamus, ac ea pręſertim, quę ad tollendos abuſus, arcendam proprietatis labem, & inviolatum cuſtodiendum in eiſdem Ordinibus paupertatis votum, a Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris provido, juſtoque con-

conſilio ſancita fuiſſe noſcuntur, ut ſerventur exactius, Apoſtolicę confirmationis noſtrę munimine roboremus, & alias deſuper conceſſę Nobis cęlitus auctoritatis partes interponamus, prout rerum, ac temporum conditio exigit, & Nos, omnibus maturę conſiderationis trutina perpenſis, ad majorem Omnipotentis Dei gloriam, proſperum prędictorum Ordinum Regularium ſtatum, ac animarum pretioſiſſimo Chriſti Sanguine redemptarum ſalutem, expedire in Domino arbitramur. Dudum ſiquidem felicis recordationis Alexander Papa IV Prędeceſſor noſter, cum expoſitum illi fuiſſet aliquando contingere, ut Fratres Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci ad Epiſcopalem, & alias ſuperiores, & inferiores dignitates promoti ſecum aſportare, propriiſque uſibus applicare pręſumerent libros, & alia, quę tempore ſuę promotionis haberent, tametſi non ad eos, quibus nihil proprium habere licet, ſed ad Ordinem pertinerent, ad ejuſmodi abuſum ſubmovendum, & conſulendum pręfati Ordinis indemnitati, quaſdam ſuas deſuper promulgavit literas Apoſtolicas, tenoris ſequentis, videlicet: Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Generali, & Provincialibus Minoris Ordinis Fratrum Minorum. Ex parte veſtra Nobis fuit intimatum, quod cum contingat interdum ad Epiſcopalem, & alias ſuperiores, ſeu inferiores dignitates, aliquos de Fratribus veſtri Ordinis promoveri, ipſi libros, & alia, quę tempore ſuę promotionis habent, licet non ad eos, cum proprium eis habere non liceat, ſed ad Ordinem pertineant memoratum, propriis uſibus applicare pręſumunt in ſuarum perniciem animarum. Quare ſuppliciter poſtulaſtis a Nobis, ut providere ſuper hoc ſalubriter curaremus. Nos igitur eorundem Fratrum ſaluti, & indemnitati veſtri Ordinis paterna volentes ſolicitudine providere, ut libros, & alia, quę ipſos promotionis ſuę tempore habuiſſe, ſeu habere conſtiterit, tibi, fili generalis Miniſter, vel tuis provincialibus Miniſtris, ſubmota qualibet dilatione, reſignent, ipſis Fratribus jam promotis in virtute obedientię, illis autem, quos promoveri contigerit, ne reſignare differant, auctoritate pręſentium duximus injungendum, niſi forſan vos ipſorum uſus eis ad tempus conceſſeritis de gratia ſpeciali. Datum Laterani Anno Incarnationis Dominicę MCCLV, Nonis Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo. Deinde, cum memoratus abuſus in Ordinem quoque Fratrum Prędicatorum irrepſiſſet, recolendę memorię Clemens Papa IV Prędeceſſor itidem noſter, pro ſuo paſtorali zelo eum extirpandum curavit per ſuas conſimiles literas Apoſtolicas, quarum tenor hic ſubjicietur: Clemens (3) Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & univerſis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Providentia laudabilis, & ſalubris in cunctis veſtris haberi debet operibus, ut exinde claritatem nominis in conſpectu Dei, & hominum habeatis. Cum itaque, ſicut aſſeritis, contingat interdum, quod illi ex vobis, qui de Ordine veſtro ad Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus, & alias Pręlaturas eccleſiaſticas aſſumuntur, non conſiderantes quod ex profeſſione in ipſo emiſſa Ordine nihil habent proprium, quod ſibi ſpecialiter valeant retinere, libros, & alia, quę apud eos hujuſmodi tempore promotionis habent, uſibus propriis applicare, ſecumque portare pręſumant in proprię ſalutis diſpendium, & dicti Ordinis non modicum detrimentum, Nos pręſumptioni hujuſmodi volentes ſalubriter refragari, univerſis Fratribus dicti Ordinis ad hujuſmodi Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, & Pręlaturas de cetero aſſumendis, auctoritate pręſentium diſtrictius inhibemus, ne conſecrationis munus quoquomodo recipiant, antequam libros, & bona contingentia Ordinem memoratum, quę apud eos tempore ſuę promotionis habere contigerit, Prioribus, & Conventibus, de quibus aſſumpti fuerunt, cum integritate reſignent, niſi forſan iidem Priores, de conſenſu ipſorum Conventuum, uſum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum, alioquin eo ipſo ab executione Pontificalis Miniſterii noverint ſe ſuſpenſos. Inter hujuſmodi autem libros non intelligimus comprehendi quaternulos, & alias chartulas, vel membranas, in quibus dicti Fratres ſibi certa notabilia cum aliquibus privatis ſermonibus collegerunt. Nulli ergo &c. Datum Viterbii Anno Incarnationis Dominicę MCCLXVIII, Quinto Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Quamvis autem prędinſertarum Apoſtolicarum literarum tenorem a memoratis Regularibus, pro quibus emanarunt, religioſe hactenus obſervatum fuiſſe, & adhuc obſervari minime vereamur, nihilominus nonnullis juſtis, & gravibus adducti rationibus, ad obſtruendum fraudibus, quę forſan in poſterum committi poſſent, quemcunque aditum, eaſdem Alexandri, & Clementis Prędeceſſorum literas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis confirmandas, & innovandas eſſe duximus, prout Motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione illas, & in eis contenta quęcunque, iis tantum exceptis, quę eidem noſtrę Conſtitutioni adverſantur, ut infra, ampliſſime confirmamus, approbamus, & innovamus, & quatenus opus ſit, adverſus quemcunque non uſum, ſeu contrarium uſum, qui quoquomodo prętendi poſſet, reſtituimus, priſtinum in ſtatum reponimus, ac plenarie reintegramus. Pręterea, etſi ſatis conſtet ſaluberrimam prędictarum literarum diſpoſitionem, non ad eos duntaxat, de quibus loquitur, ſed ad univerſos etiam alios Regulares Ordines pertinere, cum ratio voti ſolemnis paupertatis, cui illa unice innititur, vigeat, locumque habeat generatim abſque ulla prorſus differentia in omnibus Ordinibus, quorum profeſſores eodem paupertatis voto ęqualiter obſtringuntur, adeoque ſicut iidem profeſſores indiſcriminatim nihil proprium poſſident, nec poſſidere poſſunt, & quidquid acquirunt, Monaſterio, & Ordini acquirunt, ita ſane abſque ullo diſcrimine, quando ad Pręlaturas Eccleſiaſticas aſſumuntur, bona, quę ante earum aſſecutionem habebant, ſecum aſportare, proprioſque in uſus convertere nequaquam poſſunt, ſed Monaſterio, & Ordini, cui acquiſita ſunt, ex integro relinquere, ac reſignare tenentur; Nihilominus ad quamcunque ambiguitatem ſubmovendam, ac penitus e medio tollendam, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, memoratas Alexandri, & Clementis Prędeceſſorum literas, tenore pręſentium expreſſe extendimus, ac ampliamus ad omnes etiam, & ſingulos alios Catholicę Eccleſię Ordines, Congregationes, & Inſtituta Regularia, Monaſtica, & alia quocunque nomine, & titulo nuncupata, nullo prorſus excepto, a quibus, & ab eorum profeſſoribus deinceps illas in omnibus, & ſingulis, quę pręſenti Conſtitutioni non adverſantur, exactiſſime obſervari volumus, prępimus, & mandamus, perinde

ac ſi

ac ſi ipſęmet literę a prȩfatis Prȩdeceſſoribus noſtris pro ſingulis aliis Ordinibus, Congregationibus, ac Inſtitutis prȩdictis, eorumque profeſſoribus quibuſcunque editę, & promulgatę fuiſſent, & non alias, aliter, nec alio modo. Cupientes inſuper, ut omnis anſa, & occaſio quibuſcunque alienis, extraneis, aut ſubdolis prȩdictarum literarum interpretationibus prȩcidatur, Ordinumque Regularium quorumcunque prȩfatorum indemnitati plenius etiam, atque uberius conſultum ſit, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, omnibus, & ſingulis regularibus perſonis cujuſcunque Ordinis, Congregationis, ac Inſtituti, ut prȩfertur, quę a Nobis, & a Romano Pontifice pro tempore exiſtente, ad Patriarchatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, vel quaſcunque alias Prȩlaturas, & dignitates eccleſiaſticas in poſterum aſſumentur tenore, prȩſentium ſtrictiſſime interdicimus, ac inhibemus, ne ſecum aſportare, propriiſque uſibus applicare audeant libros, pecunias, credita, depoſita, & bona mobilia, ſeu immobilia cujuſcunque generis, & ſpeciei, quę eos tempore ſuę promotionis penes ſe, vel alios habere contigerit, exceptis duntaxat ſcriptis, propriis Indumentis, & Breviario, ſed ea omnia, ſtatim ac ſuę promotioni conſenſerint, & antequam Conſecrationis munus ſuſcipiant, Superiori Locali, & Capitulo Cęnobii, Conventus, aut domus, ubi degunt, integra, & intacta abſque ulla prorſus diminutione, cum eorum notula, ſeu inventario bona fide confecto, reſignare teneantur, ut illi poſtmodum Cęnobio, Conventui, vel domui applicari poſſint, ac debeant, cui juxta Conſtitutiones, & conſuetudines cujuſque Ordinis, Congregationis, ac Inſtituti, applicanda eſſe conſtiterit. Quod ſi ſecus fecerint, & huic noſtrę ordinationi non obtemperare prȩſumpſerint, contrafacientes, ultra pęnam ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalis Miniſterii in prȩfatis Clementis IV literis conſtitutam, ſuſpenſionis inſuper a divinis pęnam ipſo facto incurrant, cujus relaxationem Nobis tantum, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, ſublata ceteris omnibus, etiam Pęnitentiarię Apoſtolicę officio, & majori Pęnitentiario, eam, etiam ad tempus, relaxandi facultate, ſpecialiter, & expreſſe reſervamus, ac reſevatam eſſe volumus, ſtatuimus, & mandamus. Poſtremo, cum ęquum, & ſalutare, immo etiam neceſſarium arbitremur, ut occurratur, ac opportunum adhibeatur remedium prȩjudiciis, & detrimentis, quę hactenus illata fuiſſe novimus, ac etiam de cetero inferri poſſe animadvertimus Ordinibus Regularibus, Cęnobiis, Conventibus, ac domibus prȩdictis ex facultate, quę ab Alexandro Prȩdeceſſore, Miniſtro Generali, & Provincialibus Ordinis Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci, & a Clemente itidem Prȩdeceſſore, Magiſtro Generali, ac Prioribus Ordinis Fratrum Prȩdicatorum, ut prȩfertur, tributa fuit concedendi promotis ad Epiſcopalem, & alias eccleſiaſticas dignitates, uſum ad tempus librorum, aliorumque bonorum, quę tempore ſuę promotionis habebant, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, tenore prȩſentium nedum prȩfatis, ſed etiam omnibus, & ſingulis aliis Superioribus quorumcunque aliorum Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum Regularium prȩdictorum, ad quę prȩinſertas Alexandri, & Clementis Prȩdeceſſorum literas, ut ſupra, extendimus, & ampliavimus, etiamſi Abbates, Magiſtri, Miniſtri, & Prȩpoſiti Provinciales, aut Generales fuerint, vel quacunque alia denominatione, ac titulo Ordinibus, Congregationibus, & Inſtitutis antedictis prȩfuerint, necnon corundem Cęnobiorum, Conventuum, domorumque Superioribus Localibus, & Capitulis quibuſcunque, prȩdictam facultatem concedendi ad tempus uſum librorum, aliorumque mobilium prȩfatorum prorſus adimimus, auferimus, & abrogamus, ac pro adempta, ſublata, & prorſus abrogata ab omnibus in poſterum haberi volumus, ſtatuimus, & declaramus, itaut perpetuis futuris temporibus ejuſmodi facultate uti amplius non poſſint, nec debeant, perinde ac ſi ipſis a prȩfatis Prȩdeceſſoribus noſtris nunquam tributa, & conceſſa fuiſſet, & non alias, aliter, nec alio modo, ſub pęna, ſi ſecus fecerint, ſuſpenſionis a divinis eo ipſo incurrenda, cujus relaxationem Nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, privative quoad omnes alios, reſervamus, & reſervatam eſſe ſtatuimus, prȩcipimus, ac mandamus. Decernentes prȩſentes literas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, ac fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, ſicque, & non aliter in prȩmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apoſtolicę Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quavis prȩeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prȩinſertis Alexandri IV, & Clementis itidem IV Prȩdeceſſorum literis, & de jure quęſito non tollendo, ac ceteris noſtris, & Cancellarię Apoſtolicę regulis, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum prȩdictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, illorumque Superioribus, & Profeſſoribus quibuſcunque, ſub quibuſvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſcunque, etiam degogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & decretis etiam irritantibus, etiam motu ſimili, & conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium prȩmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio facienda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, & occaſiones, ac alia etiam ſpeciali expreſſione digna prȩſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, inſertis, ac ſervatis reſpective habentes, hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prȩmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ut autem prȩſentes literę ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum igno-

ignorantiam allegare valeat, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſię Lateranenſis, & Baſilicę Principis Apoſtolorum, necnon Cancellarię Apoſtolicę, Curięque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Florę de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari, ſicque publicatas, & affixas omnes, & ſingulos, quos illę concernunt, perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatę fuiſſent, utque ipſarum pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrę confirmationis, approbationis, innovationis, ampliationis, reſtitutionis, reintegrationis, decreti, declarationis, ſtatutorum, voluntatum, mandatorum, conſtitutionis, aſſignationis, pręcepti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Septingenteſimo Vigeſimo Quarto (4), Nonis Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

P. M. Card. (5) Prodatar.

F. Card. Oliverius.

Viſa de Curia J. C. Archiep. Amaſenus.

Loco ✝ plumbi.

L. Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quinto Indictione tertia, die decima quinta Martii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Benedicti divina providentia Papę XIII Anno primo, ſupradictę literę Apoſtolicę affixę, & publicatę fuerunt ad valvas Baſilicarum S. Petri in Vaticano, S. Johannis in Laterano, & S. Marię Majoris, prout ſimiliter ad valvas Cancellarię Apoſtolicę, & Magnę Curię Innocentianę, & in Acie Campi Florę, & Monte Citatorio, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, dimiſſis copiis, ut moris eſt, per me Thomam de Unionibus SS. D. N. Papę Curſorem.

Johannes del Rè Mag. Curſ.

1. *Promoti*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XII.*

2. *Archivo*.) In quo exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXV.*

3. *Clemens*.) Legitur Tomo *I* hujuſce Bullarii *pag.* 493.

4. *Vigeſimo Quarto*.) Stylo Bullarum, æræ communis *MDCCXXV.*

5. *P. M. Card.*) *Petrus Marcellinus* Cardinalis *Corradinus.*

De feſto SS. Roſarii (1).

Anno 1725 Die 26 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVI.

Dominica Prima Octobris, in Feſto SS. Roſarii B. M. Virginis Lectiones Proprię Secundi Nocturni, & Orationes Officii, & Miſſę a Sac. Rituum Congregatione recognitę, & approbatę, & ab omnibus utriuſque ſexus tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, in poſterum recitandę.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

CUm Albigenſium hęreſis per Toloſatium regionem impie graſſaretur, atque altius in dies radices ageret; Sanctus Dominicus, qui nuper Pędicatorum Ordinis fundamenta jecerat, ad eam convellendam totus incubuit. Id ut pręſtaret validius, auxilium Beatę Virginis, cujus dignitas illis erroribus impudentiſſime petebatur; cuique datum eſt cunctas hęreſes interimere in univerſo Mundo, enixis precibus imploravit: a qua (ut memorię proditum eſt) cum monitus eſſet, ut Roſarium Populis pędicaret, velut ſingulare adverſus hęreſes, ac vitia pręſidium; mirum eſt, quanto mentis fervore, & quam felici ſucceſſu injunctum ſibi munus ſit executus. Eſt autem Roſarium certa precandi formula, qua quindecim Angelicarum Salutationum decades, oratione Dominica interjecta, diſtinguimus, & ad earum ſingulas totidem noſtrę reparationis myſteria, pia meditatione recolimus. Ex eo ergo tempore pius hic orandi modus, mirabiliter per Sanctum Dominicum promulgari, augerique cępit; quem ejuſdem Inſtitutorem, Auctoremque fuiſſe Summi Pontifices, Apoſtolicis literis, paſſim affirmarunt. Tu autem &c.

Lectio V.

Innumerabiles porro fructus, ex hac tam ſalutari inſtitutione in Chriſtianam Rempublicam dimanarunt, inter quos Victoria illa merito numeratur, quam Sanctiſſimus Pontifex Pius Quintus, & ab eo inflammati Chriſtiani Principes apud Echinadas Inſulas de Turcarum Tyranno potentiſſimo reportarunt. Nam, cum illa ipſa die ea Victoria relata ſit, qua die Sanctiſſimi Roſarii Sodalitates per univerſum Orbem conſuetas ſupplicationes peragerent, ſtatutaſque preces de more funderent; iis precibus haud immerito refertur accepta. Quod quidem cum etiam Gregorius Tertius decimus teſtatus eſſet; ut pro tam ſingu-

ſingulari beneficio Beatę Virgini ſub appellatione Roſarii, perennes gratię ubique Terrarum haberentur; in Eccleſiis omnibus, in quibus Altare Roſarii foret, prima quaque Octobris Dominica Officium ritu duplici majori perpetuo celebrandum indixit: aliique Pontifices Roſarium recitantibus, ejuſdemque Roſarii Sodalitatibus Indulgentias pene innumeras conceſſere. Tu autem &c.

Lectio VI.

Nuper vero Clemens Undecimus, animo reputans inſignem pariter Victoriam anno milleſimo ſeptingenteſimo decimoſexto, in Hungarię Regno a Carolo Sexto in Imperatorem Romanorum electo, de innumeris Turcarum copiis relatam, eo die contigiſſe, quo Feſtum Dedicationis Sanctę Marię ad Nives celebraretur, atque eodem ferme tempore, quo Sanctiſſimi Roſarii Confratres, publicam, ſolemnemque ſupplicationem in Alma Urbe ingenti Populi concurſu, magnaque religione peragentes, fervidas ad Deum preces pro Turcarum depreſſione funderent, ac potentem opem Deiparę Virginis in auxilium Chriſtianorum humiliter implorarent; eam ob rem, Victoriam illam, necnon liberatam paulo poſt eorundem Turcarum obſidione Corcyrenſem Inſulam, ejuſdem Beatę Virginis patrocinio pie cenſuit adſcribendam. Quamobrem, ut hujus quoque tam inſignis beneficii, perennis ſemper, & memoria extaret, & gratia; Sanctiſſimi Roſarii Feſtum eadem die, eodemque ritu celebrandum, ad Eccleſiam univerſam extendit. Hęc autem omnia Benedictus Decimus tertius in Breviario Romano noviſſime apponi juſſit. Sanctiſſimam ergo Dei Genitricem cultu hoc eidem gratiſſimo jugiter venèremur, ut quę toties, Chriſti fidelibus, Roſarii precibus exorata, terrenos Hoſtes profligare dedit, ac perdere, infernos pariter ſuperare concedat. Tu autem &c.

Oratio.

Deus, cujus Unigenitus, per Vitam, Mortem, & Reſurrectionem ſuam, nobis ſalutis ęternę prępmia comparavit: Concede quęſumus, ut hęc myſteria, Sanctiſſimo Beatę Marię Virginis Roſario recolentes, & imitemur, quod continent, & quod promittunt, aſſequamur. Per eundem &c.

Secreta.

Fac nos quęſumus, Domine, his muneribus offerendis convenienter aptari, & per Sanctiſſimi Roſarii myſteria, ſic Vitam, Paſſionem, & Gloriam Unigeniti tui recolere, ut ejus digni promiſſionibus efficiamur. Per eundem &c.

Poſtcommunio.

Sanctiſſimę Genitricis tuę, cujus Roſarium celebramus, quęſumus Domine precibus adjuvemur; ut, & myſteriorum, quę recolimus, virtus percipiatur, & Sacramentorum, quę ſumpſimus, obtineatur effectus. Qui vivis &c.

URBIS, ET ORBIS.

Supraſcriptas Lectiones proprias, & Orationes Beatę Marię Virginis Sanctiſſimi Roſarii, ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Card. Salerno diligenter reviſas, & in Sac. Rituum Congregatione relatas, Sac. eadem Rituum Congregatio ad enixas Eminentiſſimi & Reverendiſſimi D. Card. Pipia Ordinis Prędicatorum Magiſtri Generalis inſtantias, approbavit, ac in Officio, & Miſſa diei feſti ipſius Beatę Marię Virginis Sanctiſſimi Roſarii ab utroque Clero tam Seculari, quam Regulari utriuſque ſexus, univerſalis Eccleſię, ad formam conceſſionis a ſanctę memorię Clemente Papa XI ſub die III Octobris MDCCXVI factę in poſterum recitari, & in Breviario, ac Miſſali Romano apponi debere cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die X Martii MDCCXXV. Factaque deinde per me Secretarium de prędictis Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die XXVI ejuſdem Menſis, & Anni MDCCXXV.

F. Card. Paulutius Pręf.

Loco ✝ ſigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Congr. Secr.

1. *Roſarii.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXV.*

Anno 1725 Die 26 Martii.

XVII.

Peruſina, ſeu Reatina, Conceſſionis Officii, & Miſſæ in honorem B. Columbæ (1) Virginis Tertii Ordinis S. Dominici.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Iterum in Sac. Rituum Congregatione ad inſtantiam P. Magiſtri Fratris Ferdinandi Auguſtini Bernabei Ordinis S. Dominici, Poſtulatoris cauſarum Beatificationum, & Canonizationum totius dicti Ordinis propoſita cauſa ſuper conceſſione Officii, & Miſſę de Communi in honorem B. Columbę Virginis Tertii Ordinis S. Dominici de Pęnitentia pro univerſo pręfato Ordine, necnon pro Civitatibus Reatina, in qua ortum habuit, & Peruſina, ubi Monaſterium fundavit, in eoque obiit, cujus Cultus per ſanctę memorię Urbanum PP. VIII in Congregatione Generali Sanctiſſimę Inquiſitionis coram eodem habita ſub die XXV Februarii MDCXXVII approbatus fuit, Sac. eadem Rituum Congregatio ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. Cardinalis Pipię, pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinale Otthobono Ponente, accedentibus etiam enixis Epiſcoporum prędictarum Civitatum, necnon humillimis Capitulorum illarum Eccleſiarum Cathedralium, ac reſpective ipſarum Civitatum precibus, & tam in ſcriptis, quam in voce Reverendiſſimo Proſpero de Lambertinis Archiepiſcopo Theo-

Theodoſię Fidei Promotore prius audito, cenſuit, Officium B. Columbę de Communi unius Virginis ſub ritu duplici tam in dicto Univerſo Ordine utriuſque ſexus, quam in Civitatibus Peruſina, & Reatina a toto illarum Clero Seculari utriuſque ſexus, ſervatis tamen Rubricis Breviarii, & Miſſalis Romani, ſingulis Annis die XX Maii ipſius Beatę Natalitio recitari, & Miſſam reſpective celebrari poſſe, ſi Sanctiſſimo D. N. viſum fuerit. Die X Martii MDCCXXV. Et facta deinde de prędictis per me Secretarium Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die XXVI ejuſdem menſis, & Anni MDCCXXV.

F. Cardinalis Paulutius Pręf.

Loco ✝ ſigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Cong. Sec.

1. *Columba.*) De qua dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *MDCCXXV.* Legitur in *Actis Capituli Generalis MDCCXXV pag.65.*

Anno 1725 Die 6 Aprilis.

Quod ex Urſina gente Deus ipſum in Prædicatorum familiam vocaverit, refert:

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XVIII.

Dilectis filiis nobilibus viris Duci, & Reipublicę Venetiarum.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecti filii nobiles Viri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUllum quidem infirmitati noſtrę pręſidium opportunius, ac pietatis, ſplendoriſque veſtri argumentum illuſtrius obvenire nobis poterat, quam ſacrum munus femoris S. Johannis Epiſcopi Traguricnſis, quod aurea urna conditum pretioſo, & inſigni opere veſtram erga Sanctos Dei Religionem, filialem erga nos amorem, animique magnitudinem, vobis etiam diſſimulantibus, luculento teſtimonio prodidit, ac prędicavit. Eo certe ineſtimabili theſauro ditati, quem per dilectum filium nobilem virum Petrum Capellum veſtrum apud Nos, & hanc Sedem Oratorem prudentię fidei, & integritatis laudibus commendatiſſimum, a nobilitatibus veſtris accepimus, nova grati animi incitamenta nobis admota ſenſimus erga inclytam iſtam Rempublicam, quę non ſolum obſtrictam Pontificię noſtrę voluntatis benevolentiam, ſed cęleſte etiam Sanctiſſimi Antiſtitis patrocinium jure ſibi debet polliceri. Igitur cum amplisſima ſint nobilitatum veſtrarum beneficia in eam domum, de qua Nos Dominus in Prędicatorum familiam evocavit, Sanctus ipſe, cui Nos non tam neceſsitudine generis, quam cognatione virtutis decernet eſſe conjunctos, tum per ſe ſupernis donis parem vicem rependat, tum Nobis referendę gratię oblatas occaſiones velit, ut quanti faciamus nobilitates veſtras de Catholica Religione egregie meritas, & quam devinctam officiis, ſtudiiſque veſtris voluntatem geramus, impenſa ad nominis, ac dignitatis veſtrę amplitudinem opera declarare poſſimus. Ac vobis, dilecti filii nobiles Viri, gratias agentes, quam poſſumus maximas, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI Aprilis MDCCXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1725 Die 7 Aprilis.

F. Angelum Gulielmum Molo (1) delegat qui nomine ſuo præſit Comitiis Generalibus.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XIX.

Dilecto filio Angelo Gulielmo Molo, Ordinis Fratrum Prędicatorum Procuratori Generali, in Sacra Theologia Magiſtro.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, Capitulum Generale tui Ordinis Fratrum Prędicatorum, propediem benedicente Domino in Conventu S. Dominici Civitatis noſtrę Bononienſis celebrandum ſit, Nos cupientes, ut Capitulum hujuſmodi recte, & feliciter ad Dei laudem, & dicti Ordinis, quem nos, uti ejuſdem alumni, & expreſſe profeſſi, paterno ſemper proſequemur affectu, utilitatem celebretur, Te, de cujus pietate, prudentia, integritate, & Religionis zelo plurimum in Domino confidimus, in pręfato Capitulo Generali noſtro, & Apoſtolicę Sedis nomine Pręſidentem, ultra facultates Tibi in vim conſtitutionum ipſius Ordinis auctoritate Apoſtolica confirmatarum competentes, cum facultate etiam votum, ſive ſuffragium in eodem Capitulo habendi, licentiam accedendi ad ſupradictum Capitulum iis Reli-

Religioſis, qui magni momenti negotia ibidem proponenda, ſeu tractanda habebunt, concedendi, ac illos, qui abſque ejuſmodi licentia ad memoratum Capitulum ſe conferent, puniendi, delinquentes corrigendi, eiſque pęnas irrogandi, ac pariter eos omnes, qui inſoleſcere, & pręſertim vocalibus nomine ſecularis poteſtatis terrorem incutere auderent, ſeu pręſumerent, a Conventu Capitulari removendi; necnon quando in actibus Capitularibus propter infirmitatem intereſſe non poteris, aliquem Religioſum Ordinis prędicti, tibi bene viſum, in tui locum ad ejuſmodi Pręſidentis munus obeundum, cum auctoritate, & facultatibus tibi per pręſentes conceſſis, ſubſtituendi, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, facimus, conſtituimus, & deputamus, teque in Domino hortamur, & monemus, ut Capitulum hujuſmodi feliciter regere, ac in illo omnia, quę ad proſperum ejuſdem Ordinis regimen, & gubernium pertinent, decerni, ſtatui, & ordinari cures, & facias. Mandantes propterea in virtute ſanctę obedientię vocalibus in prędicto Capitulo congregatis, aliiſque ad quos pertinet, ut te in ejuſdem Capituli, noſtro, & dictę Sedis nomine, Pręſidentem reverenter ſuſcipiant, tibique, ac per te ſubſtituendo Religioſo hujuſmodi in omnibus, ad pręſidentis pręfati officium pertinentibus pareant, obediant, & aſſiſtant, tuaque, & ejuſdem Religioſi a te ſubſtituendi, ſalubria monita, & juſſa humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo, ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VII Aprilis MDCCXXV, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

F. Cardinalis Oliverius.

1. *F. Angelum Gulielmum Molo.*) Celeberrimum virum quem pietas ornat, eruditio, prudentiaque ſingularis commendant.

2. *Archivo.*) Legitur in *Actis Capituli Generalis MDCCXXV pag. 2.*

Anno 1725 Die 8 Aprilis.

XX.

Quædam a Generali Capitulo (1) decernenda præſcribit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum ad Capitulum Generale Bononiam convocatis.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Noſtro quidem erga Prędicatorum Ordinem amori, quem obſervantia primum filialis aluit, tum paternę caritatis ſtudia confirmarunt, jucundiſſimum accidiſſet, ſi vos, dilecti filii, pro Generali Ordinis Magiſtro eligendo, in hanc almam Urbem ad Capitulum convenientes, complecti, comitiiſque veſtris pręeſſe potuiſſemus, ſed libertatem conſiliorum, actorumque veſtrorum, quibuſvis ſolatiis noſtris anteponentes, ea nos voluptate fraudavimus, uberiorem conſolationem ex rebus canonice, & ordine geſtis percepturi, quam ſi optatis noſtris obſecundantes, ejus lętitię compotes fuiſſemus. Itaque ſatis intelligitis, dilecti filii, quanta ſolicitudine vos adhortemur, & Apoſtolici miniſterii auctoritate vobis pręcipiamus, ut nullis officiis, humaniſque ſtudiis adducti, ſed ſolius divini honoris, & regularis diſciplinę habita ratione, eum totius Ordinis Generalem Magiſtrum eligatis, qui Sancti Patris Dominici laudatiſſimis inſtitutis ferventis, accuratęque obſervationis robur adaugeat; Majorum ſanctiſſima exempla repręſentare, & ſi quis animorum remiſſione torpor obrepſerit, depravata convertere, & collapſa reparare nitatur (3). Nos autem, quibus comitiorum utilitas corpore abeſſe ſuaſit, ne paternę quoque vigilantię officio abeſſe videamur, curas etiam noſtras ſolertię noſtrę adjungendas, & quę opem veſtram poſtulare cenſemus, ad ea zelum veſtrum noſtris hortationibus excitandum duximus. Primum igitur providere vos decet, ut matutinum officium de nocte recitetur, itaut nocturno tempore cęptum de nocte etiam abſolvatur. Idque in omnibus Conventibus, non ſolum ubi Noviciatus purus, ſed ubi etiam profeſſorium eſt, obſervetur. Quod autem de recitandi hora in quibuſdam Provinciis ſtatutum eſt, in ceteris ſervari oporteret, ut nimirum menſe Septembri hora ſeptima, Octobri octava, Novembri nona, Decembri decima omnes ſine diſpenſatione ad divinam laudem evigilarent, depoſitionis pęna Prioribus intentata. Deinde ut quacunque contraria conſuetudine ſublata, reſtituatur obſervatio ſalutaris Conſtitutionum per Generalia Capitula ſępius confirmata, ne quis a Choro ſe exemptum omnino putet. Quamobrem vobis etiam, atque etiam commendamus, quę ſtatuta ſunt in Generali Capitulo tam anni MDCXCIV ſub titulo pro obſervantia regulari ordinatione ſecunda, quam anni MDCLVI declaratione undecima, ubi diſerte declaratur, omnes Fratres Ordinis cujuſcunque dignitatis, officii, aut gradus fuerint, nemine prorſus excepto, obligari ad aſſiduam Chori tam nocturni, quam diurni ſequelam, demptis ſolis Lectoribus actualibus, & Magiſtris actu docentibus. Declarationem quoque nonam Capituli Generalis Bononienſis habiti anno MDCCVI de officio Hebdomadarii, ab omnibus non legitime impeditis, ſeu diſpenſatis, perſonaliter implendo, confirmandam, ac muniendam zelo veſtro committimus, deque animadverſione detrectantium ibidem conſtituta, ut Provincialium conſcientiam gravetis, vehementer optamus. Ut vero diligenter ſervetur, quod Capitulum Generale Valentinum anni

Nota.

anni MDCXLVII ordinatione tertia decrevit, de compellendis etiam Graduatis, & Magiſtris ad Confeſſiones ſecularium excipiendas, valde opportunum fore cenſemus, ſi præſcripſeritis, neminem ex Patribus ſuffragii ferendi in Capitulo Provinciali jus habentibus, ad ſuffragandum admitti debere, niſi tam patentes literas Ordinarii exhibuerit, quibus ad Confeſſiones ſecularium audiendas probatum eſſe conſtet, quam in definitorio teſtimonium jurejurando firmatum, & ſubſcriptis trium Patrum nominibus, ubi ſit idoneus Religioſorum numerus, quibus appareat, non infrequenter huic miniſterio vacaſſe, aut valetudinis, vel muneris alicujus impedimento a pii operis exercitatione neceſſario abſuiſſe. Conſentaneum quoque eſſet præcipere, ne ceteri Fratres Sacerdotio initiati, a Provincialibus ad ſanctimonialium Confeſſiones admittantur, atque ut Patres ſimplices a Paternitate conſilii penitus arceantur, niſi antedictas patentes literas, ac teſtimonium produxerint. Nihil tamen magis nobis cordi eſt, quam quod de uniformitate in cibis, ac cellis tam per Conſtitutiones, quam per comitia generalia præſcriptum eſt, nimirum, ut nulli ex Fratribus, ſive Priori, ſive Inquiſitoribus, ſive Magiſtris in Theologia, quidquam in menſa miniſtretur, quam quod ceteris Fratribus miniſtrari ſolet, ut præcipit Capitulum Generale habitum anno MDCXCIV ſub pœnis ibidem ſancitis. Ac præterea, ut nemini liceat, niſi ex cauſa infirmitatis, in cella comedere, ſed omnes, etiam Inquiſitores, tam mane, quam ſero in communi refectorio, infirmaria, vel in hoſpitio cum Superioris licentia comedant, ut in mandatis Sancti Pii V Prædeceſſoris noſtri ordinatione decimaquinta continetur, ſub pœnis ab eodem conſtitutis. Ut denique Fratres in communi dormitorio habitent, atque in eo etiam Inquiſitores dormiant, nec quiſquam religioſam cellæ formam excedat, ut mandata ejuſdem Sancti Prædeceſſoris noſtri præcipiunt ordinatione nona, quæ rurſus Superioribus localibus injungunt, ut ſublata cellarum pluralitate eas ad religioſam formam, & Fratrum uſum reducant, & quos renuentes repererint, per propoſitas ibidem pœnas parere compellant. Quod autem tam graviter a Conſtitutionibus interdictum eſt, ne Fratres lineis utantur ad carnes, nec etiam infirmi, quodque indicatum ſæpe Capitulum Generale anni MDCXCIV declaravit, ipſo facto juribus, & privilegiis, necnon voce activa, & paſſiva privatos eſſe, qui tunicellas lineas deferant, nec licere Provincialibus licentiam concedere lineis utendi induſiis, præ oculis vos habere oportet. Sed & illud imprimis, ne quiſquam ex Fratribus, aut frequenter domo exeat, aut ſolus, aut ſine Superioris permiſſu, aut non ſatis compoſitus incedat. Omnia denique ſalubriter conſtituta, atque in eodem Capitulo Generali ſapientiſſime renovata ad firmandum, propagandumque ſtudiorum cultum, prudentiæ, curæque veſtræ majorem in modum commendata eſſe volumus, fore ſperantes, ut per ſollicitudinem veſtram tam regularis diſciplinæ, quam ſacræ doctrinæ priſtinus ſplendor novis incrementis augeatur. Quoniam autem præcipuum momentum officii veſtri, votique noſtri in optima Magiſtri Generalis electione vertitur, eo curas, & preces intendite, ut inclyto Ordini per veſtra ſuffragia ille præficiatur, qui vigilantiæ incitamentis, vitæque exemplis ita ceteros ad Religioſiſſimi inſtituti ſanctitatem provocet, & inflammet, ut quos a majoribus veſtris hæc Sancta Sedes, & Catholica Religio fructus proveniſſe lætatur, eoſdem, Domino dante benignitatem, uberius in dies a Beati Patris Dominici familia provenire gratuletur. Ac vobis, dilecti filii, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VIII Aprilis MDCCXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Carolus Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Capitulo.*) *Bononiæ* die *XIX* Maii hoc anno *MDCCXXV* congregato.
2. *Archivo.*) In quo autographum.
3. *Nitatur.*) Ut in votis erat Summo Pontifici, qui hoc in Diplomate recenſita præſtaret, Generalis Magiſter renunciatus fuit Reverendiſſimus Pater *Thomas Ripoll*, quem Deus Optimus Maximus diu ſoſpitem ſervet.

Forma Indulgentiarum, quas Sanctitas D. N. Benedicti XIII concedit Coronis, Roſariis, Crucibus, & Imaginibus ex auro, argento, aliove metallo confectis, vulgo, Medaglie, & quarum ducentas eadem Sanctitas concedit ſingulis Capitularibus Comitiorum Generalium, Bononiæ in Conventu S.P.N. celebrandorum in Feſto Pentecoſtes anni MDCCXXV, Pro electione Magiſtri Ordinis Prædicatorum, per eoſdem applicandas totidem Roſariis, Crucibus &c. ut ſupra. Referente Rmo P. Fr. Angelo Gulielmo Molo, S. T. M. totius Ordinis prædicti Prædicatorum Procuratore, & præfati SS. D. N. Benedicti XIII, ac Sedis Apoſtolicæ nomine ejuſdem Capituli Generalis Præſide, ab Italico in Latinum ſermonem converſa.

QUicunque in uſu habebit recitare, ſemel ſaltem in hebdomada Coronam Domini, ſive B. V., aut Roſarium, ſive tertiam partem ejuſdem, aut Officium vel Divinum, vel parvum B. V., vel Defunctorum, aut Septem Pſalmos Pœnitentiales, aut Graduales; Vel in uſu habuerit Doctrinam Chriſtianam docere, aut viſitare in carcere detentos, ſive infirmos cujuſvis Hoſpitalis, aut pauperibus eleemoſynam dare, aut Miſſam audire, vel celebrare ſi eſt Sacerdos, ſi vere pœnitens, & peccata ſua Confeſſario, ab Ordinario approbato confeſſus Sacram ſumet Euchariſtiam, quocunque ex infraſcriptis diebus, videlicet, Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, die feſto SS. Trinitatis, & Corporis Domini, die feſto Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, & Nativitatis Virginis Beatiſſimæ, Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ, die feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Andreæ, Jacobi, Johannis, Thomæ, Philippi & Jacobi, Bartholomæi, & Matthæi, Simonis ac Judæ, Matthiæ, & S. Joſeph Sponſi B. V., & omnium Sanctorum, ac devote orabit Deum pro extirpatione hæreſum, atque Schiſmatum, pro Fidei Catholicæ augmento, pro pace, & concordia Principum Chriſ-

Chriſtianorum, & pro aliis indigentiis Sanctę Eccleſię, eo die acquirat remiſſionem omnium peccatorum ſuorum, & Indulgentiam Plenariam.

Qui prędicta opera injuncta faciet aliis diebus Feſtis Domini, ſeu Beatiſſimę Virginis, quolibet ex dictis diebus conſequetur Septem Annos, & totidem Quadragenas Indulgentię, eadem vero faciendo quolibet die Dominico, vel quovis alio anni feſto conſequetur Annos Quinque, & totidem Quadragenas, faciendo illa vero quovis alio anni die conſequetur centum dies Indulgentię.

Quicunque in mortis articulo devote animam ſuam commendabit Deo, Nomen Jeſu invocando ore, vel, ſi non poterit, corde, ſi ſit vere pęnitens, & confeſſus, ut ſupra, atque Sacra Communione refectus, vel ſi non poteſt, ſaltem contritus, conſequetur remiſſionem omnium ſuorum peccatorum, & Indulgentiam Plenariam.

Qui cujuſcunque generis fecerit orationem pręparatoriam ad celebrandam Miſſam, vel ad Sacram Communionem, vel ad recitandum Officium Domini, vel B. V. conſequetur toties quoties Quinquaginta dies Indulgentię.

Qui viſitabit detentos in carcere, aut infirmos Hoſpitalium ſubveniendo ipſis aliquo pio opere, vel in Eccleſia docebit Doctrinam Chriſtianam, vel domi eam docebit filios proprios, parentes, aut ſervos, toties conſequatur ducentos Indulgentię dies.

Qui ſaltem ſemel in hebdomada uſum habuerit recitandi Coronam, aut Roſarium, aut Officium B. V. ſive mortuorum, vel veſperas cum Nocturno ſaltem & Laudibus, aut Septem Pſalmos Pęnitentiales cum Litaniis, & adjunctis precibus, lucretur eo die, quo aliquid ex prędictis recitabit, centum dies Indulgentię, ultra Indulgentias conceſſas a S. Pio V.

Qui ad ſonitum campanę cujuslibet Eccleſię de mane, ſero, vel in meridie recitabit ſolitas preces Angelus Domini &c., vel eas ignorans unum Pater noſter, & Ave Maria, & ſimiliter dato ſigno pro defunctis recitabit Pſalmum: De profundis, ſive unum Pater noſter, & Ave Maria, quoties prędictum Pſalmum neſciat, conſequatur centum Indulgentię dies.

Qui feria VI devote meditabitur Paſſionem, & mortem Jeſu C. D. N., & ter recitabit Pater noſter, & Ave Maria, illo die acquirat centum dies Indulgentię.

Qui vere contritus de ſuis peccatis cum propoſito firmo emendationis conficiet examen conſcientię, ac devote recitabit ter Pater noſter cum Ave Maria: Aut in honorem SS. Trinitatis ſimiliter recitabit tria Pater noſter, & Ave Maria: Aut in memoriam quinque vulnerum J. C. dicet quinquies Pater noſter, ac Ave Maria, lucretur centum dies Indulgentię.

Qui devote oraverit pro Fidelibus Agonizantibus, vel pro iiſdem recitabit ad minus ſemel Pater noſter, & Ave Maria, eo die conſequatur quinquaginta dies Indulgentię.

Quiſquis habuerit unum Crucifixum, Crucem, ſive aliam Sacram Imaginem benedictam in cubiculo, vel in decenti alio loco domus ſuę, & pręmiſſa adimplebit, ſi tamen faciet orationes pręſcriptas ante pręfatum Crucifixum, Crucem, ſive Imaginem, conſequatur reſpective eaſdem Indulgentias.

Indulgentias pręmiſſas poteſt quiſque pro ſe ipſo lucrari diebus ſupra expoſitis, vel eas applicare per modum ſuffragii Animabus Purgatorii.

Non vult tamen Sanctitas Sua, Imagines eſſe ex charta, ſed ex auro, aut alio metallo, eaſdem vero Imagines vult eſſe Sanctorum Canonizatorum, vel deſcriptorum in Romano Martyrologio.

Mandat Sanctitas Sua, in diſtributione horum Numiſmatum, Medaglię, Coronarum &c., obſervari decretum felicis recordationis Alexandri VII, impreſſi VI Februarii MDCLVII, hoc eſt, Numiſmata, Coronas &c. ut ſupra benedictas, cum ſuperioribus Indulgentiis non tranſire ex perſona eorum, quibus fuerint conceſſę, aut quibus ab hiſce pro prima vice fuerint diſtributę, quodque non poſſint commodari, aut precarie dari, aliter perdant Indulgentiam, quam habent, & quod deperdita una non poſſit in ipſius locum alia ſubrogari, non obſtante quavis conceſſione, aut privilegio in contrarium.

Raphael Coſimus Hieronymus Secretarius.

Anno 1725. Die 10 Aprilis.

De ſupplicatione ſolemni, ſeu Proceſſione SS. Roſarii (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXI.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

IN ſupremo militantis Eccleſię ſolio, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinę bonitatis abundantiam conſtituti, exortas inter Catholicos Antiſtites, aliaſque Perſonas Eccleſiaſticas, & Religioſos Viros controverſias opportunis rationibus dirimere ſtudemus, ſicut in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Expoſuit ſiquidem Nobis nuper Dilectus filius noſter Auguſtinus S.R.E. Cardinalis Pipia (3) nunc temporis Ordinis Fratrum Prędicatorum Adminiſtrator Generalis, quod cum in variis dicti Ordinis Provinciis nonnullę lites, cum modico Secularium exemplo, circa proceſſionem Sanctiſſimi Roſarii qualibet prima Dominica menſis Octobris fieri conſuetam, exortę fuerint, prętendentibus Ordinariis Locorum, & Parochis perturbare antiquam (in qua Fratres earundem Provinciarum reperiuntur) poſſeſſeſſionem faciendi dictam Proceſſionem ſine Parochi aſſiſtentia, ac Ordinarii licentia, etiam ingrediendo limites Parochię, & allegantibus Jus commune id prohibens, necnon quandam reſolutionem Congregationis tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum anno MDCXXVIII ema-

emanatam, ac a felicis recordationis Urbano PP. VIII Prędeceſſore noſtro confirmatam, per quam immemorabilis ſublata fuit conſuetudo, ipſe Auguſtinus Cardinalis, & Adminiſtrator Generalis, attento quod id diverſimode, & omnino inſubſiſtens declaratum fuit, ut in poſterum ejuſmodi inordinationibus, & perturbationibus, quę ex pia proceſſione hujuſmodi generantur, finis imponatur, opportune in prę miſſis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri ſummopere deſiderat. Nos ipſius Auguſtini Cardinalis, & Adminiſtratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, ejus ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis benigne inclinati, Fratribus Provinciarum, & Ordinis prędictorum, ut ipſi de cetero memoratam proceſſionem Sanctiſſimi Roſarii, qualibet prima Dominica menſis Octobris ingrediendo limites cujuſcunque Parochię, Ordinarii licentia minime requiſita, & abſque aſſiſtentia Parochi, ac cum omni pompa peragere libere, & licite poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore prę ſentium facultatem concedimus, & impartimur. Decernentes eaſdem prę ſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari. Sicque in prę miſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem prę ſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis prę ſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X Aprilis MDCCXXV Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Cardinalis Oliverius.

1. *Roſarii.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria, Romę typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXV.* Legitur in *Actis Capituli Generalis MDCCXXV pag.51.*

3. *Pipia.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

Ut Raconiſienſis Conventus veniat in poſſeſſionem Beneficii ipſi a Gregorio XIII collati.

Anno 1725 Die 13 Aprilis.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXII.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Salutiarum in Spiritualibus Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

IN Apoſtolicę dignitatis ſpecula, meritis licet imparibus, Divina ſic diſponente clementia conſtituti, ad ea libenter intendimus, per quę perſonarum eccleſiaſticarum, prę ſertim ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium, & Prędicatorum Ordinis, cui etiam nos ab adoleſcentia noſtra, gratia Dei coadjuvante, nomen dedimus, opportunitatibus valeat ſubveniri, ne rerum temporalium, ſine quibus ſpiritualia diu ſubſiſtere non poſſunt, defectu, a Divino cultu retrahantur, ac in illis, quę alias a Prędeceſſoribus noſtris gratioſe conceſſa fuiſſe comperimus, ut ſuum optatum ſortiantur effectum, commiſſi nobis Paſtoralis officii partes favorabiliter interponimus, prout in Domino ſalubriter expedire arbitramur; Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum Prioris, & Fratrum Conventus Annunciationis Beatę Marię Virginis, alias Sancti Vincentii, Ordinis Fratrum Sancti Dominici, Prędicatorum nuncupatorum Congregationis Lombardię, in quo Nos expreſſe profeſſi fuimus, loci Raconiggii, ſeu Raconiſii Taurinenſis Diœceſis, quod alias felicis recordationis Gregorius Papa Decimustertius, Prędeceſſor noſter, ad conſulendum magnis rerum inopię & neceſſitatibus ejuſdem Conventus, ſine cura, & perſonalem reſidentiam non requirentem Eccleſiam, ſeu Capellam Prępoſituram nuncupatam, ſeu cura, conventuque carentem, & prędictam reſidentiam non requirentem, Prioratum Sancti Andreę Ciſtercienſis, ſeu alterius Ordinis, dictę Taurinenſis Diœceſis, cum primum dicta ſine cura Eccleſia ſeu Capella, aut Prioratus hujuſmodi illius commenda, ... illa, ſeu ille ex conceſſione Apoſtolica ad vitam obtineri conſuevit, tunc per obitum quondam Michaelis Vacca Clerici ſeu Presbyteri, qui ſine cura Eccleſiam, ſeu Capellam aut Prioratum hujuſmodi in ſimilem commendam ad ſui vitam ex ſimili conceſſione Apoſtolica tunc obtinebat, quovis modo, etiam apud Sedem Apoſtolicam ceſſante vacaviſſet, eidem Conventui prę via illius Tituli collativi ſuppreſſione, & extinctione, ſub ea tamen conditione, quod tunc, & pro tempore exiſtentes Prior, & Fratres ejuſdem Conventus unum Magiſtrum in Theologia, qui lectionem in dicta Theologia, & in dicti Conventus, ſeu alia fideli populo commodiori Eccleſia legeret, manutenere tenerentur, perpetuo univit, annexuit, & incorporavit, ac alias prout in ejuſdem Gregorii Prędeceſſoris literis deſuper ſub datum Romę apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Quingenteſimo Octuageſimo ſecundo, Kalendis Auguſti Pontificatus ejuſdem Gregorii Prędeceſſoris Anno Undecimo, expeditis plenius continetur; Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat, unio, annexio, & incorporatio per eundem Gregorium Prędeceſſorem, ut prę fertur, factę ſuum hactenus effectum ſortitę non fuerint, Prior vero & Fratres prędicti eiſdem inopia & neceſſitatibus magis premantur, proptereaque plurimum cupiant ipſis benigne, ut infra, de novo provideri; Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum Nobis fuerit humiliter ſupplicatum, quatenus eorum indigentiis, & neceſſitatibus in prę miſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui perſonarum Eccleſiaſticarum quarunlibet, prę ſertim regularium indi-

Nota.

indigentiis conſulere ſinceris exoptamus affectibus, Priorem, & Fratres prędictos amplioris gratię favore proſequi volentes, necnon a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis, ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon aliarum unionum dicto Conventui hactenus forte factarum, ſi quę ſint, tenores etiam veriores, ac datę pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę, attento quod Sedes Archiepiſcopalis Taurinenſis ad preſens, vacat, & ut Prior, & Fratres prędicti aſſerunt, venerabilis Frater noſter Epiſcopus Salutiarum Ordinariorum vicinior exiſtit, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis omnibus, qui fuerint ad id evocandi, ſine cura Eccleſiam, ſeu Capellam, aut Prioratum hujuſmodi, quam, ſeu quem dilectus etiam filius Petrus Garagni Clericus, ſeu Presbyter in Commendam ad ſui vitam ex conceſſione Apoſtolica ad pręſens obtinet, ac cujus & illi forte annexorum fructus, redditus, & proventus quinquaginta ducatorum auri de Camera ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut Prior, & Fratres prędicti etiam aſſerunt, non excedunt, ex nunc prout ex tunc, & e contra cum primum ſine cura Eccleſiam ſeu Capellam, aut Prioratum hujuſmodi per ceſſum etiam ex cauſa privationis, vel deceſſum, ſeu privationem, aut quamvis aliam dimiſſionem, vel amiſſionem ſeu Religionis ingreſſum dicti Petri, aut alias quovis modo, ſeu per liberam ejuſdem Petri, vel cujuſvis alterius ceſſionem de illa, ſeu illo extra curiam etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut aſſecutionem alterius Beneficii Eccleſiaſtici, ordinaria auctoritate collati, Commenda prędicta ceſſante, vacare, contigerit, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii ad ſedem eandem legitime devoluta, ex eoque ſine cura Eccleſia, ſeu Capella, aut Prioratus hujuſmodi diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervata ſeu reſervatus exiſtat, & ſuper ea, ſeu eo inter aliquos lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, prævia illius Tituli Collativi, ſeu illius Commendę ſuppreſſione, & extinctione, itaut illa, ſeu ille in Titulum, ſeu Commendam amplius concedi nequeat cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem Conventui, ita quod liceat nunc, & pro tempore exiſtentibus dicti Conventus Priori, & Fratribus perſe, vel alium, ſeu alios eorum, & dicti Conventus nominibus corporalem, realem, & actualem dictę ſine cura Eccleſię, ſeu Capellę, aut Prioratus hujuſmodi, ac annexorum, juriumque, & pertinentiarum prędictorum poſſeſſionem propria auctoritate libere apprehendere, & apprehenſam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta univerſa percipere, exigere, levare, arrendare, locare, dislocare, & in eorum, & dicti Conventus Religioſos uſus, & utilitatem convertere, Dięceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia deſuper minime requiſita, ſupportatis tamen per pro tempore exiſtentes dicti Conventus Priorem, & Fratres omnibus, & ſingulis ſine cura Eccleſię, ſeu Capellę, aut Prioratus hujuſmodi oneribus, & firma remanente conditione ſupraſcripta, videlicet quod pro tempore exiſtentes Prior, & Fratres dicti Conventus Magiſtrum in Theologia, qui Lectionem in prędicta Theologia in dicti Conventus, ſeu alia fideli populo commodiori Eccleſia legat, manutenere debeant, & teneantur, & ſine alicujus pręjudicio, auctoritate noſtra, de novo perpetuo unias, annectas, & incorpores. Nos enim pręſentes ſemper, & perpetuo validas, & efficaces eſſe, & fore, plenamque roboris firmitatem obtinere, & dicto Conventui ſuffragari debere, ac nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis noſtrę, aut quopiam alio defectu notari, vel impugnari, ſeu alias quomodolibet infringi, retractari, retardari, annullari, ſeu etiam per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, ſeu Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, vel quoſvis alios quavis auctoritate fungentes, revocari, ſuſpendi, annullari, aut ad viam, & terminos juris reduci, ſeu adverſus eas reſtitutionis in integrum, aut gratię, juſtitię, vel facti remedium impetrari, aut alias, motu proprio, & de certa ſcientia, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine concedi, ſeu illis in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium diſponi nullatenus unquam poſſe, nec ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus etiam per Conſtitutiones Apoſtolicas, aut Cancellarię Apoſtolicę regulas pro tempore factas, & faciendas comprehendi, ſed ſemper ab illis excipi, & quoties illę emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam ſub quacunque poſteriori data, per nunc & pro tempore exiſtentes Priorem, & Fratres dicti Conventus quandocunque eligenda, conceſſa eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque, & non alias, per quoſcunque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac prędictę Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictęque ſedis Nuncios, in quacunque inſtantia judicari, & definiri debere, & ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati uniones perpetuas niſi in caſibus a jure permiſſis fieri prohibentis, ac quibuſvis aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis perſonis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum tenores, cauſas, formas, & occaſiones pręſentibus pro plene, & ſufficienter, ac de verbo ad verbum inſertis, & expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, latiſſime, & pleniſſime hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe earundem tenore pręſentium derogamus, & derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo, Septingenteſimo Vigeſimo quinto Idibus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo*). In quo exemplar authenticum.

Indul-

Indulgentia conceſſa peregrinantibus ad Eccleſiam S. Dominici de Suriano (1).

Anno 1725 Die 24 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

BENEDICTUS PP. XIII.

XXIII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium Religionem, & animarum ſalutem, cęleſtibus Eccleſię theſauris, pia caritate intenti, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus ad Eccleſiam S. Dominici de Soriano Ordinis Fratrum Prędicatorum Militen. Dięceſis, peregrinantibus, qui vere pęnitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti, Eccleſiam hujuſmodi devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſemel tantum quolibet anno per unumquemque Chriſti fidelem lucrifaciendam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus poſt pręſentem annum Jubilei perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIV Aprilis MDCCXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

1. *Suriano.*) De qua ſæpius dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ MDCCXXV.*

Ut in Italia, eique adjacentibus Inſulis, Parochis Defunctorum, qui in Eccleſiis quorumcunque Regularium de cetero tumulabuntur (1) Quarta Funeralis perſolvatur, cum aliis ordinationibus, & derogationibus opportunis.

Anno 1725 Die 28 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIV.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ROmanus Pontifex ęqui, bonique ſupremus aſſertor, auctoritatem a Chriſto per Beatum Petrum Apoſtolorum culmen, ſibi traditam intelligens, ut ex agro Dominico pro temporum neceſſitate noxia evellat, & deſtruat, utiliaque plantet, ac ędificet, ac interdum, quę a Prędeceſſoribus ſuis ob rationabiles, & juſtas cauſas olim ſancita fuerunt, ubi in grave aliorum prędjudicium, & detrimentum redundare cognoſcit, atque diſſidiis, & contentionibus fomentum prębere animadvertit, maxime inter Dei, & Eccleſię Miniſtros, quorum eſt evangelizare pacem, & quibus a Domino non aliud frequentius, neque enixius commendatur, quam ut pacem, ac unitatem diligant, moderari, & immutare, aliaſque Paſtoralis officii ſui partes deſuper interponere ſolet, prout rerum, locorum, temporumque circumſtantiis mature penſatis, diſcordiarum extinctioni, Eccleſiaſticorum Miniſtrorum quieti, fidelium animarum ſaluti, divinoque cultui conſpicit ſalubriter expedire. Sane quamplures Romani Pontifices Prędeceſſores noſtri multiplicia, ac plane inſignia conſiderantes merita Ordinum Regularium, qui militantem in terris Eccleſiam fortiſſimis omni tempore auxerunt pręſidiis, viris nempe vitę ſanctitate, doctrinę laude, ac orthodoxę Religionis zelo pręſtantibus, eidemque in Cęlis triumphanti eximii fulgoris lumina addiderunt, ipſos Ordines, eorumque Profeſſores, plurimis ſatis amplis indultis, & privilegiis benigne decorarunt, ac inter alia iis illud conceſſerunt, ut canonicam portionem, ſeu quartam funeralium emolumentorum partem pro perſonis, quę in eorum Eccleſiis ſepulturam ſibi eligerent, Parochis perſolvere minime tenerentur, ac ad majorem ejuſmodi privilegii firmitatem, ſanctioni etiam a felicis recordationis Clemente V Prędeceſſore noſtro editę in Concilio Vienneſi, & relatę in Clementina: Dudum de Sepultura, necnon Concilii Tridentini decreto relato in Cap. XIII Seſſ. XXV de reformat., prędictam Quartam Funeralem Parocho aperte reſervantibus, non ſemel ampliſſime derogarunt. Unde non acerbę modo Parochorum querelę, ſed innumerę etiam contentiones, atque lites inter eos, & Regulares ſuper ſolutione ejuſdem Quartę diverſis temporibus excitatę fuerunt, quę coram Ordinariis locorum, & deinde in variis quoque almę Urbis noſtrę Tribunalibus, pręſertim vero in Auditorio Palatii noſtri Apoſtolici, & in Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium pręfati Concilii Tridentini interpretum, magno partium ſtudio, nec minori ſumptuum incommodo diſcuſſę, ſicut accepimus, aliquando ad favorem Parochorum, aliquando autem ad favorem Regularium, pro diverſis cauſarum circumſtantiis, atque vario judicantium ſenſu, deciſę, ac definitę fuerunt. Hęc porro judicatorum, ſententiarumque diverſitas, cum nullam certam, ac determinatam conſtituerit regulam in evenientibus caſibus obſervandam, magnum plane fomentum, & anſam relinquit, immo & latam ſternit viam ulterioribus inter prędictos Regulares, & Parochos litibus, & controverſiis, ex quibus ipſi, qui in domo Dei ambulare debent cum conſenſu, novis de cetero perturbare diſſidiis, noviſque pręgravari diſpendiis poſſunt cum divini cultus detrimento, & ſcandalo plurimorum. Quocirca Nos maxime expe-

Nota. expedire cenſentes, ut ejuſmodi controverſię, & lites ab Eccleſia Dei penitus arceantur, ac inſuper, licet univerſos Ordines Regulares, in quibus, nempe in Ordine Fratrum Prędicatorum, Nos ipſi plurium annorum ſpatio verſati ſumus, ſpeciali paternę caritatis affectu proſequamur, eoſque, uti de Eccleſia, Catholica Fide, & Sede Apoſtolica optime meritos, pręcipuo ſemper in honore, ac pretio, habuerimus, & habeamus; nihilominus conſiderantes exemptionem a ſolutione Quartę Funeralis pręfatis Ordinibus a dicta Apoſtolica Sede conceſſam, modo vergere in maximum Parochorum pręjudicium, tum propter multiplicationem Conventuum, & Monaſteriorum Regularium, tum etiam propter auctam devotionem, & conſuetudinem fidelium ſepulturam eligendi in Eccleſiis prędictorum Regularium, ac proinde non modo conſentaneum, ſed etiam neceſſarium arbitrantes, ut eorundem Parochorum, quibus ceteroquin Sacri Canones, & priſca Eccleſię diſciplina aperte ſuffragantur, indemnitati opportune conſulatur, & antedicta Apoſtolica privilegia ad ęquitatis limites reducantur. Hinc igitur eſt quod Nos omnia, & ſingula memorata privilegia exemptiva a ſolutione Quartę Funeralis quibuſvis Ordinibus, Congregationibus, ac Inſtitutis Regularibus ab Apoſtolica Sede, ut pręfertur, quandocunque, & quomodocunque conceſſa, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, ac de eorum tenore, & ſubſtantia ſatis ſuperque inſtructi, de nonnullorum venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquot etiam Romanę Curię Prelatorum a Nobis ad id ſpecialiter deputatorum conſilio, ſuadentibus etiam Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prelatis in pręſenti Sacro Concilio congregatis, ac inſuper Motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, pręmiſſa omnia privilegia quoad Quartam Funeralem tantum pro locis infra exprimendis moderamur, reformamus, ad viam juris reducimus, & quatenus opus ſit, etiam revocamus, & abrogamus, neque cuiquam deinceps ſuffragari poſſe, vel debere decernimus. Prćterea motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus ſancimus, ſtatuimus, & mandamus, ut in Italia, eique adjacentibus Inſulis, a die publicationis pręſentis Conſtitutionis in futurum, Parochis Defunctorum, qui in Eccleſiis quorumcunque Regularium prędictorum tumulabuntur, perſolvatur, & cum effectu tradatur quarta pars omnium intorticiorum, & candelarum, quibus Defuncti cadaver in itinere ad Eccleſiam tumulantem aſſociabitur, necnon omnium intorticiorum, & candelarum, quę in eadem Eccleſia circa cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur. A prędicta tamen Quarta Funerali exceptę intelligantur, & ſint Candelę, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum ſodalitatum Confratres funus aſſociantes, manualiter per viam accenſas deferent. Quod ſi funus non fieret in die tumulationis, ſed ad diverſam diem, vel ad aliud longius tempus differretur, Parocho nihilominus aſſignetur quarta pars omnium intorticiorum, & candelarum, quę ipſamet peracti funeris die in Eccleſia, ubi defunctus humatus fuit, circa cenotaphium, ſeu tumulum honorarium, atque etiam in Altaribus ejuſdem Eccleſię, accenſa fuerint. Hęc porro omnia locum habeant, & exacte in poſterum obſerventur, quotieſcunque defunctus extra ſuam Parochialem Eccleſiam tumuletur, vel exponatur, ſive quia in Eccleſia tumulante, vel exponente beneficium obtinuerit, ſive quia ibidem ſepulcrum habuerit gentilitium, ſive tandem quia in ea ſepulturam elegerit. Ceterum ſub prędicta Quarta Funerali comprehendi non intendimus, immo expreſſe ab ea excipimus, legata Miſſarum, & Anniverſariorum, hiſque ſimilia pia relicta ad favorem Eccleſię tumulantis, vel exponentis a defuncto diſpoſita. Circa quę, ac omnia, & ſingula alia, de quibus in pręſenti Conſtitutione mentio facta non fuit, privilegia prędictis Regularibus Ordinibus ab Apoſtolica Sede conceſſa ſalva prorſus, illeſa, ac inviolata perpetuo permanere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, inconcuſſe, ac irrefragabiliter obſervari debere volumus, decernimus, & mandamus. Ubi vero conſuetudines legitime probatę, conventiones, concordię, vel ſtatuta vigerent, quę pręfatis Parochis magis faverent, illiſque pinguiorem prędicta Quarta emolumentorum funeralium portionem aſſignarent, ea in iis, in quibus vigent, locis inconcuſſe ab omnibus obſervari motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine paribus, ſancimus, pręcipimus, & jubemus. Decernentes pariter pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, etiam ex eo, quod prędictorum Ordinum Regularium Superiores, vel quicunque alii in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet pretendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, ſeu cauſę, propter quas pręſentes emanarint, adductę, verificatę, ſeu alias juſtificatę non fuerint, vel etiam enormis, enormiſſimę, & totalis lęſionis, aut alio quovis pretextu, & ex quocunque capite, colore, & cauſa etiam neceſſario exprimenda, de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtrę, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, in toto, vel in parte reſcindi, retractari, invalidari, in jus vel controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, aut quodcunque aliud juris, vel facti; gratię, vel juſtitię remedium impetrari, ſeu eo impetrato quemquam uti, ſeu ſe juvare in judicio, vel extra nullatenus poſſe, ſed eas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, ac obtinere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari debere, ſicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum dicti Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apoſtolicę Sedis Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę regula de jure quęſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, necnon quorumvis Ordinum prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis per quoſcunque Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros eiſdem Ordinibus, ut pre-

prçfertur, illorumque Superioribus, & Profeſſoribus quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſcunque etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & decretis irritantibus, etiam motu ſimili, & conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium prçmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quçvis alia expreſſio facienda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, occaſiones, ac alia etiam ſpeciali expreſſione digna prçſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, inſertis, ac ſervatis reſpective habentes, hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prçmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Ut autem prçſentes literç ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, ſeu earum exempla, ad valvas Eccleſiç Lateranenſis, & Baſilicç Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariç Apoſtolicç, Curiçque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Florç de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari, ſicque publicatas, & affixas, omnes, & ſingulos, quos illç concernunt, perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatç fuiſſent, utque ipſarum prçſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonç in eccleſiaſtica dignitate conſtitutç munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quç ipſis prçſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitç, vel oſtenſç. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum voluntatis, declarationis, reformationis, moderationis, conceſſionis, aſſignationis, prçcepti, ſanctionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prçſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romç apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicç Milleſimo Septingenteſimo Vigeſimo Quinto, Quarto Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

P. M. Card. Prodatarius.

F. Card. Oliverius.

Viſa de Curia J. C. Archiepiſcopus Amaſenus.

Loco ✝ Plumbi.

L. Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quinto; Indictione tertia, die vero VIII menſis Junii, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & D. N D Benedicti divina providentia Papç XIII Anno ſecundo, ſupradictç literç Apoſtolicç affixç, & publicatç fuerunt ad valvas Baſilicarum Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, & S. Mariç Majoris de Urbe, & in Acie Campi Florç, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis per me Franciſcum Baldum Apoſt. Curſ. Antonius Pellicia Mag. Curſ.

1. *Tumulabuntur.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXV.*

De Provincia Sanitatis conſtituenda.

Anno 1725 Die 4 Maii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

XXV.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut non ſine intimo animi noſtri mçrore accepimus, in binis Congregationibus Fratrum S. Mariç Sanitatis Neapolitan., & Sancti Marci vulgo de Gavotti reſpective nuncupatis Ordinis Prçdicatorum, quç e Conventibus a Provincia Regni Neapolis ejuſdem Ordinis magna ex parte diſmembratis, & a juriſdictione illius Prioris Provincialis exemptis olim erectç fuerunt, priſcç obſervantiç regularis ſtudium, quod in ipſis Congregationibus, earumque Fratribus initio, & decurſu ſeculi mox elapſi maxime fervebat, atque elucebat, ita exciderit, ut non modo laudabilis finis, quem Ordo prçfatus, & hçc ſancta Sedes ſibi in ipſarum Congregationum inſtitutione, & approbatione propoſuerunt, qui ſane alius non fuit, quam ut ab illarum Religioſis ſtatuta ipſius Ordinis exactius obſerventur, & eorum exemplo ad idem prçſtandum alii Fratres Conventuum dictç Provinciç invitarentur, non obtineatur; Verum novi in dies, graveſque abuſus in eaſdem Congregationes invehantur, diſciplina inibi ſenſim dilabatur, & plane relaxetur, variaque ſcandala in univerſi etiam Ordinis prçdicti dedecus enaſcantur, ac proinde obſcuratum aurum, mutatum colorem optimum boni omnes doleant; Nos aliquam rationem a Capitulo Generali Ordinis prçdicti propediem celebrando iniri cupientes, qua in Congregationibus, & Conventibus prçdictis debita obſervantia reſtituatur, perturbationes, abuſus, & ſcandala hujuſmodi tollantur, ac nova vivendi ejuſdem Ordinis conſtitutionibus conformis in poſterum ſervanda prçſcribatur, atque animadvertentes exactam diſciplinam Regularem in Provincia Toloſana dicti Ordinis, quç etiam num plurimum commendatur, tunc demum florere, & vigere cçpiſſe, quemadmodum in actis Capituli Generalis ejuſdem Ordinis Anno MDCL habiti memoratur, ac experientia ipſa compertum eſt, cum ejus Con-

Provinciæ Toloſanæ laus.

Conventibus, qui antea a Vicario particulari regebantur in vim decreti Capituli Generalis Ordinis prẹfati Congregationi Sancti Ludovici per tunc temporis exiſtentem Magiſtrum Generalem ipſius Ordinis unitis, & abolito dicti Vicarii particularis gubernio, ex eis erecta fuit Provincia per ſuum Priorem Provincialem adinſtar ceterarum Provinciarum regenda, ſimulque conſiderantes id ipſum quoque de Conventibus Congregationum prẹdictarum ſperari poſſe, ſi videlicet illi, qui a duobus Vicariis ad prẹſens reguntur inſimul unirentur, & in novam Provinciam ſub directione unici Prioris Provincialis erigerentur, ipſi proximo Capitulo Generali, auctoritate Apoſtolica, harum ſerie diſtricte prẹcipimus, & mandamus, ut habita de duabus Congregationibus, earumque Conventibus, & Fratribus prẹdictis matura deliberatione, reque univerſa accurate perpenſa, illas ſuper ſtatu Congregationum, Conventuum, & Fratrum prẹdictorum reſolutiones capiat, eaque ſtatuat, & determinet, quẹ pro recta, & ſalubri ipſorum Conventuum, & Fratrum directione magis in Domino expedire cenſuerit, &, quatenus dictos Conventus in novam Provinciam erigi convenire judicaverit, utramque Congregationem Sanctẹ Marię Sanitatis, & Sancti Marci prẹfatam ſupprimendi, & abolendi, earumque Conventus omnes invicem uniendi, unicamque ex eis Provinciam inſtituendi, aliaque in prẹmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſaria, & opportuna faciendi, gerendi, & exequendi plenam, & liberam poteſtatem, & facultatem auctoritate prẹfata tenore prẹſentium concedimus, & impertimur. Decernentes eaſdem prẹſentes literas, & quicquid a dicto Capitulo Generali in earum executionem decretum, & geſtum fuerit, firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque in prẹmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellarię Apoſtolicẹ regula de jure quẹſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, Congregationum, & Conventuum hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam eiſdem Ordini, Congregationibus, & Conventibus, eorumque perſonis quibuslibet, ac ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium prẹmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quẹvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, prẹſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prẹmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IV Maii MDCCXXV Pontificatus Noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo autographum, & inter *Acta Capituli Generalis*.

Anno 1725 Die 5 Maii.

De Fratribus ex Congregatione S. Sabinæ ad Lombardiæ Provinciam redeuntibus.

XXVI.

Ex Archivo (1) Ordinis.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ALias, ſicut accepimus, felicis recordationis Innocentius PP. XII prẹdeceſſor noſter, per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die XIV Junii MDCXCV expeditas literas(2), diverſos in eiſdem literis expreſſos Conventus Provincię Lombardię Ordinis Fratrum Prẹdicatorum, eorumque Fratres, & perſonas quaſcunque cum omnibus, & ſingulis illorum membris, juribus, & pertinentiis univerſis ab omni, & quacunque juriſdictione, ſuperioritate, correctione, viſitatione, regimine, cura, & gubernio pro tempore exiſtentis Prioris Provincialis ejuſdem Provincię tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus perpetuo exemit, ipſoſque Conventus in novam Congregationem ſub titulo Sanctẹ Sabinę Provincię utriuſque Lombardię ejuſdem Ordinis nuncupandam, quẹ pro tempore pariter exiſtenti Magiſtro Generali, ſive ejus loco in Romana Curia reſidenti Vicario Generali Ordinis hujuſmodi immediate ſubjacere deberet, ita ut in illam nulli alii ipſius Ordinis Superiores prẹterquam dictẹ Congregationis Vicarius, ceterique illius Prẹlati juxta morem deputari ſoliti, poteſtatem aliquam valerent exercere pariter perpetuo erexit. In quibus quidem Conventibus ad prẹfatam Congregationem ſic erectam & inſtitutam ſpectantibus, Fratres omnes ad regulę, quam profeſſi fuerant, prẹſcriptum exacte vitam inſtituere, & componere, atque illam, quẹ communem vitam, victum, & veſtitum concernebant, juxta Concilii Tridentini, & recolendẹ memorię Clementis PP. VIII prẹdeceſſoris itidem noſtri Decretorum tenorem fideliter, & inviolabiliter ſervare deberent; Voluitque idem Innocentius Prẹdeceſſor, ut ipſi Con-

Congregationi de idoneo Vicario Generali, ex Fratribus alicujus ex Conventibus ipſius Congregationis, a Magiſtro Generali prędicto, de biennio in biennium provideretur, qui eandem prorſus juriſdictionem, & auctoritatem haberet in Conventus, & Fratres prędictę Congregationis, quam juxta Apoſtolicas, & dicti Ordinis Conſtitutiones, Priores Provinciales habent in ſuis Provinciis, poſſet quoque idem Vicarius quoſcunque Fratres Ordinis prędicti undecunque venientes ſuſcipere, & eis de Conventibus Congregationis prędictę per deputationem, vel aſſignationem providere, quod tamen criminoſis, juxta dicti Clementis Prędeceſſoris Decreta, nullatenus prodeſſe valeret, non autem intelligerentur iidem Fratres Congregationi hujuſmodi incorporati, niſi per quadriennium, eoque durante, ſi ad ſuos Conventus, vel Provincias redire voluiſſent, licentia eis abeundi libere concederetur. Pręterea nulli ex Fratribus dictę Congregationis, ſive intra eam habitum ſuſcepiſſet, ſive aliunde, ſi per quadriennium, ut pręfertur, incorporatus fuiſſet, permitteretur tranſire ad Conventus extra ſuam Congregationem niſi de licentia Vicarii, una cum conſilio ſex graviorum Patrum ejuſdem Congregationis, quę tamen licentia non facile daretur, ſed omnimoda diligentia, & caritatis officia adhiberentur, ut abire volentes in ſuſcepto vitę inſtituto, confirmarentur; quod ſi adhuc in diſcedendi voluntate permanſiſſent, tandem dimitterentur, ne aliis impedimento forent, & alias prout in ipſius Innocentii prędeceſſoris literis prędictis, quarum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis haberi volumus, uberius continetur. Subinde vero, ſicut nobis etiam innotuit, delatis pro parte Vicarii Generalis Congregationis prędictę ad Congregationem tunc exiſtentium S.R.E. Cardinalium, & ejuſdem Romanę Curię Pręlatorum ſuper diſciplina regulari ſpecialiter auctoritate Apoſtolica deputatam querelis, quod Prior Provincialis dictę Provincię Lombardię non ſolum Fratres, qui antea profeſſi, ad Congregationem ſupradictam tranſlati, & illi incorporati fuerant, ſed etiam qui in eadem Congregatione habitum ſuſceperant, & ulterius aliquos, qui durante incorporatione hujuſmodi vel habituales corporis, ac etiam mentis paſſi erant infirmitates, vel criminibus obnoxii carceribus mancipati fuerant, exinde recipere coactus fuit, non ſine ingenti dictę Provincię diſpendio, gravique illius Fratrum perturbatione, de quibus incommodis, Nos utpote qui olim in minoribus conſtituti inclyto Sancti Dominici inſtituto in eadem Provincia Lombardie nomen dedimus, apprime inſtructi fuimus. Nota. Cum autem in memoratis Innocentii Prędeceſſoris literis, Vicario Generali dictę Congregationis, Fratres quidem, qui in Congregatione prędicta habitum ſuſcepiſſent, ſive illi incorporati fuiſſent, aliquando, tametſi non facile dimittendi tribuatur facultas, verum quo iſti, qui in eadem Congregatione habitum ſuſceperunt, abire debeant minime diſponatur, prout quoque in enarrato decreto Congregationis Cardinalium, & Pręlatorum ſuper diſciplina regulari decernatur licere eidem Vicario Generali Fratres e dicta Congregatione dimittere, ſed nulla fiat diſtinctio inter Fratres, qui e Provincia prędicta, ejuſque Conventibus in dictam Congregationem advenerint, illique incorporati fuerint, ab eis qui in eadem Congregatione habitum hujuſdi ſuſceperint, & nihilominus Priori Provinciali prędicto dimiſſos indiſcriminatim recipiendi onus imponatur, Nos attendentes, quod quemadmodum ęquum, & juſtitię conſonum eſt, ut Fratres, ex Conventibus dictę Provincię Lombardię ad Congregationem prędictam accedentes, ſi ab iſta dimittantur, ad illos revertantur, ita rationi minime conſentaneum ſit, Provinciam prędictam ad eos Fratres, qui in eadem Congregatione habitum ſuſceperunt, & dimiſſi fuerunt, recipiendos, & alendos, adſtringi: Ac propterea quamcunque dubitandi occaſionem hac in re ſubmovere, ac dictę Provincię Lombardię, quam in paternę caritatis viſceribus gerimus, levamini, & indemnitati conſulere, illiuſque, necnon prędictę Congregationis Sanctę Sabinę religioſę tranquillitati opportune proſpicere volentes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, harum ſerie ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi deinceps per Vicarium Generalem Congregationis Sanctę Sabinę dimittatur aliquis Frater, qui e Provincia Lombardię, ejuſve Conventibus in eandem Congregationem venerit, ac ſuſceptus in illa fuerit, tunc Prior Provincialis ipſius Provincię Lombardię illum recipere, & in primęvo ſuę adfiliationis, aliove dictę Provincię Conventu collocare, necnon de tali collocatione Vicarium Generalem prędictum certiorare teneatur, niſi tamen agatur de dimiſſione Fratris in prędicta Congregatione recepti, qui ob crimina, durante ſua permanentia in ejuſmodi Congregatione, commiſſa carceribus mancipatus, vel de eis inquiſitus, aut habituali, gravique mentis, aut corporis infirmitate in eadem Congregatione contracta correptus reperiatur, quo caſu, iſtiuſmodi Fratrem niſi poſt finitam cauſam adverſus eum inſtructam per ejus abſolutionem ex capite innocentię, vel pęnę illi injunctę implementum, aut ſanitatem receptam reſpective dimitti non poſſe decernimus. Quo vero ad Fratres, qui habitum in dicta Congregatione ſuſceperint, Vicarius Generalis eis ab ipſa Congregatione abeundi licentiam concedere, illoſve dimittere nequeat, niſi prius de invento benevolo receptore in aliquo Conventu cujuſvis Provincię prędicti Ordinis Prędicatorum legitime docuerit, ac hoc modo, & cum ejuſmodi diſcrimine de cetero in pręmiſſis procedendum eſſe, necnon tam Innocentii Prędeceſſoris literas, quam decretum prędictę Congregationis Cardinalium, & Pręlatorum ſuper diſciplina regulari intelligenda fore, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, tenore pręſentium declaramus, ac pręcipimus, & mandamus. Decernentes eaſdem prędictas literas, & in eis contenta, etiam ex eo quod Vicarius Generalis prędictę Congregationis Sanctę Sabinę, aliive quicunque intereſſe habentes in pręmiſſis, ſeu habere quomodolibet prętendentes, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſę propter quas ipſę pręſentes emanarint, ſufficienter adductę, verificatę, & juſtificatę fuerint, aut ex alia quacunque quantumvis legitima, juridica, & privilegiata cauſa, colore, prętextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, ad viam, ſeu terminos juris, facti, vel gratię remedium, vel Conſtitutionum dicti Ordinis redu-

reduci, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratię remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed eaſdem pręſentes literas ſemper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective, & inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, ſicque, & non aliter, in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoſcunque, pręeminentia quacunque, & poteſtate fungentes, aut functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus ejuſdem Innocentii Prędeceſſoris literis, ac decreto Congregationis Cardinalium, & Prįlatorum ſuper diſciplina regulari ſupradictis, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, Congregationis Sanctę Sabinę, & Provincię, ac Conventuum hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, eiſdem Ordini, Congregationi Sanctę Sabinę, & Provincię, ac Conventibus, illorumque reſpective Magiſtro, & Vicario Generalibus, & Provincialibus, aliiſque Superioribus, Fratribus, & perſonis quibuslibet, ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut quęlibet alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die V Maii MDCCXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur in *Actis Capituli Generalis MDCCXXV pag.* 54.

2. *Literas.*) Conſtitutionem ſcilicet *XIX.*

Anno 1725 Die 11 Maii.

XXVII.

Fratrem Raymundum (1) Archiepiſcopum Raguſinum laudat, quod in opera miſericordiæ ſumptus eroget.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Venerabili Fratri Raymundo Archiepiſcopo Raguſino.

BENEDICTUS PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUamquam virtutis tuę pręclaram, & paſtoralibus tuis meritis parem gerimus opinionem, eam tamen magis in dies augere, ac ſimul Pontificiam ſibi benevolentiam amplius demereri fraternitas tua non prętermittit. Itaque in obſequentiſſimis literis, & in luculento tuę pietatis officio, quo Turcam adoleſcentem Chriſtianis inſtitutis imbuendum, & luſtralibus undis expiandum ad Nos miſiſti, animi erga Nos tui obſervantiam, animarumque redimendarum ſtudium perſpeximus, atque ad cetera miſericordię opera, in quę ſumptus liberaliter erogare conſueviſti, hanc etiam laudem adjunctam eſſe gaviſi ſumus. Salutari autem lavacro, poſtquam Chriſtianę Religionis myſteria adoleſcens ille didicerit, abluemus, ut quem Nobis dono addictum voluiſti, Redemptori omnium Chriſto renatum in libertatem filiorum Dei vindicemus. Ceterum quam grato erga te animo, & quam propenſa in fraternitatem tuam voluntate ſimus, ubi ſe opportunitas ſuggeret reipſa declarare vehementer optamus. Ac tibi, venerabilis Frater, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XI Maii MDCCXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Raymundum.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Clementis XI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

Ut

Ut Romanum Monaſterium S. Mariæ Magdalenæ juris ſit Romanæ Provinciæ. Anno 1725 Die 17 Maii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

BENEDICTUS PP. XIII. XXVIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Prior Provincialis Provincię Romanę Ordinis Fratrum Prędicatorum, quod dilectus pariter filius noſter Laurentius tituli S. Petri in Vinculis S R.E. Cardinalis Corſinus (2) nuncupatus, alias Monaſterii Monialium Sanctę Marię Magdalenę de Urbe Viſitator Apoſtolicus a Nobis ſpecialiter deputatus, attentis novis juribus pro parte dicti Prioris Provincialis coram ſe exhibitis, pręſentatis, viſiſque omnibus de jure videndis, pluriesque tam in voce, quam in ſcriptis partibus auditis, pręvio receſſu ab aliis per eum deciſis, per ſuam definitivam ſententiam die XVIII Februarii proxime pręteriti latam, dixit, decrevit, & declaravit, curam, & gubernium dicti Monaſterii ſpectare, & ſpectaviſſe pro tempore exiſtenti Priori Provinciali dictę Provincię, ad formam teſtamenti quondam Magdalenę Urſinę, & quarundam literarum Apoſtolicarum felicis recordationis Gregorii PP. XIII Prędeceſſoris noſtri, nullumque jus, nullamque actionem quoad dictam curam, & gubernium habere Vicarium Generalem Congregationis Sancti Marci Florentin. dicti Ordinis, proindeque pręcepit, & mandavit, quod iidem Priores Provinciales pro tempore exiſtentes Provincię hujuſmodi, continuare habeant & debeant in exercitio gubernii ſupradicti Monaſterii, quo vero ad legatum ſcutorum mille trecentorum, & aliorum juliorum viginti quinque quolibet anno a prędicta Magdalena Urſina relictum, ſervandam eſſe concordiam anno MDCCXII initam, & a Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita confirmatam, pari ſua ſententia decrevit, & declaravit, prout ex ſententia hujuſmodi conſtare dicitur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Prior Provincialis, eandem ſententiam quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri, ſummopere deſideret. Nos ipſum Priorem Provincialem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, pręfatam ſententiam ab eodem Laurentio Cardinale, & Viſitatore Apoſtolico latam, per quam dictum, decretum, & declaratum fuit, curam, & gubernium ſpectare, & ſpectaviſſe ad Priorem pro tempore exiſtentem memoratę Provincię Romanę, nullumque jus, nullamque actionem quoad dictam curam, & gubernium habere ſupradictum Vicarium Generalem Congregationis S. Marci, & ulterius mandatum fuit, quod pro tempore pariter exiſtentes Provinciales Provincię hujuſmodi continuare habeant, & debeant in exercitio gubernii pręfati Monaſterii, & quoad legatum ſupradictum ſervandam eſſe memoratam concordiam, pari ſua ſententia decretum pariter, & declaratum fuit, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem preſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac dicto Priori Provinciali, & aliis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Camerę Apoſtolicę Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Provincię, Ordinis, & Congregationis S. Marci, & Monaſterii prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII Maii MDCCXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar. Legitur in *Actis Capituli Generalis MDCCXXV pag. 61.*

2. *Corſinus.*) Nunc Summus Pontifex *Clemens XII.*

Anno 1725 Die 25 Maii.

XXIX.

Quod Generalis Magiſter renunciatus ſit, Reverendiſſimo Patri Thomæ Ripoll (1), quem debitis laudibus ornat, gratulatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Thomę Ripoll Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſtro Generali.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUod a Patre luminum fuſis precibus demiſſe contendimus, ut inclyto Prędicatorum Ordini eum pręficeret Magiſtrum, cujus exemplis, ſtudiis, curiſque ad partes religioſiſſimi Inſtituti laudes nova incrementa Diſciplinę regularis accederent, Domino ſupplicibus votis annuente, jam feliciter eveniſſe rati ſumus (3), cum tibi concordibus ſuffragantium animis impoſitum dilectiſſimę familię miniſterium accepimus. Nec veremur, ut vigilantia tua perſpectiſſimę prudentię conjuncta, tam optatis noſtris, quam delati Tibi muneris officiis ſit cumulatiſſime reſponſura. Nos certe, non ſolum pro veteri Tecum neceſſitudine, quam in minoribus conſtituti diligenter coluimus; ſed pro Catholicę quoque Eccleſię rationibus enitemur, ut nulla Tibi deſint prędipuę benevolentię teſtimonia, & Apoſtolicę ſolicitudinis, ac benignitatis prędidia. Tibi igitur oblatam ampliſſimorum meritorum ſegetem, totique Ordini Comitiorum ſucceſſum, electionemque digniſſimam gratulamur: Deumque Omnipotentem obſecramus, ut lętitiam noſtram uberrimis tuę ſapientię, ſolertięque fructibus magis in dies confirmet & augeat: ac Tibi, dilecte fili, Paternę noſtrę Caritatis teſtem, divinique ſubſidii & ſecundę adminiſtrationis auſpicem, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris Die XXV Maii MDCCXXV, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Carolus Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Thomæ Ripoll.*) Patria *Tarraconenſi*, alumno *Barchinonenſis* Cœnobii, ad regimen nato.

2. *Archivo.*) In quo exemplar typis impreſſum. Legitur in *Actis Capituli Generalis MDCCXXV. pag.* 10.

3. *Rati ſumus.*) Mira, ſed vera laus. Huc ſpectat ſequens inſtrumentum typis impreſſum *Romæ* anno *MDCCXXV*.

Romæ Die XIX Junii MDCCXXV.

VOcatis a SS. D. N. Benedicto Papa XIII Religioſis omnibus ſui Ordinis Prædicatorum, qui e Capitulo Generali Bononiæ Celebrato Romam venerant, Iiſdemque una cum Reverendiſſimo Patre F. Thoma Ripoll Magiſtro Generali Electo congregatis in Aula prope ſecretum cubiculum ejuſdem Summi Pontificis, & quidem ad formam Religioſæ Paupertatis & Humilitatis compoſita: Idem Sanctiſſimus Pontifex primum ad ſe vocavit prælaudatum Patrem Magiſtrum Generalem, deinde illo dimiſſo in intimo Cubiculo, ut ibi ſiſteret cum duobus Illuſtriſſimis Prælatis Domeſticis ſeorſim a ſuis Religioſis, venit ad Fratres ſuos, ſtatimque juſſit, ut ſurgerent, & in modum Coronæ ſe diſponerent: quo facto ad eoſdem & Ipſe ſtans affectu integro, & pientiſſimo Sermonem habuit, ut ſequitur.

PAdri miei; abbiamo avuto una grandiſſima Conſolazione di quanto hanno operato le V.V. Paternità nel Capitolo Generale di Bologna. Non abbiamo laſciato di pregare Iddio, acciò ſi compiaceſſe far riuſcire una elezione unanime, & in un Soggetto che foſſe meritevole di sì gran poſto: ed inteſa la notizia, abbiamo alzato le mani al Cielo per ringraziare Sua Divina Maeſtà, che ha eſaudito i noſtri voti. Veramente è ſtata una grande benedizione, che eſſendo voi in sì gran numero, e di così diverſe Nazioni, abbiate eletto con tanta unione il Generale: e tanto più ne godiamo, quanto che avete eletto un Soggetto degniſſimo, il quale è ſtato da Noi conoſciuto da molti anni, ſtimato, & amato ſino dal tempo della benedetta Anima del P. Maeſtro Generale Cloche. Gratulamur dunque Vobiſcum, anzi non Vobiſcum ſolum, ſed Nobiſcum, Nobiſcum perche ſiamo voſtro Fratello, figlio dell' iſteſſo Padre, e portiamo lo ſteſſo Abito. *Tunc oſtendit ſummus Pontifex habitum Religionis, quem defert, & deoſculatus eſt eum.* Vedete ora ſe poſſiamo ſervirvi in qualche coſa, e pregate Dio per Noi, conſiderando, che ſiamo Fratelli, Figli dell' iſteſſa Religione, la quale ci ha ſollevato ſino a queſto Poſto, che Noi non meritavamo per la noſtra indegnità. Et Deus ſcit quod non mentior: credatis quod verba ſunt non fictionis, nec affectatę humilitatis, ſed verba ſunt veritatis, dico, Verba veritatis. Acciò non ſucceda a Noi quello, che occorſe a Saule, il quale fuit electus a Deo, e poi voi ſapete qual fine ebbe. Pregate dunque per Noi. E per moſtrarvi la noſtra Paterna benevolenza come Papa, e Fraterna come Religioſo, concediamo a tutti i Padri Provinciali, Definitori, & Elettori quì preſenti cinquecento Indulgenze da diſtribuirle a Parenti, & amici: alli altri Sacerdoti quì preſenti ne concediamo trecento, & alli Converſi parimente preſenti due cento. Sicche duecento alli Converſi, trecento alli Sacerdoti, e cinquecento alli Padri Vocali.

His dictis, Omnes, qui aderant, deoſculati ſunt pedes SS. Pontificis, a quo datus fuit cuilibet locus exponendi libellos ſupplices, & oretenus proponendi, quæcunque neceſſaria videbantur, vel opportuna. Poſtea benedixit Roſaria, & Numiſmata ſibi a Patribus oblata. Et tandem data omnibus benedictione, dicens pregate per Noi per debito Fraterno, che avete; *in intimum cubiculum ſe recepit, ubi per longum tempus Reverendiſſimum Patrem Generalem eſt alloquutus.*

Quod

Quod *Chriſtianis ſacris initiatus* fuerit in Eccleſia Gravinenſi ſingularem erga ipſam amorem profitetur. Anno 1725 Die 5 Junii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Venerabili Fratri Vincentio (2) Epiſcopo Gravinen. XXX.

BENEDICTUS PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm e noſtra Beneventana Eccleſia mandatis hujus ſedis urgentibus ad viſitationem iſtius Eccleſię, & Diœceſis Apoſtolicę facultatibus obeundam acceſſimus, nihil curavimus impenſius, quam ut obortas inter Clerum, & Baronales Miniſtros controverſias decideremus, & quę omnem in poſterum litibus aditum obſtruerent opportune decerneremus. Itaque ęgre admodum Nobis fuit, cum ad aures noſtras pervenit ejuſdem Eccleſię Clerum decretis viſitationis noſtrę minime acquieſcentem, apud S.R.E. Cardinales negotiis Epiſcoporum, & Regularium prępoſitos diſceptationes, quas avertere, & amputare ſtuduimus renovaſſe. Quoniam igitur ſingularis noſtri erga Eccleſiam iſtam, in qua Chriſtianis ſacris initiati ſumus, amoris, & ſolicitudinis officiis obſecundantes, Fraternitati tuę per alias noſtras in ſimili forma Brevis literas negotium dedimus, ut pro tua ſatis Nobis probata vigilantia viſitationis illius decreta omnia ſedulo implenda, & obſervanda curares: non ſolum iteratis Apoſtolicę providentię mandatis operam tuam, ſolertiamque requirimus, in tuendis pręſertim ſtatutis noſtris de univerſis, & ſingulis quinque, & viginti articulis, de quibus antedictę partes controverſantur; ſed volumus pręterea, ut omni appellatione remota nullum ſibi ſupereſſe intelligant, aut provocationis ſubſidium, aut tergiverſationis effugium. Tua igitur virtute freti fore confidimus, ut ſtudia noſtra, quę ad lites reſecandas, ac depellendas contulimus, optatis concordię fructibus minime deſtituantur, nec ſacra Miniſteria, Chriſtianęque pietatis officia ullo contentionis ſtrepitu interpellentur, ac Fraternitati tuę Apoſtolicam Benedictionem peculiaris benevolentię teſtem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die V Junii MDCCXXV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

2. *Vincentio.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

De Miſſis in Cœnobio Suriano (1) die XV Septembris hora ſecunda poſt mediam noctem celebrandis. Anno 1725 Die 3 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

ALLA SANTITA DI BENEDETTO XIII. XXXI.

Per il Convento di S. Domenico di Soriano in Calabria.

BEatiſſimo Padre. Il Priore, e Padri del Convento di S. Domenico in Soriano de' Predicatori della Provincia di Calabria proſtrati a piedi di Voſtra Santità umilmente la ſupplicano di concederli la facoltà di poter cantare la Meſſa due ore doppo mezza notte nel dì XV di Settembre dedicato alla Solennità della Miracoloſa Imagine di S. Domenico di Soriano per poter così maggiormente ſodisfare alla gran devotione delli Popoli, che vi concorrono, che della gratia &c. Quam Deus &c.

Annuimus die Tertia Julii MDCCXXV.

1. *Suriano.*) De quo ſæpius dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Suriano.*

Duo Pœnitentiarii in Eccleſia Cœnobii Suriani (1) conſtituti. Anno 1725 Die 18 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Vincentius Miſeratione Divina Tituli Sancti Honuphrii S. R. E. Cardinalis Petra Sanctiſſimi Domini Noſtri Papę, & Sedis Apoſtolicę Pro-Major Pęnitentiarius, XXXII.

Dilecto Nobis in Chriſto, Religioſo Viro, Magiſtro Generali Ordinis Pręedicatorum Sancti Dominici, Salutem in Domino.

EX parte Prioris, & Fratrum, Conventus Eccleſię Suriani, Ordinis Pręedicatorum Sancti Dominici nuncupatorum, Provincię Calabrię ultra, Diœceſis Mileti, latorum pręſentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipſi alias exponi fecerunt Sanctiſſimo Domino Benedicto, Divina Providentia, Papę De-

Decimo tertio, pro ſpirituali Chriſti fidelium, ad eorum Eccleſiam, ex univerſis partibus, devotionis cauſa viſitandi Sacram Imaginem miraculoſam Sancti Dominici, aſſidue confluentium conſolatione, duos ſaltem Religioſos dicti Ordinis Profeſſos, in prędicta Eccleſia Pęnitentiarios, cum eiſdem facultatibus, Pęnitentiariis quatuor Baſilicarum Urbis, a Sede Apoſtolica conceſſis, eſſe neceſſarios, & propterea illos deputari plurimum deſiderant. Quare idem Sanctiſſimus ipſorum Exponentium deſiderio annuere, illoſque ſpecialibus favoribus, & gratiis, proſequi volens, ſupplicationibus, eorum nomine ſuper hoc humiliter porrectis, inclinatus, ex audientia habita die Decima octava Julii, nobis conceſſa, Gratiam, ſive Indultum pręfatorum duorum Pęnitentiariorum, in pręfata Eccleſia Suriani, ejuſdem Ordinis Prędicatorum Sancti Dominici, per Officium Sacrę Pęnitentiarię concedere benigne annuit, & per idem Officium Sacrę Pęnitentiarię in forma Brevis expediri juſſit. Nos igitur, qui ejuſdem Sacrę Pęnitentiarię Domini Papę, pro Eminentiſſimo Domino de Comitibus (3) Majori Pęnitentiario, curam gerimus, Auctoritate Apoſtolica ſpecialiter, & ſic expreſſe, pręvia conſultatione, ex ſupradicta audientia Sanctiſſimi, nobis conceſſa: Tibi dilecto nobis in Chriſto moderno Magiſtro Generali, & pro tempore, Vicario Generali dicti Ordinis Prędicatorum, ut duos Fratres Religioſos, expreſſe Profeſſos Ordinis pręfati, quos ad id idoneos, & prudentes, vitaque, & moribus conſpicuos cognoveris in dicta Eccleſia Pęnitentiarios, dummodo tamen ab Ordinario loci prius examinati, & approbati fuerint, conſtituere, & deputare valeas: Ita tamen, ut iidem Pęnitentiarii ſic conſtituti, & deputati, omnibus, & ſingulis facultatibus, non tamen in caſibus in literis Apoſtolicis, quę die Cęnę Domini legi conſueverunt, contentis, neque a cenſuris contra Duellantes, aut Sanctimonialium Clauſuram, vel libertatem, immunitatem, ſeu juriſdictionem Eccleſiaſticam violantes, fulminatis, abſolvendi, quibus Pęnitentiarii quatuor Baſilicarum Urbis, utuntur, potiuntur, & gaudent, ſimiliter uti, potiri, & gaudere poſſint, facultatem Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, concedimus, & impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Sigillo Officii Pęnitentiarię, Decimoquinto Kalendas Auguſti, Pontificatus Domini Benedicti Papę Decimitertii, Anno Secundo.

V. Cardinalis Petra, Pro-Major Pęnitentiarius.

Jo. Dominicus Conſalvus Sacrę Pęnitentiarię Secretarius.

Franc. Petrucciolus.

1. *Surlani.*) De quo ſæpius dictum fuit.
2. *Archivo.*) In quo exemplaria authentica, unum MS. & aliud typis impreſſum anno *MDCCXXV.*
3. *De Comitibus.*) Vita functus eſt anno *MDCCXXX* in Conclavi.

Anno 1725 Die 8 Auguſti.

Confratres SS. Roſarii (1) Indulgentiis ornat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIII.

BENEDICTUS PP. XIII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm Nos nuper ſuperioribus menſibus, occaſione tunc inſtantis anni Jubilei, omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones quomodolibet conceſſas ſub certis modo, & forma tunc expreſſis ſuſpenderimus, & ſuſpenſas eſſe declaraverimus, eaſque eodem anno durante, nulli prodeſſe, aut ſuffragari debere decreverimus, prout in noſtris deſuper ſub plumbo expeditis literis, quarum tenorem pręſentibus pro expreſſo haberi volumus plenius continetur. Nos cupientes, ut Eccleſię dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum, cujus inſtitutum, & regulam expreſſe profeſſi ſumus, congruis frequententur honoribus, ad eaſque Chriſti fideles, eo lubentius accedant, quo exinde ſpiritualibus gratiis, ſe uberius refectos conſpexerint, Volumus, & Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium concedimus, ut omnes, & ſingulę Indulgentię, & peccatorum remiſſiones, necnon pęnitentiarum relaxationes iiſdem Chriſti fidelibus comitantibus proceſſionem Sanctiſſimi Roſarii, prima Dominica Menſis Octobris per dictos Fratres fieri ſolitam, quomodocunque a quibuſvis Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris, & Apoſtolica Sede conceſſę, dicto Anno Jubilei durante, valeant, ſuumque ſortiantur effectum, ac ipſis Chriſti fidelibus ſuffragentur in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi ſuſpenſio prędicta, a Nobis ſpecialiter, vel generaliter non emanaſſet. Non obſtante ſuſpenſione prędicta, ac aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint, utque earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus ſi forent exhibitę; vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VIII Auguſti MDCCXXV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Notà.

F. Card. Oliverius.

1. *Roſarii.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarium Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXV.*

De

De Miſſis celebrandis in Oratorio Valetudinarii Monaſteriorum (1) Provinciarum Lombardiæ, & Romanæ.

Anno 1725 Die 28 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXXIV.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Dominicus Ponſi Frater expreſſe profeſſus, & Exprovincialis Provincię Romanę Ordinis Prędicatorum, & Socius dilecti pariter filii Magiſtri Generalis pro Provinciis Italię ejuſdem Ordinis, quod cum in Monaſteriis Monialium dicti Ordinis S. Dominici tam Romanę, quam Lombardię Provinciarum reperiantur Moniales infirmę, quę propter habitualis corporis infirmitates e cubiculis valetudinarii egredi nequeant, eaque de cauſa etiam in ſolemnioribus anni feſtis diebus, ſpirituali conſolatione audiendi Sacroſanctum Miſſę Sacrificium privatę remaneant, ipſe Dominicus opportune iiſdem Monialibus a Nobis provideri ſummopere deſiderat. Nos dicti Dominici votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Ordinariis locorum, Abbatiſſis, ſeu Prioriſſis, & Monialibus eorundem Monaſteriorum Provinciarum hujuſmodi, quatenus in Oratorio valetudinarii ad hoc decenter muro extructo, & ornato, ab omnibus domeſticis uſibus libero, Sacroſanctum Miſſę Sacrificium per earum Confeſſarium, vel per alium ex Confeſſariis per eoſdem Ordinarios approbatis ad audiendas illarum Confeſſiones Sacramentales, in Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, Sanctiſſimi Roſarii, ac ejuſdem S. Dominici feſtis diebus celebrari facere libere, & licite poſſint, & valeant, dummodo tamen Oratorium hujuſmodi ab iiſdem Ordinariis viſitetur, & approbetur, & ita conſtituatur, ut ſeparatum a loco infirmarię, & clauſum remaneat, nec aperiatur, niſi quando Miſſa ibi erit celebranda, arbitrioque eorundem Ordinariorum ſic aptetur, ut Moniales infirmę exiſtentes ibidem Miſſam videre, & audire poſſint, licentiam auctoritate noſtra Apoſtolica concedendi, eadem auctoritate tenore pręſentium facultatem impertimur. Volumus autem, ut Confeſſarius, ſive alius ex iiſdem Confeſſariis, ut pręfertur, approbatis, clauſuram ingrediens a Religioſo gravis ętatis aſſocietur, quodque Oratorium non aperiatur, niſi cum aſſiſtentia continua ſaltem quatuor ex antiquioribus Monialibus non infirmis, & tam ipſę, quam Moniales infirmę velum intermedium ſuper faciem habere, & tenere debeant, dum pręmiſſa peraguntur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, Provinciarum, & Monaſteriorum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides habeatur, quę ipſis pręſentibus haberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Auguſti MDCCXXV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

1. *Monaſteriorum.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXV.*

Matritenſe Cœnobium Paſſionis conſtitutum.

Anno 1725 Die 5 Septembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XXXV.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

PAſtoralis officii, quod meritis licet imparibus, divina providentia humilitati noſtrę committere dignata eſt, ratio poſtulat, ut omnium Regularium Ordinum, vineam Domini excolentium, pręcipuam ſollicitudinem geramus, quęque ad divini cultus amplificationem, regularis diſciplinę cuſtodiam, & augmentum conferre dignoſcimus, ea jugi ſtudio, & conatu provehere, ſtatuere, & vehementer urgere non deſinamus. Peculiari tamen cura, & vigilantia oculos noſtrę mentis ad Ordinem Fratrum Prędicatorum, in quo ſolemnem profeſſionem regularem emiſimus, & diu verſati ſumus, Nos decet convertere, ut ubi uberiores fructus in vineam ipſam profluere, & bonorum operum meſſem exurgere aſpicimus, illuc, quantum in Domino poſſumus, provida cogitatione, & maxima ſedulitate incumbamus. Itaque, cum alias, & uſque de Anno Domini MDCXXXVII tunc exiſtentes Fratres dicti Ordinis Provincię Hiſpanię Hoſpitale, vulgo de la Paſſion nuncupatum, in Oppido, ſeu Civitate nuncupato Matriti, Toletan. Diœceſis, intra limites Parochialis Eccleſię Sanctorum Juſti, & Paſtoris, dicti Oppidi ſitum cum ejuſdem Hoſpitalis ſine cura exiſtente, minuſque collativa Eccleſia, ac omnibus, & ſingulis man-

Notæ.

manſionibus, aliiſque membris, & ędificiis ad uſum habitationis ab eodem Hoſpitali quomodolibet de-
pendentibus, eique annexis, in eorundem Fratrum, Oppidum prędictum, pro eorum dictęque
Provincię negotiis pertractandis pro tempore adeuntium, Hoſpitium jam convertendum a tunc exiſten-
tibus, dicti Hoſpitalis, illiuſque Eccleſię manſionum, membrorum, & ędificiorum prędictorum poſ-
ſeſſione per tunc exiſtentes Fratres prędictos adepta, eodemque Hoſpitali in eorum Hoſpitium converſo,
dictę Eccleſię, in divinis juxta laudabile dicti Ordinis inſtitutum deſervire, ac in ea Sanctiſſimę Eucha-
riſtię Sacramentum aſſervare, illudque Chriſti fidelibus excepto Paſchali tempore miniſtrare, defuncto-
rum corpora tumulare, Miſſas pręvia campanarum pulſatione, aliaque divina officia celebrare, &
Chriſtianę pietatis opera exercere conſueviſſent. Lite poſtea, & cauſa in partibus inter tunc exiſtentes
Rectorem dictę Parochialis Eccleſię, ac in eo Clericos, ſeu Preſbyteros perpetuos beneficiatos ex una,
& tunc exiſtentes Fratres prędictos ex altera partibus, coram Ordinario loci, & deinde coram aliis ea-
rundem partium judicibus competentibus, ac demum in Romana Curia, & in cauſarum Palatii Apoſto-
lici Auditorio ſuper pręmiſſis, & pręſertim ſuper eo quod dictum Hoſpitale in Hoſpitium ejuſmodi, nul-
la deſuper dicti Ordinarii loci ad id interveniente licentia, minuſque ſervata felicis recordationis Cle-
mentis VIII, Gregorii XV, & Urbani etiam VIII Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum
Conſtitutionum deſuper reſpective editarum, & Concilii Tridentini decretorum reſpective forma, con-
verſum, ſeu erectum, & inſtitutum fuerat, rebuſque aliis in actis cauſę, & cauſarum ejuſmodi latius
deductis introducta, proſequuta, ac demum per tres ſententias conformes ad tunc exiſtentis dictę Paro-
chialis Eccleſię Rectoris, & in ea beneficiatorum prędictorum favorem deſuper emanatas, & in rem ju-
dicatam tranſactas terminata, Fratres tunc exiſtentes prędicti in earundem ſententiarum exequutionem
a pręmiſſis omnibus, & ſingulis in dicta Eccleſia ulterius exequendis, & exercendis ſe ſe abſtinere, dic-
tę Eccleſię januas claudere, & ab eadem Eccleſia illius campanas amovere coacti fuerunt, proptereaque
dictum Hoſpitium velut in privatam Domum redactum extitit, & exiſtit de pręſenti. Cum autem, ſicut
accepimus, ad Oppidum prędictum in quo pro tempore exiſtentis Hiſpaniarum Regis reſidet aula, fre-
quens Ordinis, & Provincię prędictorum Fratrum pro eorum ibi diſcutiendis negotiis accedat conſue-
tudo, & abſonum ſit quod in tam inſigni Oppido ubi regalis aulę hujuſmodi per commendabilem ſecula-
rium morum honeſtatem refulget decor, & Religionis cultus, Fratres illuc pro tempore accedentes
prędicti in Hoſpitio hujuſmodi nullo ſepto, clauſura, & veluti in privata domo cum libero ſecularium
utriuſque ſexus perſonarum acceſſu, non ſine eorum regularis diſciplinę diſcrimine, animique dolore
commorari cogantur, Hoſpitium vero prędictum nunc, ut pręfertur, veluti in domum privatam re-
dactum manſionibus, aliiſque ędificiis pro futuro dicti Ordinis, per Nos ut infra erigendo Conventu
neceſſariis, opportuniſque refertum exiſtat, & in Eccleſia prędicta, quę eidem Hoſpitio contigua ei-
que proxima nec anguſta, minuſque rudis ſtructurę exiſtit, majus, & ſex alia Altaria ſacris utenſilibus
ad Miſſas etiam Conventuales celebrandas ſatis decenter ditata, & ornata, chorus pro divinis laudibus
Altiſſimo depromendis accommode inſtructus, & ſacriſtia cum ejus ſacra ſuppellectili locupletata repe-
riantur. Nos igitur ad majori ejuſdem Ordinis ſtabilitati in prędicto Oppido conſulendum, & ne illa
ulterioribus litium prematur incommodis, ſed ut Ordo ipſe cujus in dicto Oppido tres Conventus perpe-
tuo erecti, & inſtituti reperiuntur, pluribus in Oppido hujuſmodi abundans Stationibus ſemper gra-
tior, validiorque in pacis amęnitate effloreſcat coram Domino, prout ſincero exoptamus affectu, litis,
& cauſę prędictarum, & aliarum, ſi quę ſint, & deſuper quomodolibet exoriri poterunt in futurum,
ſtatum, & merita univerſa, nominaque, & cognomina judicum, & Collitigantium pręſentibus pro
plene expreſſis habentes, ac cauſam prędictam, quatenus opus ſit, ad Nos avocantes, litemque hujuſ-
modi ad infraſcriptorum effectum omnino, penituſque extinguentes, necnon dationem, & conceſſio-
nem Hoſpitalis, illiuſque Eccleſię ędificiorum, aliorumque annexorum membrorum, & dependentia-
rum prędictorum per tunc exiſtentes dicti Hoſpitalis Rectores tunc exiſtentibus Fratribus prędictis quo-
cunque cujuſvis alienationis titulo, ac quocunque deſuper forſan tunc ſoluto pretio quomodolibet factas,
Apoſtolica auctoritate perpetuo approbantes, & confirmantes, eiſque inviolabile Apoſtolicę firmitatis
robur adjicientes, necnon omnes, & ſingulos tam juris quam facti, aut aliarum quarumcunque circumſ-
tantiarum, & ſolemnitatum defectus ſi qui, & ſi quę tam ſuper datione, & conceſſione, quam dicti
Hoſpitalis erectione, ſeu fundatione prędictis quomodolibet reſpective intervenerint, ſeu interveniſſe
prętendantur, plenarie perinde ac ſi datio, & conceſſio, ac erectio, ſeu fundatio prędictę reſpective fac-
tę fuiſſent, ſupplentes, motu proprio non ad alicujus ſuper hoc nobis oblatę petitionis inſtantiam, ſed ex
certa ſcientia, meraque voluntate, & deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine,
Hoſpitium prędictum cum omnibus, & ſingulis illius ędificiis, ędibus, manſionibus, officinis, & hor-
tis in eo exiſtentibus quibuſcunque, pręvia ab eis cujuſcunque ſecularitatis, ſi qua ineſſe dignoſcatur,
ſeu prętendatur, ſtatus, & eſſentię abdicatione, ſuppreſſione, & extinctione in reliquum Regularem
dicti Ordinis in dicto Oppido Conventum cum omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, facultatibus
gratiarum, indulgentiarum largitionibus, immunitatibus, ac exemptionibus, quibus ceteri dicti
Ordinis Conventus de jure, ſtylo, & conſuetudine, ac participatione, aut alias quomodolibet nunc utun-
tur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt in futurum pro duodecim ſaltem nunc,
& pro tempore exiſtentibus Ordinis, & Provincię prędictorum Fratribus Ordinem ipſum expreſſe pro-
feſſis, qui in Conventu per pręſentes ut infra erigendo hujuſmodi, ac intra illius clauſtra, ſervata re-
gulari eorum diſciplina, una cum uno ex eis futuro eorum Priore ab ejuſdem Ordinis Fratribus canonice
pro tempore eligendo, qui eos, necnon Conventum per pręſentes ut infra erigendum, juxta dicti Ordinis
Leges, & Conſtitutiones per debitas eorum regularis diſciplinę ſemitas, regere, dirigere, corrigere,
& gubernare, eiſque pręeſſe debeat, vivere, & qui ex Conventus per pręſentes ut infra erigendi hu-
juſmodi annuis redditibus ſeu eleemoſynis, ſi quos, aut ſi quas habeat eorum alimonię, & manutentioni
ſufficientes, ſin minus, ac donec Conventus per pręſentes erigendus hujuſmodi ex redditibus, &

elee-

eleemoſynis prędictis habuerit, unde congruę alimonię, & manutentioni prędictis conſulere valeat, ex aliorum Provincię prędictę Conventuum juxta providam ab ejuſdem Provincię Provincialibus Superioribus deſuper pro rata redditiuum, ſeu Eleemoſynarum deficientiam hujuſmodi, faciendam ſervandamque diſtributionem, ac alias quoad illorum numerum alimoniam, & manutentionem hujuſmodi juxta Conſtitutionum, & Decretorum Apoſtolicorum alias deſuper editorum formam, & tenorem, ali, & manuteneri debeant, necnon ſine cura, minuſque collativam exiſtentem Eccleſiam prędictam, abdicata pariter ab ea quacunque ejus ſecularitate, in regularem dicti Ordinis Eccleſiam, cum omnibus quoque, & ſingulis libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, indultis, Indulgentiis, gratiis, pręeminentiis, antelationibus, quibus reliquę dicti Ordinis regulares Eccleſię nunc quomodolibet fruuntur, utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poterunt in futurum, ita quod liceat Fratribus dicti Ordinis pro tempore exiſtentibus prędictis illam, illaſque januas publice aperire, Campanas denuo apponere, ac pulſare, & in ea Miſſas etiam Conventuales, aliaque Divina Officia celebrare, Sacramentales Chriſti fidelium Confeſſiones audire, Venerabile Sanctiſſimę Euchariſtię Sacramentum decenter aſſervare, illudque eiſdem Criſti fidelibus ſingulis Anni, non tamen Paſchalitiis, temporibus, & diebus miniſtrare, Conciones habere, defunctorum cadavera ſepelire, B. Marię Virginis Roſarium recitare, Divinas Laudes nocte, & die aſſidue choraliter decantare, aliaque Chriſtianę Pietatis opera, & Functiones Eccleſiaſticas juxta eorum Ordinis laudabile Inſtitutum, & quę Religioſa eorum caritas ad promovendam ęternam proximorum ſalutem ſibi ſuaſerit exercenda, exercere, cujuſvis licentia deſuper minime requiſita, ſine tamen prejudicio Jurium Parochialium dictę Parochialis Eccleſię, illiuſque nunc, & pro tempore exiſtentis Rectoris, Apoſtolica Auctoritate perpetuo erigimus, & inſtituimus, decernentes eaſdem pręſentes etiam ex eo quod dilecti filii moderni dictę Parochialis Eccleſię illiuſque nunc, & pro tempore exiſtentes Rector, ac Beneficiati in ea exiſtentes prędicti, Ordinarius loci, Regulares cujuſcunque Ordinis, Societatis vel Inſtituti, vel quicunque alii in pręmiſſis quomodolibet intereſſe habentes, ſeu habere pretendentes, vel alii ad quos forſan ſpectat, & pertinet, ſeu pro tempore ſpectabit, & pertinebit, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, neque pręmiſſis conſenſerint, imo forſan illis contradicturi ſint, ſeu quibuſvis aliis quantumvis juſtis, juſtiſſimis, & rationabilibus cauſis de nullitatis vitio, aut intentionis noſtrę, vel quopiam alio defectu cogitato, vel inexcogitato notari, impugnari, retractari, annullari, in jus vel controverſiam revocari, aut adverſus eas, quodcunque juris vel facti, aut gratię remedium impetrari, vel ſub quibuſcunque Conſtitutionibus, & Literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum etiam motu pari, & conſiſtorialiter emanatis, vel emanandis, aut quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, nullatenus unquam comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illę emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum, ac eum in quo ante permiſſa quomodolibet erant, ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam ſub quacunque poſteriori data per pro tempore exiſtentes dicti Conventus per Nos, ut pręfertur, erecti Priorem, & Fratres eligenda, conceſſas, ſemper, & perpetuo validas, & efficaces eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter, & inviolabiliter obſervari; ſicque, & non alias per quoſcunque Judices ordinarios, vel delegatos etiam cauſarum Palatii prędicti Auditores, ac Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vicelegatos, ac Sedis Apoſtolicę Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in qualibet inſtantia judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis noſtro, & dictę Sedis Nuncio in Regnis Hiſpaniarum pro tempore commoranti, ac cauſarum Curię Camerę Apoſtolicę Generali Auditori, per Apoſtolica ſcripta motu proprio ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, quando & quoties pro parte pro tempore exiſtentium Fratrum Conventus per Nos, ut pręfertur, erecti hujuſmodi, ſeu pro eis agentium requiſiti fuerint, eaſdem pręſentes, & in ea contenta quęcunque, ubi, quando, & quoties opus fuerit, faciant integraliter ac inviolabiliter obſervari, non permittentes Priorem, & Fratres dicti Conventus per Nos, ut pręfertur, erecti, vel pro eis agentes pro tempore exiſtentes prędictos deſuper quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, aut inquietari, contradictores, & rebelles quoslibet per Cenſuras Eccleſiaſticas, aliaque Juris, & Facti remedia compeſcendo, invocato etiam, ſi opus fuerit, Brachii ſecularis auxilio, non obſtan. noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę clauſula de Jure quęſito non tollendo, ac ejuſdem recordationis Bonifatii ſimiliter Papę Octavi etiam Prędeceſſoris noſtri quatenus opus ſit de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo aliquis extra ſuam Civitatem, & Diœceſim ultra tres dietas ad Judicium non trahatur, necnon prędictis Clementis, Gregorii, & Urbani Prędeceſſorum noſtrorum prędictorum, necnon pię memorię Innocentii PP. X ſimiliter Prędeceſſoris noſtri deſuper edita, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis prędicti, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis illi, illiuſque Superioribus, aliiſque Perſonis etiam derogatoriarum derogatoriis, efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis in contrarium pręmiſſorum forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, & confirmatis ac innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecifica, & expreſſa ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda foret, latiſſime, & pleniſſime, ac ſpecialiter, & expreſſe hac vice duntaxat harum ſerie motu pari derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrę approbationis, confirmationis, roboris adjectionis, defectuum ſuppletionis, erectionis, inſtitutionis, Decreti, Mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum

ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Septingenteſimo Vigeſimo quinto, Nonis (2) Septembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Viſa de Curia. J. Archiepiſcopus Ancyranus.

P. Card. Prodatarius.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum, & aliud typis impreſſum. Legitur in *Actis Capituli Generalis MDCCXXV pag.68.*

2. *Nonis.*) Sic in exemplari, *Romanis* typis impreſſo, & in Actis Capituli Generalis; in authentico autem manuſcripto legitur: *Quarto Idus Septembris.*

Anno 1725 Die 13 Septembris.

Indultum canendi Matutinum, & Miſſam ſolemnem Nativitatis D. N. J. C. ante mediam noctem Fratribus Veneti Conventus SS. Johannis & Pauli conceſſum.

XXXVI.

Ex Archivo (1) Ordinis.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum Conventus SS. Johannis, & Pauli Civitatis Venetiarum, Nobis nuper exponi fecerunt, Eccleſia dicti Conventus, ſtructura, ſitus nobilitate, panitiarum numeroſo concurſu, aliiſque prerogativis prefulgeat, & a populo frequentetur, ipſi exponentes facultatem canendi Matutinum, & Miſſam ſolemnem Nativitatis D. N. J. C. ante mediam noctem, adinſtar indulti, quo Fratres Minores Conventuales, Eremitę S. Auguſtini, & B. Marię de Monte Carmelo reſpective Ordinum ejuſdem Civitatis gaudent, ſibi a Nobis concedi plurimum deſiderant. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur: Nos igitur animo recolentes; quod in minoribus conſtituti, dum in Ordine prędicto verſabamur, Conventualitate in dicto Conventu poſiti fuimus, ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum conſilio, & attenta relatione venerabilis Fratris Patriarchę Venetiarum ſuper pręmiſſis ad eoſdem Cardinales tranſmiſſa, petitum indultum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII Septembris MDCCXXV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Nota.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Veneto*. Legitur in *Actis Capituli Generalis MDCCXXV pag.78.*

Anno 1725 Die 15 Septembris.

Suppreſſio Congregationis Adminiſtratorum Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii Civitatis Cæſenaten., & applicatio ejus mobilium, ac ornamentorum ſacrorum, una cum Oratorio, Eccleſiæ Conventus Ordinis Prædicatorum ejuſdem Civitatis.

XXXVII.

Ex Archivo (1) Ordinis.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm Nos nuper inter alia Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii Civitatis noſtrę Cęſenaten. omnes annuos fructus, redditus, & proventus cujuſcunque quantitatis, ſpeciei, & valoris exiſterent, Seminario Eccleſiaſtico ejuſdem Civitatis ſub certis modo, & forma tunc expreſſis applicaverimus, & aſſignaverimus, prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die XXX Menſis Maii proxime pręteriti expeditis literis, quarum tenorem pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus, uberius continetur. Nunc autem Nos rationabilibus cauſis Nobis notis adducti, Motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, dictam Confraternitatem Sanctiſſimi Roſarii in Eccleſia Conventus Ordinis Fratrum

Prę-

Prędicatorum dictę Civitatis canonice, ut aſſeritur, erectam, necnon quamcunque pręeminentiam, & jus, quę Confratribus memoratę Confraternitatis in ejuſmodi Eccleſia quomodolibet competere potuerint, una cum titulo, eſſentia, & denominatione, tenore pręſentium perpetuo extinguimus, ſupprimimus, & abolemus. Ac univerſa pręfatę Confraternitatis mobilia, & ornamenta ſacra, Eccleſię, & Capellę Sanctiſſimi Roſarii hujuſmodi, una cum Oratorio, quod eſt de directo dominio prędicti Conventus, & cui annuus canon in conceſſione fundi jamdudum a Fratribus prędicti Conventus facta cum pactis expreſſis in illa appoſitis reſervatus fuit, harum ſerie perpetuo applicamus, & incorporamus. Decernentes eaſdem pręſentes literas, etiam ex eo, quod pręfatę Confraternitatis Officiales, & Confratres, & ceteri quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet pretendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, neque cauſę, propter quas pręſentes emanarunt, adductę, verificatę, aut juſtificatę ullatenus fuerint, ullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & ſubſtantiali, ſive etiam ex eo quod in eiſdem pręmiſſis, ſolemnitates, & quęvis alia ſervanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta non fuerint, vel ex quocunque alio capite a jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, etiam in corpore juris clauſo, ſive etiam enormis, enormiſſimę, & totalis lęſionis, & quovis alio pretextu, occaſione, vel cauſa, etiam quantumvis juſta, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quę ad effectum validitatis pręmiſſorum neceſſario exprimenda foret, notari, & impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, vel ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, vel aliud quodcunque juris, facti, vel gratię remedium impetrari, ſeu quomodolibet conceſſo, aut impetrato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe, ſed ipſas pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apoſtolicę Sedis Nuncios, alioſque quoslibet quacunque pręeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabili Fratri moderno, & pro tempore exiſtenti, Epiſcopo Cęſenatenſi per pręſentes Motu pari committimus, & mandamus, quatenus ipſe per ſe, vel alium, ſeu alios, pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, ſolemniter publicans, dictiſque Fratribus in eiſdem pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtens, faciat auctoritate noſtra Fratres Conventus pręfati pręſentium literarum, & in eis contentorum hujuſmodi, commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittens illos deſuper a quoquam, quavis auctoritate quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pęnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pręmiſſis, & quatenus opus ſit, de jure quęſito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in ſuppreſſionibus, unionibus, ſeu applicationibus, illiſque committendis ad partes, vocatis quorum intereſt, & aliis noſtris, & Cancellarię Apoſtolicę regulis, necnon Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus a jure permiſſis prohiben., aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus Conciliis, editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac omnibus, & ſingulis illis, quę in prędictis literis voluimus non obſtare, necnon prędictę Confraternitatis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XV Septembris MDCCXXV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXV*. Legitur in *Actis Capituli Generalis MDCC XXV pag. 79.*

De quibuſdam feſtis a Fratribus Ordinis Prædicatorum celebrandis.

Anno 1725 Die 27 Septembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

ORDINIS PRÆDICATORUM.

XXXVIII.

SAnctiſſimus D. N. Benedictus XIII ad enixas, humillimaſque preces P. Thomę Ripoll Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum Sanctitati Suę porrectas, benigne indulſit, ut in univerſo pręfato Ordine in poſterum poſſint celebrari, & in Breviario, ac Miſſali ejuſdem Ordinis addi, & apponi Officia, & Miſſę Feſtivitatum B. M. V. ſub ritu toto duplici ſequentium, videlicet - Die XI Februarii, Deſponſationis B. M. V. cum Sancto Joſepho - Feria VI poſt Dominicam Paſſionis, Compaſſionis, ſeu Septem Dolo-

Dolorum · Die XVIII Julii, Commemorationis de Monte Carmelo - Dominica Secunda Novembris, Patrocinii, - Et die XVIII Decembris, Expectationis Partus: Et pro dictis feſtis aſſumantur Officia, & Miſſę, quę in Breviario Ordinis approbata ſunt pro Regnis Hiſpaniarum, cum Orationibus pro Feſto Patrocinii jam a Sac. Rituum Congregatione approbatis pro Monachis Ciſtercienſibus. Item quod poſſint celebrari, Feſtum S. Thomę a Villanova Epiſcopi, & Conf. deſumptis Officio, & Miſſa a Breviario, & Miſſali Romano ſub ritu duplici die XXV Septembris: Et Commemoratio SS Martyrum, & aliorum Sanctorum, quorum Corpora, vel Reliquię in Eccleſiis dicti Ordinis aſſervantur ſub ritu toto duplici die XXX Octobris cum Officio, & Miſſa jam a Sac. Rituum Congregatione approbatis pro aliis Religionibus - Item quod Feſtum S. Franciſci Conf. Ordinis Minorum Fundatoris, celebretur cum Octava ſimplici, deſumptis lectionibus pro ea ex Breviario dicti Ordinis Minorum, & Feſtum S. Catharinę V. & M. celebretur etiam cum Octava ſimplici, deſumptis lectionibus de Sermone S. Petri Damiani, quę appoſitę erant in Breviario Ordinis Prędicatorum, quando dictum Feſtum celebrabatur cum Octava ſolemni - Item quod pro Feſto S. Philippi Nerii dicatur Miſſa propria quę in Miſſali Romano - Et in feſto S. Ludovici Bertrandi dicatur Evangelium ſecundum Marcum: Euntes in Mundum Univerſum &c. ſicut in Feſto S. Franciſci Xaverii - Item quod poſſint celebrari Officia, & Miſſę illorum Sanctorum, de quibus in aliquo Regno, Provincia, vel Civitate ex conceſſione Apoſtolica ſpeciali, vel ex approbata conſuetudine univerſim ab omnibus tam ſecularibus, quam Regularibus Officium cum Miſſa celebratur, ſub eo tamen Ritu, & forma juxta Rubricas Breviarii dicti Ordinis. Die XXVII Septembris MDCCXXV.

F. Card. Paulutius Pręf.

Loco ✝ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Congr. Secr.

1. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ*, typis R. Cameræ Apoſtolicæ *MDCCXXV.* Legitur in *Actis Capituli Generalis MDCCXXV pag.* 83.

Anno 1725 Die 15 Decembris.

De celebranda Miſsa in vigilia Nativitatis D. N. J. C. ante mediam noctem.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Venerabili Fratri Patriarchę Venetiarum.

XXXIX.

BENEDICTUS PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut dilecti filii Fratres Conventus S. Dominici de Caſtello nuncupat. Ordinis Prędicatorum Civitatis Venetiarum Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi facultatem peragendi in eorum Eccleſia functiones Eccleſiaſticas, & celebrandi Miſſam in vigilia Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ante mediam noctem, ſibi a Nobis concedi plurimum deſiderent quemadmodum Fratribus Conventus SS. Johannis, & Pauli eorundem Civitatis, & Ordinis, a Nobis nuper indultum fuit. Nos, ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum prędentium duntaxat conſequendum. harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati tuę per prędentes committimus, & mandamus, ut eiſdem exponentibus petitam licentiam, auctoritate noſtra Apoſtolica, arbitrio concedas: Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Decembris MDCCXXV, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Cardinalis Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar, & ſequens Inſtrumentum.

Die Sabbati Vigeſima ſecunda menſis Decembris MDCCXXV in Curia Patriarchali Venetiarum:

Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D.D. Marcus Gradonico, Miſericordia Divina Patriarcha Venetiarum, Dalmatiæque Primas, & ad infraſcripta executor Apoſtolicus, vigore facultatis Dominationis Suæ Illuſtriſſimæ, & Reverendiſſimæ. ut ſupra, attributæ, & impartitæ, ſumptis opportunis, ac neceſſariis informationibus, conſtitoque de veritate narratorum, conceſſit, & indulſit, ut in Eccleſia S. Dominici de Caſtello Ordinis Prædicatorum, hujus Urbis, in Vigilia Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ante mediam noctem Miſſa ſolemnis celebrari poſſit, non obſtantibus, & ſic &c.

Marcus Patriarcha Venetiarum.

Marcus Dominoni J.U.D. Cancellarius Patriarchalis, de mandato.

Cra-

Anno 1726 Die 15 Januarii.

XL.

Cracovienſes Fratres ab hybernali contributione liberi (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

NUper a Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium immunitatis eccleſiaſticę, & controverſiis juriſdictionalibus propoſita ad favorem dilectorum filiorum Fratrum Conventus SS. Trinitatis Ordinis Prędicatorum Civitatis Cracovienſis, emanavit decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet: Cracovien. Cum pro parte PP. Conventus SS. Trinitatis Ordinis Prędicatorum Civitatis Cracovienſis fuerit humiliter ſupplicatum SS. Domino Noſtro, quatenus ſuprema ejus auctoritate ſancire, ac declarare dignaretur, quod omnia bona per ſupradictos Patres jure Terreſtri Nobilium poſſeſſa ſint exempta, ac immunia a ſolutione contributionis Hybernalis. Placuit Sanctitati Suę hujuſmodi preces ad hanc Sacram Congregationem immunitatis Eccleſiaſticę, ac controverſiis juriſdictionalibus prępoſitam remittere, quę exquiſita prius de more informatione tam Reverendiſſimi D. Nuncii Apoſtolici, quam Reverendiſſimi Epiſcopi Cracovienſis, ac utraque relatione adventa monuit ſubinde Procuratores tam pręfatorum Patrum, quam Fiſcalis Curię Epiſcopalis, ac Canonici Dominici Lochman Commiſſarii, ſeu Exactoris ab eodem Reverendiſſimo Epiſcopo deputati hujuſmodi contributionis Hybernalis, ut jura ſua deducerent pro die vigeſima Novembris proxime elapſi, ſed ſupplicantibus memoratis Fiſcali ejuſdem Curię Epiſcopalis, ac Commiſſario eidem SS. Domino Noſtro pro dilatione, obtinuere per Sanctitatem Suam differri propoſitionem hujuſmodi cauſę uſque ad diem undecimam labentis menſis Decembris, in qua aſſumpto formali examine controverſię, ac ſedulo rimatis, nedum iis, quę utraque relatione Reverendiſſimorum ſcilicet Nuncii Apoſtolici, ac Epiſcopi continebantur, verum etiam iis, quę fuſo calamo a defenſoribus utriuſque Partis deducta ſunt, Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi PP. ejuſdem Sacrę Congregationis unanimiter, ac concorditer cenſuerunt: Bona PP. Ordinis Prędicatorum, de quibus agitur, non teneri ad prętenſam contributionem Hybernalem, & ad D. Nuncium pro executione. In quorum fidem &c. Datum &c. Romę hac die XIX Decembris MDCCXXV. F. Cardinalis Paulutius. Cum autem, ſicut dicti Fratres Nobis ſubinde exponi fecerunt, ipſi decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri ſummopere deſiderent. Nos ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum pręinſertum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate memoratę Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac dictis exponentibus in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Januarii MDCCXXVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Loco ✝ Annuli Piſcatoris.

F. Card. Oliverius.

1. *Liberi.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXVI.*

Anno 1726 Die 19 Januarii.

XLI.

Indulgentia (1) pro Fratribus, Monialibus, ac Tertiariis Ordinis Prædicatorum, ac Confratribus, & Consororibus SS. Roſarii orationi mentali vacantibus.

Ex Archivo (2) Ordinis.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

AD ea, per quę animarum Chriſti fidelium ſalus procuratur, libenter intendimus, & eorundem Chriſti fidelium devotionem, ut ſpiritualibus exercitiis ferventius incumbant, cęleſtium munerum elargitione libenter fovemus, & incitamus. Itaque de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri,

Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Fratribus, & Monialibus Ordinis Prędicatorum, ac Tertiariis de Militia Chriſti ſeu de pęnitentia nuncupatis, & aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus Confratribus, & Conſororibus Confraternitatum Beatę Marię Virginis de Roſario, & Sanctiſſimi nominis Jeſu, tam hactenus in Eccleſiis ejuſdem Ordinis canonice erectarum, quam in poſterum ubilibet erigendarum, qui per quadrantem horę orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies, qui per duos quadrantes continuatos, ſeptem annos de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pęnitentiis, in forma Eccleſię conſueta relaxamus, iis vero, qui devotioni hujuſmodi per duos quadrantes continuatos, vel ſaltem per quadrantem horę ſingulis diebus, & per totum menſem dabunt operam, & vere pęnitentes, & confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſumpſerint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſemel quolibet menſe omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, quam per modum ſuffragii animabus Chriſti fidelium, quę Deo in caritate conjunctę ab hac luce migraverint, applicare poſſint, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper, quod dicti Fratres, & Moniales pro oratione mentali, ad quam ratione eorum Regulę, & Conſtitutionum quolibet die tenentur, prędictas omnes Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pęnitentiarum relaxationes proportionabiliter lucrari, & conſequi poſſint, & valeant, auctoritate, & tenore pręſentium, indulgemus. In contrarium facien. non obſtan. quibuſcunque, pręſentibus ad ſeptennium tantum valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium, aliquid minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint, quodque pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIX Januarii MDCCXXVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Card Oliverius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo autographum.

Anno 1726 Die 19 Januarii.

XLII.

Indulgentia (1) pro XV feriis tertiis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

BENEDICTUS PP. XIII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, in diverſis Orbis Chriſtiani partibus, pia erga S. Dominicum Ordinis Fratrum Prędicatorum Fundatorem, & Roſarii Beatę Marię Virginis auctorem, devotio introducta fuerit, prout de pręſenti etiam viget, qua permulti Chriſti fideles tertiis feriis quindecim hebdomadarum in anno peccata ſua confiteri, ac Sacroſanctum Euchariſtię Sacramentum ſumere, necnon ipſa tertia feria, aut die illam immediate antecedente jejunare conſueverunt, Nos, ut de cetero pium opus hujuſmodi fructuoſius peragatur, & ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, qui de cetero vere pęnitentes, & confeſſi in aliqua dicti Ordinis Eccleſia, una ex prædictis feriis tertiis, per eos ad ſui libitum eligenda, Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum devote ſumpſerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam ſemel in anno omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero feriis tertiis hujuſmodi, eiſdem Chriſti fidelibus etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis in Eccleſia prędicta, & ibidem orantibus, ut pręfertur, qua feria prędictarum id egerint, centum dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus; Pręſentibus ad ſeptennium, quoad Indias vero ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint, utque pręſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIX Januarii MDCCXXVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXVI.*

In-

Indulgentia (1) pro feſto omnium Sanctorum Ordinis Prædicatorum.

Anno 1726 Die 24 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

BENEDICTUS PP. XIII.

XLIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ALias felicis recordationis Clemens PP. XI Prędeceſſor noſter ſupplicationibus quondam Antonini Cloche, dum vixit, Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum, & Monialium Ordinis S. Dominici ubique locorum exiſtentibus, die Nona Novembris, qua ſolemnitas, ſeu commemoratio omnium dicti Ordinis Sanctorum ex indulto Sedis Apoſtolicę celebrari ſolet, a primis veſperis uſque ad occaſum Solis diei hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effudiſſent, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino conceſſit, prout in ejuſdem Clementis Prędeceſſoris deſuper in ſimili forma Brevis, die XII Decembris MDCCXVI expeditis literis, quas ad decennium tantum valere voluit, ulterius continetur. Nunc autem Nos, dum Cardinalatus honore fungebamur, memores, Indulgentiam hujuſmodi pro prima vice a felicis memorię Clemente PP. X Prędeceſſore pariter noſtro, tunc ad vigintiquinque annos pro omnibus Eccleſiis ſupradictis obtinuiſſe, precibus dilecti filii Thomę Ripoll Magiſtri Generalis Ordinis prędicti Nobis humiliter porrectis, uberiori paternę caritatis benignitate annuentes, conceſſionem ab eodem Clemente XI Prędeceſſore, per literas prędictas ad decennium tantum factam, ut prefertur, ipſaſque literas, ſervata tamen ceteroqui illarum forma, & diſpoſitione, in perpetuum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, extendimus, & ampliamus, ac perpetuis futuris temporibus valere volumus, & decernimus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Volumus etiam, ut pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIV Januarii MDCCXXVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo lit. I.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria Romæ typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXVI.*

Indulgentia (1) pro ſeptem feriis ſextis præcedentibus feſtum S. Vincentii (2) Ferrerii.

Anno 1726 Die 6 Februarii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

BENEDICTUS PP. XIII.

XLIV.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, in Eccleſiis Fratrum Ordinis Prędicatorum, pia erga Sanctum Vincentium Ferrerium, pręſertim in ſeptem feriis ſextis ejuſdem Sancti feſtum immediate precedentibus devotio introducta fuerit, prout de pręſenti etiam viget. Nos ad eam confovendam, & augendam fidelium religionem, ac animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis dicti Ordinis in una ex prędictis feriis ſextis per eos ad ſui libitum eligenda devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſemel in anno omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero feriis ſextis hujuſmodi eiſdem Chriſti fidelibus vere pariter pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis aliquam ex prędictis Eccleſiis, ut ſupra viſitantibus, & ibidem orantibus, qua feria prędictarum id egerint ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus; Pręſentibus ad ſeptennium tantum valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint, quodque pręſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI Februarii MDCCXXVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Vincentii.*) De quo in Notis ad Conſtitutionem *IV Pii II*. Legitur *Tomo III hujuſce Bullarii pag.* 379.

3. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXVI.*

Anno 1726 Die 8 Februarii.

Quæ de Fratribus ex Congregatione S. Sabinæ ad Lombardiæ Provinciam redeuntibus ſancita ſunt, ad ceteras Italiæ Congregationes extendit.

XLV.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ALias Nos Provincię Lombardię Ordinis Fratrum Prędicatorum levamini, & indemnitati conſulere, necnon Congregationis Sanctę Sabinę nuncupatę ejuſdem Ordinis ex diverſis dictę Provincię Lombardię Conventibus auctoritate Apoſtolica inſtitutę, religioſę tranquillitati proſpicere volentes ſtatuimus, & ordinavimus, quod ſi deinceps per Vicarium Generalem ipſius Congregationis Sanctę Sabinę dimitteretur aliquis Frater, qui e Provincia Lombardię prędicta, ejuſve Conventibus in eandem Congregationem veniſſet, ac ſuſceptus in ea fuiſſet, tunc Prior Provincialis dictę Provincię Lombardię illum recipere, & in primęvo ſuę adfiliationis, aliove ejuſdem Provincię Conventu collocare, necnon de tali collocatione Vicarium Generalem prędictum certiorare teneretur, niſi tamen ageretur de dimiſſione Fratris in prędicta Congregatione recepti, qui ob crimina, durante ſua permanentia in ejuſmodi Congregatione, commiſſa, carceribus mancipatus, vel de eis inquiſitus, aut habituali, gravique mentis, aut corporis infirmitate in eadem Congregatione contracta correptus reperiretur, quo caſu iſtiuſmodi Fratrem niſi poſt finitam cauſam adverſus eum inſtructam per ejus abſolutionem ex capite innocentię, vel pęnę illi injunctę implementum, aut ſanitatem receptam reſpective remitti non poſſe decrevimus. Quo vero ad Fratres, qui habitum in ſupradicta Congregatione ſuſcepiſſent, Vicarius Generalis eis ab ipſa Congregatione abeundi licentiam concedere, illoſque dimittere nequiret, niſi prius de invento benevolo receptore in aliquo Conventu cujuſvis Provincię prędicti Ordinis Fratrum Prędicatorum legitime docuiſſet, ac hoc modo, & cum iſto diſcrimine de cetero in prędictis procedendum eſſe declaravimus, & pręcepimus, & alias prout in noſtris in ſimili forma Brevis die V Maii anni proxime pręteriti expeditis literis uberius continetur. Cum autem, ſicut dilectus filius Dominicus Ponſi Sacrę Theologię Magiſter, ac Provincię Romanę Ordinis prędicti Exprior Provincialis, necnon Magiſtri Generalis totius Ordinis pro Provinciis Italię Socius, Nobis nuper exponi fecit, binę alię Congregationes, una ſcilicet Sancti Marci, & altera Beati Jacobi Veneti ex nonnullis Provinciarum Romanę, & Venetę reſpective Conventibus ejuſdem Ordinis ad inſtar ſupradictę Congregationis Sanctę Sabinę ſimili auctoritate Apoſtolica erectę, vel approbatę reperiantur, ipſe vero Dominicus prędictas literas noſtras, ac in eis ſuper dimiſſione Faatrum e dicta Congregatione Sanctę Sabinę diſpoſita ad binas Congregationes, ac Provincias prędictas extendi, ac in eis deinceps ſervari plurimum deſideret. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in prędictis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Dominicum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, necnon dictarum literarum noſtrarum tenorem, & alia quęcunque etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſupradictas noſtras literas, ac diſpoſitiones, & ordinationes circa Fratrum e memorata Congregatione Sanctę Sabinę dimiſſionem, eorumque in aliis Conventibus dicti Ordinis collocationem in ipſis factas, ad Congregationes Sancti Marci, & Beati Jacobi Veneti, ac Romanam, & Venetam Provincias prędictas, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, extendimus, & ampliamus. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, Sicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, Congregationum, ac Provinciarum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, atque omnibus, & ſingulis, quę in noſtris literis prędictis voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VIII Februarii MDCCXXVI, Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

F. Cardinalis Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXVI*.

Facul-

Facultas tranſitus (1) ad alios Ordines concedendi, reſervatur uni Summo Pontifici. Anno 1726 Die 13 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. XLVI.

Licet ſacra Tridentina Synodus, ut integritati diſciplinę regularium proſpiceret, provido conſilio ſtatuerit, neminem cujuſcunque Ordinis Prelatum, vel Superiorem vigore cujuſvis facultatis aliquem ad habitum, & profeſſionem admittere poſſe, niſi ut in Ordine ipſo ad quem transfertur, ſub ſui Superioris obedientia in clauſtro perpetuo maneat, & licet Pius Papa V prędeceſſor noſter Conſtitutionem ediderit, qua omnia privilegia abrogavit, quibuſcunque Ordinibus, Monaſteriis, hoſpitalibus, & locis piis olim conceſſa excipiendi, & retinendi Fratres, Monachos, Canonicos, alioſque quamvis in Ordine mitiori profeſſos; prohibendo, ne illi in poſterum ad habitum, & profeſſionem regularem admitterentur, etiamſi perpetuo manere, & vivere deberent in clauſtro; nihilominus viri pietate, & prudentia conſpicui Nobis expoſuerunt, ſe longa experientia didiciſſe, Noſque ipſi, qui Deo favente, hac ipſa die regulare inſtitutum Ordinis Prędicatorum in adoleſcentia profeſſi fuimus, & adhuc profitemur, ſępe longo uſu cognovimus, prędictas ſanctiones, & cautelas pro recta Ordinum regularium diſciplina adverſus calliditatem, & malitiam hominum tuenda parum ſufficere. Siquidem compluries contigit, & in dies contingere videmus, quoſpiam, Ordinis regularis, & clauſtralis inſtitutum profeſſos, deinde poſtquam illud apoſtaſia deſeruerunt, vel etiam aliquando ſine apoſtaſia peculiares ob cauſas, ejuſmodi tranſitus facultatem poſtulare, & impetrare conſueviſſe a propriis Superioribus, ſe privilegium ſubditis ſuis regularibus eundem tranſitum ad alias religiones concedendi, habere jactantibus; vel ejuſmodi facultatem ſibi dari procurare a S.R.E. Cardinalibus Legatis, vel ab ejuſdem Eccleſię Cardinali Majori Pęnitentiario, & non raro a noſtrę Civitatis Avenionenſis Vicelegato, vel ab alterutra ex Congregationibus ven. Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium prępoſita, & Sacri Concilii Tridentini interpretum. Quę facultas tranſeundi ad profitendam Regulam alterius Religionis, in qua nulla vigeat clauſtralis, & regularis obſervantia, vel in aliam Religionem Hoſpitalariam, aut militarem, vel hoſpitalariam ſimul, & militarem, ubi etiam vigeat clauſtralis, & regularis obſervantia, compluribus decretis earundem Congregationum, & optimo ſtatui ordinum regularium maxime opponitur. Quare pręcipua ſollicitudo noſtra erga omnes Regularium familias, quas veluti acies caſtrorum, ad excubias militantis Eccleſię ordinatas, magno, & vere paterno amore complectimur, Nos monet, ut pręſenti conſtitutione, in ſuo pleno robore, & vigore perpetuis temporibus duratura, integriori eorundem Regularium diſciplinę providentes prędictam corruptelam evellere ſtudeamus. Itaque omnibus, & ſingulis Regularibus, in quocunque regulari, & clauſtrali Ordine profeſſis, tranſitum ad quemcunque alium Ordinem, in quo clauſtralis, & regularis obſervantia non vigeat, poſt maturam hac de re habitam deliberationem, motu proprio, & ex certa ſcientia omnino prohibemus. Tranſitum etiam ad quemcunque Ordinem hoſpitalarium, vel militarem, vel hoſpitalarium ſimul, & militarem, etiamſi in hujuſmodi Ordinibus clauſtralis, & regularis obſervantia vigeret, ac etiamſi ageretur de apoſtata, vel non apoſtata a primęvo ſuo Ordine ad ejuſmodi alium tranſire volente, pari modo prohibemus. Inſuper quibuſcunque Superioribus Regularium, S.R.E. Cardinalibus Legatis, ejuſdem R. E. Cardinali Majori Pęnitentiario, Nunciis Apoſtolicę Sedis, Vicelegato Avenionenſi, utrique Congregationi Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium prępoſitę, ſacrique Concilii Tridentini Interpretum, per pręſentes tollimus, revocamus, & abrogamus quęcunque privilegia, auctoritates, facultates, & conſuetudines, ejuſmodi tranſitum concedendi cuicunque regulari clauſtrali, apoſtatę, vel non apoſtatę, quacunque de cauſa, quamvis etiam accedat conſenſus tam Superioris, in cujus Ordine antea profeſſus fuerit, quam alterius ſuperioris, in cujus Ordine novam profeſſionem emittere voluerit. Nobis autem noſtriſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus pro tempore extituris ſimiles conceſſiones penitus reſervamus, itaut in poſterum S. R. E. Cardinales Legati, ejuſdem R. E. Cardinalis major Pęnitentiarius, Nuncii Apoſtolicę Sedis, Vicelegatus Avenionenſis, prędictęque Congregationes in examine libellorum ſupplicum, hujuſmodi tranſitus poſtulantium hac de re nihil omnino decernere poſſint, niſi noſtro, vel Romani Pontificis pro tempore extituri ſpeciali reſcripto, ejuſmodi libelli ſupplices ad illos remiſſi fuerint: quo reſcripto etiam obtento, nihilominus tranſitus facultatem, etiamſi ſi cauſę ejus concedendi ſummę viderentur, nullo modo concedere valeant, niſi poſtquam Nobis, & pro tempore extituro Romano Pontifici, totius rei diſtincta, & accurata relatio facta fuerit, & poſtquam a Nobis ipſis, vel a Romano Pontifice pro tempore extituro earundem cauſarum pondus approbatum, & tranſitus facultas conceſſa fuerint. Eiſdem vero pręſentibus literis noſtris quoſcunque tranſitus, non obſervato ad unguem harum tenore, in poſterum faciendos, nullos, & invalidos fore, & eſſe declaramus; Ordinariis locorum concedentes, vel ad illos extendentes eandem facultatem procedendi in eos, qui deinceps, pręſenti conſtitutione non obſervata, ad alium Ordinem tranſire auſi fuerint, quam Tridentina Synodus Ordinariis conceſſit in regulares extra Monaſteria vagantes, & crimina committentes. Decernimus quoque pręſentes de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtrę, vel quovis alio defectu notari, ſeu impugnari, aut quacunque ratione, tanquam fortaſſe contra alias Apoſtolicas, canonicaſque ſanctiones, jam pridem uſu receptas, facientes, aut quovis alio quęſito colore, in jus & controverſiam vocari, aut invalidari, ac ad terminos juris reduci, non poſſe, ſed ſemper validas, efficaces, ac perpetuo duraturas; ſicque in pręmiſſis univerſis, & ſingulis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, ac S. R. E. Cardinales,

Nota.

etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apoſtolicę Nuncios, ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi, & definiendi facultate, & auctoritate, judicari, interpretari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca mandamus univerſis locorum Ordinariis, ut quando, ubi, & quoties opus fuerit, easdem pręſentes ſolemniter publicantes, eis in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtant, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis quibuſcunque, necnon Ordinibus ejuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis: privilegiis quoque, indultis, literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, illorumque Superioribus, & Fratribus quomodolibet etiam pluries conceſſis, & approbatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum infererentur pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe motu ſimili derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę ſanctionis, prohibitionis, decreti, mandati, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei temerario auſu contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Septingenteſimo Vigeſimo quinto, (3) Idibus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

P. Cardinalis Prodatarius.

F. Cardinalis Oliverius.

Viſa De Curia J. Archiepiſcopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Anno a Nativitate Domini milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimoſexto, Indictione quarta, die vero XIX Menſis Februarii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Benedicti Divina Providentia Papę XIII anno Secundo, ſupradictę literę Apoſtolicę affixę, & publicatę fuerunt ad valvas Baſilicarum, Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, & S. Marię Majoris de Urbe, & in acie Campi Florę, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis per me Franciſcum Bartolettum Apoſtolicum Curſorem.

Nicolaus Cappellus Magiſter Curſorum.

1. *Tranſitus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.XII.*

2. *Archivo.*) In quo autographum. Typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum fuit *Romæ* anno *MDCCXXVI.*

3. *Vigeſimoquinto.*) Optime ſic, ſtylo nempe Bullarum, æræ communis *MDCCXXVI.* Typographi tamen amanuenſis ea temeritate fuit, ut in exemplari impreſſo *Romæ* anno *MDCCXXVI* ſcripſerit: *Vigeſimo Sexto.* In autographo legitur: *Vigeſimo Quinto.*

Anno 1726 Die 28 Februarii.

XLVII.

Indulgentiam pro feſto S. Vincentii Ferrerii conceſſam transfert.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii modernus Prior, & Fratres Eccleſię della Roſa nuncupat. Ordinis Pręd icatorum Civitatis Mediolan. quod alias omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui quamlibet ex Eccleſiis Fratrum dicti Ordinis ubique exiſten. die feſto S. Vincentii Ferrerii a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effudiſſent, plenaria indulgentia, & peccatorum remiſſio auctoritate Apoſtolica perpetuo conceſſa fuit, prout in literis Apoſtolicis deſuper expeditis, quarum tenorem pręſentibus pro expreſſo haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Chriſti fideles indulgentiam pręd ictam die feſto S. Vincentii Ferrerii certis de cauſis commode lucrari nequeant; Nobis propterea exponentes pręd icti humiliter ſupplicari fecerunt, ut indulgentiam pręd ictam ad diem ſextam menſis Septembris transferre de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Indulgentiam pręd ictam die feſto ejuſdem Sancti Vincentii Ferrerii, ut pręfertur, conceſſam, ad diem ſextam Menſis Septembris, itaut Chriſti fideles pręmiſſa in Eccleſia hujuſmodi, ipſa die ſexta Menſis Septembris adimplentes, eandem prorſus Indulgentiam conſequantur, quam conſequerentur ſi eadem pręmiſſa die feſto ejuſdem Sancti Vincentii Ferrerii adimplerent, ſervata tamen in omnibus, & per omnia literarum pręd ictarum forma, & diſpoſitione, ea-

eadem auctoritate, tenore pręſentium quoad ſupradictam Eccleſiam tantum perpetuo transferimus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Februarii MDCCXXVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Mediolanenſi*.

Anno 1726 Die 7 Martii.

De Religioſis Epiſcopali munere inſignitis (1) quædam decernens, declarat, Sanctum Thomam Aquinatem *ob ſanctioris doctrinæ excellentiam* Angelici elogio cognominatum.

XLVIII.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Summus Pontifex diſciplinæ omnium Ordinum, & præcipue regularium Epiſcoporum, cuſtos.

CUſtodes ſuper muros Jeruſalem a Chriſto Domino conſtituti, de omnibus ſacrorum virorum Ordinibus in eo, quo decet, ſanctioris diſciplinę ſplendore ſervandis magnam vigilantiam, & ſollicitudinem gerere debemus, tum vero illud nobis incumbit, ut qui e Regularium, Monachorum, & Mendicantium inſtitutis ad onus Epiſcopale admoventur, majoris obſervantię, & virtutum ſpecimine gregi ſibi ſubjecto pręluceant, primęvique inſtituti, cui nomen dederunt, inſignia, more majorum perpetuo retineant, non ſolum in monaſtica, & regulari profeſſione, ſed etiam in ſpecialibus indumentis; inque raſili tonſura, ad planitiem cutis in ſummo capite circumducta, vel eo gyro, & forma, quibus quiſque, ut ſui Ordinis, Regularis, Monaſtici, & Mendicantis peculiaribus ſignis, pridem ſolemni ritu vitam Deo conſecraverat. Męrorem, quem jamdudum animo premimus, celare diutius non poſſumus, nec debemus, quippe quem poſt noſtram humilitatem ad ſummum Apoſtolatum evectam, pręſulum doctrina, & pietate pręſtantium expoſtulationes auxerunt, nimirum quod nonnulli Epiſcopi ex Regularium, Monachorum, & Mendicantium familiis aſſumpti reperiantur, qui brevioribus veſtimentis, priſtinę ſuę profeſſioni minime congruis, ſed quibus tantum inferiores clerici ſeculares uti ſoleant, ſe in ipſa etiam civitatum frequentia palam ſpectandos pati non erubeſcant, laneaſque tunicas, a ſuorum Ordinum conditoribus pręſcriptas, & eorundem vitę ſanctimonia quodammodo conſecratas, induere detrectantes, etiam contra cęremonialis Epiſcoporum ſanctiones, a Romanis Pontificibus anteceſſoribus noſtris probatas, ſumma omnium admiratione, veſtes ſericas pręferant, eo quoque impudentię, ſui ſtatus plane immemores, progreſſi, ut albas chirothecas ad oſtentationem gerant, inque pontificalibus Eccleſię functionibus, unde omnis arrogantię typhus, & fucus abeſſe debet, ſuperpelliceum, Epiſcopis Monachis, vel ex Ordinibus Mendicantium, proprium, abjicientes, rocchettum pręſulum, ex clericis ſecularibus, vel regularibus aſſumptorum, temere adhibeant, nec defuerint qui colores, a ſuo inſtituto omnino abhorrentes, in exterioribus veſtibus jactare non dubitaverint. Hęc quam dedeceant Epiſcopos, qui ex Monachorum, & Mendicantium Regulis, non ſine ſpiritus Apoſtolici afflatu conſcriptis, modeſtiam ſacerdotalem, nunquam ex ſuis animis obliterandam, ceteraſque virtutes, aliis propinandas, haurire debuiſſent, quoſque in majori gradu, quo Spiritus Sanctus eos poſuit, auctas retinere oporteret, non jam noſtris verbis dicemus, ne ipſi, qui Regulam Ordinis Fratrum Prędicatorum, quam profeſſi fuimus, & profitemur, quique onus Epiſcopale per totos quinquaginta annos ſuſtinentes, ejuſdem noſtri Ordinis ſacros ritus, diſciplinamque, Deo juvante, in omnibus obſervare ſtuduimus, ex privato affectu loqui videamur, ſed ſuis verbis dicent Romani Pontifices, qui nobis, in eorum locum longe diſpari merito ſuffectis, quę ſectari debeamus, reliquerunt. Dicent Concilia, ab iiſdem probata, auctorumque eccleſiaſticorum, quos honoris cauſa Patres, Doctoreſque appellamus, documenta memorabunt. Ut ergo a primis, hoc eſt a Romanis Pontificibus, ordiamur, inclytę recordationis Innocentius Papa III (3) Pennenſem Epiſcopum, Ordinis Ciſtercienſis olim Abbatem, propterea graviter objurgavit, quod poſt acceptum Epiſcopatum, in ſui Ordinis injuriam ageret in pluribus, ut apoſtata, & proprię conditionis oblitus, picturata ſella, & chirothecis ſericatis uteretur, amplo ſe galero coronaret, & Ciſtercienſis Ordinis obſervantias non cuſtodiret, a quibus eum pontificalis dignitatis ſuſceptio non abſolveret, ſed earundem onus ei magis augeret. Si ad Conciliorum ſtatuta evolvenda hinc proceſſerimus, nobis ſe offeret Canon XXVII Concilii Œcumenici VIII, ſeu Conſtantinopolitani IV decernens, illos, qui monaſticam vitam amplexi, Epiſcopalem meruerunt honorem, conſervare ſchema, & amictum monaſticorum indumentorum, & ipſam beatam vitam, nullumque habere poteſtatem deponendi jamdictum ſchema propter typhum, & arrogantem voluntatem, ne per hoc inveniatur propriorum tranſgreſſor pactorum. Poſtremo Epiſcopum, qui monaſticarum veſtium ſchema depoſuerit, aut corrigendum, aut deponendum ſtatuit. Hęc rata habuit Canon XVI Concilii Œcumenici XII, ſive Lateranenſis IV ſub jam dicto Innocentio Pappa III definiens, Epiſcopos Monachos deferre habitum Monachalem (4). Hoc idem poſtea ſanxit Synodus Londinenſis, ab Otthobono S. R. E. Diacono Cardinali Sancti Hadriani, & Apoſtolicę Sedis Legato, celebrata, cujus Canon V iis, qui de Monaſteriis, vel de regularibus locis in Epiſcopos ſunt aſſumpti, vel de cetero aſſumentur, ſuum deferre habitum regularem, ſpeciatim indicit. De inconvenientia, & dedecore habitus ſplendidi in Epiſcopis ſecularibus, eoque magis in regularibus, extat Canon XVI Concilii Nicęni II. Sed noſtrorum temporum regulares Epiſcopos inſtruentem audiamus Ferrandum Carthaginenſis Eccleſię Diaconum, de Beato Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo teſtantem (5), Epiſcopatum ſine aliqua ambitione ab illo ſuſceptum, nec ita factum Epiſcopum, ut eſſe deſiſteret Monachus, ſed eum, accepta Pontificis dignitate, pro-

Epiſcopi regulares in omnibus ſuorum Ordinum ritus, præſertim in veſtibus, ſervare debent.

Nota.

Summi Pontifices, Concilia, & Patres, Epiſcopis regularibus ſuorum Ordinum veſtes ſervandas, præſcribunt.

C. Clerici, de vita, & honeſtate Clericorum.

profeſſionis pręteritę ſervaſſe integritatem, nunquam pretioſa veſtimenta quęſiviſſe, Orario, ſicut Epiſcopi, nunquam uſum, ſed pelliceo cingulo, tanquam Monachum. Nec vero uni Epiſcopi, ſed & ipſi Romani Pontifices eadem religione ſe obſtringi voluerunt. De magno enim Gregorio (6) intelligimus, una cum ejus corpore inventum Baltheum, qui ſpeciem propoſiti regularis, olim a Sancto Benedicto ſtatuti, manifeſtaret. De Eugenio III (7) legimus, laneam tunicam carni ejus adhęſiſſe; & diebus ac noctibus cuculla veſtitum, intus Monachi habitum retinere, extra, ſe Pontificem, & moribus, & veſtibus exhibere conſueviſſe. Denique Doctor Eccleſię Beatus Thomas (8) Aquinas, ob ſanctioris doctrinę excellentiam Angelici elogio cognominatus (9), cujus hodie feſta recolimus, diſerte docuit, ſi qua ſunt in regularibus obſervantiis, quę non impediant Pontificale officium, ſed magis valeant ad perfectionis cuſtodiam, ſicut eſt continentia, paupertas, & alia hujuſmodi, ad hęc remanet religioſus etiam factus Epiſcopus, obligatus, & per conſequens ad portandum habitum ſuę Religionis, qui eſt hujus obligationis ſignum. Hęc in ſacris, receptiſque Eccleſię codicibus de exteriori amictu, & debito Epiſcopi regularis ſancita reperimus, quę noſtrates ejuſdem diſciplinę Epiſcopi ſibi dicta meminerint.

Clericalis corona, qua regulares Epiſcopi ſunt diſtinguendi.

Raſilem capitis coronam, in orbem expreſſam, ad humilitatem docendam, regulę monaſticę, conſtitututiones, uſus, & conſuetudines ſtatis anni temporibus earundem ſacris alumnis renovandam pręſcribunt, quos poſtea Epiſcopali charactere inſignitos ea maxime diſtinguendos, nemo in dubium vocaverit. Hęc tamen, quę ex venerandis Eccleſię monumentis adduximus, cum per humanam corruptelam, niſi eis occurratur, nobis ipſis ſpectantibus, in deſuetudinem abire videantur, hac noſtra Conſtitutione Apoſtolica, firmum robur perpetuis futuris temporibus habitura, ea omnia confirmantes & renovantes, ſtatuimus atque ſancimus, ut ex Monaſtico, Regulari, & Mendicantium inſtituto ad Epiſcopalem, ſeu quamcunque aliam dignitatem, etiam S R.E. Cardinalatum, jam evecti, & in poſterum evehendi, univerſis, & ſingulis ſuę regulę officiis, & obligationibus, quę Pontificale, ſive cujuſcunque alterius dignitatis, aut Cardinalatus, officium minime impediant, perpetuo ſubſint, & proinde ſui monaſtici Ordinis, ſive alterius regulę Mendicantium, inſignia, & propria indumenta lanea, ſuoque peculiari colore diſtincta, raſilem quoque, & ad cutis planitiem in ſummo vertice, vel eo gyro, & forma expreſſam coronam pręferant, quibus antea, cum intra eorundem regularium Ordinum clauſtra Deo militarent, ex ſolemni ſua profeſſione, inſignia induere, & coronam pręferre tenebantur, a cujus profeſſionis obligationibus per munus Epiſcopale neutiquam abſolvuntur, aut ullo pacto eximuntur. Propterea hujuſmodi Epiſcopis, ex familiis Regularium, Monachorum, & Mendicantium aſſumptis, in virtute ſanctę obedientię pręcipimus, & mandamus, ut omnia, & ſingula, pręſentibus literis noſtris hactenus recenſita, undequaque obſervare non differant. Si vero, quod abſit, hoc agere contempſerint, vel neglexerint, eos pena ſuſpenſionis ab exercitio pontificalium, ipſo facto incurrenda, tandiu innodatos eſſe declaramus, donec a contumacia reſipiſcentes, ejuſdem ſuſpenſionis relaxationem a Sede Apoſtolica meruerint obtinere.

Epiſcopis regularibus, qui munus ſuum dimiſerint, vel eodem ſibi cōmiſſo perfuncti ſint, ad clauſtra ſuorum Ordinum revertendum eſt.

Quia vero paſtoralis noſtrę ſollicitudinis eſt non ſolum excubare pro optimo ſtatu, & conſervatione Regularis obſervantię in religioſis viris, qui ex monaſticis, & mendicantibus inſtitutis ad onus Epiſcopale aſſumuntur, ſed etiam proſpicere, ne illi, qui ex his, ceteriſque univerſis Religioſis Ordinibus ad ejuſmodi gradum evecti, Eccleſia ſibi commiſſa poſtmodum ſe abdicaverint, ita vivant, ut, qui eos primum in clauſtris Monaſteriorum, deinde in culmine Epiſcopali conſpexerant, quique ipſos demum curarum Epiſcopalium oneri ſubductos viſuri eſſent, eis objicere nullo modo poſſint, quod ideo ad Epiſcopatum irrepſerint, ut hac via Regularem obſervantiam deſerentes, extra ſua clauſtra, quaſi nullum unquam Religioſum Ordinem profeſſi, vitam ducerent, hęc animum noſtrum, omnium quorumcunque Ordinum Regularium honoris amantiſſimum, promovent, ut Apoſtolica auctoritate approbemus, confirmemus, & tanquam pręſentibus inſerta habeamus decreta duo, ab anteceſſoribus noſtris felicis recordationis Alexandro VII die XX Julii anno Domini MDCLXII, & Clemente XI die XI Junii MDCCXV vulgata, quibus decretis Regulares ad tranſmarinos Epiſcopatus, ſive ad Vicariatus Apoſtolicos tranſlati, vel etiam Eccleſiarum adminiſtratores, aut viſitatores creati, quotieſcunque in locis, & Eccleſiis, ſibi in Epiſcopalis dignitatis collatione aſſignatis, minime reſederint, vel Epiſcopatum dimiſerint, aut munere ſuo perfuncti fuerint, ſeu quomodocunque a ſchiſmaticis, vel infidelibus impediti, munus Epiſcopale exercere non poſſint, jubentur ad priſtina ſuorum Ordinum clauſtra reverti, cum reliquis Confratribus ſuis ſub eodem inſtituto religioſam vitam ibidem acturi. Hujuſmodi autem Epiſcopis, tam pio diſciplinę regularis inſtinctu ad ſuos redeuntibus, Apoſtolica largitate concedimus, ut in ſua Provincia quodcunque Ordinis ſui Cęnobium, & Monaſterium, ubi commode & religioſe degere poſſint, ſibi pro libitu eligant, ideoque volumus & pręcipimus, ut illorum Pręſides & Superiores regulares congruas eis & honeſtas cellulas in Cęnobiis, & Monaſteriis, ab eiſdem electis, aſſignent. Itaque Monachis, Mendicantibus, & cujuſcunque Ordinis Regularibus, qui onere Epiſcopali ſibi impoſito deinceps quomodocunque, etiam ultro, ſe abdicaverint, pręcipimus, eoſque monemus in Domino, ut ad ſuorum Ordinum cellulas ultro quoque regrediantur, qua in re ſanctitate, & doctrina illuſtrium, & magnorum pręſulum exempla eis imitanda proponimus, Cęleſtini Papę V Anteceſſoris noſtri, Gregorii Nazianzeni, Petri Damiani, aliorumque, ob virtutes ſacerdotales omnium ſeculorum pręconiis maxime dignorum Antiſtitum, ut interim ſileamus, legationibus & muneribus clarum Ardicinum juniorem a Porta Alerienſem Epiſcopum, & S. R. E. Presbyterum Cardinalem tituli Pammachii, a felicis recordationis Innocentio Papa VIII, renunciatum. Is enim, annuente Pontifice, dimiſſis dignitatibus, vetus propoſitum in ſacram Camaldulenſium eremum confugiendi, reſumere, atque ultro executioni mandare, ſanctum exiſtimavit. Ubi vero, quod minime credimus, iidem Regulares paternis noſtris adhortationibus aures adcommodare noluerint, his noſtris perpetuum robur habituris, decernimus, volumus & pręcipimus, ut Monachi, Mendicantes, & cujuſcunque alterius inſtituti Regulares, ſpecialiſſima etiam mentione digni, qui Epiſcopatu ſibi pridem collato quacunque de cauſa ſe in poſterum abdicare permiſſi fuerint, clauſtra ſuę Religionis repetere omnino teneantur, &

debeant,

debeant, iis tantum exceptis, qui a Nobis, ſive a Romanis Pontificibus anteceſſoribus, aut ſucceſſoribus noſtris obtinuiſſent, vel obtinebunt facultatem expreſſam vivendi extra clauſtra, ſacro alicui muneri, quod cum vita clauſtrali exerceri non poſſet, ex peculiari voluntate noſtra, vel eorundem anteceſſorum, aut ſucceſſorum noſtrorum, ſpeciatim addicti, quod quidem munus reſpiciat ſervitium, & obſequium noſtrum, vel ſucceſſorum noſtrorum, ſive hujus Sanctę Apoſtolicę Sedis. Eis autem, vel eorum cuilibet, qui hanc Conſtitutionem violare tentaverint, vel eam quomodocunque neglexerint, omni uſu pontificalium, etiam cum facultate, & permiſſione cujuſcunque Epiſcopi exercendorum, penitus & undequaque interdicimus, ſique perſeveraverint in contumacia non redeundi ad clauſtra, poſt annum ſint eo ipſo ſuſpenſi a divinis. Omnia vero, & ſingula Romanorum Pontificum decreta, Conciliorum Canones, Patrum dicta, ſententias, regulas, conſtitutiones, uſus, conſuetudines, ſtatuta, his noſtris literis memorata, poſt maturam hac de re habitam deliberationem, ex certa ſcientia, auctoritate noſtra confirmamus, innovamus, & ſtabilimus, inque plenario robore perpetuis futuris temporibus ſervanda ſancimus, pręſenteſque ſemper validas fore, ſicque, & non aliter, per quoſcunque judices ſemper judicari, interpretari, & definiri debere ſtatuimus. Quidquid autem ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus, non obſtantibus privilegiis, conceſſionibus, ordinationibus, aliiſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conſtitutionis, confirmationis, innovationis, ſanctionis, declarationis, ſuſpenſionis, pręcepti, decreti, interdicti, & voluntatis infringere, vel ei temerario auſu contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Dominicę Incarnationis Milleſimo Septingenteſimo Vigeſimo Quinto (10), Nonis Martiis, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Omnia his literis comprehenſa perpetuo ſervanda.

P. Card. Prodatar.

F. Card. Oliverius.

Viſa de Curia J. Archiep. Ancyranus.

L. Martinettus.

Anno a Nativitate Domini Milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto, Indictione quarta, die vero IV menſis Aprilis, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Benedicti divina providentia Papę XIII Anno Secundo, ſupradictę literę Apoſtolicę affixę, & publicatę fuerunt ad valvas Baſilicarum, Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, & S. Marię Majoris de Urbe, & in Acie Campi Florę, ac aliis in locis ſolitis, & conſuetis per me Dominicum de Martinis Apoſt. Curſorem.

Nicolaus de Cappellis Mag. Curſ.

1. *Inſignitis*. Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XII.*

2. *Archivo*.) In quo exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ* anno *MDCCXXVI*.

3. *Innocentius Papa III*.) *Lib. V Epiſt. LXXXIV Editionis Pariſien.* Hujus tenoris eſt.

TActi ſumus dolore cordis intrinſecus, & gravi mœrore turbati, quod tu, ſicut accepimus, in injuriam ordinis tui, & infamiam ordinationis noſtræ agis in pluribus ut apoſtata, qui, teſte Scriptura, vir inutilis appellatur. Si enim diligenter attenderes, quod te de Monacho non ſimplici, ſed Abbate, duximus in Epiſcopum aſſumendum, eam deberes ſervare tam in vita, quam moribus honeſtatem, quę ad ſalutem tibi proficeret, & ſubditis ad exemplum. Verum de quo miramur non modicum, & movemur, propriæ conditionis oblitus, quod poſt acceptum Epiſcopatum quædam illicita liceant, & expediant, quæ Fratrum Ciſtercienſium obſervantia reputat inhoneſta, picturata ſella, & chirothecis uteris ſericatis, amplo te galero coronas, & carnibus publice uſque ad ſaturitatem te reples, ei forſitan per inſignia hujuſmodi comparandus, de quo data ei tunica pelliccea ſcriptum eſſe legitur. Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex Nobis ſciens bonum, & malum. Meminimus quidem, & tu debueras meminiſſe, qualiter in receſſu tuo coram Fratribus noſtris diſtricte tibi duximus injungendum, ut Ciſtercienſis Ordinis obſervantias cuſtodires, cum Pontificalis ſuſceptio dignitatis non abſolveret te a voto, ex qua, licet cum honore ſit, ſic onus ſibi magis auxerit, ut religioni nihil penitus deperiret, per quod ejus habenas taliter relaxares. Ideoque Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, atque præcipimus, quatenus ita corrigas vitam tuam, & te ſic obſervantiæ regulari conformes, ut non rediiſſe ad ſeculum, ſed in ſeculo potius ipſum, & pompas ejus contemnere videaris. Alioquin, cum admonitio pręceſſerit, de cetero vindicta ſequetur. Datum Laterani IV Kalend. Novembris.

4. *Monachalem*.) *Cap. Clerici Lib. III Decretal. De vita, & honeſtate Clericorum.*

5. *Teſtantem*.) In ejuſdem *Vita Cap. XVIII*, & *XIX* his verbis:

SUſcepit Beatus Fulgentius Epiſcopatum, ſine aliqua ambitione, cum maxima devotione: Nec ita factus Epiſcopus eſt, ut eſſe deſiſteret Monachus, ſed accepta Pontificis dignitate, profeſſionis præteritæ ſervavit integritatem. Servata vero profeſſionis integritas plus ornavit Pontificis dignitatem. Nunquam pretioſa veſtimenta quæſivit, aut quotidiana jejunia prætermiſit, aut conditos ſerviliter cibos, vel inter hoſpites manducavit, aut diſcumbendo ſaltem requieſcere, & reſolvere rigidum propoſitum voluit, ſed una tantum viliſſima tunica, ſive per æſtatem, ſive per hyemem patienter indutus. Orario quidem, ſicut omnes Epiſcopi, nunquam utebatur, pellicio cingulo, tanquam Monachus, cingebatur. Sic ſtudio humilitatis ambitionem veſtium fugiebat, ut nec ipſa calceamenta ſuſcipiens Clericorum, aut ultimis caligis in tempore hyemis, aut caligulis in

iū tempore æſtatis uteretur. Intra Monaſterium ſane interdum ſoleas accipiebat, frequenter nudis pedibus ambulabat. Caſulam pretioſam, vel ſuperbi coloris, nec ipſe habuit, nec Monachos ſuos habere permiſit. Subtus caſulam nigello, vel lactinio pallio circumdatus inceſſit. Quando temperies aeris invitabat, ſolo pallio intra Monaſterium eſt coopertus. Scapulis vero nudis nunquam a nobis viſus eſt, nec depoſito ſaltim cingulo ſomnum petivit. Suæ autem conſcientię, Deo teſte, fiduciam gerens, in qua tunica dormiebat, in ipſa ſacrificabat, & tempore Sacrificii mutanda eſſe corda potius quam veſtimenta dicebat. Huic Beatiſſimo Sacerdoti nullus aliquando extorſit cujuslibet generis carnes accipere, ſed ſola ſimpliciter olera, ptiſanas, & ova, quandiu fuit juvenis, ſine oleo, poſtquam vero ſenuit ſuperfuſo oleo manducavit, ideo oleum perſuaſus accipere, ne caligo prævalens oculorum lectionis impediret officium. A vino autem ſemper ſanus abſtinuit. Si quando vero compellente neceſſitate infirmitatis, vino modico uti compulſus eſt, calicibus plenis aqua, ſuperfundens quidpiam meri, nec ſaporis ejus nec odoris jucunditate fruebatur. Antequam vigiliæ nunciarentur a Fratribus, ipſe ſemper corde, & corpore vigilans, aut orabat, aut legebat, aut dictabat, aut cuicunque ſpirituali meditationi ſolus vacabat, quia ſe per diem filiorum Eccleſię neceſſitatibus occupari jugiter ſciebat. Ad agendas cum ſervis Dei vigilias interdum deſcendebat, ſed privatas apud ſe vigilias, ſtudiis, quibus dixi, multo laudabilius exercebat. In nullo autem loco viſus eſt ſine Monachis habitare, propter quod a Civibus Ruſpenſibus hoc primum beneficium ordinatus Epiſcopus poſtulavit, ut fabricando Monaſterium locum congruum darent. Si quando vero Monachi ad ſe, jubentibus duntaxat Prioribus, veniebant, non ut hoſpites, ſed quaſi unius Congregationis homines ſuſcipiebantur. Beati vero Fulgentii Epiſcopi proviſionibus communiter gubernati, Patrem ſpiritualem ſimplici venerabantur affectu, ſic Beato Fulgentio ſingula diſponente, ne ſuſcepta regendorum ſarcina Clericorum, conſolationem perderet Monachorum.

6. *Gregorio.*) De quo legendus *Johannes Diaconus* in ejus *Vita Lib. IV Cap VIII.*
7. *Eugenio III.*) Conſulendus *Arnoldus Carnotenſis* in *Vita S. Bernardi Lib. II Cap. VIII.*
8. *B. Thomas.*) *Secunda Secundæ Quæſt. CLXXXV Art. VIII.*
9. *Angelici elogio cognominatus.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo lit. VI.*
10. *Vigeſimo Quinto.*) Stylo Bullarum, æræ communis *MDCCXXVI.*

Anno 1726 Die 30 Martii.

De Miſſa celebranda in Oratorio Lauretani Cœnobii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

XLIX.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Dudum pro ſpirituali Fratrum infirmorum, & convaleſcentium Ordinis Prędicatorum in Hoſpitio ejuſdem Ordinis prope, & extra muros Civitatis noſtrę Lauretanę exiſtentium conſolatione, ut in privato Hoſpitii prędicti Oratorio ad hoc decenter muro inſtructo, & ornato, ſeu extruen., & ornan. ab omnibus domeſticis uſibus libero, per Ordinarium loci prius viſitan., & approban., ac de ipſius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, ſacroſanctum Miſſę Sacrificium per Fratres Ordinis prędicti in ſacro Presbyteratus Ordine conſtitutos in eorundem Fratrum infirmorum, & convaleſcentium ejuſdem Ordinis, ac perſonarum eorum ſervitiis neceſſariarum duntaxat pręſentia celebrari libere, & licite poſſet, & valeret, auctoritate Apoſtolica indultum fuit, & alias prout in litteris Apoſtolicis deſuper expeditis, quarum tenorem preſentibus pro expreſſo haberi volumus uberius dicitur contineri. Cum autem, ſicut dilecti filii Vicarius, & Fratres memorati Hoſpitii nobis nuper exponi fecerunt, ejuſmodi Hoſpitium ab unica dictę Civitatis Eccleſia valde diſtet, Hoſpites vero Ordinis prędicti per eandem Civitatem continuo iter facientes, interdum ſummo mane proficiſci debeant, & ad prędictam Eccleſiam, Miſſam celebrandi ergo ſeſe conferre nequeant. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut in pręmiſſis opportune providerę, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium tamen conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fratribus Ordinis hujuſmodi ob provectam eorum ętatem, vel cęli intempeſtatem, aut occaſionem duntaxat itineris ad ſupradictam Eccleſiam accedere minime valentibus, ut ipſi Sacroſanctum Miſſę ſacrificium hujuſmodi in privato Hoſpitii prędicti Oratorio, Paſchatis Reſurrectionis, & Pentecoſtes, ac Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti feſtis diebus exceptis, ſervata alias Apoſtolicarum literarum forma, celebrare libere pariter, & licite poſſint, & valeant, dicta auctoritate tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXX Martii MDCCXXVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

De

De Officio S. Vincentii (1) ab omnibus ritu duplici recitando.

Anno 1726 Die 5 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

URBIS, ET ORBIS. L.

SAnctiſſimus Dominus Noſter Benedictus PP. XIII benigne indulſit, ut Officium Sancti Vincentii Ferrerii Confeſſoris Ordinis Prędicatorum, alias ſub ritu ſemiduplici pro Eccleſia univerſali celebrari conceſſum, in poſterum ab omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſub ritu duplici recitari debeat. Et ita decrevit, ac ſervari mandavit. Die V Aprilis MDCCXXVI.

F. Card. Paulutius Prępf.

Loco ✝ ſigilli.

N. M. Thedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *S. Vincentii.*) Conſulenda Conſtitutio *IV Pii V.* Legitur *Tomo III hujuſce Bullarii pag. 379.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXVI.*

De Lectionibus Secundi Nocturni, & Oratione in Officio B. Columbæ recitandis.

Anno 1726 Die 11 Aprilis.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Die XX Maii in Feſto B. Columbę Virginis Ordinis Prędicatorum. LI.

ORATIO.

DEus, qui Beatam Columbam Virginem tuam, puritate & innocentia candidam, ſupernis fulgoribus illuſtrare dignatus es: concede quęſumus, ut ejus interceſſione puris tibi mentibus ſervientes in terris, ſplendore glorię tuę perfrui mereamur in cęlis. Per Dominum &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Columba Reate in Umbria honeſtis orta parentibus, a Columba, quę ſuper caput ejus, dum baptizaretur, apparuit, nomen accepit. In ipſis cunis reliquę vitę ſuę feliciter pręludens, inter alia, quę futurę Sanctitatis indicia prębuit, ſingulis ſextis feriis maternum lac nonniſi ſemel ſugebat. Creſcente dein ętate virtutes quoque creverunt, & opera. Pietati, ac orationibus addicta, Virginitatem ſuam adhuc decennis Virginum Sponſo conſecravit. Nuptias ſibi a parentibus oblatas intrepide recuſans, eorum moleſtias patienter ſuſtinuit: Dęmones etiam, qui obſcenis ſpeciebus objectis, illam a propoſito retrahere conabantur, impavide profligavit. Denique poſt multa ſuperata certamina, habitum tertii Ordinis S. Patris Dominici, quem diu expetierat, ſumma cum exultatione ſuſcepit.

Lectio V.

Sacro Religionis habitu induta, & cęleſti rore perfuſa, unius Chriſti amoribus vacare ſtuduit. Ex Patria Peruſium veniens, Monaſterium ſub invocatione Sanctę Catharinę Senenſis, ad erudiendas Nobiles puellas fundavit. Hic dilecto ſuo ſe arctius illigare cupiens, aſperum cilicium, circulos ferreos, atque catenas corpori aſtrinxit. Super nudam humum, aut tabulas, ac interdum ſpinas, etiam dum febribus ureretur, modicum ſomnum carpebat. Flagro ferreo ter ſingulis noctibus corpuſculum cruentabat. Loca ſacra nudis pedibus, etiam hyberno tempore frequenter inviſebat. Orationi diu, noctuque inſiſtens, paſſionem Domini aſſidue meditabatur. In pane, & aqua jejunare conſueverat, donec penitus abdicato panis uſu, immaturis duntaxat fructibus, & acerbis uvis, nonniſi parce veſceretur.

Lectio VI.

Divinę contemplationis capta dulcedine, atque in extaſim ſępius rapta, viſionibus cęleſtibus recreabatur. Singulis diebus animum ſuum Sacra Communione reficiebat, tantaque ſuavitate perfundebatur, ut vel pręgaudio lacrymis inundaret, vel pręnimio amoris ęſtu langueret. Virginis hujus probitatem Deus ipſe voluit eſſe Mundo conſpicuam, nunc eam ſtellis ſuperne fulgentibus indicans, nunc flammeo ignitoque radio caput ejus exornans. Spiritu prophetico futura multa prędixit, vitęque ſuę terminum Domino revelante cognovit. Tandem virtutibus, ac meritis plena, die vigeſima Maii, anno ſalutis milleſimo quingenteſimo primo, ętatis vero ſuę ineunte trigeſimo quarto, Peruſii migravit ad Dominum. Pluribus in vita, & poſt mortem claruiſſe miraculis perhibetur. Ejus cultum approbavit Urbanus Papa Octavus: ut autem Feſtum ejus cum Officio, & Miſſa tam in univerſo Prędicatorum Ordine, quam in Civitatibus Peruſina, & Reatina a toto illarum Clero poſſet celebrari Benedictus XIII benigne conceſſit.

ORDINIS PRÆDICATORUM.

Necnon Peruſinę, & Reatinę.

SAnctiſſimus D. N. Benedictus PP. XIII ad humillimas preces Reverendiſſimi P. Fratris Thomę Ripoll Ordinis Prędicatorum Magiſtri Generalis benigne indulſit, atque conceſſit, ut ſupraſcriptę Lectiones Secundi Nocturni cum Oratione propria in Officio Beatę Columbę Virginis die XX Maii ab omnibus utriuſque ſexus ejuſdem Ordinis, necnon ab univerſo Clero Seculari, & Regulari Civitatum Peruſinę, & Reatinę in poſterum recitari poſſint, & debeant. Die XI Aprilis MDCCXXVI.

F. Card. Paulutius Pręf.

Loco ✱ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiep. Apamenus Sac. Rit. Congreg. Secr.

1. *Archivo*.) In quo duplex autographum, & exemplar *Romę* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXVI*.

Anno 1726 Die 13 Aprilis.

LII.

Indulgentiæ conceſſæ a Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa Benedicto XIII recitantibus Roſarium (1) Beatæ Mariæ Virginis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

SAnctiſſimus Dominus Noſter Benedictus Papa XIII ſumma devotione motus, qua fervet erga Roſarium Beatę Marię Virginis, ut adeo Eccleſię utilis, Deoque accepta devotio in cuncto Chriſtiano Populo magis, magiſque augeatur, & propagetur; audito voto Sacrę Congregationis, Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis prępoſitę, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus Roſarium, vel ſaltem tertiam partem ejuſdem devote recitantibus; pro qualibet oratione Dominica, & pro qualibet Salutatione Angelica Indulgentiam centum dierum conceſſit. Recitantibus vero quotidie per integrum annum idem Roſarium, vel pariter ſaltem ejus tertiam partem, ſi Confeſſi, ac Sacra Communione refecti fuerint, & pro Chriſtianorum Principum concordia, hereſum extirpatione, ac S.M. Eccleſię exaltatione oraverint; ſemel in anno die ab unoquoque eligenda inſuper conceſſit *Indulgentiam Plenariam*, etiam cum facultate applicandi Defunctis. Declaravit tamen Sanctitas Sua, ut ad effectum lucrandi prędictas Indulgentias requiratur, ut Roſarium fuerit de more benedictum a Fratribus Ordinis Prędicatorum. Datum die XIII Aprilis Anno MDCCXXVI.

L. Cardinalis Picus Pręfectus.

Raphael Coſmus de Hieronymis Secret.

1. *Roſarium*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo*.) In quo exemplar authenticum, *Romę* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXVI*.

Huc ſpectat Votum unius ex Conſultoribus Sacræ Congregationis Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis Præpoſitæ. Hujus tenoris eſt.

ROſarium formula precandi Deum, inſpirante Beatiſſima Virgine, a D. Dominico inſtituta, tanquam ſingulare ad evertendas Hęreſes, & vitia extinguenda pręſidium, a Summis Pontificibus & ab Eccleſia declaratur. Hinc in publicis Eccleſię neceſſitatibus, tum contra Hęreticos, tum contra Turcas, aliosque Chriſtiani Nominis hoſtes, hac precandi formula auxilium a Domino imploratum fuit. Roſario S. Dominicus Albigenſes profligavit; Roſario S. Pius V Turcas ad Naupatum devicit; iidemque Turcę in Hungaria, & in Arce Corcyrę Roſario, ut pie creditur, noviſſime ſuperati ſunt: Jure ergo merito Summi Pontifices, ut hęc devotio a Chriſti fidelibus prę aliis frequentaretur, ſpiritualibus favoribus eam cumularunt, & pręcipue Recitantibus Roſarium plures gratias, & Indulgentias elargiti ſunt.

Quia vero novitate ducti Fideles, relicta recitatione Roſarii, videntur devolvi ad alias preces, & pręcipue ad recitationem Coronę dictę de S. Brigitta, SS. Dominus Noſter Benedictus XIII devotione qua fervet erga SS. Virginem Roſarii, demandavit huic Sacrę Congregationi, ut inveniretur expediens, ne Fideles tepeſcerent, imo potius inflammarentur ad recitationem Roſarii.

Obtemperans ergo juſſis hujus S. Congregationis, collatis ad invicem Summariis Indulgentiarum Roſarii, & Coronarum Sanctę Brigittę inveni in Bulla Innocentii XI, confirmante Summarium Roſarii die XXXI Julii MDCLXXIX, quę incipit, Nuper. Cap.3 & 4, ſequentes Indulgentias conceſſas pro Recitantibus Roſarium.

In Cap.3 Conceduntur Indulgentię.

I. Quadraginta dierum recitantibus tertiam Partem Roſarii.

II. Quinque annorum, & totidem quadragenarum recitantibus tertiam partem.

III. Sexaginta millia annorum, & totidem quadragenarum, recitantibus tertiam partem.

IV. Cen-

IV. Centum dierum recitantibus tertiam partem.
V. Centum dierum quoties recitabitur Roſarium.
VI. Decem annorum, & totidem quadragenarum recitantibus ter in Hebdomada, pro qualibet vice.
VII. Quinquaginta annorum recitantibus in Eccleſia Roſarium.
VIII. Duorum annorum pro quolibet ex tribus diebus, in quo tertia pars recitatur.
IX. Quadraginta dierum, quoties recitabitur Roſarium.
X. Septem annorum, & totidem quadragenarum recitantibus integrum Roſarium qualibet ſeptimana.
XI. Indulgentię conceſſę Coronis B. Virginis in Regnis Hiſpaniarum.

In Cap. IV.
I. Centum dierum recitantibus tertiam partem in quinque Feſtivitatibus B. V.
II. Plenaria ſemel in vita & in Articulo Mortis recitantibus Roſarium per Hebdomadam.
III. Septem annorum, & totidem quadragenarum recitantibus integrum Roſarium in Feſtis Nativitatis Annunciationis, & Aſſumptionis B. V.
IV. Plenaria recitantibus Roſarium in Feſto Annunciationis B. V., & decem annorum & totidem quadragenarum in Feſtis Aſſumptionis, Nativitatis, & Purificationis.
V. Decem annorum, & totidem quadragenarum recitantibus tertiam partem in Feſtis Reſurrectionis Domini, Annunciationis, & Aſſumptionis B. Virginis.
VI. Septem annorum, & totidem quadragenarum recitantibus tertiam partem in diebus Feſtis D. N. Jeſu Chriſti, & B. Virginis, in quibus Sacra Roſarii Myſteria recenſentur.

In Summario vero Coronarum S Brigittæ, confirmato ab hac Sacra Congregatione Die IV Decembris MDCCXIV conceditur Recitantibus Roſarium, vel Coronam S. Brigittę,
I. Centum dierum per ſingulos Pater noſter, Ave Maria, & Credo.
II. Septem annorum, & totidem quadragenarum recitantibus Roſarium aut Coronam quindecim Decadum.
III. Indulgentia plenaria ſemel in anno lucrifacienda, a recitantibus quotidie dictam Coronam, adminus quinque Decadum.

Ex his colligere eſt inter Indulgentias, quas ſummi Pontifices conceſſere Roſario non reperiri Indulgentiam illam Centum dierum pro quolibet Pater noſter, & pro qualibet Ave Maria, nec indulgentiam plenariam recitantibus quotidie ſemel in anno, ſicut conceditur Coronis S. Brigittæ, ac proinde ut fideles magis ac magis accendantur ad recitationem Roſarii, exemplo Clementis IX, qui conceſſit recitantibus Roſarium Indulgentias conceſſas Coronis Beatiſſimę Virginis, poſſent, ſi Sacrę Congregationi videbitur, concedi Roſario eędem Indulgentię, quę Coronis S. Brigittę conceſſę ſunt.

Montis Politiani Canonizationis Beatæ Agnetis (1) Virginis Ordinis Prædicatorum.

Anno 1726 Die 20 Aprilis.

LIII.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIII die II Aprilis MDCCXXVI habita fuit Congregatio Generalis Sacrorum Rituum, in eaque per Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Scottum loco Reverendiſſimi Domini Cardinalis Paulutii abſentis, propoſita fuit cauſa Canonizationis Beatę Agnetis Virginis Ordinis Prędicatorum ſuper Dubio: An, & de quibus Miraculis conſtet in caſu, & ad effectum de quo agitur: . Verum Sanctitas Sua auditis tum Conſultorum, tum Reverendiſſimorum Cardinalium ſuffragiis, reſolutionem eo die differre voluit, ut prius de more, tam ſuis, quam aliorum precibus Divinam opem imploraret. His itaque abunde impletis, idem Sanctiſſimus Dominus Noſter infraſcripta die, Feſto Beatę Agnetis prędictę Sacra, ex propoſitis miraculis, duo in tertio genere approbavit, videlicet: Primum repentinę ſanationis Sororis Marię Roſę Catharinę de Bonis Monialis Profeſſę Ordinis Sancti Dominici a pluribus morbis, quibus a duodecim annis cruciabatur: Et Secundum, inſtantaneę ſanationis Sororis Marię Octavię Cerretelli Monialis ejuſdem Ordinis a Pleuritide cum febri, & tumore dextero Crure. Et ita &c. Hac die XX Aprilis MDCCXXVI.

F. Card. Paulutius Prędectus.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *B. Agnetis.*) Conſulenda Conſtitutio *LXXXVIII Clementis VIII*. Legitur *T. IV hujuſce Bullarii pag.* 577.

2. *Archivo.*) In quo autographum.

Anno 1726 Die 6 Maii.

LIV.

De Academia Theologica in Archigymnaſio Sapientiæ de Urbe erecta, cujus ſtatuta fuerunt approbata a Cardinale Ferrario (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

IN excelſa Sedis Apoſtolicę ſpecula conſtituti, illa, quę a Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris, ad excitanda ſacrarum literarum, & bonarum diſciplinarum ſtudia, debitumque virtuti honorem rependendum, prudenti diſpoſita conſilio, & felici, fauſtoque inchoata eſſe noſcuntur principio, proſequi, & quantum Nobis ex alto conceditur, perficere ſtudemus, ſicut omnibus maturę conſiderationis trutina perpenſis, rationi, ac recto ordini conſentaneum fore in Domino arbitramur. Alias ſiquidem emanarunt a felicis recordationis Clemente PP. XI Prędeceſſore noſtro, ad favorem Academię Theologicę nuncupatę non ita pridem in Urbe inſtitutę, literę in ſimili forma Brevis tenoris, qui ſequitur videlicet. Clemens Papa XI. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Inſcrutabili divinę bonitatis, atque ſapientię, providentia ad Eccleſię Catholicę per univerſum terrarum orbem diffuſę regimen, meritis licet imparibus, evecti, inter multiplices Paſtoralis vigilantię noſtrę curas, ſacrarum literarum, ac prę ſertim Theologicę facultatis ſtudia, per quę depulſa ignorantię caligine mortalium mentes luce veritatis illuſtrantur, ad ſupernę deitatis eſſentiam veraciter contemplandam iter panditur, ſana doctrina aſſeritur, Catholicę Fidei puritas ab Hęreſibus, praviſque Dogmatibus gladio ſpiritus vindicata eniteſcit, illiuſque, & divini cultus propagationi, ac aliis Chriſtianę Reipublicę commodis conſulitur, ubique locorum, ac pręcipue in hac Alma Urbe noſtra, ex qua doctrinę, & bonorum operum exempla in reliquas Chriſtiani orbis partes aſſidue promanant, quantum Nobis ex alto conceditur, promovere, excitare, & confovere ſtudemus, ſicut omnibus maturę conſiderationis trutina perpenſis, ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſięque decus, & pręſidium, ac Chriſti fidelium utilitatem cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque alias, nempe ab ipſis Pontificatus noſtri primordiis, quędam Academia Theologica nuncupata, in qua plures in ea facultate verſati, ac etiam Magiſtri, ſeu Doctores, aut alias graduati ad pleniorem, & ſublimiorem ſacrarum, divinarumque rerum cognitionem aſpirantes, Sacrę Theologię, necnon Hiſtorię Eccleſiaſticę diſciplinis pręcipuam, ſedulamque operam laudabiliter hactenus navarunt, & adhuc indefeſſis ſtudiis navare non deſiſtunt, ſub auſpiciis noſtris, ac Nobis annuentibus in Urbe pręfata erecta, ſeu inſtituta ſit, eique uſum loci in ędibus publici Gymnaſii Sapientię nuncupati ejuſdem Urbis pro ſuis Conventibus habendis, & functionibus peragendis, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis aſſignaverimus, & conceſſerimus, & ſicut plurimorum pręſtantium virorum teſtimonio, immo etiam nonnullorum ex venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, qui Literariis ipſius Academię exercitationibus, & diſceptationibus ſępius interfuerunt, relatione accepimus, dilecti filii Academici eidem Academię adſcripti, notabiles in prędictis diſciplinis progreſſus jam fecerint, & in dies facere pergant, unde non obſcura ſpes affulgeat, fore ut dicta Academia, benedicente Domino, non ſolum majora in poſterum ſuſcipiat incrementa, verum etiam ſuaviſſimos, uberesque fructus in Eccleſia Dei quandoque proferat, in eumque finem prędicti Academici pro recto, ac felici Academię hujuſmodi gubernio nonnullas Conſtitutiones, ſeu ſtatuta, quę per bonę memorię Thomam Mariam, dum vixit, ejuſdem S. R. E. Cardinalem Ferrarium Sancti Clementis nuncupatum juſſu noſtro reviſa, & ſubinde approbata fuerunt, jam pridem condiderint, quorum tenor eſt, qui ſequitur, videlicet &c. (3) Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Aprilis MDCCXVIII, Pontificatus noſtri Anno Decimo octavo. F. Cardinalis Oliverius. Loco ✝ Annuli Piſcatoris. Cum autem Nos, qui, dum Cardinalatus honore fungebamur, prędictę Academię functionibus, & exercitationibus ſumma cum animi noſtri jucunditate interfuimus, eamque memorato Clementi Prędeceſſori magnopere commendavimus, ac re ipſa adjuvare non defuimus, nunc ita diſponente Dei providentia, qui vocat ea, quę non ſunt, tanquam ea, quę ſunt, ad ſupremi Apoſtolatus faſtigium nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio evecti, ac provide conſiderantes quantum ſplendoris, atque ornamenti Almę Urbi pręfatę, necnon utilitatis univerſę Reipublicę Chriſtianę accederet, ſi eadem academia novis, validioribuſque pręſidiis conſtabiliretur, quorum ope firmius ſubſiſteret, majoreſque in dies progreſſus faceret. Sic namque multi, ut merito ſperare licet, nedum in Urbe prędicta, ſed in aliis etiam Chriſtiani orbis partibus degentes, qui conſueto Sacrę Theologię curſu in ſcholis abſoluto, illius ſtudium prorſus abjiciunt, ad hanc Academiam convolantes, ſacrorum Dogmatum, Hiſtorię Eccleſiaſticę, ac Scholaſticę Theologię ſtudia alacri animo proſequentes, ſeu aggredientes, ad eccleſiaſtica munia rite, & recte obeunda in primis idonei redderentur, puriori, ſolidiorique ſcientię pabulo enutrirentur, & in ſana doctrina eruditi, illam in ſuis reſpective regionibus docere, & propagare, atque adverſus profanas vocum, ſententiarumque hiſce pręſertim temporibus admodum increbeſcentes novitates ſtrenue propugnare poſſent. Illi vero, qui cenſurę gradu poſt diuturnos labores in dicta Academia adepto in eadem Urbe commorarentur, collatis inter ſe conſiliis, aut in confutandis libellis, qui nimia temeritate adverſus Orthodoxę Fidei puritatem, ſanctioraque Sanctę Romanę Eccleſię, & Sedis Apoſtolicę jura, ac probatas, & a majoribus noſtris receptas traditiones, & ſententias paſſim circumferuntur, aut in vetuſtioribus SS. Patrum codicibus fideliter evulgandis, vel novis elucubrationibus pro temporum opportunitate edendis, rem Catholicam, ac literariam tueri, & illuſtrare valerent, hos proin-

proinde, aliosque uberiores ab eo qui incrementum dat, & preces, ac vota humilium excedit, fructus ex eadem Academia prętolantes, gratias, & privilegia ei ab ipso Clemente Prędeceſſore, ſicut prefertur, conceſſa ampliare, & extendere decreverimus. Hinc eſt, quod ejuſdem Academię ſtatui, conſervationi, & incrementis opportune proſpicere, ac dilectos filios illius Academicos ſpecialis favore gratię proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum preſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, pręinſertas Clementis Prędeceſſoris literas, ac omnia, & ſingula in eis, contenta, & expreſſa, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, ac quatenus opus ſit innovamus, & de novo concedimus, ſtatuimus, & ordinamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur, & efficaciam adjungimus. Prętera cum, ſicut accepimus, plerique ex eis qui eidem Academię hactenus nomen, & operam dederunt, rei familiaris anguſtia preſſi, a cęptis abſiſtere, & alio ſtudia ſua convertere debuerint, pluresque, ne prędictę Academię adſcriberentur, hac ipſa de cauſa deterriti fuerint, indeque factum ſit, quod dicta Academia optatos progreſſus huc uſque minime facere potuerit, quin etiam timeri poſſit, ne ſenſim decreſcente Academicorum numero tandem omnino deficiat, & concidat, niſi aliquot ex benignitate Apoſtolica depromptis ſubſidiis fulciatur, atque ſuſtineatur, volumus, ut partim ex illis, qui actu dictę Academię adſcripti reperiuntur, partim ex iis, qui eidem adſcribi cupiunt, viginti pauperes Eccleſiaſtici, qui ſaltem per quadriennium Sacrę Theologię aſſidue ſtuduerint, per venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales ipſius Academię Protectores nunc, & pro tempore exiſtentes deinceps deligantur, eorumque ſingulis, donec aliter per Nos, ſeu Romanos Pontifices Succeſſores noſtros proviſum fuerit, ſumma quinquaginta ſcutorum monetę Romanę per Datariam Apoſtolicam ex pecuniis Romano Pontifici pro tempore exiſtenti ex eadem Dataria obvenien. quotannis ab initio pręſentis anni incipien. aſſignetur, & perſolvatur, donec expleto ſexennio cenſurę gradum aſſecuti fuerint, ac ſubinde alii per prędictos Cardinales in eorum locum ſubrogentur, quibus enarrata pecunię ſumma itidem ſubminiſtretur. Cenſores autem ipſius Academię pro tempore quoque exiſtentes ſerio hortamur, & monemus, quatenus non ea tantum, quę in ejuſdem Academię Conſtitutionibus ſibi injunguntur, fideliter, ac ſedulo adimpleant, verum etiam in errores refutandos, Eccleſię, & Sedis prędictę jura aſſerenda, & vindicanda, ac Eccleſiaſticam hiſtoriam illuſtrandam juxta modum, & formam ſibi a Nobis, vel Romanis Pontificibus Succeſſoribus noſtris, aut Cardinalibus Protectoribus prefatis pręſcribendos, viribus omnibus incumbentes, Deo, & Eccleſię ſe devovere, ac jugiter deſervire procurent. Et quia debitus juſtitię ordo exigit eos, qui ſacrarum literarum ſtudiis ſe dedunt, aliiſque in divinarum rerum ſcientia pręcellunt, condignis ab hac Sancta Sede gratiarum muneribus donari, cumque idem Clemens Prędeceſſor in pręinſertis literis Academicos prędictos in collatione beneficiorum eccleſiaſticorum aliis anteferri monuerit, Nos ipſius Clementis Prędeceſſoris veſtigia ſectantes, omnes, & ſingulos quorumcunque beneficiorum eccleſiaſticorum collatores ſimiliter requirimus, ut quos diutius in dicta Academia cum laude verſatos eſſe conſtiterit, aliis in ejuſmodi collatione, ceteris paribus pręferant, pręcipue vero eoſdem Romanos Pontifices Succeſſores noſtros enixe rogamus, ut ſecum reputantes quantopere Academia Theologica pręfatam Almam Urbem ornare, quotque uberes in Eccleſia Dei fructus, benedicente Domino, afferre poſſit, ſi eam maxime vigere, ac florere contigerit, in Canonicatibus, aliiſque beneficiis hujuſmodi conferendis, penſionibuſque eccleſiaſticis reſervandis, & aliis gratiis impertiendis, dictos Academicos, pręſertim ſi cenſores fuerint, prę oculis habere velint, prout ſingulorum merita poſtulaverint, quemadmodum nos facere non omittemus. Ad hęc cum ęqui bonique rationi conducere dignoſcatur, certis muniis exercendis adhibere, qui tutum adeo doctrinę experimentum palam dederunt, maximeque deceat honoribus, etiam augere, qui omni cura, ac ſtudio ampliorem ſibi ſapientiam comparare, Academiam prędictam in publicum Eccleſię bonum, ac commodum colere, ſervare, & augere non deſinunt, dimenſoſque ſibi literarios labores pro veritate tuenda, dictęque Sedis dignitate aſſerenda ultro ſuſcipiunt, & tolerant, eiſdem Cardinalibus Protectoribus injungimus, ut quandocunque novi Philoſophię, aut Sacrę Theologię Lectores publice in prędicto Gymnaſio Sapientię, vel in Collegio de Propaganda Fide nuncupato de eadem Urbe conſtituendi venient, aut etiam quoties novi deſignandi erunt in Urbe prętata examinatores ad Confeſſiones, ſacros Ordines, & beneficia, Qualificatores Officii Inquiſitionis adverſus hęreticam pravitatem, Conſultores Congregationum eorundem venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ſacris Ritibus, indici librorum prohibitorum, & expurgandorum, ac Indulgentiis, ſacriſque Reliquiis prępoſitarum, aut examinatores Epiſcoporum in facultate Theologica, Nobis, ac Romano Pontifici pro tempore exiſtenti commendare non prętermittant cenſores Academię prędictę, ſive eccleſiaſtici ſeculares, ſive regulares fuerint, idemque prętent, cum de promotione ad Epiſcopales, aliaſve eccleſiaſticas dignitates facienda agetur, ut ſingulorum meritis debita circumſpectione libratis eos eligamus, quos ad majorem Dei gloriam, & Eccleſię utilitatem in Domino expedire cenſuerimus. Quoniam autem, ut Nobis quoque innotuit, multis ex Academicis prędictis antehac cenſoris Academię hujuſmodi munus delatum fuit. Volumus quod pręter eos, qui jam cenſoris gradum obtinuerunt, nemini in poſterum hoc munus deferatur, niſi illis Academicis, qui exacto laudabiliter ſexennio, & ſex peractis publicis diſputationibus juxta prętatę Academię Conſtitutiones, nomen, & officium cenſoris dictę Academię Theologicę ſibi promeruerint. Ceterum cum idem Clemens Prędeceſſor memoratos Cardinales dictę Academię protectores, & defenſores conſtituerit, ac deputaverit, quibus felicis recordationis Innocentius Papa XIII Prędeceſſor etiam noſter dilectum filium noſtrum Bernardum Mariam tit. S. Bernardi ad Thermas ejuſdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Comitibus nuncupatum addidit, ac nonnulli ex illis ab humanis deceſſerint, Nos ipſos Cardinales Protectores, & Defenſores Academię prędictę ſic deputatos, ac de prętenti exiſtentes, aucto-

auctoritate prǽfata confirmantes, in locum defunctorum, venerabilem Fratrem noſtrum Fabritium Epiſcopum Oſtien., & Veliternen. Paulutium, Sacri venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium Collegii Decanum, ac dilectum filium noſtrum Ludovicum tituli S. Silveſtri in Capite, ipſius S. R. E. Cardinalem Picum reſpective nuncupatos, auctoritate prǽfata ſubrogamus, ac in Protectores, & Defenſores hujuſmodi pariter conſtituimus, & deputamus. Decernentes quoque eaſdem prǽſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque & non aliter in prǽmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, alioſve quoslibet quacunque prǽeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quǽ in prǽinſertis Clementis Prǽdeceſſoris literis conceſſa ſunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romǽ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI Maii MDCCXXVI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Loco ✝ Annuli Piſcatoris.

F. Card. Oliverius.

1. *Ferrario*.) De quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii XII*.

2. *Archivo*.) In quo exemplar.

3. *Videlicet &c.*) Ut in Conſtitutione *LXX Clementis XI*. Legitur *pag*. 511.

Anno 1726 Die 12 Maii.

LV.

Montis Politiani Canonizationis B. Agnetis (1) Virginis, Ordinis Prædicatorum.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

POſtquam in Congregatione Generali Sacrorum Rituum habita die II Aprilis currentis Anni, coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIII per Reverendiſſimum D. Cardinalem Scottum, loco Reverendiſſimi D Cardinalis Paulutii abſentis, propoſita fuit cauſa Canonizationis Beatǽ Agnetis Virginis Ordinis Prǽdicatorum ſuper Dubio: An, & de quibus Miraculis conſtet in caſu, & ad effectum de quo agitur, ex iiſque Sanctitas Sua, auditis DD. Conſultorum, & Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium ſuffragiis die XX ejuſdem Menſis, & Anni feſto prǽdictǽ B. Agnetis, duo in tertio genere approbavit, videlicet: Primum repentinǽ ſanationis Sororis Mariǽ Roſǽ Catharinǽ de Bonis Monialis Profeſſǽ Ordinis Sancti Dominici a pluribus morbis, quibus a duodecim Annis cruciabatur. Et ſecundum Inſtantaneǽ ſanationis Sororis Mariǽ Octaviǽ Cerretelli Monialis ejuſdem Ordinis a Pleuritide cum Febri, & Tumore in dextero Crure; Tandem die VII Maii dicti Anni habita denuo Generali Congregatione Sacrorum Rituum coram eodem Sanctiſſimo D. N. propoſitoque a memorato Reverendiſſimo D. Card. Scotto, loco Reverendiſſimi Cardinalis Paulutii ut ſupra, altero, quod ſupererat, Dubio: An ſtante approbatione duorum Miraculorum tuto poſſit deveniri ad Solemnem Canonizationem Beatǽ Agnetis in caſu &c. omnibuſque Affirmative reſpondentibus, nihilominus Sanctitas Sua reſolutionem eo die differens, rem a Patre Luminum, implorato ejus auxilio tum ſuis, tum aliorum precibus petendam eſſe exiſtimavit. Quod cum ſatis ſequentibus diebus peractum eſſet, noviſſime die Dominica infraſcripta, in Eccleſia Monialium Sanctǽ Catharinǽ Senenſis hujus Almǽ Urbis, in qua Miſſam celebravit, Sacrumque Divi Dominici habitum Nobili Puellǽ manibus ſuis tradidit, ut Chriſti fideles in Beata Virgine Agnete puriſſimum Innocentiǽ ſpecimen habeant, quod imitentur, inclytoque Prǽdicatorum Ordini novum decus affulgeat, & ornamentum, prǽſens Canonizationis Beatǽ Agnetis prǽdictǽ quandocunque faciendǽ Decretum expediri, & publicari mandavit. Die XII Maii MDCCXXVI.

F. Card. Paulutius Prǽf.

Loco ✝ ſigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Congr. Secr.

1. *Agnetis*.) Conſulenda Conſtitutio *LXXXVIII Clementis VIII*. Legitur *Tomo IV hujuſce Bullarii pag*. 577.

2. *Archivo*.) In quo exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXVI*.

Ut

Ut Congregationis S. Sabinæ Conventus juris ſint Provinciæ Lombardiæ.

Anno 1726 Die 5 Junii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Dilecto filio Thomę Ripoll Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſtro Generali.

LVI.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUod Apoſtolicę ſolicitudinis officium ad propagandam Regularem diſciplinam omnibus Religioſorum Ordinibus libenter impendimus, decet Nos inclyto Prędicatorum Ordini, & Provincię prę-ſertim Lombardię tanto libentius, & alacrius perſolvere, quanto gratiori memoria animoque illius in Nos merita recolere conſuevimus; in qua ſcilicet ſacrum Religionis habitum per ipſos adoleſcentis ętatis annos ſuſcepimus, & Prędicatorum Inſtitutum expreſſe profeſſi ſumus. Neque vero ſola pręcipui amoris incitamenta Nos excitant, ut noſtrę auctoritatis opem ad cultum, & incrementum meritiſſimę familię conferamus, ſed ſuo veluti jure dilectiſſima Provincia operam noſtram depoſcit; ut quę Nos diu doctrina, & Religioſis moribus aluit, ac Sanctiſſimis Inſtitutis ad Apoſtolicas curas informare conata eſt, fructum qualemcunque impenſi laboris cepiſſe videatur. Maternę igitur ſedulitati vicem Paternę caritatis reddere cupientes, nihil omittere debemus, quo uberius fructificet ſuavitatem odoris, & obſervantię ſalutaris, vitęque perfectioris exempla latius per univerſam Provinciam dilatentur, opportuniſque providentię noſtrę legibus firmius muniantur. Porro Sanctus Pius V Anteceſſor noſter, qui Prędicatorum Ordini in eadem Lombardię Provincia nomen dederat, Conſtitutioni felicis recordationis Pauli Papę III, ſui noſtrique Prędeceſſoris inhęrens, per Apoſtolicas literas die Vigeſima Martii Anno MDLXVII datas, Romanum Conventum Sanctę Sabinę una cum omnibus juribus, ac bonis antedictę Provincię adnexuit, & incorporavit. Quoniam vero Generalia ejuſdem Ordinis Comitia decreverant, ut per ſingulas Provincias in uno ſaltem Cęnobio exacta Regulę diſciplina integre rigideque, illęſa tamen Prioris Provincialis auctoritate, eique debita ſubjectione, vigeret; felicis recordationis Prędeceſſores noſtri Alexander Papa VII, & Clemens PP. IX arctioris hujus obſervantię in antedicto Conventu Sanctę Sabinę palęſtram, & domicilium collocarunt; ut tyronibus in ea ſeveriori exercitatione inſtitutis, imitanda virtutis exempla per univerſam Provinciam diffunderentur. Neque tamen Provincię, & Provinciali Lombardię quidquam juris, & auctoritatis detractum eſt; ut in Apoſtolicis ipſorum literis, illis pręſertim, quas laudatus Clemens IX dedit die XXI Maii anno MDCLXIX perſpicere licet. Igitur Domino dante benignitatem, terra illa dedit fructum ſuum, & Provinciali ſuo plene ſubjecta Provincia Lombardię tam in Conventu Sanctę Sabinę, quam in aliis Strictiori Obſervantię dicatis, Summorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum conſiliis, & optatis Comitiorum Generalium reſpondere perrexit; donec ſub Innocentio XII felicis itidem recordationis Prędeceſſore noſtro exempta ab omni juriſdictione Prioris Provincialis Congregatio erecta eſt Sanctę Sabinę, eique aliis nonnullis attributis Conventibus, proprius Vicarius prępoſitus eſt, a Generali Ordinis Magiſtro ſingulis bienniis eligendus; ut in Apoſtolicis Literis, quas anno ſui Pontificatus quarto dedit, fuſius explicatur. Votis tamen ejuſdem Pontificis Obſervantię latius dilatandę, exitus minime obſecundavit. Floruit enim Regularis diſciplina, & Sanctę Sabinę Congregatio optimis exemplis Religioſę virtutis abundavit; ſed per novam illam regiminis formam potius intra Congregationis fines concluſa, quam ad totius Provincię utilitatem amplificata Obſervantia eſt. Nos proinde diuturna longi temporis experientia edocti, atque ad propagationem non minus, quam conſervationem purioris diſciplinę animum intendentes; Conſtitutionibus Anteceſſorum noſtrorum Pauli Tertii, Sancti Pii Quinti, Alexandri Septimi, & Clementis Noni, & ipſius etiam Innocentii Duodecimi propoſito inhęrentes, necnon deſideriis, & conatibus Comitiorum dilectiſſimi Ordinis ſuffragantes, poſt maturam deliberationem, & collata conſilia cum Viris zelo, prudentiaque commendatis, per Apoſtolicas haſce noſtras in forma Brevis literas perpetuo valituras, pręcipimus & mandamus, ut ſtricta Obſervantia firma permanente in Conventibus inferius exprimendis, ſalviſque Regulis, quas pro munienda, propagandaque obſervantia in antedicta Provincia Lombardię pręſcribendas duximus, auctoritati, juriſdictioni, viſitationi, correctioni, curę & regimini Prioris Provincialis Lombardię pro tempore exiſtentis omnino pareant, & ſubjecti ſint una cum omnibus bonis, juribus, & pertinentiis ſuis, Conventus & Fratres in ipſis commorantes, videlicet: Sanctę Sabinę Romę, Sancti Dominici Ravennę, Sancti Dominici Ferrarię, Sancti Dominici in Urbe Sancti Severini, Sanctę Catharinę in Trino Dięceſis Caſalenſis, & qui poſiti ſunt Cęſenę, in Lugo, in Meldula, in Bonifacio, una cum altero in eadem Inſula Corſica conſtituto; perinde ac ſi nunquam Apoſtolicę literę ejuſdem Innocentii Duodecimi, alięque Conſtitutiones editę fuiſſent, quę enumeratos Conventus ab auctoritate, ac jure Prioris Provincialis Lombardię, aut cujuſcunque alterius Provincialis ſubduxerunt; quibus & aliis in contrarium quomodolibet facientibus de plenitudine poteſtatis per has pręſentes literas ampliſſime derogamus: Pro conſervanda vero, ac dilatanda per totam Lombardię Provinciam Severiori diſciplina, has Regulas pręſcribimus, atque ut perpetuo ſerventur, diſtricte pręcipimus, & mandamus. I. Vita communis, & rigor Obſervantię Regularis, qui tam in Conventu Sanctę Sabinę, quam in aliis ſuperius expreſſis in pręſens viget, perpetuo retineatur, & quam fieri poteſt maximo perfectionis ſtudio cuſtodiatur, & obſervetur. II. Cum Provinciales pro tempore ad viſitandos eoſdem Conventus ſe conferent, neque ipſi utantur Regulę remiſſionibus, ac diſpenſationibus, neque illas ſociis ſuis permittant, quę conſuetę eorundem Conventuum vitę adverſentur. Ip-

Note.

Ipſorum enim exempla ceteris eſſe debent vivendi norma. III. Ita quoque ſe gerant Viſitatores, ſi qui forte ad ſupplendas Provincialium vices deſtinabuntur; & Commiſſarii omnes, qui ad Conventus antedictos quacunque de cauſa perrexerint. Ejuſmodi autem vices, & commiſſiones non demandentur, niſi Fratribus zelo, & gravitate prçditis, atque erga Regularem Obſervantiam optime animatis. IV. Cum Provincia Lombardię in plures Regiones, quas Quarteria appellant, partita ſit, ſingulis autem Regionibus Vicarius prçſit, qui abſente Provinciali ſubjectis ſibi Conventibus advigilet, proſpiciatque, Nova Regio in eadem Provincia conſtituatur, Sanctę Sabinę nomine nuncupanda, in qua memorati Conventus comprehendantur, eique a Provinciali Vicarius prçficiatur, qui tamen ſemper in aliquo ex novę Regionis Conventibus commoretur. V. Tyrocinii Domus, ſive Noviciatus purus in eodem Conventu Sanctę Sabinę conſervetur pro tradendo Religionis habitu, ea prorſus ratione, qua, ad normam Decreti felicis recordationis Alexandri Septimi, fuerat ibidem conſtitutus, antequam Conventus ille a Provincia ſepararetur. Provinciales autem pro tempore, quoad ejus fieri poterit, curent, & ſatagant, ut quot in Noviciatu Cęllę ſunt, totidem Tyrones in anno probationis ibi exercendos, deſtinent & adſignent. VI. Quoniam affiliationes, quas vocant, ſtrictiori diſciplinę laudatiſſimi Ordinis non adverſantur, immo potius valde conducunt, ut Religioſi obſervantię cultores retineantur in Conventibus, quibus per affiliationem fuerint adſcripti, volumus & mandamus, ne quis in poſterum ad habitum in nova regione admittatur, niſi certo Conventui per affiliationem adſcribatur, ejuſdem quidem regionis, ſi fieri poſſit, aut ſaltem Provincię, ſi tanto Religioſorum numero ejus regionis Conventus abundent, ut novis affiliationibus locus eſſe non poſſit. Qui vero ſine affiliatione ulla hactenus in Congregatione admiſſi ſunt, illis Conventibus per affiliationem incorporati intelligantur, quibus in prçſens aſſignati inveniuntur. Prçterquam ſi quis, antequam Congregatio erigeretur, per affiliationem jam fuiſſet alicui ex Conventibus, ſive hujus regionis, ſive Provincię affixus, cui ſemper affixum remanere decernimus, graviter interdicentes tam admiſſis, quam admittendis, ne ſine expreſſo Apoſtolico beneplacito affiliationem ſuam ad Conventus alterius regionis, aut Provincię transferre valeant. VII. Juniores Religionem profeſſi in Conventu Sanctę Sabinę, ſive in aliis Conventibus ejuſdem regionis, in qua probationis domicilia fuerint, benedicente Domino, utcumque multiplicata, ad colenda ſtudia in ſolis ejuſdem regionis Conventibus aſſignentur. VIII. Methodus autem aſſignandi ſtudiorum cauſa juniores in nova hac regione profeſſos, diligentiſſime teneatur, ac ſervetur per annos ſaltem quinque ab emiſſa profeſſione numerandos, quo temporis ſpatio minime liceat Priori Provinciali ad alterius regionis ſtudia eoſdem deſtinare, niſi quis fortaſſe ęgra valetudine impar evaſerit rigori obſervantię diutius ferendo, tunc enim Prior Provincialis, quod facto opus erit, pro ſua prudentia decernet, modo tamen cauſa infirmitatis probata ſit teſtimonio ſubſcripto, & jurejurando firmato a Fratribus Conſilii illius Conventus, cui profeſſus valetudinarius adſignatus eſt. IX. Ut quę de ſtudiorum domicilio prçſcripſimus, firmius conſiſtant, non ſolum ſtudia, quę materialia dicuntur, in nova regione ſtabiliantur, ſed formale etiam, quod appellatur, ſtudium in apto Conventu conſtituatur, in quo juniores triennalem curriculum ſtudii Theologici formalis explere poſſint, atque ad gradum Lectorum ſe rite comparare. In ſtudio tamen Generali Bononienſi tam ad ſtudium formale, quam ad Lectoris gradum, ſecundum communes toti Provincię leges, examinentur & approbentur. X. Ubi ſtudium formale novę regionis idoneo numero fuerit inſtructum ad formam ceterorum Provincię ſtudiorum formalium, quemadmodum etiam ubi ſtudiis materialibus ſuus non deſit ſtudentium numerus, liceat quidem Priori Provinciali alios ultra numerum redundantes aliis ſtudiis, prçſertim formalibus Provincię aſſignare, ſi tamen in hiſce aliis Conventibus obſervantia vigeat per Sacram Congregationem diſcipline regulari prçpoſitam approbata, ac ſimul qui adſignandi ſunt per integrum ſaltem quinquennium in obſervantia ſuę regionis exerciti fuerint, & confirmati. XI. Pro ſtudiis iiſdem Lectores non deſignentur, niſi qui in eadem nova regione habitum Ordinis induerint, atque in ea educati, & inſtituti ſint. Quod ſi aliquando peculiaris cauſa poſtulet, ut ex alia regione Lector aſſumatur, non aliter id fieri liceat, quam ſi Lector ipſe per integrum ſaltem annum jam antea laudabiliter vixerit in Conventibus novę regionis, ſitque propenſo ſtudio erga obſervantiam affectus. XII. Priores Provinciales pro tempore operam libenter conferant, ut qui in aliis Provincię Conventibus educati ſunt, ad ſtudia novę regionis volentes tranſeant, curentque pariter, ut ceteris quoque Fratribus cujuſcunque conditionis, aut gradus aditus pateat, ſi qui obſervantioris vitę deſiderio impulſi, ultro ſe ad novam regionem transferre voluerint. XIII. Sub pęna nullitatis nemo eligatur, aut electus confirmetur in Priorem, aut quocunque titulo in Superiorem eorundem Conventuum, qui habitum non ſuſceperit, ac ſimul educatus non fuerit in hac nova Provincię regione, aut ſaltem in eadem per quadriennii ſpatium antea non vixerit, ac ſui pro obſervantia ſtudii, zelique ſpecimen idoneum non prçbuerit. Quod in Magiſtris etiam Noviciorum tam ſimplicium, quam profeſſorum eligendis, ac prçficiendis obſervetur. XIV. Hujus novę regionis Alumni, qui in illa habitum, atque inſtitutionem acceperint, pro quovis Provincię Conventu eligi, confirmari & inſtitui Priores poſſint, atque ad Lectoris, ſuperioremque alium quemcunque gradum provehi, etiam in generali ſtudio Bononię, necnon ad prçdicandi verbi Dei, & alia quęlibet munera, prçſertim vero ad graviſſimum Magiſtri Noviciorum tam ſimplicium, quam profeſſorum officium, ut zelo, exemplo, ductuque ſuo per totam Provinciam obſervantię cultum diffundant, & augeant, quod eſt prçcipuum noſtrę ſollicitudinis propoſitum, in hiſce Capitulis ſanciendis, quę perpetuo, & inviolabiliter obſervanda prçcipimus ſub pęna indignationis noſtrę, aliiſque noſtro, & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis adverſus eos, qui illa vel in totum, vel ex parte violare prçſumpſerint. Has igitur prçſentes in forma Brevis literas, & quidquid in iiſdem prçſcripſimus, firma, & valida ſemper manſura decernimus, & ab illis ad quos ſpectat inviolabiliter obſervanda, ſicque in prçmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane eſſe, ſi ſecus ſuper his

a quo-

a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę regula, de jure quęſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, pręſertim antedicti felicis recordationis Innocentii Papę XII, necnon Ordinis, Congregationis, & Conventuum hujuſmodi, aliiſve, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam ejuſdem Ordinis Congregationi, & Conventibus, eorumque perſonis quibuslibet, ac ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem ut earundem pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem fides adhibeatur, quę ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Collata itaque zeli tui ſedulitate, atque in mandatis noſtris capeſſendis, & obeundis alacritate, ac vigilantia, plene confidimus, fructum paternę ſollicitudinis pro ſeverioris diſciplinę incremento votis noſtrę caritatis eſſe reſponſurum. Ac tibi, dilecte fili, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die V Junii MDCCXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Carolus Archiep. Emiſſenus.

Loco ✝ Annuli Piſcatoris.

1. *Archivo.*) In quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCCXXVI.*

Anno 1726 Die 7 Junii.

Quod Prior Provinciæ utriuſque Lombardiæ renunciatus ſit, F. Vincentio Thomæ Fracchiæ gratulatur (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LVII.

Dilecto filio Vincentio Thomę Fracchię Ordinis Fratrum Pręd icatorum Profeſſori Provinciali Lombardię.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUę ad Provincię iſtius utilitatem, & ornamentum conducunt, non poſſunt Paternę noſtrę caritati, niſi jucundiſſima accidere. Nuncium propterea literarum tuarum, quo Te Priorem Provincialem electum eſſe ſignificaſti, lętiſſimo animo accepimus, & magna inde obſervantię regularis incrementa obventura confidimus. Deo igitur Omnipotenti gratias agimus ſingulares, quod perſpectas virtutes tuas ibi collocaverit, unde poſſis ad plurium inſtitutionem advigilare, iiſque morum, vitęque exemplo pręlucere. Tibi autem, dilecte fili, dum merito delatum regiminis miniſterium gratulamur, uberes ſimul a zelo prudentiaque tua fructus, novamque in dies lętitię materiam expectamus. Amore enim, & ſollicitudine a Provincia commendatiſſima, quę Nos Pręd icatorum Ordini peperit, aluitque, non abſumus. Immo vero & Apoſtolica ſervitute Nobis injuncta id etiam ad priſtinam caritatem acceſſit, ut ad religioſę diſciplinę cultum, & regularis obſervantię profectum, curas, & animum intentius advertamus; in quo ſcilicet magnum Eccleſię pręſidium poſitum eſſe intelligimus. Ac Tibi, dilecte fili, Univerſęque Provincię Tibi creditę Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die Septima Junii MDCCXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio. C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Gratulatur.*) Huc ſpectat ſequens inſtrumentum.

Univerſis PP. & FF. Ordinis Pręd icatorum Provincię noſtrę utriuſque Lombardię, F. Vincentius Thomas Fracchia Valentinus S. T. M. ac Prior Provincialis ſalutem, & gratum animum.

SAnctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Benedicti XIII erga Provinciam atque humilitatem noſtram ſummę dignationis literas ubi Bononię poſt Provincialia Comitia recepiſſemus, continuo typis mandavimus, perque Provinciam diſpergi curavimus. Verum cum, ut nuper dolentes accepimus, non omnibus curę noſtrę ſubjectis Domibus, caſu aliquo certe nobis inopinato, eę patuerint: quo neminem jam veſtrum lateant, nova in dies Beatiſſimi Papę impenſę dilectionis argumenta, eaſdem denuo vulgatas ad vos tranſmittimus. Legite ergo rurſumque legite tenerrimę caritatis conſtantiam; ac bono Provincię, quam ad priſtinę neceſſitudinis, & ſedulę pietatis ſolatium recolit ſuam, Beneficentiſſimi Pontificis inten-

intentum animum perpendite lętis ſenſibus. Indeque vobis ipſis de gloriatione veſtra, & magnis adhuc ſpebus gratulantes, id agite gratis iterum atque iterum precibus, ut Deus Opt. Max. deſideratum cunctis Gentibus Benedictum XIII ad gloriam Jeruſalem, ad Populi noſtri honorificentiam diu incolumem ſervet. Valete in obſecrationibus ad Deum veſtris noſtri, ſociorumque memores. Datum Cremonę in Conventu noſtro S. Dominici die VII Auguſti MDCCXXVI.

Ita eſt F. Vincentius Thomas Fracchia, Magiſter ac Prior Provincialis, qui ſupra.
Regiſt. fol. 80.
F. Carolus Dominicus Ferri Ticinenſis, Prior Chienſis, & Socius.

1. *Archivo*.) In quo exemplar.

Anno 1726 Die 16 Junii.

Extinguit & ſupprimit Anconitanam Confraternitatem (1) SS. Roſarii, quam *Cappatam* vocant.

LVIII.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

QUanta Eccleſię Dei commoda, & bona proveniant a pia exercitatione, qua adoleſcentes a teneris uſque annis ad pietatem, & religionem informandi, in eccleſiaſticis puerorum Seminariis detinentur, provide conſiderantes, quod Seminariis eiſdem honeſti, & pro eorum indigentiis opportuni redditus abunde ſuppetant, ex animo concupiſcimus, unde ſi ipſa aliquando decentibus carere ſubſidiis pręnoſcimus, etiam per quarundam laicorum Confraternitatum ſuppreſſionem ſollicite ſubvenire exiſtimamus, aliaque deſuper illorum favore concedimus, quę conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cum, ſicut accepimus, utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas, Cappata nuncupata, ſub invocatione Sanctiſſimi Roſarii in Eccleſia Sanctę Marię Incoronatę nuncupatę, Conventus Ordinis Fratrum S. Dominici Prędicatorum nuncupatorum Civitatis Anconitanę erecta, & inſtituta reperiatur, Nos ex rationabilibus, & juſtis cauſis Nobis notis animum noſtrum moventibus, Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine dictam Confraternitatem una cum illius denominatione, invocatione, nuncupatione, titulo, eſſentia, ac qualitate, Apoſtolica auctoritate perpetuo ſupprimimus, & extinguimus, eandemque Confraternitatem perpetuo ſuppreſſam, & extinctam eſſe, & fore decernimus. Nos proinde infraſcripti Seminarii, ac Fratrum Conventus infraſcriptę Eccleſię indemnitatibus, atque commoditatibus aliqua in parte reſpective conſulere volentes, ac Fratres eoſdem a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum preſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon alias Conventibus, & Fratribus, ac Seminario hujuſmodi applicationes, incorporationes, conceſſiones, & aſſignationes quomodolibet hactenus forſan factas, ſi quę ſint, pręſentibus pro expreſſis habentes, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ejuſdem Confraternitatis, ſic per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſę, & extinctę Capellam, ſeu Altare, ac Oratorium cum magazenis, fabrica, ſeu manſionibus ſubterraneis ſub eodem Oratorio exiſtentibus, quod eſt de directo dominio dicti Conventus, & per pactum expreſſum in conceſſione illius fundi dicto Conventui reſervatum remanet, necnon omnia mobilia, & ſupellectilia cujuſcunque ſpeciei, quantitatis, & valoris, ac omnia ornamenta, candelabra, & vaſa ſacra, aurea & argentea cujuſcunque generis, & pretioſi valoris exiſtant, & ad dictam Confraternitatem per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſam, & extinctam quomodolibet ſpectantia, ac bona omnia aſſis hęreditarii per quondam tunc in humanis agentem Joſephum Bonfigli dum vixit Pharmacopolam Anconitan., ac credita omnia, actiones, & jura quęcunque ad dictum aſſem hęreditarium quomodocunque pertinentia, exacta, & exigenda, necnon ſcripturas, juſtificationes, libros, & notitias omnes tam publicas, quam privatas, & in ſtatu, in quo de pręſenti reperiuntur, ac pecunias omnes ad quamcunque ſummam aſcendentes, & eidem Confraternitati per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſę, & extinctę, juxta ejuſdem Joſephi, ſub qua ab humanis deceſſit, diſpoſitionem teſtamentariam ad effectum, ut tot Capellanię ab eadem Confraternitate per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſa, & extincta erigerentur, relicta eidem Conventui, & Fratribus, cum hoc tamen, quod nunc, & pro tempore exiſtentes ejuſdem Ordinis Fratres tantum, & non alii Presbyteri quoad diſpoſitionem teſtamentariam pręfati Joſephi, loco Capellaniarum hujuſmodi, tot Miſſas in Eccleſia S. Dominici pręfatę Civitatis Anconitan. in perpetuum celebrare teneantur, pro quarum celebratione, & manutentione ſecundodicti Conventus Fratres pręfati tot funda, & bona ſtabilia, vel Loca Montium Cameralium, & non vacabilium ex pręfato aſſe hęreditario deſumenda, & ex eorum annuis redditibus ſummam ſexaginta ſcutorum monetę Romanę pro qualibet Miſſa perpetua, annuatim reſpondentia, emere, & aſſignare ſimiliter teneantur, cum hoc pariter, quod omnia Anniverſaria, & Miſſę perpetuę a teſtatoribus, aliiſque diſponentibus uſque in pręſentem diem eidem Confraternitati per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſę, & extinctę demandatę, a pro tempore exiſtentibus Fratribus ſecundodicti Conventus tantum, & non ab aliis Presbyteris in pręfata eorum Eccleſia Sancti Dominici in perpetuum celebrari, & adimpleri debeant, ſolutis tamen ſecundodicti Conventus Fratribus nunc, & pro tempore exiſtentibus per infraſcriptum Seminarium ſingulis menſibus eleemoſynis Miſſarum ſecundodictarum, ad rationem unius julii monetę pręfatę pro qualibet Miſſa hujuſmodi, & ſtipendiis pro adimplemento Anni-

Anniverſariorum hujuſmodi ad rationem, & juxta quantitatem perſolvi conſuetam ab eadem Confraternitate per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſa, & extincta, perpetuo tenore pręſentium etiam applicamus, & incorporamus. Reliqua vero bona omnia, res, proprietates, cenſus, canones, domos, vineas, prędia, poſſeſſiones, reſponſiones, fructus, loca montium, & jura quęcunque, undecunque, & quomodocunque provenientia, etiam cujuſcunque ſpeciei, quantitatis, qualitatis, & valoris exiſtant, & uſquedum adminiſtrata, percepta, & poſſeſſa per dictam Confraternitatem per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſam, & extinctam, & eidem Confraternitati per Nos, ut prefertur, ſuppreſſę, & extinctę, competentia, ſpectantia, & pertinentia, Seminario puerorum eccleſiaſtico dictę Civitatis Anconitan. cum obligatione tamen, quod pręfatum Seminarium, non ſolum eleemoſynas, & ſtipendia pro adimplemento, & manutentione Anniverſariorum, & Miſſarum perpetuarum hujuſmodi, ſed etiam pro dote, & manutentione Capellę, ſeu Altaris ejuſdem Sanctiſſimi Roſarii in dicta Eccleſia Sancti Dominici ſitę, ſeu ſiti, ac pro functionibus infra annum peragendis, & celebrandis ab eiſdem ſecundodicti Conventus Fratribus ad honorem, & gloriam Beatę Marię Virginis nunc, & pro tempore exiſtentibus ejuſdem ſecundodicti Conventus Fratribus pręfatis ſcuta centum pręfatę monetę Romanę in perpetuum ſingulis annis exburſare, & ſolvere, ac prout antea dicta Confraternitas per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſa, & extincta tenebatur Conſervatorium pupillarum dictę Civitatis Anconitan. manutenere, dotes ſolvere, ac ſingulis annis legato ſcutorum quatuor centum monetę Romanę hujuſmodi Monialibus Monaſterii S. Sebaſtiani pręfatę Civitatis Anconitan. S. Benedicti, ſeu alterius Ordinis debito ſatisfacere, ac perſonis in carceribus detentis exburſare ſolitam eleemoſynam, necnon reliqua legata omnia, & onera univerſa quęcunque ſi quę ſint, etiam ſpecialem mentionem requirentia, & eidem Confraternitati per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſę, & extinctę quomodocunque incumbentia, juxta & ſecundum piorum teſtatorum fundatorum, aliorumque diſponentium voluntates, & diſpoſitiones adimplere, ac omnibus legatis ſimiliter, quę pręfata Confraternitas per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſa, & extincta ſatisfaciebat, ſatisfacere, eaque adimplere omnino teneantur, etiam perpetuo earundem tenore pręſentium reſpective applicamus, & cum ceteris Seminarii pręfati reſpective bonis incorporamus, ac reſpective concedimus, & aſſignamus. Decernentes pręmiſſa omnia, & ſingula, necnon eaſdem pręſentes etiam ex eo, quod pręfatę Confraternitatis per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſę, & extinctę Officiales, & Confratres, & ceteri quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prętendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, aut auditi, & cauſę propter quas eędem pręſentes emanarunt adductę, verificatę, aut juſtificatę ullatenus fuerint ullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & ſubſtantiali, ſive etiam ex eo, quod in eiſdem pręmiſſis ſolemnitates, & quęvis alia ſervanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta non fuerint, vel ex quocunque alio capite, a jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, etiam in corpore juris clauſo, ſive etiam enormis, enormiſſimę, & totalis lęſionis, & quovis alio prętextu, occaſione, vel cauſa, etiam quantumvis juſta, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quę ad effectum validitatis pręmiſſorum neceſſario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcunque juris, facti, vel gratię remedium impetrari, ſeu quomodolibet conceſſo, & impetrato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe, ſed ipſas pręſentes ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit, in futurum pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque, & non alias in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, & Apoſtolicę Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quacunque pręeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et inſuper, quatenus opus ſit, pro pręmiſſorum obſervatione venerabilibus Fratribus Anconitan., Æſin., & Auximan. Epiſcopis per pręſentes Motu proprio, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem pręſentes, & in eis contenta quęcunque. ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum ſecundodicti Conventus, ac Seminarii prefati requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, & in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra illas, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, illiſque pacifice frui, & gaudere, non permittentes quempiam ex ſecundodicti Conventus Fratribus, & Seminarium hujuſmodi deſuper quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, ſervata tamen forma Concilii Tridentini, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus pię memorię Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, in qua cavetur, expreſſe, ne quis extra ſuam Civitatem, & Diœceſim niſi in certis tunc expreſſis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Diœceſis ad judicium evocare, ſeu ne judices a Sede Apoſtolica pręfata deputati extra Civitatem, vel Diœceſim, in quibus deputati fuerint contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis ſuas vices committere audeant, vel pręſumant, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo tamen ultra tres dietas aliquis vigore earundem pręſentium ad judicium non trahatur, necnon dictę Confraternitatis per Nos, ut prefertur, ſuppreſſę, & extinctę erectione, ac pręfati Joſephi, aliorumque quorumcunque ad favorem dictę Confraternitatis per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſę, & extinctę teſtatorum, ſeu diſponentium voluntatibus, necnon Miſſarum, & Anniverſariorum, alio-

aliorumque legatorum piorum, & onerum fundatoribus, & quibuſvis aliis diſpoſitionibus, ac prępmiſſis omnibus, & quatenus opus ſit, de jure quęſito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in ſuppreſſionibus, unionibus, ſeu applicationibus, illiſque committendis ad partes, vocatis quorum intereſt, & aliis noſtris, & Cancellarię Apoſtolicę regulis, necnon Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus a jure permiſſis, fieri prohibentis, aliiſque Apoſtolicis, etiam in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus Conciliis editis, vel edendis, ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Confraternitatis per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſę, & extinctę, & Conventus hujuſmodi, & Ordinis pręfati, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Confraternitati per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſę, & extinctę, Conventibus, & Ordini, ac Fratribus pręfatis, & quibuſvis aliis perſonis ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita, obſervata, & inſerti forent, eiſdem pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, latiſſime, & pleniſſime, ac ſpecialiter, & expreſſe hac vice duntaxat, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ad pręmiſſorum effectum harum ſerie derogamus, & derogatum eſſe volumus, & declaramus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abſolutionis, ſuppreſſionis, extinctionis, decreti, applicationis, incorporationis, conceſſionis, aſſignationis, poſterioris decreti, derogationis, voluntatis, & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Septingenteſimo Vigeſimo Sexto, Sextodecimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

J. S. Villa.

1. *Confraternitatem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Anconitano*.

Anno 1726
Die 16 Junii.

LIX.

De Lycien. Confraternitate SS. Roſarii (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

IN ſupremo Apoſtolicę dignitatis ſolio, & poteſtatis plenitudine ſuprema Redemptoris noſtri clementia, meritis licet imparibus, conſtituti, ad ea noſtrę ſolertię curas libenter dirigimus, quę Conventuum, ac Fratrum in eis degentium, pręſertim noſtri Ordinis Prędicatorum utilitates, & commoda reſpicere dignoſcuntur, ac eis de aliquibus opportunis proventibus pro onerum illis incumbentium ſublevamine providere ſtudemus, ut Conventus, & Fratres hujuſmodi erga proximorum ſalutem, pietatis, & caritatis opera ſemper exercere valeant in Domino. Cum, ſicut accepimus utriuſque ſexus Chriſti fidelium, Confraternitas, Cappata nuncupata, ſub invocatione Sanctiſſimi Roſarii in Eccleſia Sancti Johannis de Aymo nuncupata Conventus Ordinis Sancti Dominici Prędicatorum nuncupatorum Civitatis Lycien. erecta, & inſtituta reperiatur: Nos ex rationabilibus cauſis nobis notis, & animum noſtrum moventibus motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine dictam Confraternitatem una cum illius denominatione, invocatione, nuncupatione, titulo, eſſentia, ac qualitate, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium perpetuo ſupprimimus, & extinguimus, eandemque Confraternitatem perpetuo ſuppreſſam, & extinctam eſſe, & fore decernimus, ac ejuſdem Confraternitatis ſic per Nos, ut pręfertur, extinctę, & ſuppreſſę Capellam, ſeu Altare, ac Oratorium dictę Eccleſię contiguum, nec non omnia mobilia, & ſuppellectilia cujuſcunque ſpeciei, quantitatis, & valoris, ac omnia Ornamenta, candelabra, & Vaſa Sacra, aurea, argentea cujuſcunque generis, & pretioſi valoris exiſtentia, ac ad dictam Confraternitatem per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſam, & extinctam quomodolibet ſpectantia, ac bona omnia, & univerſa tam mobilia, quam ſtabilia, tam ſacra, quam profana, necnon res, proprietates, cenſus, domos, canones, vineas, prędia, poſſeſſiones, reſponſiones, fructus, loca montium, & jura quęcunque undecunque, & quomodocunque provenientia, etiam cujuſcunque ſpeciei, quantitatis, qualitatis, & valoris exiſtentia, & uſque nunc adminiſtrata, percepta, & poſſeſſa per dictam Confraternitatem per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſam, & extinctam, & ad dictam Capellam, ſeu Altare, ac Oratorium pręfatum, necnon ad eandem Confraternitatem per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſam, & extinctam ſpectantia, & pertinentia, eidem Conventui, & Fratribus pręfatis, cum hoc tamen, quod omnia Anniverſaria, & Miſſę perpetuę uſque in pręſentem diem eidem Confraternitati per Nos, ut prefertur, ſuppreſſę, & extinctę incumbentia, per eoſdem nunc, & pro tempore exiſtentes Fratres dicti Conventus reſpective adimpleri, ac Capella, ſeu Altare Sanctiſſimi Roſarii in dicta Eccleſia prędicta, ſeu prędictum manuteneri, & functiones omnes per Annum prout dicta Confraternitas per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſa, & extincta peragebat, peragi reſ-

reſpective debeant, & teneantur perpetuo, etiam tenore pręſentium applicamus, & cum ceteris ejuſdem Conventus bonis annectimus, & incorporamus, & inſuper Conventui, & Fratribus pręfatis bona omnia pręfata, ut ſupra perpetuo concedimus, & aſſignamus, decernentes pręmiſſa omnia, & ſingula, nec nos eaſdem pręſentes, etiam ex eo quod prędictę Confraternitatis per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſę, & extinctę Officiales, & Confratres, & ceteri quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet pretendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, aut auditi, & cauſę, propter quas eędem preſentes emanarunt adductę, verificatę, aut juſtificatę ullatenus fuerint, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & ſubſtantiali, ſive etiam ex eo quod in eiſdem pręmiſſis ſolemnitates, & quęcunque alia ſervanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta non fuerint, vel ex quocunque alio capite a jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, etiam in corpore juris clauſo, ſive etiam enormis, enormiſſimę, & totalis lęſionis, & quovis alio pretextu, occaſione, vel cauſa, etiam quantumvis juſta, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quę ad effectum validitatis pręmiſſorum neceſſario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcunque juris, facti, vel gratię remedium impetrari, ſeu quomodolibet conceſſo, aut impetrato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe, ſed ipſas pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum, pleniſſime ſuffragari, & ab eis quoque reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque, & non alias in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, & Apoſtolicę Sedis Nuncios, alioſque quoslibet quacunque pręeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus dictę Confraternitatis per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſę, & extinctę erectione, & pręmiſſis, omnibus, & quatenus opus ſit, de jure quęſito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in ſuppreſſionibus, unionibus, ſeu applicationibus, illiſque committendis ad partes, vocatis quorum intereſt, & aliis noſtris, & Cancellarię Apoſtolicę regulis, necnon Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus a jure permiſſis fieri prohibentis, aliiſque Apoſtolicis, Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Confraternitatis, per Nos, ut pręfertur, ſuppreſſę, & extinctę, ac Conventus hujuſmodi, & Ordinis pręfati, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę ſuppreſſionis, extinctionis, decreti, applicationis, annexionis, & incorporationis, conceſſionis, aſſignationis, & poſterioris Decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Septingenteſimo Vigeſimo ſexto, Sexto decimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Roſarii.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Arcbivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Lycienſi.*

Gerunden. Canonizationis B. Dalmatii (1) Monerii Ordinis Prædicatorum.

Anno 1726 Die 19 Junii.

LX.

Ex Arcbivo (2) Ordinis.

CUm ſub die IX Auguſti MDCCXXI, annuente poſtmodum die XIII ejuſdem menſis, & anni ſanctę memorię Innocentio PP. XIII Sac. Rituum Congregatio, Sententiam per Judices ab Epiſcopo Gerunden. delegatos latam, ſuper Cultu immemorabili B. Dalmatio Monerio exhibito, confirmandam eſſe cenſuerit: Cumque modo ex parte Reverendiſſimi P. Thomę Ripoll Ordinis Prędicatorum Magiſtri Generalis pro conceſſione illius Officii, & Miſſę ſub ritu duplici de Communi Confeſſorum non Pont. Sac. Rituum Congregationi enixe ſupplicatum fuerit, Sac. eadem Congregatio, accedentibus etiam humillimis Inſtantiis ab Epiſcopo Gerunden. Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto PP. XIII directis, & a Sanctitate Sua ad eandem remiſſis, ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Scotti, Reverendiſſimo Proſpero de Lambertinis Archiepiſcopo Theodoſię Fidei Promotore in ſcriptis, & in voce prius audito, petitum Officium B. Dalmatii Monerii ſub ritu duplici tam in univerſo Prędicatorum Ordine utriuſque ſexus, quam etiam ab omnibus Eccleſiaſticis Secularibus, ac Regularibus utriuſque ſexus pręfatę Civitatis, ac totius reſpective Diœceſis ubi idem Beatus ortum habuit, ejuſque Corpus in Eccleſia dictorum PP. ſumma Populi devotione veneratur, die XXIV Septembris Anniverſaria ejus obdormitionis in Domino in poſterum recitandum, & Miſſam celebrandam concedi poſſe cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die XXV Maii MDCCXXVI. Factaque deinde per me Secretarium de prędictis Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die XIX Junii ejuſdem Anni MDCCXXVI.

C. Cardinalis de Marinis Pręfectus.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiep. Apamenus Sac. Rit. Congreg. Secr.

1. *B. Dal-*

1. *B. Dalmatii.*) Conſulenda Conſtitutio *LXII.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXVI.*

Anno 1726
Die 18 Julii.

LXI.

De SS. Roſarii (1) ſupplicatione Solemni.

Ex Regeſto (2) parvo Sac. Cong. Epiſc., & Regularium.

Ad XII Julii MDCCXXVI.

PRocurator Generalis Ordinis Prædicatorum. Ex Audientia Sanctiſſimi die XVIII Menſis Julii MDCCXXVI Sanctiſſimus inſpecto tenore literarum Apoſtolicarum, declaravit juxta indiſtincte ſancita in parte diſpoſitiva, fuiſſe mentem Sanctitatis Suç, tam pro Proceſſionibus in prçteritum introductis, quam in futurum introducendis, & ſive Fratres Ordinis ſint in poſſeſſione Proceſſiones celebrandi juxta dictas literas, ſive non. Et ita mandavit exequi. Ac ad removendum omne dubium, & dirimendas controverſias injunxit eſſe ſcribendum juxta prçdicta per Congregationem Epiſcoporum, & Regularium Domino Nuncio Apoſtolico apud Regem Catholicum, & aliis, quibus opus fuerit.

E ſotto lo ſteſſo giorno la Sagra Congregazione ſcriſſe a Monſignor Nunzio in Madrid, nè più ad altri non eſſendo occorſo caſo veruno, per eſſerſi allora data da pertutto l' eſecuzione piena al ſudetto Breve, ora in più luoghi contraſtata.

1. *Roſarii.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Regeſto.*) Ejuſdem vivæ vocis oraculi autographum aſſervatur in Archivo Ordinis. Anno *MDCCXXXIII.* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum fuit *Romæ*. Hujus tenoris eſt.

Die XII Julli MDCCXXVI.

DOmenicani. Il Procurator Generale. Ex audientia Sanctiſſimi die XVIII Julii MDCCXXVI Sanctiſſimus inſpecto tenore literarum Apoſtolicarum, declaravit indiſtincte ſancita in parte diſpoſitiva fuiſſe mentem Sanctitatis Suç tam pro Proceſſionibus in prçteritum introductis, quam in futurum introducendis, & ſive Fratres Ordinis ſint in poſſeſſione Proceſſiones celebrandi juxta dictas literas, ſive non. Et ita mandavit exequi, ac ad removendum omne dubium, & dirimendas controverſias injunxit eſſe ſcribendum juxta prçdicta per Congregationem Epiſcoporum, & Regularium D. Nuncio Apoſtolico apud Regem Catholicum, ac aliis quibus opus fuerit. Scriptam fuiſſe Epiſtolam, ut ſupra Nuncio Apoſtolico prçdicto, ex regeſto autographo apparet.

Ita reperitur in parvo regeſto Decretorum Sacrç Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, quod aſſervatur in Secretaria ejuſdem. In fidem &c. Hac die XI Aprilis MDCCXXXIII.

J. Archiep. Corinth. Secr.

Al Molt' Illuſtre, e Reverendiſſimo Monſignor, e Fratello Il Nunzio Apoſtolico. Madrid.

Molt' Illuſtre Reverendiſſimo Monſignore come Fratello.

E già nota a V.S. la controverſia inſorta tra diverſi Ordinarj, e Parochi circa la pretenzione, anno, che i Padri Domenicani in que luoghi, ove non è la conſuetudine non poſſino fare la proceſſione del Santiſſimo Roſario nella prima Domenica d' Ottobre ſenza la loro aſſiſtenza, e la licenza degl' Ordinarj ſudetti, anco per l' ingreſſo entro li limiti delle Parochie contro l' antico poſſeſſo, in cui ſi trova la Religione di farla, ſenza l' enunciata licenza, ed aſſiſtenza, e contro il Breve di N. S. ſopra di ciò ſpedito a favore de medeſimi Religioſi ſotto li X Aprile dell' Anno ſcorſo, in cui concede facoltà alli Padri delle Provincie, e dell' Ordine, che poſſino per l' avvenire fare liberamente, e lecitamente in detto giorno l' accennata Proceſſione coll' entrare ne limiti di ciaſcuna Parochia, ſenza richiedere la licenza degl' Ordinarj, e ſenza l' aſſiſtenza de' Parochi, e con tutta la pompa. Ma perche viene impugnato, che nella narrativa del menzionato Breve ſi dica che ſia lecito di fare la ſteſſa Proceſſione a que Religioſi, e Conventi dell' Ordine, che ne ſono in poſſeſſo, e nella diſpoſitiva, nella quale gli ſi fa parimente lecito, che poſſino farla, non ſi fa menzione della conſuetudine. Perciò il P. Procurator Generale dell' Ordine de Predicatori, avendo ſupplicato la Santità Sua a ſpiegare con altro moto proprio, o Breve, che ſiano, o non l' Ordine, e Conventi, in poſſeſſo di celebrare la mentovata Proceſſione, poſſino farla, ed introdurla nel modo, e forma di ſopra eſpreſſa. Noſtro Signore ſi è benignamente compiaciuto con ſuo particolar reſcritto de XVIII Luglio corrente, doppo riconoſciuto il tenore del ſopranominato Breve, & ad eſſo increndo, di dichiarare giuſta quanto ha indiſtintamente determinato, e conceſſo nella parte diſpoſitiva; Eſſere ſtata ſua mente, di comprendervi tanto le Proceſſioni, per il paſſato introdotte, che da introdurſi per l'avvenire, o che ſiano, o non ſiano, i Frati dell' Ordine in poſſeſſo di celebrarle, ſecondo il detto Breve. E così ha commandato, che ſi eſeguiſca; Ed a fine di rimovere ogni dubbio, e troncare le controverſie, ha di più ordinato, che da queſta Sagra Congregazione, ſi ſcriva, come ſopra a lei, & ad altri, che occorrerà, acciò reſti infor-

informata della mente di Sua Beatitudine, quale ſarà parte della ſua attenzione, che reſti nelle occorrenze pienamente adempita. Glielo ſignifico, e le prego da Dio le maggiori proſperità. Roma XVIII Luglio MDCCXXVI.

Di V. S. Come Fratello Affezzionatisſimo.
F. Card. Barberini.

P. L. Arciveſcovo di Lariſſa Segretario.

Lectiones, & Oratio recitandæ die feſto B. Dalmatii (1).

Anno 1726 Die 4 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Die XXIV Septembris. In feſto B. Dalmatii Monerii Confeſſoris Ordinis Prędicatorum.

LXII.

Oratio.

DEus, qui humilem famulum tuum Dalmatium, multis ſignis atque virtutibus decoraſti, ac mirabiliter in tuo amore, ſpretis temporalibus, inflammaſti: tribue nobis quęſumus, ut ejus interceſſione a terrenis affectibus expediti, & a cunctis adverſitatibus liberati, ſola cęleſtia appetamus. Per Dominum &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Dalmatius Monerius natione Hiſpanus, in Cataloniç Principatu, Villa S. Columbę de Farneſiis Diçceſis Gerundenſis, honeſtis piiſque parentibus ortus, ab ineunte ętate, morum candore, ac innocentia futurę ſanctitatis indicia prębuit. Adoleſcens liberalibus diſciplinis Gerundę inſtructus, ad altiorem doctrinę, ac virtutis palmam aſpirans, Montem Peſulanum adiit: ubi mentem literis, boniſque moribus excolens, & cuncta malorum incitamenta ſedulo devitans, illibatum a quolibet inquinamento corpus, & animum ſtudioſe cuſtodivit. Cumque in ſcientiis, & virtutibus plurimum profeciſſet, in Patriam reverſus eſt. Hinc a Deo vocatus, mundo, cui corde nunquam adhęſerat, nuncium remittens, Gerundę habitum Ordinis Prędicatorum ſuſcepit. In ipſo Religionis exordio mores ſuos ad legum pręſcripta exactiſſime compoſuit, eandemque vivendi rationem, quam ſibi primo conſtituit, perſeveranter uſque in finem ſervavit.

Lectio V.

Terrena cuncta deſpiciens, ac ſola cęleſtia concupiſcens, ut liberius Deo poſſet inſervire, docendi Officio, quod per plures annos ſumma cum laude peregerat, humiliter ſe abdicavit. Duriſſimę auſteritatis, ac mirabilis abſtinentię fuit. Leguminibus, herbarumque radicibus vix igni expoſitis, ut plurimum veſcebatur, carnes vero nonniſi cogente infirmitate ſumebat: vino vel nunquam, vel rariſſime utebatur, ſępius etiam per viginti dies, vel ęſtivo tempore ab omni potu penitus abſtinebat. In oratione, & meditatione diu, noctuque aſſiduus, vigiliis, ac jejuniis fatigatus, ſuper nudam humum paululum quieſcebat. Virgineam quoque carnem aſpero cilicio, & crebris flagellis, ad ſanguinis uſque effuſionem affligebat. Spiritu Prophetico multa futura prędixit, ſecreta cordium pluries penetravit, ac inter orandum ſępius in ſublime tolli viſus eſt. Propter familiarem cum Angelo conſuetudinem Frater cum Angelo loquens dicebatur, & qui aliqua adverſitate premebantur, quandoque cęlitus moniti, ad ipſum velut ad omnium conſolatorem confluebant.

Lectio VI.

Temporalis vitę ſubſidia ſecum dum iter ageret, nulla deferebat, immo, & ab aliis oblata, modeſte recuſabat, omnem ſpem ſuam in ſolo Domino reponens, a quo pluries juxta indigentiam ſibi per Angelos miſſa ſunt. Sanctę Marię Magdalenę, quam peculiariter venerabatur, pęnitentiam quadantenus imitaturus, ſecretum ſibi, atque horridum habitaculum intra ſepta Monaſterii vivo ſaxo incidit, ubi per annos quatuor uſque ad mortem latitavit. Hoc in ergaſtulo rigidioris pęnitentię operibus corpus in ſervitutem redigens, talem, ac tantam integritatem retinuit, ut nec carnis, nec mentis unquam ſenſerit corruptelam. Tandem virtutibus, & meritis plenus, die vigeſima quarta Septembris, anno ſalutis milleſimo trecenteſimo quadrageſimo primo, ętatis vero ſuę quinquageſimo, Gerundę obdormivit in Domino, quem viventem, & vita functum pluribus ferunt miraculis coruſcaſſe. Ejus porro cultum Innocentius Papa Decimus tertius approbavit: ut autem feſtum ejus cum Officio, & Miſſa tam in univerſo Prędicatorum Ordine, quam in Civitate Gerundenſi: quę ſingulari ejus protectione lętatur, atque innumeris a Deo beneficiis ejus patrocinio in dies augetur, ac tota reſpective Diçceſi ab omni ejus Clero celebraretur, Benedictus Decimus tertius benigne conceſſit.

Gerunden., ſeu Ordinis Prędicatorum.

SAnctiſſimus D. N. Benedictus PP. XIII ad humillimas preces Reverendiſſimi P. Fratris Thomę Ripoll Ordinis Prędicatorum Magiſtri Generalis benigne indulſit, atque conceſſit, ut ſupraſcriptę Lectiones II Nocturni cum Oratione propria in Officio B. Dalmatii Monerii die XXIV Septembris ab omnibus utriuſque ſexus totius Ordinis Prędicatorum, necnon eccleſiaſticis omnibus tam ſecularibus, quam regu-

regularibus Civitatis, & Diœceſis Gerunden., qui ad horas Canonicas tenentur, in poſterum recitari poſſint, & debeant. Die IV Auguſti MDCCXXVI.

C. Cardinalis de Marinis Præf.

Loco ✝ ſigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Congr. Secr.

1. *Dalmatii.*) De quo ſæpius dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXVI.*

Anno 1726 Die 13 Auguſti.

LXIII.

Qui recitando Roſarium (1), omiſſa conſueta XV Myſteriorum meditatione, alia meditantur, Indulgentiis Roſarii privantur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Cum Sacræ Congregationi Indulgentiis, ſacriſque Reliquiis præpoſitæ Pater Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum ſupplices preces porrexerit pro declaratione dubii: An qui Sanctiſſimum Roſarium B. M. V. recitant, omiſſa conſueta meditatione myſteriorum humanæ reparationis, & illorum vice mortem, aut cetera noviſſima, vel alia pia, ac religioſa meditantur, Indulgentias a Summis Pontificibus conceſſas pro recitatione Roſarii lucrentur. Sacra Congregatio die VI Auguſti MDCCXXVI, reſpondit, non lucrari, quam Sacræ Congregationis declarationem per me Secretarium Sanctiſſimo Domino Noſtro relatam, Sanctitas Sua benigne approbavit. Datum die XIII Auguſti MDCCXXVI.

L. Card. Picus Præfectus.

Loco ✝ Sigilli.

Raphael Coſmus de Hieronymis Secr.

1. *Roſarium.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXVI.*

Anno 1726 Die 17 Auguſti.

Indulgentia pro feſto B. Dalmatii (1) celebrando.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXIV.

BENEDICTUS PP. XIII.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cæleſtibus Eccleſiæ theſauris pia caritate intenti: omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum Ordinis Prædicatorum ubique exiſtent. die vigeſima quarta proxime venturi menſis Septembris a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus pro una vice valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint, quodque præſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII Auguſti MDCCXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

1. *B. Dalmatii.*) Cujus feſtum hoc anno *MDCCXXVI* primum celebratum fuit.

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar authenticum typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXVI.*

Diſciplinæ regularis dilatandæ cauſa Congregationem S. Sabinæ Provinciæ Lombardiæ unitam (1) teſtatur.

Anno 1726 Die 28 Auguſti.

LXV.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Paulo Hieronymo Gallarato (3) Ordinis Prędicatorum Profeſſori.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

TUus iſte pro amplificanda regulari obſervantia in Provincia Lombardię Nobis dilectiſſima zelus efficit, ut tibi jucundiſſima obvenirent noſtrę auctoritatis officia, quibus in priſtina jura eam Provinciam reſtituentes dilatandę diſciplinę opportune proſpicere conati ſumus. Tuas proinde agendarum gratiarum ſignificationes, tanquam nova tuę virtutis teſtimonia libenti animo excepimus, Deumque Omnipotentem ſuppliciter poſcimus, ut ſtudia noſtra ſecundet, ſenſuſque pietatis, & gratulationis tuę uberi mercede cęleſtium donorum remuneret, quorum pignus eſſe cupimus Apoſtolicam Benedictionem, quam tibi dilecte fili peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Auguſti MDCCXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

C. Archiep. Emiſſenus.

1. *Unitam.*) Conſulenda Conſtitutio *LVI.* Legitur *pag.* 591.
2. *Archivo.*) In quo exemplar typis *Mediolanen.* impreſſum.
3. *Gallarato.*) Qui eidem Provinciæ ſumma eum laude præfuerat. Nunc etiam floret vir egregius, prudentia præſtans.

De reformando Monaſterio Villæ novæ de Gaya Portugallen.

Anno 1726 Die 23 Novembris.

LXVI.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Bracharen.

BENEDICTUS PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, quod alias poſtquam dilectus etiam filius Vicarius Monaſterii Monialium Villę novę de Gaya nuncupat. prope Civitatem Portugallen. ejuſdem Ordinis, fruſtra adnixus fuerat, ut collapſa in dicto Monaſterio diſciplina, & obſervantia regularis, ab illius Prioriſſa, & Monialibus, per morum reformationem, orationis, & Sacramentorum frequentiam, devotam Choro, & Divinis Officiis aſſiſtentiam, ſolitudinem Religioſam, ac exactam Clauſurę cuſtodiam, reſtitueretur; animadvertens quod ad evitanda multa, & gravia ſcandala, murus, qui a novo dormitorio quemdam campum ei contiguum divideret, erigendus foret, capta occaſione, qua duę Puellę nomine Anna, & Eugenia habitum Regularem in Monaſterio pręfato ſuſcipere debebant, a ſuo Magiſtro Provinciali ejuſdem Prioriſſę, & Monialibus ſub pęna cenſurarum interdicti obtinuit, ne eas ad habitum hujuſmodi recipere auderent, niſi prius murus prędictus conſtructus foret, ipſiſque Prioriſſę, & Monialibus ejuſdem Magiſtri Provincialis voluntati deferre tunc ſimulantibus, murus inceptus fuit, ſed vix manu operi admota, tum Artifices, tum Vicarium pręfatum per vim expulerunt, ac die ſequenti ſupradictas duas puellas contra expreſſam eorundem Magiſtri Provincialis, & Vicarii prohibitionem, ac in ſpretum cenſurarum eis comminatarum, ad habitum ſolemniter receperunt; Cumque ſubinde a dicto Magiſtro Provinciali Viſitator in Monaſterium pręfatum, cum expreſſo mandato dictas duas Novitias ejiciendi, miſſus fuiſſet, ſtatim publicata Epiſtola ab ipſo Magiſtro Provinciali deſuper conſcripta, ingens in dicto Monaſterio tumultus per Prioriſſam, & ſuę factionis Moniales, excitatus fuit, quarum aliquę ad Campanile temere properantes, campanas ad arma a meridie uſque ad ſolis occaſum, non ſine totius Civitatis motu, ac ſcandalo pulſarunt, evulgatis etiam libellis famoſis adverſus Fratres Ordinis pręfati, quibus per dictum Viſitatorem cognitis, Prioriſſam, ac Moniales contumaces, in comminatas cenſuras incidiſſe declaravit, Monaſteriumque prędictum Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſuit, ac Vicarium, & Procuratorem ejuſdem Monaſterii ſecum abduxit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Curia Eccleſiaſtica Portugallen., Sede Epiſcopali Cathedralis illius Eccleſię tunc vacante, quę dudum ad dictum Monaſterium ſibi ſubjiciendum aſpirat, huic rei ſe ingerens, eiſdem Monialibus Confeſſarium, & alios Miniſtros ex Clero Seculari deputaverit, tametſi Fratres dicti Ordinis ſpiritualibus illarum neceſſitatibus ſubveniendi paratos ſeſe obtulerint, habitoque ſubinde per Moniales pręfatas ad infraſcriptam Congregationem Cardinalium recurſu, obtentaque ab ea, ſuperiori anno, Cenſurarum pręfatarum ſuſpenſione, nunc inſtent, ut admiſſio dictarum Noviciarum approbetur. Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut aliquo opportuno, ac ſalubri remedio in pręmiſſis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos ipſius Procuratoris Generalis votis hac in re favorabiliter annuere, necnon Monaſterii pręfati ſtatui, & tranquillitati, quantum cum domino poſſumus proſpicere cu-

cupientes, dictumque Procuratorem Generalem ſpecialis favore gratię proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium, qui relationem dilecti filii Vicarii Capitularis pręfatę Eccleſię Portugallen. illius Sede Epiſcopali vacante, legitime deputati, ac ejuſdem Procuratoris Generalis ſibi deſuper factam viderunt, conſilio, Fraternitati tuę totum negotium ejuſmodi cognoſcendum, & decidendum, prout de jure, cum facultatibus Congregationis memoratorum Cardinalium, quas tibi ad hunc effectum harum ſerie communicamus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium committimus, & demandamus; tibi ſpecialiter injungentes, ut pro tua prudentia in primis cures, ut Moniales prędictę, ſub obedientia Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum redeant, eaſque, quatenus opus ſit, ad id juris remediis cogas, & compellas, necnon murum circa novum dormitorium earundem Monialium, claudentem campum ſupradictum, conſtrui & elevari, alioque fieri, & reſpective removeri mandes, etiam pręvia loci, & perſonarum viſitatione, ſi opus fuerit, quę ad perfectam clauſuram in dicto Monaſterio reſtituendam, ac ſtabiliendam, & ad morum reformationem, diſciplinęque Regularis reintegrationem, neceſſaria, & opportuna judicaveris. Pręterea ſuper validitate, vel nullitate cenſurarum pręfatarum cognoſcas, dictaſque Moniales, quatenus pariter opus ſit, ab eiſdem cenſuris abſolvas, ac interdictum Eccleſiaſticum removeas, & poſtquam dictę Moniales ſub obedientia Fratrum dicti Ordinis redierint, aliaque pręmiſſa adimpleverint, novitiatum pręfatarum duarum puellarum, Annę, & Eugenię pro tuo arbitrio, & conſcientia revalides, ad effectum ut cum licentia ejuſmodi Magiſtri Provincialis pro tempore exiſtentis, admitti poſſint ad Profeſſionem, ad formam conſtitutionum, & praxim ejuſdem Ordinis, aliaque in pręmiſſis facias, geras, & mandes etiam ſub cenſuris, & pęnis tibi bene viſis, prout in Domino magis expedire viſum fuerit. Si quos demum abuſus, ſeu exceſſus tam ex parte Fratrum pręfatorum, quam ex parte dictarum Monialium, & aliarum quarumcunque perſonarum, in eodem Monaſterio commiſſos deprehenderis, auditis Partibus, itidem prout de jure, ac cum facultatibus ejuſdem Congregationis Cardinalium deſuper procedas, & provideas. Non obſtantibus pręmiſſis, & quibuſvis Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis, editis Generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Monaſterii, & Ordinis pręfatorum, ac Eccleſię Portugallen., aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Novembris MDCCXXVI, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Loco ✝ Sigilli.

Pro D. Cardinale Oliverio C. Archiep. Emiſſenus.

1. *Archivo.*) In quo autographum.

Anno 1726 Die 10 Decembris.

S. Agnes (1) de Monte Politiano Cælitibus annumeratur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXVII.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

I. Sanctæ Virgines præ aliis Deo caræ. *S. Ambroſii exhortatio Virginitatis cap. v. Exod. xv. 20. Luc. 1. 27. 2. Cor. xi. 2. Iſai. xxxviii. 22. Apoc. xxi. 27.*

II. Beatæ Agnetis Politianę ortus, ſanctitas, & miracula.

IN omnium Sanctorum, ſed precipue Dei Virginum, meritis celebrandis, Deum ipſum glorificari conſtat, qui publicę ſalutis palmam ſemper Virginibus dedit. In veteri Teſtamento filios Iſrael, terra marique clauſos, Virgo pedes per mare duxit incolumes. In Evangelio auctorem mundi, & Redemptorem noſtrum Virgo genuit. Virgo eſt Eccleſia, quam Paulus Apoſtolus caſtam Virginem Chriſto Domino exhibuit. Virgo quoque eſt filia Sion. Virgo eſt cęleſtis illa Hieruſalem, in quam nihil commune, nihil immundum ingreditur. Virgines demum Dei ſponſas, ſacrata Deo corpora, Dei templa ab Eccleſia catholica paſſim dici non ignoramus. Ex his una beata Agnes (3) in noſtro Ordine Prędicatorum quatuor ab hinc ſeculis floruit, orta in agro montis Politiani in Tuſcia anno ſalutis MCCLXVIII eximiiſque virtutibus, quas majores noſtri in Dei Virginibus laudaverunt, ante faciem Domini ſumme conſpicua. Hanc a prima ętate luculentis futurę ſanctimonię pręſagiis, multoque ſignorum numero & claritate Deus illuſtravit, pręſertim ubi, etiamnum adoleſcentula, religioſum inſtitutum amplexa eſt. Ex patrio enim monaſterio ad aliud Proceni in agro Urbevetano extruendum miſſa, eidem exſtructo pręfecta eſt, ubi annis quindecim pane & aqua jejunavit, more futuri parentis ſui beati Dominici Confeſſoris humi cubans, nec niſi majorum imperio ſibi gratiſſimum vitę ordinem mutare viſa. Orationi tam ferventer inhęſit, ut Deus ancillam ſuam a ſolo extolleret, ac cęleſti manna, quaſi nive, tunicam ei non ſemel contegeret, immo & Eccleſiam ipſam mannę granis, figuram Crucis referentibus, Epiſcopo ad Agnetem ſolemni cęremonia conſecrandam acceſſuro, conſperſit. Ei ſecreta celeſtia patuerunt, & princeps tenebrarum, ea veniente, ex corporibus ab ſe truculenter obſeſſis, procul fugere coactus eſt. Tanto Dei amore flagravit, ut nocte aſſumptę in Cęlum Beatę Marię Virginis infantem Jeſum inter

ulnas matris videre meruerit. Ex quamplurimis gratię ſuę donis, quibus Dominus ancillam ſuam cumulavit, omnium maximum prętterire non licet, ei nimirum ab Angelo allatum Dominici corporis Sacramentum. Sanctę etiam Palęſtinę regiones, ubi Salvator conceptus, natus, converſatus, & paſſus eſt, ut viſitaret, a Domino cum lacrymis flagitanti, portiuncula terrę, Chriſti ſanguine aſperſę, divinitus data eſt. De reliquiis quoque Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli idem ei contigiſſe proditum eſt, quibus, & illud accedit, tanta in Deum fide excelluiſſe, ut oleum, panem & nummos multiplicare potuerit. Quare Agnetis fama circumquaque diffuſa, Politiani Cives ſibi eam reſtitui ſummis votis, & precibus exorare non deſtiterunt, donec in patriam redux, inque viſu a Beatis viris Auguſtino, Franciſco, & pręcipue Dominico ad ſe illam attrahente, mirifice recreata, ſibi & ſuis nutu Dei Monaſterium, ſacramque ędem condere ſtatuit, impuro fęminarum habitaculo in piarum Dei Virginum domicilium ad honorem Beatę Marię Virginis ſub regula Ordinis Prędicatorum converſo, quo in loco dęmones, corvorum ſpecie unguibus, & roſtro Agnetem, adhuc adoleſcentulam, tanquam ſibi aliquando infeſtam futuram, vexare tentaverant. Monaſterio feliciter abſoluto, invita, omnium conſenſu pręficitur, ubi in dies chriſtianis virtutibus, ſignisque, & prophetico etiam ſpiritu inclaruit. Tandem hora indicta, qua ad cęleſtis ſponſi nuptias properaret, peracerbis alias morbis pie, conſtanterque toleratis, afflicta, decubuit, ſumptiſque magna religione Eccleſię Sacramentis, Sororeſque, appropinquante ſui tranſitu, męſtas ſolata, ac Dei patrocinio ob ſanctam Regulę obſervantiam illis promiſſo, in earum amplexibus pie obiit XII Kalendas Majas anno Chriſti Domini MCCCXVII prima Dei Virgo clauſtralis noſtri Ordinis Prędicatorum, multis poſt dormitionem ſuam miraculis clara, Beatę Catharinę Senenſis veneratione, ac laudibus inclyta, & eundem ac Senenſis Virgo, Beatum Raymundum a Capua, totius poſtea Prędicatorum familię Generalem Magiſtrum, vitę ſuę ſcriptorem nacta.

III. Ejus magnæ virtutes a dæmone formidatæ. Diem obitus ſui prænunciat.

Ad ſacras Agnetis exuvias corruptionis expertes, & mirifico rore aſſidue perfuſas, ob beneficia a Deo per ejus interceſſionem accepta, Chriſti fidelibus magna Religione confluentibus, felicis recordationis deceſſor noſter Clemens Papa VII Apoſtolicis literis indulſit, ut Fratres Prędicatores, & Politiana Eccleſia, ac Cives Beatę Agnetis feſtum, officiumque ſolemniter celebrarent, quod ſimilis memorię Clemens Papa VIII approbavit, lectiones proprias confirmans, eodem feſto die a toto Prędicatorum Ordine recitandas in honorem Agnetis, quam pię recordationis Gregorius Papa XIII in Martyrologio Romano deſcribi juſſerat. Alii quoque anteceſſores noſtri Romani Pontifices Pius Papa V, & Clemens X compluribus, ex S. R. E. ritu editis indulgentiis, fidelium pietatem erga Beatam Agnetem fovere ſtuduerunt.

IV. Summi Pontifices eam, ut Sanctam Virginem, venerandam agnoſcunt.

Quibus omnibus ſub ſimilis memorię Clemente XI diſcuſſis, Deique ancillę virtutibus, & miraculis, poſt conceſſum a Sede Apoſtolica ejus cultum, de more, coram nobis in examen adductis, & veteri diſciplinę, ac Sanctorum Patrum conſtitutionibus reſpondere per omnia repertis, inque tribus conſiſtoriis, & plenario Conventu venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum nobiſcum in Urbe pręſentium rite perpenſis, unanimi eorundem ſententia per Sedis Apoſtolicę Notarios coram Nobis excepta, Regumque, & Principum Chriſtianorum, atque Ordinis Prędicatorum enixis precibus pro Agnete in Sanctarum Virginum non Martyrum canonem referenda Apoſtolicę Sedi porrectis, poſt tantę rei perficiendę ſolemnem diem indictam, perque orationes, jejunia, & eleemoſynas Omnipotentis Dei opem ferventiſſime imploratam, Nos demum univerſis, quę ex anteceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum conſtitutionibus, & Sanctę Romanę Eccleſię diſciplina peragenda erant, omni religione peractis, hac die in honorem anteceſſoris noſtri Pontificis & Martyris Melchiadis Deo ſacra, qua etiam Incarnati Verbi Myſterium in annua tranſlationis almę domus Lauretanę memoria recolitur, una cum iiſdem venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac utriuſque cleri, & populi frequentia in ſacroſanctam Baſilicam Principis Apoſtolorum, Deo ſupplicantes convenimus, ubi ſemel, iterum & tertio pro Beata Agnete Politiana in Sanctarum Virginum non Martyrum canonem referenda precibus repetitis, per venerabilem Fratrem noſtrum Franciſcum S. R. E. Epiſcopum Cardinalem Oſtienſem, Barberinum nuncupatum, poſt decantatas ſacras orationes, & Spiritus Sancti gratiam humillime imploratam, ad honorem ſanctę, & individuę Trinitatis, Fidei Catholicę exaltationem, & Chriſtianę Religionis incrementum, auctoritate Omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, de eorundem venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E.Cardinalium,Patriarcharum,Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, nobiſcum in plenario Conventu Baſilicę Vaticanę pręſentium, conſilio, & unanimi conſenſu, B. Agnetem Politianam Ordinis Prędicatorum,de cujus ſanctitate,fidei ſinceritate, & ceterarum virtutum, ac miraculorum excellentia plene conſtabat,& conſtat,una cum B.Thuribio Confeſſore.& Pontifice Eccleſię Limanę,& B. Jacobo a Marchia Confeſſore non Pontifice Ordinis Minorum, Sanctam eſſe definivimus, SS. Virginum non Martyrum Canoni aſcribendam decrevimus, prout pręſentium tenore definimus, decernimus,& adſcribimus, eandemque per univerſos Chriſti fideles, tanquam vere Sanctam, honorari mandavimus, & mandamus, ſtatuentes, ut ab univerſa Eccleſia in ejus honorem ędes ſacrę, & Altaria, in quibus incruentum ſacrificium Deo offeratur, ędificari, & conſecrari poſſint, & quotannis XII Kalendas Majas, quo ad cęleſtem patriam evolavit, ejus feſta ſolemnia, ut Sanctę Virginis non Martyris, celebrari poſſint.

V. Ejus miracula poſt Clementem XI Benedictus XIII in examē adducit, eandemque in Sanctarum Virginum Canonem refert.

Inſuper eadem auctoritate, omnibus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui eodem die feſto in memoriam Beatę Agnetis ad ejus exuvias viſitandas acceſſerint, annum & quadragenam, iis vero, qui in octava ejuſdem feſti, quadraginta dies de injunctis, ſeu quomodolibet eis debitis pęnitentiis, miſericorditer in Domino relaxavimus, & relaxamus (4). Poſtremo gratiis Deo actis, quod Eccleſiam ſuam inſigni hoc novoque luminari illuſtrare dignatus fuiſſet, cantata in honorem Sanctorum, Agnetis Politianę Virginis, Thuribii Confeſſoris Pontificis, & Jacobi a Marchia Confeſſoris, ſolemni oratione, in ara Principis Apoſtolorum ſacroſanctum Miſſę ſacrificium celebravimus, cum ejuſdem Virginis, & ceterorum commemoratione, omnibuſque Chriſti fidelibus tunc pręſentibus Plenariam omnium peccatorum Indul-


VI. Pontifex ſacras ejus exuvias viſitantibus, peculiares Indulgentias concedit.

VII. Sacroſanctum Miſſæ ſacrificiū in ejus honorem celebrat.

VIII. Deus glorificandus in ſanctitate Beatæ Agnetis.
IX. Hæ literæ Apoſtolicæ ubique fidem obtineant.
X. Nemo eas infringere audeat.

Indulgentiam conceſſimus. Decet igitur, ut pro tam peculiari, inſignique beneficio cęlitus Nobis conceſſo omnes benedicamus, & glorificemus Deum Patrem, omnium bonorum auctorem, cui eſt honor & gloria in ſecula, aſſiduis precibus ab eo poſtulantes, ut per interceſſionem electę ſuę Agnetis Virginis, a peccatis noſtris indignationem ſuam avertens, oſtendat Nobis faciem miſericordię ſuę, immittatque timorem ſui ſuper gentes, quę non cognoverunt eum, ut tandem cognoſcant, quia non eſt alius Deus, niſi Deus noſter. Ceterum quia difficile foret, prętentes noſtras literas ad ſingula loca, ad quę opus eſſet, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem ubique fides habeatur, quę ipſis prętentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitę, vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę definitionis, decreti, adſcriptionis, relationis, mandati, ſtatuti, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Septingenteſimo Vigeſimo Sexto, Quarto Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

✱ Ego Benedictus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



✱
✱ Ego Franciſcus Epiſcopus Oſtienſis Cardinalis Barberinus.
✱
✱ Ego Petrus Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Otthobonus S.R.E. Vicecancellarius.
✱ Ego Laurentius Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Corſinus.
✱ Ego Joſeph Renatus Tit. Sancti Georgii in Velabro Presbyter Cardinalis Imperialis.
✱
✱ Ego Philippus Antonius Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.
✱
✱
✱
✱
✱
✱
✱ Ego Annibal Tit. Sancti Clementis Presbyter Cardinalis Sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.
✱ Ego Ludovicus Tit. Sancti Silveſtri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
✱ Ego Johannes Antonius Tit. Sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Via.
✱
✱ Ego Antonius Felix Tit. Sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.

✱
✱ Ego Petrus Tit. Sancti Johannis ante Portam Latinam Presbiter Cardinalis Corradinus.
✱
✱
✱ Ego Curtius Tit. Sancti Euſtachii Presbyter Cardinalis Origus.
✱ Ego Melchior Tit. Sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.
✱
✱
✱
✱
✱
✱
✱
✱ Ego Nicolaus Tit. Sanctorum Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.
✱
✱
✱
✱ Ego Georgius Tit. Sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.
✱ Ego Cornelius Tit. Sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.
✱
✱
✱ Ego Ludovicus Tit. Sanctæ Priſcæ Presbyter Cardinalis Belluga, & Moncada.
✱ Ego Joſeph Tit. Sanctæ Suſannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.
✱
✱ Ego Alvarus Tit. Sancti Bartholomæi in Inſula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
✱ Ego Bernardus Maria Tit. Sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Pœnitentiarius.
✱ Ego Johannes Baptiſta Tit. Sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
✱ Ego Vincentius Tit. Sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
✱ Ego Proſper Tit. Sancti Chryſogoni Presbyter Cardinalis Mareſuſcus.
✱ Ego Frater Auguſtinus Tit. Sancti Xyſti Presbyter Cardinalis Pipia.
✱
✱
✱ Ego Nicolaus Maria S. R. E. Presbyter Cardinalis Lercarius.

✱ Ego

✠ Ego Frater Laurentius S. R. E. Presbyter Cardinalis Cozza.

✠

✠ Ego Benedictus Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.

✠ Ego Laurentius Sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Altèriis.

✠ Ego Carolus Sancti Angeli in Foro Piſcium Diaconus Cardinalis Columna.

✠

✠

✠

✠ Ego Julius Sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.

✠ Ego Alexander Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconus Cardinalis Albanus.

✠ Ego Alexander Sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.

✠ Ego Nicolaus Sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.

✠

✠

✠

✠

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro D. Cardinalis Oliverius.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

Viſa De Curia J. Archiepiſcopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

1. *Agnes.*) Legenda Conſtitutio *LXXXVIII Clementis VIII pag. 577 Tomi V bujuſce Bullarii*, in qua referuntur ejuſdem S. Virginis præcipua geſta.

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXVII.* Legitur in *Codice Canonizationum pag. 589.*

3. *Agnes.*) Cujus vitam ſcripſere *B. Raymundus a Capua* Generalis Magiſter Ordinis Fratrum Prædicatorum; *Laurentius Surdinus*, *Jacobus de Laterina*, *Hieronymus Cavallari*, *Didacus Max*, *Andreas de Piſis*, *Nallus de Urbeveteri*, *Nicolaus Barbieri*, *Silveſter de Priero*, & noviſſime vir clariſſimus *Dominicus* noſter *Ponſi*, de quo ſæpe dictum fuit:

4. *Relaxamus.*) Huc etiam ſpectat ſequens Epiſtola.

In Dei filio ſibi dilectis RR. Adm. PP. Provincialibus, & Vicariis Congregationum, necnon Conventuum Prioribus, ac Prςſidentibus, univerſiſque Fratribus, & Sororibus Ordinis Prςdicatorum. Fr. Thomas Ripoll, S. T. P., ac ejuſdem Ordinis humilis Magiſter Generalis, & Servus. Salutem, Sanctorum Gloriam, Ordinis decus, Spiritus conſolationem, & Gratiς incrementum.

GLorioſum, ac undequaque prςclarum triumphum, quo in terris Sancta Agnes Virgo de Monte Politiano Monialis Profeſſa Ordinis noſtri feliciter aucta eſt, dum a SS. D. N. Benedicto XIII Pontifice Maximo ſub die decima proxime prςteriti Menſis Decembris in Baſilica Principis Apoſtolorum, tota plaudente Urbe, ac prςter communem ſpem ſole ipſo favente, Sanctarum Virginum albo fuit adſcripta, jampridem Fratres cariſſimi, ac Sorores in Chriſto dilectiſſimς, vobis innotuiſſe non dubitamus. Id ſane vobis exemplo fuerat nunciandum, ut ſcilicet certiores facti, quo miro ordine, qua nobili pompa, qua demum feſtiva confluentis undique populi gratulatione, & admiratione ſolemnia hujuſmodi peracta ſunt, majus inde, ac jucundius perciperetis exultationis argumentum. Verum quia id ab aliis, ut moris eſt, ſatis ſuperque prςſtandum fore credidimus, ad ea potiſſimum curas noſtras, & ſtudia convertimus, quς majoris momenti viſa ſunt, & quς prςconceptum gaudium veſtrum novo beneficiorum additamento complere poterant, & cumulare.

Ab iis igitur, quς grande opus hoc, immo & inter cetera maximum conſtituunt, & ſequuntur, poſt longas, graveſque moleſtias expediti, Bullam imprimis Canonizationis ejuſdem Sanctς Agnetis nobis concedi curavimus, quam una cum prςſentibus recipietis, dein vero ea omnia parare ſtuduimus, quς ad promovendum ipſius cultum, & ad augendam in populis pietatem neceſſaria cenſuimus, & opportuna.

Vobis itaque gratulanti animo nunciamus, Sanctiſſimum Patrem Benedictum XIII pro ſua erga Ordinem noſtrum, quem profeſſus eſt, & in quo ſummopere gloriatur, effuſa benevolentia, ſupplicationibus noſtris benigne inclinatum ea nobis peramanter conceſſiſſe, quς in annexis Brevibus continentur.

I. Ut Officium Sanctς Agnetis celebretur in poſterum cum octava ſimplici ad inſtar aliorum Sanctorum, & Sanctarum Ordinis noſtri, pro qua octava Lectiones illς nobis conceſſς ſunt, quς ex olim approbatis a Clemente Papa VIII fuerunt nuper excerptς.

II. Ut quo tempore in Eccleſiis noſtris celebrabitur ſolemnis octava pro Canonizatione ejuſdem Sanctς Agnetis, fideles omnes inviſentes dictas noſtras Eccleſias, Indulgentiam Plenariam conſequantur.

III. Ut perpetuis futuris temporibus Indulgentiam ſimiliter Plenariam conſequantur, qui quotannis die XX Aprilis eidem Sanctς Agneti ſacra, prςfatas noſtras Eccleſias viſitaverint.

Ut autem amantiſſimus Pater majora nobis beneficentiς ſuς, ac liberalitatis exhiberet argumenta, plures alias Nobis, & vobis impertitus eſt Indulgentias per ſuum reſcriptum ſub die XIII labentis Februarii videlicet.

I. Magiſtro Ordinis quinquies mille, quas poſſit diſtribuere ipſe, ac diſtribuendas committere.

II. Sin-

II. Singulis noſtri Ordinis tum Provincialibus, tum Vicariis Congregationum quadringentas, quas ipſimet per ſe diſtribuant.

III. Singulis noſtrorum Conventuum, ſeu Prioribus, ſeu Vicariis in capite ducentas per ipſos diſtribuendas.

IV. Unicuique noſtri Ordinis Regulari, ſeu Fratri, ſeu Sorori etiam Tertię Regulę intra Italiam centum, extra Italiam ducentas pariter diſtribuendas per ſeipſos.

V. Utriuſque ſexus conſodalibus noſtrarum Confraternitatum SS. Nominis Jeſu, & Roſarii unicam ſingulis.

VI. Unicuique noſtri Ordinis Parocho in partibus Indiarum, qui Sacramenta miniſtrant Indis recenter ad Fidem converſis, ut poſſit cuilibet horum nunc viventi impertire unicam ex iſtis Indulgentiis.

VII. Apoſtolicis ejuſdem Ordinis Miſſionariis, nunc in Regione Chinarum, & Tunkini laborantibus, ut ſimiliter unicam ex his Indulgentiis poſſint impertire cuilibet per ipſos ad Catholicam Fidem converſo, vel per eoſdem convertendo.

Tenor vero iſtarum ſpecialium Indulgentiarum, quę Coronis, Roſariis, Crucibus, Imaginibus, ſeu Numiſmatibus ex auro, argento, aliove metallo confectis, vulgo medalliis, applicanda ſunt, eſt iſte.

I. Quicunque conſuevit recitare ſaltem ſemel in hebdomada Coronam Domini, vel Beatiſſimę Virginis, aut Roſarium, vel ejus tertiam partem, aut Officium, vel divinum, vel parvum Beatę Virginis, vel Defunctorum, aut ſeptem Pſalmos Pęnitentiales, vel Graduales, aut rudimenta Fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus domus Hoſpitalis ęgrotos viſitare, aut pauperibus ſubvenire, aut Miſſam audire, vel ſi Sacerdos ſit, celebrare, ſi vere pęnitens, & Sacerdoti per Ordinarium approbato confeſſus, Euchariſtię Sacramentum acceperit in quolibet ex diebus infraſcriptis, nimirum Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Sanctiſſimę Trinitatis & Corporis Chriſti, & die Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, & Nativitatis Beatiſſimę Virginis: tum feſto Nativitatis Sancti Johannis Baptiſtę, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Andreę, Jacobi, Johannis, Thomę, Philippi & Jacobi, Bartholomęi, Matthęi, Simonis & Judę, Matthię, Joſephi Sponſi Beatę Marię Virginis, & octo Sanctorum modo Canonizatorum: Thuribii Mogrobeſii Archiepiſcopi Limani. Jacobi de Marca Confeſſoris, Agnetis de Monte Politiano Virginis, Peregrini Lazioſi, Johannis de Cruce, Franciſci Solani, Aloyſii Gonzagę, & Stanislai Koſtkę Confeſſorum, ac in feſto Omnium Sanctorum, piaſque ad Deum preces effuderit pro hęreſum extirpatione, Fidei Catholicę propagatione, pace, & Chriſtianorum Principum concordia, ceteriſque Sanctę Matris Eccleſię neceſſitatibus, Plenariam ſuorum peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem conſequetur.

II. Quiſquis in vigilia cujuslibet iſtorum octo Sanctorum jejunaverit, & confeſſus in ipſius feſto Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſumpſerit, oraveritque Deum, ut ſupra, toties Indulgentiam Plenariam conſequatur.

III. Quiſquis vere pęnitens peccata commiſſa emendare firmiter propoſuerit, & eadem die viſitaverit ſeptem Eccleſias quaslibet, & ubi tot Eccleſię non reperiuntur: quotquot ibi ſunt, & ſi una tantum ſit Eccleſia, omnia ipſius Altaria, & pro hęreſum extirpatione, ut ſupra pie oraverit, ſemel in anno fruatur Indulgentiis conceſſis ſeptem Urbis Eccleſias viſitantibus.

IV. Quicunque devote cogitaverit de aliquo Sanctiſſimę Paſſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti Myſterio, & in ejuſdem Paſſionis honorem ſepties terram humiliter deoſculatus fuerit, eo die lucretur Indulgentias conceſſas aſcendentibus Romę per Scalam Sanctam: hoc autem ſemel tantum in ſingulis annis.

V. Quiſquis peccata ſua vere deteſtabitur cum firmo propoſito non peccandi de cetero, vel ad imitationem prędictorum octo Sanctorum, actum aliquem virtutes exercebit, toties lucretur Indulgentiam ſeptem annorum, & totidem quadragenarum.

VI. Quiſquis leget, aut legi audiverit, aliquod libri caput de vita eorundem octo Sanctorum, aut inviſet eorum Altare, aut eorum Imaginem venerabitur, & oraverit pro felici ſtatu Sanctę Matris Eccleſię, peccatorumque converſione, ſingulis vicibus percipiat Indulgentiam centum dierum.

VII. Eandem pariter Indulgentiam centum dierum lucretur, qui aliquid pauperibus tribuet, vel eoſdem inſtruet, aut per alios inſtrui curabit in iis, quę pertinent ad fidem, bonoſque mores.

VIII. Quiſquis ſe exercuerit in devotione erga Sanctiſſimum Sacramentum Altaris, aut Beatę Marię Virginis, meditando illud Myſterium, & beneficia nobis inde provenientia, aut compatiendo doloribus, quos Beatiſſima Virgo propter filii ſui Paſſionem, & mortem ſenſit, aut Sanctiſſimum *Altaris* Sacramentum alio modo venerando, & Deum precando pro neceſſitatibus Eccleſię, qualibet vice Indulgentiam centum dierum ſimiliter conſequatur.

IX. Qui ad pulſum campanę alicujus Eccleſię, mane, aut meridie, aut veſperi conſuetas preces Angelus Domini &c. devote recitaverit, vel ſi eas ignoret, ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, vel dato ſigno orandi pro Defunctis, Pſalmum De Profundis, aut ſi hunc neſciat, unum Pater, & Ave, ut ſupra devote recitaverit, eandem centum dierum Indulgentiam conſequatur.

X. Quilibet in Urbe commorans, vel ab ea ultra viginti milliaria non abſens, ſi legitime impeditus non intererit benedictioni, qua Romanus Pontifex in feſto Paſchatis, & Aſcenſionis ſolemniter benedicere conſuevit, confeſſus autem ſacroſancta Communione reficiatur, & pias ad Deum preces pro hęreſum extirpatione effuderit, Indulgentiis fruatur, quibus prę ſentes fruuntur. Qui vero longius abſunt ab Urbe, ſi hęc adimpleverint, etiamſi legitime non ſint impediti, eaſdem Indulgentias conſequentur.

XI. Quiſ-

XI. Quiſquis animam ſuam Deo in articulo mortis devote commendaverit, & Sanctiſſimum Nomen Jeſu invocaverit, ore ſi potuerit, ſin minus, ſaltem corde, confeſſus, & ſacra Communione refectus, ſi potuerit, alioquin ſaltem contritus, remiſſionem omnium ſuorum peccatorum, & Plenariam Indulgentiam conſequetur.

XII. Omnes ſupradictę Indulgentię fidelibus defunctis applicari poſſunt per modum ſuffragii, ad illas autem conſequendas ſufficit habere Coronam, vel Roſarium, vel Numiſma vulgo medalliam, ut ſupra benedictam, exercendo pręſcripta opera, quamvis alias facienda eſſent ex alia obligatione; hujuſmodi vero Coronę, Roſaria, vel medallię poſtquam fuerint alicui perſonę appropriatę, non poſſunt alteri concedi.

Itaque harum ſerie, noſtrique auctoritate Officii mandamus RR. Adm. PP. Provincialibus, Vicariis Congregationum, necnon Conventuum Superioribus, ut in ſingulis Eccleſiis Ordinis noſtri, noſtroque regimini ſubjectis ſolemnem octavam pro Canonizatione Sanctę Agnetis, majori qua fieri poterit, pompa ſatagant celebrari, ut ſcilicet fideles omnes prorumpere valeant in gratiarum actiones, ac Deum ipſum collaudent, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis, Sanctamque Virginem Agnetem venerentur, quę toto vitę ſuę tempore per ſemitas virtutum, Agnum ſine macula Sponſum ſuum conſtanter, ac fideliter ſecuta eſt.

Ceterum Fratres cariſſimi, & Sorores in Chriſto dilectiſſimę, dum hujus Sanctę Virginis excelſa merita religioſa caritate celebratis, ejus etiam ſanctos mores imitari nitimini. Siquidem ut ait Chryſoſtomus (Serm. 3. de Martyr.) quem delectat Sancti alicujus meritum, delectare quoque debet par circa cultum Dei obſequium. Curate igitur, ut Sanctę Agnetis gloria, quę ſimul noſtra eſt, non ſterili tantum gratulationis officio, ſed fęcunda operis exhibitione a vobis recolatur. Magnum ipſa de ſe virtutum omnium excitavit exemplum, ad illud itaque vitam veſtram, & mores componite, ut hoc pacto per temporalia feſta quę geritis, ejus meritis intervenientibus ad ęterna pervenire valeatis, & dum intereſtis feſtis hominum, ſimul intereſſe contingat feſtis Angelorum.

Interea precibus veſtris, & ſacrificiis Sanctiſſimum Patrem noſtrum Benedictum XIII, qui tot tantiſque titulis de Ordine ſuo ęque, ac noſtro benemeritus, toto cordis affectu commendamus. Grandia ſane ſunt beneficia hęc, quibus nos hiſce diebus cumulavit, majora inſuper, & ampliora parantur. Ne igitur beneficentiſſimo Patri videamur ingrati, orationibus inſtantes, Deum diu, noctuque pro ejus incolumitate deprecemur, ut diutius in ipſo, Univerſa Eccleſia, & Ordo noſter lętari valeant, & gloriari.

Jam vero, quia ex moroſitate quorundam Conventuum, qui nullum hactenus ſubſidium nobis ferre dignati ſunt, tot ſumptibus impares facti, nimium alieno ęre gravamur, RR. Adm. PP. Provinciales, & Congregationum Vicarios hortamur, ut quantocius omni cunctatione ſemota ad nos ea tranſmittere ſtudeant, quę pro eorum poſſibilitate recipient, ut ſcilicet iiſdem ſaltem ex aliqua parte ſublevemur. Valete noſtri, ac ſociorum in precibus veſtris memores. Datum Romę in Conventu noſtro S. Marię ſuper Minervam die XXVIII Februarii MDCCXXVII.

Fr. Thomas Ripoll, Magiſter Ordinis.

Loco ✝ Sigilli.

Reg. fol. 21.
Fr. Dominicus Ponſi Mag. Exprovincialis, & Socius.

Quod in utriuſque Lombardiæ Provincia fuerit educatus, gaudet, ac Fratrum precibus ſe commendat.

Anno 1727 Die 1 Januarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

LXVIII.

Dilecto filio Vincentio Thomę Fracchię Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori Provinciali Lombardię.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

OBſequentiſſimę literę tuę, omnes obſervantię, officiique partes ita expleverunt, & perjucundam Nobis dilectiſſimę iſtius Provincię memoriam tam ſtudioſe repręſentarunt, ut allatam nobis ex illarum ſignificationibus voluptatem, tibi omnino teſtatam eſſe cupiamus. Noli tamen, dilecte fili, caritatem noſtram erga Provinciam in cujus materna ſedulitate educati ſumus, ex ſolis, quę hactenus edidimus benevolentię argumentis metiri; Plura enim, & promere optamus, & prębituros, Domino adjuvante, confidimus; Cum pręſertim non dubitemus quin vigilantia, & prudentia, quam in ejuſdem Provincię regimine laudabiliter probas, & impendis, nova incrementa regularis diſciplinę, & nova ſimul Pontificię beneficentię incitamenta ſit allatura. Interea, ut votis, precibuſque tuis Divinam opem infirmitati noſtrę impetrare contendas, a te vehementer requirimus. Par eſt enim, ut obſecrationibus ſuis Fratres Prędicatores eum allevare nitantur, quem inſtitutis ſuis informatum ad graviſſimam omnium Eccleſiarum ſolicitudinem emiſerunt. Ac tibi, dilecte fili, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die Prima Januarii MDCCXXVII, Pontificatus noſtri Anno Tertio. C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Ar-*

1. *Archivo*.) In quo exemplar. Huc ſpectat ſequens Epiſtola.

Nos Fr. Vincentius Thomas Fracchia de Valentia Sacrę Theologię Magiſter, ac Prior Provincialis utriuſque Lombardię Ordinis Prędicatorum, Univerſis, ac ſingulis admodum RR. & RR. PP. ac FF. ejuſdem Provincię Salutem.

Quę erga Ordinem, quę erga ſuam, noſtramque Provinciam, hucuſque Summus Eccleſię Paſtor Beneficentię prędtitit argumenta, etſi vobis repetere perjucundum fore non hęreamus, cum tamen abunda beneficiorum ſeries, quę in dies excreſcere intuimini, ea veſtrę ſuggerat memorię, eorum pariter ipſam reficiet. Ut ad alia tamen, & forte majora obtinenda, veſter in ſpem erigatur animus, quod Noſtris, quę tum Provincię nomine retulimus Domini Natalis Auguriis, reſponſum benigne prębuit, veſtris etiam ſubjicere aſpectibus appoſitum arbitramur. Si plurimis, quę uſquedum impartitus eſt, plura etiam addere pollicetur, magna equidem expetenda ſuperſunt. Pontifex eſt, benignus eſt, Religionis, & Provincię Pater, & Protector Amantiſſimus. Veſtras igitur apud Deum preces in dies effundite, ut tantum Orbi, Ordini, Provincięque noſtrę, Paſtorem, Patrem, Protectorem benevolum, & benemeritum ſervet, noſtrique inſimul, ſociorumque memores Valete. Datum Bononię in noſtro Conventu S. P. N. Dominici, die XXV Januarii MDCCXXVII.

Ita eſt Fr. Vincentius Thomas Fracchia, Magiſter, ac Prior Provincialis qui ſupra.

Regiſt. fol. 79.

Fr. Carolus Dominicus Ferri Ticinenſis. Prior Chienſis, & Socius.

Anno 1727 Die 15 Januarii.

LXIX.

F. Franciſcus Van-Ranſt (1) Vicarius Apoſtolicus Silvæ-Ducen. (2) conſtitutus,

Ex Archivo (3) Ordinis.

Dilecto filio Franciſco Van-Ranſt Ordinis Fratrum Prędicatorum.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex injuncto Nobis divinitus omnium Eccleſiarum ſolicitudinis munere iis potiſſimum invigilare debemus, quę curam Chriſti fidelium, ut in viam mandatorum Domini ad ſalutem animarum dirigantur, omnino reſpiciunt. Volentes itaque Eccleſię Silvę-Ducen. Paſtoris ſolatio deſtitutę de Vicario Apoſtolico providere, ac de tua fide, prudentia, doctrina, integritate, & Catholicę Religionis zelo, plurimum in Domino confiſi, ſperanteſque, quod Tu, qui in Sacra Theologia Magiſter exiſtis, ea, quę Tibi duxerimus committenda cumulate ſis completurus, Te in Civitate, & Diœceſi, Silvę-Ducen. Vicarium, & Officialem Generalem, ac noſtrum, & Sedis Apoſtolicę Commiſſarium in ſpiritualibus, & temporalibus, cum facultatibus neceſſariis, & opportunis ad noſtrum, & ejuſdem Sedis beneplacitum, auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium, facimus, conſtituimus, eligimus, & deputamus, curam, regimen, & adminiſtrationem dictę Eccleſię Silvę-Ducen. Tibi, beneplacito hujuſmodi durante, in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. Mandantes propterea in virtute Sanctę obedientię omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & ſpectabit quovis modo in futurum, ut tibi in pręmiſſis promptę pareant, & obediant, tuaque ſalubria monita, & mandata humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam, ſive pęnam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, dictę Eccleſię Silvę-Ducen., etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV. Januarii MDCCXXVII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Pro Domino Cardinale Oliverio.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Franciſcus Van-Ranſt*. Alumnus Provinciæ *Germaniæ Inferioris*, Collegii *Caſanatenſis* Theologus, cujus meminit *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCCXIX pag. 798.* Præter opera quæ recenſet *Echard* ſcripſit *Franciſcus* noſter *Opuſculum de Jubilæo*. Theologiam Moralem prælo maturam, uti ſæpius ab ipſomet audivi, habebat anno *MDCCXXVII*, quo mortuus eſt. Vix enim redierat in patriam cum gravi morbo correptus vivere deſiit.

2. *Silva-Ducen.*) Vulgo *Bois le Duc*, in *Belgio*.

3. *Archivo*.) In quo exemplar.

Fidei

Fidei Præcones ſeu Miſſionarios, Americanarum Congregationum SS. Nominis Jeſu, & SS. Roſarii facultatibus, & privilegiis ornat (1). Anno 1727 Die 30 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

BENEDICTUS PP. XIII. LXX.

Ad Futuram Rei Memoriam.

UT dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum Miſſionarii Congregationum Sanctiſſimi nominis Jeſu (3), & Sanctiſſimi Roſarii (4) in Inſulis Indiarum Occidentalium Martinicę, Guadalupę, Sanctorum Chriſtophori, Dominici, & Vincentii (5), ac Cajennę cum locis adjacentibus dominio cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici (6) Francorum Regis Chriſtianiſſimi ſubjectis a ſuis Superioribus deputati, injuncta ſibi munera ad Chriſti fidelium illarum partium utilitatem, adjuvante Domino, facilius exequi valeant; Ex commiſſi nobis cęlitus Sacroſancti Apoſtolatus officio providere volentes, de venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana generalium Inquiſitorum adverſus hęreticam pravitatem, auctoritate Apoſtolica deputatorum conſilio (7), Fratribus Miſſionariis prędictis cum nigritis, neophitis earundem Inſularum, tum indigenis, tum advenis, in quocunque, vel quibuſvis Conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus a jure divino non prohibitis, primo tamen excepto, & in eodem primo etiam rectę lineę affinitatis ex copula illicita reſultantis, ut matrimonium inter ſe contrahere, ſeu in eo, etiam ſcienter contracto, remanere valeant, in occultis tamen, & in foro conſcientię tantum, ac urgentibus juſtis cauſis auctoritate Apoſtolica, gratis diſpenſandi, & eos, qui in primo affinitatis gradu hujuſmodi matrimonium etiam ſcienter contraxerint, ab exceſſibus, & excommunicationis, aliiſque cenſuris, & pęnis Eccleſiaſticis ea de cauſa incurſis, in foro conſcientię tantum, gratis pariter abſolvendi, ac prolem inde ſuſceptam, & ſuſcipiendam legitimam decernendi, facultatem ad viginti annos tantum duraturam, donec interim in illis partibus aliquis Epiſcopus conſtituatur, dicta auctoritate, tenore pręſentium, concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dicti Ordinis ſubſcriptis, & ſigillo Magiſtri Generalis Ordinis prędicti, vel alterius perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXX Januarii MDCCXXVII Pontificatus noſtri Anno Tertio. Nota.

Pro Domino Cardinale Oliverio.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Ornat*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*

2. *Archivo*.) In quo autographum.

3. *SS. Nominis Jeſu*.) Cui præeſt *R. A. P. Andreas Mane*, alumnus *Avenionenſis* Cœnobii, vir eruditione, pietate, prudentia, & in agendis mira ſolertia clarus. Habet hæc Congregatio tria Cœnobia, quibus Parochialis cura annexa eſt, & alias quindecim Parochiales domos, in quibus Miſſiones obeundi, & Sacramenta miniſtrandi cauſa degunt Fratres. Cœnobia ſunt in Inſulis *Martinica*, *Guadaluppa*, & *Granatenſi*. *Martinicæ* Conventus, cui nomen a *Noſtra Domina Boni Portus*, eſt in Oppido *Sancti Petri*. Cœnobium *Guadaluppæ* vocatur *Le Baillif*. Aliud *Granatenſe* nuncupatur. Hæc autem Parochiarum nomina: *Le Macouba*, *La Baſſe Pointe*, *La Grande Anſe*, *Le Marigot*, *Sainte Marie*, *La Trinité*, *Le Cul de Sac Robert*, *Le Cul de Sac François*, *Le Vauclain*.

Illæ ſunt in Inſula *Martinica*. Iſtæ in Inſula *Guadaluppa*: *La Cabeſterre*, *La Gouiave*, *La Pointe Noire*, *La Grandterre*.

4. *SS. Roſarii*.) Hujuſce Congregationis Vicarius Generalis eſt *R. P. Dominicus Montbieu* Cœnobii *Lemovicenſis* filius, quem probitas ornat. Præter duos Conventus *Leoganenſem* ſcilicet, ac *S. Ludovici*, quibus etiam onus curiale commiſſum, alias Viginti Parochiales Domus habet hæc Congregatio in Inſula *S. Dominici*, vulgo *San Domingo* conſtituta. Hæc Parochiarum nomina: *Du Troubourdet*, *Du Cul de Sac*, *De Mirbalais*, *De S. Marc*, *De la Petite Riviere*, *Des Verrettes*, *Du Grand Goave*, *Du Petit Goave*, *De L'Acul*, *Du Fond des Negres*, *De Nipes*, *De La Grande Anſe*, *Le Port Cavaillon*, *Les Cayes*, *Torbec*, *Les Anſes*, *Aquin*, *Benet*, *Jaquemel*, *Les Cayes* (ab ejuſdem nominis alia diſtinguitur iſta.)

5. *Vincentii*.) Vulgo *S. Vincens*. Iſtam, aliaſque nonnullas ejuſdem regionis Inſulas habent Infideles *Indi*. Hinc nec Conventus, nec Parochias in ipſis tenent Fratres: Sed apud Silvaticos illos homines, quos *Caraibas* appellant, diverſantur, ut ipſos elementis Doctrinæ Chriſtianæ facilius erudire queant. Per annos Duodecim circiter apud eoſdem commoratus eſt *Raymundus* noſter *Breton*, cui ceteri Fidei Præcones debent Dictionarium, & Grammaticam, Linguæ *Caraibarum*. Adeas *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDCLXXIX pag.* 688.

6. *Ludovici*.) Hujus nominis *XV*.

7. *Conſilio*.) Ut liquet ex ejuſdem Sacræ Congregationis Decreto dato die *XXII* Ianuarii *MDCCXXVII*. Hujus tenoris eſt: *Fratribus Ordinis S. Dominici Miſſionariis in Inſulis* (Congregationum) *Sanctiſſimi Nominis Jeſu, & Sanctiſſimi Roſarii Indiarum Occidentalium Dominio Regis Francorum ſubjectis, Facultates diſpenſandi ſuper impedimentis matrimoniorum ad annos XX juxta formam, & tenorem conſimili concesſionis factæ a S. M. Clemente XI Patribus Societatis Jeſu per Breve datum die XI Auguſti MDCCV, Sanctitas Sua Benedictus XIII conceſſit.*

Anno 1727 Die 13 Februarii.

LXXI.

De feſto S. Agnetis (1) in Ordine Prædicatorum ritu toto duplici, & cum Octava Simplici celebrando.

Ex Archivo (2) Ordinis.

ORDINIS PRÆDICATORUM.

SAnctiſſimus Dominus Noſter Benedictus PP. XIII ad humillimas preces Reverendiſſimi P. Thomę Ripoll Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum, benigne indulſit, ut in poſterum in univerſo prę- fato Ordine utriuſque ſexus Officium Sanctę Agnetis Virginis ejuſdem Ordinis recitari, & Miſſa reſpective celebrari poſſint ſub eodem Ritu, & cum Octava ſimplici juxta formam Breviarii ipſius Ordinis, quemadmodum per Sac. Rituum Congregationis Decreta celebrantur Feſta aliorum dicti Ordinis Sanctorum ſolemni ritu Canonizatorum, & quod Lectiones de Octava deſumantur ex iis, quę pro die feſto ejuſdem Sanctę a ſanctę memorię Clemente PP. VIII fuerunt jam approbatę, ac poſtmodum ad totum prędictum Ordinem conceſſę, necnon in fine tertię Lectionis pro Matutinis ejuſdem Feſti addi mandavit ſequentia Verba - Denique ipſam Beatam Virginem Agnetem Miraculis claram Benedictus PP. XIII Ordinis Prędicatorum, Sanctarum Virginum numero adſcripſit. Hac die XIII Februarii MDCCXXVII.

N. Card. Coſcia Pro-Prędectus.

Loco ✝ ſigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Congr. Secr.

1. *S. Agnetis.*) Conſulenda Conſtitutio *LXVII*.

2. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXVII*.

Anno 1727 Die 3 Martii.

LXXII.

Indulgentia pro feſto Canonizationis S. Agnetis (1) celebrando.

Ex Archivo (2) Ordinis.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, Nos nuper ad honorem Sanctiſſimę, & individuę Trinitatis, ad exaltationem Catholicę Fidei, & Chriſtianę Religionis incrementum, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Alma Urbe noſtra exiſtentium conſilio, Beatam Agnetem de Monte Politiano Ordinis Sancti Dominici, auctoritate Nobis a Domino tradita Sanctam eſſe decreverimus, & definiverimus, ac Sanctarum Catalogo ſolemni ritu adſcripſerimus; Et, ſicut accepimus, dilecti filii Fratres Conventuum, & dilectę in Chriſto Filię Moniales Monaſteriorum Ordinis prę- fati, Solemnitatem, ſeu Feſtivitatem Canonizationis ejuſdem Sanctę Agnetis de Monte Politiano in ſuis reſpective Eccleſiis celebrare intendant; Nos ad augendam fidelium Religionem, & Animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti; Omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis qui Eccleſias quorumcunque Conventuum, & Monaſteriorum Regularium tam Fratrum, quam Monialium dicti Ordinis ubicunque locorum exiſtentes, die quo Solemnitas, ſeu Feſtivitas Canonizationis hujuſmodi ibidem reſpective celebrabitur, vel aliquo ex ſeptem diebus immediate ſequentibus devote viſitaverint, ac ibidem pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Prę̨ſentibus pro unica vice quoad ſingulas Eccleſias prę̨fatas valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, prę̨ſentatione, admiſſione, ſeu publicatione prę̨ſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, prę̨ſentes nullę ſint, utque earundem prę̨ſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis prę̨ſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die tertia Martii MDCCXXVII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Pro D. Card. Oliverio.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *S. Agnetis.*) Conſulenda Conſtitutio *LXVII*.

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCCXXVII*.

Flo-

Florentina Beatificationis, & Canonizationis V. Servæ Dei Catharinæ de Riccis, (1) Monialis Ordinis Prædicatorum in Monaſterio Pratenſi S. Vincentii.

Anno 1727 Die 7 Martii.

LXXIII.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

COram Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIII die IV Martii currentis Anni MDCCXXVII habita fuit Congregatio Generalis Sacrorum Rituum, in eaque per Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Origum Ponentem, ſeu Relatorem propoſita cauſa Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servę Dei Catharinę de Riccis Monialis Ordinis Prędicatorum in Monaſterio Pratenſi S Vincentii ſuper Dubio: An conſtet de Virtutibus tum Theologalibus, tum Cardinalibus ipſius Ven. Servę Dei in caſu, & ad effectum, de quo agitur; Cumque ſuper eo DD. Conſultores primo, deinde Reverendiſſimi DD. Cardinales ſuffragia ſua tuliſſent. Idem Sanctiſſimus Dominus Noſter, iis auditis, reſolutionem prędicta die differre cenſuit, ut de more in tam gravi deliberatione Cęleſtem opem, Divinumque lumen imploraret. Quod cum ſequentibus diebus ferventiſſime peregiſſet, tandem infraſcripta die Doctori Angelico Divo Thomę Aquinati Sacra, erga quem Ven. Serva Dei ſingulari devotionis affectu, dum viveret, ferebatur, & a quo ſpecialibus favoribus, & gratiis pluries fuerat cumulata, ſuper propoſito Dubio publicari mandavit Reſponſum Affirmativum, videlicet: Conſtare de Virtutibus Ven. Servę Dei Catharinę de Riccis tam Theologalibus, ſcilicet, Fide, Spe, & Caritate, quam Cardinalibus, Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque reſpective annexis in gradu Heroico in caſu, & ad effectum de quo agitur: Et ita &c. Hac die VII Martii MDCCXXVII.

N. Card. Coſcia.

Loco † Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Catharina de Riccis*.) Beatæ cujus feſtum celebrandum permiſit *Clemens XII*, ut ex ipſius Conſtitutione liquet, & poſtea dicetur.

2. *Archivo*.) In quo exemplaria, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXVII*.

Indulgentia pro Feſto S. Agnetis (1) quotannis celebrando.

Anno 1727 Die 4 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

BENEDICTUS PP. XIII.

LXXIV.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

REdemptoris, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui glorioſos ſaluberrimorum, quę nobis reliquit exemplorum ſectatores, altis decoravit honoribus, & cęleſtis beatitudinis conſortes effecit, vices, licet immeriti gerentes in terris, ſpiritualium munerum Theſauros, quorum nobis credita eſt diſpenſatio, libenter erogamus, ſicut ad excitandam, & fovendam erga eoſdem Beatos cęli incolas, fidelium devotionem ſalubriter expedire in Domino arbitramur. Cum nos alias ad honorem Sanctiſſimę, & individuę Trinitatis, ad exaltationem Catholicę Fidei, & Chriſtianę Religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Alma Urbe noſtra tunc exiſtentium conſilio, Beatam Agnetem de Monte Politiano Ordinis S. Dominici auctoritate Nobis a Domino tradita Sanctam eſſe decreverimus, & definiverimus, illamque Sanctorum Cathalogo ſolemni ritu adſcripſerimus. Hinc eſt quod Nos ad augendam fidelium Religionem, & Animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, Omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis tam Fratrum, quam Monialium Ordinis prędicti hactenus erectis, & in poſterum quomodocunque erigendis, & ubicunque locorum exiſtentibus, die feſto ejuſdem Sanctę Agnetis, nempe die vigeſima Aprilis, a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis feſti hujuſmodi annis ſingulis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ipſarum pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides habeatur, quę haberetur ipſis pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Beneventi ſub Annulo Piſcatoris die IV Aprilis MDCCXXVII Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Pro D. Card. Oliverio.
C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *S. Agnetis*.) Conſulenda Conſtitutio *LXVII*.

2. *Archivo*.) In quo autographum, & exemplaria, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXVII*.

Anno 1727 Die 17 Aprilis.

LXXV.

Indulgentiam pro feſto S. Pii V conceſſam transfert.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Prior, & Fratres Conventus de Roſa nuncupat. Fratrum Ordinis Prędicatorum Civitatis Mediolan., quod omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis tam Fratrum, quam Monialium dicti Ordinis ubicunque exiſtentibus die feſto S. Pii V Summi Pontificis, a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effudiſſent, Plenaria omnium peccatorum ſuorum remiſſio, & Indulgentia, auctoritate Apoſtolica perpetuo conceſſa fuit, prout in literis Apoſtolicis deſuper expeditis, quarum tenorem pręſentibus pro expreſſo haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Chriſti fideles dictam Indulgentiam die feſto S. Pii V Summi Pontificis, ut pręfertur, conceſſam, in eorundem exponentium Eccleſia certis ex cauſis minus commode lucrari valeant, illamque propterea exponentes prędicti per Nos, ut infra, transferri ſummopere deſiderent. Nos ſupplicationibus dictorum exponentium nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ſupradictam Indulgentiam die feſto Sancti Pii V Summi Pontificis, ut pręfertur, conceſſam, ad diem octavam Menſis Maii quoad Eccleſiam Conventus prędicti duntaxat, ſervata tamen in reliquis prędictarum literarum forma, & diſpoſitione, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium perpetuo transferimus. In contrarium facientibus Non obſtantibus quibuſcunque. Datum Beneventi ſub Annulo Piſcatoris die XVII Aprilis MDCCXXVII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Pro D. Cardinale Oliverio.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Archivo*.) In quo exemplar authenticum ex autographo *Mediolanenſi*.

Anno 1727 Die 17 Aprilis.

LXXVI.

Indulgentiam pro Commemoratione omnium Sanctorum Ordinis conceſſam transfert.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Prior, & Fratres Conventus de Roſa nuncupat. Fratrum Ordinis Prędicatorum Civitatis Mediolan., quod omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis tam Fratrum, quam Monialium dicti Ordinis ubicunque exiſtentibus die nona Novembris, qua omnium Sanctorum Ordinis prędicti commemoratio ibidem fieri ſolet a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effudiſſent, Plenaria omnium peccatorum ſuorum Indulgentia, & remiſſio, auctoritate Apoſtolica perpetuo conceſſa fuit, prout in literis Apoſtolicis deſuper expeditis, quarum tenorem pręſentibus pro expreſſo haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Chriſti fideles dictam Indulgentiam die nona Novembris, ut pręfertur, conceſſam, in eorundem exponentium Eccleſia certis ex cauſis minus commode lucrari valeant, illamque propterea exponentes prędicti per Nos, ut infra, transferri ſummopere deſiderent. Nos ſupplicationibus dictorum exponentium nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ſupradictam Indulgentiam die nona Novembris, ut pręfertur, conceſſam, ad tertiam Dominicam dicti Menſis Novembris, quoad Eccleſiam Conventus prędicti duntaxat, ſervata tamen in reliquis prędictarum literarum forma, & diſpoſitione, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium perpetuo transferimus. In contrarium facien. Non oſtantibus quibuſcunque. Datum Beneventi ſub Annulo Piſcatoris die XVII Aprilis MDCCXXVII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Pro D. Cardinale Oliverio.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Archivo*.) In quo exemplar authenticum ex autographo *Mediolanenſi*.

Ne

Ne Conventus Andrien., aliorumque Cœnobiorum totius Provinciæ Apuliæ Fratres, quibuſdam ſupplicationibus ſolemnibus intereſse teneantur (1).

Anno 1727 Die 26 Aprilis.

LXXVII.

Ex Archivo (2) Ordinis.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Cum, ſicut acecpimus, dilecti filii Prior, & Fratres Conventus Civitatis Andrien. Provineię Apulię Ordinis Sancti Dominici, nimium grave onus, cui ſuberant, publicis proceſſionibus, ſeu ſupplicationibus, quę in dicta Civitate intra anni decurſum, & pręſertim ſingulis feriis ſextis Menſis Martii, Dominica Palmarum, Annunciationis Beatę Marię Virginis, Sanctorum Richardi, Blaſii, Antonii de Padua, & ipſius Sancti Dominiei feſtis diebus fieri conſueverant, interveniendi, ſtatuamque ejuſdem Sancti Dominici illius die feſto ab Eccleſia dicti eorum Conventus ad Cathedralem Eccleſiam Andrien. deferendi, ac inſuper primis veſperis, & Miſſis ſolemnibus in eadem Cathedrali Eccleſia Annunciationis, & Sancti Richardi feſtis diebus prędictis aſſiſtendi ſufferre non valentes, die ſexta Menſis Julii proxime pręteriti a Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, per modum proviſionis decerni obtinuerint, ſe nonniſi ad aliquot paueas duntaxat proceſſiones, ſeu ſupplicationes ejuſmodi infra annum accedere teneri, & obligatos eſſe. Nunc vero pro parte dilectorum etiam filiorum Cleri, ae populi Civitatis prędictę deeretum ad eorundem Prioris, & Fratrum favorem ab ipſa Congregatione Cardinalium, ſicut pręmittitur, emanatum impugnari, ae de ſubreptionis, & obreptionis vitio redargui prętendatur, vel maxime quod dictę Congregationi Cardinalium quędam reſolutiones, quę tam ab ipſa, quam alia Congregatione eorundem Sanctę Romanę Ecelesię Cardinalium, Sacris Ritibus, & cęremoniis eccleſiaſticis pręposita, adverſus tunc exiſtentes Priorem, & Fratres dicti Conventus ſuper hac re alias prodierunt, ſubtacitę fuerant. Nos eonſiderantes Priorem, & Fratres ejuſdem Conventus ſine gravi eorum incommodo, ae non minus diſciplinę regularis, quam ſaerarum literarum ſtudiorum inibi vigentium detrimento tot proceſſionibus, ſeu ſupplieationibus intereſſe, aliaque pręmiſſa adimplere non poſſe, ae proinde religioſę eorum quieti, & tranquillitati, quantum cum Domino poſſumus, ſalubriter providere cupientes, ac ipſorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, de memoratorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quorum ſententiam deſuper denuo audivimus, conſilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, quod deinceps Prior, ac Fratres dicti Conventus Civitatis Andrien. pręſentes, ac futuri, nonniſi ad proceſſiones, ſeu ſupplicationes, quę die feſto Corporis Chriſti, in Litaniis majoribus, & Rogationibus fient, & pro bono, cauſa, ac honore publico a venerabili Fratre moderno, & pro tempore exiſtente Epiſcopo Andrien. indicentur, juxta decretum a prędicta Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum anno MDCXXVIII generaliter editum, accedere teneantur, harum ſerie ſtatuimus, & declaramus, eoſque perpetuis futuris temporibus a quacunque obligatione quibuſvis aliis proceſſionibus, ſeu ſupplicationibus pręter mox recenſitas interveniendi, necnon ſtatuam ejuſdem Sancti Dominici ad ſupradictam Cathedralem Eccleſiam deferendi, ac veſperis, & Miſſis ſolemnibus feſtis diebus Annunciationis B. Marię Virginis, & Sancti Richardi in eadem Eccleſia Cathedrali aſſiſtendi, etiamſi ex pacto, contractu, conventione, vel ex qualibet quantumvis legitima, pia, & privilegiata cauſa proveniret, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, tenore pręſentium plenarie eximimus, & liberamus. Ceterum Priori, ſeu cuicunque alteri Superiori ejuſdem Conventus nunc, & pro tempore pariter exiſtenti, ne in poſterum quovis titulo, colore, vel prętextu ipſi Conventui, illiuſque Fratribus talia, vel id genus onera imponere, ſeu illorum impoſitioni conſentire audeat, ſeu pręſumat, ſub privationis vocis activę, & paſſivę eo ipſo abſque alia declaratione, aliiſque noſtro, ac Romanorum Pontificum ſucceſſorum noſtrorum arbitrio infligendis pęnis, pręter, & ultra nullitatem actus impoſitionis, & acceptationis onerum hujuſmodi diſtricte prohibemus. Pręmiſſa vero omnia, & ſingula quoad dictum Conventum Andrien. per Nos diſpoſita, ut prefertur, ipſaſque pręſentes literas ad reliquos Conventus prędictorum Ordinis, & Provincię Apulię, ſi qui forſan aliis, quam ſupradictis proceſſionibus, ſeu ſupplicationibus intereſſendi obligationibus, aut oneribus detinentur, eadem auctoritate extendimus, & ampliamus, illęque inibi ſervari pręcipimus, & mandamus. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque in pręmiſſis per quoſcunque judiees ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apoſtolicę Sedis Nuneios, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judieandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Apoſtolicis, & in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus Coneiliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, atque prędictarum, & aliarum quarumvis ipſius Senctę Romanę Eeeleſię Cardinalium Congregationum deeretis, &

reſo-

reſolutionibus, necnon quatenus opus ſit quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, pactis, contractibus, conventionibus, ac conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Beneventi ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Aprilis MDCCXXVII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Pro D. Cardinale Oliverio.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Teneantur.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum, & aliud impreſſum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ *MDCCXXVII.*

Anno 1727 Die 26 Aprilis.

De Melphienſi (1) Cœnobio conſtituendo.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXVIII.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

APoſtolatus Officium Nobis nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, ab ęterno Paſtore commiſſum ſalubriter exequi adſpirante ſuperni favoris auxilio, jugiter ſatagentes, piis Chriſti fidelium quorumcunque, pręſertim Catholicorum Antiſtitum in partem Apoſtolicę ſolicitudinis noſtrę vocatorum ad bonorum operum, & Religionis incrementum laudabiliter tendentibus libenter aſſentimur, illaque favoribus, & gratiis proſequimur opportunis. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Mondilla Urſinus (3) Archiepiſcopus, & Epiſcopus Melphien. noſter ſecundum carnem ex Fratre germano Nepos, quod ipſe non minus pro ſingulari ſuo erga inclytum Ordinem Fratrum Sancti Dominici, quem profeſſi ſumus, & adhuc profitemur, devotionis affectu, quam ad divinum cultum in Civitate Melphien. magis in dies augendum, creditique ſibi populi animarum ſaluti, & ſpiritualibus neceſſitatibus uberius proſpiciendum, pium, quo jamdiu tenetur, Fratres ejuſdem Ordinis in dictam Civitatem Melphien. introducendi, & perpetuo inibi ſtabiliendi deſiderium executioni demandare exoptans a dilecto filio moderno Rectore Eccleſię S. Marię gratiarum, ſive della nova nuncupatę dictę Civitatis ceſſionem ejuſdem Eccleſię, ad effectum ibidem Conventum Fratrum Prędicatorum erigendi, obtinuit ſub diverſis pactis, & conditionibus in publico deſuper confecto Inſtrumento contentis, cumque pecunię pro fabrica novi Conventus hujuſmodi neceſſarię a quibuſdam piis diſponentibus huic operi deſtinatę, jam promptę, & paratę ſint; Ipſe Mondilla Archiepiſcopus, & Epiſcopus ad illius erectionem quamprimum devenire, ac pro commoditate, & ſuſtentatione Fratrum in novo Conventu pręfato pro tempore degentium annuos fructus, redditus, & proventus Capellę Sanctiſſimi Roſarii nuncupatę in Cathedrali Eccleſia Melphien. erectę, ab Epiſcopo Melphien. pro tempore exiſtente per Priorem, qui ei quotannis rationem ſuę adminiſtrationis reddere tenetur, adminiſtrari ſolitos, ita tamen, ut dicti Fratres onera Miſſarum ad eandem Capellam celebrandarum in Eccleſia Conventus pręfati adimplere teneantur, applicare poſſe plurimum deſiderat; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut ſupradictam ceſſionem Eccleſię Sanctę Marię gratiarum, ſeu della nova approbare, & alias opportune in pręmiſſis providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur pium, ac laudabile ipſius Mondillę Archiepiſcopi, & Epiſcopi propoſitum plurimum in Domino commendantes, ejuſque votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, & eum a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, necnon enarrati Inſtrumenti tenorem, & alia quęcunque etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & accurate ſpecificatis habentes, memoratam ceſſionem Eccleſię S. Marię gratiarum, ſeu della nova Civitatis Melphien. a moderno illius Rectore factam, ſicut pręmittitur, confectumque deſuper Inſtrumentum pręfatum cum omnibus, & ſingulis pactis, & conditionibus in eo contentis, alias tamen licitis, & honeſtis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, & approbamus, illiſque perpetuę, & inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſeu interveniſſe dici, cenſeri, & pętendi poſſent, ampliſſime ſupplemus, & ſanamus; Ipſique Mondillę Archiepiſcopo, & Epiſcopo ſupradictum novum Conventum Ordinis Fratrum Prędicatorum in dicta Civitate Melphien., ſervata forma Apoſtolicarum, dictique Ordinis Conſtitutionum, auctoritate noſtra Apoſtolica erigendi, & inſtituendi, ac eidem Conventui omnes, & ſingulos fructus, redditus, & proventus ad dictam Capellam Sanctiſſimi Roſarii in prędicta Cathedrali Eccleſia exiſtentem quomodolibet ſpec-

Nota.

ſpectantes, ea lege, ut onera Miſſarum inibi celebrandarum, in Eccleſia dicti novi Conventus per eoſdem Fratres deinceps adimpleri debeant, perpetuo uniendi, applicandi, & incorporandi, quodque Religioſi novi Conventus prędicti, poſtquam erectus, & inſtitutus fuerit, pręeminentiis, pręcedentiis, & aliis pręrogativis ſecundum morem, & antiquitatem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, non vero juxta tempus ipſius Conventus erectionis frui, & gaudere debeant, declarandi, & decernendi quamcunque neceſſariam, & opportunam facultatem, & licentiam, eadem auctoritate, tenore pręſentium concedimus, & impertimur. Non obſtantibus pręmiſſis, ac quorumcunque teſtatorum, etiam ultimis voluntatibus, quas quoad pręmiſſa ſufficienter, & expreſſe commutamus, necnon felicis recordationis Pauli II, & aliorum Romanorum Pontificum prędeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſię non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, noſtriſque, & Cancellarię Apoſtolicę regulis, ac quatenus opus ſit Ordinis, & Eccleſiarum hujuſmodi, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Beneventi ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Aprilis MDCCXXVII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Pro D. Card. Oliverio.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Melphien.*) In Regno *Neapolitano*.
2. *Archivo*.) In quo autographum.
3. *Mondilla Urſinus*.) Patriarcha *Conſtantinopolitanus*, Archiepiſcopus *Capuanus*, magni nominis Præſul, quem probitas ornat.

Privilegia (1) Ordini Prædicatorum a S. Sede hactenus indulta confirmantur, innovantur, extenduntur, declarantur, ac novis etiam conceſſionibus ampliantur, cum neceſſariis, & opportunis derogationibus.

Anno 1727 Die 26 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIX.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Procemium.

§. 1. PRetioſus in conſpectu Domini Fratrum Prędicatorum inclytus Ordo, quem Divinus Sponſus, ad cumulandos dilectę Sponſę ſuę ſacroſanctę Eccleſię in terris militanti cęleſtes triumphos, excitavit, & quem Nos ab ineunte ętate noſtra expreſſe profeſſi ſumus, promeretur, ut ea, quę ob innumera, & in dies adoleſcentia erga Sedem Apoſtolicam merita, de plurium Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum, diverſis ſic meritis, & ipſis exigentibus temporibus, gratia proceſſerunt, in unum a Nobis redigantur, approbentur, confirmentur, & de novo, novis etiam ſuperventis meritis, concedantur, ut ex eis omnibus ſic in unum redactis, debita privilegiorum amplitudo, & ex ea altitudo appareat meritorum, & Ordo ipſe in Nobis filii expertus obedientiam, & reverentiam, paterni nunc quoque, divina ſic diſponente bonitate, noſtri amoris affectum experiatur, & liberalitatem. Hinc Nos, qui dudum inter alia voluimus, quod literę ſuper Indulgentiis non expediantur *ad inſtar*, niſi ſpecificentur, Ordinem Prędicatorum hujuſmodi amplioribus gratiis, & favoribus proſequi volentes, ac dilectos filios Fratrem Thomam Ripoll Magiſtrum, & Fratrem Angelum Gulielmum Molum Procuratorem, Generales Ordinis, omneſque, & ſingulos illius Superiores, & Fratres, aliaſque perſonas ſuo loco ſubjungebas, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon omnium, & ſingulorum infraſcriptorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum, & noſtrarum mox referendarum literarum, Congregationum decretorum, inferius dicendorum, reſpective tenores pręſentibus, perinde ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo inſerti forent, pro expreſſis habentes, Motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc Nobis oblatę petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, meriſque deliberatione, & liberalitate noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, eidem Ordini omnes, & ſingulas ſucceſſive recenſendas, ac alias quaſcunque gratias, exemptiones, Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, necnon conceſſiones cujuſcunque generis, conditionis, & ſpeciei, Fratribus, & Sororibus quibuſcunque prędicti Ordinis Prędicatorum, ac etiam Tertii Ordinis de Pęnitentia Sancti Dominici nuncupatis, de Apoſtolica largitate conceſſas tam generaliter, quam ſpecialiter, & in individuo, confirmamus, innovamus, & quatenus opus ſit, de novo concedimus.

Motiva hujus Conſtitutionis.

I. Indulgentiæ pro Societate Nominis Jeſu.

§. 2. Et primo quidem omnes, & ſingulas Indulgentias, Confraternitati Sanctiſſimi Nominis Jeſu, ſive alias Nominis Dei, & Juramentorum (quam ab ipſo Ordine Prędicatorum originem duxiſſe, Prędeceſſor noſter Sanctus Pius V in literis: *Decet Romanum Pontificem*: 21 Junii 1571 animadvertit, cjuſque auctorem antea Fratrem Didacum de Victoria Conventus Sancti Pauli Burgenſis prędicti Ordinis, eundemque egregium verbi Dei prędicatorem dixerat Pius PP. IV in Conſtitutione: *Salvatoris*: Idibus Aprilis 1564) a prędicto Pio IV in alia Conſtitutione incipien.: *Injunctum Nobis*: eiſdem die, & anno, Gregorio XIII in literis ſuis: *Alias per fel. rec. Pium PP. IV*: & duabus aliis incipien.: *Alias fel. rec. Pius PP. IV*: 9 Julii, & 5 Septembris 1580, & 22 Septembris 1583, ceteriſque aliis Romanis Ponti-

Vbi reperiuntur Eccleſiæ Ordinis, in ipſis ſolis hæc Societas eſſe debet.

Pontificibus deinde conceſſas, declarantes, eas omnes Indulgentias accipiendas eſſe ad normam literarum Pauli V: *Quum certas unicuique Confraternitati*: 31 Octobris 1606: *Pias Chriſti fidelium*: 28 Septembris 1612: *Quum ſicut nuper accepimus*: 1 Aprilis 1613, atque venerabilis record. Innocentii XI: *Quum dudum*: 18 Aprilis an. 1678. Declarantes inſuper, ac mandantes juxta pręlibatas literas S. Pii V, Confraternitatem eandem in locis, in quibus Conventus Ordinis prędicti exiſtunt, aut quandocunque ſunt extituri, in ſolis ejuſdem Ordinis Eccleſiis exiſtere poſſe, ac in eiſdem duntaxat per Fratres prędictos functiones quaslibet ad dictam Confraternitatem ſpectantes eſſe peragendas, niſi alias ſpeciali indulto aliud ab Apoſtolica Sede forte conceſſum reperiatur, necnon ad normam prędictarum Pauli V literarum: *Quum certas*: poteſtatem tales Confraternitates erigendi, & fundandi, ac Indulgentias communicandi, alias a S. Pio V in memoratis literis, Provincialibus, ac etiam Conventuum Prioribus permiſſam, ſoli Ordinis Generali Magiſtro, vel Vicario Generali eſſe privative adjudicandam.

Soli Magiſtro Ordinis, aut Vicario Generali aſſeritur facultas ejuſcemodi Societates fundandi.

II.

Indulgentiæ pro Confraternitate Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

§. 3. Indulgentias quoque, ac gratias omnes Confraternitati Sanctiſſimi Corporis Chriſti in Eccleſia domus B. M. V. ſuper Minervam prędicti Ordinis Prędicatorum, ex qua tanquam a prima, & principe innumerę alię in totum qua late patet Chriſtianum Orbem, in perpetuum tanti Sacramenti cultum, prodiere, a Prędeceſſoribus noſtris ab ejuſdem origine benigne conceſſas, nimirum, a Paulo Papa III in Conſtitutione: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus tranſiturus*: pridie Kal. Decembris 1539 &: *Ad providam*: Gregorio XIII: *Paſtoris æterni*: octavo Idus Auguſti 1573, Paulo V in Conſtitutione: *Quum certas*: 3 Novembris 1606.

III.

Indulgentiæ pro Societate Sanctiſſimi Roſarii.

§. 4. Inſuper Indulgentias Societati Sanctiſſimi Roſarii, ab ipſo Ordinis Prędicatorum Fundatore P. S. Dominico cum inſigni animarum fructu, & B. M. V honore, inſtituti, a quocunque, & quomodocunque conceſſas: nominatim vero a laudato Sancto Pio V. LXXXVI: *Inter deſiderabilia*: 28 Junii 1569, & a Sixto V, XXI.: *Dum ineffabilia*: 30 Januarii 1586, Urbano IV, Johanne vulgo XXII, Sixto IV, Innocentio VIII, Alexandro VI, Julio II, ac Leone X (qui in Conſtit. XLVI: *Paſtoris æterni*: Pridie nonas Octob. 1520. conceſſerat, ut Confratres, & Conſorores Roſarii per Confeſſarium prędicti Ordinis Prędicatorum in certis diebus ab eodem aſſignatis abſolvi poſſent ab omnibus caſibus, & cenſuris, etiam Apoſtolicę Sedi reſervatis, exceptis contentis in Bulla Cęnę, eorumque Juramenta quęcunque, ſine pręjudicio alicujus, relaxari, & Vota, ultramarinis, Viſitationis Liminum BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli, necnon Caſtitatis, & Religionis Votis exceptis, in alia pietatis opera commutari, Ordinarii Loci, vel cujuſvis alterius licentia deſuper minime requiſita; quę quidem, ut ſupra, pariformiter confirmamus, innovamus, & de novo concedimus, ſed intelligenda, & accipienda volumus, & declaramus juxta ſancita a Clemente VIII in Conſtitutione CXV.: *Quæcunque a Sede*: 7 Decembris 1604 § 9; nimirum, ut Confeſſarii prędicti ab Ordinario Loci, & a ſuis Superioribus ſint approbati, neque abſolvere poſſint a gravioribus caſibus prędictę Sedi reſervatis, & ab ipſo Clemente VIII ibidem expreſſis, aut reſervatis Ordinario Loci, neque ab excommunicatione ab homine lata, neque diſpenſare valeant cum prędictis ſuper quacunque irregularitate, ex defectu, vel delicto proveniente) Adriano VI, Clemente VII, Paulo III, Julio III, Paulo IV, Pio IV, & prędicto S. Pio V, ac Gregorio XIII. Necnon a nonnullis prędictę Sedis de latere Legatis, & Nuntiis: ac demum ab Innocentio XI: *Nuper pro parte*: 31 Julii 1671, ſimulque decreta noviſſima per Congregationem SS. Indulgentiis prępoſitam edita 13 Aprilis, & 13 Auguſti 1726, & per Nos approbata.

Super quibus Caſibus, & Votis, & quinam Confeſſarii Ordinis poſſint cum Roſarii Confratribus, & Conſororibus abſolvere, & commutare.

Rudiores ſola devota recitatione Roſarii Indulgentias prędictas lucrari poſſunt.

Ad conſolationem perſonarum vere rudiorum, ac Divinis meditandis Myſteriis in pręfato S. Roſario comprehenſis minus idonearum, prępterea declarantes eaſdem devota, ac pia ejuſdem Roſarii recitatione prędictas Indulgentias, juxta poſterius hoc Decretum, Myſteria illa meditantibus tantummodo conceſſas, etiam lucrari poſſe: tametſi plane volumus, ut iiſdem reparationis noſtrę Myſteriis Sacratiſſimis meditandis juxta Roſarii inſtitutum aſſuefiant.

Indulgentia plenaria viſitantibus Capellam Roſarii infra octavam vel in ipſa octava ejuſdem.

§. 5. Ut tamen devotio Deo, ac B M. V. adeo accepta, ac Populis ſalutaris in dies augeatur, de Apoſtolica benignitate indulgemus, quatenus in perpetuum viſitantes infra Octavam, vel in ipſa Octava Feſti Roſarii Capellam, in qua erecta ſit Societas ejuſdem Roſarii, die per eoſdem eligenda, Indulgentiam plenariam conſequantur, ſi confeſſi, ac Sacra Euchariſtia refecti, pias de more Eccleſię ad Deum preces effuderint; declarantes, ad mentem quoque Predeceſſorum Noſtrorum, hanc & ceteras ſuperius confirmatas Indulgentias, viſitantibus Capellam Roſarii conceſſas, eos ſolummodo lucrari poſſe, qui Capellam ipſam, ſive Altare, non vero quamcunque Sanctiſſimę Virginis Roſarii Statuam extra Capellam prędictam conſtitutam viſitaverint.

Viſitanda Capella, non Statua.

Nova Roſaria interdicuntur.

§. 6. Ne vero eadem devotio in poſterum minuatur, Conſtitutionem CXLIX. Alexandri VII incipien.: *In ſupremo*: editam die 28 Maii 1664 reſpectu Roſarii vulgo *Seraphici*: & aliam Clementis XI: *In ſupremo*: ad petitionem moderni Ordinis Prędicatorum Procuratoris Generalis 8 Martii 1712 reſpectu alterius Roſarii in honorem Sanctiſſimę Trinitatis nuncupati, conſulta Sacrorum Rituum Congregatione emanatam, confirmamus, & innovamus, ut ſupra, eaſque, & in eis contenta quęcunque extendimus, & ampliamus Motu, ſcientia, & poteſtate ſimilibus, ad cetera quęcunque Roſaria de novo inventa, aut invenienda ſine opportuna prędictę Sedis facultate, quibus authenticum Roſarium prędictum, Deo, & B M. V. Sacrum, non ſine fidelium perturbatione antiquaretur.

Miſſa privilegiata Roſarii.

§. 7. Confirmamus pari, & expreſſa ratione eidem Ordini privative circa Miſſam Votivam privilegiatam prędicti Roſarii incipien.: *Salve Radix Sancta*: Conſtitutionem XXIX Clementis X incipien.: *Cæleſtium munerum*: 16 Februarii 1671.

Solius Magiſtri Ordinis, aut Vicarii Generalis facultas privativa inſtituendi Societates Roſarii, facta eidem Magiſtro certa facultate pro Regio-

§ 8. Prędeceſſorum inſuper quorumvis Noſtrorum Conſtitutiones, necnon Congregationis Rituum in una *Mediolanen.* Decretum latum die 9. Aprilis 1661. quibus poſt S. Pium in prędicta Conſtitutione: *Inter deſiderabilia*: aſſerta eſt privativa facultas erigendi, ac fundandi Societates Roſarii, eiſque prędictas Indulgentias communicandi ſoli Magiſtro Ordinis, aut Vicario Generali prędicto; Ita tamen, ut per pręſentem Conſtitutionem noſtram Motu, ſcientia, & poteſtate prędictis Indultum illud per Prędeceſſores noſtros Innocentium XII, & Clementem XI in Apoſtolicis Literis ſuis ſimiliter incipien.:

Ex-

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Cloche : 1 Martii 1692, & 18 Februarii 1713 eidem tunc in humanis exiſtenti Ordinis prędicti Magiſtro quoad viveret conceſſum, circa facultatem Provinciales Canarien., S. Crucis, S. Antonini in Indiis, Mexican., Peruan. Quiten., Chilen., Oaxacan., Chiapen., Angelorum in nova Hiſpania, Philippinarum, & Congregationis Indiarum Orientalium Portugallię, necnon Vicarios Provinciales Miſſionariorum in Tunkini, & Sinarum Regnis, pro erectione Societatis Roſarii, in illis Regionibus longiſſime diſtantibus, ſubſtituendi, & delegandi ea lege, ut iidem alios ſubdelegare nullatenus poſſent, & quotannis eundem Antoninum de erectis Confraternitatibus certiorem reddere tenerentur, ac ſalva ſemper auctoritate Congregationis Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardin. Concilii Triden. Interpretum, non ſolum ad modernum primo dictum, ſed etiam ad quemvis pro tempore futurum prędicti Ordinis Magiſtrum, etiam reſpective ad Provincialem de Buenos Ayres, & ad Vicarios Congregationis Sanctiſſimi Nominis Jeſu, & Sac. Roſarii in America, ac etiam in ordine ad erigendas Societates ſupradictas ejuſdem Nominis Jeſu, & infra dicendas Militię S. Thomę in prędictis omnibus Regionibus, extendimus, & ampliamus.

nibus Occidentalibus, & Orientalibus ſubdelegandi alios in Ordine ad ibidem illas, ſicut & alias Societates inſtituendas.

§. 9. Ac demum declarationem prędictę Congregationis Indulgentiis prępoſitę 7 Septembris an. 1607 de mandato Pauli V Super Conſtitutione prelaudati Clementis VIII, nimirum, pro erigendis novis illis, aliiſque Societatibus non requiri diſtantiam illam, quę per antiquiores Apoſtolicas Ordinationes ſancita fuerat, dummodo cetera ſerventur requiſita.

Pro fundandis Societatibus, non requiritur diſtantia alias ſancita.

IV

Indulgentiæ pro Societate Cruceſignatorum, & Miniſtris S. Officii.

§. 10. Deinde indulgentias omnes, ac ſingulas, & gratias a S. Sede Cruceſignatis, ac Miniſtris S. Officii conceſſas, neque ab eadem Sede expreſſe revocatas.

§. 11. Ulterius Indulgentias omnes, & ſingulas, & gratias Societati *Militiæ Angelicæ*, aut *Cinguli S. Thomæ Aquinatis* pro obtinenda, ſub protectione ejuſdem, in arduo tentatę caſtitatis certamine victoria, ac reſpective propaganda erga S. Doctorem devotione, fundatę, conceſſas pro diverſis Eccleſiis Conventuum noſtri Ordinis prędicti ab Apoſtolica Sede per Innocentium X. Brevi dato ad Lovanienſes 21 Martii 1654, Innocentium XI pro Eccleſia ſub nuncupatione Roſarii Conventus Veneti: & pręcipue per Innocentium XII pro Eccleſia Conventus Mutinen. ſub die 24 Decembris 1695, ac pro Eccleſia Conventus Cęſaraguſtani ad Sanctum Idelphonſum in Conſtitut. incipien.: *Conſiderantes noſtræ mortalitatis*: Idibus Septembris 1693, cui inhęrentes pręcipuum hujus Societatis Feſtum declaramus diem xxviij Januarii, Tranſlationi corporis S. Doctoris ſacrum, eamque Societatem cum prędictis Indulgentiis, & gratiis a Prędeceſſoribus noſtris conceſſis ad totum prędictum Ordinem Prędicatorum auctoritate, ut ſupra, extendimus, & ampliamus; eidemque quatenus opus ſit unientes, & incorporantes Societatem Academię Studentium ejuſdem S. Thomę, fundatam in Eccleſia Barchinonen. Fratrum Prędicatorum ad honorem S. Catharinę V. & M. erecta, ac cum prędicta ferme convenientem, atque confirmatam, & pluribus Indulgentiis auctam a Sixto V in Conſtitutione ſua: *Salvator Noſter*: Kal. Junii 1586. Deinde a Paulo V in Conſtitutione incipien.: *Pietatis, & Chriſtianæ caritatis*: 4 Septemb. 1617, ac demum ab Innocentio XI: *Dudum fel. rec. Paulus PP. V*: 16 Junii 1681, concedimus, & communicamus quaslibet Indulgentias a mox dictis Prędeceſſoribus noſtris huic Societati Academię conceſſas, ac illi antea ex aliis prędictis Apoſtolicis Indultis non convenientes, ac expreſſe, & ſignanter illam LX dierum pro iis, qui ex eadem Societate, concluſionibus, & Diſputationibus Theologalibus ejuſdem Societatis interfuerint: quo ſic Angelico S. Thomę lacte paſti, ac nutriti Confratres, & Conſorores, caſtitatis donum Deo dante felicius tueantur, aut conſequantur amiſſum; Eadem Auctoritate Apoſtolica pręfatas Confraternitates erigendi, & inſtituendi ubique facultatem, & quidem privativam, concedentes Magiſtro Ordinis, ac Vicario Generali pro tempore.

V

Indulgentiæ pro Societate Militiæ Angelicæ Cinguli S. Thomæ.

Feſtum ejus præcipuum.

Unitur eidem Societas Academiæ Studentium S. Thomæ.

Magiſtri Ordinis, & Vicarii Generalis facultas privativa eam Societatem ubique fundandi.

§. 12. Demum Indulgentias quarumcunque aliarum Societatum in Eccleſiis quibuſvis Ordinis prędicti, canonice erectarum eiſdem a prędicta Sede conceſſas, ſicuti & quaslibet Indulgentias, Ordinis Eccleſias viſitantibus a quocunque conceſſas; iiſque addimus Indulgentiam quinque annorum, totidemque quadragenarum ſingulis devote deoſculantibus Religioſum Habitum Ordinis benedictum.

VI

Indulgentiæ pro Eccleſiis, Societatibus, & Habitu benedicto Ordinis.

§. 13. Quum vero Nobis multiplici conſtet experimento, Congregationes ab uſu, vel non uſu Cappę, *Cappatas*, & reſpective *non Cappatas*, aut quocunque nomine appellatas uniones Secularium adminiſtrantium temporalia bona, ad prędictas Nominis Jeſu, Roſarii, aliaſque Societates Seculares in Eccleſiis pręfati Ordinis fundatas ſpectantia, quęque de directo Dominio pręfatorum Fratrum, ſive eorum Conventuum, aut Eccleſiarum, in opus pium etiam determinatum convertenda, vere & realiter ſunt, & quatenus opus ſit, vere & realiter eſſe, ac fore quandocunque, Motu, ſcientia, & auctoritate prędictis declaramus, & ſancimus, ſive ad aliquod pietatis opus, vel devotionem aliquam peragendam, in eiſdem Eccleſiis, aut in aliquo Oratorio ad prędictum Ordinem quoque ſpectante, quomodocunque introductas, contra ſuam ipſarum Inſtitutionem, in apertam Dei, B. M. V., Sanctorumque, ſub quorum Invocatione erectę fuerant, ac fundatę, gravemque injuriam, Fidelium ſcandalum, & prędicti Ordinis Fratrum perturbationem, ac prejudicium, paſſim contra ipſorum Superiorum ejuſdem Ordinis auctoritatem, per deſpoticam bonorum prędictorum adminiſtrationem, per lites acerrimas Fratribus intentatas, ac nonniſi expenſis Societatum pręfatarum in prępoſterum uſum converſis, introductas, ac terminatas, per apertum contemptum; Immo quandoque, quod longe intolerabilius eſt, per violentam ſui ipſorum introductionem in Sanctuarium, ſive in ea, quę mere ſpiritualia, aut ſpiritualibus adnexa ſunt, necnon per plures alios diverſos modos, utique damnandos ſeſe erigere, atque intromittere; hinc ad tantum malum tollendum, per noviſſimum Capitulum Generale Ordinis Bononię habitum 1725 in Commiſſione II ad Nos delatum, & ad conſulendum Dei, B.M.V., & Sanctorum famulatui, Eccleſiarum decori, ac Fratrum prędictorum quieti, non ſolum hactenus aliquas ejuſcemodi effrenes Congregationes per Apoſtolicas Literas ſuppreſſimus, verum, ut Apoſtolica providentia Noſtra ad totum ſpectatiſſimum Ordinem in hoc ipſo quoque ſeſe extendat, Motu, ſcientia, & poteſtate prędictis ſub Interminatione Divini Judicii, necnon ſub excommunicatione latę ſententię eo ipſo, abſque aliqua alia declaratione incurrenda, a qua

VII

Regulæ pro Congregationibus Secularium ſpectantium ad ſocietates erectas in Eccleſiis Ordinis.

Diſpoſitio circa bona earundem Societatum.

Motiva ejuſdem Ordinationis.

Fratres in poſterum nullam ejuſcemodi Congregationem introducere audeant.

a qua ſolum per Magiſtrum Generalem, vel Generalem Vicarium Ordinis, & non per aliumquemcunque inferiorem, abſolvi posſint, omnibus, & ſingulis Fratribus, & Superioribus etiam Provincialibus prędicti Ordinis, pręcipimus, & mandamus, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, ne, ubi hactenus prędictę, alięve conſimiles quęcunque Congregationes, aut Uniones erectę, fundatę, & inſtitutę non ſunt, non ſolum actu introducere, ſed ut introducantur attentare, vel operari, inconſulto Romano Pontifice pro tempore, audeant, vel pręſumant. Ubi vero primum ſub verę devotionis obtentu, vel Fratrum conniventia, vel alia quacunque via, & cauſa in Eccleſiis, aut Conventibus, & Oratoriis prędictis, actu erectę, & inſtitutę reperiuntur, diſtrictisſime in virtute Sanctę Obedientię eiſdem Congregationibus, aut Unionibus, earumque ſingulis membris pręcipimus, & mandamus, ut juxta religioſum, ac pium Societatum, quarum ſunt Miniſtri, inſtitutum, omnino intra certos modeſtię terminos ita ſeſe contineant, ac in Dei famulatu exerceant, ut firma penitus, ac illęſa undique ſit debita reſpectivis Superioribus prędicti Ordinis, eorumque delegatis Religioſis, obedientia, & ſubjectio: in iis omnibus, quę Societatem, ac etiam Congregationem ipſam, ſive ſpiritualia ſint, ſive temporalia, & nominatim ac ſignanter, & expreſſe diſpenſationem, cuſtodiam, ac uſum prędictorum bonorum mobilium, & immobilium quorumvis, quomodocunque ſpectant, ut uno corde, & ore cum prędictis Fratribus directoribus, Deo in odorem ſuavitatis miniſtrent.

Congregationum debita obedientia erga Fratres Ordinis.

Privantur refragantes gratiis ſpiritualibus Societatis eorum.

§. 14. Si vero, quod abſit, Congregatio aliqua pretextu conſuetudinis etiam immemorabilis, aut conventionis, vel alterius cujuſcunque tituli adhuc obſiſtere pergat in iis, quę pręſenti hac noſtra Conſtitutione ſancita ſunt, Motu, ſcientia, & poteſtate ſimilibus eam, ejuſque omnia, & ſingula membra contra prędicta quovis modo refragantia privamus tam in vita, quam in morte, & poſt mortem omnibus, & ſingulis Indulgentiis, & gratiis ſpiritualibus quibuſcunque ad Societatem, ad quam pertinebunt, ſpectantibus, eamque, vel eas ſupprimimus, atque diſſolvimus, quinimmo privatas, ſuppreſſas, & diſſolutas declaramus, & decernimus. Mandantes locorum Ordinariis, ut de hoc ipſo per prędictos Fratres admoniti, invocato etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, talem diſſolutionem & ſuppreſſionem ad exitum perfectum omnino perducant, applicatis bonis mobilibus, & quidem omnibus in univerſum, & quibuſcunque favore Eccleſię Fratrum, immobilibus vero duntaxat poſt deductam favore ejuſdem Eccleſię Fratrum congruam dotem pro decenti manutentione Capellę, ſeu Altaris, necnon pro Miſſis perpetuo per ipſos celebrandis, Seminario Clericorum, eoque deficiente, alteri operi pio ſibi bene viſo, quoties tamen bona prędicta tam mobilia, quam immobilia pręfatę Capellę, aut Altari Fratrum ex aliqua graviſſima cauſa minime relinquenda fore viſum fuerit. Si vero bona ipſa leviora ſint, eadem omnino Capellę, ſive Altari, & Conventui plenarie applicanda ſancimus, & applicata declaramus.

Diſſolvendæ Congregationes refragantes, & modus diſſolutionis peragendæ.

Regulæ pro Societatibus in locis, in quibus novos Conventus erigi contingat.

§. 15. Eandem vero ſubjectionem Prelatis, & Religioſis Ordinis circa prędicta omnia pręſtabunt etiam ſeculares quicunque, congregati ad adminiſtranda bona Societatis Roſarii in iis locis, in quibus auctoritate Apoſtolica, vel Magiſtri Ordinis erecta fuerit Societas, poſtquam in ipſis locis erigi contigerit Conventum dicti Ordinis, cui eo ipſo plenarie, ac ſubjective accedit Societas hujuſmodi cum omnibus, & ſingulis Indulgentiis, pertinentiis, ac bonis quibuſcunque ſuis ſpiritualibus, & temporalibus, non ſolum ex literis erectionis per Magiſtrum Ordinis dari ſolitis, ſed etiam ex Apoſtolica Gregorii XIII Conſtitutione: *Dudum ſiquidem*: 1 Auguſti 1575, quam Nos confirmantes, innovantes, aut de novo concedentes (atque etiam per omnia ſimiliter extendentes ad Societatem Sanctiſſimi Nominis Jeſu) nunc pro tunc talem Societatem cum cujuſcunque generis bonis ſpiritualibus, & temporalibus, mobilibus, & immobilibus, adjudicamus, unimus, & incorporamus, & ſic adjudicata, unita, & incorporata declaramus Conventui, ſive Eccleſię dicti Ordinis, mandantes quoad Societatem ipſam, & bona quęvis ſpiritualia ita inviolabiliter, indefinite quidem, & in perpetuum obſervari. Quoad temporalia vero quotieſcunque juſta de cauſa a Magiſtro Ordinis pro tempore expendenda, ac de ipſius licentia expreſſa, non contingat Fratres pręfatos in erectionem alicujus novi Conventus conſentire cum aliquorum, aut omnium illorum bonorum aſſignatione, ad quem effectum eidem Magiſtro neceſſarias, & opportunas facultates elargimur. Quatenus vero a tali prędicta ſubjectione iidem Congregati recedant, eorum Congregationem pari ratione diſſolvendam, immo diſſolutam, ex nunc, ut prędictum eſt, declaramus, volumus, & mandamus.

VIII. Proceſſio Corporis Chriſti Dominica infra Octavam Feſti ejuſdem.

§. 16. Quoad Proceſſiones autem confirmamus, innovamus, & de novo concedimus, Motu, ſcientia, & poteſtate, ut ſupra, privilegium, indultum Fratribus prędictis a S. Pio V in literis in forma Brevis datis 20 Junii 1570, quod ſoli poſſint peragere Proceſſionem cum Auguſtiſſimo Sacramento in Dominica infra octavam Corporis Chriſti hora, qua maluerint, & per vias ſemel tantummodo per eos eligendas, quod quidem indultum non obſtantibus quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis, & conſequenter derogando illi Gregorii XIII, quę incipit: *Quum interdum*: 11 Martii 1573 non ſolum confirmavit, & innovavit Clemens VIII in Conſtitutione: *Dudum fel. rec. Pius PP. V*: 8 Martii 1592, verum etiam illud extendit ad Conventus quoſcunque, non modo jam erectos, ſed quandocunque erigendos, conceſſa Indulgentia Plenaria intereſſentibus eidem Proceſſioni, quę omnia ampliſſime confirmamus, ut prędictum eſt, quibuſcunque, ut infra, pleniſſime derogantes. Et mandantes prędictis Fratribus, quatenus omni cunctatione ſepoſita prędictam Proceſſionem ſolemniter inſtituant prędicta die, in iis ſaltem locis, in quibus aliam non elegerint, ac pręcipientes locorum Ordinariis, ut quęvis impedimenta, & obſtacula efficaciter ſubmoveant, ad hoc, ut quę a Prędeceſſoribus noſtris Prędicatorum Ordini, cujus filius clariſſimus Divus Thomas incomparabilibus, ac propemodum divinis pręconiis, laudibus, & hymnis per ſacrum hujuſmodi tempus recinendis, gloriam Sanctiſſimi Sacramenti in Catholica Eccleſia auxit, perennavitque, ac propterea de aucta ſimul, & propagata veneratione Corporis Chriſti tantopere benemerenti, beneficia juremaximo collata, reſtituta in Domino gaudentes videamus.

§. 17.

Proceſſio Roſarii prima Dominica Octobris.

§. 17. Indultum pręterea eidem Ordini per noſtras literas incipien. : *In ſupremo* : 10 Aprilis 1725 impartitum, confirmamus, volentes, & mandantes, quod ejuſdem Ordinis Fratres Proceſſionem ſolemnem Roſarii juxta dictas literas noſtras in prima Dominica Octobris celebrare debeant, & reſpective poſſint abſque interventu Parochi, & licentia ab Ordinario loci minime requiſita, ſive ſint in poſſeſſione eandem Proceſſionem faciendi, ſive non.

Eadem Proceſſio in alios dies translata.

§. 18. Ex quo vero nonnullis in locis, ſicut percepimus, iidem Fratres legitime impediti ex concurſu alterius conſimilis Proceſſionis aliorum Conventuum ejuſdem Ordinis, vel ex alia cauſa, talem Proceſſionem ad alium diem differre coguntur, vel etiam juxta conſuetudinem ibidem obtinentem uno, aut altero die B. Virgini Marię ſacro quotannis publicam Proceſſionem ejuſdem Roſarii, peragunt, Motu, ſcientia, & poteſtate ſępe dictis tale indultum quoad omnia, & ſingula in eo contenta pro eiſdem circumſtantiis extendimus, & ampliamus.

Proceſſio ſolemnis Nominis Jeſu.

§. 19. Pari ratione concedimus, ac volumus in quolibet primo anni die eoſdem Fratres ſolemnem Sanctiſſimi Nominis Jeſu Proceſſionem libere, & licite ubique locorum peragere poſſe, ac debere.

Proceſſione, Roſarii, & Nominis Jeſu etiam extra Clauſtra.

§. 20. Similiter confirmamus conſuetudinem pluribus in locis ſaltem aliquibus ab hinc annis, ut accepimus, obtinentem, eique Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, quod in Proceſsionibus Nominis Jeſu, & Roſarii, quę ſingulis menſibus a Fratribus prędictis, juxta ſupra memoratas conceſsiones Apoſtolicas cum Indulgentia Plenaria peraguntur, eędem fiant etiam extra ambitus Conventuum, quo uberius populi commoditati, & devotioni, orationum recitationi, & ad convenientius lucrandum Indulgentiam, conſulatur, diſtrictę prohibentes, ne ſuper his a quocunque, quavis auctoritate pollente impediri poſſint, aut moleſtari, immo concedimus ceteris Conventibus Ordinis, in quibus nimis compendioſus videri poſſet intra, & circa clauſtra circuitus pro eiſdem Proceſſionibus debite inſtituendis, convenientem tranſitum extra Eccleſiam, & clauſtra, cum Ordinario loci tantummodo, & ſemel dirigendum, illum nunc pro tunc Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium ratum habentes, & perpetuo retineri mandantes.

Ex prædictis Proceſſionibus nullum conſequitur præjudicium Parochorum juriſdictioni.

§. 21. Et quia prędictas ſacras functiones, populum a vanis retrahentes, & in Dei ſervitio diutius continentes, inde pręcipue impediri contingit, quia Parochis perſuaſum eſt, per eaſdem ſuam ipſorum juriſdictionem deturbari, quum de reliquo jugi, ac tumultuario ſecularium per eaſdem vias, in quibus fierent Proceſſiones, excurſu, eidem proprię juriſdictioni nullum pręjudicium inferri noſcant, & ſciant, ad hujuſmodi controverſiarum radicem evellendam, Motu, ſcientia, & poteſtate, ut ſupra, ſancimus, decernimus, & declaramus, ex Proceſſionibus prędictis, aut aliis quibuſcunque, etiam cum Cruce erecta, & ſtola nullum, aut de jure, aut de facto generari, & ſequi poſſe pręjudicium Parochorum juribus, necnon Fratres prędictos cum Cruce erecta, ac ſtolam geſtantes ſine licentia Ordinarii, & interventu Parochi eaſdem Proceſſiones, omneſque alias peragere poſſe, ac debere.

Proceſſiones, ad quas Fratres accedere tenentur.

§. 22. Quum inſuper Nobis compertum ſit, quantum detrimenti adferant ſtudiis, regulari obſervantię, ac etiam eccleſiaſticis functionibus extraordinarię illę Proceſſiones, ad quas quandoque Fratres prędictos adigi alicubi contingit, Motu, ſcientia, & auctoritate ſimilibus, volumus, & mandamus, quod Fratres prędicti non teneantur accedere, niſi ad Proceſſiones ſequentes: ad illam ſcilicet, quę fit in die Corporis Chriſti, illas, quę fiunt in Litaniis majoribus, & Rogationibus, & alias, quę pro bono, cauſa, aut honore publico, ab Epiſcopis indicentur, juxta Decretum generale anni 1628. Circa quas tamen non intendimus aliquid innovare pro illis Conventibus, & locis, in quibus ex Apoſtolica diſpenſatione, decreto aliquo Congregationum S. R. E. Cardinalium, vel conſuetudine, Fratres ad omnes, vel aliquas Proceſſiones accedere antehac non tenebantur, aut non conſueverunt, quos immo in hoc ipſo nullatenus poſthac turbari volumus, eaque indulta, & conſuetudines pro iiſdem confirmamus, innovamus, & de novo concedimus, ipſis Apoſtolicę firmitatis robur addentes, ſublatis quibuſcunque decretis Congregationum, conſuetudinibus etiam centenariis, ac immemorabilibus, necnon pactis, & conventionibus, ac ceteris contrariis quibuſcunque.

IX.
Explicatio Indulti pro Altaribus Privilegiatis.

§. 23. Aliud quoque indultum ipſi Ordini per Nos conceſſum in literis datis 22 Septembris 1724, & incipien. : *Exponi Nobis* : circa Altaria privilegio affecta non ſolum, ut ſupra, confirmamus, & innovamus, & de novo concedimus, verum pręterea declaramus, accipiendum juxta alias literas Clementis IX: *Quum fel. rec. Alexander PP. VII*: emanatas ſub 23 Septembris 1669, ita quod Miſſę ſecundum tenorem literarum noſtrarum prędictarum a Fratribus Prędicatoribus celebratę, intelligantur, & ſint eodem privilegio affectę, tametſi non ſint defunctorum, ſive ſint ex obligatione, ſive ex devotione, quotieſcunque Miſſa defunctorum celebrari non poſſit.

X.
Quando transferuntur Feſta Ordinis transferantur etiam Indulgentiæ.

§. 24. Illud Indultum Ordini Prędicatorum alias impartitum a Leone X in Conſtit. : *Expoſuit Nobis* : 23 Julii 1518, quod ſcilicet *quoties feſtivitates SS. Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, & Catharinæ Senen., & octavarum earundem celebrationes qualibet ex cauſa, etiam extra tempus interdicti transferrentur, etiam Indulgentiæ, Eccleſias viſitantibus in feſtivitatibus hujuſmodi, & per earum octavas pro tempore conceſſæ, ad tempus celebrationis hujuſmodi ſint, & cenſeantur translatæ*, auctoritate Apoſtolica approbantes, innovantes, & de novo concedentes, ut ſupra, pari ratione extendimus ad alias feſtivitates aliorum ejuſdem Ordinis Sanctorum faſtis adſcriptorum, vel in poſterum adſcribendorum, & ad feſtum omnium ipſius Ordinis Sanctorum, quod die IX Novembris celebrari ſolet, atque ad octavas, & Indulgentias pro eiſdem a Prędeceſſoribus noſtris, vel a Nobis hactenus conceſſas, ac quandocunque concedendas, ac etiam ad feſtum, & octavam Sanctiſſimi Roſarii quoties ob occurrentes majores feſtivitates, vel alias cauſas transferri contingat.

XI.
Facultas Superiorum Ordinis ad abſolvendos eorum Subditos.

§. 25. Facultatem quoque datam a ſępedicto Sancto Pio V in Conſtitutione CXXXII: *Romani Pontificis circumſpecta benignitas*: 21 Julii 1571. Pręlatis Ordinis, abſolvendi ſibi ſubditos Fratres, ac Sorores, & cum eis diſpenſandi, ſicut abſolvere, & diſpenſare poſſunt Epiſcopi cum eorum Clericis ex *Decret. Concil. Trident. Seſſ.* XXIV *cap.* VI, interdicto tamen penitus iiſdem Fratribus, & Sororibus uſu

Cruciatę, ſive alterius cujuſcunque privilegii, ad eligendum ſibi Confeſſarium, & obtinendas ejuſcemodi diſpenſationes, & abſolutiones, quem uſum etiam provide interdixerunt Clemens VIII Conſtitutione LXIV: *Romani Pontificis*: 23 Novembris 1599, & Urbanus VIII Conſt. CV: *In ſpecula*: 19 Junii 1630 iiſdem Pręlatis confirmamus, ut ſupra, innovamus, & quatenus opus eſt, de novo concedimus. Ac inſuper attendentes, Julium II Prędeceſſorem noſtrum in Conſtitutione: *Exponi Nobis*: inferius referenda, decreviſſe, quod omnes Pręlati Ordinis Prędicatorum, quibus antea a Sixto IV in Conſtitutione VII: *Regimini*: Kal. Januarii 1474 §. 4, & in alia incipien.: *Quoniam omnes*: 28 Maii 1481 conceſſa fuerat poteſtas abſolvendi, & diſpenſandi ſuos ſubditos in caſibus Sedi Apoſtolicę reſervatis, etiam in Bulla Cęnę, & Gregorium IX, Innocentium IV, Alexandrum IV, Clementem IV, Bonifatium VIII, ac ſucceſſive alios Prędeceſſores noſtros, ut Religioſorum excurſibus, Ordinis decori, ac Superiorum auctoritati provide occurrerent, amplam iiſdem Pręlatis Ordinis circa ſibi ſubditos Fratres, & Moniales, facultatem dediſſe, ut ſuper caſibus, & cenſuris eidem Sedi alias reſervatis abſolverent, & diſpenſarent, confirmamus quoque, innovamus, de novo, ut prędictum eſt, concedimus, atque decernimus, & declaramus, prędictos Ordinis Pręlatos abſolvere poſſe Fratres, & Sorores ſibi ſubjectos, & ſubjectas ab omnibus, & ſingulis caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicę etiam per Bullam Cęnę reſervatis, exceptis duntaxat illis, quos laudati Sixtus IV, & Julius II in pręmiſſis eorum Conſtitutionibus excipiendos fore voluerunt. Eoſque diſpenſare poſſe ſuper quavis irregularitate, ex homicidio voluntario orta duntaxat excepta. Poſſit tamen ſolus Magiſter Ordinis ab irregularitate hujuſmodi diſpenſare cum Fratribus ſibi ſubditis, dummodo homicidium non fuerit appenſatum, & intra clauſtra extiterit conſummatum.

Regula pro Confeſſariis Secularium.

§. 26. Animo quoque reputantes, a Sede Apoſtolica fuiſſe conceſſa quamplura privilegia circa abſolutionem, relaxationem juramentorum, & votorum commutationem, pro Confeſſariis Ordinis prędicti quoad perſonas ſeculares, ac pręcipue ſpectantes ad Societates ſupramemoratas, ad tollendas ſuper hoc quaſcunque dubietates ex diverſis prędictę Sedis, juxta temporum, & circumſtantiarum diverſitatem provide emanatis diſpoſitionibus, atque ex auctorum in diverſa abeuntium opinionibus ſubortas, volumus, ſancita in prędicta Conſt. Clementis VIII incipien.: *Quacunque a Sede*: ab omnibus, & circa quaslibet perſonas inviolabiliter obſervari.

Facultas Confeſſariorum Ordinis circa adſcriptos, & non adſcriptos Societatibus in Eccleſiis Ordinis erectis.

§. 27. Bene verum eſt, quod circa perſonas prędictis Societatibus adſcriptas intelligimus, prout volumus, & de Apoſtolica benignitate indulgemus, concedimus, & declaramus, ut a Confeſſariis Ordinis Prędicatorum abſolvi, eorumque juramenta relaxari, ac vota commutari, ſicut de Confratribus, & Consororibus Roſarii, ſupra diximus, & conceſſimus, poſſint, ac valeant, pro Societate quidem Sanctiſſimi Nominis Jeſu in primo anni, & tribus immediate pręcedentibus diebus, juxta ſuperius innovatas Conſtitutiones Pii IV: *Injunctum*: & Gregorii XIII: *Alias fel. rec. Pius PP. IV*: Pro aliis vero Societatibus in feſto pręcipuo ipſarum, & tribus diebus tale feſtum immediate antecedentibus. Et circa reliquas perſonas ſeculares Societatibus minime adſcriptas, iiſdem Confeſſariis Ordinis concedimus, ut eaſdem ab alias prędictę Sedi reſervatis caſibus, & cenſuris abſolvere, eorumque vota commutare, ac juramenta ſolvere, juxta privilegia, quę ipſorum, aut alii ex inferius recenſendis, ſive alteri cuicunque Regularium quocunque nomine nuncupatorum Ordini, Congregationi, aut Societati ab Apoſtolica Sede conceſſa eſſe, nec abrogata fuiſſe conſtiterit, poſſint ac valeant.

ConfeſſariiOrdinis ſemel approbati ab Epiſcopo examinari iterum non debent, neque omnes a confeſſionibus ſimul arceri poſſunt.

§. 28. Circa audientiam vero confeſſionum ſecularium perſonarum quarumcunque, ſervandus erit tenor Conſtitutionis CXXXIII S. Pii V: *Romani Pontificis providentia*: 8 Id. Auguſti 1571 §. 2, qua nimirum cavetur, ſemel approbatos previo examine ab Epiſcopo, ab eo iterum examinari non debere, necnon Conſtitutionis VII Clementis X incipien: *Superna*: §. 6, qua diſponitur, cunctis Fratribus unius Conventus ſimul adimi non poſſe facultatem, Confeſſiones audiendi, inconſulta Sancta Sede.

XII.

Facultas, & Privilegia Prædicandi.

§. 29. Memores porro quantum ex prędicatione verbi Dei Catholica Religio incrementum reportaverit, & quantum proinde meritum ſibi comparaverint Fratres hujus Ordinis, quos perinde Sedes Apoſtolica ab incunabulis ejuſdem Ordinis pręclaro nomine *Prædicatorum* inſignivit, indulta deſuper a Prędeceſſoribus noſtris conceſſa pro inſertis habentes, atque Fratribus ipſis quampleniſſime confirmantes, innovantes, ac de novo concedentes, Motu, ſcientia, & poteſtate prędictis confirmamus, facultatem prędicandi vrrbum Dei, ad normam tamen *Concilii Tridentini Seſſ.* XXIV *cap.* IV, & declarationis S. Pii V in Conſtitutione: *Etſi mendicantium*: &: *Ad hoc Nos Deus*: §. 8, quam declarationem intelligendam eſſe volumus ubi pro habendis ad ſeculares concionibus Epiſcopus non contradicat alicui determinato Fratri propter particularia motiva.

Libera promotio devotionis præcipue Roſarii in Eccleſiis Ordinis ſine Ordinarii licentia.

§. 30. Ad hęc declaramus, mandamus, & decernimus, ut ſupra, quod iidem Fratres ex Altari, aut ſuggeſtu in Eccleſiis, ſive Oratoriis Ordinis devotionem Sacri Roſarii potiſſime, tanquam ejuſdem Ordinis inſigne Patrimonium, ejuſque Indulgentias, ſicuti, & ceterarum Societatum in ipſis Eccleſiis, aut Oratoriis erectarum, aut deinceps erigendarum, nullatenus petita ab Ordinario loci licentia, promovere, & prędicare libere, ac licite poſſint, & valeant.

Privilegia Miſſionariorum.

§. 31. Privilegia quoque Miſſionariis Ordinis etiamnum hodie cum tanto vitę diſcrimine, & animarum fructu inter barbaras nationes in Sinis, Tunkino, Armenia, Americanis Inſulis, ac alibi Fidem Catholicam ſtrenue propagare pergentibus, conceſſa ante, & poſt Johannem vulgo XXII in Conſtitutione: *Quum hora*: 3 Id. Novembris 1321 a Sede prędicta, Indulgentias inſuper omnes, ac ceteras quaſcunque gratias, pro inſertis habentes, iiſdem in Domino, ut ſupra, confirmamus, innovamus, ac de novo concedimus, & elargimur.

XIII.

Privilegia famulorum, & eorum, qui infirmantur, aut moriuntur in Conventibus Ordinis.

§. 32. Famulis vero commorantibus in obſequiis Ordinis Prędicatorum, ut Fratres ejuſdem quęvis Sacramenta etiam in Paſchate, & in mortis articulo miniſtrare, eorumque cadavera, quum obierint, in ipſorum cęmeteriis ſepelire, inconſulto prorſus, ac etiam renuente Parocho, pariformiter concedimus, ac elargimur, juxta literas Innocentii IV: *Qui Deum tota mente diligitis*: 3 Non. Februarii 1244 confirmatas ab Alexandro IV in *Mari magno*: a Gregorio XI in Bulla ſimiliter incipien.: *Virtute &c.*: & a Ni-

& a Nicolao V in Bulla : *Juſtis, & honeſtis* : pridie Kal. Auguſti 1448, & Innocentii VIII. in Conſtitutione incipien. : *Exponi Nobis feciſtis* : 23 Octobris 1487. Et hęc quidem omnia extendi volumus, & mandamus ad eos, quos devotione, vel caſu aliquo in Conventibus Ordinis infirmari, ſive etiam mori contingat.

XIV. Facultas Prælatorum Ordinis, benedicendi veſtes Eccleſiaſticas, Eccleſias &c.

§. 33. Inſuper facultatem indultam Superioribus quibuſcunque etiam localibus Fratrum Prędicatorum, benedicendi quęcunque veſtimenta, aut paramenta Eccleſiaſtica, in quibus non intervenit Unctio, a Bonifatio IX in Conſtitutione : *Sacræ Religionis* : 5 Kal. Maii 1402, ab Innocentio VIII loco ſtatim referendo, & a S. Pio in Brevi incipien. : *Volentes iis* : 25 Junii 1571 : ſolemniter, & juxta ritum Eccleſię, aqua prius a Catholico Epiſcopo benedicta, reconciliandi pollutas Eccleſias, cęmeteria, aut clauſtra a Clemente V in Bulla edita 8. Id. Martii 1307, & ab Innocentio VIII per Bullam : *Benignitas* : 1484, & a S. Pio V in Brevi edito 16 Junii 1569 eidem Ordini, ejuſque Superioribus prędictis motu, ſcientia, & auctoritate ſimilibus, confirmamus, & innovamus, & reſpective declaramus, prędictis Superioribus eſſe pręterea permiſſum aqua, ut ſupra, ab Epiſcopo benedicta, novas Eccleſias, nova cęmeteria, capitula, clauſtra, & oratoria benedicere, & hęc omnia etiam de novo concedimus, & elargimur; hoc amplius, quod ubi Dięceſanus Epiſcopus renueret aquam a ſe benedictam concedere, poſſint, & debeant licite, & valide iidem Fratres a quocunque Catholico Epiſcopo aquam in ejus Dięceſi benedictam ad prędicta pręſtanda accipere, & adſportare.

XV. Fratres Ordinis ordinari poſſunt extra tempora.

§. 34. Quia vero ad aures noſtras pervenit, non obſtante noſtra, ac etiam noviſſimi *Romani Concilii* per Nos habiti *Tit.* v *cap.* 11 ſententia, quod *Regulares vigore ſuorum privilegiorum tuto, & abſque novo Indulto Apoſtolico extra tempora ſacris initiantur*, etiam poſt decreta Concilii Tridentini, a nonnullis etiam Epiſcopis in dubium revocari, at inter tales Regulares, licet indefinite nominatos, recenſeri debeant Fratres prędicti Ordinis Prędicatorum; Motu, ſcientia, & auctoritate prędictis, declaramus, eoſdem Fratres ex noſtra, ac etiam dicti Romani Concilii definitione eodem privilegio frui, ac potiri poſſe, & debere, & quatenus opus ſit, pariformiter diſpenſantes ſuper quacunque contraria diſpoſitione, de novo illud idem privilegium pro ſingulari noſtra erga prędictum Ordinem, intra cujus dilectiſſimum ſinum adhuc verſari gloriamur, dilectione, iiſdem Fratribus ſignanter, ſpecifice, & in individuo concedimus, quatenus a Dięceſano, eoque renuente, aut non valente, a quocunque Catholico Epiſcopo Ordines extra tempora ſuſcipere, & Epiſcopi ipſis conferre, libere, & licite valeant juxta declarationem S. Pii V in Bulla : *Etſi Mendicantium* : & Decretum Clementis VIII, & uberius explicata in *dicto Concilio Romano noſtro Tit.* v *Cap.* 1, & *Tit.* xxi *Cap.* 11.

XVI. Juriſdictio ſpiritualis Superiorum, & Confeſſariorum Ordinis pro excipiendis ſibi ſubjectarum Monialium confeſſionibus.

§. 35. Recolentes quoque quantum Monialium directio, & clauſura debeant pręclaro huic Ordini, & in primis quidem celeberrimo ejuſdem Patriarchę S. P. Dominico, utriuſque in hac ipſa Alma Urbe noſtra Inſtitutori. Ac attendentes, Clementem IV in Conſtitutione : *Affectu ſincero* : 8 Id. Februarii 1267 Apoſtolica ſollicitudine commendaſſe filiis tanti Parentis curam illam Monaſteriorum, quam pridem a ſe abdicaverant, ut uberius, & felicius inſiſterent Miniſterio Verbi, facta ipſis pleniſſima poteſtate, eaſdem Sanctimoniales viſitandi, corrigendi, earumque confeſſiones non ſolum per Magiſtrum Ordinis, & Provinciales, ſed etiam per alios Fratres idoneos audiendi : Benedictum XI ejuſdem quoque Ordinis in Conſtitutione : *Sacra veſtra Religio* : 3 Kal. Martii 1304 eaſdem Moniales a juriſdictione cujuſcunque extra prędictum Ordinem exiſtentis exemiſſe, quod S. Pius in ſua Conſtitutione : *Etſi Mendicantium* : aliique conſequentes Pontifices confirmarunt, ac ipſa *Tridentina Synodus* ratum habuit *ſeſs.* xxv *cap.* ix, omnia hęc ſupradictis motu, ſcientia, & poteſtate confirmantes, innovantes, ac quatenus opus ſit de novo concedentes, decernimus, & declaramus, juriſdictioni Pręlatorum Ordinis ſubeſſe etiam puellas educationis cauſa, aliaſque mulieres ex legitima diſpenſatione introductas, & degentes in Monaſteriis ejuſdem Ordinis Monialium exemptis, & reſpective ſubjectis, ut ſupra Pręlatis dicti Ordinis. Et ita pariter mandamus, & declaramus, Fratres Confeſſarios in Ordine approbatos (circa quam approbationem Nos quoque Pręlatorum Ordinis conſcientiam ſummopere in diem Domini oneramus) & ab Ordine ipſo de more ad Monialium ſibi ſubjectarum Confeſſiones audiendas deſtinatos, locorum Ordinariis debitam reverentiam, atque in iis, quę per Concilium Tridentinum, & Sedem Apoſtolicam circa Monaſteria exemptorum delegata auctoritate ipſis Ordinariis commiſſa ſunt, neque noſtrę huic Conſtitutioni contrariantur, quantum in Domino poterunt, manus adjutrices adhibere, nullatenus vero ab iiſdem Ordinariis examinandos eſſe pro prędictarum Monialium Confeſſionibus audiendis, quemadmodum nec examinari debent, neque examinantur ab ipſis pro Fratrum Ordinis Confeſſionibus excipiendis, tametſi quandoque contra eoſdem prędicta delegata auctoritate procedere poſſint, ac valeant, multo autem minus Superiores, ſive Locales, ſive Provinciales, ſive etiam Magiſtrum ipſum Ordinis, qui ex prędicta Apoſtolica commiſſione Deo plenam reddituri ſunt rationem de ſibi ſubjectis Monialium animabus, ut ſic illęſo, ac cuſtodito veluti primario poteſtatis ſpiritualis charactere, quemadmodum alias ligare poſſunt, ac ligant, ita etiam libere ſolvere poſſint, ac valeant ſibi ſubjectarum animarum conſcientias, ſi ab ipſis quandoque ſeſe ſacramentaliter audiri poſtulaverint, quod plane alias, aut nullo modo, aut ęgre admodum pręſtare poſſent, non obſtantibus Conſtitutionibus Gregorii XV : *Inſcrutabili* : & Clementis X : *Superna* : ac Decretis Congreg. Conc., aliiſque quibuſcunque in contrarium facientibus, quibus pleniſſime derogamus.

Facultas prædicandi ſubjectis ſibi Monialibus.

§. 36. Iiſdem omnibus, & ſingulis Superioribus, atque ab ipſis delegatis Fratribus, Prędicationem Verbi Dei pro Monialibus ſibi ſubjectis liberam eſſe debere, Superioribus quidem prorſus, & omni modo, Delegatis vero Religioſis cum Superiorum eorum miſſione, & benedictione.

Adminiſtratio temporalis.

§. 37. Adminiſtrationem temporalem dd. Monialium, non raro per Seculares deturbatam cum evidenti Monaſteriorum detrimento, volumus pertinere ad Superiores Ordinis, prout uberius infra diſponetur.

Juriſdictio Superiorum Ordinis circa Clauſuram.

§. 38. Circa acceſſum etiam extraneorum ad Moniales, & Monaſteria ſibi ſubjecta, prędictos Superiores poſſe,

poſſe, ac debere Juriſdictionem ſuam ſecundum Apoſtolicas Sanctiones tueri; ſalva in reliqua juriſdictione, jure delegato Epiſcopis competente; quibus tamen auctoritate Apoſtolica penitus interdicimus, ac prohibemus, ne circa Viſitationem Clauſurę ultra facultates a Concilio ſibi factas, & conceſſas, ullatenus ſeſe extendant, neve ejuſdem obtentu in iis, quę Ordinis Superiorum ſunt, ſe intromittant.

Moniales inobedientes libere dimitti poſſunt.

§. 39. Si vero Moniales ipſę ſervare renuant, quę pro obſervantia Regulari exacte manutenenda a Superioribus Ordinis mandata fuerint, iſtis plenam ineſſe facultatem eadem Monaſteria libere dimittendi ex Apoſtol. Lit. ad Vicarium Generalem Lombardię: *Exponi Nobis*: Dat. a Leone X 6 Nov. an. 1515 quas hic pariformiter confirmamus, innovamus, ac ad totum Ordinem extendimus.

Moniales, & Fratres Novicii poſſunt in mortis articulo profiteri.

§.40. Eiſdem demum Monialibus, ſicuti & Fratribus Noviciis in articulo mortis ante emiſſam Profeſſionem conſtitutis, integrum eſſe frui, & potiri Indulto S. Pii V in Conſtitutione CIX: *Summi Sacerdotii Cura*: 23 Auguſti 1570.

XVII, Commendatio Doctrinæ S. Thomæ,

§. 41. Quum autem ſilere Nos minime deceat de Doctrina Angelici Doct. S. Thomę Aquinatis, cui ipſemet Ordo ſalubriter inſiſtit; ignoramus plane quibus illam laudibus pro magnis ſuis in Eccleſiam meritis extollamus. Satius ergo ad abſolutum illius pręconium putamus commemorare, ipſam ex Salvatoris Crucifixi ore, ſicuti pie teſtatur hiſtoria, fuiſſe probatam, & conſtanti Summorum Pontificum teſtimonio Orthodoxis commendatam Populis. Hoc potiſſimum ſuis Conſtitutionibus, & Literis Apoſtol. pręſtitere Johannes vulgo XXII in Conſt.xx, cujus initium *Redemptionem miſit*: 15 Kal. Aug. an. Domini 1323. Clemens VI. Conſt. *In Ordine*: VIII. Idus Febr. 1344. Urbanus V in Diplomatibus: *Copioſus*, & *Laudabilis*: dat. 10 Kal. Julii, & prid. Kal. Sept. 1368, S. Pius V XXXVI.: *Mirabilis Deus*: 3 Idus Apr. 1567, Sixtus V LXXVI: *Triumphantis*: prid. Id. Martii 1588, Clemens VIII: *In quo Nos*: & *Quantum prodeſſe*: 22 Nov. 1603: & *Sicut Angeli*: ... Paulus V: *Splendidiſſimi*: 17 Dec. 1607, & Alexander VII: *Literas*: 7 Aug. 1660: Æquum vero erat, ut Angelica Doctrina tanti Doctoris non vulgaribus efferretur encomiis, quę Solis inſtar Mundum univerſum illuſtrans, uberrima Chriſtianę Eccleſię bona peperit, paritque in dies ſingulos multiplici fructu, Supremo Apoſtolicę Sedis Magiſterio adverſus quoſcunque veteres, ac recentes errores, quos revincit, fidiſſime famulans. Eadem nos quoque diuturnis, atque aſſiduis fere experimentis probe noſcentes per alias peculiares noſtras Literas incipien. *Demiſſas preces*: dat. 6 Nov. 1724 calumnias, ejuſdem Angelici Doctoris, & S. Auguſtini doctrinę temere irrogatas retudimus, &, prout rei gravitas expoſcebat, auctoritatis noſtrę pręſidio eliminavimus. Luculentius vero ęſtimationis argumentum in ipſam S. Thomę doctrinam nunc edituri, quo magis, magiſque Prędicatorum Ordo, ceterique Orthodoxi, ac veri ipſius Sectatores ad illius ſinceram, & tutam profeſſionem inflammentur, prędictas omnes, & ſingulas Deceſſorum noſtrorum Conſtitutiones, Literas, ſeu, ut vocant, Brevia, necnon omnia, & ſingula in eis contenta, ſuprema, qua fungimur, auctoritate, motu, ſcientia, & deliberatione pręmiſſis comprobamus, & rurſus quatenus opus fuerit, cum ipſiſmet editis nuper a Nobis Literis innovamus.

Contra ejuſdem Calumniatores defenſio.

Ut autem turbulenti, ac pertinaces tranquillitatis Eccleſię Catholicę perturbatores deſinant Orthodoxam S. Thomę Doctrinam calumniari, ac ne deinceps prępoſteris, & a veritate alienis interpretationibus Apoſtolicas ipſas Literas noſtras, non ſine aperta, ut accepimus, verbis noſtris, ac etiam Deceſſorum Noſtrorum irrogata violentia, tam Prędicatorum Ordinem, quam alios veros illius Aſſeclas, & Sectatores inceſſere audeant, Conſtit. XCVIII, quę incipit: *Paſtoralis Officii*: fel. rec. Clem. XI, omnibuſque in ea contentis firmiter inhęrentes, ſub divini Interminatione Judicii, iterumque ſub canonicis pęnis, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus mandamus, ne Doctrinam memorati S. Doctoris, ejuſque inſignem in Eccleſia Scholam, pręſertim ubi in eadem ſchola de divina Gratia per ſe, & ab intrinſeco efficaci, ac de gratuita Prędeſtinatione ad Gloriam ſine ulla meritorum pręviſione, agatur, ullatenus dicto, vel ſcripto contumelioſe impetant, ac veluti conſentientem cum damnatis ab Apoſtolica Sede, & ſignanter a Conſtit. LXIV d. fel rec. Clem. XI incipien.: *Unigenitus*: Janſenii, Queſnellii, & aliorum erroribus, traducant; a quibus S. Thomas, & vera Schola Thomiſtica quam longiſſime abeſt, & abfuit, univerſis tam antiquis, quam nunc Chriſti Eccleſiam vexantibus hęreſibus, & pernicioſis aſſertis adverſans. Damnamus item Folia, Theſes, & Libros antehac Typis impreſſos, vel etiam, quod Deus avertat, imprimendos; in quibus ad procreandam, ſeu fovendam doctrinę S. Thomę, Prędicatorum Ordini, aliiſque genuinę Thomiſticę Doctrinę Aſſeclis invidiam, deſignatę, atque damnatę a Nobis calumnię aſſertive renovantur, vel in aliam a germana prędictarum noſtrarum Literarum ſententia, ſive Deceſſorum noſtrorum mente, honorifica, atque faventia Doctrinę Thomiſticę verba fallaciſſime detorquentur. Deum veritatis, & pacis enixe rogantes, ut ad majora Glorię ſuę incrementa creditus Nobis Populus non minus tradita a tanto Magiſtro ſalutari Doctrina, quam ipſius innocentium morum, & illuſtrium virtutum imitatione proficiat.

XVIII. In præcipuis totius Ordinis ſtudiis ſecularibus S. Thomæ diſcipulis, Laurea in Sac. Theologia dari poteſt.

§.42. Ne autem Adoleſcentes Seculares a pręlaud. Divini Doctoris Schola deterreri contingat, ex quo nullum in ea pręmium, nulla expedita via pateat ipſis per Theologicas diſciplinas ad dignitates illas, quę ſolis Lauream, Licentiam, vel Gradum in Theologia conſequutis conferri debent, ac poſſunt; Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine, ut ſupra, ad univerſa inſigniora Studia, Generalia, Collegia, Studia quoque, ut dicunt, formalia, & ea, quę ad minus quatuor conſtent actualibus, & ex his duobus, ut minimum in Theologia Lectoribus in quibuſcunque Provinciis Ordinis prędicti erecta, vel erigenda extendentes conceſſionem factam a Greg. XIII Fratribus ejuſdem Ordinis Provincię S. Antonini de Novo Regno in Civitate S. Fidei, relatam, & confirmatam per Paulum V in ſuis Literis incipien. *Militantis Eccleſiæ*: prid. non. Sept. 1612., & Innoc. X in ejus Conſt.: *In ſupremo*: 10 Kal. Martii 1644, necnon privilegia omnia, & ſingula Apoſtolica in id conceſſa prędictis Fratribus ad omnia prędicta Studia, Conventus, & Univerſitates extendimus, & prorogamus, decernentes, ut poſt emenſum certum, nec unquam minus quam duorum annorum, ſtadium, ad percipiendam Sac. Theologię juxta inconcuſſa, & tutiſſima S. Thomę Dogmata intelligentiam accommodatum, a Studiorum illorum Moderatoribus ſive

Lecto-

Lectoribus, numero, & procedendi ratione ipſis per Magiſtrum Ordinis prędcribendis, ac nunc pro tunc a Nobis auctoritate Apoſtolica, ut prędictum eſt, confirmatis, poſt pręmiſſas Scholaſticas exercitationes publicas, vel privatas juxta Regionum approbatas conſuetudines, vel methodum ab eodem Magiſtro pręſcribendam, ac pręmiſſo diligenti examine, Laurea Doctoralis, ſive Magiſtralis, Pręſentatura, ac Licentia, ſive Gradus Baccalaureatus, ac alii conſueti in S. Theologia (quos quidem pari Apoſtolica auctoritate Motu, & ſcientia idem valere, ac acceptari ubique debere, perinde ac ſi conferrentur in Academia Romanę Sapientię, Salmantina, aut Pariſienſi, vel alia quacunque inſigniori, declaramus, decernimus, & volumus) libere, ac licite conferri poſſint, ac valeant Scholaribus, ſecularibus, Studentibus in inſignibus Civitatibus, aut Locis, in quibus ad eorum Scholam juvenes ſeculares accedere permittuntur, idque tametſi ibidem alias publica pateat Univerſitas, hoc duntaxat caſu pręſtitis per divites, a tali ſolutione de cetero non exemptos, conſuetis Univerſitati Juribus; ubi etenim Juvenes per Examinatores pręfatos idoneos repertos Officiales Univerſitatis ad eoſdem Gradus promovere renuerint, poterunt ad gradus prędictos promovere Lectores, & Magiſtri pręfati noſtri Ordinis. Illudque quam maxime concedimus, volumus, decernimus, & mandamus, pro Locis, in quibus ſecularibus, Studentibus Doctrinę D. Thomę, prout in hujus receptisſima Schola traditę, Gradus ultro non pateant.

XIX.
Magiſtri Ordinis facultas conferendi Gradus ſuis Fratribus.

§. 43. Magiſtro quoque Ordinis pari ratione confirmamus, & innovamus, ac concedimus facultatem eidem a S. Pio V in Conſtit. ſua: *Quum Sacer Ordo Prædicatorum*: nonis Martii 1572 ampliſſime conceſſam, ut poſſit ex ſibi ſubjectis Fratribus quemcunque ad Gradus certa ratione promovere.

Ejuſdem, & Provincialium Poteſtas creandi certos Notarios.

§. 44. Eidem ſimiliter, & Provincialibus confirmamus, & concedimus, juxta aliud Indultum S. Pii V incipiens: *Debitum Paſtoralis*: 21 Martii 1571, ut in unaquaque Provincia deputare poſſint, ac valeant Fratres Ordinis in Notarios pro exequutione mandatorum Apoſtolicorum.

Ejuſdem, aliorumque Superiorum, Provinciarum quoque, & Monaſteriorum Indulta confirmantur.

§. 45. Et generaliter quęcunque, & cujuſcunque generis gratias, indulta, privilegia, prędeminentias, facultates, a Sede prędicta Magiſtro Ordinis attributa etiam ex Ordinis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Comitiorum Generalium, & nominatim habitorum in Alma Urbe anno 1629 Denunc. III, auctoritate Apoſtolica, quę omnia hic ſimiliter pro inſertis habentes, confirmamus, innovamus, & ut pręfertur concedimus, non obſtantibus Brevibus Apoſtolicis Clementis X: *Ad Apoſtolicæ*: 5 Septembris 1675, & Innocentii XI: *Quum Nos alias*: 6 Octobris 1679, Procuratori etiam Generali, & ſignanter conceſſa, & confirmata ab eodem Urbano VIII in aliis ſuis literis: *Exponi*: 3 Decembris 1635. Cum excommunicatione latę ſententię, Magiſtro Ordinis, aut ejus Vicario Generali reſervata, contra Fratres, & abſolutione ab officiis ipſo facto incurrenda contra Prelatos ejuſdem Ordinis, qui per ſe, vel per alium, eodem Procuratore Generali inconſulto, in Romana Curia negotium aliquod tractare auſi fuerint, ac deinde Provincialibus, ac ceteris quibuſvis Ordinis prędicti Prelatis, & Superioribus. Indulta quoque, & quomodocunque elargita Provinciis, & ſignanter ſpectatiſſimę noſtrę utriuſque Lombardię, ac etiam Monialium Monaſteriis ampliſſime confirmamus, innovamus, ac de novo concedimus.

XX.
Tertii Ordinis S. Dominici Privilegia innovantur.

§. 46. Pro fidelibus utriuſque ſexus militantibus ſub Tertio Ordine, *Pœnitentium S. Dominici* nuncupato, Gregorius IX in Conſtit.: *Deteſtanda*: 3 Kal. Aprilis 1228, Honorius IV in Bulla: *Congruum exiſtimantes*: 5 Kal. Februarii 1286, Johannes vulgo XXII: *Quum de Mulieribus*: Kal. Junii 1326, Bonifatius IX in Conſtit.: *Humilibus, & honeſtis*: 15 Kal. Februarii 1401, Innocentius VII in Bulla confirmationis Regulę ejuſdem Ordinis incipien.: *Sedis Apoſtolicæ*: 6 Kal. Julii 1405, Eugenius IV in conſimili Conſtit.: *Proviſionis noſtræ*: pridie Idus Maii 1439, Sixtus IV in Conſtit.: *Sacroſancta*: 3 Non. Octobris 1475, Alexander VI: *Conſiderantes*: 30 Septembris 1495, Julius II: *Conſiderantes*: 14 Decembris 1509: *Exponi Nobis feciſti*: 27 Februarii 1510, Leo X: *Dum intra mentis*: 19 Decembris 1516, &: *Nuper*: 1 Martii 1518, Paulus III: *Exponi Nobis nuper feciſtis*: 26 Julii 1542, necnon S. Pius, Clemens VIII, Urbanus VIII, aliique Prędeceſſores noſtri per ſuas literas mox referendas peculiaribus indultis, & privilegiis dictum Ordinem approbarunt, & perſonas, domos, aſceteria, ac bona exemerunt ab Ordinariis locorum. Et Nos hujuſmodi omnes, & ſingulas literas, gratias tam ſpirituales, quam temporales, conceſſiones, exemptiones, indulta, ac cetera quęcunque, cujuſcunque generis, & nominis, ſpiritualia, & temporalia privilegia pleniſſime confirmamus, & innovamus, & ubi opus ſit de novo concedimus, pręcipue pro Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, qui collegialiter, aut in clauſtris vivunt, aut ſolum votum perpetuę caſtitatis emittunt, nec degunt collegialiter, ſed in propriis domibus, vel cum affinibus, & conſanguineis, dummodo habitum Ordinis geſtent, & Altiſſimo ſub Regula, & Inſtituto dicti Tertii Ordinis caſte, & pie famulatum pręſtent. Contrariis quibuſcunque non obſtantibus, & pręcipue Concilio Lateranen., quibus omnibus in hac parte motu, ſcientia, & Poteſtate ſimilibus ampliſſime derogamus.

Verus Ordo declaratur, & ejus Regula confirmatur.

§. 47. Hujuſmodi vero Inſtitutum tanquam Sanctum, meritorium, & Chriſtianę perfectioni conforme, necnon tanquam verum, & proprium Ordinem, pręcipue ex collegialiter, aut cum clauſtralibus, aut in domibus conſanguineorum, ſive propriis, ſub ſolo, & ſimplici voto inviolabilis caſtitatis, ceteriſque modo, forma, habitu, Noviciatu, Profeſſione, ac Regula viventibus compoſitum, & conſequenter ab omnibus Confraternitatibus, de quibus agitur in Conſtitutione ſanctę memorię Clementis Papę VIII omnimode diſtinctum, ſicut ſunt ceteri Ordines tum regulares, tum militares, & alii hujuſmodi, fuiſſe, & eſſe decernimus, ac declaramus. Motuque ſimili Regulam a prędictis Innocentio VII & Eugenio IV confirmatam juxta prędmiſſa, & inferius diſponenda, denuo approbantes confirmamus, eique Apoſtolicę auctoritatis perpetuum firmitatis robur adjicimus.

Auctoritas Magiſtri Ordinis ſuper Tertiariis utriuſque Sexus.

§. 48. Omnes inſuper Apoſtolicas conceſſiones, quibus aſſerta fuit Ordini Prędicatorum, ejuſque Generali Magiſtro, Provincialibus, ceteriſque aliis ſubſtitutis Superioribus, pręeminentia, auctoritas, & ſuperioritas ſuper pręfati Inſtituti Fratribus, & Sororibus prędictis quibuſcunque, approbamus, con-

confirmamus, ac perpetuę firmitatis robur obtinere volumus, decernimus, atque mandamus, & quatenus opus ſit, eaſdem pręeminentiam, auctoritatem, & ſuperioritatem de novo concedimus. Attendentes pręterea per Prędeceſſores noſtros Innocentium VII, & Eugenium IV fuiſſe approbatam Regulam prędictam, ejuſque Caput xx, atque animadvertentes, primos Alumnos pręfati Ordinis Habitum, ac vivendi normam ab ipſo B. Dominico ſuſcepiſſe, ejuſque pręcepta executioni mandaſſe, eidem Generali Magiſtro privative quoad alios quoſcunque confirmamus, ac ſi opus eſt, de novo concedimus, ut poſſit per ſe, vel per ſibi ſubjectos Fratres quoſcunque facultate opportuna, ac neceſſaria inſtructos, perſonas ad dictum Ordinem, juxta ipſius ſtatuta recipere, Habitu donare, atque elapſo debito probationis tempore ad profeſſionem recipere, itaut perſonę quęcunque aliter receptę, nec ſint, nec intelligantur ullo modo pręfati hujus Tertii Ordinis, neque ullis ejuſdem privilegiis, ac indultis potiantur, niſi pro peculiaribus perſonis, & caſibus per Nos, & ſucceſſores noſtros fuerit expreſſe deſuper diſpenſatum. Commiſſarium quoque, aut Viſitatorem inſtituere, Magiſtrum quoque, Directorem, ac Confeſſarium ętate, moribus, pietate, ſcientia, & prudentia gravem concedere, & deputare, qui ipſis Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtret, de pręceptis Regulę inſtruat, Congregationes, aut Congreſſus convocet, & in ipſis, ſicut in aliis quibuſcunque actibus, & functionibus pręſideat. Necnon, locorum Ordinariis, & aliis quibuſcunque cujuſvis ſtatus, gradus, ac conditionis exiſtant, & quacunque fungantur auctoritate ſemper excluſis, Congregationes illas, ac perſonas Tertii Ordinis, ſive virorum collegialiter, aut in clauſtris, ſive mulierum cum expreſſo voto, ut ſupra, vel cum tribus votis viventium, domos, conſervatoria, hoſpitalia, Monaſteria, ſive Collegia quęcunque, ac quocunque nomine appellata, Capellas quoque, Oratoria, & Eccleſias pleno jure viſitare, inſtruere, paterne corrigere, ac reformare, tam in capite, quam in membris, ad caſſationem uſque mantelli, & habitus, atque ad ejectionem e Collegio, reſtituta collata dote, prout de jure, immo etiam ad ipſius Collegii ſuppreſſionem, vel ſaltem ab Ordine abdicationem, pro rerum conditione, & ſtatu procedere, aliaque ad bonum Ordinis pręfati regimen, juxta ejuſdem ſtatuta, ordinare, & exequi, quemadmodum ſibi in Domino expediens fore videbitur, & quoties ſibi libuerit libros, & rationes reddituum, ac bonorum, ſive Congregationum, ſive Collegiorum quorumcunque, non ſecus ac Monaſteriorum omnium, ac ſingulorum, ſibi pleno jure ſubjectorum, atque ab exactoribus, agentibus, & adminiſtratoribus quibuſcunque rationem reddituum per eos adminiſtratorum recognoſcere, examinare, ac exigere poſſit, & valeat, Motu, ſcientia, & poteſtate prędictis dantes plenam facultatem Superioribus Ordinis, prędictos exactores, agentes, & quoſvis adminiſtratores juſta de cauſa removendi, mutandi, ac etiam eorum loco Religioſum quempiam idoneum ſubſtituendi.

Temporalium bonorũ adminiſtratio, etiam pro Monialibus.

Tertiariorum obedientia Magiſtro Ordinis.

§. 49. Ut autem prędicta omnia cum ſpirituali, ac temporali etiam prędicti Ordinis incremento ad normam prędictę Regulę exactius obſerventur ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, diſtricte pręcipimus omnibus, & ſingulis Ordinis profeſſoribus per totum Orbem exiſtentibus, ac extituris, cujuſcunque gradus, ac conditionis exiſtant, & pręcipue quibuſcunque, & quocunque nomine nuncupatis, collegialiter, aut in clauſtris habitantibus, necnon in privatis domibus, juxta prędicta, cum voto viventibus, ut quemadmodum eorum Ordo cum Primo Ordine Fratrum Prędicatorum, & ſecundo Monialium, eundem habet Patrem, & Patriarcham in Cęlis feliciter regnantem, adeo ut ab Innocentio VII in Bulla ſupradicta omnes appellentur *Fratres, & Sorores Ordinis Prædicatorum, qui nuncupantur Fratres, & Sorores de Pœnitentia S. Dominici*; ita cum utroque illo Ordine unum, eundemque in terris ſucceſſorem B. Dominici, ac totius Ordinis Prędicatorum Magiſtrum Generalem, deinde Provinciales, aut alios inferiores, ab eodem Magiſtro Generali de more delegandos tanquam eorum veros, & legitimos Superiores ſuſcipiant, venerentur, ac agnoſcant. Ad eos dubia quęcunque circa Regulam, & ſtatuta referant, eorumque judicio circa eadem dubia ſeſe conforment, maxime quum Regula ad culpam ex ſe non obliget, ſed tantum ad pęnam, ejuſque rationabilis relaxatio ſit in manu diſcreti Superioris conſtituta, iiſdemque privative quoad alios in omnibus concernentibus eorum Ordinem, nec Regulę Inſtituto, ac pręceptis pręfatis aperte contrariis, pareant, & obediant, quod ſi ſecus fecerint, ab iiſdem caſſari, habitu ſpoliari, atque etiam ex Collegiis modo prędicto, donec reſipiſcant, vel abſolute quoque dimitti poſſint, quemadmodum alias Regula ipſa *cap.* 19 pro quibuſdam caſibus diſponit. Inſuper & Collegia ipſa ſupprimi, ac diſſolvi, ſin minus dimitti, ac relinqui ab iiſdem poſſint, & valeant, & reſpective nullis Tertiariorum gratiis, & privilegiis gaudere, decernimus, ac jubemus.

Magiſtri Ordinis Cura pro Tertiariis.

§.50. Ordinis Magiſtro pro tempore ſicuti, & Ordini ipſi in Generalibus Comitiis quandocunque congregando, quemadmodum injungimus, ut circa felicem ſtatum, ac reformationem, ubi opus eſſe conſpexerint, prędicti Tertii Ordinis, advigilent, ita iiſdem relinquimus, confirmamus, & quatenus oporteat, de novo benigne concedimus Jus, & plenam poteſtatem ad illa circa Regulam prędictam moderanda, reformanda, exponenda, commutanda, ac addenda, quę pro temporum, locorum, ac perſonarum opportunitate in Domino judicabunt ſic melius diſponenda (ſalva tamen ejuſdem Regulę ſubſtantia, & intactis Sacris Canonibus) nunc pro tunc Apoſtolica auctoritate ejuſcemodi moderationes, reformationes, expoſitiones, ac additiones approbantes, atque confirmantes.

Motiva declarationum.

§.51. Deinde quum nonnulla ſint Capita, ſuper quibus potiſſime Tertiarias Perſonas, ſive in Domibus prędictis ſeorſim, ſive etiam in Aſceteriis collegialiter Virginalem, aut cęlibem, aut caſtam Vidualem expreſſo Voto, & ſub Habitu, & Regula prędictis vitam traducentes, necnon Fratres Ordinis Prędicatorum circa ipſas vexari, ad Nos delatum eſt, ideo expreſſe declaramus, & volumus.

Exemptio a Juriſdictione Ordinarii.

§.52. Quod tametſi omnes, & ſingulę prędictę perſonę ſummam debeant habere reverentiam Locorum Ordinariis, ceteriſque Prelatis inferioribus, quemadmodum earum quoque Regula preſcribit: Atque juxta decretum Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Epiſc., & Regul. conſultationibus prępoſitę editum ſub die 20 Decembris 1616 ut ad Habitum, & Ordinem recipiantur Virgines, aut Viduę in privatis Domibus perpetuo manſurę, prius debeant in Curia Ordinarii *Loci*

pro-

probare, eas ſibi poſſe de victu, & veſtitu ſufficienter providere; illaſque fore bonis moribus prędiras, atque cum nullis aliis viris, quam cum Conſanguineis, aut Affinibus in primo tantum gradu, vel illis deficientibus, aut urgente gravi aliqua cauſa, cum aliis ſibi in proximiori gradu conjunctis, aut ſaltem cum viris perſpectę probitatis, vitam traducturas, eas tamen juxta pręmiſſa Tertiarias effectas, a cujuſcunque alterius inferioris extra Ordinem Prędicatorum conſtituti Pręlati, & ipſius Ordinarii Loci Juriſdictione exemptas eſſe volumus, & fore declaramus, diſtricteque mandamus, eiſque de novo talem exemptionem concedimus.

Aetas recipiendarum ad Habitum, & Profeſſionem.

§.53. Quantum ad ętatem mulierum ad Ordinem prędictum recipiendarum, hac noſtra Conſtitutione perpetuo valitura injungimus, & mandamus, quod niſi in particularibus Aſceteriis probata conſuetudo vigeat in contrarium, mulieres ad profitendum inter collegialiter perpetuo viventes, non admittantur, niſi de tempore Profeſſionis exceſſerint annum 18. Quo vero ad eas, quę in Domibus, ut ſupra, ſeorſim, cum certis Caſtitatis perpetuę Voto, Habitu, & Statutis, ſunt vitam traducturę; quum ſecundum Sanctas Scripturas bonum ſit portanti jugum ab adoleſcentia ſua: & Ordo prędictus ex Regula ſua vigilias, jejunia, pluresque abſtinentias habeat jugiter perferendas; Virginum quoque Sponſo placeat ſibi cito promiſſa virginitas; Plurimęque inſignes Virgines prędicti Ordinis *de Pœnitentia* non ſolum a teneris annis inviolabili Voto virginitatem eidem Cęleſti Sponſo conſecraverint, Habitumque induerint, ſed florenti adhuc ętate, ſimulque ante annum quadrageſimum virtutibus maturę in Cęlum evolaverint, quarum agmen ducere poteſt cęleſtis virgo S. Catharina Senenſis, de Apoſtolica Sede adeo benemerita, Motu hinc, ſcientia, & poteſtate prędictis indulgemus, & concedimus, ut eędem, quibuſcunque non obſtantibus in contrarium, poſt decimum octavum annum, vel etiam in minori ętate juxta conſuetudinem locorum, libere, & licite recipi, evolutoque probationis tempore profiteri poſſint, ac valeant: Revalidantes quaſcunque Acceptationes, & Profeſſiones, ſi quę forte ex defectu ętatis hactenus factę dici poſſent invalidę.

Habitus earundem.

§.54. Habitus uniformitatem, quoad fieri poterit, eſſe ſervandam; retineri tamen poſſe Habitus formam, quę pro regionum diverſitate hactenus ab eiſdem Tertiariis ſervata eſt. Licere quoque Mulieribus, quę emiſſo voto ſeorſim, vel collegialiter Deo vivunt, deferre velum ſupra caput, quod *Suprajectum* vocant, carbaſum pectorale, quod nuncupant *Sottogola*, & Scapulare, ſeu *Patientiam*.

Collegialiter viventes non tenentur ad clauſuram, neque ad tria Vota.

§.55. Tertiariis prędictis emiſſo ſolo Caſtitatis Voto collegialiter viventibus haud prohibemus, immo exoptamus in Domino ſuaderi trium Votorum etiam ſolemnium emiſſionem, ipſamque Clauſuram, juxta propoſitum Conſtitut. VIII. S. Pii V incipien.: *Circa Paſtoralis*: inhęrentes tamen Literis Apoſtolicis ſuperius memoratis Julii II, in quibus Tertiariis S. Dominici collegialiter viventibus permittitur emittere tria Vota, declaraturque per hęc ipſa: *ad Clauſuram minimè teneri aut ad Officium Divinum magis, quàm ex Regula Tertii Habitus*: ac aliis Clementis IX.: *Aliàs propoſitis*: 10 Decembris 1667, in quibus Tertiarię collegialiter viventes, ad clauſuram nullatenus compelluntur; Attendentes inſuper per annos, ut accepimus, centum & ſexaginta ab edita dicta Conſtitutione Sancti Pii V, & per ſeculum, & ultra poſt Decretum Congreg. Epiſcoporum, & Regul. emanatum 20 Decembris 1616, ejuſcemodi Tertiarias collegialiter viventes pluribus in locis, ſcientibus, ac tacentibus Ordinariis, floruiſſe, ac etiamnum florere ſine clauſura, declaramus, volumus, & mandamus, eaſdem ad neutram abſolute teneri, aut eſſe compellendas; non obſtantibus contrariis ordinationibus, etiam Apoſtolicis, quibus expreſſe per pręſentes derogamus.

Perſonæ Tertiariæ Sacramenta ſucipere, earumque Cadavera ſepeliri per ſolos Fratres Ordinis debent.

§.56. Licet circa Sacramentorum ſuſceptionem, & ſepulturam prędictę Tertiarię, certis Habitu, Regula, & Statutis, & ſub expreſſo perpetuę Virginalis, aut Viduilis Caſtitatis Voto ſive collegialiter, ſive in privatis Domibus, viventes, ex recitatis, aliiſque Apoſtolicis Conſtitutionibus earum Ordini per S. Sedem directe conceſſis, vel communicatis, debeant gaudere privilegiis omnibus Ordinis Prędicatorum, ceterorumque Ordinum, earum ſexui non repugnantibus, & pleno jure ſubeſſe Fratribus, & in primis Magiſtro Generali ejuſdem Ordinis: hiſque liceat *Auctoritate Apoſtolica Tertiariis illis quando petierint, etiam in die Paſchæ, ſive Feſti Reſurrectionis D. N. J. C., & infra ejus Feſti octavam, quam etiam aliis diebus, etiam in mortis articulo, Euchariſtiæ, & alia Sacramenta Eccleſiaſtica quæcunque exhibere, & miniſtrare* etiam *in Domibus propriis*: Necnon *illarum Cadavera ad eorundem Fratrum Eccleſias tumulanda deferre, etiam Parochialium Eccleſiarum Perſonarum earundem Rectorum licentia deſuper minime requiſita, & contradictione qualibet non obſtante*. Ne tamen deſuper Tertiarias, & reſpective Fratres Ordinis Prędicatorum indebite moleſtari contingat, expreſſe declaramus, & volumus, Tertiarias prędictas *de Pœnitentia S. Dominici* ſive collegialiter, ſive ſeparatim in Domibus, ut prędictum eſt, viventes cum expreſſo Voto, a ſolis Fratribus prędicti Ordinis Prędicatorum, contradictione qualibet, & quacunque conſuetudine etiam immemorabili in contrarium non obſtantibus, etiam in die S. Paſchę, & in caſu habitualis infirmitatis etiam pro effectu ſatisfaciendi pręcepto de Communione Paſchali, & in caſu mortalis infirmitatis, ſive in mortis articulo, Sacram Euchariſtiam, Extremam inſuper Unctionem abſolute recipere poſſe, & debere; Earundemque poſt mortem Cadavera (niſi forſan collegialiter viventes habeant, aut ſint aliquando legitime habiturę in earum Eccleſia, Oratorio, aut Collegio ſepulcrum proprium, quo caſu per ſolos Fratres Ordinis ſint ibidem ſepelienda) ad Fratrum Eccleſiam tumulanda deferri poſſe, ac debere, & quidem abſque interventu, licentia, & requiſitione Parochi, nullaque eidem ſoluta quarta; Et ſicuti volumus, quod tam Fratres, quam Tertiarii extra Conventus, & reſpective Collegia, & Domos obeuntes, debeant Sacramentari, & reſpective tumulari per Fratres, & in Eccleſiis illorum, ita diſponimus, & mandamus quoad Tertiarias prędictas.

Regula pro Fratribus, & Tertiariis extra Clauſtra, & Domos decedentibus.

Fratres ad perſonas Tertiarias etiam Euchariſtiam, & earum Cadavera ad Eccleſiam Ordinis deferre libere debens.

§.57. Pręterea declaramus, & volumus, quod Fratres ad miniſtranda Sacramenta dd. Tertiariis utriuſque ſexus poſſint, & debeant, ingrediendo limites cujuſcunque Parochię cum Cruce erecta, & proceſſionaliter condigne afferre Venerabile Euchariſtię Sacramentum, tam in caſu gravis, & mortalis infirmitatis per modum Viatici, quam in caſu talis infirmitatis, quę impediat acceſſum ad Eccleſiam

dictorum Fratrum, pro ſatisfactione pręcepti Paſchalis, ac etiam titulo devotionis circa conſuetas majores Eccleſię ſolemnitates, & ſimiliter Defunctorum Cadavera ad propriam Eccleſiam aſportare, etiam invito, & reluctante Parocho, cui tantum licitum ſit miniſtrare Sacramentum in caſu repentinę infirmitatis, quę ſpatium non permittat vocandi Fratres prędictos.

XXI. Adverſus Fratres recurrentes ad extraneos.

§.58. Ut porro quantum in Domino poſſumus conſulamus indemnitati obedientię, Superioribus prędictis ab eorum reſpective Religioſis debitę, & ut ſimpliciori via nitantur omnes in ſemel Deo promiſſam Regularem obſervantiam, Motu, ſcientia, & poteſtate ſupradictis, in primis quoad omnia, & ſingula in eis contenta confirmamus, & innovamus, Conſtitutiones emanatas adverſus Fratres Ordinis recurrentes pro extorquendis favoribus ad perſonas extraneas, nimirum Gregorii XIII incipien.: *Quum nihil magis*: 5 Junii 1580 Clementis VIII: *Religioſos viros*: 23 Maii 1592, & Pauli V: *Admonemur*: 7 Januarii 1608.

Solæ Leges Ordinis ſervandæ in correctionibus.

§.59. Deindeque pro tuenda Regulari Diſciplina confirmamus, & innovamus Conſtitut. IV Bonifatii VIII: *Ad augmentum*: 6 Id. Maii 1296., in corrigendis etenim, & puniendis exceſſibus Subditorum volumus, peragendum, *poſtpoſitis rimulis, & apicibus Juris, ſecundum conſuetudines & Statuta Ordinis etiam facienda*.

Appellationes inordinatæ prohibentur.

§.60. Ad tollendas vero appellationes quaſcunque indebitas, ac totam ferme ęconomiam Regularis obſervantię enervantes, ac evertentes, niſi retineatur, & ſervetur ordinata Appellatio a Superiori Locali ad Provincialem, ab eoque ad Generalem, exindeque ſi fieri poſſit, ad Capitulum Generale, ac denique ad Sedem Apoſtolicam, juxta Decreta de mandato Sixti V edita in Congregatione Epiſcoporum, & Regularium anno 1587, confirmamus, & innovamus ſimiliter quęcunque hactenus circa Appellationes emanarunt ab Apoſtolica Sede, & pręcipue Conſtitutiones pro eodem Ordine Bonifatii VIII in pręcitatis Literis incipien.: *Ad augmentum*: Bonifatii IX: *Sacræ religionis*: 5 Kal. Maii 1402, Julii II: *Expoſuiſti nobis*: 24 Novembris 1511: ac Leonis X: *Romani Pontificis*: 29 Aprilis 1518, & quidem quoad omnia, & ſingula in eis contenta, etiam quoad Cenſuras latę Sententię, & pęnas, etiam contra quoſcunque Judices Eccleſiaſticos, & Seculares de hujuſcemodi appellationibus cognoſcere volentes, contra ordinem contentum, & rationem pręſcriptam in prędictis Literis Apoſtolicis.

Miniſtri S. Sedis irregulares ad ſe recurſus, & appellationes FF. rejicere debent.

§. 61. Immo quum etiam Nobis certo conſtet, Superiorum pręfatorum auctoritatem eludi, & contemni, ſi circa concernentia ſtatum ipſum Regularem, quę totaliter remiſſa ſunt, & eſſe debent ipſorum religioni, & judicio, cujuſmodi ſunt Fratrum Aſſignationes, Remotiones, Diſpenſationes, Lectionum, & aliorum munerum collationes, ac cetera quęcunque per Conſtitutiones Apoſtolicas, & dicti Ordinis relicta arbitrio, & prudentię eorundem Pręlatorum, pateat recurſus ad Apoſtolicos Nuncios Noſtros, Vicelegatos, ac ceteros Sedis prędictę, ac Noſtrę Miniſtros, iſtis omnibus, & ſingulis Auctoritate Apoſtolica mandamus, & pręcipimus, ne in iiſdem ſeſe ullatenus in poſterum intromittant, atque in illis ipſis, quę per viam appellationis ex Apoſtolico aliquo ſpeciali indulto eoſdem poſſe recognoſcere alias certo conſtaret, non aliter id facere poſſe, ac debere declaramus, & volumus, quam pręmiſſa per Fratres illos graduali appellatione per pręſentes has noſtras literas perpetuo conſtituta; Vehementer in Domino hortantes, atque excitantes quaſcunque Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Congregationes, ut ſeverius deſuper animadvertant contra Fratres quoslibet Noſtri hujuſce Ordinis, ad retinendam Regularem obſervantiam, in hoc ipſo deficientes.

XXII. Habitus Ordinis quibus, & quomodo permiſſus.

§.62. Attendentes deinde quę ſanxerunt Predeceſſores Noſtri Gregorius IX, & Innocentius IV in eorum Conſtitutionibus ambabus incipientibus: *Quia confuſio habitus*: 8 Kal. Novembris 1239, 8 Kal. Aprilis 1244, & Gregorius XI: *Virtute conſpicuos*: 2. Non. Martii 1374. Clemens VIII in Conſtit. CIV: *Ex injuncto Nobis*: 2 Octobris 1603, ac noviſſime Alexander VII in Conſtitutione: *Ex injuncto Nobis*: 8 Februarii *1666*, illa omnia auctoritate, motu, & ſcientia prędictis confirmantes, ac innovantes ſimiliter diſtricte mandamus Fratribus Trinitariis, & aliis quibuſcunque, ne ullus eorum audeat poſthac Habitum Fratrum Ordinis Prędicatorum, vel ipſi adeo ſimilem deferre, ut Frater ejuſdem Ordinis Prędicatorum credi facile poſſit. exceptis tamen Eremitanis S. P. Auguſtini, quibus in certis circunſtantiis alias a Sede Apoſtolica Habitus albus ejuſdem Ordinis permiſſus eſt; ab his tamen Habitum illum non aliter deferri volumus, decernimus, & mandamus, quam ſecundum prędictam Clementis VIII Conſtitutionem, hac noſtra inviolabili lege, propter motiva jamdudum relata per Alexandrum IV in ejus Conſtitutione; *Meminimus Nos*: Idibus Octobris 1259, diſtrictiſſimeque ipſis Eremitanis prohibemus, ne extra Clauſtra propria audeant ullatenus cum ſolo Habitu albo prędicto procedere, amplisſime derogantes cuicunque conſuetudini etiam immemorabili in contrarium, & dantes plenam facultatem Locorum Ordinariis, ipſiſque injungentes, quatenus auctoritate dictę Sedis, ad inſtantiam pręcipue Fratrum Prędicatorum, contra eos, quos defeciſſe compererint, procedere posſint, ac debeant.

Habitus albus permittitur extra Clauſtra FF. Prædicatoribus juxta eorum Conſtitutiones.

§.63. Concedimus tamen Fratribus ipſis Prędicatoribus, ut in itinere, vel divertentes ad męnia Urbium, ad Campos, & ſimilia Loca, ad quę ex vi antiquarum quoque eorum Conſtitutionum, ſecundum quas Nos quoque vivere profeſſi ſumus, nullatenus cum Cappa nigra ſeſe conferre tenentur, cum ſolo Habitu albo, quem nemo ignorat eſſe eorum diſtinctivum, non obſtante quoad id pręcitata Conſtitutione Clementis VIII, accedere, ac procedere libere, & licite posſint, & valeant.

XXIII. Præcedentia immediata poſt Ordines Monachales.

§.64. Conſiderantes quoque antiquitatem non minus, quam excelſa merita hujus Ordinis, quibus perſpectis Leo X in Conſt.: *Accepimus nuper*: 3 Julii 1518, & S. Pius V in Conſtit. LXXI: *Divina diſponente*: 27 Augusti 1568; & Clemens VIII in Conſtitutione XIII: *Inter cætera*: 25 Septembris 1592 Fratribus Ordinis jure merito adjudicarunt Pręcedentiam ſupra ceteros Mendicantium, aliorumque Ordines, itaut primi, & immediati poſt antiquos Ordines Monachales locum in omnibus primum, honorabiliorem, & digniorem obtinere debeant; prout pacifice in Conciliis generalibus, ac etiam Lateranenſibus inconcuſſe obtinuere: prędictas Conſtitutiones omnes motu, ſcientia, & poteſtate ſupradictis confirmantes, & innovantes, & quatenus opus ſit omnia in eis contenta de novo mandantes, &

con-

concedentes, declaramus, atque decernimus, earundem Conſtitutionum tenorem perpetuo ubilibet, & in quacunque Mundi parte omnino ſervandum eſſe, eiſdem Fratribus Ordinis Prędicatorum a die publicationis pręſentium priori, digniori, & honorabiliori loco poſt Ordines Monachales prędictos in omnibus, & ſingulis Proceſſionibus, Actibus, & Functionibus, aſſignato, & conſtituto: pleniſſime derogantes quibuſcunque conventionibus, conſuetudinibus etiam immemorabilibus, Literis, Sententiis, ac Decretis ab Apoſtolica Sede editis, vel ſpecifice etiam confirmatis in contrarium quomodocunque facientibus.

XXIV. Exemptio a quibuſvis oneribus, cum aſſignatione Congruæ in impoſitis pro urgentiſſima cauſa.

§. 65. Ut deinceps Fratres hujus Ordinis congrue ſubſtentari valeant, nec tractu temporis Conventus propter inopiam neceſſario Fratrum numero carere cogantur, Exemptiones omnes a quibuſcunque Decimis, Datiis, Collectis, Gabellis, impoſitionibus, vectigalibus, oneribus hoſpitandi milites, aliiſque cunctis quocunque nomine nuncupatis, & ex quacunque gravi, & graviſſima cauſa impoſitis prędicto Ordini conceſſas per S. Pium V in Conſtitutione: *Dum ad uberes*: 29 Julii 1566: *Etſi Mendicantium Ordines*: 17 Kal. Julii 1567: *Ad hoc nos Deus*: 23 Septembris 1571: *Romanus Pontifex*: 3 Octobr. 1567, & *Injunctum nobis*: prid. non. Auguſti 1569. Et per Nos etiam in Literis incipien. *Sollicitudo*: editis 4 Id. Decemb. 1725, ampliſſime confirmamus, & innovamus; ac pręterea volumus, & mandamus, quod tam pro pręteritis, quam pro futuris impoſitionibus ex urgentiſſima duntaxat cauſa Belli contra Turcas, teneri poſſint, aut debeant Fratres, Conventus, eorumque bona, facta tamen prius deductione Congruę pro unoquoque Religioſo ad rationem ſcilicet ſeptem ducatorum auri de Camera, & nonniſi de reſiduo fructuum bonorum demptis, & exceptis prędictis Congruis, volumus taxari poſſe in prędicto extremo caſu. Non tamen per id intelligimus derogare Indultis noſtrorum Prędeceſſorum pro particularibus Conventibus, ſi quę ſunt, decernentibus, eſſe pręſervandam a qualibet impoſitione ampliorem, ſeu pinguiorem Congruam, quinimmo ea confirmamus, ac innovamus.

XXV. Exemptio a Taxa Seminarii.

§. 66. Porro ne ex quo per noſtram Conſtitutionem incipientem: *Creditæ*: & decreta noviſſimi Concilii Romani, in quibus cautum legitur a Taxa Seminarii, *exemptos eſſe debere Regulares pro iis tantum Beneficiis, & fructibus, quorum ratione ipſis Apoſtolica Sedes ex cauſa vere, & proprie oneroſa indulſit, ut ab onere Taxæ exempti ſint*, ullo unquam tempore in diſcrimen revocari queat ampliſſima exemptio ab hujuſmodi taxa, quam prędicto Ordini impartitus fuit S. Pius V in ſua Conſtitutione: *Romanus Pontifex*:, ac in alia: *Etſi Mendicantium*: hanc ipſam exemptionem, eaſdemque, ac alias quaſcunque per Prędeceſſores noſtros deſuper editas Conſtitutiones, & declarationes expreſſe confirmamus, & innovamus. Cum enim memoratus Ordo varios Magiſtros, & Doctores pręſtet, ac alere, & ſuſtentare teneatur, *ex quorum Doctrina Fratres Novicii, eruditi poſtmodum effecti, gregem Dominicum ſuis conſiliis, confeſſionibus, orationibus, aliiſque innumeris pietatis operibus juvent, & paſcant*, ejuſdemque Ordinis *domus non minus, immo magis, quam ea, quæ per Ordinarios erecta ſunt, Seminaria vocari poſſint*, ęquiſſimum videtur, Conventus dicti Ordinis nullo modo pręterea taxari poſſe pro Seminariis ab Ordinariis erectis, vel erigendis, prout hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione declaramus, decernimus, & mandamus, etiam Concilii Romani decretis, & quibuſcunque aliis in contrarium quomodolibet facientibus, quam pleniſſime derogantes.

XXVI. Declaratio circa Quartam Funeralem pro Italia.

§. 67. Per noſtram Conſtitutionem: *Romanus Pontifex*: ac etiam decreta noviſſimi Romani Concilii, injunximus, Parochis ſolvendam eſſe Quartam funeralem, in Italia nimirum, & Inſulis adjacentibus ab omnibus, & quibuſcunque Regularibus quocunque privilegio ſuffultis, & Regulares Ordinis S. Dominici utriuſque ſexus in eiſdem Italia, & adjacentibus Inſulis reverenter, pro conſueta ipſorum erga Apoſtolicam Sedem obedientia, diſpoſitioni noſtrę, ut debent, obſequuntur, prout etiam volumus, & mandamus in poſterum ſervari, ita quidem, ut Regulares prędicti ei tantummodo, ad cujus Parochiam ſpectabit defunctus, realiter, cum effectu, & ſine ulla prorſus controverſia tradere teneantur unam ex quatuor partibus (quam proprio nomine *Quartam* appellavimus) *omnium Intorticiorum, & candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad eorum Eccleſiam* tumulandum *aſſociabitur, necnon omnium Intorticiorum, & candelarum, quæ in eadem Eccleſia circa cadaver*, ſeu Pheretrum, *ac etiam in Altaribus in die funeris accendentur*, retentis tamen ſibi candelis manualiter per viam delatis, una cum omnibus intorticiis, candelis, aliiſque, de quibus in ea Conſtitutione mentio expreſſa facta non fuit, quę Regularibus prorſus illęſa, & inviolata perpetuo manere voluimus, decrevimus, ac mandavimus. Ubi vero adſint conſuetudines legitime probatę, conventiones, concordię, vel ſtatuta, quę Parocho portionem quarta prędicta pinguiorem aſſignent, hanc eandem, prout ante noſtram prędictam Conſtitutionem, ac etiam Concilium Romanum, dare pergant, & teneantur. Quum vero mentis, & intentionis noſtrę in ea edenda Conſtitutione fuerit conſulere quidem Parochorum indemnitati, ad hoc nimirum, ut ii, qui nihil, vel quarta minus percipiebant, eandem quartam conſequi poſſent, & non autem, ut qui majus emolumentum, ſeu plus quarta prędicta ex conſuetudine, conventione, concordia, vel ſtatuto reportabant, aliquid aliud pręterea vigore dictę noſtrę Conſtitutionis, aut etiam Concilii Romani ſibi arrogare poſſent, volumus propterea, ut iidem Parochi, vel pręciſe perciperent ſtatutam a Nobis quartam partem, vel tantummodo ſtarent conſuetudini, conventioni, concordię, ſive ſtatuto, ut prędictum eſt. Ne autem ſuper hujuſmodi clara ceteroquin intelligentia noſtrę Conſtitutionis, & Concilii Romani, ullo unquam tempore excitari valeat aliqua difficultas, expreſſe ita declaramus dictam noſtram Conſtitutionem, & decreta Concilii Romani, ſimulque Motu, ſcientia, & poteſtate prędictis volumus, pręcipimus, & mandamus, ut iidem Fratres Parocho relinquant optionem, vel eligendi quartam partem prędictam, vel ſtandi conſuetudini, ſtatuto, concordię, ſeu conventioni, eamque pacifice ſequantur, ut ſuę ipſorum quieti religioſe juxta eandem mentem noſtram conſulant. Parochi vero ſemel factam optionem immutare nullatenus poſſint, aut valeant.

XXVII. Privilegia circa ſepulturam extraneorum.

§. 68. Ea itidem privilegia Fratribus Ordinis Prędicatorum Indulta per Sacros Canones, & Apoſtolicas Conſtitutiones, ut poſſint cadavera laicorum, & extraneorum quorumcunque in ſuis Eccleſiis libe-

libere tumulare, uberrime confirmamus, & innovamus, utque, quantum in Domino poſſumus, occurramus continuis moleſtiis, quas, propter aliquorum ſiniſtras interpretationes, pati coguntur Fratres prędicti cum maximo Chriſti fidelium ſcandalo, & pietatis ſimulque divini cultus detrimento, perpetuo volumus, & ſancimus, in primis Fratrum prędictorum omnium, eiſque inſervientium, necnon quarumcunque perſonarum Tertii Ordinis, etiam extra clauſtra, domos, hoſpitia, & aſceteria obeuntium, laicorum quoque extraneorum per accidens degentium, & decedentium in Conventibus, hoſpitiis, domibus, & aſceteriis prędictis, cadavera tumulanda eſſe in dictis Eccleſiis Ordinis, Dięceſani loci, aut alterius cujuſcunque licentia minime deſuper requiſita.

Diſpoſitio pro cadaveribus Fratrum, aliorumque de quibus ſeorſum ſupra.

Libera extraneis electio ſepulturæ apud Fratres. Et quomodo de ea conſtet.

§. 69. Liberam prorſus pręterea fore cuique fidelium, ſive pro ſe ipſo, ſive pro ſuis filiis, & filiabus, nepotibus, & neptibus in puerili, vel infantili ętate decedentibus electionem ſepulturę in Eccleſiis, & cęmeteriis pręfati Ordinis. De hac vero electione ſatis conſtare ubi in Eccleſia Ordinis gentilitium obeuntis, nulla in contrarium facta diſpoſitione, ſepulcrum pręexiſtat, rurſus ex teſtamentis, codicillis, vel alia morientis ſimplici etiam ſcriptura, item ex dicto aut Confeſſarii, aut duorum teſtium, etiam extrajudicialiter deponentium de illius voluntate. Quod ſi Parochus velit illos judicialiter repetere, ſuis ſumptibus id facere teneatur.

Mandatur, ne Parochi etiam indirecte eam libertatem impediant.

§. 70. Caveantque Parochi, ne quod directe nequeunt, indirecte nitantur huic libertati pręjudicium, & noxam inferre, ſub prętextu ad ipſos pertinere numerum determinare Fratrum aſſociare debentium, atque illum limitare ad metam clericorum ſecularium, aliove deteriori, Parochianos, nimirum, eligentes alibi quam in Eccleſia Parochiali ſepulturam, teneri ad eleemoſynam majorem, graviora que emolumenta favore Parochi, etiam ſub emendicato titulo coarctivę celebrationis Miſſarum, & Anniverſariorum, vel ſub obtentu cadaveris in Cathedrali, vel Parochiali Eccleſiis, prius exponendi, & reſpective ratione tranſitus per limites aliarum Parochiarum, perſolvenda eſſe ſimilia emolumenta. Has enim abuſivas adinventiones eradicare intendimus, & exterminare, prout abolemus, & improbamus, ſtatutis, conventionibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus in contrarium vigentibus minime attentis, quibus expreſſe derogamus. Volentes, numerum Fratrum aſſociare debentium, fore libere determinandum per hęredes defuncti, nullo habito reſpectu ad numerum Clericorum ſecularium.

Soli Parocho pręmortui ſolvenda emolumenta.

§. 71. Per Cathedrales vero Eccleſias, Parochiales, ſeu per Parochos defunctorum, aut per quorum Parochias tranſeunt cadavera, nullatenus cogi poſſe Fratres Ordinis, ſeu defunctorum hęredes ad exponendum cadavera, vel aliquid aliud ſolvendum ex cauſa tranſitus, itaut in poſterum ſoli Parochi morientium, iiſque emolumentis duntaxat potiantur, & gaudeant, quibus de jure potiuntur, & gaudent, firma omnimode manente, ac pleniſſime morientibus obſervata, ſibi eligendi ſepulturam, libertate.

Parocho intimato, nec accedente, FF. debent cadaver per viam ſibi beneviſam recta deferre.

§. 72. Parocho admonito, requiſito, & intimato per Fratres, ac demum renuente accedere ad aſſociandum cadaver in Eccleſiam Fratrum prędictorum, vel eodem ultra ſtatutam pro delatione cadaveris horam per diſcretum tempus, quod nunquam unam horam excedere poſſit, expectato, nec accedente, Fratres prędictos cadaver illud, invito etiam ipſo Parocho, levare, & ad eandem Eccleſiam tumulandum, ne Dei ſervitium minuatur, & ipſi contemnantur, recto quidem tramite, & via per eos eligenda deferre poſſe, ac debere volumus, atque ſancimus.

Regula pro Crucis erectione, delatione ſtolæ, & ingreſſu in Eccleſias in Proceſſionibus funebribus.

§. 73. Et ad tollendum deinceps, quantum in Domino poſſumus, fidelium ſcandalum, nimis frequentium controverſiarum originem, hac perpetuo valitura lege decernimus, licere Cathedralis Capitulo, Parocho, Fratribus Ordinis Prędicatorum, ac ceteris, etiam Regularium Communitatibus ad Proceſſiones Funebres per quaſvis Parochias, ſingulorum propriis erectis Crucibus, accedere, eaſque etiam ſic peragere, quemadmodum in aliis ſolemnioribus Proceſſionibus contingit, & ita etiam in Eccleſiam tumulantem ipſorum Fratrum, ordine, quo in via incedebant, ingredi, atque facta adoratione ad Altare, in quo aſſervatur Sanctiſſimum Sacramentum, aut etiam exequiis perſolutis recedere. Parocho quoque in eandem Eccleſiam tumulantem cum ſtola intrare, ac reſpective Fratribus aſſociare debentibus defuncti cadaver cum Parocho, ne interim contingat illos in vicis, & plateis ſuperſedere, in Parochialem Eccleſiam etiam cum Cruce erecta ingredi licitum fore, auctoritate Apoſtolica, Motu, & ſcientia prędictis, mandamus, & volumus. Non obſtantibus, quoad prędicta omnia, & ſingula conſuetudinibus etiam immemorabilibus, ceteriſque omnibus, & quibuſcunque in contrarium facientibus, quibus omnibus expreſſe, ac pleniſſime derogamus. Declarantes, &, quatenus opus ſit, decernentes, ac matura deliberatione mandantes, Crucis erectiones, ſtolę delationem, & ingreſſus in Eccleſias in omnibus, & ſingulis enumeratis, ac ceteris quibuſcunque ſimilibus caſibus, nullam penitus juriſdictionem importare, aut minimum in aliquo pręjudicium cuicunque irrogare, aut quandocunque, & quomodocunque irrogare, & inferre poſſe.

Quæ ſint prohibita, & quomodo permiſſa Parocho celebratio Exequiarum in Eccleſiis Ordinis.

§. 74. Poſtremo prohibemus, poſſe per Parochos invitis Fratribus in iſtorum Eccleſiis, aut cęmeteriis cadavera ſepeliri, & reſpective Miſſas celebrari, ac exequias quaſcunque perſolvi. Ubi vero accedit pacifica conſuetudo, ſeu legitima conventio, aut expreſſa Fratrum voluntas, permittimus, quod Parochus cum Clericis ſecularibus in Eccleſiis Ordinis, exequias peragat, abſque ullo tamen pręjudicio Fratrum, quorum omnimoda de cetero juriſdictio in propriis Eccleſiis ſalva, & illęſa remaneat, eique nullum imaginabile pręjudicium per hujuſmodi particulares, & Fratrum voluntarios actus irrogatum ullo tempore cenſeatur.

XXVIII. Exemptio à Decimis Canonicis.

§. 75. Ulterius circa exemptionem a canonica portione, ſive a decimis quibuſcunque Eccleſiaſticis, ſive Canonicis, Parochialibus, Epiſcopalibus, ac etiam Papalibus, tam perſonalibus, quam realibus, non ſolum de novalibus, hortis, animalium nutrimentis, virgultis, boniſque propria manu excultis, ſed etiam quoad omnia omnino bona, quandocunque, & quomodocunque acquirenda, etiam per alienas manus excolenda, immo etiam quoad ipſos colonos, arrendatarios, & ſimiles quoſcunque, *qui*

Fra-

Fratrum prędictorum, ac Sororum, indigentiis de prędictis eorum bonis hac via ſubvenire teneantur, expreſſe, ac ſpecifice confirmamus privilegia ipſis ſive directe cum neceſſariis, & opportunis derogationibus, & reſpective etiam Conc. Lateran., ſeu *cap. Nuper de Decim.*, ut in Conſtitutionibus Honorii III: *Religioſam vitam*: 11 Kal. Januarii 1216. Innocentii IV: *Qui Deum tota*: 3 Nonas Februarii 1244, Alexandri IV: *De pia, & ſancta*: 15 Kal. Februarii 1257, Bonifatii VIII: *Laudabilis*: 15 Kal. Auguſti 1297, Benedicti XI: *Sacra veſtra Religio*: 3 Kal. Martii 1304, Gregorii XI: *Virtute conſpicuos*: 2 Non. Martii 1374, Bonifatii IX: *Etſi pro cunctorum*: 5 Kal. Maii 1401, Martini V: *Ad Summi*: Kal. Maii 1420, Eugenii IV: *Ad ſtatum*: 3 Idus Aprilis 1440, Nicolai V: *Licet ex debito*: Prid. Non. Decembris 1448, &: *Licet ea*: 8 Idus Auguſti 1451, Sixti IV: *In Mari Magno Prædicatorum*: & S. Pii V: *Etſi Mendicantium*: &: *Ad hoc Nos Deus*: &: *Injunctum Nobis*: Pauli IV: *Ex Apoſtolicæ Sedis*: Clementis VIII: *Injuncti*: &: *Expoſcit*: 25 Martii 1592, &: *Paſtoralis officii*: 21 Julii 1595, & Urbani itidem VIII: *In plenitudinem*: Sive indirecte, & virtualiter ipſis deſuper conceſſa, nimirum, per ampliſſimas communicationes privilegiorum, & pręcipue indultorum Cartuſianis, Ciſtercienſibus, & Societati Jeſu, quemadmodum liquet ex pręcitatis Conſtitutionibus. Ne tamen ullo unquam tempore de hujuſmodi plenaria exemptione dubitari queat, pręterea Motu proprio, & auctoritatis plenitudine, contrariis quibuſcunque non obſtantibus, Ordini Prędicatorum utriuſque ſexus, & ab eo dependentibus, eorumque prędictis bonis quibuſcunque dictam exemptionem ex integro, & denuo cum expreſſa, & individuali derogatione dicti *cap. Nuper de Decim.*, ampliſſime concedimus, & elargimur.

§. 76. Itidem quoad privilegia Mendicantium Ordini Prędicatorum conceſſa, pręvia derogatione Conſtitutioni a Gregorio XIII: *In tanta*: editę prima Martii 1573, innovamus Conſtitutiones S. Pii V: *Etſi Mendicantium*: &: *Ad hoc Nos Deus*: & quatenus opus ſit in his contenta de novo diſponimus, & reſpective concedimus, atque perpetuo obſervanda eſſe decernimus, & mandamus, dummodo Decretis Concilii Tridentini, & diſpoſitis in hac noſtra peculiari Conſtitutione non ſint contraria, ut etiam demandarunt Clemens VIII in Conſtitutione: *Injuncti*: 5 Octobris 1604, & Urbanus VIII in Conſtitutione: *In plenitudinem*: 13 Maii 1625. Declarantes, quod hęc reſtrictio contenta etiam in mox dictis Literis Clementis, & Urbani haud tollit decreta Concilii Tridentini juxta interpretationem ipſis attributam in pręcitatis Literis S. Pii V. XXIX. Confirmantur ampliores conceſſiones S. Pii V, & reducuntur ad terminos Concil. Triden. (juxta illius interpretationē) & hujus Conſtitutionis.

§. 77. Inhęrentes pręterea veſtigiis Prędeceſſorum noſtrorum, qui Privilegia, Indulta omnia, & ſingula, gratias, exemptiones, Immunitates, & Communicationem intraneam, ſive ampliationem, aut extenſionem intra ipſum Ordinem Prędicatorum adeo, ut conceſſa, vel concedenda uni Fratri, Sorori, Domui, Conventui, Collegio, Eccleſię, Monaſterio, & aliis, etiamſi conceſſa non intelligerentur ſub generali communicatione, aliis Fratribus, Sororibus, Domibus, Conventibus, Collegiis, Eccleſiis, Monaſteriis, ceteriſque pariformiter comprehenſa, & conceſſa perpetuo ſint, & intelligantur, Communicationem quoque infra declarandam uberius cum aliis quibuſcunque Ordinibus, Congregationibus, & Confraternitatibus, libertates, pręrogativas, Indulgentias, peccatorum remiſſiones, & ſimilia quęcunque, & quocunque nomine nuncupanda, a Prędeceſſoribus Noſtris Ordini prędicto, Domibus, Collegiis, Conventibus, Monaſteriis, Provinciis, Fratribus, ac Monialibus, necnon utriuſque ſexus Tertiariis, conceſſa, ampliſſime, & validiſſime confirmarunt, innovarunt, de novo conceſſerunt, eiſque perpetuum Apoſtolicę firmitatis robur addiderunt, etiam Motu proprio, ſcientia, & poteſtate prędictis, derogando inſuper quibuſcunque conſuetudinibus, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, etiam in Univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, & Ordinationibus contrariis, ac cum Decreto irritante, ſupplendo quoſvis defectus Juris, & Facti, & ſolemnitatum forſan omiſſarum, ut in Apoſtolicis Conſtitutionibus, & ſignanter Alexandri V, Martini etiam V, Eugenii IV in Bullis incipien.: *Sacræ Religionis*: 5 Kal. Aprilis 1439, ubi Privilegium dicto Ordini Prędicatorum indultum per plures Prędeceſſores poſt Innocentium IV, quod nullę Literę Apoſtolicę *ſub quibuſvis formis, & verborum expreſſionibus, & cum quibuslibet derogatoriis Privilegiorum, etiam Mendicantium* quandocunque emanandę, poſſent eidem Ordini pręjudicare, *niſi de Ordine ipſo, ac de Magiſtro Ordinis, & Privilegiis ipſi conceſſis ſignanter, & notanter, ſpecialiter, & expreſſe, necnon de verbo ad verbum mentio facta fuerit*, validiſſime confirmatur, quod & alii poſtmodum Romani Pontifices decrevere; inſuper Nicolai V, Sixti IV: *In Mari magno*: ac in: *Bulla aurea*: Julii II.: *Alias ad ſupplicationem*; 1 Junii 1509. Leonis X in duabus Literis ſimiliter incipien.: *Quum inter ceteros*: 22 Novembris 1513, & 21 Junii 1518, & in aliis: *Dudum per Nos accepto*: 10 Decembris 1519, Julii III: *In Sacra Beati Petri*: 10 Julii 1551, Pauli IV.: *Ex Apoſtolicæ Sedis*: 9 Martii 1556, ac deinde S. Pii V, Clementis VIII, & Urbani VIII, in prędictis Conſtitutionibus: *Etſi Mendicantium - Injuncti - In plenitudinem*: eaſque quidem omnes, & ſingulas Conſtitutiones, ac ſupplendo quoſcunque defectus Juris, & Facti, & ſolemnitatum forſan omiſſarum, confirmantes, ac innovantes, & quatenus opus ſit omnia, & ſingula in eiſdem, ac ceteris quibuſcunque pro Ordine Prędicatorum, ejuſque Generali Magiſtro, Procuratore Generali, Superioribus, Fratribus, Monialibus, Tertii quoque Ordinis Perſonis quibuſcunque per Sedem prędictam, ac etiam per S. R. E. Cardinalium Congregationes, Cardinales Legatos, & quoſvis Sedis prędictę Nuncios, & Miniſtros, & per alios quoſcunque, & quacunque poteſtate pollentes, aut alias quomodolibet, & ſub quibuſcunque verborum expreſſionibus, & tenoribus in genere, vel in ſpecie, & particulariter tam per modum communicationis, & ampliationis, quam ſimplicis, & individuę, particularis, ac ſpecialis conceſſionis cujuſcunque, & quomodocunque etiam Motu proprio, aut aliter factę, emanatis conceſſionibus contenta, ac etiam conſuetudine legitime pręſcripta, aut acquiſita, largientes, ac concedentes, dummodo tamen prędictis in hac noſtra Conſtitutione non ſint expreſſe contraria, Motu, ſcientia, ac poteſtate ſimilibus confirmamus quoque, innovamus, ac ſi opus ſit de novo concedimus Magiſtro Ordinis, Capitulis Generalibus, Definitoribus eorum, cunctiſque Fratribus, ſive Clericis, ſive Laicis, etiam Oblatis, Monialibus quibuſcunque, ac Tertii Ordinis utriuſque ſexus perſonis, eorumque Eccleſiis, Conventibus, Mo-

XXX. Confirmatio generalis aliorum privilegiorū.

Extenſio privilegiorum intra Ordinem.

Communicatio in privilegiis cum aliis.

Mentio expreſſa facienda de Ordine.

Monaſteriis, ac Domibus, miniſtris, famulis, cunctiſque tam Conſervatoribus, & Officialibus, quam domeſticis, necnon quibuſvis aliis perſonis, ac Chriſti fidelibus illorum Eccleſias, ſeu Capellas, Oratoria quoque viſitantibus, necnon Confratribus, & Conſororibus tam ſupradictarum, quam aliarum quarumcunque Confraternitatum in Eccleſiis, aut Oratoriis eorundem Fratrum legitime erectarum, & inſtitutarum, vel quandocunque erigendarum, ac inſtituendarum, illiſque tam nunc exiſtentibus, quam pro tempore extituris, omnibus pariter, & ſingulis libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, præeminentiis, antelationibus, conceſſionibus, Indultis, favoribus, Indulgentiis, aliiſque prærogativis, & gratiis univerſis, & ſingulis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, ſingulis Domibus, Conventibus, Collegiis, Monaſteriis, & aliis regularibus locis, & perſonis, tam Canonicorum, quam Clericorum regularium ubivis exiſtentium inſtitutis, & non ſolum Ordinibus Monaſticis, Regularibus aliorum Mendicantium, & non Mendicantium, tam pro redimendis Captivis, quam aliis quomodolibet, Ordini Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, illiuſque Domibus, Conventibus, & Fratribus, necnon Ordini, ac etiam Congregationi Fratrum Diſcalceatorum ejuſdem Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum, ac etiam omnibus, & quibuſcunque Congregationibus Regularium, & præcipue Clericorum Regularium, etiam Miniſtrantium Infirmis, Canonicorum Congregationis Sanctiſſimi Salvatoris Lateranen., S. Salvatoris de Bononia, ac etiam Sancti Ruffi Valentiæ, & S. Crucis Colimbriæ, Clericorum Regularium de Somaſca, & Pauperum Matris Dei, & Scholarum Piarum, ipſiſque Monaſticis Congregationibus etiam Caſſinenſi, aliiſque Monachis etiam Monaſterii S. Benedicti, S. Hieronymi, Carmelitis Diſcalceatis, Conventui B. Mariæ de Guadalupe, necnon Societati Jeſu, ipſiſque Cartuſianorum, Præmonſtratenſium, & Reformatorum Ciſtercien., Servitarum, Olivetanorum Ordinibus, aliiſque Familiis, & Societatibus Regularibus, Militiis, & Hoſpitalibus quibuſcunque, & locis piis regularibus, ac quibuſcunque Perſonis nunc, & pro tempore exiſtentibus prædictorum, & quorumlibet Ordinum, Societatum, Congregationum Regularium, ac etiam Monialium, & Tertii cujuſcunque Ordinis perſonarum, ac Confraternitatum quarumcunque per Nos, & Sedem prædictam, prædictaſque S. R. E. Cardinalium Congregationes, Cardinales Legatos, Nuncios, alioſque ejuſdem Sedis Miniſtros, quavis auctoritate, aut ratione, Motu proprio, & ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, etiam iteratis vicibus conceſſis hactenus, vel confirmatis, aut approbatis, & quibus illi tam in vita, quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remiſſiones, & injunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut alias quomodolibet de Jure, uſu, aut privilegio, vel conſuetudine quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, quamvis illa ſint ſpeciali nota digna, difficiliſque conceſſionis, & quæ in generali conceſſione non veniunt, & non obſtantibus clauſulis annullativis, caſſativis, exceptivis, ac etiam communicationis prohibitivis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, non ſolum per participationem, communicationem, illorum extenſionem, & illorum ad inſtar, ſed ſpeciatim, nominatim, pariformiter, & æque principaliter in omnibus, & per omnia, abſque ulla prorſus differentia, perinde ac ſi prædicto Ordini Prædicatorum, ejuſque Magiſtro Generali, Generali Procuratori, Capitulis Generalibus, Provincialibus, Definitoribus, aliiſque Superioribus, ac Fratribus, Monialibus quoque, ac etiam Tertii Ordinis Perſonis ſpecialiter, expreſſe, & nominatim, ac per viam, & modum ſimplicis, & individuæ, ac particularis, & ſpecialis conceſſionis, Motu proprio, & ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, aut communicationis, & ampliationis, conceſſa fuiſſent, quatenus tamen Concilii Tridentini Decretis, & huic noſtræ Conſtitutioni non contrarientur expreſſe, ut ſupra, niſi forte in ipſis adhuc, & in præſenti eadem Conſtitutione reperiretur derogatio aliqua, excluſio, limitatio, reſtrictio, exceptio, aut alia quævis modificatio Privilegii in quocunque genere amplioris, alicui de reliquo ex nuperrime recitatis a Sede prædicta conceſſi, nec revocati, aut ſub aliqua revocatione comprehenſi, ſive quandocunque per eandem concedendi, quo in caſu pro ipſo Ordine, & ad eum, ut ſupra, ſpectantibus in omnibus, & per omnia quoque ſubſiſtere abſque ulla prorſus differentia, ut prædictum eſt, pariformiter declaramus, ſancimus, & volumus, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant.

Privilegia etiam difficilis conceſſionis alteri cuicunque quomodocunque indulta, pariformiter, & æque principaliter conceduntur.

XXXI. *Avocantur, & extinguuntur quæcunque deſuper lites.*

§. 78. Ac demum, ut Ordo ipſe Fratrum Prædicatorum, illiuſque Magiſter Generalis, Provinciales, Priores, aliique Superiores, Fratres, Famuli, & Perſonæ quæcunque ab Ordine ipſo, ut præfertur, quomodolibet dependentes, nunc & pro tempore exiſtentes, omnium, & ſingulorum a Nobis, ut præfertur, approbatorum, confirmatorum, extenſorum, innovatorum, & de novo etiam conceſſorum pacifica in poſſeſſione, ſeu quaſi a data præſentium conſtituantur, conſtitutique ſint, & eſſe cenſeantur, omnes, & quaſcunque lites, & cauſas, ſi quæ ſint, quarum omnium, & ſingularum reſpective ſtatus, & merita eiſdem præſentibus haberi volumus pro expreſſis ſuper præmiſſis, ſeu illorum aliquo inter Fratres prædictos ex una, & quoſcunque alios ex altera partibus, in quocunque judicio coram quocunque Judice quavis etiam Apoſtolica ſibi delegata auctoritate fungente, & in quacunque inſtantia quomodolibet nunc pendentes, ad Nos avocantes Apoſtolica auctoritate, Motu, ac poteſtatis plenitudine prædictis penitus extinguimus, & extinctas eſſe volumus, omnimodumque ſilentium perpetuo imponimus.

XXXII. *Clauſulæ præſervativæ.*

§. 79. Decernentes omnia, & ſingula præmiſſa a Nobis, ut præfertur, confirmata, approbata, innovata, extenſa, de novo conceſſa, & indulta, eaſdemque præſentes ſemper, & perpetuo, tanquam Divini Cultus, & bonorum operum augmentum, Religioniſque propagationem reſpicientia, valida, & efficacia, ac validas, & efficaces eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus perpetuo ſortiri, & obtinere, & ab omnibus firmiter, atque inviolabiliter obſervari, nec ab illis ullo unquam tempore, quovis prætextu, occaſione, vel cauſa reſiliri, aut recedi, neque de nullitatis, obreptionis, ſubreptionis vitio, & intentionis noſtræ defectu notari, impugnari, vel retractari, nec adverſus illas quodcunque juris, vel facti remedium, nec etiam oris aperitionem impetrari unquam poſſe, neque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum, privilegiorum, indultorum revocationibus, limitationibus, ſuſpenſionibus, de-

derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, Sedemque prędictam, ſub quibuſvis tenoribus, & formis, ac ſub quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis minime confundi, vel comprehendi poſſe, niſi de toto earundem pręſentium tenore, & data expreſſa mentio, nihil penitus omiſſo, habita, & revocatio, derogatio, ſuſpenſio, limitatio, reſtrictio, & alia quęcunque contraria diſpoſitio Magiſtro, & Procuratore Generalibus pro tempore dicti Ordinis expreſſe, diſtinctim, ac nominatim intimatis, iiſque per trinas diſtinctas literas Apoſtolicas tribus diverſis vicibus cum temporis competentis intervallo ad id ſpecialiter vocatis factę fuerint, & ſi aliter derogari, revocari, ſuſpendi, limitari, reſtringi contingat, hujuſmodi derogationem, revocationem, ſuſpenſionem, limitationem, & reſtrictionem, nullius eſſe roboris, & momenti, & quoties illę emanabunt toties in eorum priſtinum, & validiſſimum ſtatum ſub quacunque etiam poſteriori data per Magiſtrum Generalem, & Fratres pro tempore exiſtentes prędictos eligenda reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, & de novo etiam conceſſas eſſe, & fore, ac vim validi, & efficacis contractus, etiam cum juramento inter Nos, & Sedem prędictam, ac Magiſtrum Generalem, & Fratres prędictos initi habere.

§. 80. Sicque, & non alias, per quoſcunque judices ordinarios, vel delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac etiam S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictęque Sedis Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, interpretandi, & definiendi facultate, & auctoritate, in quavis cauſa, vel inſtantia judicari, ſententiari, & definiri debere, necnon quidquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus, & declaramus. Decretum irritans.

§. 81. Quoniam vero quouſque divinę providentię placuerit Nos in humanis tolerare, nolumus plane protectionem Nobis dilectiſſimi Ordinis alicui cedere, mandamus ſubinde futuris pro tempore Protectoribus Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalibus, enixeque in Domino hortamur, ut pro plena noſtrę hujus Conſtitutionis executione apud Pontifices totis viribus, zelanterque advigilent, atque procurent. XXXIII. Executio commiſſa futuris Ordinis Protectoribus.

§. 82. Executionem vero contentorum in pręſentibus noſtris literis committimus, & mandamus univerſis, & ſingulis venerabilibus Fratribus Apoſtolicę hujus Sedis Legatis, Nunciis, & Internunciis pro tempore exiſtentibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis cauſarum Curię Camerę Apoſtolicę Generali Auditori, Abbatibus, Prioribus, & aliis quibuſcunque perſonis in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem pręſentes, & in eis contenta quęcunque ubi, & quando opus opus fuerit, ac quoties ſuper hoc pro parte Magiſtri Generalis, & Fratrum nunc, & pro tempore exiſtentium, aut alicujus eorum requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, eiſque, & eorum cuilibet in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio adſiſtentes, faciant auctoritate noſtra firmiter obſervari, eoſque, & quemlibet eorum illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos, aut eorum quempiam per quoſcunque contra earundem pręſentium tenorem deſuper quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pęnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Aliorum Executorum deputatio, & facultas.

§. 83. Non obſtantibus priori voluntate noſtra, ac noſtris, & Cancellarię Apoſtolicę regulis de non tollendo jure quęſito, ac pię memorię Bonifatii Papę VIII pariter Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Dięceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Dięceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices a Sede Apoſtolica deputati contra quoſcunque procedere, ſeu alii, vel aliis vices ſuas committere pręſumant, ac in Concilio Generali edita de duabus dictis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate pręſentium ad judicium non trahatur, & quibuſvis univerſalibus, provincialibus, & ſynodalibus Conciliis, vel aliis Apoſtolicis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon prędicti, aliorumque Ordinum Regularium quorumcunque etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conventionibus, ac etiam immemorabilibus conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſvis perſonis, & locis in genere, vel in ſpecie ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, ac etiam conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, & aliorum quorumcunque Principum inſtantiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, alias de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, latiſſime, & pleniſſime, ac ſpecialiter, & expreſſe, harum ſerie hac vice duntaxat, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, derogamus. Aut ſi aliquibus communiter, aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. XXXIV. Clauſulæ derogatoriæ.

§. 84. Volumus autem, quod ipſarum pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, alicujus in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę perſonę ſigillo, & Notarii manu obſignatis, vel etiam ſaltem extra Italiam, ſigillo, & ſubſcriptione Magiſtri Ordinis, aut Provincialium pro tempore ejuſdem Ordinis munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quę adhiberetur pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. XXXV. Quibus tranſumptis habenda fides.

§. 85. Nul-

Sanctio pœnalis. §. 85. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, extenſionis, innovationis, conceſſionis, extinctionis, impoſitionis, indulti, decreti, declarationis, commiſſionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Setiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Septingenteſimo Vigeſimo Septimo, Septimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

P. Cardinalis Prodatarius.

x. Reſid. Gratis de Mandato Sanctiſſimi.

I. Petraglia.

N. Soderinus.

I. C. Pelucchius.

A. Caraffa Cap.

I. B. Caucclus.

Phil. Maſuccius Cap.

F. de Felicibus Cap., & Secretarius.

*F. Moral*dus Reſid. Gratis de Mandato Sanctiſſimi *G. Zizzius.*

Viſa F. Sinibaldus.

I. S. Villa.

Loco ✝ Plumbi.

Regiſtrata in Camera Apoſtolica.
Pro D. Antonio Cajetano Froſio Cam. Apoſt. Secretario.
Antonius Petruccius Conſecretarius.

INDEX

§. 1. *Proœmium-*
Motiva Conſtitutionis.

I.

Societas Nominis Jeſu.

§. 2. *Indulgentia pro Societate Nominis Jeſu.*
Ubi reperiuntur Eccleſiæ Ordinis in ipſis ſolis hæc Societas eſſe debet.
Soli Magiſtro Ordinis, aut Vicario Generali aſſeritur facultas ejuſcemodi Societates fundandi.

II.

Societas Sanctiſſimi Sacramenti.

§. 3. *Indulgentiæ pro Confraternitate Sanctiſſimi Corporis Chriſti.*

III.

Roſarium B. M. V.

§. 4. *Indulgentiæ pro Societate SS. Roſarii.*
Super quibus caſibus, & votis, & quinam Confeſſarii Ordinis poſſunt cum Roſarii Confratribus, & Conſororibus abſolvere, & commutare?
Rudiores ſola devota recitatione Roſarii Indulgentias prædictas lucrari poſſunt.
§. 5. *Indulgentia Plenaria viſitantibus Capellam Roſarii infra Octavam, vel in ipſa Octava ejuſdem.*
Viſitanda Capella, non Statua.
§. 6. *Nova Roſaria interdicuntur.*
§. 7. *Miſſa Privilegiata Roſarii.*
§. 8. *Solius Magiſtri Ordinis, aut Vicarii Generalis facultas privativa, inſtituendi Societates Roſarii, facta eidem Magiſtro certa facultate pro Regionibus Occidentalibus, & Orientalibus ſubdelegandi alios in Ordine, ad ibidem illas, ſicut & alias Societates inſtituendas.*
§. 9. *Pro fundandis Societatibus non requiritur diſtantia alias ſancita.*

IV.

Cruceſignati, & Miniſtri S. Officii.

§. 10. *Indulgentiæ pro Societate Cruceſignatorum, & Miniſtrorum S. Officii.*

V.

Societas Militiæ Angelicæ.

§. 11. *Indulgentia pro Societate Militiæ Angelicæ Cinguli Sancti Thomæ.*
Feſtum ejus præcipuum.

Omni-

Unitur eidem Societas Academiæ Studentium S. Thomæ.
Magiſtri Ordinis, & Vicarii Generalis facultas privativa, eam Societatem ubique fundandi.

VI.

Eccleſiæ, Societates, & Habitus benedictus.

§. 12. *Indulgentiæ pro Eccleſiis Ordinis, Societatibus, & Habitu benedicto ejuſdem Ordinis.*

VII.

Congregationes Secularium.

§. 13. *Regulæ pro Congregationibus Secularium, ſpectantium ad Societates erectas in Eccleſiis Ordinis.*
Diſpoſitio circa Bona earundem Societatum.
Motiva ejuſdem Ordinationis.
Fratres in poſterum nullam ejuſcemodi Congregationem introducere audeant.
Congregationum debita obedientia erga Fratres Ordinis.
§. 14. *Privantur refragantes gratiis ſpiritualibus Societatis eorum.*
Diſſolvendæ Congregationes refragantes, & modus diſſolutionis peragendæ.
§. 15. *Regulæ pro Societatibus in locis, in quibus novos Conventus erigi contingat.*

VIII.

Proceſſiones.

§. 16. *Proceſſio Corporis Chriſti Dominica infra Octavam Feſti ejuſdem.*
§. 17. *Proceſſio Roſarii prima Dominica Octobris.*
§. 18. *Eadem Proceſſio in alios dies translata.*
§. 19. *Proceſſio ſolemnis Nominis Jeſu.*
§. 20. *Proceſſiones Roſarii, & Nominis Jeſu extra Clauſtra.*
§. 21. *Ex prædictis Proceſſionibus nullum conſequitur præjudicium Parochorum juriſdictioni.*
§. 22. *Proceſſiones ad quas Fratres accedere tenentur.*

IX.

Altaria Privilegiata.

§. 23. *Explicatio Indulti pro Altaribus Privilegiatis.*

X.

Translatio Indulgentiarum.

§. 24. *Quando transferuntur Feſta Ordinis, transferantur etiam Indulgentiæ.*

XI.

Facultas ad abſolvendum.

§. 25. *Facultas Superiorum Ordinis abſolvendi eorum ſubditos.*
§. 26. *Regula pro Confeſſariis ſecularium.*
§. 27. *Facultas Confeſſariorum Ordinis circa adſcriptos, & non adſcriptos Societatibus in Eccleſiis Ordinis erectis.*
§. 28. *Confeſſarii Ordinis ſemel approbati ab Epiſcopo examinari iterum non debent, neque omnes a Confeſſionibus ſimul arceri poſſunt.*

XII.

Concionatores.

§. 29. *Facultas, & privilegia prædicandi.*
§. 30. *Libera promotio devotionis præcipue Roſarii in Eccleſiis Ordinis ſine Ordinarii licentia.*
§. 31. *Privilegia Miſſionariorum.*

XIII.

Famuli, aliique.

§. 32. *Privilegia Famulorum, & eorum, qui infirmantur, aut moriuntur in Conventibus Ordinis.*

XIV.

Benedictio Eccleſiarum &c.

§. 33. *Facultas Prælatorum Ordinis benedicendi Veſtes Eccleſiaſticas, Eccleſias &c.*

XV.

Ordinatio.

§. 34. *Fratres Ordinis ordinari poſſunt extra Tempora.*

XVI.

Juriſdictio in Moniales.

§. 35. *Juriſdictio Spiritualis Superiorum, & Confeſſariorum Ordinis pro excipiendis ſibi ſubjectarum Monialium confeſſionibus.*
§. 36. *Facultas prædicandi ſubjectis ſibi Monialibus.*
§. 37. *Adminiſtratio temporalis.*
§. 38. *Juriſdictio Superiorum Ordinis circa clauſuram.*
§. 39. *Moniales inobedientes libere dimitti poſſunt.*
§. 40. *Moniales, & Fratres Novitii poſſunt in mortis articulo profiteri.*

XVII.
Doctrina S. Thomæ.

§. 41. *Commendatio Doctrinæ S. Thomæ.*
Contra ejuſdem calumniatores defenſio.

XVIII.
Laurea in Theologia.

§. 42. *In præcipuis totius Ordinis ſtudiis ſecularibus S. Thomæ diſcipulis Laurea in Sac. Theologia dari poteſt.*

XIX.
Facultates Superiorum.

§. 43. *Magiſtri Ordinis facultas conferendi Gradus ſuis Fratribus.*
§. 44. *Ejuſdem, & Provincialium poteſtas creandi certos Notarios.*
§. 45. *Ejuſdem, aliorumque Superiorum, Provinciarum quoque, & Monaſteriorum indulta confirmantur.*

XX.
Tertius Ordo.

§. 46. *Tertii Ordinis S. Dominici privilegia innovantur.*
§. 47. *Verus Ordo declaratur, & ejus Regula confirmatur.*
§. 48. *Auctoritas Magiſtri Ordinis ſuper Tertiarios utriuſque ſexus.*
Temporalium bonorum adminiſtratio, etiam pro Monialibus.
§. 49. *Tertiariorum obedientia Magiſtro Ordinis.*
§. 50. *Magiſtri Ordinis cura pro Tertiariis.*
§. 51. *Motiva declarationum.*
§. 52. *Exemptio a juriſdictione Ordinarii.*
§. 53. *Ætas recipiendarum ad Habitum, & Profeſſionem.*
§. 54. *Habitus earundem.*
§. 55. *Collegialiter viventes non tenentur ad clauſuram, neque ad tria vota.*
§. 56. *Perſonæ Tertiariæ Sacramenta ſuſcipere, earumque cadavera ſepeliri per ſolos Fratres Ordinis debent.*
Regula pro Fratribus, & Tertiariis extra clauſtra, & domos decedentibus.
§. 57. *Fratres ad perſonas Tertiarias etiam Euchariſtiam, & earum cadavera ad Eccleſiam Ordinis deferre licite debent.*

XXI.
Regimen Ordinis.

§. 58. *Adverſus Fratres recurrentes ad extraneos.*
§. 59. *Solæ leges Ordinis ſervandæ in correctionibus.*
§. 60. *Appellationes inordinatæ prohibentur.*
§. 61. *Miniſtri S. Sedis irregulares ad ſe recurſus, & appellationes Fratrum rejicere debent.*

XXII.
Habitus Ordinis.

§. 62. *Habitus Ordinis quibus, & quomodo permiſſus.*
§. 63. *Habitus albus permittitur extra clauſtra Fratribus Prædicatoribus juxta eorum Conſtitutiones.*

XXIII.
Præcedentia.

§. 64. *Præcedentia immediata poſt Ordines Monachales.*

XXIV.
Exemptio ab oneribus.

§. 65. *Exemptio a quibuſvis oneribus, cum aſſignatione congruæ in impoſitis pro urgentiſſima cauſa.*

XXV.
Taxa Seminarii.

§. 66. *Exemptio a Taxa Seminarii.*

XXVI.
Quarta funeralis.

§. 67. *Declaratio circa Quartam funeralem pro Italia.*

XXVII.
Sepultura.

§. 68. *Privilegia circa Sepulturam extraneorum.*
Diſpoſitio pro cadaveribus Fratrum, aliorumque, de quibus ſeorſim ſupra.
§. 69. *Libera extraneis electio Sepulturæ apud Fratres. Et quomodo de ea conſtet.*
§. 70. *Mandatur, ne Parochi etiam indirecte eam libertatem impediant.*
§. 71. *Soli Parocho præmortui ſolvenda emolumenta.*
§. 72. *Parocho intimato, nec accedente, Fratres debent cadaver per viam ſibi beneviſam recta deferre.*
§. 73. *Regula pro Crucis erectione, delatione ſtolæ, & ingreſſu in Eccleſias in Proceſſionibus funebribus.*
§. 74. *Quæ ſint probibita, & quomodo permiſſa Parocho celebratio exequiarum in Eccleſiis Ordinis.*

XXVIII.

Decimæ Canonicæ.

§. 75. *Exemptio a Decimis Canonicis.*

XXIX.

Indulta a S. Pio V.

§. 76. *Confirmantur ampliores conceſſiones S. Pii V, & reducuntur ad terminos Concilii Tridentini (juxta ejuſdem interpretationem) & hujus Conſtitutionis.*

XXX.

Cetera quævis Privilegia.

§. 77. *Confirmatio Generalis aliorum Privilegiorum.*
Extenſio Privilegiorum intra Ordinem.
Communicatio in Privilegiis cum aliis.
Mentio expreſſa facienda de Ordine.
Privilegia etiam difficilis conceſſionis alteri cuicunque, quomodocunque indulta, pariformiter, & æque principaliter conceduntur.

XXXI.

Lites extinctæ.

§. 78. *Avocantur, & extinguuntur quæcunque deſuper lites.*

XXXII.

Præſervatio.

§. 79. *Clauſulæ præſervativa.*
§. 80. *Decretum irritans.*

XXXIII.

Executio.

§. 81. *Executio commiſſa futuris Ordinis Protectoribus.*
§. 82. *Aliorum executorum deputatio, & facultas.*

XXXIV.

Derogatio.

§. 83. *Clauſula derogatoria.*

XXXV:

Tranſumpta.

§. 84. *Quibus tranſumptis habenda fides.*
§. 85. *Sanctio pænalis.*

1. *Privilegia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo.*

2. *Archivo.*) In quó autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXVII.*

De recitando Officio S. Philippi Nerii.

Anno 1727 Die 7 Junii.

DECRETUM.

Ordinis Prędicatorum.

LXXX.

Ex Archivo (1) Ordinis.

SAnctiſſimus Dominus Noſter Benedictus XIII ob inſignem devotionem, qua tum ſingulariter Sanctitas Sua, tum totus Sacer Prędicatorum Ordo profitetur erga S. Philippum Nerium, qui ipſum, dum viveret, peculiari dilectionis affectu proſequebatur, benigne indulſit, atque conceſſit, ut in poſterum ab omnibus Fratribus, & Monialibus prędicti Ordinis Prędicatorum die XXVI Maii Officium S. Philippi Nerii totum duplex, juxta proprium ipſius Ordinis Ritum recitari, & celebrari debeat. Et ita decrevit, ac ſervari mandavit. Die VII Junii MDCCXXVII.

N. Cardinalis Coſcia.

Loco ✝ ſigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Congr. Secr.

1. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXVII.*

Anno 1727
Die 14 Junii.

LXXXI.

De Archivis in Italia erigendis.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

I. Archivorum eccleſiaſticorũ neceſſitas.

MAxima vigilantia, quam majores noſtri in rerum ſuarum monumentis ad poſterorum memoriam retinendis ſemper adhibuerunt, adeo teſtata, & paſſim Literis tradita eſt, ut noſtris verbis prędicari minime egeat; nihil enim frequentius in veterum Patrum ſcriptis, Sacriſque Conciliorum, & Eccleſię Sanctionibus legitur, quam Scrinia, Tabularia, Archiva, Conditoria, & Armaria, a temporum atque hominum injuria ſervandis rerum geſtarum documentis, chartis, diplomatibus, Codicibus, Inſtrumentiſque, conſtructa; unde fides, & veritas rerum ad Succeſſorum recordationem tranſmitti poſſet. Nec tantum veteres quidem Romani Pontifices Anteceſſores noſtri ſingularem hanc Providentiam in cuſtodiendis ejuſmodi Actis, & monumentis identidem oſtenderunt; ſed ceterarum quoque Eccleſiarum Paſtoribus tantę rei gravitas maxime innotuit, proptereaque rerum ſibi creditarum Teſtes Literas ad inſtructionem futurorum ſumma fide ſervari voluerunt, quippe qui probe noſſent quantę, inde utilitates manarent. E recentioribus Eccleſiaſticę Diſciplinę Reparator Inſignis, Beatus Carolus Borromęus S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis in Concilio Provinciali I non uni ſuę, ſed ceterorum etiam Antiſtitum Eccleſiis, Sacrę ſuę Metropoli contributis, ſumme cavit ob illarum Jura ſarta tecta ſervanda de Archivis, & Tabulariis in ſingulis Epiſcopis ſpeciatim erigendis, peculiares Canones & Sanctiones promulgari ſtatuens, quod, & nos tam gravem, & Piam Diſciplinam prę oculis habentes, olim in Concilio noſtro Provinciali I Beneventano, Deo favente, ſtatuimus, majorum exempla ſecuti, qui in ſuis Conſtitutionibus non ſolum Romę, ſed precipue in univerſis Regionibus, & Civitatibus, Beati Petri Apoſtolorum Principis Temporali Imperio ſubjectis, Archiva, & Tabularia erigi juſſerunt, ne Scripturę ad res publicas attinentes diſpergerentur.

II. Ex neglectis Eccleſiarum Archivis multa damna proveniunt. Conſt. CXXI.

Quum vero ad aures noſtras rumor pervenerit, in multis Epiſcopatibus, & Eccleſiis rem tam providam, utilemque non ſine privato, & publico damno negligi: quod niſi opportuno remedio tollere ſatagamus, incommoda Eccleſiarum facile in immenſum creſcent; Nos ex debito Paſtoralis Officii Conſtitutionem a Pio V Anteceſſore noſtro pro Archivis Sedium Epiſcopalium utriuſque Sicilię olim vulgatam, & fraudes, ac ſubreptiones Scripturarum, quę tempore Sedium Vacantium perpetrabantur, etiam reſpicientes, neceſſarium putavimus nonnullas alias Ordinationes, & Statuta his noſtris Apoſtolicis Literis, perpetuum robur habituris, edere tenoris ſequentis, videlicet:

III. Omnes Præſules Italiæ Archiva intra ſex menſes conſtrui curent.

Ut omnes Patriarchę, Metropolitę, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prelati inferiores, Ordinarii Locorum, nullius Diœceſis, Juriſdictionem Epiſcopalem exercentes, in tota Italia, eique adjacentibus Inſulis, qui in ſuo Palatio Epiſcopali locum tutum, nec cuivis facile adeundum, pro ſervandis in eo Scripturis ad Dignitatem, & Juriſdictionem Epiſcopalem ſive Ordinariam, Menſam, & Forum ſuę Curię pertinentibus, non habent, ſtatim de loco tantę rei deſtinando ſerio cogitent, in quo loco, tuto, congruo, non humeſcenti, unde Scripturis ipſis lapſu temporis pernicies ulla inferatur, loculi, plutei, & armaria, recipiendis Scripturis, & Codicibus apta, ſecundum inſtructionem Italicam, inferius ſubjiciendam, diſponantur, & diligenter clauſa cuſtodiantur. Quoad Archiva, & Tabularia olim erecta, iidem Prelati pro ſua vigilantia eorundem Statum ſedulo recognoſcant, illorum aptę capacitati, atque Ordini, juxta ſupradictam inſtructionem, ut quoad fieri poteſt, ſtructura, & diſpoſitio omnium Archivorum ſit uniformis, intra ſex Menſes poſt harum publicationem, proviſuri.

IV. Univerſa Capitula idem curent.

Hic idem terminus ſex Menſium injungitur quibuſcunque Capitulis Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum, tam inſignium, quam non inſignium, ut locum opportunum, juxta modum jam indicatum diſponant in aliqua manſione cathedralis vel collegiatę Eccleſię, ubi commode ſerventur, & cuſtodiantur ſcripturę, jura & ſtatum eorundem capitulorum reſpicientes. Seorſum vero armarium habeatur pro ſcripturis, ad jura & ſtatum particularem Eccleſiarum cathedralium, & collegiatarum attinentibus. Volumus enim, ut archiva capitulorum ab illis, quę ſunt Eccleſiarum cathedralium; & collegiatarum omnino diſtinguantur; ideoque in proſpectu, & facie ſive anteriori parte cujuſcunque archivi ſive armarii, exterius ſcribatur cujuſnam ſit illud archivum, an ſcilicet Eccleſię, an vero capituli.

V. Omnes ſuperiores Regulares, Collegia, & loca pia utriuſque ſexus idem curent.

Hęc obſervanda etiam pręcipimus a quocunque Abbate, Priore vel Superiore regulari cujuſcunque ordinis, etiam mendicantium, etiam Societatis Jeſu, vel cujuſcunque inſtituti, etiam ſpeciali nota digni, necnon hoſpitali, beati Johannis Hieroſolymitani, ſcilicet pro diſpoſitione, conſtructione, ſeu conſtitutione archivi in loco apto, modo, quo ſupra, intra clauſtra proprię domus, monaſterii, ſeu conventus: idemque omnino executioni mandandum curent Abbatiſſę, vel Prioriſſę, & Superiores cujuſcunque monaſterii monialium, & ſacrarum Virginum, domuumque piarum mulierum, quę conſervatoria appellantur, queque per hęc ſcripta non intendimus approbare. Similiter hęc eadem conſtitutio noſtra in conſtruendis, & cuſtodiendis archivis obſervetur ab Eccleſiis receptitiis, collegiis, ſeminariis, convictibus, congregationibus, confraternitatibus, hoſpitalibus, montibus pietatis, aliiſque locis piis cujuſcunque generis, & quocunque nomine cenſeantur, ſub adminiſtratione rectorum, miniſtrorum & officialium temporaneorum, ſive perpetuorum exiſtentibus.

VI. Catalogus ſcripturarum conficiatur.

Omnes jamdicti Patriarchę, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ordinarii locorum & Superiores regularium utriuſque ſexus, ut ſupra, poſtquam congeſſerint & clauſerint vel diſpoſuerint ſcripturas in archivo extructo vel extruendo, omni diligentia, & ſollicitudine earundem catalogum, & inventarium conficiendum, & cum brevi ſingularum ſcripturarum ſynopſi, & lemmate, vel ſummario deſcribendum cu-

curent. Epiſcopi & Ordinarii eundem catalogum & inventarium a Notario ſeu Cancellario Curię Epiſcopalis vel ordinarię, aut, eo impedito, ab alia perſona, per eum ſubſtituenda, confici curent coram ſeipſis, ſeu Vicario generali, vel alia perſona ab iiſdem ſubſtituenda, idemque catalogus & inventarium ab eodem Notario ſeu Cancellario ſingulis paginis ſubſcribatur. Catalogus vero in fine totius operis a Prelato, poſtquam ipſe accurate, & ſedulo recognoverit ſingulas paginas diligenter conſcriptas, fideliterque a Notario ſeu Cancellario proprię Curię, vel a perſona ei ſubſtituta, exaratas, ſubſcribatur. In ſeminariis autem Epiſcopalibus archivum, ut ſupra, erigatur, & inventarium ſcripturarum per publicum Notarium, ab Epiſcopo, ſive Ordinario eligendum, qui non ſit Cancellarius Curię Epiſcopalis, ſive ordinarię, conficiatur coram Vicario Generali, aut alia perſona eccleſiaſtica, a prędictis Ordinariis ſubſtituenda, & coram uno ex deputatis ſeminarii, ad horum beneplacitum, etiam alternis vicibus, cum ſubſcriptione illius, qui eidem confectioni interfuerit, ut ſupra.

VII. Catalogi archivorum, Cathedralium Collegiatarum, & Monaſteriorum a quibus conficiendi.

Catalogus, & inventarium archivi capitulorum Eccleſiarum Cathedralium & collegiatarum, per Archiviſtam, ut inferius dicetur, a capitulo eligendum, conficiatur coram duobus Canonicis antiquioribus, & peritioribus cathedralis, & collegiatę eo ordine, & ſubſcriptione, quam ſupra memoravimus. Inventarium tamen & catalogus archivi Eccleſiarum cathedralium, & collegiatarum, diſtincti ab archivo capituli, per hominem a proprio Epiſcopo ſive Ordinario deputatum, coram Vicario generali, vel perſona eccleſiaſtica, ab ipſis Ordinariis eligenda, necnon coram Canonico antiquiore Eccleſię cathedralis, vel collegiatę, appoſitis ſubſcriptionibus eorundem conficiatur, ut ſupra. Inventaria, & catalogi ſcripturarum, quę in archivis monaſteriorum & locorum regularium ſervantur, eodem, quem diximus, ordine conficiantur per archiviſtam regularem ipſius monaſterii ſeu conventus, ut inferius, eligendum, & coram Abbate, vel Superiore monaſterii & antiquiore ex monachis vel regularibus monaſterii, vel conventus: qui quidem Abbas, vel Superior ſuam ſubſcriptionem apponere debeat.

VIII. Catalogi archivorum in Monaſteriis Monialium, & locorum piorum a quibus conficiendi.

In monaſteriis monialium, inque domibus piis, quę conſervatoria nuncupantur, inventarium, & catalogus conficiatur & ſubſcribatur, ut ſupra, per hominem ab Epiſcopo ſive Ordinario deputatum, coram proprii monaſterii confeſſario, & Abbatiſſa, vel Prioriſſa, ſive Superiore, & Vicaria.

IX. In Eccleſiis Conventualibus, Collegiis, Seminariis, & hoſpitalibus catalogi archivorum a quibus conficiendi.

In Eccleſiis conventualibus, ſeu receptitiis, collegiis & ſeminariis, ſeorſim a ſeminariis epiſcopalibus, ut ſupra, memoratis, in convictibus, congregationibus, confraternitatibus, hoſpitalibus, montibus pietatis, aliiſque locis piis, ut ſupra, inventarium & catalogus coram primo officiali, & camerario cum eorum ſubſcriptione per Archiviſtam, ſi ibi erit, alias per virum idoneum, ab adminiſtratoribus eorundem locorum deputatum, conficietur.

X. Duo exemplaria catalogi conficiantur.

Hujuſmodi inventarii & catalogi, ſic, ut diximus, confecti, duo exemplaria inter ſe prorſus ſimilia conficiantur, quorum unum in archivo ipſo epiſcopali ſervetur, alterum apud Prelatum dięceſis, ut ſupra, antiquiorem canonicum cathedralis vel collegiatę, Abbatem, vel Superiorem monaſterii aut conventus, Abbatiſſam vel Prioriſſam, aut Superiorem monaſterii monialium, & conſervatorii, Rectorem, vel primum Officialem locorum piorum, reſpective, ut ſupra, ita tamen, ut perfuncti ſuo munere, ſucceſſoribus illud tradant.

XI. Archiva duabus clavibus, & ſeris claudantur.

Eadem Archiva duabus clavibus & ſeris inter ſe diverſis aperiantur; quarum una, quoad archiva Epiſcopalia, ſive Ordinariorum, a Prelato, ſive Ordinario ſervabitur; altera a Cancellario ſeu Notario curię epiſcopalis vel ordinarię. Archivi autem ſeminariorum Epiſcopalium una clavis ab Epiſcopo, ſive Ordinario, altera ab archivi prefecto, per Epiſcopum, ſive Ordinarium eligendo, cum conſilio deputatorum eorundem ſeminariorum, cuſtodiatur. Archivi capituli eccleſię cathedralis, vel collegiatę unam clavim ejuſdem archivi Prefectus ſervabit, aliam canonicus antiquior.

XII. Claves archivi Beneficiatorum Cathedralium, & Collegiatatum a quibus retinendæ.

Ubi mos eſt, ut Beneficiati Eccleſię Cathedralis vel collegiatę archivum habeant diſtinctum a capitulari, de more unam ejus clavim retineat Beneficiatus antiquior, alteram Beneficiatus archivi Prefectus, ſive archiviſta, ut inferius dicetur, eligendus. Ubi vero Beneficiatorum archivum una cum capitulari conjunctum haberi conſuevit, ejus claves juxta eandem conſuetudinem retineantur; ſique ab uno ex Beneficiatis retineri conſuevit, ita pariter obſervetur. Si vero Beneficiati carent archivo ſeparato, diſtincto, neque ſcripturas ad ſua jura pertinentes in archivo capitulari conſervant, tunc jubemus, atque precipimus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Ordinariis, ut archivum cum armariis ſeorſum erigendum curent, modo ſuperius memorato, ut ſcripturarum conſervationi proſpiciatur. Quoad vero particulare archivum ipſius Eccleſię Cathedralis, & Collegiatę, una ex ejus clavibus a Canonico ejuſdem Eccleſię Cathedralis, vel Collegiatę, per Epiſcopum, ſive Ordinarium deputando, altera vero ab ipſo Epiſcopo, ſive Ordinario retineatur.

XIII. Claves archivi Monaſteriorum a quibus retinendæ.

In Monaſteriis, ſeu Conventibus Regularium una ex clavibus archivi a Superiore Conventus, altera ab archiviſta retineatur.

XIV. In Monaſteriis Monialium, & piorum domuū claves archivi a quibus retinendæ.

In Monaſteriis Monialium, piiſque domibus, quę conſervatoria appellantur, una ex clavibus per Abbatiſſam, vel Priorem, aut Superiorem localem, altera per Confeſſarium Monaſterii, aut conſervatorii cuſtodiatur.

XV. In aliis locis quibus retinendæ.

In aliis locis ſupra memoratis unam archivi clavim Rector, vel primus Officialis cuſtodiat, alteram archiviſta, ut inferius, eligendus.

XVI. Quotannis catalogo archivi adjungantur ſcripturæ, anno precedenti confectæ.

Quotannis Menſe Januarii inventario, ſive catalogo ſcripturarum illę ſcripturę adjungantur, quę anno precedenti confectę, vel alias neglectę fuerunt.

Epiſcopi, & Ordinarii tempore viſitationis, ex preſcripto ſacroſancti Concilii Tridentini faciendę, archivum Epiſcopale, ſive Ordinarium omnino viſitent. Item viſitent archivum Eccleſię Cathedralis, vel Collegiatę, nimirum armaria, in quibus jura Eccleſię Cathedralis, vel Collegiatę cuſtodiuntur, & ſcripturas, ac jura eadem recognoſcant, preſentibus duobus Canonicis antiquioribus, & peritioribus capituli. Archivum ſcripturarum, quę ſtatum, & jura capituli Cathedralis tantum reſpiciunt, pariter viſitent, exploraturi, utrum ſcripturę ſint bene diſpoſitę, ſecundum inſtructionem huic noſtrę

Conſ-

XVII. Epiſcopi archiva omnino viſitent.

Conſtitutioni adjungendam, idque agant una cum duobus Canonicis antiquioribus, nec tamen poſſit Epiſcopus, ſive Ordinarius rimari ſcripturas, quę res ejuſdem Capituli reſpiciunt. Pręterea Epiſcopus, ſive Ordinarius Archivum Beneficiatorum cum duobus ex eorum numero antiquioribus pariter viſitet, diligenter obſervaturus, utrum hujus noſtrę Conſtitutionis ordinationes adimpleantur. Ubi vero Beneficiatorum Archivum cum capitulari commune eſt, in ejus viſitatione ſibi adjungat duos Beneficiatos pręter duos Canonicos antiquiores, ut illud pariter, ut ſupra dictum eſt, viſitet.

XVIII. Viſitent etiam archiva locorũ, quæ jure delegato viſitant.

Epiſcopi, & Ordinarii, quoad Archiva Eccleſiarum, aliorumque locorum, hoc ipſum agant ad tenorem hujus noſtręConſtitutionis,quam ubique obſervari curent,ita tamen,ut in iis locis,in quibus viſitationem jure ordinario peragere poſſunt,eodem jure ordinario Archiva prędicta viſitent.In locis vero in quibus iidem Epiſcopi, & Ordinarii jure delegato viſitationem peragere poſſunt, hujuſmodi etiam jure delegato memorata archiva explorare, & executionem eorum, quę hac noſtra Conſtitutione traduntur, promovere poſſint, & debeant, inque relatione ſua, tempore viſitationis ſacrorum liminum facienda, ſeparatim referant ſtatum Archivorum. Pręlati vero Nullius, ad viſitationem ſacrorum liminum non accedentes, quolibet triennio evoluto doceant Congregationem S. R. E. Cardinalium interpretum Concilii Tridentini de ſtatu Archivi, deque obſervatione hujus noſtrę Conſtitutionis, & Cardinalis Pręfectus, ubi opus fuerit, illam docere eos cogat.

XIX. Viſitatores Ordinum Regularium viſitent archiva.

Itidem Generales, Provinciales, & Viſitatores cujuſcunque Ordinis, & Inſtituti Regularis, ut ſupra, in ſuis viſitationibus, quas facient in ſingulis Monaſteriis, & Conventibus Regularium, ac Monialium ſibi ſubjectarum, peculiariter quęrant, an ſingula in hac noſtra Conſtitutione comprehenſa, adamuſſim ſervata fuerint, ac ſerventur, pęniſque in eadem contentis, inobedientes ad obſervantiam, etiam juris remediis compellant. Iidem Viſitatores ſuis Superioribus in relatione viſitationis ſtatum Archivorum in dictis Monaſteriis, & Conventibus viſitatis, a ſe repertum referant, ſeque executioni hujus Conſtitutionis, ſedulo invigilaſſe omnino doceant, pro qua executione, ubi neceſſitas tulerit, Superiorum auctoritatem implorare non deſinant. Immo in Capitulis Provincialibus, & Generalibus Superiores Conventuum, & Monaſteriorum, ſeu Provinciarum, de obſervantia hujus noſtrę Conſtitutionis, quoad Archiva erigenda, & conſervanda in ſuis Monaſteriis, ſeu Conventibus, rationem hujuſce rei exigant.

XX. In Capitulis Archiviſta eligatur.

In ſingulis Capitulis Cathedralium, ſeu Collegiatarum quotannis inter ceteros officiales, Archiviſta ex corpore Capituli eligatur. Idem pariter de Monacho, ſeu Religioſo in Monaſteriis, ſeu Conventibus Regularium agatur, ubi ceteri officiales a Conventualibus ſive a Superioribus eliguntur, qui facultatem habeant eligendi officiales eorundem Monaſteriorum, ſive Conventuum.

XXI. In locis piis Archiviſta eligatur.

In reliquis locis piis, ſive Confraternitatibus, ſuperius memoratis, ubi adeſt Collegium, inter ceteros Officiales, ab eo eligi ſolitos omnino eligatur Archiviſta pro fideli cuſtodia dictorum, reſpective, Archivorum. Ubi vero non eliguntur officiales ab Ordinario, vel deeſt Collegium, eos electurum, atque homo, Archiviſtę muneris capax, tunc Rector dicti loci pii cuſtodiat archivum, vel aliquem virum probum, & fidelem pro ejuſdem cuſtodia deputet.

XXII. Prælati, & Superiores ſcripturas archivo inferendas curent.

Pręlati, ſive utriuſque ſexus Superiores ſuę Eccleſię ſcripturas archivo inferendas curent, ſecundum inſtructionem, inferius recitandam.

XXIII. Ordinarii chartas inquiri curent inventario inferendas.

Ordinarii priuſquam inventarium archivi ſui concinnandum curaverint, ſedulo inquirant chartas, ſcripturaſque uſurpatas, alio diſtractas, atque diſperſas, quod pręſertim, Sede vacante, contingere ſolet, & quęcunque neceſſaria remedia adhibeant, ut eędem ſcripturę archivo reſtituantur, vel ubi lateant, manifeſtetur. Qui non ſunt Ordinarii, coram Ordinariis, auxilium judiciarium pręſtantibus, agant pro ſcripturarum recuperatione, inque archivum ſuum tranſlatione.

XXIV. Epiſcopus deceſſurus, vel ad longum tempus abiens, cuinam inventarium archivi, tradere debeat.

Deceſſurus, vel ad longum tempus extra Dięceſim abiens Epiſcopus, Pręlatus, ſive Ordinarius inventarium ſcripturarum archivi, ſuo ſigillo obſignatum, teneatur omnino dare proprio Confeſſario, ut alicui Superiori Regulari ejuſdem Civitatis cum ſyngrapha receptionis tradatur, juxta memoratam Pii V Prędeceſſoris noſtri Conſtitutionem. Superior autem novo electo Epiſcopo, ſeu Ordinario, vel antiquo illuc redeunti, idem inventarium tribuat, reſtituta ſyngrapha receptionis, Superiori. Si tamen obitus jamdicti Confeſſarii, vel Superioris ante novi Epiſcopi, ſeu Ordinarii electionem, ſive redditum ſupradictum evenerit, tunc inventarium, & ſyngrapha memorata Confeſſariis eorum, reſpective, adhibita ſimili cautione, tradantur, & executioni demandetur quod ipſi, morte pręventi, adimplere nequiverint.

XXV. Obeunte Prælato quid agendum de inventario archivi.

Obeunte Pręlato, capitulum antequam ad Vicarii capitularis electionem deveniat, diligenter inquirat, an inventarium ſcripturarum archivi Epiſcopalis, quod penes ſe ſervare debebat, reperiatur, agnoſcatque, an impleta fuerit prędicta noſtra diſpoſitio, qua traditio inventarii, proprio confeſſario facienda, decernitur, ut ſuperiori regulari tribuatur: quod inventarium ſi repertum fuerit, capitulum illud ſuperiori regulari, ab eo tute & fideliter uſque ad novi Pręlati electionem cuſtodiendum, tradere teneatur. Si autem idem inventarium repertum minime fuerit, neque conſtiterit, fuiſſe traditum modo, quo ſupra; tunc debeant duo antiquiores Canonici archivi claves penes ſe ſuſcipere, idemque archivum coram duobus teſtibus presbyteris non capitularibus, ſuis propriis ſigillis exterius munire, itaut clavibus minime reſerari poſſit. Nec capitulum vel Vicarius capitularis ejuſdem archivi ſigilla diſrumpere, aut reſerare audeant, aut poſſint, niſi prius iidem duo canonici antiquiores, fractis ſigillis & aperto archivo coram duobus presbyteris non capitularibus, ſcripturas ipſas contulerint cum inventario authentico, quod juxta noſtram hanc diſpoſitionem in eodem archivo ſervandum eſt. Si vero minime repertum fuerit inventarium in archivo, jamdicti duo canonici teneantur manu publici notarii accurate duplex inventarium ſcripturarum archivi, ut ſupra, conficere, quorum unum in archivo ſervetur, alterum Superiori regulari, ut ſupra, tradatur: alias ſi hujus noſtrę Conſtitutionis & diſpoſitionis tranſgreſſores extiterint, & archivum reſerare pręſumpſerint, pręter pęnas generales, inferius im-

imponendas, tam capitulum, quam Vicarius capitularis obſtricti ſint cuicunque detrimento, quod inde evenire contigerit, parti, & Fiſco ob ſcripturas, ex archivo ſubreptas; necnon aliis pęnis, arbitrio ſucceſſoris Epiſcopi, ſeu Ordinarii ſubjaceant.

Poſt obitum Epiſcopi, claves archivi apud duos Canonicos, a capitulo deputandos, remaneant, nec Commiſſario Apoſtolico, ſede vacante, ullo pacto tradantur; ſed tantum permittatur, ut ille una cum canonicis deputatis, in archivo ſcripturam aliquam, ſuę commiſſioni neceſſariam, ſcrutari poſſit; inde tamen nullam transferat; cum novus Epiſcopus a capitulo ſcripturarum ex archivo Epiſcopali translatarum, omniumque ad Eccleſiam, ſeu menſam Epiſcopalem pertinentium, rationem exigere debeat, ex Concilio Tridentino ſeſſ. xxiv cap. xvi de Reformatione. XXVI. Mortuo Epiſcopo quid de archivi clavibus agendum.

Ex archivis non liceat efferre ſcripturas ſine Pręlati vel Superioris facultate illas exſcribendi, eaſdemque poſt triduum in ſuum locum reſtituendi, ubi ſyngrapha receptionis, triduano tempore limitata, reponatur. Hanc ſyngrapham ſcripturas recipiens, ſua manu in codice ad hoc retinendo in eodem archivo, ſubſcribat; Ordinariis tamen locorum reſervata facultate prorogationis temporis, quę moderate concedatur. XXVII. De ſcripturis ex archivo extrahendis.

Ad proceſſus quacunque occaſione poſtulante facile inveniendos, volumus, ut Notarii, Tabelliones, & Actuarii unius menſis ſpatio ab expeditione cauſarum, Archiviſtę eoſdem proceſſus quoſcunque, criminales, civiles, & quamcunque rem continentes, eccleſiaſticam vel temporalem, tradere teneantur, per eum in archivo reponendos, atque ſervandos, quos pariter inventario ſcripturarum ſingulatim recenſebit ſub pęna tranſgreſſoribus privationis officii, & futurę ad id obeundum inhabilitatis pręter alias pęnas, in hac Conſtitutione ſancitas. Ubi archiviſtas, & ſcripturarum cuſtodes mutari contigerit, hi ſucceſſoribus ſuis omnes ſcripturas, per publicum documentum inde confectum, exhibeant: alias hi ęque ac ſucceſſores de ſcripturis deficientibus rationem reddant. XXVIII. Proceſſus tradendi archiviſtæ, qui ſucceſſoribus ſuis ſcripturas exhibeat.

Denique, ut proſpiciatur conſervationi ſcripturarum, ad Eccleſias, parochias, capellanias, altaria, loca pia & cauſas quoque pias pertinentium, quę per collationem vel nominationem, ſeu pręſentationem canonicam, vel quocunque alio modo reguntur & adminiſtrantur per virum eccleſiaſticum vel ſecularem, non vero per collegium, & propterea difficilius eſt archivum, ſecundum jamdictam Inſtructionem formatum conſtituere, volumus ut Ordinarii in ſuis viſitationibus pro ſuo arbitrio, & prudentia eidem ſcripturarum conſervationi provideant, erectionem archivi fieri mandantes, regulaſque pręſcribentes, quas rei aptiores fore cognoverint, ſubjectę Inſtructioni, ſe conformare pro opportunitate curantes. XXIX. Ordinarii provideant conſervationi ſcripturarum Parochiarum, & locorum piorum.

Omnium, & ſingulorum hactenus expoſitorum executionem ſub pręcepto ſanctę obedientię quibuſcunque, ut ſupra, perſonis, reſpective, injungimus, ab iiſque ſervari volumus, & mandamus; immo rurſus Patriarchis, Metropolitanis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Ordinariis, habentibus uſum pontificalium, ſub pęna ſuſpenſionis ab eorum uſu, arbitrio Summi Pontificis; Capitulis autem Eccleſiarum cathedralium, & collegiatarum ſub pęna interdicti; reliquis eccleſiaſticis ſecularibus in ſacris conſtitutis ſub pęna ſuſpenſionis a divinis: Regularibus utriuſque ſexus, ſuſpenſionis ab officio, & privationis vocis activę, & paſſivę; ſecularibus ſub pęna excommunicationis majoris; quarum cenſurarum & pęnarum abſolutio, & relaxatio reſervetur Romano Pontifici. XXX. Horum executio quibus pœnis mandetur.

Curent propterea univerſi Pręlati ſupradicti & Superiores Regulares omni diligentia quęlibet hac noſtra Conſtitutione contenta, undequaque obſervari, ad avertendum pręjudicium grave, quod imminere poſſet Eccleſiis ex occultatione jurium, pro quorum cuſtodia, & conſervatione ipſi pro viribus laborare tenentur ex onere aſſumpto in ipſo limine receptionis ſuę dignitatis & muneris; proindeque inobedientes, nedum juris remediis ad obſervantiam eorum, quę hac Conſtitutione vulgantur, cogere poſſint, ſed debitis pęnis in eos, qui muneri ſuo deerint, animadvertere non omittant. XXXI. Prælati curent hæc obſervari.

Decernimus autem, eaſdem pręſentes de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio ſeu intentionis noſtrę, vel quovis alio defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, aut in jus vel controverſiam vocari nunquam poſſe; ſed illas ſemper perpetuo validas, & efficaces fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, atque ita per quoſcunque judices, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Camerę Clericos, ac S. R. E. Cardinales, ſublata eis, quavis aliter judicandi vel interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere; irritum quoque & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. XXXII. Hæ literæ perpetuo validæ ſint.

Non obſtantibus quibuſcunque conſtitutionibus Apoſtolicis de non tollendo jure quęſito, & quorumvis capitulorum, Eccleſiarum, monaſteriorum, aliorumque piorum locorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alias roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis, exemptionibus, immunitatibus, a nobis & prędeceſſoribus noſtris ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis clauſulis, & decretis, quomodolibet conceſſis, ac in futurum concedendis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio habenda foret, tenores hujuſmodi pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes illis in ſuo robore alias permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium exemplaribus manu & ſigillo cujuſvis publici Notarii, vel alterius perſonę, in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę pręſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. XXXIII. Clauſulæ derogatoriæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę inſtitutionis, voluntatis, mandati, ſtatuti, ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. XXXIV. Nemo hanc Conſtitutionem infringere audeat.

Da-

Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Septingenteſimo Vigeſimo ſeptimo XVIII Kal. Julias, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

P. Card. Prodatarius.

F. Card. Oliverius.

Viſa de Curia J. Archiepiſcopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Septingenteſimo Vigeſimo ſeptimo, indictione quinta, die vero decima nona menſis Junii; Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Benedicti divina providentia Papę XIII anno quarto, ſupradictę Literę Apoſtolicę affixę, & publicatę fuerunt ad valvas Baſilicę Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, & Sanctę Marię Majoris de Urbe, & in Acie Campi Florę, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis per me Jacobum Vaſellium SS. D. N. PP. Curſ.

Petrus Romolatius Curſ. Mag.

Iſtruzione per le Scritture da riporſi negli Archivi.

I.

Le Scritture da riporſi, e conſervarſi in tutti gli Archivj tanto de' Veſcovi, e di altri Ordinarj, quanto de' Capitoli delle Chieſe Cattedrali, Collegiate, e Recettizie, de' Collegj, Seminarj, Convitti, Congregazioni, Confraternite, Spedali, Monaſteri de' Regolari dell' uno, e dell' altro ſeſſo, e di altri Luoghi Pii.

1. Le fondazioni de' Veſcovadi, delle Chieſe, Monaſteri, e altri luoghi, accennati, riſpettivamente, le quali ſi ritrovano; o ſi poſſono ritrovare originalmente, o in autentica.
2. I Privilegj, e le Conceſſioni originali, o copie publiche, intorno allo ſpirituale, o al temporale per Indulto de' Sommi Pontefici, o de' Prencipi Secolari.
3. Gli ſtrumenti, teſtamenti, codicilli, donazioni, enfiteuſi, locazioni, tranſazioni, contratti, e i mandati di procura, fatti per li negozj nella Curia de' Veſcovi, o altrove, che riguardano i ſuddetti luoghi, e cauſe pie, menſe, beni, rendite, ragioni, e azioni riſpettivamente. Di tali atti ſi conſervino ſempre negli Archivj gli originali, o le copie autentiche.
4. Si conſervi pure un libro, chiamato *Platea*, di tutti i beni ſtabili, rendite, ragioni, e azioni delle Chieſe, e de' luoghi, e cauſe pie, nel quale ſi faccia deſcrizione diſtinta circa l' acquiſto, tempo, notaro, confini, e piante de' medeſimi ſtabili con ogn'altra particolarità, e circoſtanza per le più chiare notizie. Così ancora nel detto Archivio dovranno riporſi, e ſerbarſi le *Platee* antiche, e altri libri, che riguardano i beni, e le rendite, ragioni, e azioni delle medeſime Chieſe, luoghi, e cauſe pie ſudette riſpettivamente.
5. Similmente un altro libro, nel quale ſiano regiſtrate le notizie delle fondazioni, conceſſioni, privilegj, e prerogative delle Chieſe, luoghi, e cauſe pie ſudette riſpettivamente.
6. L' inventario de' mobili, utenſili, drappi, biancherie, e di tutte le altre coſe, tanto ſagre, quanto profane, che ſpettano alle dette Chieſe, luoghi e cauſe pie riſpettivamente. Queſto inventario dovrà rinovarſi ogni dieci anni con angiungervi, e levare tutto ciò, che ſarà conſumato, e di novo acquiſtato, e proveduto.
7. Le autentiche, e nota di tutte le Indulgenze concedute, e delle ſante reliquie, che vi ſi conſervano.
8. Le copie di ſentenze, e atti giudiciali, le notizie delle cauſe, controverſie, e liti, che ſono ſtate in qualſiſia tribunale eccleſiaſtico, o ſecolare circa la dignità, giuriſdizione, beni, rendite, ragioni, e azioni delle Chieſe, luoghi, e cauſe pie,, e loro menſe riſpettivamente.

II.

Scritture particolari, da riporſi, e conſervarſi in tutti gli Archivj de Veſcovi, & degli altri Ordinarj nullius, *e che hanno giuriſdizione quaſi Epiſcopale oltre alle ſopradette del* §. 1.

1. Tutte le viſite, & i decreti di eſſe intorno a tutte le Chieſe, e luoghi, viſitati dall' Ordinario.
2. Le copie di tutte le relazioni, che l' Ordinario avrà fatte alla ſagra Congregazione del Concilio nella viſita de' ſagri limini.
3. Tutte le delegazioni, o aſſoluzioni, e atteſtazioni, che aveſſe ricevute il Veſcovo dalla ſudetta Congregazione del Concilio circa la viſita de ſagri limini.
4. Tutte le riſpoſte della medeſima Congregazione alle relazioni, fatte dal Veſcovo.

5. Le

5. Le ſcritture, che riguardano le materie della ſanta Inquiſizione, o ſanto Ufficio ſi ritengano in un armario dell' Archivio a parte, ſerrato con chiave particolare, e con la ſopraſcritta, *ſcritture del ſanto Vfficio*, e la chiave del medeſimo armario ſi ritenga dal Veſcovo, ſive Ordinario del luogo, o appreſſo chi deſtinerà detto Ordinario, il quale abbia dal medeſimo il ſegreto del ſanto Ufficio, ed occorrendo di riconoſcere qualche ſcrittura in detto armario, ſi debba fare da detto Ordinario, o dal ſuo deputato, come ſopra.
6. Tutte le ſcritture, o atti intorno alle beatificazioni, e canonizazioni, e circa il culto, o non culto de' ſervi di Dio, ſecondo le iſtruzioni della ſagra Congregazione de' Riti.
7. Tutte le ſcritture delle ordinazioni, o collazioni degli ordini, tanto maggiori, quanto minori, a qualunque perſona.
8. Tutte le ſcritture delle collazioni, o iſtituzioni de' beneficj, de' concorſi fatti, delle rinunzie, o permutazioni ſeguite, e di tutti gli altri atti beneficiali.
9. Le ſcritture della profeſſione della ſanta Fede, che ſi fà dalle dignità, Canonici, e altri, ſecondo il Concilio di Trento.
10. Tutte le bolle, e gli ſtrumenti delle poſſeſſioni, date a' Beneficiati di qualunque ordine, o grado, e in qualunque modo.
11. Tutte le ſcritture delle approvazioni de' Confeſſori, e Curati, anco regolari.
12. Il regiſtro delle patenti, date di predicare nella Quareſima, e nell'Avvento, & dell'altre licenze di predicare fra l' anno, tanto a' regolari, quanto ad eccleſiaſtici ſecolari.
13. Delle licenze, date a' Parrochi, o Canonici, Preti, e Chierici di poter partire dalla Dioceſi con lettere teſtimoniali.
14. Delle dimiſſorie, o lettere teſtimoniali, e commendatizie.
15. Delle licenze, date per andare a parlare, o entrare ne' Monaſterj di Monache.
16. Tutte le ſcritture dell' eſplorazioni delle volontà per le Novizie. Gli ſtrumenti delle doti delle Monache, ſiccome delle licenze, loro date di far profeſſione, e dell'altre coſe attenenti alle Monache.
17. Tutti i decreti, o interpoſizioni di autorità per le rinunzie, che fanno i Novizj, e le Novizie avanti la profeſſione.
18. I decreti interpoſti nelle cauſe di alienazioni de' beni eccleſiaſtici con autorità ordinaria, o Apoſtolica.
19. Tutti i precetti, e decreti di qualſivoglia maniera, fatti a perſone eccleſiaſtiche, o ſecolari in cauſe ſpirituali, o ſpettanti al foro eccleſiaſtico.
20. Tutti gli ſtatuti, le regole, e le ordinazioni di qualunque Chieſa nelle Città, e Dioceſi.
21. Le ſcritture concernenti fondazioni di Chieſe, luoghi pii, Altari, e gli ſtrumenti di tali fondazioni.
22. Le ſcritture delle conſecrazioni delle medeſime Chieſe, degli Altari, de' cimiteri, e delle campane col regiſtro in libro.
23. Le ſcritture ſopra la conceſſione dell' Indulgenze, e circa l'eſecuzione, data a' Brevi Apoſtolici per le medeſime Indulgenze.
24 Le ſcritture dell' erezione del Fonte Batteſimale, e delle fondazioni, unioni, e ſuppreſſioni delle Parrochie, beneficj, o Cappellanie.
25. Tutte le ſcritture ſpettanti a' ſacri Seminarj.
26. Gli atti di tutti i Sinodi.
27. Le ſcritture concernenti la celebrazione de' Matrimonj, delle diſpenſe, delle denuncie matrimoniali, e gli atti degli ſtati liberi.
28. Le ſcritture concernenti materia di divorzio, o di altre cauſe matrimoniali.
29. Le ſcritture concernenti l' eſecuzioni delle diſpenſe matrimoniali, e altre lettere Apoſtoliche.
30. Tutti i regiſtri delle Bolle ordinarie, e Apoſtoliche dirizzate alla corte de' Veſcovi.
31. Tutte le lettere monitoriali, *ad finem revelationis*, e gl' atti di eſſe.
32. Le ſcritture degl' inventarj de' beni ſtabili, mobili, ſemoventi &c. *in forma*, *ſaltem generice*; di tutte le Chieſe, e di tutti i luoghi pii della Città, e Dioceſi.
33. Tutti gli editti, fatti in qualunque modo, e in qualſiſia materia, col regiſtro di eſſi in un libro.
34. Tutti i Proceſſi, e atti civili, criminali, e miſti del foro de' Veſcovi.
35. Tutte le ſentenze, fatte nelle ſudette cauſe, e le compoſizioni ſeguite co' rei, e inquiſiti nella corte de' Veſcovi.
36. Tutte le ſcritture delle multe, e pene col regiſtro di eſſe in un libro.
37. Le ſcritture delle ſupplicazioni, e aſſoluzioni.
38. Tutte le ſcritture, rogate dal Notaro, o ſia Cancelliere della Corte del Veſcovo, come Cancelliere di detta Corte.

III.

Scritture particolari da riporſi, e conſervarſi in tutti gli archivj de' capitoli delle Chieſe, Cattedrali, e Collegiate, oltre altre ſopradette nel §. 1.

1. Gli ſtatuti particolari di detti capitoli, e la conferma ottenuta dalla ſanta Sede, ò dall' Ordinario. E per le Chieſe Collegiate, lo ſtrumento dell' erezione Apoſtolica.
2. Libro di atti capitolari.

IV.

Scritture particolari da riporſi, e conſervarſi nelle Chieſe Parrochiali oltre alle ſudette nel §. 1.

1. L'erezioni in Parrochie.
2. I libri de' Battezzati, e confermati, de' matrimonj, e de' morti, ne' quali ſi debbono fare da' Parrochi le deſcrizioni fedelmente, e nel modo dovuto.
3. Gli ſtati dell' anime della Parochia.
4. Il regiſtro della riſcoſſione delle annuali decime, affinche appariſca ſempre la continuazione, o mutazione.

V.

Scritture particolari da riporſi, e conſervarſi in tutti gli archivj de' Monaſterj, e Conventi Regolari oltre alle ſudette nel §. 1.

1. L'erezione, e fondazione del Monaſtero, o Convento, e la facoltà Apoſtolica ottenuta.
2. Il libro, dove ſi regiſtri il giorno, il meſe, e l' anno dell' ingreſſo de' Novizj, e la loro profeſſione ne' Monaſterj, e Conventi, ove ſi ricevono Novizj, e ſi fanno le profeſſioni.
3. Il libro, dove ſi notono le filiazioni, e traſfiliazioni de' Regolari, Conventi, e Monaſterj, ne' quali ſi fanno le dette filiazioni, e traſfiliazioni.

VI.

Scritture particolari da riporſi, e conſervarſi in tutti gl' Archivi de' Monaſterj di Monache, e de' Conſervatorj, oltre alle ſudette nel § 1.

1. La Fondazione del Monaſtero, e il Decreto della Sagra Congregazione, o Breve Apoſtolico per la Clauſura.
2. L' Eſemplare delle Regole, e Statuti di eſſo Monaſtero.
3. Lo Stato del Monaſtero, e la prefiſſione del numero delle Monache, e Converſe, fatto dall'Ordinario ſecondo il Sagro Concilio di Trento, con la Dote delle Monache numerarie.
4. Un Libro, nel quale ſi regiſtri l' ingreſſo delle Novizie, e le Profeſſioni delle medeſime.
5. Le Profeſſioni originali delle Monache da conſervarſi diligentemente.
6. Un Libro delle Riſoluzioni Capitolari.

VII.

Scritture particolari da riporſi, e conſervarſi negl' Archivj delle Confraternite, oltre alle ſudette nel §. 1.

1. L' Erezzione, & approvazione delle Confraternite.
2. L' Aggregazione, ſe vi è fatta, all' Archiconfraternite di Roma.
3. Li Statuti particolari di eſſe Confraternite, e l' approvazione della Santa Sede, e dell' Ordinario, ſe vi è.
4. L' Indulgenze ottenute da dette Confraternite.
5. Il Libro delle Congregazioni, e Riſoluzioni, che ſi prendono nelle medeſime.
6. Le ſudette Intitolazioni ſi notino in tutte queſte Scritture nella Scanzia, e nella parte eſteriore delle medeſime per poterſi trovare con ogni preſtezza.

INDEX CAPITUM

I. *Archivorum Eccleſiaſticorum neceſſitas.*
II. *Ex neglectis Eccleſiarum Archivis multa damna proveniunt.*
III. *Omnes Præſules Italiæ Archiva intra ſex Menſes conſtrui curent.*
IV. *Univerſa Capitula idem curent.*
V. *Omnes Superiores Regulares, Collegia, & loca pia utriuſque ſexus idem curent.*
VI. *Catalogus Scripturarum conficiatur.*
VII. *Catalogi Archivorum, Cathedralium, Collegiatarum, & Monaſteriorum a quibus conficiendi.*
VIII. *Catalogi Archivorum in Monaſteriis Monialium, & locorum piorum a quibus conficiendi.*
IX. *In Eccleſiis Conventualibus, Collegiis, Seminariis, & Hoſpitalibus Catalogi Archivorum a quibus conficiendi.*
X. *Duo Exemplaria Catalogi conficiantur.*
XI. *Archiva duabus clavibus, & ſeris claudantur.*

XII. *Claves Archivi Beneficiatorum Cathedralium, & Col'egiatarum a quibus retinendæ.*
XIII. *Claves Archivi Monaſteriorum a quibus retinendæ.*
XIV. *In Monaſteriis Monialium, & piarum domuum claves Archivi a quibus retinendæ.*
XV. *In aliis locis a quibus retinendæ.*
XVI. *Quotannis Catalogo Archivi adjungantur ſcripturæ, Anno præcedenti confectæ.*
XVII. *Epiſcopi Archiva omnino viſitent.*
XVIII. *Viſitent etiam Archiva locorum, quæ jure delegato viſitant.*
XIX. *Viſitatores Ordinum Regularium viſitent Archiva.*
XX. *In Capitulis Archiviſta eligatur.*
XXI. *In locis piis A chiviſta eligatur.*
XXII. *Prælati, & Superiores ſcripturas Archivo inſerendas curent.*
XXIII. *Ordinarii chartas inquiri curent inventario inſerendas.*
XXIV. *Epiſcopus deceſſurus, vel ad longum tempus abiens, cuinam inventarium Archivi tradere debeat.*
XXV. *Obeunte Prælato quid agendum de inventario Archivi.*
XXVI. *Mortuo Epiſcopo quid de Archivi clavibus agendum.*
XXVII. *De ſcripturis ex Archivo extrahendis.*
XXVIII. *Proceſſus tradendi Archiviſtæ, qui Succeſſoribus ſuis ſcripturas exhibeat.*
XXIX. *Ordinarii provideant conſervationi ſcripturarum Parochiarum, & locorum piorum.*
XXX. *Horum executio quibus pœnis mandetur.*
XXXI. *Prælati curent hæc obſervari.*
XXXII. *Hæ literæ perpetuo validæ ſint.*
XXXIII. *Clauſulæ derogatoriæ.*
XXXIV. *Nemo hanc Conſtitutionem infringere audeat.*

CAPI DELL' ISTRUZIONE.

I. *Le ſcritture da riporſi, e conſervarſi in tutti gl' Archivi tanto de' Veſcovi, e di altri Ordinari, quanto de' Capitoli delle Chieſe Cattedrali, Collegiate, e Recettizie, de' Collegi, Seminari, Convitti, Congregazioni, Confraternite, Spedali, Monaſteri de' Regolari dell' uno, e dell' altro ſeſſo, e di altri luoghi pii.*
II. *Scritture particolari da riporſi, e conſervarſi in tutti gl' Archivi de' Veſcovi, e degli altri Ordinari* Nullius, *e che hanno giuriſdizione quaſi Epiſcopale o tre alle ſopradette nel* §. 1.
III. *Scritture particolari da riporſi, e conſervarſi in tutti gl' Archivi de' Capitoli delle Chieſe Cattedrali, e Collegiate, oltre alle ſopradette nel* §. 1.
IV. *Scritture particolari da riporſi, e conſervarſi nelle Chieſe Parochiali oltre alle ſudette nel* §. 1.
V. *Scritture particolari da riporſi, e conſervarſi in tutti gl' Archivi de' Monaſteri, e Conventi Regolari, oltre alle ſudette nel* §. 1.
VI. *Scritture particolari da riporſi, e conſervarſi in tutti gl' Archivi de' Monaſteri di Monache, e de' Conſervatorj, oltre alle ſuddette nel* §. 1.
VII. *Scritture particolari da riporſi, e conſervarſi negl' Archivi delle Confraternite, oltre alle ſudette nel* §. 1.

1. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXVII.*

De Officio impreſſionis Sacrorum Stigmatum in corpore S. Catharinæ Senenſis.

Anno 1727 Die 18 Junii.

DECRETUM

Ordinis Prędicatorum.

LXXXII.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

SAnctiſſimus D. N. Benedictus XIII, ad humillimas preces Reverendiſſimi P. Fratris Thomę Ripoll Ordinis Prędicatorum Magiſtri Generalis, benigne indulſit, atque conceſſit, ut prima die Aprilis, in qua, ut ferunt Hiſtorię, S. Catharina Virgo Senenſis Sacris Stigmatibus a Chriſto Domino inſignita fuit, ab omnibus Fratribus, & Monialibus Ordinis Prędicatorum, Officium Impreſſionis eorundem Stigmatum in Corpore prędictę S. Catharinę, ſub ritu duplici cum Miſſa, & Officio, ut in die Feſto ipſius, & Lectionibus ſecundi Nocturni propriis recitari poſſit, & debeat: Et ita decrevit, ac ſervari mandavit. Die XVIII Junii MDCCXXVII.

N. Card. Coſcia.

Loco ✱ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiep. Apamenus Sac. Rit. Congreg. Secr.

1. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXVII.* Huc ſpectat ſequens epiſtola.

In Dei filio ſibi dilectis RR, Adm. P.P. Provincialibus, Vicariis Congregationum, Conventuum Prioribus, & Pręſidentibus, Univerſiſque Fratribus, & Sororibus Ordinis Prędicatorum Fr. Thomas Ripoll Sacrę Theologię Profeſſor, Ac ejuſdem totius Ordinis humilis Magiſter Generalis, & Servus Salutem, Spiritus Conſolationem, & Ordinis Decus.

INter multiplices Officii noſtri curas, quibus non leviter angimur, & implicamur, hanc potiſſimum in exordio ſuſcepti Regiminis habere ſtuduimus, Fratres in Chriſto dilectiſſimi, ut ſcilicet, quę nobis in nuperrimo Capitulo Generali commiſſa ſunt, fideliter, atque perfecte adimpleremus. Quid autem ex noſtro ſtudio, noſtroque labore paratum ſit, neminem veſtrum latere non dubitamus, cum per noſtras Encyclicas, quidquid hactenus pro bono Religionis, & pręſertim in Cultu Sanctorum promovendo, juxta communia Patrum vota, curavimus, ſatis ſuperque univerſo Ordini fuerit nunciatum. Nova tamen, & quidem ampliora, quę hiſce diebus a Sanctiſſimo D. N. Benedicto XIII pro ſumma erga ſuum & noſtrum Ordinem benevolentia, nobis conceſſa ſunt, quęque veſtrum deſiderium, veſtramque expectationem affatim completura ſperamus, per pręſentes, quas gratulanti animo tranſmittimus, ad perpetuam totius noſtrę Religionis gloriam ſeſe offerunt nuncianda.

Significantes igitur, quę ad Sanctorum venerationem ſpectant, vobis notum facimus Decretum pro Celebratione Feſti Impreſſionis Sacrorum Stigmatum in Corpore Sanctę Catharinę Senenſis Virginis Ordinis noſtri, ſub Ritu Duplici, die prima Aprilis, qua hujuſmodi miraculum contigiſſe ferunt hiſtorię, cum propriis Lectionibus pro ſecundo Nocturno, deſumptis ceteris tam pro Officio, quam pro Miſſa ex principali Feſto ejuſdem Sanctę. Huic autem Decreto nonnulla alia fuerunt adjecta; Alterum videlicet de celebrando Feſto Sancti Philippi Nerii Ordini noſtro addictiſſimi, ſub Ritu Totius Duplicis: Alterum, quo nobis conceditur facultas celebrandi Feſta Sancti Gabrielis Archangeli die vigeſima quarta Martii, & Sancti Raphaelis ſimiliter Archangeli die Vigeſima quarta Octobris ſub Ritu pariter Totius Duplicis. Alterum denique, quo Officium proprium Sancti Patriarchę Joſeph ex Romano Breviario deſumendum, noſtroque inſerendum, atque a nobis recitandum decernitur, quorum omnium exemplar pręſentibus annexum recipietis.

Quantum vero ad ea, quę Commiſſiones nobis factas in pręlaudato Capitulo Generali, & numeris primo, ſecundo, tertio, & quarto contentas, reſpicere videbantur, id unum vobis noviſſe ſufficiat, Eundem Sanctiſſimum D. N. Benedictum XIII privilegia omnia & ſingula Ordini noſtro per Summos Pontifices hactenus conceſſa, pro ſingulari ejus benignitate confirmaſſe, & ampliaſſe. Quales autem gratias Omnipotenti Deo rependere debeamus, qualia etiam vota ſint illi pro incolumitate ejuſdem Summi Pontificis nuncupanda, qui tanto nos donavit beneficio, tunc probe noveritis, cum ea, quę in Bulla, quam tranſmittimus, deſcripta ſunt, accurate, intentoque animo pervolvetis, quidquid enim pro immortali noſtri Ordinis ornamento, & pręſidio expetere poteramus, id totum Beneficentiſſimus Pontifex in eadem comprehenſum voluit, & expreſſum.

Ceterum Fratres dilectiſſimi hac in re vos ſerio monemus, ut de tanto beneficio nullatenus extollamini, ne ſcilicet, quod ad tranquillitatem noſtram diſpoſitum eſt, contentionibus materiem ſubminiſtret. Vos inſuper monitos volumus, non omnia, quę in laudata Bulla contenta ſunt, ſingulis Conventibus aut Provinciis eſſe referenda: cum namque univerſum Ordinem ipſa reſpiciat, alia aliis prout dictabit prudentia, & ratio patietur, ſunt accomodanda. Sic ergo agite, ut nemini detis ullam offenſionem, & adeo moderate impetratis gratiis utimini, ut citra invidiam vobis quilibet ſincere valeat gratulari.

Supereſt jam, ut de dilatione Capituli Generalis, quod anno proxime futuro milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo octavo in noſtro Originali Conventu Barchinonenſi celebrandum erat, vos certiores faciamus. Placuit, ſiquidem Sanctiſſimo Noſtro Pontifici, ſine cujus conſilio, & imperio, ut par eſt, piaculum exiſtimamus, graviora noſtri ab eo prędilecti Ordinis negotia pertractare, auditis ac perpenſis rationibus, quę quidem vobis etiam compertę ſunt, hoc nobis concedere, ut a celebratione indicti Capituli Generalis ſuperſedeamus. Quocirca tenore pręſentium Generale Capitulum pro memoratis loco & tempore denunciatum ſuſpendimus, & in aliud tempus magis opportunum differimus, illudque ſic ſuſpenſum, atque dilatum decernimus, & declaramus.

Interea, dum, ſicut audiſtis, immenſa optimi hujus Pontificis Caritas ita in Ordinem ſuum, & noſtrum ſeſe porrigit, ut in ejus amplificando ſplendore omnes ſuas cogitationes defixiſſe videatur, orationibus inſtate, ut eum Deus Eccleſię ſuę Sponſę incolumem diutiſſime ſervet, ac totidem cęleſtibus donis cumulare dignetur, quot nos ipſe honoribus auget & beneficiis. Valete noſtri Sociorumque in ſacrificiis, & precibus veſtris memores. Datum Romę in Conventu noſtro Sanctę Marię ſuper Minervam die V Julii MDCCXXVII.

Fr. Thomas Ripoll Magiſter Ordinis.

De

Anno 1727 Die 20 Junii.

LXXXIII.

De feſtis SS. Gabrielis, & Raphaelis in Ordine Prædicatorum celebrandis.

Ex Archivo (1) Ordinis.

ORDINIS PRÆDICATORUM.

SAnctiſſimus Dominus Noſter Benedictus PP. XIII, ad humillimas preces Reverendiſſimi P. Fratris Thomę Ripoll Ordinis Prędicatorum Magiſtri Generalis, benigne indulſit, ut in univerſo pręfato Ordine Feſtivitates Sancti Gabrielis die XXIV Martii, & Sancti Raphaelis Archangelorum die XXIV Octobris cum Miſſa, & Officio propriis jam pro Hiſpaniarum Regnis, ac variis Regularium Ordinibus approbatis, atque conceſſis ſub ritu totius duplicis juxta Rubricas, & formam Breviarii dicti Ordinis celebrari, necnon etiam juxta ipſius Breviarii formam, Officium proprium S. Joſephi Patriarchę pro Eccleſia univerſali approbatum in poſterum recitari poſſint, & debeant. Die XX Junii MDCCXXVII.

N. Card. Coſcia.

Loco † Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Cong. Sec.

1. *Archivo,*) In quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCCXXVII.*

Anno 1727 Die 28 Julii.

LXXXIV.

Die XXX Auguſti. Officium in feſto Sanctæ Roſæ (1) a Sancta Maria Virg. Limanæ. Duplex. Ab utroque Clero tam ſeculari, quam Regulari utriuſque ſexus univerſalis Eccleſiæ recitandum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Omnia de Communi Virg. prętor ea, quę ſequuntur.

Oratio.

BOnorum omnium largitor Omnipotens Deus, qui Beatam Roſam, cęleſtis gratię rore pręventam, virginitatis, & patientię decore Indis floreſcere voluiſti: da nobis famulis tuis, ut in odorem ſuavitatis ejus currentes, Chriſti bonus odor effici mereamur. Qui tecum vivit, & regnat.

Et fit comm. Decollat. S. Johannis Baptiſtę, & SS. Felicis, & Adaucti Mart.

In primo Noct. Lect. de Script. occurr. In ſecundo Nocturno.

Lect. IV.

Primus Americę Meridionalis flos ſanctitatis Virgo Roſa, Chriſtianis parentibus Limę progenita, mox ab incunabulis claruit futurę ſanctimonię indiciis, nam vultus infantis mirabiliter in Roſę effigiem transfiguratus, huic nomini occaſionem dedit, cui poſtea Virgo Deipara cognomen adjecit, jubens vocari deinceps Roſam a Sancta Maria. Quinquennis votum perpetuę virginitatis emiſit. Adultior, ne a parentibus ad nuptias cogeretur, clam ſibimet venuſtiſſimam capitis cęſariem pręſcidit. Jejuniis ſupra humanum modum addicta, integras Quadrageſimas tranſegit pane abſtinens, ac dietim ſolis quinque granulis mali citrini victitans.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende proſpere procede, & regna. Et deducet.

Lectio V.

Habitu Tertii Ordinis Sancti Dominici aſſumpto, priſtinas vitę auſteritates duplicavit, oblongo, aſperrimoque cilicio ſparſim minuſculas acus innexuit, ſub velo coronam denſis aculeis introrſus obarmatam interdiu, noctuque geſtavit. Sanctę Catharinę Senenſis ardua premens veſtigia, catena ferrea, triplici nexu circumducta, lumbos cinxit. Lectulum ſibi e truncis nodoſis compoſuit, horumque vacuas commiſſuras fragminibus teſtarum implevit. Cellulam ſibi anguſtiſſimam ſtruxit in extremo horti angulo, ubi cęleſtium contemplationi dedita, crebris diſciplinis, inedia, vigiliis corpuſculum extenuans, at ſpiritu vegetata, larvas dęmonum, frequenti certamine victrix, impavide protrivit, ac ſuperavit.

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lętitię.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam. Propterea.

Lectio VI.

Ægritudinum tormentis, domeſticorum inſultibus, linguarum morſibus dire agitata, nondum ſatis pro merito ſe affligi querebatur. Per quindecim annos ad pluſculas horas deſolatione ſpiritus, & ariditate miſerrime contabeſcens, forti animo tulit agones omni morte amariores. Exinde cępit ſupernis abundare deliciis, illuſtrari viſionibus, colliqueſcere Seraphicis ardoribus. Angelo tutelari, Sanctę Catharinę Senenſis, Virgini Deiparę inter aſſiduas apparitiones, mire familiaris, a Chriſto has voces audire meruit: Roſa cordis mei tu mihi ſponſa eſto. Denique Sponſi hujus Paradiſo feliciter invectam, plurimiſque ante & poſt obitum miraculis coruſcam, Clemens decimus Pontifex Maximus Sanctarum Virginum catalogo ritu ſolemni adſcripſit.

℟. Aſſe-

℞. Aſſerentur Regi Virgines poſt eam proximę ejus: * Aſſerentur tibi in lętitia, & exultatione.
℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere, procede, & regna. * Aſſerentur. Gloria Patri * Aſſerentur.

In tertio Noct. Homil. S. Gregorii Papę in Evangel. Simile erit regnum cęlorum decem Virginibus, 9 Lect. & comm. in Laud. Sanctorum Felicis, & Adaucti Mart.

In ſecundis Veſp. a cap. de Sancto Raymundo Nonnato, commemoratio Sanctę Roſę.

URBIS, ET ORBIS.

AD humillimas preces Reverendiſſimi P.Fr. Thomę Ripoll Ordinis Prędicatorum Magiſtri Generalis, Sanctiſſimus D. N. Benedictus PP. XIII benigne indulſit, atque conceſſit, ut Officium Sanctę Roſę Virginis Limanę Ordinis Prędicatorum, iam pluries pro Regnis Hiſpaniarum, aliiſque dominiis, Civitatibus, & Dięceſibus approbatum, & extenſum, in poſterum die XXX Auguſti ſub Ritu duplici cum Oratione, & Lectionibus ſecundi Nocturni propriis, alias a Sacra Congregatione approbatis, ab omnibus Chriſti fidelibus utriuſque ſexus tam ſecularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, recitari poſſit, & debeat. Et ita ſervari, ac in Breviario, & Miſſali Romano apponi mandavit. Die XXVIII Julii MDCCXXVII.

N. Card. Coſcia.

Loco ✝ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *S. Roſæ.*) Conſulenda Conſtitutio *XXI Clementis X.* Legitur *pag.* 281.

2. *Archivo.*) In quo exemplar impreſſum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ *MDCCXXVII.*

Anno 1727
Die 30 Julii.

Breve SS. D. N. D. Benedicti Papæ XIII quo confirmat Decreta lata in Sacra Congregatione Immunitati Eccleſiaſticæ præpoſita in favorem Cleri Regularis Status Mediolanen. circa diſtributiones Quotidianas ſubjectas ſubſidio Eccleſiaſtico indicto a ſanctę memorię Clemente PP. XI An. MDCCXVII.

LXXXV.

Ex Archivo (1) Ordinis.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

NUper a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Immunitati Eccleſiaſticę, & controverſiis juriſdictionalibus prępoſitorum, emanavit Decretum, tenoris, qui ſequitur, videlicet. Mediolanen. Diſcuſſis in Sacra Congregatione ſuper Immunitate Eccleſiaſtica, & controverſiis juriſdictionalibus habita ſub die XVII Junii MDCCXXVII, infraſcriptis Dubiis propoſitis ad inſtantiam Cleri regularis Dięceſis, & Status Mediolan. tenoris, prout ſequitur, videlicet: Primo- An diſtributiones quotidianę, quę recipiuntur per Reſidentiales comprehendantur, & calculandę ſint ſub onere contribuendi pro ſubſidio ex indulto S. Sedis indicto Anno MDCCXVII - Secundo - An ſit locus novę repartitioni ex integro faciendę ad effectum in iſta calculandi omnes, & quaſcunque diſtributiones non calculatas, & quę uſque ab initio erant calculandę - Tertio An illis de utroque Clero Seculari, & Regulari competat pro rata exceſſus diminutio Taxę, & reſpective reintegratio pro quantitate ultra propriam ratam perſoluta: Eadem Sacra Congregatio ſedulo de more perpenſis rationibus pro parte memorati Cleri Regularis allatis reſcripſit -- Affirmative in omnibus -- In quorum fidem &c. Datum Romę hac die XXI Junii MDCCXXVII. G. Cardinalis S. Agnetis. S. de Riccis Secretarius. Loco ✱ Sigilli. Cum autem ſicut dilecti filii Clerus Regularis Dięceſis, & Status Mediolanen. Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolicę confirmationis noſtrę patrocinio communiri ſummopere deſiderent, Nos ſpecialem ipſis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum pręinſertum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis prędictorum Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas firmas validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque con-

contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXX Julii MDCCXXVII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo*.) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXVII*.

Ancyrani Archiepiſcopi (1) bona Raguſinis Fratribus adjudicat.

Anno 1727 Die 21 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

BENEDICTUS PP. XIII.

LXXXVI.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt (3) dilecti filii Fratres Congregationis Raguſin. Ordinis Prędicatorum, quod bonę memorię Raymundus Gallani dum vixit olim Ancyran., & deinde Archiepiſcopus Raguſin., in minoribus conſtitutus, habitum per Fratres dicti Ordinis geſtari ſolitum ſuſcepit, & profeſſionem per eoſdem emitti conſuetam expreſſe emiſit regularem, nonnullaque bona ſua Congregationi prędictę ante ſuam Metropolitanę Eccleſię Raguſin. pręfectionem acquiſita donavit, in vim vero noſtrę, & Apoſtolicarum Conſtitutionum ipſi exponentes ſpolium bonorum memorati Raymundi Archiepiſcopi ad ipſos ſpectare debere minime dubitant. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dilecti pariter filii Capitulum, & Canonici prę fatę Eccleſię Raguſin. ſtatim ſecuto memorati Raymundi Archiepiſcopi obitu, ſpolium de illius jocalibus, gemmis, ſupellectili, aliiſque rebus fecerint, dicti vero exponentes attenta eorum paupertate cum ſupradictis Capitulo, & Canonicis pro ejuſmodi, & aliarum rerum recuperatione litigare nequeant, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur exponentes prę fatos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum prę ſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnes & ſingulas donationes per dictum Raymundum Archiepiſcopum favore Congregationis, & Fratrum prędictorum factas, ut prę fertur, auctoritate Apoſtolica, tenore prę ſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, aut interveniſſe dici, pr ętendi, vel cenſeri poſſint, ſupplemus. Nec non omnia bona cujuſvis generis per eundem Archiepiſcopum quomodolibet, acquiſita tempore Archiepiſcopatus Ancyrani, ante ingreſſum ad eundem Archiepiſcopatum Raguſin., minime intrare, nec eſſe comprehenſa ſub ſpolio favore Eccleſię Raguſin., ſed ad eandem Congregationem juxta Apoſtolicarum Conſtitutionum diſpoſitionem libere ſpectare, declaramus, ac illa per Capitulum, & Canonicos ſupradictę Eccleſię reſtitui, & Fratribus ejuſdem Congregationis libera, & exempta ab oneribus, & debitis contractis poſt adeptam poſſeſſionem dicti Archiepiſcopatus Raguſin. conſignari harum ſerie mandamus. Quę quidem onera, & debita adimpleri, & ex bonis poſt dictam poſſeſſionem Archiepiſcopatus acquiſitis, & fructibus inconſumptis ad prę fatam Eccleſiam Raguſin. titulo ſpolii vigore indultorum Apoſtolicorum ſpectantibus diſſolvi, ordinamus. Decernentes prę ſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac prę fatis exponentibus in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in prę miſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabili Fratri Antonio Righi olim Epiſcopo Mercanenſi per prę ſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſe per ſe, vel per alium, ſeu alios prę ſentes literas, & in eis contenta quęcunque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte intereſſe in prę miſſis habentium, ſeu alicujus eorum deſuper requiſitus fuerit ſolemniter publicans, illiſque efficacis defenſionis prę ſidio aſſiſtens faciat auctoritate prę fata illos, & eorum quemlibet prę ſentium literarum, & in eis contentorum hujuſmodi commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittens illos deſuper a quoquam, quavis auctoritate quomodolibet indebite moleſtari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pęnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate prę ſentium in judicium non trahatur, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, & Congregationis prędictorum, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium prę miſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores prę ſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prę miſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud

S.Ma-

S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXI Auguſti MDCCXXVII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

1. *Archiepiſcopi.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Clementis XI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

3. *Fecerunt.*) Hac de re delegatus ab ipſis erat R. P. *Seraphinus Maria Cerva*, ejuſdem Congregationis alumnus.

Anno 1727 Die 21 Auguſti.

LXXXVII.

De recitandis antiquis lectionibus Feſti Commemorationis S. P. Dominici in Suriano (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

ORDINIS PRÆDICATORUM CONVENTUS SURIANI.

CUm ex parte Prioris Provincialis, nomine etiam aliorum Patrum Ordinis Prędicatorum Conventus S Dominici in Suriano Provincię Calabrię, in Diœceſi Mileten SS. Domino Noſtro Benedicto Papa XIII pro facultate in poſterum reſumendi Lectiones proprias diei feſti Imaginis S. Dominici in Suriano pro die XV Septembris, prout illę ab antiquo tempore ibidem recitabantur, humillime ſupplicatum fuerit, Sanctitas Sua hujuſmodi inſtantię juxta petita benigne annuendum eſſe cenſuit. Die XXI Auguſti MDCCXXVII.

N. Card. Coſcia.

1. *Suriano.*) De quo ſæpius dictum fuit.

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Suriano*.

Anno 1727 Die 21 Auguſti.

LXXXVIII.

De Conſultoribus Sacræ Congregationis Indicis.

Ex Archivo (1) Ordinis.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

ALias felicis recordationis Clementi PP. X Prędeceſſori noſtro, pro parte tunc exiſtentium Conſultorum Congregationis etiam tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium Indicis Librorum prohibitorum, & expurgandorum prępoſitę expoſito, quod recolendę memorię Alexander PP. VII pariter Prędeceſſor noſter, anno MDCLIX decreverat, & declaraverat, non licere Superioribus Regularibus removere ab Urbe, ac a ſuis Conventibus ſuos Subditos Regulares inſervientes dictę Congregationi in Officio Indicis Conſultorum, quia talis remotio cedebat in pręjudicium ipſius Congregationis, quę alios Conſultores inexpertos, veteranis, & expertis, ſubſtituere conſtringebatur, hocque decretum Superioribus eorundem Regularium a tunc itidem exiſtente Congregationis prędictę Secretario intimatum fuerat, dicti vero exponentes, quo quietius, majorique ſtudio huic Sanctę Sedi obſequium pręſtare valerent, opportune ſibi in pręmiſſis a pręfato Clemente Prędeceſſore provideri plurimum deſiderabant; idem Clemens prędeceſſor juſtis eorundem exponentium petitionibus favorabiliter annuere volens, ſupplicationibus etiam memoratorum Cardinalium nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, ac ſupra expreſſum Alexandri Prędeceſſoris decretum approbans, & confirmans, omnibus, & ſingulis tam tunc pręſentibus, quam futuris Superioribus Generalibus, & Provincialibus, cujuſcunque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti Auctoritate Apoſtolica pręcepit, & mandavit, ut tunc, & pro tempore exiſtentibus Conſultoribus Regularibus Congregationis prędictę, ſuis reſpective Subditis Conventualitatem in Collegiis, ſeu Domibus Regularibus in Urbe prędicta exiſtentibus, in quibus literarum ſtudia vigerent, quo commodius ejuſmodi ſtudiis, dicteque Sedis obſequiis incumbere valerent, ſi adeſſent, ſin minus in aliis Monaſteriis, Conventibus, ſeu Domibus Regularibus ſuorum reſpective Ordinum, Congregationum, & Inſtitutorum in eadem Urbe poſitis, abſque ulla mora, vel tergiverſatione concederent, & aſſignarent; ipſos autem Conſultores inde niſi cauſis ab eadem Cardinalium Congregatione, illiuſque Secretario pro tempore exiſtente bene examinatis, amoveri nullo modo poſſe auctoritate prędicta ſtatuit, & ordinavit, & alias prout in prędicti Clementis Prędeceſſoris literis die V Decembris MDCLXXIII deſuper in ſimili forma Brevis expeditis, quarum tenorem pręſentibus pro expreſſo haberi volumus, uberius continetur. Hinc eſt, quod Nos pręmiſſorum robori, & inviolabili obſervationi opportune providere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, enarratas Clementis Prędeceſſoris literas auctoritate prędicta tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, ac quatenus etiam opus ſit innovamus. Pręterea, ne privilegium hujuſmodi Conſultoribus dictę Congregationis per ſupradictas literas conceſſum, Conventibus, & Domibus Regularibus oneroſum ſit, eiſque ab illa obedientia, quam profeſſi ſunt ſeſe ſubtrahendi ſtimuli addantur, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus pręcipimus, & mandamus, ut in poſterum unus duntaxat ex Ordinibus Regularibus Congregationis prędictę Conſultor eſſe, ac ejuſmodi privilegio frui poſſit, illoque vivente, alii, qui ad Conſultoris munus hujuſmodi aſſumpti fuiſ-

fuiſſent, eodem privilegio potiri nequeant, ſed in eadem Urbe de Superiorum ſuorum licentia permanere volentes, Conventibus, ubi ab iiſdem Superioribus collocabuntur, alimenta ad rationem duorum juliorum ſingulis diebus perſolvere teneantur, & inde a ſuis Superioribus toties, quoties ipſis bene viſum fuerit, etiam extra eandem Urbem mitti poſſint, nec iſti privilegium prędictum etiam a Nobis, & Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris abſque ſpeciali derogatione, & pręſentium noſtrarum literarum mentione impetrare queant. Declarantes ulterius, quod ejuſmodi privilegium Conſultoribus prędictę Congregationis duntaxat conceſſum ſit, & quod tam memorati Conſultores privilegio hujuſmodi gaudentes, quam pariter alii illo minime fruentes ſocium ſibi addictum habere, nec poſtulare valeant, ſed illum volentes, & a ſuis Superioribus permiſſum alimenta pro eodem ſocio, ſicut pręmittitur, pręſtare debeant. Decernentes eaſdem preſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac prędictis Conſultoribus Regularibus in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, ſicque & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, alioſve quoslibet quacunque pręeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit quorumvis Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, Provinciarum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, & domorum Regularium, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, Monaſteriis, Provinciis, Conventibus, Collegiis, & domibus Regularibus, illorumque Superioribus Generalibus, & Provincialibus, aliiſque perſonis quibuslibet ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, ac pluries confirmatis, innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & infererentur, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutę, vel Secretarii ſupradictę Cardinalium Congregationis munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quę ipſis pręſentibus haberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXI Auguſti MDCCXXVII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar impreſſum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ *MDCCXXVII*.

Declarat quomodo Conſtitutio-*Pretioſus* (1) ſit intelligenda;

Anno 1727 Die 1 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

NOVARIEN.

LXXXIX.

Cum in Sacra Congregatione Concilii habita die XXIII Auguſti MDCCXXVII nonnulla fuerint propoſita, & diſcuſſa dubia inter Moniales Capuccinas Civitatis Novarię Epiſcopo ſubjectas, & Parochum Eccleſię Sanctę Crucis ejuſdem Civitatis, intra cujus Parochię fines Eccleſia prędicti Monaſterii ſita eſt, ceteriſque dubiis reſolutis, exorta fuerit dubitatio ſuper tertio, in quo quęrebatur. An ad prędictum Parochum pertineret tempore, & imminente mortis articulo Sanctiſſimam Euchariſtiam per modum Viatici adminiſtrare duobus Tertiariis Capuccinis extra clauſtrum degentibus, & habitantibus in quibuſdam ędibus Monaſterii Monialium proximis, ut eis famulatum exhibeant, & in qua Eccleſia dictorum Tertiariorum cadavera in caſu obitus eſſent ſepelienda. Ex una etenim parte quoad Tertiarios, qui vota emiſerunt, ſed clauſtraliter non vivunt ſub obedientia ſuorum Superiorum Regularium, plures aderant reſolutiones Sacrę Congragationis, in quibus decretum eſt, eos pręceptum Paſchale in Eccleſia Parochiali adimplere, & a Parocho Sacramentum Viatici recipere debere, & eſſe in Parochia ſepeliendos, niſi elegerint ſepulturam in alia Eccleſia, vel in alia Eccleſia haberent particulare ſepulchrum. Et ex alia parte obſtare poſſe videbatur Conſtitutio Sanctiſſimi D. N. Benedicti Papę XIII, quę incipit Pretioſus, in qua confirmantur, & innovantur, declarantur, & ampliantur privilegia Ordini Prędicatorum hactenus per Sedem Apoſtolicam conceſſa, & in cujus §. 56, & ſequen. decernitur, prędicti Ordinis Tertiarios, & Tertiarias, qui vota emiſerunt, recipere debere a ſolis Fratribus prędicti Ordinis Sacramentum Euchariſtię tempore Paſchali, & per modum Viatici, necnon Sacramentum extremę Unctionis, eorumque cadavera in Eccleſia prędictorum Fratrum eſſe tumulanda abſque interventu, licentia, & requiſitione Parochi, ſive Tertiarii, & Tertiarię collegialiter, ſive ſepa-

ſeparatim in domibus vivant, quę novę Conſtitutionis privilegia alii Ordines Regulares ſibi prodeſſe debere ex identitate rationis, aut ratione communicationis privilegiorum aſſerebant. Cumque in hoc rerum ſtatu Sacra Congregatio in ſignum debitę venerationis erga allegatam Sanctiſſimi D. N. Conſtitutionem neceſſarium eſſe exiſtimaverit, a prędicti tertii dubii reſolutione abſtinere, & mihi infraſcripto Secretario demandare, ut Sanctitatis ſuę mentem ejus nomine reverenter exquirerem, ut juxta eam, nedum prędictum tertium dubium, ſed alia quoque conſimilia dubia jam excitata, & forte ſuis loco, & tempore proponenda reſolvi poſſent, & in executionem muneris mihi a Sacra Congregatione demandati, die prima Septembris currentis anni MDCCXXVII totius negotii ſeriem Sanctiſſimo Patri expoſuerim, & nomine Sacrę Congregationis humillime ſupplicaverim, ut mentem ſuam aperire dignaretur, Sanctitas Sua declaravit, ſalvum remanere debere jus communicationis quoad ea privilegia, quę ante editam Conſtitutionem Pretioſus, & independenter ab illa Ordini Prędicatorum competebant, & in uſu erant, nec fuerant a Sacro Concilio Tridentino, vel ab Apoſtolicis Conſtitutionibus revocata, aut moderata, eo tamen modo, & favore eorum, quo, & quibus reſpective communicatio legitime competere potuiſſet, ſi allegata Conſtitutio Pretioſus edita non fuiſſet; ſed alia quęcunque privilegia in prędicta Conſtitutione expreſſa, quę aut de novo conceſſa, aut per eandem Conſtitutionem innovata, cum antea, vel in uſu non eſſent, vel revocata, aut moderata fuiſſent, vel per viam declarationis quomodolibet extenſa, ampliata, vel in citata Conſtitutione addita ſunt, utpote a ſe de novo conceſſa, aut innovata, vel extenſa, ampliata, & addita, nedum intuitu inſignium Ordinis Prędicatorum erga Sedem Apoſtolicam meritorum, ſed etiam in peculiare ſuę Pontificię caritatis erga eundem Ordinem, quem expreſſe profeſſus eſt, & profitetur, perenne monumentum, peculiaria eſſe debere ejuſdem Ordinis, nec alium quemcunque Ordinem, Inſtitutum, Congregationem, Societatem Regularem prędictis privilegiis de novo conceſſis, innovatis, extenſis, ampliatis, & additis, uti ſupra, directe, vel indirecte ad ullum effectum quocunque modo, ſive per communicationem privilegiorum, aut ex identitate, vel majoritate rationis, uti poſſe. Utque ſua hęc voluntas omnibus pateat, novas literas Apoſtolicas expediri juſſit, cum omnibus clauſulis opportunis, & neceſſariis, & cum derogatione de plenitudine poteſtatis omnibus in contrarium facientibus, & ſignanter cuicunque ampliſſimo, & quibuſcunque clauſulis, aut formulis concepto communicationis privilegio, quod ex quacunque cauſa a Summis Pontificibus Prędeceſſoribus, aliis quibuſvis perſonis, Ordinibus, Inſtitutis, Congregationibus, Societatibus Regularibus etiam ſpeciali nota dignis conceſſum fuerit, cum additione, quod tenor omnium ſimilium indultorum pro expreſſo, & de verbo ad verbum habendus ſit, etiamſi pro eorum derogatione, ſpecialis, expreſſa, & individualis mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut quęlibet alia extraordinaria forma ſervanda fuiſſet.

Nota.

Ita reperitur in regeſto autographo decretorum Sacrę Congregationis Concilii lib. 77 fol. 527. In quorum fidem &c. Datum hac die XXIV Februarii MDCCXXVIII.

Loco ✝ Sigilli.

1. *Pretioſus.*) Conſtitutio ſcilicet LXXIX. 2. *Archivo.*) In quo autographum.

Anno 1727 Die 5 Decembris.

XC.

Indultum, quo conceditur, ut Regulares, aliique in religioſis domibus commorantes, ſi conſuetas preces *Angelus Domini &c* ad ſonitum campanæ recitare non poſſint, nihilominus Indulgentias alias conceſſas lucrari valeant, dummodo eaſdem preces recitent flexis genibus, ſtatim ac opus ad Regularem obſervantiam ſpectans expleverint.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Literis in forma Brevis emanatis die XIV Septembris MDCCXXIV Sanctiſſimus Dominus noſter Benedictus Papa XIII omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus ad ſonitum campanę conſuetas preces: Angelus Domini nuntiavit Marię, & concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum Verbum tuum: Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & ter Salutationem Angelicam flexis genibus recitantibus ſemel in menſe die ab unoquoque eligendo, ſi confeſſi, & ſacra Communione refecti fuerint, & pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione oraverint, Plenariam Indulgentiam conceſſit. Reliquis vero diebus prędictas preces, ut ſupra recitantibus Indulgentiam centum dierum. Quia vero Sanctitati Suę expoſitum fuit, quod ſępe Regulares, aliique in religioſis domibus commorantes eo tempore, quo mane, meridie, aut veſpere campanę pulſantur, quibuſdam actionibus ad regularem obſervantiam ſpectantibus detinentur, & hac cauſa eaſdem preces recitare tunc temporis minime poſſunt, ac inſimul pręfatorum nomine humillime ſupplicatum fuit, ut ex Apoſtolicę Sedis diſpenſatione prędictas preces alio tempore recitando eaſdem Indulgentias lucrari valeant. Ideo Sanctiſſimus Dominus Noſter audito voto Sacrę Congregationis Indulgentiis, ſacriſque Reliquiis prępoſitę, benigne indulſit, ut Regulares omnes, aliique in religioſis domibus commorantes, ſi dum, ut ſupra campanę pulſantur, aliquod opus exercent, quod ad regularem obſervantiam pertineat, nihilominus ſupra memoratas Indulgentias acquirere poſſint, dum-

dummodo ſtatim ac opus prędictum expletum fuerit, preces ſupramemoratas flexis genibus devote recitent. Datum die V Decembris MDCCXXVII.

L. Card. Picus Prefectus.

Loco ✝ ſigilli.

Raphael Coſmus de Hieronymis Secr.

1. *Archivo.*) In quo exemplar impreſſum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ *MDCCXXVII.*

F. Dominicus Hieronymus Lambertengus Provinciæ utriuſque Lombardiæ Prior renunciatur.

Anno 1727 Die 15 Decembris.

XCI.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Dilecto filio Dominico Hieronymo Lambertengo Ordinis Fratrum Prędicatorum, in Sacra Theologia Magiſtro.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis zelus, literarum ſcientia, vita, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum, ſicut dilectus filius Angelus Guillielmus Molo, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, Nobis nuper exponi fecit, Capitulum Provinciale Provincię utriuſque Lombardię dicti Ordinis poſt Paſcha Reſurrectionis Dominicę anni proxime venturi celebrari debeat. Verum Provincia hujuſmodi, in qua tu Prioratus officium in Civitate noſtra Bononien. de pręſenti exerces, ob fatales noviſſimorum bellorum in Italia reliquias, ac annonas a tanto tempore fere undequaque graciles, ſubſidiaque extraordinaria in nonnullis partibus pro graviſſima Chriſtianę Religionis contra Turcas defenſione contributa, necnon violentas aquarum exundationes, qua pluribus ex Conventibus ejuſdem Provincię magni momenti damna attulerunt, ac demum ex cauſa expenſarum occaſione Canonizationis Sanctę Agnetis de Monte Politiano, cum prędicti Ordinis honore factarum in non modicis anguſtiis reperiatur, ac proinde celebrationem ejuſmodi Capituli Provincialis hac vice ſuſpendi expediat, ne eadem Provincia expenſis, vocaleſque ob longa, & diſpendioſa itinera, ac ſummam conſiderabilem, Conventui Capituli contribuendam, nimium graventur. Hinc eſt, quod Nos proſpero, felicique ejuſdem Provincię regimini, & gubernio, quantum Nobis ex alto conceditur, providere, teque, & prędictum Angelum Guillielmum, Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus ejuſdem Angeli Guillielmi, Procuratoris Generalis, nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ac de tua fide, prudentia, caritate, vigilantia, integritate, & religionis zelo plurimum in Domino confiſi, te memoratę Provincię utriuſque Lombardię Priorem Provincialem ad biennium a die, quo modernus Prior Provincialis Provincię hujuſmodi Provincialatus ſui tempus abſolverit, computandum, cum omnibus, & ſingulis pręrogativis, pręeminentiis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium conſtituimus, & deputamus. Mandantes propterea in virtute ſanctę obedientię omnibus, & ſingulis Provincię prędictę Superioribus, Fratribus, & perſonis, ceteriſque ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, ut te ad commiſſum tibi per preſentes Provincialatus officium, illiuſque liberum exercitium juxta earundem tenorem pręſentium recipiant, & admittant, teque recognoſcant, & tibi in omnibus, idem officium concernentibus, pareant, & obediant, faveantque, & aſſiſtant reſpective. Et decernentes, ipſas pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac tibi in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios,& delegatos,etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provincię, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Decembris MDCCXXVII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar:

Anno 1728 Die 12 Januarii.

XCII.

Indulgentiæ pro ſe invicem ſalutantibus, dicendo, laudetur Jeſus Chriſtus, & reſpondentibus Amen, & pro invocantibus Sanctiſſimum nomen Jeſus, & Mariæ, aut Litanias B. Mariæ Virginis recitantibus.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

ALias ſanctę memorię Sixtus V Bulla, quę incipit: Reddituri: edita die XI Julii anni MDLXXXVII univerſis Chriſti fidelibus; qui ſe invicem ſalutantes dixerint, ſia lodato Gieſù Chriſto, & reſpondentibus Amen, aut in ſecula, ſive italico, ſive latino, vel quocunque alio idiomate id expreſſerint, quoties id egerint Indulgentiam centum dierum, & illis, qui Sanctiſſimum nomen Jeſu, aut Marię devotè invocaverint Indulgentiam vigintiquinque dierum conceſſit.

Iis vero, qui pręfata agere conſueverint, ſi in articulo mortis conſtituti, & ore, vel ſi non potuerint, ſaltem corde Sanctiſſimum nomen Jeſu, & Marię invocaverint, inſuper Plenariam Indulgentiam adjecit.

Eaſdem Indulgentias tribuit Prędicatoribus, qui inter prędicandum Auditores hortati fuerint, ut modo ſupra expoſito Sanctiſſimum nomen Jeſu, laudantes ſe ſe invicem ſalutent, & idem nomen Jeſu, & Marię devote invocent, ceteriſque omnibus, qui hanc ſalutationis formam uſui eſſe curaverint.

Recitantibus tandem Litanias Beatiſſimę Virginis Marię bis centum dies Indulgentię dedit.

Cum autem Sanctiſſimo D.N. Benedicto Papę XIII humillime ſupplicatum fuerit, ut omnes, & ſingulas Indulgentias ſupramemoratas confirmare dignaretur, Sanctitas Sua, audito voto Sacrę Congregationis Indulgentiis, ſacriſque Reliquiis prępoſitę, hujuſmodi precibus benigne annuens, eaſdem Indulgentias Apoſtolica auctoritate confirmavit. Datum die XII Januarii MDCCXXVIII.

L. Card. Picus Pręfectus.

Loco † ſigilli.

Raphael Coſmus de Hieronymis Secret.

1. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ *MDCCXXVIII.*

Anno 1728 Die 23 Januarii.

XCIII.

De corpore S. P. Auguſtini Eccleſiæ Doctoris invento (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Venerabili Fratri Epiſcopo (3) Papienſi.

BENEDICTUS PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ANimi curas, & auctoritatis officium libenter impendimus ad eas cauſas, quas ad Sanctorum cultum pertinere dignoſcimus, atque adeo cum divino honore eſſe conjunctas. Multo autem alacrius has Apoſtolicę ſolicitudinis partes ſuſcipere debemus, ubi eas ad Beatum Auguſtinum clariſſimum Eccleſię lumen (4), eximiumque Doctorem ſpectare intelligimus, quem nimirum in profitenda Prędicatorum Regula Parentem, in Theologico curriculo Ducem, in Paſtorali Miniſterio, cunctiſque vitę rationibus Patronum ſemper coluimus. (Nota.) His igitur tam impoſiti muneris ſtimulis, quam obſtrictę pietatis ſtudio adducti, operam conferre decrevimus, ut judicium de invento iſtic Sancti Doctoris corpore, ulteriori dilatione ſublata, ſecundum Deum, & veritatem ad exitum perducatur. Itaque fraternitati tuę ſedulo injungimus, ut ceteris quęſtionibus de alio corpore inveniendo remotis, judicium inſtituas de ſolo antedicto corpore, quod anno MDCXCV iſtic in Eccleſia Sancti Petri in Cęlo Aureo in Confeſſione inventum eſſe, tradunt documenta quę in acta Curię iſtius Epiſcopalis relata ſunt. Volumus proinde, & mandamus, ut cavillationibus eorum, qui deciſionem, ac definitionem hujuſce cauſę impedire tentaverint, etiam per cenſuras eccleſiaſticas occurras. Illis autem a quibus cauſa cognoſcenda erit, iiſdem adhibitis, ſi opus fuerit, remediis, edicas, ut nullis officiis, commendationibus, aut partium ſtudiis obſequantur, ſed ſolum Deum veritatis prę oculis habeant. Ne autem novis procraſtinationibus locus eſſe poſſit, bimeſtre tempus huic judicio conficiendo pręfigimus. Quod ſi intra duos menſes a die, qua fraternitati tuę traditę fuerint hę noſtrę in forma Brevis literę, cauſa abſoluta non ſit, eandem ad nos exinde devolutam fore declaramus. De tua igitur in hanc Sanctam Sedem, Noſque ipſos perſpecta obedientia pręclare ſentientes, veritate, quam unice quęrendam, declarandamque (5) pręcipimus ad liquidum perducta, finem controverſię impoſitum iri non dubitamus, ac tibi, venerabilis Frater, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Januarii, Anno MDCCXXVIII.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. In-

1. *Invento.*) Conſulendus clariſſimus hujuſce ſeculi Scriptor *Juſtus Fontanini* Archiepiſcopus *Ancyranus* in Diſſertatione hac de re vulgata. Vide Conſtitutionem datam Anno *MDCCXXVIII* die *XXII* Septembris.

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

3. *Epiſcopo.*) *Franciſco Pertuſati*, Præſuli ampliſſimo, egregiis dotibus, quibus præſtat, ſpectabili.

4. *Clariſſimum Eccleſiæ lumen.*) Uti probant ipſius opera, & videre eſt ex variis Epiſtolis Summorum Pontificum *Innocentii I* ad Africanos: *Zoſimi I* ad totius Orbis Epiſcopos: *Bonifatii I* apud *Proſperum* contra Collatorem: *Cæleſtini I* ad Epiſcopos Galliæ: *Sixti III* ad Johannem Antiochenum: *Leonis I* ad Nicetam Aquilejenſem: *Gelaſii I* ad Epiſcopos Piceni, & ad Honorium Dalmatiæ: *Hormiſdæ I* ad Poſſeſſorem: *Felicis IV*, & *Bonifatii IV* ad Arauſicanos Patres, & Cæſarium Arelatenſem, aliiſque quas, brevitatis ergo, miſſas facio.

5. *Declarandamque.*) Hac de re, ſervatis ſervandis, die *XVI* Julii *MDCCXXVIII* ſententiam tulit Illuſtriſſimus *Papienſis* Epiſcopus, *ſatis*, ſcilicet *conſtare*, *corpus inventum in Confeſſione Templi S. Petri in Cælo Aureo die I Octobris anno MDCXCV eſſe corpus S. Auguſtini Eccleſiæ Doctoris, ideoque pro tali eſſe colendum, & publicæ fidelium venerationi exponendum*. Die vero *XIX* ejuſdem menſis hæc ſententia publicata fuit in *Papienſi* Eccleſia Cathedrali.

Univerſitati Placentinæ (1) gratulatur quod Doctorem Angelicum S. Thomam Ducem, & Magiſtrum ſibi adſciverint (2).

Anno 1728 Die 28 Februarii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Dilectis filiis Decano, & Theologis Collegiatis Univerſitatis Theologicę Placentinę.

BENEDICTUS PP. XIII. XCIV.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CОnſilia veſtra ad ſanam doctrinam propagandam laudabiliter intenta luculento nuper teſtimonio comprobaſtis cum Angelicum Doctorem Sanctum Thomam Aquinatem inſignis iſtius Univerſitatis Sacrarum doctrinarum Ducem, & Magiſtrum adſciviſtis, concordibus ſuffragiis decernentes, plana illa, tutaque via exigendum eſſe Theologię curriculum, & ſaluberrimo dogmatum illius pabulo alenda eſſe ſtudioſorum ingenia. Piam igitur veſtrę virtutis alacritatem paternis laudibus commendantes, vota, quę ſuſcepiſtis, rata fore confidimus, ut nimirum incitamento vobis eſſe ad virtutis imitationem ſentiatis, quem in Theologica palęſtra ad Doctrinę cognitionem, & uberiores ſacrorum ſtudiorum fructus, Patronum optaſtis. Ac vobis, dilecti filii, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Februarii MDCCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Nota.

1. *Placentin.*) In *Italia*.

2. *Adſciverint.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

3. *Archivo.*) In quo exemplar ex Archivo Apoſtolico. Huc ſpectat ſequens Diploma.

CUm ad pias aures Sereniſſimi, & Clementiſſimi Ducis Antonii Farneſii perventum fuerit, vetuſtiſſimam hanc Theologorum Univerſitatem a felicis memorię Innocentio IV Pontifice Maximo, Lugduni ſedente, octavo Idus Februarii anni 1242 Epiſcopo, Clero, cunctiſque Placentię Proceribus ſubmiſſe flagitantibus, per Bullam, quę incipit: Quia profectum Terrę veſtrę in viſceribus amplectimur caritatis &c. erectam, ac eiſdem Privilegiis, indulgentiis, libertatibus, & immunitatibus, quibus Pariſienſis, alięque ſtudiorum generalium Univerſitates fruuntur, decoratam, ex Sanctorum Patrum catalogo ab exordio ſuę Inſtitutionis S. Hieronymum pro peculiari Protectore ſelegiſſe, & die vigeſima Aprilis anni 1718 D. Thomam Aquinatem Comprotectorem adjunxiſſe; idem Sereniſſimus, ac religioſiſſimus Dux, & beneficentiſſimus Patronus, ſuę maximę devotionis ſpiritu ductus in Sacrum Prędicatorum Ordinem, pręcipueque venerationis in mirabilem S. Thomę Doctrinam, poſt accuratam ponderationem ut de pręfata doctrina ſequenda, & amplianda Decretum efformaretur, & in actis Collegii deſcriberetur ab omnibus tam laureatis, & aggregatis, quam laureandis, & aggregandis in poſterum inviolabiliter obſervandum approbavit. Si quidem tantum Eccleſię Doctorem, tanquam Sanctum advocatum magno cum apparatu, & cultu, annuo recurrente feſto, in Altaribus collegialiter adorare, ſimulque tanquam Sapientiſſimum Magiſtrum in Cathedris proſequi ſolet hęc Placentina Univerſitas, quemadmodum declarant duo nova Collegii ſigilla, novaque deaurata Clava impreſſam utriuſque Doctoris imaginem exhibentia, expenſis Comitis Theologi Coſtę affabre elaborata, una cum glorioſa Inſcriptione aureis characteribus in marmorea tabula ſculpta ſupra fores Dominicani Capituli, in quo Collegiati Doctores vigore licentię ab admodum RR. Patribus Prędicatoribus S. Johannis in Canalibus conceſſę, & ab eorundem Patre Reverendiſſimo Magiſtro Generali Auguſtino Pipia, nunc Eminentiſſimo S R.E. Cardinali, in perpetuum firmatę, congregari ſolent.

Quapropter omnibus, & ſingulis Theologis Collegiatis Placentię commorantibus, per Dominum Decanum Laurentium Bazani, Eccleſię Parochialis S. Martini Rectorem die ſexta Novembris 1727 in eodem loco convocatis, & audito oretenus Sereniſſimę Celſitudinis pręlaudato ſenſu a Decano expreſſo, & confirmato per Epiſtolam, quam de Sereniſſimi Ducis ordine Comes, & Eques Vincentius Piazza pręclarus Ducalis Aulę Magiſter, Patri Magiſtro Fr. Decio Bonaventurę Griſino, Ordinis Minorum Sancti Franciſci Conventualium, ſcripſerat, alta, & intelligibili voce lectam a Carolo Patricio Luſcano, Notario Collegii publici, & Cancellario hujus Collegii prędicti, Patres Theologi unanimes, intenta cordis hilaritate, externoque plauſu annuerunt. Decanus igi-

igitur, aliique Theologi, adhęrentes plurimum pręcelcberrimarum Religionum, & Academiarum veſtigiis, quę Angelici Doctoris veridicam, & Catholicam Doctrinam profiteri, docere, & toto virium conatu cuſtodire non deſinunt; Apoſtolicis Eccleſię traditionibus; cęleſtibus Orthodoxorum Patrum Hieronymi, Auguſtini, Ambroſii, & Gregorii documentis, & canonicis Scripturis, quibus omnino conſonat; ęcumenicorum Conciliorum Florentini, & Tridentini pręſertim definitionibus, quę ad extirpandas hęreſes, & noſtrę fidei Dogmata firmius corroboranda, Angelicas veritates adhibuerunt: Et ulterius perpendentes iidem Theologi egregias laudes, excelſaque Encomia, quibus extollitur, & celebratur Angelicę doctrinę ſecuritas a Summis Pontificibus Innocentio VI, Urbano V, Alexandro VII, Clemente VIII, Paulo V, Sixto V, & nuper Benedicto XIII in literis in forma Brevis incipientibus: Demiſſas preces, emanatis quoque die ſexta Novembris anni 1724, & in Conſtitutione, in lucem edita hoc ipſo anno VII Kalendas Junii incipiente: Pretioſus in conſpectu Domini, paragrapho 41, & quod mirabilius eſt, ab ineffabili incarnati Verbi Oraculo illis verbis prolatis: Bene ſcripſiſti de me Thoma; libenter decreverunt, & decernunt omnes, & ſingulos laureatos, & aggregatos, pręſentes, & abſentes, laureandos, & ſimul aggregandos, vel duntaxat aggregandos teneri, & auctorari ad profitendum, tuendam, & promovendam inconcuſſam D. Thomę doctrinam pro omnibus futuris temporibus: utque hoc Decretum in viridi obſervantia adeo neceſſaria ad Angelicę doctrinę, & Catholicę Religionis incrementum, ſemper vigeat, & conſervetur, pariter in actis, & ſtatutis Collegii exarari debere ſanxerunt. Interim peractis Omnipotenti Deo gratiis de accepto beneficio, hos duos ita acclamatos ſapientia, & pietate Sanctę Eccleſię Doctores, Hieronymum, & Thomam Aquinatem, coętaneum Pariſiis, & alibi familiariſſimum Seraphici Doctoris Bonaventurę Collegam, non ſolum particulares Advocatos, ſed etiam Magiſtros noſtros electos, venerabimur, Divinam clementiam exorantes, ut, eorum intercedentibus meritis, quę in veri ſenſus ſacrarum ſcripturarum gloſſa, & expoſitione, necnon in perſpicua cujuslibet Theologię dilucidatione, & methodo, Divino Spiritu afflati reſpective docuerunt, intellectu conſpicere, & quę ambo in via Chriſtianę perfectionis egerunt, imitatione complere valeamus.

Anno 1728 Die 18 Martii.

Monaſterium in Caſtro S. Cæſarei conſtituendum.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XCV.

Venerabili Fratri Epiſcopo Mutinen.

BENEDICTUS PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Regimini univerſalis Eccleſię, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio per ineffabilem divinę ſapientię, atque bonitatis abundantiam pręſidentes, ad ea, per quę Monaſteria, & alia regularia loca devoti fęminei ſexus, in quibus Sacrę Virgines, & pię mulieres divinis obſequiis ſub ſuavi religionis jugo mancipatę vota ſua Altiſſimo in ſanctitate, & juſtitia reddere, multiplicibuſque virtutum meritis in dies proficere, & in occurſum cęleſtis ſponſi, accenſis lampadibus per viam mandatorum ejus felici curſu properare valeant ubique locorum erigi, & inſtitui poſſint, propenſis ſtudiis intendimus, & Paſtoralis officii noſtri partes, peculiari deſuper caritate interponimus, ſicut devotarum perſonarum in id ipſum de conceſſis ſibi a Domino facultatibus largiter conferentium pietas expoſcit, & Nos rerum, locorum, & temporum qualitatibus mature conſideratis, ad Omnipotentis Dei gloriam, ad religionis, & piorum operum incrementum, populique Chriſtiani ędificationem, & animarum ſalutem cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilecta in Chriſto filia Maria Catharina Boſchetti Varani de Camerino nobilis Ferrarien., quod ipſa pio religioſę vitę ſeſe addicendi ſtudio ducta, ad majorem Dei gloriam unum Monaſterium Monialium ſub Regula Ordinis S. Dominici in Caſtro Sancti Cęſarei Mutinen. Diœceſis, ſeptem circiter milliaribus a dicta Civitate diſtante, in quo etiam ejus bona ſita ſunt, de eiſdem bonis ſuis erigere, ibique congrua dote aſſignata pro alimonia, & ſuſtentatione duodecim Monialium, manſionem ſuam eligere, & reliquum vitę ſuę curſum ſe Deo devovendo tranſigere, & ad hunc effectum Monaſterium hujuſmodi exactę, & probatę obſervantię, in quo Religioſę abdicatis omnibus ſeculi curis, ſoli Deo, viventes, majora, & promptiora in via perfectionis capere poſſint incrementa, fundare intendit, ſub infraſcriptis conditionibus. Primo, quod hoc novum Monaſterium ſubeſſe debeat regimini, & directioni dilectorum filiorum Fratrum regionis Sanctę Sabinę Provincię utriuſque Lombardię dicti Ordinis, cum plena exemptione a juriſdictione Ordinarii, qui ad prędictę Marię Catharinę ſtimulum, & incitamentum prębuerunt pręclara, tam perfectę obſervantię, quam religioſę pietatis exempla, quę in Monaſteriis Monialium Sancti Rochi, & *Sanctę* Monicę Civitatis Ferrarien. prędictorum Fratrum gubernio ſubiectis, cum laude, & admiratione in dies ſemper magis effulgent, in quorum ultimo duę ejuſdem Marię Catharinę natę Moniales expreſſe profeſſę reperiuntur. Secundo, quod in prędicto Monaſterio nullę crates collocutorii fieri debeant, nec Moniales alloqui poſſint ad januam clauſtri, ſed occurrente neceſſitate, ad rotam duntaxat accedere debeant, itaut nec videre, nec videri queant, ſicut laudabiliter in diverſis Monaſteriis dicti Ordinis, & pręcipue in Monaſterio Sapientię nuncupat. Neapolitan. ſervari compertum eſt. Tertio, ad evitanda omnia ea, quę experientia teſte ſolent eſſe impedimenta regularis diſciplinę, admitti non poſſint.

puel-

puellę educationis cauſa, nec alię mulieres, pręter unam ad ſummum cum eadem Maria Catharina, quę proteſtatur velle ibi vitam ducere, non tanquam Domina, & Fundatrix, ſed tanquam ancilla, & omnium ultima. Quarto, ad occurrendum pluribus aliis malis, & inconvenientibus, non liceat eiſdem Monialibus bellaria, aliave eſculenta, ſeu commeſtibilia cujuslibet ſpeciei condere ad uſum cujuſvis perſonę extra Monaſterium, nec illa emere, vel ab aliis mutuare, ad effectum cuicunque donandi. Quinto, ne propter defectum integrę dotis remaneant excluſę illę, quarum ſuſceptio, attentis ſuis optimis qualitatibus Monaſterio profutura eſſet, cum conſilio, & Capitulo Monialium pars dotis remitti poſſit, interveniente tamen conſenſu Prioris Provincialis Provincię Lombardię ejuſdem Ordinis, cum quo etiam in totum, vel in partem ipſę dotes in uſum Monaſterii, pręſertim quoties fabricę neceſſitas vigeat, impendi valeant. Sexto, ut ex dictis Monaſteriis Sancti Rochi, & Sanctę Monicę aliquis numerus Religioſarum pro Fundatoribus novi, & ex his duę ejuſdem Marię Catharinę natę, & quędam alię ab ipſis proponendę Priori Provinciali, cum conſilio tamen, & conſenſu duorum Fratrum, qui alias Confeſſarii munus in pręfatis Monaſteriis geſſerunt, ac de Monialium eligendarum idoneitate ſecurius judicium efformare poſſunt, quam idem Prior Provincialis, qui in hoc ſui regiminis initio nullam earum cognitionem habere poteſt. Septimo, quod hic Prior Provincialis de biennio in biennium Monaſterii Confeſſarium confirmare valeat, toties quoties Prioriſſa omnium Monialium nomine petierit. Ultimo, quod eidem Marię Catharinę pro hac prima vice licitum ſit eligere, & nominare Vicarium, & Confeſſarium dicti Monaſterii, qui in ipſorum officio continuare debeant, accedente tamen nunc, ſeu pro tempore exiſtentis Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis beneplacito, quouſque vixerint, vel ſaltem donec Monaſterii fabrica a pręfata Maria Catharina a fundamentis erigenda completa fuerit, quę interea pro novis Religioſis domunculam ad formam Monaſterii, cum omnibus ſuis officinis, utenſilibus, aliiſque neceſſariis aptatam, & inſtructam habet, ac demum, quod novum Monaſterium hujuſmodi a Sancta Agnete a Monte Politiano Catalogo Sanctorum nuperrime a Nobis adſcripta nomen, & titulum ſumere, ſub cujus protectione, & patrocinio eſſe debeat. Quare dicta Maria Catharina Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſam Mariam Catharinam ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodata exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutam fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per pręſentes committimus, & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis,& poſtquam Tibi conſtiterit fabricam pręfati Monaſterii cum Eccleſia, campanili, choro, ſacriſtia, refectorio, dormitorio, hortis, & ſpatiis numeris omnibus eſſe abſolutam, & ſupellectili tam ſacra, quam profana ſufficienter inſtructam, necnon eidem Monaſterio annuum redditum, quo numerus prędictus Monialium commode ſuſtentari poſſit vere, & cum effectu fuiſſe aſſignatum, ad petitam erectionem cum ſupradictis conditionibus ſub Regula Ordinis Sancti Dominici, & ſubjectione Superioris Provincialis ejuſdem Provincię, auctoritate noſtra Apoſtolica pro tuo arbitrio, & conſcientia procedas. Ac tibi, ſeu pro tempore exiſtenti Ordinario facultatem tribuimus dotem a Monialibus ſolvendam, pręſcribendi, ipſique novo Monaſterio erigendo omnia, & ſingula privilegia, facultates, indulta, indulgentias etiam plenarias quibuſvis Monaſteriis dicti Ordinis quomodolibet conceſſa communicandi, necnon pręfatas duas ipſius Marię Catharinę natas, & aliquot alias Moniales a Monaſteriis Sancti Rochi, & Sanctę Monicę transferendi, earum tamen, & Ordinarii loci conſenſu accedente, itaut translatio ipſa recta via, & ſine ulla ad extraneum locum diverſione, comitantibus honeſtis Matronis, & ſi commode fieri poſſit, proximioribus conſanguineis ipſarum Monialium transferendarum fiat. Et in reliquis ea omnia, quę per Sacros Canones, Concilium Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prędicti, circa hujuſmodi novorum Monaſteriorum Sanctimonialium erectiones pręſcripta ſunt, religioſe ſerventur. Volumus autem, ut Monaſterium erigendum hujuſmodi, ac illius Moniales in his, quę pertinent ad clauſuram, & in aliis contentis in Conſtitutione felicis recordationis Gregorii PP. XV Prędeceſſoris noſtri ſuper exemptorum privilegiis edita tibi, ac pro tempore exiſtenti Epiſcopo Mutinen. ſubjecta remaneant. Et quia multoties contingere poteſt, quod Religioſis in Vicarium, Confeſſarium, & ęconomum memorati Monaſterii pro tempore deputandis Conventus ejuſdem Sancti Dominici Civitatis Mutinen., non ſine aliquo ejus incommodo adeundus ſit, atque occurrente morbo, vel obitu alicujus ex his Religioſis, vel etiam urgenti, ac repentina neceſſitate ejuſdem Monaſterii ad Conventum Ferrarien., ſeu Priorem Provincialem pręfatos ſtatim non pateat acceſſus, ſicque Superiori dicti Conventus Mutinen. in pręmiſſis providendi onus incumbat, propterea ſupradicti Religioſi, citra prędjudicium regularis obſervantię Priorem, ſeu Vicarium in capite ipſius Conventus Mutinen. in ſuum Superiorem immediatum recognoſcere teneantur. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Provincię, & Ordinis pręfatorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVIII Martii MDCCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

De

Anno 1728 Die 20 Martii.

XCVI.

De extenſione Officii B. Margaritæ (1) a Sabaudia.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

REGNI SARDINIÆ.

AD pias, enixaſque preces Sereniſſimi Regis Sardiniȩ per D. Marchionem de Ormea, ejuſdem Regis apud S. Sedem Miniſtrum, Sanctiſſimo D. N. Benedicto XIII exhibitas, quibus ſupplicatum fuit, quatenus ad augendum cultum erga B. Margaritam de Sabaudia Ordinis Prȩdicatorum, ipſius officium ad univerſum ſuum Regnum, ac Dominia ipſi ſubjecta, necnon ad Regiam Eccleſiam nationalem Sanctiſſimȩ Syndonis Urbis extendere dignaretur, Sanctitas Sua dictum officium ſingulis annis pro die XXVII Novembris ad formam conceſſionis factȩ pro Ordine PP. Prȩdicatorum, ab univerſo Clero Seculari, & Regulari utriuſque ſexus in univerſo prȩfato Regno, & Dominiis eidem Sereniſſimo Regi ſubjectis, ac etiam in Eccleſia nationali Sanctiſſimȩ Syndonis Urbis juxta petita recitari, ac Miſſam reſpective celebrari poſſe, benigne indulſit, atque conceſſit. Die XX Martii MDCCXXVIII.

N. Cardinalis Coſcia.

Loco ✱ Sigilli.

N. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Congr. Secr.

1. *B. Margarita.*) De qua ſæpius dictum fuit. 2. *Archivo.*) In quo autographum.

Anno 1728 Die 20 Martii.

XCVII.

Quædam pro utriuſque Lombardiæ Provincia decernit.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm Nos nuper per quaſdam noſtras literas, deſuper in ſimili forma Brevis expeditas, Priorem Provincialem Provinciȩ utriuſque Lombardiȩ Ordinis Fratrum Prȩdicatorum, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis deputaverimus, prout in prȩdictis noſtris literis, quarum tenorem prȩſentibus pro expreſſo haberi volumus, uberius continetur; Et ſicut dilectus filius Angelus Guillelmus Molo, Procurator Generalis dicti Ordinis, nobis nuper exponi fecit, ut illȩ res, ſeu negotia majoris momenti, quȩ a prȩdicta Provincia in ejus Capitulo Provinciali convocato exequi ſolent, & inſimul cum nulla, & pauciſſima impenſa ejuſdem Provinciȩ fieri poſſunt, decernantur, a Nobis provideri, & ut infra indulgeri, ſummopere deſiderat. Nos, ipſius Angeli Guillelmi votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pȩnis a Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum prȩſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus, ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati; Nos, ut poſtquam idem Prior Provincialis, a Nobis deputatus, Provincialatus ſui officii poſſeſſionem in Conventu Bononienſi Ordinis hujuſmodi adeptus fuerit, unam Magiſtrorum Provinciȩ dietam, cujus Secretarius ſit ille, qui in Socium a dicto Priore Provinciali aſſumeretur auctoritate Apoſtolica, tenore prȩſentium peragi mandamus; ac in ea Magiſtrorum acceptationes, transfiliationes, & ulterius Poſtulationes ad ſimplex S. Theologiȩ, ſtudii Magiſterium, Baccalaureatum Regentiam, & ſimilia fiant, quȩ ſubinde ad dilectum pariter filium Thomam Ripoll, Magiſtrum Generalem prȩdicti Ordinis, pro illorum confirmatione juxta ſolitum tranſmitti debeant; A Magiſtris vero, qui eandam dietam conſtituent, definitor pro Capitulo Generali, ejuſque Socius, eligantur, qui, quatenus opus ſit, in vim ejuſmodi electionis etiam Elector in Capitulo Generali hujuſmodi remaneat. Et quia conveniens videtur, ut huic dietȩ interſint aliqui Quarteriorum, & Nationum, ſaltem primariorum ejuſdem Provinciȩ nomine, illi a Conventu ipſo Bononien., & a vicinis Conventibus pro minori memoratȩ Provinciȩ gravamine, capiantur. Inſuper ut eidem dietȩ prȩdictus Prior Provincialis futurus, uti Caput, preſideat, & una cum illo dilecti filii Thomas Vincentius Frachia (2), pro Pedemontana, Bonaventura Groſſi (3) a Savona, Antonius Boeri (4) a Tabia, & Angelus Michael Baſſi (5), qui in ejus reditu a Prioratu Conventus S. Catharinȩ de Formello Neapolitani ad proprium de Papia, ſtatum etiam Conventuum in illo Regno exiſtentium referre poterit, necnon Hieronymus Morelli (6) a Lucrenſarzanenſi pro Januenſi, reſpective Nationibus, & Vincentius Ludovicus Gotti (7), Thomas Caneti (8) & Michael Pius Providoni (9), pro Quarterio, ſeu Statu Romano, Thomas Laurentius Zacherini (10), pro Romandiola, Jos. Baptiſta Giampè (11) a Fabriano, pro Marchia, Joannes Dominicus Siri (12), & Bonifacius Faſſati (13), pro Quarterio Veneto, Paulus Hieronymus Gallerate (14), Joſephus Agudio (15), & Hyacinthus Zamarra (16), qui in totum ſexdecim numero exiſtunt Fratres expreſſe profeſſi Provinciȩ, & Ordinis prȩdictorum, pro Quarterio, & natione Mediolanenſi, auctoritate, & tenore prȩſentium ordinamus. Et quatenus aliquis ex prȩdictis Religioſis ſupranominatis deeſſet, aut ejuſmodi dietȩ intervenire minime poſſet, dictus Thomas

Ma-

Magiſter Generalis, dummodo ſit in tempore, alios Religioſos uſque ad numerum ſupra expreſſum, ſubſtituendi, ſin minus alii, qui remanebunt, haud dubie prȩmiſſa omnia libere, & valide peragendi, facultatem harum ſerie concedimus, & impertimur. Decernentes eaſdem prȩſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari: ſicque in prȩmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus prȩmiſſis, ac conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provincię, & Ordinis, prȩdictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prȩmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores prȩſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prȩmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romȩ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX Martii MDCCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.
2. *Frachia.*) Exprovincialis *Lombardiæ*, qui tunc Provincialatum expleverat. Ipſius mentio in *Conſtitutione LVII* hujus Pontificatus.
3. *Groſſi.*) Inquiſitor *Faventinus*.
4. *Boeri a Tabia.*) Publicus Profeſſor in Univerſitate *Bononienſi*.
5. *Baſſi.*) Alumnus *Papienſis* Cœnobii, quod ad *Quarterium*, ut loquuntur, *Januenſe* ſpectat, licet Urbs *Papienſis* ſit in *Mediolanenſi* Ducatu.
6. *Morelli.*) *Imolenſis* Monaſterii Monialibus a Confeſſionibus erat.
7. *Gotti.*) S. R. E. Cardinalis poſtea renunciatus.
8. *Canesi.*) In Univerſitate *Bononienſi* Profeſſor.
9. *Providoni.*) Bibliothecæ Conventus *Bononienſis* Præfectus.
10. *Zacherini.*) Alias Regens in Studio Generali *Bononienſi*, tunc publicus *Faventiæ* Profeſſor.
11. *Giampè.*) Inquiſitor *Placentinus*.
12. *Siri.*) Cui Philoſophiæ libros ab ipſo ſcriptos, ac Theologiæ Moralis *S. Antonini* novam editionem debet literarius Orbis.
13. *Faſſati.*) Prior *Ferrarienſis* Cœnobii.
14. *Gallerate.*) Exprovincialis Lombardiæ, & tunc Inquiſitor *Bononien.*, de quo dictum fuit.
15. *Agudio.*) Exprovincialis Lombardiæ, ac alias in Univerſitate *Bononienſi* Profeſſor.
16. *Zamarra.*) Tunc Regens in Studio Generali *Bononienſi*.

Nota quod ejuſdem *Benedicti XIII* Reſcripto additi ſunt *P. Magiſter Frater Jacobus Boni*, Romanus, qui vulgandis ejuſdem Summi Pontificis operibus ſuper *Exodo*, aliiſque ſtrenue inſudaverat, ac vir egregius P. Magiſter *F. Placidus Seraphinus Rodenghi*, *Brixienſis*.

Biretum Purpureum mittit ad F. Vincentium Ludovicum Gotti (1) S. R. E. Cardinalem.

Anno 1728 Die 3 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCVIII.

Dilecto filio noſtro Vincentio Ludovico Gotti Ordinis Fratrum Prȩdicatorum S. R. E. Cardinali.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Inter graviſſimas Apoſtolatus curas, quas pro Chriſti Eccleſia ſuſtinemus, illa nos prȩ ceteris ſollicitat, ut venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Collegium Sedis Beati Petri, & univerſȩ Eccleſiȩ Senatus ampliſſimus iis prȩfulgeat perſonis, quas tam ſublimis gradus deſiderat, & Sacrorum Canonum decreta requirunt. Itaque Te, matura, prudentique deliberatione prȩvia, in Sacrum eorundem Cardinalium Collegium adlegendum, & coaptandum cenſuimus, tua enim probata pietas, & Catholicȩ Religionis zelus, necnon rerum uſus, prudentia, ſacrarum literarum ſcientia, aliaque eximia virtutum decora cum ſingulari erga Nos, & Sedem Apoſtolicam fide, & devotione conjuncta te Nobis, & dictȩ Sedi ita commendarunt, ut Nos in Domino plane ſperare juberent, miniſterium tuum Eccleſiȩ Dei magno uſui, atque ornamento futurum. Ad te igitur ejuſdem S. R. E. Cardinalem creatum ſublimis dignitatis hujuſmodi unum ex inſignibus biretum purpureum per dilectum filium Joſephum Aloyſium, ſeu Ludovicum de Andujar (3) Fratrem expreſſe profeſſum Ordinis Prȩdicatorum in Sacra Theologia Magiſtrum cubicularium noſtrum mittimus, ut poſtquam illo reverenter, ut par eſt, inſignitus fueris, hujus ſplendidiſſimȩ purpurȩ nota admoneri Te intelligas, Te in excelſa S. R. E. dignitate conſtitutum adverſus quȩcunque pericula ſine exceptione interritum, atque invictum pro eadem Eccleſia ſtare oportere, uſque ad pretioſam in conſpectu Domini ſanguinis effuſionem. Quem vero ad te mittimus cum ob rem ipſam de qua mittitur, tum noſtra cauſa, ut benigne, libenterque excipias, omnibuſque caritatis officiis proſequaris, magnopere cupimus. Volumus autem, ut antequam biretum hujuſmodi ſuſcipias, juramentum a dicto Joſepho Aloyſio, ſeu Ludovico tibi exhibendum omnino prȩſtare, illudque manu tua ſubſcriptum, ad Nos per eundem Joſephum Aloyſium, ſeu Ludovicum, ſeu aliam perſonam quantocitius tranſmittere, ac ſummam quingentorum quadragintaquinque ſcutorum auri de Camera pro juribus annuli Cardinalitii Congregationi de Propaganda fide per felicis recordationis Gregorium PP. XV Prȩdeceſſorem noſtrum applicatis, in manibus memorati Joſephi Aloyſii, ſeu Ludovici perſolvere omnino tenearis. Datum Romȩ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Maii MDCCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto. F. Card. Oliverius.

1. *Gotti.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *De Andujar.*) *Bononienſis* Inquiſitor a *Clemente XII* non multo poſt obitum S. M. *Benedicti XIII* renunciatus eſt vir clariſſimus *Joſephus Aloyſius de Andujar*, cui non paucas hujus operis Pontificias Conſtitutiones debet literarius orbis.

Anno 1728 Die 3 Maii.

Eadem de re.

Ex Archivo (1) Ordinis.

XCIX.

Dilecto filio noſtro Georgio Spinulę Tit. Sanctę Agnetis Presbytero S. R. E. Cardinali Sanctę Agnetis nuncupato Legato Bononię.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NOvę dignitatis inſignia ad dilectum filium noſtrum Vincentium Ludovicum Gotti, quem in S. R. E miniſterio collegam Tibi meritiſſimum adſcribimus, deferet dilectus filius Joſeph Aloyſius de Andujar noſtri Ordinis Prędicatorum domeſticę noſtrę Bibliothecę Prętectus (2). Quę vero tua eſt in hanc Sanctam Sedem, Noſque ipſos inſignis planeque filialis obſervantia, minime dubitamus, quin tuę auctoritatis, & humanitatis officiis eundem, impoſito miniſterio, & generis, ac virtutis dotibus ornatum ita ſis excepturus, ut pręclaris animi, atque Ordinis tui ornamentis apprime reſpondeas. Æquiſſimum autem providentię noſtrę in remuneranda virtute judicium, ad Bononienſis nominis claritatem, tuęque pręſertim auſpicatiſſimę legationis felicitatem, ac lętitiam pertinere gaudentes, tibi, dilecte fili noſter Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Maii MDCCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

C. Archiep Emiſſenus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.
2. *Bibliotheca Præfectus.*) Doctrina, & politiori literatura conſpicuus.

Anno 1728 Die 3 Maii.

Eadem de re.

Ex Archivo (1) Ordinis.

C.

Cariſſimo in Chriſto filio noſtro Jacobo Magnę Brittannię Regi Illuſtri.

BENEDICTUS PP. XIII.

Cariſſime in Chriſto fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolicę procurationis miniſterium poſtulabat, ut in ampliſſimum S. R. E. Cardinalium Collegium viros emeritos coaptaremus, qui operam ſuam Sacroſanctę Religioni, atque huic Sanctę Sedi egregie probaſſent, & quorum ſapientia, & virtus uberiores adhuc fructus eccleſiaſticis rationibus polliceretur. Hujus proinde Nobis injunctę ſollicitudinis, officiique partes, ut expleremus, dilectum filium noſtrum Vincentium Ludovicum Gotti ex noſtro Prędicatorum Ordine religioſę diſciplinę, & ſacrę doctrinę laude, ſcriptis autem ſane luculentis, piiſque, & ſalutaribus laboribus commendatiſſimum, in eum Ordinem adlegimus. Cum novę autem dignitatis inſignibus ad eundem ablegavimus dilectum filium Joſephum Aloyſium de Andujar ejuſdem Ordinis, domeſticę noſtrę Bibliothecę Pręfectum, cujus tam generis, quam animi ornamenta plane digniſſima ſunt, quę Majeſtatis tuę benignitate, ac patrocinio pręfruantur. Eidem propterea in mandatis dedimus, ut Majeſtatem tuam noſtro nomine conveniret, & coram fuſius explicaret paternę noſtrę voluntatis ſtudia, quibus eximias animi tui dotes proſequimur, regięque domui tuę ab Omnipotenti Deo veram, & perennem felicitatem depoſcimus, cujus interea pignus eſſe cupimus Apoſtolicam Benedictionem, quam tibi, cariſſime in Chriſto fili noſter, amantiſſime impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Maii MDCCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

C. Archiep. Emiſſenus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

Ea-

Eadem de re. Anno 1728 Die 3 Maii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Clementinę Magnę Britannię Reginę Illuſtri.

BENEDICTUS PP. XIII. CI.

Cariſſima in Chriſto filia noſtra, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD dilectum filium noſtrum Cardinalem Vincentium Ludovicum Gotti, quem poſtulantibus eximiis meritis, & hujus S. Sedis rationibus Cardinalitia dignitate auximus, purpureum biretum miſimus per dilectum filium Joſephum Aloyſium de Andujar noſtri Ordinis Prędicatorum, familiarem noſtrum, & domeſticę noſtrę Bibliothecę Prępfectum. Eidem autem ſedulo injunximus, ut Majeſtati tuę verbis noſtris plurimam ſalutem impertiret, & paternę voluntatis ſenſus, precesque aſſiduas, quas ad Cęlorum Regem pro tua incolumitate ſuſcipimus, coram exponeret. Regia vero humanitate tua freti plane confidimus, eundem dilectum filium generis ſui, & religionis laudibus conſpicuum, mandatiſque noſtris ornatum, iis benignitatis tuę ſignificationibus exceptum iri, quę filialem tuam erga Nos obſervantiam amplius confirment, cui Nos vicem ſtudioſiſſimę caritatis reddere cupientes, Majeſtati tuę Apoſtolicam Benedictionem amantiſſime impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Maii MDCCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

Eadem de re. Anno 1728 Die 3 Maii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Venerabili Fratri noſtro Jacobo Epiſcopo Albanenſi S. R. E. Card. Boncompagno nuncupato.

BENEDICTUS PP. XIII. CII.

Venerabilis Frater noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ETſi compertum habemus, quanta humanitate complecti geſtias viros emeritos, mandatiſque noſtris inſtructos, ut tamen, quod tua ſponte, tuaque virtute poſtulante ſuſciperes, adhuc commendatione noſtra poſcente alacrius prędes, Fraternitatis tuę humaniſſima officia libenter requirimus in excipiendo dilecto filio Joſepho Aloyſio de Andujar noſtri Ordinis Prędicatorum Profeſſore, & Bibliothecę noſtrę domeſticę Prępfecto, quem generis, doctrinę, & virtutis merita ſatis commendant. Illum Nos ad dilectum filium noſtrum Vincentium Ludovicum Gotti Cardinalitię dignitatis inſignia delaturum ablegavimus, a quo ſingularem in te animi noſtri benignitatem, & pręclaram, quam de eximiis tuis virtutibus gerimus, opinionem accipies. Interea Fraternitati tuę cęleſtium bonorum copiam adprecantes, tibi, venerabilis Frater noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Maii MDCCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

C. Archiep. Emiſſenus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

Eadem de re. Anno 1728 Die 3 Maii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Dilecto filio noſtro Carolo Sanctę Marię in Aquiro S. R. E. Diacono Cardinali Marino nuncupato Legato Romandiolę.

BENEDICTUS PP. XIII. CIII.

Dilecte fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRo tuis erga Nos ſtudiis, atque in hanc Sanctam Sedem pręclaris meritis, nullas patimur intercedere occaſiones, per quas nova tibi exhibere poſſimus teſtimonia peculiaris, ac prorſus paternę voluntatis, qua eximias eruditionis, ſolertię, & integritatis tuę dotes proſequimur. Dilecto igitur filio Joſepho Aloyſio de Andujar noſtri Ordinis Prędicatorum, ad dilectum filium noſtrum Vincentium Ludovicum Gotti ejuſdem Ordinis inter S. R. E. Cardinales a Nobis relatum novę dignitatis inſignia deferenti, ſedulo mandavimus, ut tibi verbis noſtris ſalutem plurimam diceret, quantoque te in pretio, & hono-

honore habeamus, renovatis Apoſtolicę caritatis ſignificationibus, amplius confirmaret. Quibus autem ille a genere, doctrina, & regulari obſervantia ornetur laudibus, tam eſt tibi compertum, quam humanitas tua teſtata Nobis, & explorata eſt. Itaque non dubitamus, quin opportuna benevolentię, ſtudiique tui officia, ubi res poſtulaverit, ſit excepturus. Ac tibi, dilecte fili noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Maii MDCCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

C. Archiep. Emiſſenus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1728 Die 23 Junii.

Facultatem Theologalis Laureæ viris emeritis in Univerſitate Mutinenſi conferendæ ratam habet, ac firmat (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Dilecto filio Bartholomæo Saſſarino (3), Rectori Univerſitatis Mutinen.

CIV. BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum primum oblatas per dilectum filium Johannem Dominicum Agnanum noſtri Ordinis Prædicatorum Profeſſorem ſupplices pro Univerſitatis iſtius rationibus preces accepimus, libenter communibus votis obſecundantes curavimus, ne quis ſollicitudinis ſcrupulus cuiquam ſupereſſet, de facultate Laureę Theologalis, ſive antea delatę, ſive in poſterum deferendę. Nam ejuſdem dilecti filii merita, perſpecta nobis admodum, & commendata (4), tum præclara inſignis Collegii ſtudia in Angelicam Sancti Thomæ doctrinam, non obſcurum propenſę noſtrę voluntatis argumentum depoſcere videbantur. Nuper vero in tuæ obſervantiæ ſignificationibus, pios, gratoſque Univerſitatis ſenſus paterne complexi, illud ipſum Pontificiæ benevolentiæ teſtimonium novo Apoſtolicæ benignitatis monumento conſignandum reputavimus. Itaque per haſce etiam noſtras in forma Brevis literas ratam, firmamque eſſe decernimus, & declaramus Theologalis Laureę viris emeritis conferendę, quam antea diximus, facultatem. Cum autem ad fovendum, augendumque ſacrarum artium cultum, & diſciplinam intenta eſſe providentię noſtrę conſilia ſatis intelligas, enitere, dilecte fili, ut pari contentione virtutis caritati noſtrę, & publicę expectationi Collegarum opera cumulatiſſime reſpondeat; ſanęque Doctrinę, & Eccleſiaſticis ſtudiis fructus noſtrę beneficentię conſtet in dies uberior. Ac tibi, dilecte fili, collegiſque tuis Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Junii MDCCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Carolus Archiep. Emiſſenus.

1. *Firmat.*) Huc ſpectat ſequens Epiſtola.

BEATISSIME PATER.

Cum Pater Magiſter F. Johannes Dominicus Agnani ex inſigni Ordine Prędicatorum probare vellet egregio beneficio amorem, quo proſequitur hanc Mutinenſem Univerſitatem, in qua ille pridem, non ſine magna ſui laude, publice ſcientias edocuit, Sanctitati veſtrę humillimas preces exhibuit, eidem huic Univerſitati Privilegii, ac facultatis confirmationem, & quatenus opus eſſet, conceſſionem impetraturus, donandi laurea Theologali quotquot in hac ſcientia ſatis excelluiſſe probaſſet: Annuit votis clementiſſima veſtra Beatitudo, atque ille ad me ejuſdem Univerſitatis, & Sancti Caroli Congregationis Rectorem ſupplices libellos gratioſo reſcripto ſignatos tranſmiſit, quos quanto exceperim gaudio, difficile dictu eſt. Intelligebam enim quanta fieret huic Univerſitati decoris acceſſio, quantum exinde ſcientiis ipſis accederet dignitatis, & ornamenti, unde diſcentium animi in dies ad hæc ſtudia capeſcenda incitarentur acrius, atque inflammarentur. Quare cum tota hæc Congregatio mecum plane videat, Diſcipulos Divi Thomę non tantum firmitate, & ſublimitate Doctrinæ magno ſibi eſſe ornamento, ſed etiam pro viribus augere decorem, atque incrementa promovere, ideo mecum ſtatuit, ut in poſterum, quod fieri jam cęperat, Doctrina publice tradenda, ab Angelici Doctoris fonte hauriatur, quippe quæ quantum ſublimitate eminet, tantum ab omni prorſus erroris ſuſpicione remotiſſima eſt, quod eo fidentius aſſerere poſſumus, poſtquam ſupremo Sanctitatis veſtrę oraculo extra omnem dubitationis aleam poſitum fuiſſe, libentiſſime, ac gratulanter accepimus. Fulgebit ergo nitidius Angelici Doctoris lumen in hac etiam univerſitate, poſtquam invidas nebulas veſtra Beatitudo deterſit, atque fugavit. Fulgebit, inquam, & radios ab una ſaltem ex hiſce Cathedris effundet, quæ ſemper uni, ex inſigni Prædicatorum Ordine patebit, ut etiam nunc de facto patet egregio, & erudito viro Patri Fratri Jo: Paulo Ricci publico Profeſſori. At ſi tanto grati animi ſenſu afficior erga rivulum per quem ad me beneficia tanta fluxerunt, quis mens erit ſenſus erga fontem, unde illa eadem profluxerunt? En itaque ſolio Sanctitatis veſtrę venerabundus provolvor, & quoniam beneficii amplitudo omnem dicendi copiam excedit, ideo illud unum uſurpaverim, quo nihil poteſt facundius, ſcilicet gratias, quas poſſum, humiliter ago, atque hoc ipſum ſentiendo copioſius, quam loquendo. Interim vota concipio, ut D. O. M. incolumitati Beatitudinis veſtrę proſpiciens, felicitati noſtrę conſulat, conſulat

uni-

univerſalis Eccleſię utilitati, ut Apoſtolicam Benedictionem dimiſſiſſime expoſcens Sanctiſſimis pedibus oſcula libo

Sanctitatis veſtrę

Mutinę X Aprilis MDCCXXVIII.

Humillimus, Obedientiſſimus, Servus obſequentiſſimus

Bartholomęus Saſſarini.

2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum ex autographo *Mutinen.*

3. *Bartholomæo Saſſarino.*) Viro clariſſimo.

4. *Ejuſdem dilecti filii merita perſpecta Nobis admodum, & commendata.*) Noverat enim præclaras, & egregias dotes, quibus præſtat; ſciebat quanta ſit eruditione, ſcientia, & in agendis dexteritate. Ejuſdem meminit *Echard Tomo II Scriptorum Ord. ad annum MDCCXVII pag. 795*, & in hoc emendandus, quod ipſum *Mantuanum* dixerit. *Mutinenſis* ſiquidem Cœnobii filius eſt amantiſſimus, & beneficus reparator. De eodem loquitur ſequens inſtrumentum.

Adi 13. Novembre 1728.

Si adunò la Congregazione de RR. Sacerdoti della B. Vergine, & S. Carlo della Croce della Pietra di queſta Città nella Camera dell'infraſcritto Sig. Guardiano cioè

Sig. Dottore Bartolomeo Saſſarini Guardiano.
Sig. Dottore Martio Vivi.
Sig. Don Franceſco Cattani.
Sig. Dottore Gratio Gaddi.
Sig. Don Giuſeppe Bertelli.
Sig. Dottore Antonio Sighinolfi abſente.
Sig. Dottore Ferdinando Gaſparoni.
Sig. Don Franceſco Bortolani.
Sig. Dottore Giuſeppe Barbieri.
Sig. Don Stefano Ghibellini.
Sig. Don Matteo Maratorſi.
Sig. Don Luigi Arrigoni.
Sig. Don Domenico Mainardi.
Sig. Don Giacomo Vincenzi.
Sig. Don Aleſſandro Guicciardi.

COnſtituenti la maggior parte di detta Congregazione, abſente ſolo il detto Sig. Sighinolfi legitimamente impedito, come aſſerì detto Sig. Guardiano. Premeſſa la ſolita orazione, il prefato Sig. Guardiano eſpoſe, come eſſendoſi compiaciuto il Molto Reverendo Padre Maeſtro Fr. Gian-Domemenico Agnani Modaneſe dell'Ordine de Predicatori, ora compagno del Reverendiſſimo P. Procuratore Generale del medeſimo Ordine, ed inſieme Bibliothecario Caſanatenſe abitante preſentemente nell'alma Città di Roma, e che con tanta dottrina, ed applauſo commune ha inſegnata in queſt'Univerſità per ſei anni continui la Filoſofia, e ſucceſſivamente per altri ſei anni la Teologia, di ſupplicare la Santità di Noſtro Signore Papa Benedetto XIII; accioche ſi degni confermare al Collegio de Teologi della medeſima Univerſità la facoltà di conferire la laurea dottorale di Sacra Theologia, conferita già per lo paſſato dalla ſteſſa Univerſità, & quatenus opus ſit, concederglila di novo, reſtando convalidate ad ogni buon fine, ed effetto le lauree dottorali ſin ora conferite: In riſcontro alle quali ſuppliche avendo riportato con un Breve di Sua Beatitudine la grazia, e fatta la ſpedizione di tal Breve alle mani del mentovato Sig. Guardiano, queſti volle farne conſapevole la Congregazione, ordinando, che fuſſe letto publicamente, e fu udito del ſeguente tenore. Dilecto filio Bartholomęo Saſſarino Rectori Univerſitatis Mutinenſis Benedictus PP. XIII dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum primum oblatas per dilectum filium Johannem Dominicum Agnanum noſtri Ordinis Prędicatorum Profeſſorem ſupplices pro Univerſitatis iſtius rationibus preces accepimus, libenter communibus votis obſecundantes curavimus, ne quis ſolicitudinis ſcrupulus cuiquam ſupereſſet, de facultate laureę Theologalis, ſive antea delatę, ſive in poſterum deferendę. Nam ejuſdem dilecti filii merita perſpecta Nobis admodum, & commendata, tum pręclara inſignis Collegii ſtudia in Angelicam Sancti Thomę doctrinam non obſcurum propenſę noſtrę voluntatis argumentum depoſcere videbantur. Nuper vero in tuę obſervantię ſignificationibus pios, gratoſque Univerſitatis ſenſus paterne complexi, illud ipſum Pontificię benevolentię teſtimonium novo Apoſtolicę benignitatis monumento conſignandum reputavimus. Itaque per haſce etiam noſtras in forma Brevis literas ratam, firmamque eſſe decernimus, & declaramus Theologalis laureę viris emeritis conferendę, quam antea diximus, facultatem. Cum autem fovendum, augendumque ſacrarum artium cultum, & diſciplinam intenta eſſe providentię noſtrę conſilia ſatis intelligas, enitere, dilecte fili, ut pari contentione virtutis caritati noſtrę, & publicę expectationi collegarum opera cumulatiſſime reſpondeat. Sanęque doctrinę, & eccleſiaſticis ſtudiis fructus noſtrę beneficentię conſtet in dies uberior. Ac tibi dilecte fili, Collegiſque tuis Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII Junii MDCCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quinto. C. Archiepiſcopus Emiſſenus. Succeſſivamente rilevando il mentovato Sig. Guardiano quanto ſia l'obligo di queſta Congregazione verſo del Santo Padre a motivo di una grazia ſi ſegnalata, e verſo l'inclita Religione de' Predicatori per averla incontrata partialiſſima ſempre di queſta Univerſità, e Collegio, conchiuſe eſſer ben convenevole, e doveroſo, che in rendimento di grazie al Sommo Pontefice, e per atteſtato di gratitudine alla gran Religione Domenicana ſi erigga, e fondi di nuovo in queſta medeſima Univerſità una Cattedra di Teologia ſotto il titolo di Cattedra di S. Tommaſo con in appreſſo gl'onori tutti, e preeminenze portate ſeco nell'altre Univerſità da un titolo ſi glorioſo, qual Cattedra di San Tommaſo così circoſtanziata da dovuti onori, e preeminenze ſi doni, e concedi alla Religione Domenicana, di modo che, ſoli Domenicani, privative quoad omnes, poſſano aſcendervi ſopra ad inſegnare le ſodiſſime dottrine de loro Santi Maeſtri Agoſtino, e Tommaſo. E perche il donativo, e conceſſione di tal Catedra alla Religione Domenicana ſia perfettamente intero, ſoggiunſe il mentovato Sig. Guardiano eſſere convenevole, che la Congregazione ſi ſpogli del Gius di ſcegliere, ed allegare fra Domenicani il ſoggetto, che debba riempirla,

ed a

ed a contemplatione, che il Padre Maeſtro Fr. Gian-Domenico Agnani principale motore della ſudetta grazia, e figliuolo del Convento di San Domenico di Modena tale Gius elettivo ſi conferiſca a PP. Domenicani figliuoli del Convento medeſimo in eſſo attualmente eſiſtenti, quali Padri in vigore di queſta conceſſione avranno in perpetuo la facoltà di eleggere fra PP. Domenicani chi, quando, e come loro piacerà per Catedratico ſenza obligazione però di mantenere, ſe a loro piaceſſe di laſciarla tal volta o ſempre vacante, ripiena la ſopradetta Catedra. E queſta Catedra doverà eſſer così propria de PP. Domenicani, che alla Congregazione non reſti altro, che l'obligo di ricevere, riconoſcere, e ſegnare per publico Profeſſore, come ſopra il Domenicano, che le verrà pro tempore preſentato in nome de PP. figliuoli del Convento di S. Domenico di Modena, quali avendo generoſamente rifiutata ogni ſorta di onorario per queſta Catedra, mettono in dovere la Congregazione di determinare, che non ſi alterino punto in riſguardo alli Profeſſori Domenicani le coſtumanze dell'Univerſità, ſecondo le quali il Lettore filoſofo anziano può eſſere eletto per la Teologale ordinaria qual'ora diviene vacante. Queſta pratica dunque dovrà oſſervarſi di modo, che vacando la Teologale ordinaria, ſe un Domenicano ſarà Lettor filoſofo anziano, ed idoneo potrà avere il gius paſſivo ad eſſa, quantunque da un altro Domenicano foſſe attualmente ricoperta la Catedra di San Tommaſo, e ſuccedeſſe ancora per Lettore filoſofo un Domenicano. Udite le quali coſe, tutti i Reverendi Sacerdoti, pręvia gratiarum actione per detto breve a viva voce, e ſenza una minima contradizione approvarono, ratificarono, & emologarono, approvano, ratificano, & emologano in tutto, e per tutto quanto è ſtato propoſto dal ſudetto Sig. Guardiano, ordinando a me di ſtendere il preſente partito, e pregando a farne rogito tale, la dicui copia autentica conſegnata a RR. PP. Domenicani abbia forza, e vigore d'irrevocabile iſtromento. E così terminò la Congregazione. Ego Pontianus q. D. Vincentii de Pontianis J. V. D. Civis publicus Imperiali, ac Illuſtriſſimę Communitatis Mutinę auctoritate Notarius, & prędictę venerabilis Congregationis Cancellarius de prędictis omnibus rogatus fui &c. In quorum &c. aliena manu &c. mihi in fidem &c. noſtri &c.

L.D.D.M.B.V.V.D.J.&c.

Loco ✝ Sigilli.

Conſervatores Civitatis Mutinę. Cunctis atteſtamur ſupradictum D. J. V. D. Pontianum de Pontianis de prędictis rogatum fuiſſe, & eſſe publicum, legalem, fideque dignum Notarium Mutinenſem, ejuſque ſcripturis publicis, & authenticis fidem indubiam ſemper adhibitam fuiſſe, atque in dies adhiberi in judicio, & extra. In quorum &c. Datum Mutinę ex Cancellaria noſtra hac die 17 Decembris 1728. Paulus Bentius Cancellarius Coad. &c. Ex Archivo Ordinis in quo autographum.

Anno 1728 Die 6 Septembris.

CV.

De Balnearienſis (1) Cœnobii Parochiali (2) Eccleſia.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

I. Summus Pontifex lites inter eccleſiaſticas perſonas extinguit.

CONtentiones & lites inter quaſcunque religioſas familias, pręſertim vero inter noſtri ordinis Fratrum Prędicatorum, aliaſque Eccleſiaſticas perſonas, quę quidem lites ſine graviſſimis incommodis & impenſis, atque divini cultus, animarumque ſalutis detrimento ferri nequaquam poſſunt, ad nos pertinet extinguere, & prorſus eliminare, quemadmodum pontificii muneris noſtri ratio ſuadet, ut jus ſuum ſuprema, quam in terris obtinemus auctoritate, unicuique tribuamus, inſuper & alia libenti animo peragentes, quę ſalubriter expedire animadvertimus.

II. Parochialis Eccleſia Balneariæ, Rheginenſis Provinciæ, a Cœleſtino III. Apoſtolicæ Sedi ſubjecta, poſtmodum tranſit in jus Canonicorum Baſilicæ Patriarchalis Lateranenſis, qui eam vendunt Jacobo Rufo, loci domino.

Cum itaque, ſicut accepimus, alias & poſtquam parochialis Eccleſia beatæ Mariæ & Sanctorum XII Apoſtolorum Terræ Balneariæ, nullius diœceſis, provinciæ Rheginenſis, quam olim felicis recordationis Cęleſtinus Papa III prędeceſſor noſter ſoli Romanę Eccleſię ſubjacere decreverat, & ſub beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, Sediſque Apoſtolicæ protectione ſuſceperat, eamque & illius bona, pertinentias, dependentias, ac annexa quęcunque, dictamque Terram una cum ei ſubjectis locis ab omni jugo, poteſtate, injuria & moleſtia quorumcunque hominum liberam omnino eſſe voluerat atque ſtatuerat, pariterque decreverat; poſtremo una cum univerſis ejuſdem parochialis Eccleſię bonis, grangiis, membris, annexis, juribus, actionibus, & pertinentiis quibuſcunque Capitulo & canonicis Eccleſię S Johannis Lateranenſis, nuncupatę de Urbe, conceſſa, ſive illorum menſę capitulari canonice unita, annexa & incorporata extitiſſet, ipſique Capitulum & canonici poſtmodum intendentes ſuam & dictę menſę capitularis conditionem efficere meliorem, omnia & quęcunque bona prędicta ad dictam parochialem Eccleſiam ſpectantia, & pertinentia quondam tunc in humanis agenti Jacobo Rufo dictę Terrę, dum viveret, Domino in temporalibus pro eo, ejuſque ſucceſſoribus, cauſamque ab eo, habentibus, cum hoc, ut dictus Jacobus, ejuſque ſucceſſores, cauſamque ab eo habentes pręfati, centum viginti novem ducatos monetę Neapolitanę, ac nonaginta ſex tumulos frumenti ſingulis annis, necnon tertiam partem bonorum recuperandorum, ad eandem parochialem Eccleſiam etiam ſpectantium & pertinentium, pro dictę parochialis Eccleſię, illiuſque fabricę & ſacriſtię, necnon ejuſdem parochialis Eccleſię rectoris pro tempore exiſtentis manutentione, reſpective, congrua ſuſtentatione perſolvere, & tradere deberent, ac forſan ſub aliis pactis, & conditionibus, tunc expreſſis, pro pretio viginti duorum millium ſcutorum monetę Romanę, ad effectum pretium hujuſmodi in tot bonis ſtabilibus in territorio Urbis exiſtentibus, reinveſtiendi.

III. Gregorius XIII

Ac alias ſub certis modo & forma, tunc expreſſis, ſub Sedis Apoſtolicę beneplacito vendidiſſent;

reco-

recolendę memorię Gregorius Papa XIII. etiam prędeceſſor noſter, qui venditionem hujuſmodi Apoſtolica auctoritate confirmaverat, ſeu confirmari mandaverat, ordinem Fratrum Prędicatorum propagare, divinique cultus in ipſa parochiali Eccleſia incremento conſulere volens, dictam parochialem Eccleſiam, pręvia unionis de illa, dictę menſę capitulari, alias, ut prefertur, factę, diſſolutione, & pro eo, quod tunc aſſereretur ſeu prętenderetur, quod dicta parochialis Eccleſia olim fuiſſet Monaſterium monachorum Ciſtercienſis Ordinis, ſeu quod apud illam monachi dicti Ordinis Ciſtercienſis olim habitaſſent, etiam pręvia dicti Ordinis Ciſtercienſis, omniſque illius dependentię, ac ſtatus, & eſſentię regularium, ac nominis, denominationis, qualitatis & formę monaſterii dicti Ordinis Ciſtercienſis in dicta parochiali Eccleſia, illiuſque ſitu, ſolo, ambitu, domibus, hortis, membris annexis, connexis, juribus & pertinentiis ſuis, ſuppreſſione & extinctione, Ordini Fratrum Prędicatorum Apoſtolica auctoritate conceſſerit & aſſignaverit, ſeu univerit & incorporaverit, & in ejuſdem parochialis Eccleſię domo ſeu domibus, hortis, membris, juribus & pertinentiis hujuſmodi, eidem parochiali Eccleſię contiguis vel adjacentibus, & circumſtantibus unam domum dicti ordinis Fratrum Prędicatorum ſub dicta invocatione, titulo & denominatione beatę Marię & ſanctorum XII Apoſtolorum pro perpetuis uſu & habitatione unius Prioris, & ſaltem aliorum quindecim Fratrum ejuſdem Ordinis Fratrum Prędicatorum ſub certis modo & forma tunc expreſſis erexerit & instituerit, illique ſic erectę & inſtitutę pro ejus Eccleſia dictam parochialem Eccleſiam cum illius domibus, membris, hortis, juribus & pertinentiis, eidem parochiali Eccleſię contiguis, vel adjacentibus & circumſtantibus præfatis, demptis tamen omnibus illis bonis, pręfato Jacobo, ut prefertur, venditis, ſimiliter perpetuo conceſſerit, & aſſignaverit, ac eidem domui Fratrum Prędicatorum ſic erectę & inſtitutę, nennon dictę parochiali Eccleſię, vel illius ſacriſtię, aut fabricę pro ejus dote & manutentione, ac Prioris, & Fratrum pręfatorum ſubventione dictos centum viginti novem ducatos monetę Neapolitanę, ac nonaginta ſex tumulos grani ſeu frumenti, necnon tertiam partem bonorum recuperandorum hujuſmodi, & alia bona mobilia, & immobilia ipſi domui Fratrum Prędicatorum, ut prefertur, erectę & inſtitutę per quoſcunque pro tempore quomodolibet danda, ſeu relinquenda, cum hoc, ut dicti Prior & Fratres in ipſa domo pro tempore degentes dictę parochiali Eccleſię in divinis & alias deſervire, dictamque illius animarum curam exercere, ac jura, oblationes, eleemoſynas, & alia emolumenta parochialia, & ex ſervitio & curę animarum exercitio hujuſmodi provenientia, cujuſvis licentia deſuper minime requiſita, percipere & habere deberent & valerent; ipſique Prior & Fratres hujuſmodi Magiſtro Generali, vel Procuratori Generali ejuſdem Ordinis Fratrum Prędicatorum duntaxat, non autem Provinciali, ſeu Provincialibus, Prioribus, vel aliis miniſtris, ſeu officialibus, niſi ab ipſo Magiſtro Generali, vel Procuratore Generali, pro tempore deputatis viſitatoribus, ſubeſſent, etiam perpetuo applicaverit & appropriaverit.

eandem Eccleſiam Parochialem adſignat Ordini Fratrum Prædicatorum.

Cum vero Prior, & Fratres dictę domus, ut prefertur, erectę & inſtitutę, tunc & pro tempore exiſtentes, juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in dicta Terra, eique ſubjectis locis, quemadmodum Capitulum & canonici prędicti illam exercuerant, etiam exercere continuarent, ſeu continuare vellent, Clerus dictę terrę Priori dictę domus, ut prefertur, erectę & inſtitutę, ſe non eſſe ſubjectum prętendens, ac illi obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas exhibere recuſans ad Sedem Apoſtolicam recurſum habuiſſet, cauſaque hujuſmodi per felicis etiam recordationis Sixtum Papam V etiam prędeceſſorem noſtrum Congregationi ſanctę Romanę Eccleſię Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium prępoſitorum examinanda, & ſine debito terminanda commiſſa extitiſſet, ac iterum propoſita ratione Capituli & canonicorum pręfatorum, qui poſt emanatam ab eadem Congregatione ad favorem eorundem Prioris, & Fratrum contra Clerum pręfatum reſolutionem ad cauſam hujuſmodi, ex cauſis tunc expreſſis ad ſe pertinere, ipſoſque Priorem, & Fratres, ut mendicantes, harum rerum incapaces exiſtere prętendebant, ab eadem Congregatione idem, quod prius ad favorem Prioris Fratrum Prędicatorum pręfatorum ac contra Capitulum & canonicos pręfatos, quod ipſi Priori, & Fratribus liceret hujuſmodi juriſdictionem exercere, bonaque poſſidere, & alia his ſimilia habere uti ex eorum privilegiis plene conſtiterat, determinatum fuerit; Capitulo vero, & canonicis prędictis nedum acquieſcentibus, cum idem Sixtus prędeceſſor univerſam rem ad inſtantiam Capituli, & Canonicorum pręfatorum bonę memorię Antonio Sanctorum Johannis & Pauli Carafę, & Scipioni Sancti Salvatoris in Lauro nuncupatis, reſpective Titulorum Presbyteris, dum viverent, Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalibus, Lancellotto, reſpective nuncupatis, tunc in humanis agentibus, reaſſumendam & cognoſcendam commiſiſſet, ipſique Antonius, & Scipio Cardinales Priorem & Fratres pręfatos ſuper pręmiſſis indebite & injuſte moleſtatos fuiſſe retuliſſent, idem Sixtus prędeceſſor univerſam cauſam hujuſmodi ad ſe avocaverit, litemque hujusmodi penitus & omnino extinxerit, necnon Capitulo, & Canonicis pręfatis ac aliis quibuſcunque perſonis perpetuum ſilentium deſuper impoſuerit, itaut Capitulum & Canonici pręfati nullam prorſus juriſdictionem, nullamque auctoritatem & poteſtatem, ſive prę eminentiam in Eccleſiam & Clerum dictę Terrę in poſterum haberent, ſeu habere deberent, necnon Clero dictę Terrę, & quibuſvis aliis perſonis quacunque auctoritate, dignitate & officio fungentibus in virtute ſanctę obedientię & ſub excommunicationis latę ſententię pęna per contrafacientes eo ipſo incurrenda pręceperit, quatenus omni & quocunque prętextu remoto Priori dictę domus pro tempore exiſtenti in ſpiritualibus obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas exhiberent, & exhibere procurarent, ſicut antea factum fuerat; necnon omnia, & ſingula privilegia, gratias, immunitates, favores, exemptiones, libertates, juriſdictiones & prę eminentias cum ſuis grangiis annexis, eatenus per Romanos Pontifices prędeceſſores ſuos conceſſa, ſeu approbata, & innovata approbaverit & confirmaverit, illiſque perpetuę & inviolabilis firmitatis robur adjecerit; necnon ipſi Priori, & Fratribus prędictis, ut illis omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, favoribus, exemptionibus, libertatibus, juriſ-

IV. Fratres Prædicatores dictæ Eccleſiæ juriſdictionem quaſi Epiſcopalem exercent, quæ a ſummo Pontifice confirmatur.

Nota.

juriſdictionibus, & prçeminentiis, quibus antea Canonici regulares ordinis Sancti Auguſtini Congregationis Lateranenſis, quibus ipſa parochialis Eccleſia primitus conceſſa fuerat, necnon deinde monachi dicti Ordinis Ciſtercienſis, & poſtea Capitulum & Canonici prędicti in eadem parochiali Eccleſia, ac ſuis annexis, & connexis, uſi & potiti fuerant, ęque principaliter & pariformiter, ac ſine ulla prorſus differentia in omnibus & per omnia uti, frui, potiri & gaudere valerent, nec eſſent adſtricti in dicta domo plures eſſe, quam duodecim propter dictę domus tenuitatem & inſufficientiam, nec ad id a quoquam cogi deberent, Apoſtolica auctoritate, motu proprio &c. indulſerit, ac alias, prout in ſingulis Cęleſtini, ac Gregorii & Sixti prędeceſſorum hujuſmodi deſuper confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut etiam accepimus, licet Prior pro tempore exiſtens dictę domus ab emanatis pręfati Sixti prędeceſſoris literis pręfatis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in prędicta Terra ad hęc uſque tempora pacifice, nemine contradicente, exercere continuaverit, nuperrime tamen Clerus dictę terrę denuo ad Sedem Apoſtolicam variis contra modernos Priorem & Fratres dictę domus, tam circa competentiam juriſdictionis hujuſmodi, modumque illam exercendi, ac ſubſiſtentiam nonnullarum ordinationum, a pro tempore exiſtentibus Prioribus dictę domus factarum, ac prçeminentias ac emolumentorum Parochialium participationem, & piorum montium adminiſtrationem, dictęque parochialis Eccleſię ſervitium ac inceſſum ſub Cruce eorundem Fratrum, & ſepulturam Clericorum, necnon conſuetum presbyterorum ſecularium ſpolium, quam circa conſuetudinem exigendi quamdam portionem piſcium, aliorumque comeſtibilium, in diebus feſtivis piſcatorum, & reſpective venditorum, excitatis prętenſionibus, recurſum habuerit; cauſa vero hujuſmodi iterum ad eandem Congregationem venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitorum delata, eaque ab eadem Congregatione, audito prius venerabili Fratre Epiſcopo Miletenſi, intra cujus diœceſis fines dicta Terra cum ſuo territorio exiſtere prętendebatur, dilecto filio noſtro Nicolao S. R. E. Cardinali, Spinula nuncupato, videnda, & referenda commiſſa exſtiterit, concordatiſque coram eo viginti ſex circa prçmiſſa dubiis, & ſignanter, primo videlicet, an conſtet de territorio ſeparato, itaut Clerus & populus Balnearię ſit ſubjectus Priori pro tempore Beati Dominici dictę Terrę, eoque una cum aliis octo ex prędictis viginti ſex dubiis propoſito ſub die vigeſima ſecunda menſis Auguſti anni proxime prçteriti prodierit reſponſum. *Dilata, & coadjuventur probationes, citatis Epiſcopis vicinioribus, & interim Prior concedat cum facultatibus Sacrę Congregationis licentiam concionandi, & audiendi confeſſiones; ſed ſe abſtineat a concedendis dimiſſoriis: & ad mentem, ac ad ſequentia dubia, Dilata*: cumque, ſimul pariter accepimus, Prior & Fratres prędicti, licet pro tuenda pluſquam centenaria poſſeſſione exercitii juriſdictionis hujuſmodi tum antiquis, tum modernis validiſſimis documentis muniti ſint, nihilominus hujuſmodi probationum coadjuvatio, litiſque proſequutio, citatis Epiſcopis vicinioribus, graviſſimum illis afferret incommodum, atque diſpendium; Nos igitur paternę ſollicitudinis ſtudio excitati, Prioris & Fratrum prędictorum ulteriora incommoda, & diſpendia prohibere cupiamus, liteſque hujuſmodi omnino ſubmoveri, ac prorſus evelli, illaſque futuris temporibus nunquam amplius ſuſcitari, Magiſtrum Generalem Ordinis Fratrum Prędicatorum hujuſmodi, & nunc & pro tempore exiſtentes Priorem & Fratres dictę domus ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, eoſque & eorum quemlibet a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum prçſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ac Cęleſtini, Gregorii, & Sixti prędeceſſorum prçfatorum literarum prçfatarum tenores etiam veriores, ac datas, prçſentibus pro expreſſis habentes motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, meraque deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, univerſam cauſam hujuſmodi in prędicta Congregatione, ut prçfertur, introductam, & adhuc pendentem indeciſam, ad nos avocamus, litemque hujuſmodi penitus & omnino extinguimus, ac Clero prçfato, necnon populo dictę Terrę, aliiſque quibuſcunque perſonis perpetuum ſilentium deſuper imponimus; necnon omnia & ſingula privilegia, gratias, immunitates, favores, exemptiones, libertates, juriſdictiones, & prçeminentias eidem parochiali Eccleſię, ejuſque grangiis annexas, tam in inſula Sicilię, quam in provincia Calabrię, per Cęleſtinum, ac Gregorium & Sixtum prçfatos, alioſque Romanos Pontifices prędeceſſores noſtros hactenus conceſſa, & approbata, ac confirmata, ac etiam innovata, Apoſtolica auctoritate earundem tenore prçſentium perpetuo approbamus & confirmamus, illiſque perpetuę, & inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus; necnon ut Prior, aliuſve Superior, necnon Fratres domus prçfatę, nunc & pro tempore exiſtentes, illis omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, favoribus, exemptionibus, libertatibus, ac juriſdictionibus, & quoad Priorem, aliumve Superiorem prçfatum dictę domus, etiam quaſi Epiſcopali, & prçeminentiis, quibus antea Canonici regulares, ac deinde monachi, & poſtea capitulum & canonici prçfati ante factam dictę parochialis Eccleſię Ordini Fratrum Prędicatorum hujuſmodi unionem prçfatam, & poſtremo Prior dictę domus pro tempore exiſtens prçfatus ante prçfatas lites motas eatenus uſi, potiti, & gaviſi fuerunt, in poſterum pariformiter & ęque principaliter, ac ſine ulla prorſus differentia in omnibus & per omnia, etiam quoad exercitium juriſdictionis ordinarię & quaſi Epiſcopalis, uti, frui, potiri, & gaudere poſſint & valeant, ac etiam debeant, Apoſtolica auctoritate prędicta etiam perpetuo decernimus, & declaramus, atque indulgemus.

VI, Balnearia cum toto agro, ſuis limitibus terminato, eidem Eccleſiæ rurſus ſubjicitur.

Et inſuper, quatenus opus ſit, & ut novis litibus, atque diſcordiis, quę in poſterum, ſatore zizaniorum, paciſque inimico procurante, ſuſcitari valerent, via penitus, & omnino prçcludatur, dictam terram Balnearię, univerſumque illius territorium, quod, ut aſſeritur, a diœceſi Miletenſi Orientem verſus in montibus via publica, ac Septentrionem verſus in confinibus oppidorum, ſeu caſtrorum Palmarum, & Seminarię, alveo fluminis, Grimoldi nuncupati, a dicta via publica ad mare decurrente,

a diœ-

a diœceſi vero Rheginenſi Meridiem verſus altero fluvio ruſtico, ſive torrente, aut rivo, a præfata via publica montium etiam ad mare defluente, & Occidentem verſus, mari, reſpective, dividitur, & terminatur, ac loca & villas, ſi quæ ſint in dicto territorio, & intra dicta confinia exiſtentia, & ab eis dependentia, a præfatis, Miletenſi, cujus potius, quam alius cujuſcunque, ſi terra, illiuſque territorium hujuſmodi, ad aliquam diœceſim pertineret, exiſterent, ut pariter aſſeritur, & a Rheginenſi, aliiſque quibuſcunque diœceſibus, nullo Epiſcopi Miletenſis, & Archiepiſcopi Rheginenſis, aliorumque quorumcunque Epiſcoporum, aut Archiepiſcoporum ad hoc requiſito conſenſu, dicta auctoritate similiter perpetuo ſeparamus, & diſmembramus, ac terram, illiuſque territorium hujuſmodi ſic ſeparata, & diſmembrata, necnon prædictam Parochialem Eccleſiam, aliaſque Eccleſias, & Capellas, ſi quæ in terra, illiuſque territorio hujuſmodi nunc extant, & in poſterum extiterint, illarumque rectores, & in eis beneficiatos, aliaſque perſonas inibi beneficia eccleſiaſtica obtinentes, oratoria, hoſpitalia, aliaque loca pia quæcunque, univerſumque Clerum, & populum terræ, illiuſque territorii hujuſmodi per præſentes, ut præfertur, ſeparatorum, & diſmembratorum ab omni, & quacunque juriſdictione, ſuperioritate, correctione, viſitatione, regimine, & adminiſtratione, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus prædictorum Miletenſis, & Rheginenſis, & aliorum quorumcunque Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum vicinorum, ac ab exhibitione reverentiæ, & obedientiæ, necnon ſolutione quorumcunque jurium eis exhibendorum, eadem Apoſtolica auctoritate etiam perpetuo eximimus, & liberamus, ac Nobis, & dictæ Sedi immediate pariter perpetuo ſubjicimus, ac ſub noſtra, ac Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum protectione ſuſcipimus, ac in poſterum terram præfatam, illiuſque territorium, ut præfertur, ſeparatum, & diſmembratum, ac ſeparatam, & diſmembratam, hujuſmodi nullius diœceſis Provinciæ Rheginenſis exiſtere, ac dici, & cenſeri debere eadem Apoſtolica auctoritate decernimus, & declaramus, ac terram præfatam, illiuſque territorium, ut præfertur, ſeparatum, & diſmembratum, ac ſeparatam, & diſmembratam, dictamque parochialem, aliaſque quaſcunque Eccleſias, Capellas, Oratoria, hoſpitalia, aliaque loca præfata in terra, illiuſque territorio per præſentes, ut præfertur, de novo ſeparatis, & diſmembratis præfatis, nunc canonice erecta, & in poſterum etiam canonice erigenda, illarumque rectores, & ſingulos in eis reſpective, beneficiatos nunc exiſtentes, & pro tempore extituros, ac univerſum Clerum, & populum præfatos, illorumque res, & bona quæcunque omnimodæ juriſdictioni, ſuperioritati, correctioni, viſitationi, curæ, regimini, & adminiſtrationi moderni, & pro tempore exiſtentis Prioris dictæ domus, qui ad formam conſtitutionum Ordinis Fratrum Prædicatorum hujuſmodi per dictæ domus Fratres pro tempore exiſtentes canonice eligi, & præfici, necnon ætate maturus, ac moribus ſpectabilis, prudentia quoque præditus, & in ſacris canonibus, quantum fieri poteſt, verſatus, atque in regendo ſaltem aliquo ſuæ Provinciæ inſigni Conventu infracti animi ſolertiæ, dexteritatis, ac prudentiæ ſpecimen dederit, ac intra ordinem graduatus, vel ad minus ad gradus ſuſcipiendos approbatus, atque Magiſtro Generali, vel Procuratori Generali Ordinis Fratrum Prædicatorum hujuſmodi, duntaxat ſubjectus eſſe, necnon a Magiſtro, vel Procuratore Generalibus præfato tam poſtquam pro prima vice canonice per Fratres præfatos electus fuerit, quam poſtquam ſui Prioratus biennium effluxerit, quoties hujuſmodi Prioratus prorogationem concedendam eſſe expediens viſum fuerit etiam, duntaxat confirmari debeat. Priore vero hujuſmodi deficiente, vel eo amoto Supprioris, vel Præſidentis, aut Vicarii dictæ domus in ſpiritualibus, & temporalibus pleno jure ordinario, itaut eorum quilibet in præmiſſis caſibus Prior pro tempore exiſtens præfatus, utpote territorium particulare, & per præſentes, ut præfertur, de novo ſeparatum, & diſmembratum hujuſmodi, vere habens in dicta terra, aliiſque ſibi ſubjectis locis, juriſdictionem quaſi Epiſcopalem exercere, ac Synodum convocare, & in ea Examinatores, ſervata tamen Concilii Tridentini decretorum forma, deputare, atque concurſus pro Parochialibus Eccleſiis in præfata terra, aliiſque ſibi, ut præfertur, ſubjectis locis præfatis exiſtentibus conferendis indicere, ac beneficia quæcunque eccleſiaſtica in Eccleſiis dictæ terræ, illiuſque territorii per præſentes, ut præfertur, ſeparatorum, & diſmembratorum hujuſmodi erigere, & inſtituere, illaque ac etiam nunc exiſtentia, & quæ in poſterum quandocunque extiterint, juxta facultatem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Ordinariis collatoribus de jure, uſu, vel conſuetudine competentem, ſalvis tamen, & illæſis ſemper remanentibus omnibus, & quibuſcunque reſervationibus, & affectionibus Apoſtolicis etiam conferre, & in eis inſtituere, ac literas dimiſſoriales ſuis ſubditis ab aliquo catholico Antiſtite, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habente, clericali charactere inſigniri, & ad omnes etiam ſacros, & presbyteratus ordines rite ſe promoveri facere cupientibus concedere, ac Sacramentum confirmationis a vicinioribus Archiepiſcopis, vel Epiſcopis ſibi magis benevisis, ſuis ſubditis adminiſtrari facere, ſacraque olea ab eo, quem maluerit ex dictis Archiepiſcopis, vel Epiſcopis recipere, necnon primodictæ Parochialis Eccleſiæ, illique inſervientium, ac aliarum Eccleſiarum, Capellarum, Oratoriorum, Hoſpitalium, aliorumque piorum locorum, & reſpective, in eis beneficia obtinentium, ac aliorum ſubditorum præfatorum ubicunque exiſtentium cauſas beneficiales, matrimoniales, ac civiles, & criminales, vel mixtas, ad forum eccleſiaſticum ſpectantes, quotieſcunque, & ubicunque caſus evenerit, quin locorum Ordinarii ullam in ſubditos, alioſque prædictos, eorumque, reſpective, bona, redditus, & proventus, juriſdictionem, ſuperioritatem, dominium, vel poteſtatem, etiam ratione cujuſcunque contractus, necnon cujuſvis generis delicti etiam turbatæ juriſdictionis, vel alterius etiam gravioris ſpeciei, & ſpecialem mentionem requirentis, vel alterius rei ubicunque locorum contractus initus, & delictum commiſſum fuerit, & res ipſa conſiſtat, exercere valeant, non obſtantibus omnibus, & quibuſcunque proceſſibus contra illos, vel illorum aliquem per quoſcunque locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios in ſpiritualibus generales, vel quoſvis alios ad id ab eiſdem locorum Ordinariis deputandos, etiam in caſu negligentiæ moderni, & pro tempore exiſtentis Prioris præfati, pro tempore factis, necnon quibuslibet etiam excommunicationis, vel ſuſpenſionis, & aliis quibuſcunque ſententiis promulgatis, quas nullas & in-

& invalidas, nulliuſque roboris, vel momenti fore volumus, necnon quomodolibet ad pręmiſſa omnia pręfata, etiam in alterius, quam dicti Prioris pro tempore exiſtentis juriſdictionem quomodolibet per ſubditos, aliaſque perſonas hujuſmodi pręſtito, ſeu etiam pręſtando conſenſu, quem non valere decernimus, & declaramus, cognoſcere, decidere, & terminare abſque voto, & conſilio Aſſeſſoris, quatenus Prior pro tempore exiſtens pręfatus in jure canonico verſatus exiſtat, ſin minus cum conſilio, & voto, prout de jure Aſſeſſoris in aliqua approbata Univerſitate ſtudii generalis doctorali laurea inſigniti, vel ſaltem in jure canonico licentiati, in iis tamen cauſis, in quibus de fiſci, vel partium intereſſe agitur, libere & licite poſſit, & valeat eadem Apoſtolica auctoritate etiam perpetuo ſubjicimus, & ſupponimus. Et inſuper Priori pro tempore exiſtenti pręfato, ut quęcunque literę Apoſtolicę, etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam juſtitiam concernentes, & pręſertim ſuper diſpenſationibus matrimonialibus, & in forma *ſignificavit*, quę a nobis, ac Apoſtolica Sede pro perſonis ejuſdem Prioris pro tempore exiſtentis, juriſdictioni ſubjectis, poſt hac concedentur, & ad partes tranſmittentur, eidem moderno pro tempore exiſtenti Priori, tanquam loci Ordinario, non autem Archiepiſcopis, vel Epiſcopis vicinioribus dirigantur, & committantur, dictuſque Prior pro tempore exiſtens literas pręfatas aperire, & exequi, necnon in cauſis & negotiis, quę hujuſmodi literę concernent procedere, eidemque Priori pro tempore exiſtenti, ut in literas pęnitentiarię noſtrę Apoſtolicę eidem Priori pro tempore exiſtenti pro illarum exequutione directas, & ad ſupplicationem perſonarum Prioris pro tempore exiſtentis pręfati juriſdictioni ſubjectarum expeditas, etiam aperire, illaſque etiam exequi in omnibus, & per omnia libere, & licite valeat, ac debeat, ut alii quicunque locorum Ordinarii in ſuis Civitatibus, & Dięceſibus procedere poſſunt, & debent, perpetuo pariter concedimus, & indulgemus.

VI. Clerus ſecularis eidem Eccleſiæ ſubjectus.

Et ut divinus cultus in dicta Parochiali Eccleſia decentius, honorificentiuſque procedat, Priori pro tempore exiſtenti pręfato, ut presbyteros, & clericos ſeculares ſibi, ratione juriſdictionis pręfatę ſubditos, ad ea perſonalia ſervitia, quę cum veſte talari, & ſuperpelliceo, dictę Eccleſię, tanquam Parochiali, & quaſi Cathedrali hactenus pręſtare conſueverunt, & quę de jure pręſtare tenentur pariformiter in poſterum pręſtanda cogere, & pro celebratione Miſſarum ſolemnium, ſive cantandarum in feſtivitatibus, diaconum, & ſubdiaconum ex eodem Clero aſſumere, necnon diaconos, & ſubdiaconos, alioſque clericos ad ſuos, reſpective, ordines in dicta Parochiali Eccleſia exercendos, injunctoque eis de jure munera adimplenda, etiam cogere, & compellere, Presbyteris vero, & clericis pręfatis, ut in choro dictę Parochialis Eccleſię iiſdem modo, & forma, quę hactenus obſervata fuerunt, ſedere, ac in proceſſionibus ſub una, eademque Cruce cum Fratribus pręfatis incedere, iiſdemque Presbyteris, & clericis, qui in veſperis feſtivitatum veſperas, & in majori hebdomada divina officia, horaſque canonicas una cum Fratribus pręfatis, juxta eorundem Fratrum ritum in dicta Parochiali Eccleſia, illiuſque choro pſallentes recitaverint, ut pro illis horis, quas ut pręfertur, recitaverint, non obſtante ritus hujuſmodi diverſitate, proprio oneri abſque nova divini officii juxta proprium ritum recitatione, ſatisfacere, necnon Priori pro tempore exiſtenti pręfato, ut defunctorum clericorum ſpolium ſuper cotta, Breviario, & bireto conſiſtens juxta conſuetudinem in pluribus dięceſibus illarum partium vigentem, exigere. Et attento, quod, ut ſimiliter accepimus, Prior, & Fratres pro tempore exiſtentes pręfati in poſſeſſione, ſeu quaſi, quandam portionem, ſeu decimas piſcium, qui a quibuſcunque perſonis in maritima dictę terrę Balnearię piſcantur, necnon fructuum, & aliarum rerum comeſtibilium, quę in dicta terra, etiam in diebus feſtivis venduntur, exigendi, & percipiendi reperiuntur; Priori, & Fratribus pro tempore exiſtentibus pręfatis, ut eandem portionem, ſeu decimas piſcium piſcatorum, & rerum vendendarum hujuſmodi in poſterum etiam exigere, & percipere, ac piſcantes, & vendentes, hujuſmodi portionem, ſeu decimas hujuſmodi Priori, & Fratribus pro tempore exiſtentibus pręfatis duntaxat, & non alii, vel aliis tradere, & omnino reſpondere. Contradictores vero, & inobedientes, aut rebelles corrigere, mulctare, & etiam ſub eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, aliiſque condignis pęnis compeſcere libere, & licite, reſpective poſſint, & valeant, ac etiam reſpective debeant, & teneantur, ac obligati exiſtant, auctoritate prędicta, etiam perpetuo, reſpective concedimus, & indulgemus.

VII. Hæc Conſtitutio perpetuum robur obtineat.

Pręſentes quoque, ac omnia, & ſingula pręmiſſa ullo unquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, aut nullitatis, vitio, ſeu intentionis noſtrę, vel alio quovis defectu, etiam ex eo, quod cauſę, propter quas eadem pręmiſſa facta fuerint coram locorum Ordinariis, etiam tanquam Sedis pręfatę delegatis examinatę, verificatę, & ab eis approbatę, ac intereſſe forſan habentes ad id vocati, citati, & auditi non fuerint, nec deſuper ſuum conſenſum pręſtiterint, ſeu ex quavis alia cauſa, vel quocunque prętextu, quęſito colore, vel ingenio notari, impugnari, invalidari, retractari, ad viam, & terminos juris reduci, ſeu in jus, vel controverſiam vocari, aut adverſus illos, & illas quodcunque juris facti, vel gratię remedium impetrari minime poſſe, nec ſub ullis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, ſed ſemper ab illis excipi. Et quoties illę emanabunt, toties in priſtinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant, ſtatum reſtituta, repoſita, & plenarie reintegrata, ac de novo etiam ſub quacunque poſteriori data per Magiſtrum, ſeu Procuratorem Generales, aut pro tempore exiſtentem Priorem pręfatos, quandocunque eligendo conceſſas, ac ſemper perpetuo validas, & efficaces eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, eiſdem Magiſtro, ac Procuratori Generalibus, necnon Priori nunc & pro tempore exiſtenti ſuffragari debere, nec eos deſuper a quoquam, quavis auctoritate fungente, vel dignitate fulgente, etiam ſub quovis prętextu, quęſito colore, vel ingenio, cauſaque, & occaſione, inquietari, moleſtari, perturbari, aut impediri, ullatenus unquam poſſe. Sicque & non alias per quoſcunque judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, necnon ejuſdem Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictęque Sedis Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judi-

judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, definiri, & interpretari debere, & quidquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Quocirca pro tempore exiſtenti Sanctę Romanę Eccleſię Cardinali, dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum Protectori, ac dilectis filiis cauſarum Curię Camerę Apoſtolicę Generali Auditori, ac noſtro, & Sedis Apoſtolicę Nuncio in Regno Neapolitano commoranti, nunc & pro tempore exiſtentibus, motu ſimili per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, pręſentes literas, & in eis contenta quęcunque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Magiſtri, ſeu Procuratoris Generalium, aut pro tempore exiſtentis Prioris pręfatorum, aut alicujus eorum, requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, eiſque, & eorum cuilibet in pręmiſſis efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra eaſdem pręſentes, & in eis contenta hujuſmodi ab omnibus inviolabiliter obſervari, eoſque, & eorum quemlibet illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcunque quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pęnas eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſervataque forma Concilii Tridentini, ſententias, cenſuras, & pęnas hujuſmodi incurriſſe declarando, ac etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio, non obſtantibus noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę regula de jure quęſito non tollendo, ac pię memorię Bonifatii Papę VIII ſimiliter Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, vel Dięceſim, niſi in certis expreſſis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Dięceſis ad judicium avocetur, ſed ne judices a Sede pręfata deputati contra quoſcunque procedere, ſeu alii, vel aliis vices ſuas committere pręſumant, ac in generali Lateranenſi Concilio edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate pręſentium ad judicium non trahatur, & quibuſvis aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Ordinis Fratrum Prędicatorum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ac quibuſvis privilegiis, & indultis, ac literis Apoſtolicis eidem Ordini, ac Ordinariis locorum, & quibuſvis eccleſiaſticis, & locis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam conſiſtorialiter, & motu, ſcientia, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac alias quomodolibet, etiam per Nos pluries conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in in illis tradita obſervata, inſerti forent, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, latiſſime, & pleniſſime, ac ſpecialiter, & expreſſe hac vice duntaxat, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus derogamus, & derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem, ut ipſarum pręſentium exemplaribus etiam impreſſis, alicujus in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę perſonę ſigillo, & Notarii manu obſignatis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quę adhiberetur pręſentibus, ſi forent originaliter exhibitę, vel oſtenſę.

VIII. Hujus Conſtitutionis defenſores a Summo Pontifice deputati.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę abolitionis, avocationis, extinctionis, ſilentii impoſitionis, approbationis, confirmationis, roboris adjectionis, ſeparationis, diſmembrationis, exemptionis, liberationis, ſubjectionis, ſuppoſitionis, conceſſionis, indulti, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

IX. Nemo has literas infringere audeat.

Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Septingenteſimo Vigeſimo Octavo, Idibus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

J. B. Archiepiſcopus Niſibenus Subdatarius.

Viſa de Curia. J. Archiepiſcopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Regiſtrata in Camera Apoſtolica.

Antonius Cajetanus Froſius R. C. A. Secretarius.

1. *Balnearien.*) In *Calabria*.
2. *Parochiali.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo lit. VII.*
3. *Archivo.*) In quo tranſumptum *Dataria*, & exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXVIII.*

Anno 1728 Die 22 Septembris.

CVI.

Judicium Epiſcopale Ticini habitum de Corpore S. P. Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, & Eccleſiæ Doctoris, ibidem ſervato in Confeſſione ædis Sancti Petri in cælo aureo, approbatur, & confirmatur (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

I. Dei gloria in Sanctis ejus amplificata.

AD ſummi Dei gloriam in Sanctis ejus amplificandam mirabile nuper factum eſt in oculis noſtris, dum exuvię Sancti Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, & pręſtantiſſimi Eccleſię Doctoris, quarum venerationem antiquus Dei, & ſanctorum hoſtis aliquandiu perturbare tentaverat, tandem omnium Chriſti fidelium cultui, priſtinęque honorificentię, univerſa Eccleſia plaudente, reſtitutę fuerunt.

II. Corpus Sancti Auguſtini Hippone in Sardiniam, atque hinc Ticinum translatum, ubi pridem repertum eſt.

Probatiſſimis literarum monumentis conſtat, Vandalorum perſecutione in Africanam Eccleſiam excitata, ſanctiſſimos illarum partium Epiſcopos, & fidei catholicę confeſſores, in Sardiniam exſilio damnatos, Corpus eximii Doctoris ſub finem ſeculi V ſecum in eandem inſulam tranſtuliſſe, ibique uſque ad initium ſeculi VIII Chriſtiana, ideſt maxima, religione cuſtoditum. Tunc enim Saracenis, qui in Sardiniam irruerant, loca ſacra impie fędantibus, Luitprandus Longobardorum Rex Sanctarum Auguſtini Reliquiarum pietate motus, per Legatos ab ſe illuc tranſmiſſos, magno eas pretio redimendas, & Ticinium, quę alias Papia dicitur, ſacra pompa transferendas curavit, ubi in Confeſſione ędis Sancti Petri in Cęlo aureo, tunc primum ad hoc unum juſſu Regis exſtructa, Auguſtiniani Corporis theſaurus debito tanto Patri honore depoſitus fuit, populiſque devotionis cauſa uſque ad noſtram ętatem illuc undique confluentibus, in ejuſdem Confeſſionis crypta inter puteum, aqua ſalutari manantem, & altare inferius piiſſimo ſtudio ſervatus eſt. Tandem vero die 1. Octobris anni Dominici MDCXCV albus marmoreus ſarcophagus ſub mauſoleo lateritio ibidem loci detectus, inque eo ſacratiſſimę Auguſtini exuvię, in arca argentea clauſę, repertę fuerunt: quę omnia coram plurimis teſtibus canonice comprobata, per curię epiſcopalis miniſtros, & actuarios, in proceſſus & commentarios, publica auctoritate munitos & ſumma fide conſcriptos, tunc digeſta, perque totum quinquennium adverſus quorundam dubitationes non ſegniter agentibus Fratribus Eremitis Ordinis Sancti Auguſtini, qui in eadem Sancti Petri Baſilica ęque ac Canonici regulares Congregationis Lateranenſis, alternis menſibus divina officia perſolvunt, diſceptata fuerunt, donec unus & triginta ſacrę paginę, & decretorum doctores pro iiſdem Auguſtini Reliquiis ſententiam ſuam, mira conſenſione firmatam, ſcripto ediderunt.

III. Summus Pontifex judicium Epiſcopale de eodem Corpore peragi jubet.

Quum vero ad audientiam noſtram perveniſſet, ob non extinctas, & abolitas judicio epiſcopali Ticinenſium Pręſulum ejuſmodi dubitationes, venerandos tanti Doctoris cineres, quaſi incertos, ſine debito honore habitos, nos rei gravitate perculſi, literas noſtras ſub annulo piſcatoris die XXIII Januarii hujuſce anni ad venerabilem Fratrem Epiſcopum Ticinenſem dedimus, ei ſerio injungentes, ut judicium de invento illic Sancti Auguſtini Corpore, ulteriori dilatione ſublata, ſecundum Deum & veritatem, ceteris quęſtionibus de alio corpore inveniendo remotis, ad finem perduceret; illi pręterea mandantes, ut cavillationibus eorum, qui deciſionem ac definitionem hujuſce cauſę impedire tentaſſent, etiam per eccleſiaſticas cenſuras occurrere deberet, utque illis, a quibus cauſa cognoſcenda eſſet, iiſdem adhibitis, ſi opus eſſet, remediis, ediceret, ne ullis officiis, commendationibus, aut partium ſtudiis obſequerentur; ſed ſolum Deum veritatis pręoculis haberent. Et ne in re tanta definienda novis procraſtinationibus locus eſſe poſſet, bimeſtre tempus huic judicio conficiendo pręfiximus. Has vero literas dilectus filius Fulgentius Bellellus Prior generalis Fratrum Eremitarum totius Ordinis Sancti Auguſtini, in Cęnobio juxta pręedictam ędem Sancti Doctoris, alias Sancti Petri in cęlo aureo, Ticini conſtitutus, ipſi Epiſcopo per dilectos filios Joſephum de Gregoriis a Sancto Elpidio, & Aloyſium de Bellagente Ticinen., Fratres Eremitas ejuſdem ordinis, tanquam ſpeciales procuratores in hac cauſa a ſe deputatos, pręſentari curavit.

IV. Ad canonicas Eccleſiæ regulas idem judicium Epiſcopale peragitur.

Seſſione XXV ant. cap. 1.

Epiſcopus Ticinenſis acceptis literis noſtris, & juridice vocatis vocandis, qui olim pro identitate ſacri Corporis declaranda, nomine eorundem Fratrum Eremitarum, in memorato Cęnobio degentium, vocati fuerant, inſpectiſque actis, in eadem cauſa a menſe Octobris anni MDCXCV uſque ad menſem Martium anni MDCXCIX confectis, una cum viſitationibus, & recognitionibus ipſius Corporis Sancti Auguſtini, annis MDCXCV MDCXCVI & MDCXCVIII pariter factis, necnon juribus, documentis, teſtium depoſitionibus, aliiſque monumentis & ſcripturis, tunc & ſubſequentibus annis publica auctoritate exaratis; compluries etiam Theologis, ſacrorumque canonum interpretibus coram ſe congregatis, quos ex piis, doctiſque viris ad pręſcripta ſacroſancti Concilii Tridentini, in conſilium ſibi adhibendos delegerat, quibus pęnas, in iiſdem literis noſtris expreſſas, indixit, *ſingula* cauſę momenta attente diſcuſſa & mature conſiderata fuerunt. Tandem vero idem Epiſcopus die *XXV* Junii una cum iiſdem ſuis hac in cauſa conſiliariis, ab ſe delectis, coram Fratribus Eremitis Auguſtinianis, & Canonicis regularibus Lateranenſibus ſacrum Corpus in Confeſſione repertum anno MDCXCV poſt recitatum ad aram maximam hymnum, *Veni creator Spiritus*, ex Confeſſione in capſa clauſum ad eandem aram per ſex presbyteros inter accenſa funalia reverenter perlatum exacte & ſedulo viſitavit diebus XXV & XXVI Junii adhibitis tribus ex peritioribus civitatis Anatomes profeſſoribus, jurejurando de veritate dicenda obſtrictis, qui ſingulas ſacri Corporis partes ſtudioſe recognoſcentes, *os brachii ſiniſtri* ab humero ad cubitum, atque aliud, quod *Atlas* vocatur, deeſſe animadverterunt:

quo-

quorum primum Ticini a felicis memorię Prędeceſſore noſtro Benedicto Papa VIII beato Egelnotho Primati Cantuarienſi dono traditum fuerat; alterum vero in Dalmatia ſervatur in theſauro ſacrarum Reliquiarum Metropolitanę Eccleſię Raguſinę. His peractis, ſacroque depoſito in priſtinum Confeſſionis locum eadem cęremonia reſtituto, idem Epiſcopus Ticinenſis ſolemnes ſupplicationes, aliaſque publicas, & aſſiduas preces, ad divinam opem pro recto judicio ſecundum Deum, & veritatem ferendo, impetrandam, indixit, quibus devote cum utroque clero, & populo civitatis interfuit; viſiſque tandem omnibus videndis, & conſideratis conſiderandis, congregatiſque iterum coram ſe ſacrę Theologię magiſtris, & canonum profeſſoribus, quos, uti jam diximus, ad ſanctiones Concilii Tridentini antea in conſilium vocaverat, quique decem & ſeptem numero pro veritate atque identitate Reliquiarum Sancti Auguſtini unanimem ſententiam tuliſſe memorantur, ipſe coram dilectis filiis Priore generali totius Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, & Prępoſito Canonicorum regularium Congregationis Lateranenſis, atque aliorum complurium, qui illuc, ſupremum hac de re epiſcopale judicium audituri, convenerant, poſt Miſſę Sacrificium de Spiritu Sancto celebratum, ſolum Deum veritatis prę oculis habens, hoc eodem anno MDCCXXVIII Indictione VI Fer. VI die XVI menſis Julii hora tertiarum in epiſcopio pro tribunali ſedens, hoc decretum cum plena cauſę cognitione pronunciavit.

Chriſti nomine repetito, per hanc noſtram definitivam ſententiam dicimus, pronunciamus, & declaramus, ſatis conſtare, Corpus, inventum in confeſſione templi Sancti Petri in Cælo aureo hujus civitatis die prima Octobris anni MDCXCV & nuper per nos recognitum, ac ſigillo noſtro munitum, eſſe Corpus Sancti Auguſtini Eccleſiæ Doctoris, ideoque pro tali eſſe colendum, & publicæ fidelium venerationi exponendum. V. Decretum Epiſcopi Ticinenſis de Corpore S. Auguſtini.

D. Franciſcus Epiſcopus Papienſis.

Nuncio tam ſancti, tam gravis, & maturi judicii epiſcopalis ad nos perlato, prę gaudio exſiliit cor noſtrum, ſummaque lętitia perfuſi gratias Deo egimus, quod ſuam gloriam in Sancti Auguſtini exuviis canonice vindicatis augere voluerit, quem ob ſanctimoniam, atque intemeratam doctrinę excellentiam, ut fulgentiſſimum Eccleſię lumen, Innocentius, Zoſimus, Bonifatius, Cęleſtinus, Gelaſius, Hormiſdas, aliique deceſſores noſtri Romani Pontifices magno ſemper in honore habuerunt, noſque ipſi, ut parentem ęque ac magiſtrum veneramur, utpote cujus regulam & doctrinam in noſtro Prędicatorum Ordine a primis adoleſcentię annis profeſſi ſumus, & favente Deo profitemur. Ut autem noſtrum juxta ac totius Eccleſię gaudium ubique diffunderetur, per literas noſtras univerſis Chriſti fidelibus inſcriptas die IV Auguſti, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus, vere pęnitentibus, & confeſſis, qui aliquam ex Eccleſiis tam Fratrum, quam ſororum Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, ubicunque exſiſtentem die, per Ordinarios locorum deſignando, viſitaſſent, atque ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effudiſſent, plenariam omnium peccatorum indulgentiam & remiſſionem conceſſimus; dieque ſubſequenti alias literas dedimus ad Epiſcopum Ticinenſem, ipſius pietatem & fidem laudantes, quod omnem dubitationis nebulam de veritate Corporis Sancti Auguſtini tam accurato examine diſſipare ſtuduiſſet; diſtricte interdicentes ſub pęna excommunicationis latę ſententię, ne quis auferre, aſportare aut diſtrahere quamlibet ſacratiſſimi ejus depoſiti particulam auderet. Subinde in die feſto ejuſdem Eccleſię Doctoris XXVIII Auguſti ad ejuſdem Titulum & cęnobium Fratrum Eremitarum nos ipſi accedentes, in illius honorem ſacroſanctum Miſſę ſacrificium ritu pontificali celebravimus, adſiſtentibus nobis venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis; & poſt peracta divina myſteria, in gratiarum actionem pro ſancto ejus Corpore luculenter & canonice comprobato, hymnum, *Te Deum*, Chriſtianę lętitię pręnuncium ſolemni cęremonia pręcinentes, in trinis perſonis unum Deum collaudavimus. VI. Summi Pontificis, & Eccleſiæ gaudium ob vindicata S. Auguſtini Reliquias.

Ne vero ex paſtoralis officii debito erga Sanctarum Auguſtini Reliquiarum conſervationem & venerationem a nobis quidquam prętermittatur, quaſcunque dubitationes, controverſias, cauſas & lites de Corpore Sancti Auguſtini quomodolibet exortas, ſive introductas, illarumque jura, ſcripturas, & titulos omnes pręſentibus pro plene expreſſis habentes, & quatenus opus ſit, ad nos avocantes prorſus extinguimus & abolemus, & perpetuum ſilentium ſuper illis imponimus. Et ne unquam futuris temporibus de prędicto epiſcopali judicio, ad ſanctiores Eccleſię regulas abſoluto, poſſit quomodolibet hęſitari, ad ſubmiſſas preces dilecti filii Felicis Leoni, totius ordinis eorundem Fratrum Eremitarum Procuratoris generalis, ejus libello ſupplici nobis porrectas, pię recordationis anteceſſoris noſtri Martini Papę V veſtigiis inhęrentes, qui tranſlationem Corporis beatę Monicę, venerabilis Auguſtini matris, ex civitate noſtra Oſtienſi ad hanc eandem Eccleſiam domus Fratrum dicti ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini factam, ſuis Apoſtolicis literis, incipientibus, *Pia caritas*, approbavit; nos quoque judicium Epiſcopi Ticinenſis de veritate Corporis Sancti Doctoris, ut apud Chriſti fideles notius & manifeſtius evadat, ac devotio erga Auguſtinum magis inflammetur, tenore pręſentium ratum & gratum habentes, ex certa ſcientia, atque etiam motu proprio, Apoſtolica auctoritate undequaque approbamus, & confirmamus, & perpetuis futuris temporibus firmum ſemper & validum eſſe & fore decernimus, non obſtantibus quibuſcunque. VII. Judicium Epiſcopale de Corpore Sancti Auguſtini a Summo Pontifice confirmatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conſtitutionis, avocationis, extinctionis, abolitionis, ſilentii impoſitionis, decreti, approbationis, confirmationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. VIII. Nemo has literas infringere audeat.

Da-

Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo octavo, decimo Kalendas Octobres, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

J. B. Archiepiſcopus Niſibenus Subdatarius.

Viſa de Curia J. Archiepiſcopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Regiſtrata in Camera Apoſtolica.

Antonius Cajetanus Froſius R. C. A. Secretarius.

1. *Confirmatur.*) Conſulenda Conſtitutio *XCIII.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXVIII.*

Anno 1728 Die 28 Septembris.

CVII.

Dubia de Conſtitutione - *Pretioſus* - mota declarat (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis:*

Sanctiſſimo Domino Noſtro, Domino

BENEDICTO PP. XIII.

Pro Magiſtro ac Procuratore Generalibus Ordinis Prędicatorum.

Beatiſſime Pater.

MAgiſter, ac Procurator Generales Ordinis Prędicatorum, provoluti pedibus S. V. humillime eidem exponunt, exorta hactenus fuiſſe plura Dubia circa intelligentiam Conſtitutionis - *Pretioſus* -, ſuper quibus maxime Ordo ipſe vexatur. Quoniam vero Divinę placet Providentię, ad Eccleſię, ejuſdemque Ordinis firmamentum, Beatitudinem Veſtram in vivis, juxta fervida Oratorum, ac Ordinis vota, conſervare, eapropter ſupplices exorant, quatenus dignetur Sanctitas Veſtra ore proprio Apoſtolicam circa eadem Dubia mentem aperire. Dubia vero ſelectiora, ac graviora hęc ſunt.

Primo. An ſtantibus omnimoda ſubjectione, ac dependentia a Superioribus, aut delegatis Ordinis, prędcripta a Sanctitate Veſtra Confratribus, aut Congregatis quarumcunque Societatum, pro tempore in Eccleſiis, Oratoriis, aut Clauſtris Ordinis prędicti, erectarum, vel etiam convenientium pro opere pio, aut devotione aliqua exercenda, necnon omnimoda pertinentia ad Eccleſias, & Conventus Ordinis ipſius, bonorum quorumcunque prędictarum Societatum, harum Confratres, ſive Congregati, etiam illi, qui alias peculiare Oratorium, ac Societatem aliam ab Ordine independentes habeant, in eligendis, removendis, mutandis Officialibus, in Proceſſionibus, cuſtodia, uſu, adminiſtratione quarumlibet rerum, atque in omnibus & ſingulis aliis, quę quomodocunque pertineant ad Societates ipſas, fundatas, vel quatenus convenientes, ut ſupra, ad Eccleſias, Oratoria, aut Clauſtra, prędictam ſubjectionem, & dependentiam, ſub pęnis in Conſtitutione taxatis, habere: Mobilia vero, & ſignanter ſacrę Imagines, ac Supellectilia, eorumque, ſicut & cujuslibet Altaris, Oratorii, Sacrarii, ac Eccleſię, claves, penes Fratres reſidere: hiſque Confratres, & Congregati prędicti, tanquam veri & ſimplices bonorum Ordinis miniſtri, & adminiſtratores, in majus Dei ſervitium a Fratribus ipſis aſſumpti, & data ſaltem occaſione, amovibiles, *privative* quoad Ordinarios quoſcunque locorum, rationem adminiſtrationis cujuſcunque generis bonorum, toties quoties requiſiti fuerint, reddere: necnon, *privative* quoque quoad Ordinarios prędictos, Superiores tanquam vere propria, ac pleno jure, non ad Confraternitates quaſvis Laicorum, ſed ad Ordinem pertinentia, non ſolum Oratoria, aut Eccleſias, quę ante Ordinis ingreſſum ad Societates illas ſpectabant, ac Ordini poſtmodum per unionem perpetuo acceſſerunt, ſed etiam Oratoria, Capellas, Altaria Societatum quarumvis, in Eccleſia Parochiali Ordini perpetuo unita, vel unienda, erectarum, necnon Societatum Sanctiſſimi Nominis Jeſu, Roſarii, aliarumque ad Ordinem ſpectantium, uſibus quandocunque extra Eccleſias, aut Clauſtra Ordinis deſtinata, vel deſtinanda, quamvis ipſarum Societatum, aut Confratrum expenſis fabricata, vel fabricanda: eorumque ſupellectilia, & ornamenta quęcunque in omnibus, & per omnia, ad inſtar bonorum, ſupellectilium, ac ornamentorum Societatum, per ſolos Fratres ipſos duntaxat in omnibus, & per omnia adminiſtratarum, ſive alias pleno jure, & dominio ad Ordinem ipſum pertinentium, viſitare, tanquam vere diſpoſitioni Concilii Tridentini *Seſſ. XXII Cap. VIII & IX.* pluribuſque Congregationum Epiſcop. & Regul., ac Concilii, Decretis, non ſubjecta, debeant, ac teneantur?

Secundo. An ſpectata immediata ſoli Summo Pontifici, ac Romanę Eccleſię, Ordinis, ac omnium, & ſingulorum ad ipſum ſpectantium, ſubjectione, cum ampliſſima exemptione prędictorum omnium a Juriſdictione cujuſcunque alterius, a Sanctitate Veſtra in Confirmatione, ac Innovatione Conſtitutionum Prędeceſſorum ſuorum validiſſime firmata, & ſi opus ſit, reſtituta, Ordinarii quicunque locorum, Capellas, Oratoria, aut Altaria quęcunque, etiam in Grangiis Ordinis erecta, aut in Eccleſiis Parochialibus Ordini perpetuo unitis, vel uniendis, ſaltem cum clauſula - *Salvis juribus Epiſcopalibus* -, pręter Altare Parochię, ac cetera, animarum curam, & adminiſtrationem Sacramentorum, ad tramites

Con-

Concilii Tridentini *Seſſ.XXV Cap.XI*, ſpectantia, alia Altaria, aut Eccleſias ipſas, aut ornamenta, ſupellectilia, & mobilia Altaris, cui ſit adnexum Beneficium aliquod Seculare, a Fratribus prędictis poſita, poſita vero a Beneficiato, non aſſiſtente Superiore Locali Ordinis, viſitare: Pręlati vero inferiores, Parochi, Capitula, aliive Clerici ſeculares, in Eccleſiis, Oratoriis, Clauſtris, Capellis quibuſcunque Ordinis, hucuſque dictis, officium parochiale exercere: conciones, aut ſermones habere, Sacramenta adminiſtrare, vel infirmis miniſtranda accipere: cadavera ſepelire, vel, non determinata cum Fratribus congrua delationis hora, portare: Miſſas cantare, vel, libere non annuentibus Fratribus ipſis, celebrare: Exequias quaslibet, excluſis Fratribus, vel, iiſdem admiſſis, ſolemnes cum thurificatione, aut aſperſione aquę benedictę, aut aliter, quam a Sanctitate Veſtra permiſſum eſt in ſępedicta Conſtitutione §.74., ſive non libere, ultra unum duntaxat Parochum, a Defuncto ante mortem, vel poſt mortem ab hęredibus, electi, aut vocati: ac aliam quamcunque functionem peragere poſſint, & valeant?

Tertio. An circa approbationem Fratrum, pręvio examine, ad Confeſſiones Secularium audiendas, Epiſcopi teneantur juxta ſancita a ſanctę memorię Clemente X in Bulla - *Superna* - Fratres *generaliter repertos idoneos*, *generaliter quoque*, *& ſine limitatione temporum*, *locorum*, *aut perſonarum* approbare: ac ſaltem Fratres graduatos, ſive ętate maturos, in primo examine ſimpliciter, ac generaliter eodem modo approbare, vel reprobare: quod alias a Congregatione Concilii decretum univerſaliter refertur; ſubindeque, non obſtante allas conſueta in Patentibus Literis, ad eas pro arbitrio Epiſcoporum renovandas, temporis pręfixione, ſemel ſic approbatos, niſi gravis ſuperveniat cauſa Confeſſiones ipſas ſpectans, a Confeſſionibus ſuſcipiendis arceri, aut ſuſpendi non poſſint?

Quarto. An, ut firma, & illibata permaneant quę poſt Triden. *Seſſ.V Cap.II*, S. Pium V, & Clementem X, Prędicatoribus Ordinis Sanctitas Veſtra conceſſa voluit, Fratres pro habendis Concionibus Quadrageſimalibus, aut Annualibus, in Eccleſiis, aut Oratoriis ejuſdem ipſorum Ordinis, ſolummodo, & quidem ad terminos Conſtitutionis laudati Clementis X, Benedictionem ab Epiſcopo petere: Licentiam vero, ac Literas Patentes, necnon pro ſingularibus Concionibus moralibus, ſive panegyricis, atque pro promovendis Societatibus ſupradictis, Benedictionem a ſolo eorum Superiore duntaxat petere, & obtinere teneantur: Hęcque etiam locum habere debeant ex Bulla - *Pretioſus* - ubi iidem Fratres in Eccleſiis, aut Oratoriis prędictis, ſoli in Quadrageſima, vel per annum Conciones habere ſolent, ac conſueverunt: ac etiamſi electionem, nominationem, aut etiam eleemoſynam a Communitate quacunque extranea, atque inſuper intra prędicta tempora Conciones, aut Sermones ſingulares in Eccleſiis, quę non ſunt ipſius Ordinis, ex devotione Cleri, vel populi conſuetudine, aut etiam conventione aliqua, ſint habituri: quum obſtet Decretum Congregationis Concilii in una *Theanen.* poſt emanatam Conſtitutionem ipſam - *Pretioſus* - *latum* 19 *Junii* 1728.

Quinto. Circa Ordinariam Juriſdictionem in Moniales ſibi ſubjectas, quam reſtitutam voluit S.V. Ordini ſuo ad terminos Tridentini, & Conſtitutionum S. Pii V, An ad Epiſcopum pertineat, ultra explorationem voluntatis puellę juxta idem Concilium *Seſſ. XXV Cap. XVII*, dare facultatem ad congregandum Capitulum pro veſtitione, aut profeſſione, ſive ad dandum habitum, aut emittendam profeſſionem: aut exigere atteſtationem de peractis exercitiis ſpiritualibus: diſponere etiam *privative* quoad Superiores Ordinis de dote ipſius poſt emiſſam profeſſionem: *privative* quoque, aut *cumulative* cum ipſis, dare licentiam pro extraneorum acceſſu ad colloquendum Monialibus, aut ſubſcribere licentias pro ingreſſu Monaſteriorum in caſibus neceſſitatis, non obſtante contraria ejuſdem Trident. diſpoſitione juxta declarationem S. Pii V in Conſtitutione - *Etſi Mendicantium* - a Sanctitate Veſtra confirmatam: In Viſitatione quoque, ac ingreſſu Clauſurę, Epiſcopo toties quoties opus erit, facultate ab ipſo Tridentino, ac S. Sede delegata, competentibus, aliud quodcunque pręter Clauſuram ipſam materialem, aut non aſſociante Superiore, viſitare, vel etiam ingrediendo cum Pluviali, & Stola contra Decretum Congregationis Concilii in una *Florentin.* 29 *Julii* 1684. aut cum pręparatione, non Strati, ſed Sedis cum Baldachino in alterutra, aut in utraque Eccleſia, aut receptus a Monialibus proceſſionaliter, ſive cum Cruce erecta, aut cum Cantico *Benedictus*, aut ab ipſis accipiendo Crucem deoſculandam, contra Decreta prędictę Congregationis - *ad Dubia Viſitationis Clauſuræ* 19 *Januarii* 1686.

Sexto. Quantum ad perſonas utriuſque ſexus Tertii Ordinis S. Dominici, An ſpectatis omnibus, quę S.V. mandare dignata eſt, illę, quę non habent requiſita omnia in Conſtitutione - *Pretioſus* - pręſcripta, ſed abſque voto in domibus propriis degunt, nec habitum Ordinis patenter, ſed vel abſconditum, vel in ſigno, aut parte aliqua ejuſdem, deferunt, ſolis tantummodo indulgentiis, & gratiis ſpiritualibus, Tertio Ordini ibidem conceſſis, &, ſi ſint Clerici in Sacris Ordinibus conſtituti, etiam facultate recitandi Officium, ac reſpective celebrandi Miſſam, ſub ritu tamen Romano, de SS., ac BB. Ordinis Prędicatorum, juxta indulta huic Ordini a S. Sede facta, vel facienda, dummodo tamen in iis, quę proprium Inſtitutum ſpectant, Magiſtro Ordinis in eadem Conſtitutione pręſcriptam obedientiam, ac reverentiam ſervent: Perſonę vero ſeorſim in domibus privatis cum voto, habitu, & Regula ejuſdem Tertii Ordinis viventes, etiam pro anno Probationis, non minùs, ac quę collegialiter vivunt, omnibus, & ſingulis in prędicta Conſtitutione, & ſignanter circa Sacramentorum receptionem, & earum cadaverum poſt mortem ſepulturam, necnon pleniſſimam exemptionem a Juriſdictione cujuſcunque Ordinarii, conceſſis, frui, gaudere, & potiri poſſint, & debeant? Poſſint nihilominus Superiores Ordinis, ad tollendas innumeras lites, abſque ullo pręjudicio proprię juriſdictionis proceſſu cujuſcunque longiſſimi, etiam centum, & biſcentum annorum, temporis, ubi non adſit legitima conſuetudo in contrarium, ante, vel poſt editam Conſtitutionem ipſam - *Pretioſus* - introducta, ac ubi Parochus citra omnem controverſiam, & difficultatem acquieſcat, & non aliter, permittere, quatenus Parochus ipſe hiſce prędictis Tertiariis mortaliter, aut habitualiter infirmis, Sacram Euchariſtiam in mor-

mortis articulo, Paſchate, & in aliis anni ſolemnitatibus, ac etiam, urgente peculiari aliquo rationabili motivo, Extremam Unctionem, miniſtrare, earumque cadavera, cum obierint, uſque ad fores Eccleſiarum Ordinis excluſive aſſociare, tumque titulo congruę eleemoſynę, non vero cujuſcunque Parochialis Quartę, aut cujuſcunque alterius Canonicę portionis ſibi debitę, juxta taxam inter Ordinarium & Superiorem Loci, per modum regulę perpetuo retinendę, firmandam, illud, quod ab iiſdem conveniens judicatum fuerit, recipere libere, ac licite, poſſit ac valeat.

Septimo. An declarationes, quas vivę vocis oraculo ſuper iis dubiis edere dignabitur S. Veſtra, cenſeri debeant, tanquam literaliter ſcriptę, inſertę, & expreſſę in prędicta Conſtitutione - *Pretioſus*. etiam cum avocatione, & extinctione litium deſuper pendentium, facultate ſublata cuicunque Tribunali, etiam S. R. E. Cardinalibus, aliter judicandi, declarandi, & definiendi, decreto irritante, commiſſione executionis, mandato de habenda Fide exemplaribus etiam impreſſis, cum aliis omnibus in eadem Conſtitutione contentis, & ſignanter cum clauſulis pręſervativis, ac derogativis quibuſcunque obſtantibus, itaut non ſolum ibidem recenſitis, ſed etiam cenſeri debeat, ac ſit, derogatum omnibus, & ſingulis, individuis etiam conventionibus, etiam in limine fundationis, etiam cum juramento factis, Provincialibus quoque, & Synodalibus decretis, Tribunalium quorumcunque ſententiis, ac Congregationum S. R. E. Cardinalium reſponſionibus, deciſionibus, decretis, reſcriptis, reſolutionibus, & prędictis quidem, etiam ſi ſemel, vel pluries, etiam in forma ſpecifica, & ſpecialiter a S. Sede approbatis, vel confirmatis, ſive etiam clauſulis, & formulis undequaque extraordinariis, conceptis, approbatis, vel confirmatis, ac etiam quavis ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, mentione dignis, itaut eodem pacto pro inſertis haberi debeant?

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI.

Die 28 Septembris 1728.

Facta per me relatione, Sanctitas Sua, benigne declarando Dubia, ut in adjunctis precibus excitata, ad *Primum - Tertium - Quartum - Sextum - & Septimum*, reſpondit *in omnibus Affirmative*.

Ad *Secundum* vero, & *Quintum Negative in omnibus*. Per id tamen Sanctitas Sua Epiſcopis, qui *privative*, vel *cumulative* licentias pro acceſſu, vel ingreſſu in Monaſteria ſubjecta Ordini dare, vel ſubſcribere alias conſueverunt, non intelligit prohibere, quin poſſint etiam in poſterum eaſdem dare, vel ſubſcribere *cumulative* tamen ſemper cum Ordinis Superioribus, & non alias. Ubi autem iidem Epiſcopi renuant, ſufficiat licentia, ſive ſubſcriptio Ordinis Superiorum ad utrumque effectum. Decretis Congregationum, Conſtitutionibus Apoſtolicis, conſuetudinibus, & aliis quibuſcunque, quomodolibet in contrarium facientibus, quoad omnia ſuperius declarata, minime refragantibus.

Loco † ſigilli.

J. Card. Accorambonus Pro-Aud.

1. *Declarat*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo*.

2. *Archivo*.) In quo autographum, & exemplaria Romæ typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXIX*

Anno 1728 Die 6 Decembris.

Quam libenter pias de Conſtitutione (1) Apoſtolica Pariſiis promulgata gratulationes exceperit Archiepiſcopo (2) Januenſi ſignificat.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Venerabili Fratri Nicolao Marię Archiepiſcopo Januenſi.

CVIII.

BENEDICTUS PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ETſi novo teſtimonio comprobandum non fuerat, quo ſtudio proſequaris Catholicę Eccleſię tranquillitatem, & animarum ſalutem, Nobis prętertim religionem, pietatemque tuam perſpectiſſimam habentibus, peculiari tamen cum voluptatis fructu Epiſtolam tuam perlegimus, quę pias gratulationis ſignificationes Nobis exhibuit, gaudiumque, ex promulgata in Dięceſi Pariſienſi Apoſtolica Conſtitutione ſuſceptum. Tantum autem cęleſtis clementię beneficium, quod Apoſtolatui noſtro gratularis, magnopere optamus, ac petimus, ut bonorum largitori Deo digna gratiarum actione rependas, eique ſoli laudes optatiſſimi operis injunctis nobiſcum ſtudiis tribuas, & conferas. Eundem pręterea Principem pacis obſecremus, venerabilis Frater, ut tam lęta abolendę diſſenſionis auſpicia ſecundet, & provehat, ut qui conſolatur humiles, de unanimi filiorum obedientia nova in dies Nobis, atque huic Sanctę Sedi adjiciat incrementa gaudiorum. Dum autem Fraternitati tuę gratam, ſtudioſamque voluntatem, atque ad reddendam rebus ipſis officiorum vicem paratiſſimam confirmamus, tibi, venerabilis Frater, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI Decembris MDCCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Conſtitutione*.) Quæ incipit: *Unigenitus*: *a Clemente XI* data, ut ſæpe dictum fuit.

2. *Archiepiſcopo*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

3. *Archivo*.) In quo exemplar.

Quod

Quod de rebus eccleſiaſticis in Diœceſi Pariſienſi proſpere geſtis (1) ipſi gratulatus fuerit, Provincialem Lombardiæ laudat. Anno 1728 Die 6 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Dilecto filio Dominico Hieronymo Lambertengo Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Provinciali Lombardię: CIX.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem,

QUod exoptatę ſerenitatis lętitiam ob res eccleſiaſticas in Diœceſi Pariſienſi proſpere geſtas Nobis gratuleris, atque ad te, dilectiſſimę noſtrę Provincię prępoſitum jure, & merito pertinere duxeris ejuſmodi obſervantię filialis officium, tam benignitati noſtrę gratum fuit, quam quod gratiſſimum. Veteris enim erga Provinciam, quę Nos religioſis inſtitutis, ac doctrinis aluit, caritatis memoriam renovavit, tuique erga Nos, & hanc Sanctam Sedem obſequii, & pro Eccleſię tranquillitate ferventis ſtudii inſigne teſtimonium exhibuit. Hoſce autem geſtientis, & obſequentis animi ſenſus dum tibi laudi damus, a te vehementer requirimus, ut Omnipotenti Deo, cui pacis opus, & bona cuncta accepta referimus, gratias agere, & preces offerre pergas, ut per gratiam Spiritus ſui omnes deleat diſſenſionis reliquias. Ac tibi, dilecte fili, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die ſexta Decembris MDCCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Carolus Archiep. Emiſſenus.

1. *Proſpere geſtis*.) Huc ſpectat ſequens epiſtola.

In Dei filio ſibi dilectis Patribus, ac Fratribus Provinciæ Lombardiæ Ordinis Prædicatorum. F. Dominicus Hieronymus Lambertengus Magiſter, ac Prior Provincialis, Salutem, & piam Exultationem.

QUas Nobis Sanctiſſimus Pontifex Benedictus XIII, Ordinis, ac Provinciæ noſtræ decus immortale, paternæ dignationis uberrimum pignus, literas Apoſtolicas dedit, eas ad univerſam Provinciam noſtram eo nomine pertinere intelligimus, quoad Pontificiæ Majeſtatis thronum gratulationes noſtras ob eccleſiaſticæ pacis in Galliis reſtitutæ operam reverenter detulimus. Earum propterea exemplar ita oculis omnium obverſari volumus, ut ampliſſimam officiis noſtris vicem ab amantiſſimo Patre redditam, ejuſdemque in Provinciam ſibi dilectam humaniſſimos ſenſus, nova amoris acceſſione firmatos, ſinguli excipiant, ſibique & nobis gratulentur. Illud vero cum primis ab omnibus curæ noſtræ ſubjectis fidenter expoſcimus, ut quas immortali Deo exultabundi, jampridem reſtituta ſub tanto Pontifice Chriſtianæ Reipublicæ tranquillitate, ac ſublatis futurorum ſeculorum admiratione, graviſſimis, ac periculoſis diſſidiis gratias retulere, eas conſtantibus votis ampliores habeant, ac ſuis efficiant precibus, ut Pontificem Optimum Maximum, quem ſummo Eccleſiæ bono, Religionis incremento, fidei atque unitatis præſidio hæc noſtra aluit, eductumque ſuſpexit Provincia, ad maxima, & ampliora, quæ virtutibus pollicetur, & factis, diu ſoſpitem, atque incolumem gratuletur. Valete, Noſtri, Sociorumque in Orationibus veſtris memores. Datum Romę in noſtro Conventu S. Sabinæ, die XII Januarii MDCCXXIX.

Ita eſt Fr. Dominicus Hieronymus Lambertengus, Magiſter, ac Prior Provincialis qui ſupra.

Regiſt. fol. 162.

Fr. Carolus Thomas de Urſis, Prior Chienſis, & Socius.

2. *Archivo*.) In quo exemplar *Romæ* typis impreſſum anno *MDCCXXIX*.

Præſcribit modum quo totius Eccleſiaſtici Status Cœnobiorum ac Aſceteriorum Fratres, & Sorores Ordinis Prædicatorum, uti debent immunitate (1) Datiorum &c. Anno 1728 Die 10 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

BENEDICTUS PP. XIII. CX.

Motu proprio &c.

GOdendo pacificamente la noſtra Religione Domenicana tanto in queſta noſtra Città di Roma, quanto in tutto il noſtro Stato Eccleſiaſtico in virtù sì del Dritto Comune, che in vigore di varii particolari Privilegii, conceſſigli anche forſi a titolo oneroſo da diverſi Pontefici noſtri Predeceſſori, e ſpecialmente dalla glorioſa memoria di S. Pio V, ed ultimamente da Noi nella noſtra Coſtituzione -- *Pretioſus* - Data in Sezze li XXVI Maggio MDCCXXVII, l'eſenzione da tutti, e ſingoli Dazii, Gabelle, Collette, Impoſizioni, ed altri qualunque peſi, sì Camerali, che Comunitativi, alcuni de' quali, ſpecialmente del Macinato ne' tempi paſſati da detta Religione ſono ſtati pagati, non oſtan-

oſtante detta eſenzione, ed eſſendo nondimeno inſorte alcune Controverſie tra detta Religione, e li Miniſtri della noſtra Camera ſopra la liquidazione, e taſſa di dett' Eſenzioni, da Noi benignamente ampliate, ed accordate nell' accennata Coſtituzione - *Pretioſus* - fattoſi perciò a Noi ricorſo dal P. Procuratore Generale di eſſo Ordine, che da Miniſtri della detta Camera; Noi affine di aſſicurare con ogni modo più facile l' eſenzione a detta noſtra Religione, ed inſieme provedere all' Indennità di eſſa noſtra Camera, con levare ogni ſoſpetto, ed apertura alle frodi, e pregiudizii, e così porre fine a qualunque Controverſia, che poteſſe inſorgere in avvenire, rimetteſſimo l' Eſame di tal' affare al Reverendiſſimo Cardinal Accoramboni già noſtro Uditore, a fine, che ſentite le Parti, quanto alli predetti peſi Camerali ſolamente, eccettuatine però li Beni di prima Erezione de' Conventi, Monaſterj, e Collegj fondati in detto noſtro Stato Eccleſiaſtico, ed eccettuati ancora li Peſi, Dazj, Gabelle, ed altre qualunque Impoſizioni meramente, e ſolamente Comunitative, anche impoſte con autorità Apoſtolica, dalle quali volemo onninamente in tutto, e per tutto eſente detto noſtro Ordine, a tenore del Dritto Comune, di detta noſtra Bolla - *Pretioſus* - e d' altre Coſtituzioni Apoſtoliche, e delle preciſe dichiarazioni di noſtra mente ſopra ciò fatte per mezzo del noſtro Reverendiſſimo Segretario di Stato, particolarmente ſotto li XX Novembre MDCCXXVII riferiſſe a Noi tutte le Controverſie ſopra ciò inſorte, e le ragioni, che dall' una, e l' altra parte ſi foſſero addotte per poter poi prendere quelle riſoluzioni, che ſi foſſero ſtimate adequate per l' indennità di ambe le Parti; ed avendoci ſuſſeguentemente eſſo Reverendiſſimo Cardinale riferito, che dopo eſſerſi tenuti avanti di lui diverſi Congreſſi, coll' intervento di Monſignor Commiſſario di detta noſtra Camera, del ſuo Soſtituto, e del P. Maeſtro Fra Giovanni Domenico Agnani Compagno del detto P. Procuratore Generale, intervenuto anche per parte, ed a nome del P. Maeſtro Generale dell' Ordine, e dello ſteſſo Procuratore Generale, e del Computiſta del noſtro Convento della Minerva, per l' intereſſe tanto del medeſimo P. Generale, e ſuo Oſpizio, e de' Conventi, e Collegj di Roma, quanto di tutti gli altri Conventi dello Stato Eccleſiaſtico, e de' Monaſteri di Monache, e Collegj di Tertiarie sì di Roma, che dello ſteſſo Stato, che vivono immediatamente ſotto l' ubbidienza, e Regola Domenicana, ed in eſſi Congreſſi eſaminate maturamente tutte l' eſenzioni concedute da Sommi Pontefici sì generalmente alla Religione Domenicana dell' uno, e l' altro ſeſſo, che alli Conventi particolari del detto Ordine, ſpecialmente della Minerva di Roma, come pure la quantità delle Gabelle, che da medeſimi ſi pagavano, e dell' altre, delle quali independentemente dalla ſudetta noſtra Bolla - *Pretioſus* - ed avanti, che queſta emanaſſe, attualmente, e realmente, ſenza contraſto godevano l' eſenzione per il vitto, veſtito, mantenimento di Chieſa, e tutt' altro, che occorreva per ſervizio de' Religioſi, Conventi, e loro Chieſe, foſſe finalmente nel Congreſſo tenutoſi nel dì XXV Aprile proſſimo paſſato di comun conſenſo, con riſerva però della noſtra approvazione, ſtabilito nel modo ſeguente cioè -- Primo, che in avvenire, come ſi dirà in appreſſo, tanto il Convento della Minerva, ed il P. Generale colli Religioſi del ſuo Oſpizio, e tutti gli altri Conventi, e Religioſi di Roma, compreſovi quelli di Monte Mario, *Santa Sabina*, S. Nicolò de Perfetti, S. Siſto, S. Clemente, e S. Quirico, quanto ancora tutti gli altri Conventi, e Religioſi dello Stato Eccleſiaſtico, Monaſterj di Monache, e Collegj di Terziarie sì di Roma, che dello Stato ſudetto, che vivono ſotto l' ubbidienza immediata, e Regola dell' Ordine de' Predicatori debbano pagare (a riſerva però de' Beni di prima Erezione, per i quali dovranno godere l' Eſenzione nell' iſteſſo modo, e forma, che l' han godute per il paſſato, e la godano preſentemente, e di qualunque peſo Comunitativo, come ſopra) tutte, e qualſiſiano Gabelle, Dazj, Peſi, riſpoſte, ed Impoſizioni, tanto per ragion di vitto, e veſtito, quanto per ragion de' Beni, sì in Roma, che nello Stato Eccleſiaſtico ſudetto, alle Dogane Generali, Teſorieri, Appaltatori Camerali, ed altri, a quali ſpettaſſero dette Gabelle, e peſi, come appunto pagano i ſecolari Laici, che non godono veruna eſenzione, a guiſa de' quali colle riſerve ſudette dovranno tenerſi, riputarſi, e regolarſi. Secondo, che a tale effetto, e colle riſerve, ed eccettuazioni delli ſopradetti Beni, e peſi, debbano i ſudetti Padri, Monache, e Collegj di Terziarie del detto Ordine de' Predicatori sì di Roma, che del detto noſtro Stato, mediante il Padre Procuratore Generale dell' Ordine, o ſuo Compagno, rinunziare a tutte le Coſtituzioni, Brevi, Chirografi, e Privilegj, per quello però riguarda ſolamente l' Eſenzioni ſudette, e non altrimente ſin hora loro concedute da Sommi Pontefici, e particolarmente da Noi, benche foſſero quelli ſtati conceduti col titolo oneroſo, con dichiarare di non volerſene per detto effetto valere in avvenire, e che s' abbino a conſiderare di niuna forza, e valore, appunto come ſe non gli fuſſero mai ſtate concedute. Terzo, che all' incontro, ed in correſpettività della ſudetta rinunzia, come ſopra da farſi da detti Padri, e Monache Domenicane sì di Roma, che di detto noſtro Stato, mediante il detto Padre Procuratore Generale dell' Ordine, o ſuo Compagno, e non altrimenti, la noſtra Camera ſia tenuta, ed obligata di pagare annualmente per tutte l' Eſenzioni godute, e concedute ſino al preſente al detto Convento, e Padri della Minerva di Roma, ed Oſpizio del P. Generale in tutto ſcudi quattrocento ſeſſanta annui, regolandoſi l' eſenzione a ragione di ſcudi due per ciaſcun Religioſo di detto Convento, ed Oſpizio, cioè per il detto Convento per bocche numero 150., così fiſſate, e ſtabilite, per altre bocche 80. per l' Oſpizio del detto Padre Generale, e così in tutto per bocche numero 230, altri ſcudi dodici annui al Convento di Monte Mario per numero ſei Religioſi, altri ſcudi ſedici annui al Collegio della Penitenziaria *per* numero 8. bocche, altri ſcudi ſedici ſimilmente annui per numero 8. bocche nell' Oſpizio di S. Qurico, altri ſcudi ſettantotto annui per numero 39. bocche nelli Conventi di S. Sabina, e di S. Nicolò de' Perfetti, ed altri ſcudi quaranta parimente annui per numero 20. bocche nelli Conventi de' Santi Siſto, e Clemente, che in tutto ſono ſcudi ſeicento venti due, che dovranno pagarſi per li Conventi, e Religioſi di Roma. Quarto, che eſſendoſi ſtabilite, e fiſſate nelli Conventi eſiſtenti nello Stato Eccleſiaſtico bocche numero 976., ſia tenuta la noſtra Camera in correſpettività, come ſopra, di detta rinunzia, di pagare per i detti Conventi, e loro Religioſi annui ſcudi novecento ſettantaſei, regolando per queſti

l' *Eſen-*

l'Eſenzione a ragione di uno ſcudo per bocca. Quinto, che quanto alli Monaſterj, e Monache di Ro-
ma, e dello Stato Eccleſiaſtico, e Collegio delle Terziarie di Bologna ſoggetti immediatamente all'
Ordine ſudetto, e non ad altri, de' quali Monaſterj, e del numero delle loro Monache, e Terziarie
reſpettivamente, ſi dovrà dar nota diſtinta dal P Procurator Generale, debbaſi dalla noſtra Camera
pagare per tutte l'eſenzioni competenti, e preteſe, come ſopra, riſpetto alli Monaſterj, e Monache di
Roma a ragione di ſcudo uno per ciaſcheduna, e per li Monaſterj, e Monache dello Stato, e Collegio
delle Terziarie di Bologna a ragione di giulii cinque per ciaſcheduna di eſſe annualmente, come ſopra.
Seſto, che dalla noſtra Camera di ſei in ſei meſi da principiare, come ſi dirà in appreſſo, debbano farſi
i ſudetti pagamenti in mano del Procurator Generale pro tempore del detto Ordine, al di cui carico,
e peſo dovrà reſtare di farne il dovuto ripartimento a ciaſchedun Convento, Monaſtero, e Collegio sì
di Roma, che dello Stato Eccleſiaſtico, ſenza verun peſo, cura, e riſico della noſtra Camera. Setti-
mo, che la detta noſtra Camera debba dar per limoſina il Sale nel modo, e forma, e nella quantità, che
ſi è praticato ſin al preſente. E riflettendo Noi, che le ſopra eſpreſſe proviſioni, e riſoluzioni ridonda-
no in evidente utilità di eſſa noſtra Camera, atteſa la generalità di dette Eſenzioni, e reſpettivamente
rieſcono di molta quiete a detti noſtri Religioſi, e che in tal forma vien tolta l'occaſione d'ogni liti-
gio, ci ſiamo determinati di confermarle, ed approvarle, affinchè in perpetuo abbiano la dovuta eſe-
cuzione, come in appreſſo. Quindi è, che con la preſente noſtra Cedola di Moto proprio, in cui ab-
biamo per eſpreſſo, e di parola in parola inſerto l'intiero tenore di tutti i Brevi, Chirografi, e Co-
ſtituzioni Apoſtoliche, e particolarmente della noſtra ſopra accennata Coſtituzione - *Pretioſus* - e di
tutti, e ſingoli altri Privilegj da queſta Santa Sede in qualunque tempo conceduti alla detta noſtra Re-
ligione Domenicana dell'uno, e l'altro ſeſſo per l'eſenzione del pagamento delle Gabelle, Dazj, ed
altre Impoſizioni ſpettanti alla noſtra Camera, ed ogn'altra coſa quanto ſi voglia neceſſaria d'eſpri-
merſi, inerendo alle ſopra regiſtrate proviſioni, e riſoluzioni, quali in tutto, e per tutto confermiamo,
ed approviamo per l'eſſecuzione di eſſe, di noſtro Moto proprio, certa ſcienza, e pienezza della noſtra
Suprema, ed Apoſtolica Poteſtà, dichiaramo, decretiamo, e vogliamo, che in avvenire, dall'infra-
ſcritto giorno, tanto il detto Convento della Minerva di Roma, ed il Padre Generale colli Religioſi
del ſuo Oſpizio, e tutti gli altri Conventi, e Religioſi di Roma, compreſivi quelli di Monte Mario,
Santa Sabina, S. Nicolò de Perfetti, S. Siſto, S. Clemente, e di S. Quirico, quanto ancora tutti gli al-
tri Conventi, e Religioſi dello Stato Eccleſiaſtico, Monaſteri di Monache, e Collegj di Terziarie, sì
di Roma, che dello Stato ſudetto, che vivono ſotto l'ubbidienza immediata, e Regola dell'Ordine
de' Predicatori, debbano pagare, conforme Noi efficacemente l'obblighiamo a pagare (a riſerva però
de' Beni di prima Erezione, per i quali dovranno godere l'Eſenzione, nell'iſteſſo modo, e forma,
che l'hanno goduta per il paſſato, e la godono preſentemente, e di qualunque peſo Comunitativo,
come ſopra) tutte, e qualſiſiano Gabelle, Dazj, Peſi, Riſpoſte, ed Impoſizioni Camerali, tanto per
ragion di vitto, e veſtito, quanto per ragion de Beni sì in Roma, che in detto Stato Eccleſiaſtico,
alle Dogane Generali, Teſorieri, Appaltatori Camerali, ed altri, a quali dette Gabelle, e Peſi ſpet-
taſſero, come appunto pagano i Secolari Laici, che non godono veruna eſenzione, a guiſa de quali
colle riſerve ſudette, vogliamo, che in avvenire ſiano tenuti, e reputati, al quale effetto Noi, in
nome, e per li ſudetti Padri, Monache, e Terziarie del detto Ordine de' Predicatori sì di Roma, che
del detto noſtro Stato, colle riſerve, ed eccettuazioni delli ſopradetti Beni di prima Erezione, e peſi
comunitativi, e non altrimenti, con la noſtra Suprema autorità cediamo, ed eſpreſſamente rinunzia-
mo a tutte le Coſtituzioni, Brevi, Chirografi, e Privilegj, per quello però riguarda ſolamente
l'eſenzioni ſudette, e non altrimenti, ſin'ora loro concedute da Sommi Pontefici, e particolarmente
da Noi, benche queſte foſſero ſtate concedute col titolo oneroſo, dichiarando, volendo, ed ordinando
Noi, che non poſſano per detto effetto valerſene in avvenire, e che s'abbiano da conſiderare di niuna
forza, e valore, come ſe appunto non gli foſſero mai ſtate concedute; ed all'incontro in correſpettivi-
tà della rinunzia, che abbiamo, come ſopra fatta, per li detti Padri, Monache, e Terziarie Domeni-
cane sì di Roma, che del detto noſtro Stato, vogliamo, ed ordiniamo, che detta noſtra Camera ſia
tenuta, ed obligata, conforme Noi efficacemente, e validamente l'obblighiamo a dover pagare annual-
mente per tutte l'eſenzioni godute, e concedute fino al preſente al detto Convento, e Padri della
Minerva di Roma; ed Oſpizio del Padre Generale in tutto ſcudi quattrocento ſeſſanta annui, rego-
landoſi l'eſſenzione, a ragione di ſcudi due per ciaſcun Religioſo di detto Convento, ed Oſpizio, cioè
riſpetto a detto Convento per bocche numero 150. così fiſſate, e ſtabilite, e per altre bocche 80 per l'
Oſpizio del detto P. Generale, che in tutto ſono bocche numero 230. altri ſcudi dodici annui al Con-
vento di Monte Mario per numero 6. Religioſi, altri ſcudi ſedici annui al Collegio della Peniten-
ziaria per numero 8. bocche, altri ſcudi ſedici annui all'Oſpizio di S. Quirico parimente per numero 8.
bocche, altri ſcudi ſettantotto annui alli Conventi di S. Sabina, e di San Nicolò de Perfetti per bocche
numero 39., ed altri ſcudi quaranta parimente annui alli Conventi di S. Siſto, e di S. Clemente, che
in tutto fanno la ſomma di ſcudi ſeicento ventidue da pagarſi per li Conventi, e Religioſi di Roma,
e quanto alli Conventi eſiſtenti in detto noſtro Stato Eccleſiaſtico, eſſendoſi ſtabilite, e fiſſate bocche
numero 976., e per queſte eſſendoſi regolata, e ſtabilita l'eſenzione a ragione di ſcudo uno per bocca,
vogliamo, che la noſtra Camera in correſpettività della ſudetta renunzia ſia tenuta, ed obligata, con-
forme Noi parimente l'obblighiamo a pagare per li detti Conventi, e loro Religioſi annui ſcudi nove-
cento ſettantaſei. Riſpetto poi alli Monaſterj, e Monache di Roma, e dello Stato Eccleſiaſtico, e Col-
legj delle Terziarie della detta noſtra Città di Bologna ſoggetti immediatamente all'Ordine ſudetto, e
non ad altro, de quali Monaſteri, e del numero delle loro Monache, e Terziarie reſpettivamente, ſi
dovrà dar nota diſtinta dal Padre Procuratore Generale, dovrà eſſer tenuta detta noſtra Camera, come
Noi, come ſopra l'obblighiamo a pagare per tutte l'eſenzioni ſudette riſpetto alli Monaſteri, e

Monache di Roma a ragione di ſcudi uno per ciaſcheduna, e per li Monaſterj, e Monache dello Stato, e Terziarie di Bologna a ragione di giulj cinque per ciaſcheduna di eſſe annualmente come ſopra, e tali pagamenti vogliamo che dalla noſtra Camera ſiano prontamente effettuati, ed adempiti, e di ſei in ſei meſi, da principiare dalla data della preſente Cedola di moto proprio, e che debbano farſi in mano del Procuratore Generale pro tempore del detto Ordine, a di cui carico, e peſo dovrà reſtare il farne il dovuto repartimento a ciaſchedun Convento, Monaſtero, e Collegio sì di Roma, che dello Stato Eccleſiaſtico, ſenza che la noſtra Camera abbia ad averne, e ſentirne, cura, peſo, e riſico alcuno, ordinando Noi per tal effetto al noſtro Monſignor Teſoriere Generale, che in adempimento di ciò ne dirigga i ſuoi ordini a ſuoi debiti tempi al Depoſitario Generale della noſtra Camera, e che gli ne accetti, e buonifichi in appreſſo li pagamenti ne detti ſuoi conti, e tutto ciò ſenza verun pregiudizio della limoſina del Sale ſolita darſi dalla noſtra Camera alli Conventi, e Collegj ſudetti, quale vogliamo, che debba continuarſi anche in avvenire, nel modo, e forma, e nella quantità, come ſi è praticato ſin' ora; Volendo, dichiarando, e decretando Noi con la pienezza della noſtra Poteſtà Pontificia, che tutto, e quanto è ſtato da Noi come ſopra diſpoſto, ed ordinato per il buon regolamento di detta Eſenzione, debba perpetuamente, ed inviolabilmente oſſervarſi, ed eſeguirſi, tanto per parte della noſtra Camera, quanto de' Conventi de' Religioſi, e Monaſterj di Monache Domenicane sì di Roma, che del noſtro Stato Eccleſiaſtico, e Collegio delle Terziarie di Bologna, e che abbia forza di contratto giurato, ed a riguardo della ſudetta renunzia, ſi reputi, come fatto a titolo oneroſo, ed appunto, come ſe vi foſſe intervenuto il poſitivo conſenſo, obligo, e giuramento d' ambe le Parti, ſenza che veruna di eſſe poſſa in verun modo, ed in alcun futuro tempo ſotto qualunque preteſto, e cauſa, benchè inopinata, & incognita, riclamare, da quanto abbiamo di ſopra diſpoſto, e ſtabilito, imponendo loro, ed a ciaſcuna di eſſe perpetuo ſilenzio, e vogliamo, che per la perpetua oſſervanza, ed eſecuzione delle coſe premeſſe, e ciaſcuna di eſſe, reſtino perpetuamente obligati, conforme Noi colla noſtra ſuprema autorità validamente, ed efficacemente obblighiamo la detta noſtra Camera, e reſpettivamente i detti Conventi, e Monaſterj dell' Ordine de Predicatori sì di Roma, che del noſtro Stato, e Collegio delle Terziarie di Bologna, e qualſiſiano reſpettivamente loro beni, effetti, rendite, e ragioni nella più ampla forma di detta noſtra Camera, eſſendo tale la mente, e volontà noſtra preciſa. Volendo, e decretando, che alla preſente noſtra Cedola di moto proprio da ammetterſi, e regiſtrarſi in Camera, ſecondo la diſpoſizione della Bolla di Pio Quarto noſtro Predeceſſore de regiſtrandis, non poſſa mai in alcun futuro tempo opporſi di ſurrezione, orrezione, ne di alcun altro vizio, o difetto della noſtra volontà, ed intenzione; ne che mai ſotto tali, o altri preteſti poſſa eſſere impugnata, moderata, o rivocata, e che così, e non altrimente debba giudicarſi, diſinirſi, ed interpretarſi dal Reverendiſſimo Cardinal Camerlengo, da Teſorieri Generali, è da qualſivoglia altro Giudice, e Tribunale, benche Collegiale, e da qualſivoglia Congregazione, ancorche compoſta de Reverendiſſimi Cardinali, e da queſti ancorche Legati a Latere, e da qualunque altro, togliendo loro, ed a ciaſcuno di eſſi ogni facoltà, e giuriſdizione di diſinire, ed interpretare diverſamente, dichiarando Noi ſin d'adeſſo preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto, e quanto da ciaſcun di eſſi con qualſivoglia autorità, ſcientemente, o ignorantemente foſſe in qualunque tempo giudicato, o ſi tentaſſe di giudicare, contro la forma, e diſpoſizione della preſente noſtra Cedola di Moto proprio, quale vogliamo, che vaglia, e debba aver ſempre il ſuo pieno effetto, eſſecuzione, e vigore colla ſemplice noſtra ſottoſcrizione, benche non vi ſiano ſtati chiamati, ſentiti, ne citati Monſignor Commiſſario della noſtra Camera, ed i Conventi, Monaſterj, e Collegj ſudetti, tanto di Roma, quanto di detto noſtro Stato, ed i loro Superiori, Sindici, e Deputati, ed ogn' altro, che vi aveſſe, o pretendeſſe avervi intereſſe, non oſtanti qualiſiſiano Brevi, Chirografi, e Coſtituzioni de noſtri Predeceſſori, anche la noſtra ſopraccennata - *Pretioſus* - ſopra la conceſſione de Privilegj, ed eſenzioni, sì generalmente, che particolarmente fatte alli Conventi, Monaſterj, e Collegi del detto Ordine Domenicano, e quantunque a titolo oneroſo, e per quanto facci biſogno, anche le Bolle di Paolo II Paolo IV, e del detto Pio IV de rebus Eccleſię, & Camerę non alienandis, la Regola della noſtra Cancellaria de Jure queſito non tollendo, e qualſiſiano altre Coſtituzioni, & Ordinazioni Apoſtoliche noſtre, e de noſtri Predeceſſori, Concilj Generali, e Provinciali, Leggi Civili, e Canoniche, Statuti, Riforme, Uſi, Stili, Conſuetudini, e qualunque altra coſa, che faceſſe, o poteſſe fare in contrario, alle quali tutte, e ſingole avendone il tenore qui per eſpreſſo, e di parola in parola inſerto, e ſupplendo Noi colla pienezza della noſtra ſuprema Poteſtà ad ogni vizio, e difetto, quantunque ſoſtanziale, e formale, che vi poteſſe intervenire queſta volta ſola, e per l' effetto ſudetto ampiamente, ed eſpreſſamente deroghiamo, anche con ſpecialiſſima Derogatoria, delle Derogatorie più inſolite, ed effrenate; Decretando in oltre, che alle copie impreſſe di queſta noſtra Cedola munite col Sigillo di Perſona coſtituita in dignità Eccleſiaſtica, e ſottoſcritte da qualunque Notaro publico ſi preſti l' iſteſſa fede in giudizio, e fuori di eſſo, come ſe foſſe eſibita, e preſentata l' iſteſſa Cedola originale. Dato dal noſtro Palazzo Apoſtolico Vaticano queſto di X Decembre MDCCXXVIII.

Benedictus PP. XIII:

Die Veneris XIV Januarii MDCCXXIX ſupradicta Cedula Motus proprii Sanctiſſimi in plena Camera Apoſtolica exhibita, & preſentata fuit, illaque commiſſa Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo *D. Juſtiniano* ipſius Camerę Clerico, & Judici deputato, & deinde die Mercurii XIX ejuſdem menſis *citato* deſuper Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Nicolao Lana Rev. Camerę Apoſtolicę Commiſſario Generali ad relationem dicti Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Juſtiniani admiſſa, & regiſtrata in *Libro* Signaturarum Sanctiſſimi ſub fol. 58.

Felix Franciſchinus R. C. A. Secretarius.

.1. In-

1. *Immunitate*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*

2. *Archivo*.) In quo exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXIX*.

Singularem lætitiam declarat ex acceptis inſignibus Reliquiis Sancti Syri (1).

Anno 1728 Die 15 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Venerabili Fratri Nicolao (3) Mariç Archiepiſcopo Januenſi.

BENEDICTUS PP. XIII.

CXI.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

TAm ad tuç in Nos pietatis, & obſervantiç teſtimonium, quam ad noſtrç infirmitatis ſubſidium nullum poterat munus a fraternitate tua proficiſci dignius, aut neceſſitatibus noſtris obvenire opportunius, quam quod ex inſignibus reliquiis Sancti Syri Prçdeceſſoris tui una cum demiſſis tuis literis nuper accepimus. Intimç quidem caritatis ſenſibus complexi ſumus tua erga Nos prçclara ſtudia, quibus divinam opem, non ſolum fuſis precibus, ſed quçſito etiam Sanctorum prçſidio imbecillitati noſtrç conciliare contendis. Sed Metropolitanç quoque noſtrç Beneventi Eccleſiç gratulati ſumus, quod ad eam locupletandam ex pretioſiſſimis etiam Archiepiſcopalis Eccleſiç tuç theſauris accederent Sanctiſſimi Antiſtitis pignora, & Sanctorum ibidem quieſcentium viderentur optare conſortium. Gratum igitur fraternitati tuç animum, & ſingularem ex tanto dono lçtitiam declaramus. Occaſionem autem cupide opperientes, qua tibi rebus ipſis inſignem de tuis virtutibus opinionem teſtatam facere poſſimus, fraternitati tuç Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romç apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XV Decembris MDCCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *S. Syri*.) Adeas *Ughellum* in Epiſcopis *Januen.*

2. *Archivo*.) In quo exemplar.

3. *Nicolao*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

De transferendo Conventu Terræ Nucum.

Anno 1728 Die 17 Decembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Reverendiſſimo Cardinale Accoramboni Veſcovo d' Imola.

CXII.

CI è ſtato rappreſentato per parte del Priore, e Padri dell' Ordine de' Predicatori del Convento di Santa Maria delle Grazie della Terra delle Noci Dioceſe di Converſano, che l' anno MDLXVII l'Univerſità di detta Terra cedè, donò, & aſſegnò detta Chieſa con tutti i ſuoi beni, capitali, & effetti diſtintamente eſpreſſi nell'inſtrumento di tal ceſſione a favore della loro Religione, coll' obligo di doverſi fondare un Convento, con la condizione però, che ſe in alcun tempo li Padri di detta Religione aveſſero dimeſſo detto Convento, e per propria colpa ſe ne foſſero partiti, doveſſe immediatamente detta Chieſa con tutti i ſuoi beni ricadere a detta Univerſità, e s' intendeſſe detta conceſſione, e donazione nulla, irrita, e di niun valore, perche trovandoſi detto loro Convento diſtante da detta Terra con ſtrada diſaſtroſa in terreno iſtabile, veniva detta loro Chieſa poco frequentata da fedeli, & eſſi Padri ſoggetti a' latrocinj, e molte volte nelle loro infermità privi dell' aſſiſtenza del Medico. Oltre di che, anche il Convento minacciava rovina, eſſi ſupplicanti per ſottrarſi da tali pericoli, & incommodi, e promover' inſieme il maggior culto di Dio coll' approſſimarſi a detta Terra, di noſtro preciſo ordine, e del loro P. Maeſtro Generale, doppo eſſer ſtati rimoſſi da voi, medianti i voſtri decreti fatti parimente d' ordine noſtro in tempo, che eſſercitavate la carica di noſtro Uditore, gl' impedimenti preſtatigli per parte del Chierico Gio: Domenico Siſti, e del Capitolo, e Clero della ſteſſa Terra, hanno diſegnata la fabrica di un novo Convento, e Chieſa in un terreno poco diſtante da detta terra delle Noci, altre volte conceduto in enfiteoſi perpetua coll' aſſenſo dell' Ordinario da D. Vito Nicolò de Lucia Rettore delle Capelle, e benefizio della Madonna di Conſtantinopoli, e S. Gio: Battiſta per l' annuo canone di carlini 25 a Pietro Ritella, e da queſto ceduto, e donato ad eſſi ſupplicanti colla ſucceſſiva approvazione di detto Rettore, e preparandoſi con ogni poſſibile ſollecitudine detta nova fabrica, per ridurla in appreſſo alla dovuta perfezione, benche per parte del ſudetto Capitolo, e Clero ſia ſtata preſentata ad eſſi Padri una proteſta concernente detta fabrica, fatta poſteriormente per gl' atti di Pier Domenico Montone Notaro di detta terra delle Noci, ci hanno ſupplicato a volergli benignamente permettere, che terminata detta fabrica, poſſano liberamente traſferirſi a detto novo Convento, e ritenere il detto Convento, e Chieſa di S. Maria delle Grazie con tutti i ſuoi pochi beni, come ſopra poſſeduti in forma di grancia, non oſtante il patto riverſivo convenuto nel ſudetto inſtrumento di conceſſione, e che vogliamo inſieme traſferire a detta nova Chieſa tutti li peſi, ed oblighi di Meſſe, e reſpettivamente tutte le grazie, e privilegj, che ſi trovano anneſſi, e che ſi godono in detta Chieſa di S. Maria delle Grazie, con approvar nell' iſteſſo tempo a maggior cautela l' inſtrumento di conceſſione del ſudetto terreno fatta dal

dal predetto Rettore D. Vito Nicolò de Lucia a favore del ſudetto Pietro Ritella, colla ſuſſeguente ceſſione, e donazione fattane da queſto a favore di eſſi ſupplicanti, & abolire inſieme la proteſta ultimamente come ſopra, fatta da detti Capitolo, e Clero, ponendoci in conſiderazione, che con tal mutazione avvicinandoſi aſſai maggiormente a detta terra reſtaranno liberi dagl' incommodi, e pericoli ſin' ora pur troppo ſperimentati a cauſa della diſtanza, ed il popolo di detta terra reſtarà molto più beneficato coll' amminiſtrazione de' SS. Sagramenti, predicazione, ed eſſercizio d' altre opere pie, alle quali attendono per obligo del loro iſtituto. E noi eſſendo ben perſuaſi, che la vicinanza de' Regolari verſo i luoghi abitati rieſce di maggior profitto non ſolo alla ſalute dell' anime degl' abitanti per le ragioni ſopra eſpoſteci, ma inſieme alli ſteſſi Religioſi, che hanno motivo, e commodità d' impiegarſi negl' eſercizj meritorj di pietà, ſecondo il loro iſtituto, e così adempire il debito del loro offizio, e ſervare con maggior attenzione la dovuta diſciplina, e riflettendo altresì, che la conceſſione di detta Chieſa della Beata Vergine delle Grazie con i beni anneſſi fu fatto de detta Univerſità a detti Padri col ſudetto patto riverſivo, affinche col dimorare ivi poteſſero riuſcire di profitto a quel popolo, e che coll' avvicinarſi maggiormente a detta terra, creſce il motivo, per cui fu fatta tal conceſſione, ne può in conto alcuno aver luogo il detto patto riverſivo, atteſſa ſpecialmente la neceſſità, per cui ſi fà tal mutazione, ſiamo perciò condeſceſi a farglene, come in appreſſo, la grazia. Avendo pertanto nel preſente noſtro Chirografo per inſerto, e di parola in parola regiſtrato l' intiero tenore della conceſſione della ſudetta Chieſa della Madonna Santiſſima delle Grazie, ſuoi beni, capitali, e rendite fatta da detta Univerſità della terra delle Noci a favore di detta Religione Domenicana a fine di fondarvi il loro Convento l' anno MDLXVII de patti, peſi, ed obblighi in eſſa ſtipolati, e ſpecialmente, che ſe detti Padri non foſſero continuati a ſtare, ed abitare in detta Chieſa, e per propria colpa ſe ne foſſero partiti, debba quella immediatamente ricadere in potere di detta Univerſità, e detta ceſſione, e donazione s'intenda nulla, irrita, e di niun valore, del preciſo ſtato preſente di detta Chieſa e Convento, e della quantità, e qualità de beni anneſſi a detta Chieſa, e compreſi in detta ceſſione, loro valore, & annua rendita, e di tutti gl'altri beni, ed effetti, che preſentemente poſſiedono detti Padri de' teſtamenti, donazioni, o altre diſpoſizioni di qualunque benefattore, da quali provengono, de' peſi, ed obblighi di Meſſe, e di qualſiſia altre opere pie da medeſimi ordinate, delle grazie, indulgenze, o altri privilegj sì generali della loro Religione, che particolarmente conceſſe in qualunque modo, e tempo sì da noi, che da noſtri Predeceſſori a detta Chieſa, della ſituazione, e diſtanza dell'altra ſudetta Chieſa, che nuovamente ſi fabricarà; dell' iſtrumento di conceſſione del ſudetto terreno fatto dal predetto Rettore D. Vito Nicolò de Lucia, a favore del detto Pietro Ritella, e della conceſſione, e donazione da queſto fatta a favore di eſſi Padri, de patti, condizioni, & obblighi in eſſi reſpettivamente ſtipolati, della proteſta nuovamente fatta per parte di detti Capitolo, e Clero di detta terra delle Noci, & ogni altra coſa quanto ſi voglia neceſſaria d' eſprimerſi, eſimendo, e preſervando Noi detti Padri ſupplicanti da ogni caducità del commodo, e poſſeſſo di detta Chieſa, e beni a quella anneſſi, che in vigore de patti convenuti in detto inſtrumento di ceſſione, o delle condizioni appoſte in qualſiſia altra diſpoſizione, ſi poteſſe da detta Univerſità delle Noci, o da qualunque altra perſona pretendere d'eſſer eſſi incorſi, o che foſſero per incorrere, laſciando l'abitazione di detta Chieſa, e Convento di S. Maria delle grazie, per traſferirſi a detta Chieſa, e Convento, che nuovamente ſi fabricarà, confermando, & approvando Noi colla pienezza della noſtra autorità in tutto, e pertutto la conceſſione del ſudetto terreno fatta dal predetto Rettore D. Vito Nicolò de Lucia a favore del nominato Pietro Ritella, e la ceſſione, e donazione da queſto ſuſſeguentemente fatta a favore d' eſſi Padri ſupplicanti con tutti i patti, & obblighi in eſſe reſpettivamente ſtipolati, ed abolendo inſieme, caſſando, & annullando l'accennata proteſta fatta per parte di detti Capitolo, e Clero delle Noci concernente la fabrica di detta nova Chieſa, e Convento, di noſtro moto proprio, certa ſcienza, e pienezza della noſtra ſuprema poteſtà vi ordiniamo, che in nome noſtro diate, e concediate, ſiccome noi diamo, e concediamo a detti Priore, e Padri del Convento di S. Maria delle Grazie di detta terra delle Noci ſupplicanti ampla, & aſſoluta facoltà di poter liberamente, e non oſtante il ſudetto patto riverſivo convenuto in detto inſtrumento di ceſſione, e qualunque altra condizione appoſta in qualſiſia altra diſpoſizione, e non oſtante qualunque oſtacolo, proteſta, o altro impedimento appoſto, e che ſi poteſſe apporre in avvenire per parte de ſudetti Capitolo, e Clero delle Noci, o di qualunque altra perſona, dimettere l'abitazione di detto Convento, e Chieſa di Santa Maria delle Grazie, e traſferirſi ad abitare nel novo Convento, che preſentemente ſi fabricarà nel terreno cedutogli dal ſudetto Pietro Ritella, e di poter' inſieme ritenere, e godere, ſiccome noi gli concediamo in forma di Grancia, detto Convento, e Chieſa di S. Maria delle Grazie con tutti i beni di qualunque ſorte a quella ſpettanti, col peſo però di doverſi ivi celebrare ogn'anno in perpetuo la feſta titolare di eſſa Chieſa, traſferendo, ſiccome noi traſferiamo a detta nova Chieſa, tutti li peſi, & obblighi sì di Meſſe, che di qualunque altra opera pia ordinata da qualſiſia benefattore in detta Chieſa della Beatiſſima Vergine delle Grazie, e reſpettivamente tutte le grazie, indulgenze, e privilegj sì generali, che particolari a quella conceſſi, e che ivi ſin' ora ſi ſono goduti, e preſentemente ſi godono, dichiarando, ſiccome noi dichiaramo, che detti peſi, & obblighi adempiti in detta nova Chieſa ſuffraghino, come ſe foſſero ſtati adempiti in detta Chieſa di S. Maria delle Grazie, e che tanto queſti, quanto dette grazie, e privilegj s'abbino, e reputino, come ſe foſſero ſtati così preciſamente ordinati, e reſpettivamente conceſſi a detta nova Chieſa, che preſentemente ſi fabricarà, e che per eſſerſi detti Padri traſferiti a quella, e laſciata l'abitazione di detta Chieſa di Santa Maria delle Grazie, col ritenere i di lei beni ſudetti, non poſſono eſſere da detta Univerſità delle Noci, o da qualunque altra perſona in alcun futuro tempo moleſtati, ne impediti ſopra il libero poſſeſſo della ſteſſa Chieſa, Convento, e beni ſudetti, & in tal forma in eſecuzione del preſente noſtro Chirografo ne pronunciarete decreti, concederete l'opportuna facoltà, & in caſo di biſogno anch' inibizioni, e farete tutt' altro, che per il totale adempimento, e perpetua ſoſſiſtenza della preſente grazia ſtimarete in qualunque modo

eſſer neceſſario, per eſſer così mente, e volontà noſtra eſpreſſa volendo, e decretando, che al preſente noſtro Chirografo, benche non ammeſſo, ne regiſtrato in Camera, non poſſa mai darſi, ne opporſi di ſurrezione, orrezione, ne d' alcun' altro vizio, o difetto della noſtra volontà, ed intenzione, ne che mai ſotto tali, o altri preteſti poſſa eſſere impugnato, moderato, e rivocato, e che così, e non altrimenti ſia, e debba eſſere ſempre giudicato, definito, & interpretato da qualunque giudice, e tribunale benche Collegiale, Congregazioni anche de Reverendiſſimi Cardinali, Legati a Latere, Camerlengo di Santa Chieſa, Teſoriere, Uditori di Rota, Chierici di Camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e giuriſdizione di definire, ed interpretare diverſamente, e dichiarando Noi ſin d' adeſſo preventivamente nullo, irrito, & invalido tutto ciò, che da ciaſcuno d' eſſi con qualſivoglia autorità, ſcientemente, o ignorantemente foſſe in qualunque tempo giudicato contro la forma, e diſpoſizione del preſente noſtro Chirografo, quale vogliamo, che vaglia, e debba aver ſempre il ſuo pieno effetto, eſecutione, e vigore con la ſemplice noſtra ſottoſcrizione, benche non vi ſiano ſtati chiamati, ſentiti, ne citati gl' uomini di detta Univerſità della terra delle Noci, & altre qualſiſiano perſone ancorche privilegiate, e privilegiatiſſime, eccleſiaſtiche, e luoghi pii, che vi aveſſero, o pretendeſſero avervi intereſſe, non oſtante tutte, e ſingole coſe premeſſe, e ſpecialmente l' inſtrumento della ceſſione, e rinunzia di detta Chieſa della Madonna delle Grazie, e ſuoi beni ſudetti fatta da detta Univerſità a favore di detta Religione, con condizione, che quando detti Padri aveſſero laſciato d' abitare in eſſa, e per propria colpa ſe ne foſſero partiti, doveſſe quella immediatamente ricadere in potere di detta Univerſità, e s' intendeſſe detta conceſſione, e donazione nulla, irrita, e di niun valore, ed altre qualunque diſpoſizioni fatte da ogni altro benefattore, patti, oblighi, e peſi in eſſi reſpettivamente ingionti, la proteſta, come ſopra fatta per parte di detti Capitolo, e Clero delle Noci, e per quanto facci biſogno riſpetto alla conceſſione del ſudetto terreno, l' Eſtravagante di Paolo II, che incomincia: *Ambitioſæ: de rebus Eccleſiæ non alienandis*: La Bolla di Pio IV noſtro Predeceſſore de regiſtrandis, la regola della noſtra Cancellaria de jure quæſito non tollendo, e qualſiſiano altre Conſtituzioni, ed ordinazioni Apoſtoliche, noſtre, e de noſtri Predeceſſori, la diſpoſizione de Concilj Generali, e Provinciali, leggi civili, e canoniche, ſtatuti, riforme, ſtili, uſi, conſuetudini, e qualunque altra coſa, che faceſſe, o poteſſe fare in contrario, alle quali tutte, e ſingole, avendone il tenore quì per eſpreſſo, e di parola in parola inſerto, e ſupplendo noi con la pienezza della noſtra poteſtà Apoſtolica ad ogni vizio, e difetto quantunque ſoſtanziale, e formale, che vi poteſſe intervenire per queſta volta ſola, e per la piena eſecuzione, ed effetto di quanto s' eſprime nel preſente noſtro Chirografo, ampiamente, ed eſpreſſamente deroghiamo. Dato dal noſtro Palazzo Apoſtolico Vaticano queſto dì XVII Ottobre MDCCXXVIII.

Benedictus Papa XIII.

1. *Archivo.*) In quo exemplar Chirographi, & autographum ſequentis Inſtrumenti.

In Nomine Domini Amen. Fidem facio per præſentes ego cauſarum Curię Camerę Apoſtolicę Notarius publicus infraſcriptus, qualiter die XV Januarii proxime præteriti Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Joſeph Accorambonus Epiſcopus Imolenſis, & Judex Commiſſarius a Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa ſpecialiter electus, & delegatus in exequutionem Chirographi per Sanctitatem Suam ſignati die XVII Decembris MDCCXXVIII favore RR. Prioris, & PP. Ordinis Prędicatorum Conventus S. Marię Gratiarum terrę Nucum Eminentię ſuę directi ſuum edidit decretum in actis mei prędicta die ſubſcriptum, & publicatum, tenoris ſequentis videlicet: Cum Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus divina Providentia Papa XIII ſupplicationibus RR. Prioris, & Patrum Ordinis Prędicatorum ven. Conventus S. Marię Gratiarum terrę Nucum Converſanen. Diœceſis benigne inclinatus Chirographum manu Sanctitatis Suę die XVII menſis Decembris proxime præteriti ſubſignatum, nobis pro exequutione in eo contentorum direxerit, tenoris ſequentis videlicet &c. Volentes itaque injuncta nobis ab eodem Sanctiſſimo Domino noſtro Papa debitę exequutioni demandare, utendo facultatibus nobis in eodem Chirographo tributis, viſis ad abundatiorem cautelam quampluribus juribus, & documentis concernentibus expoſita in eodem Chirographo, prout in pluribus foliis, tenorum, prout in eis, eiſdem RR. Priori, & Patribus Ordinis Prędicatorum venerabilis Conventus Sanctę Marię Gratiarum terrę Nucum licentiam, & facultatem libere dimittendi habitationem dicti Conventus, & Eccleſię, & ſeſe transferendi ad novum Conventum, & Eccleſiam nuper ędificandam in terreno ipſis ceſſo per D. Petrum Ritellam, ſimulque retinendi in forma Grancię prędictum Conventum, & Eccleſiam Sanctę Marię Gratiarum cum omnibus, & ſingulis bonis cujuſvis generis, & ſpeciei ad illam ſpectantibus, cum onere tamen ibidem quolibet anno in perpetuum celebrandi feſtivitatem titularem ejuſdem Eccleſię, cum translatione ad prędictam novam Eccleſiam omnium onerum cujuſvis generis per quoſvis Benefactores in eadem Eccleſia S. Marię Gratiarum ordinat., & reſpective omnium Gratiarum, indulgentiarum, & privilegiorum generalium, & particularium illi quomodolibet conceſſorum, ejuſdem Sanctiſſimi Domini noſtri Papę nomine concedimus, & impartimur, quę onera in eadem nova Eccleſia ſic adimpleta afficere, & ſuffragari, ac ſi in eadem Eccleſia Sanctę Marię Gratiarum adimpleta fuiſſent, illaque, ac gratias, & privilegia prędicta haberi, & reputari, ac ſi ordinata, & reſpective conceſſa fuiſſent prędictę novę Eccleſię, & ſuper omnibus, & ſingulis prœmiſſis eoſdem Rev. Patres non poſſe ab Univerſitate dictę terrę Nucum, nec alia quavis perſona perpetuis futuris temporibus quomodolibet moleſtari, ſimili auctoritate declaramus, volumus, & mandamus, cum prœſervationibus, liberationibus, declarationibus, & juxta in omnibus, & per omnia formam, ſeriem, ac tenorem memorati Chirographi, non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, inſtrumento ceſſionis, & renunciationis ejuſdem Eccleſię Sanctę Marię Gratiarum, ejuſque bonorum, pactis, reſervationibus, & conditionibus in eo con-

contentis, teſtamentis, donationibus, proteſtationibus, conciliis, legibus, ſtatutis ceteriſque aliis quibus idem Sanctiſſimus Dominus noſter Papa in pręinſerto Chirographo derogavit J. Cardinalis Accorambonus Jud.Com. In quorum fidem &c. Datum Romę hac die XII Februarii MDCCXXIX.

Ita eſt Salvator Paparozzius cauſarum Curię Camerę Apoſtolicę Notarius.

Loco ✝ Signi.

Anno 1728 Die 17 Decembris.

CXIII.

Pro Cœnobio Alaxii in ditione Januen.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Reverendiſſimo Cardinale Giuſeppe Accoramboni Veſcovo d'Imola.

DEſiderando li Religioſi del noſtro Ordine de'Predicatori della Provincia di Lombardia, dimoranti nel Luogo d'Alaſſio, Dominio della Republica di Genova, e Dioceſi d'Albenga, aprire in detto Luogo la Chieſa publica ſotto il Titolo di S. Tommaſo d'Aquino (della quale ſono privi ſin dal tempo che ivi dimorano): Noi ordinaſſimo al Maeſtro Generale del ſuddetto noſtro Ordine, acciò anco a nome noſtro uſaſſe tutte le poſſibili diligenze, per ottenere a tal fine i neceſſari conſenſi ricercati dalle Coſtituzioni Apoſtoliche; & avendoci eſſo Maeſtro Generale rappreſentato aver Egli a tal preciſo effetto delegato il Maeſtro Fra Tommaſo Girolamo Grimaldi Genoveſe dello ſteſſo Ordine, e Provincia di Lombardia con ampla facoltà di agire, & uſar tutti li modi poſſibili per concludere queſto affare, come dalle Lettere patenti dirette al ſudetto Maeſtro Grimaldi inſerte nell' infraſcritto Iſtrumento, e che queſto per ultimare queſt' affare ha ſtipolato un Iſtromento, in cui ha fatte alcune dichiarazioni, & obblighi, del tenore ſeguente, cioè - Nel nome del Signor Iddio ſia. Il M. R. P. Tommaſo Girolamo Grimaldi dell' Ordine de Predicatori, e della Provincia dell' una, e l' altra Lombardia, ſulla ſiducia, che tiene, che dalla ſomma pietà, e religione de Sereniſſimi Collegi, o del Sereniſſimo Senato della Sereniſſima Republica di Genova in coerenza della richieſta fattane al Sereniſſimo Governo dal Reverendiſſimo P. Generale di detto Ordine, e del vivo deſiderio di Sua Santità debba benignamente concederſi alla Religione Domenicana l' apertura della Chieſa nel luogo di Alaſſio per uſo del Convento di eſſa Religione, ad oggetto, che per tale permiſſione non ne riſenta, ne venga cauſato alcun pregiudizio alla Communità, e Particolari, come anco alla Chieſa Parochiale del predetto Luogo di Alaſſio, coerentemente alla mente del predetto Reverendiſſimo P. Generale &c. ſpontaneamente &c. ed in ogni miglior modo &c. ſervandoſi detto M.R. P. Maeſtro Grimaldi di tutta l' autorità, e bailia, che egli è ſtata conceſſa dal ſudetto P. Reverendiſſimo Generale, il quale ſe l' ha fatto ſuo Commeſſo intorno alle coſe infraſcritte, come da Lettere patenti della ſua Commiſſione de' XXVII Decembre proſſimo paſſato, del ſeguente tenore. Nos Fr. Thomas Ripoll Sacrę Theologię Profeſſor, ac totius Ordinis Prędicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus. Cum pro aperienda Eccleſia Conventus noſtri Sancti Thomę Aquinatis Alaxii, prout ſummopere exoptamus, & Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus XIII maxime in votis habet, nonnulla cum Sereniſſimo Senatu Genuenſi pertractanda ſint, atque componenda, idque per nos ipſos pręſtare non valeamus, Te R. Admodum P Magiſtrum Fr Thomam Hieronymum Grimaldi Provincię noſtrę utriuſque Lombardię matura conſideratione delegimus, plurimum de tua doctrina, prudentia, & dexteritate confiſi, cui ſollicitudinem hanc committeremus. Quare tenore pręſentium, noſtrique auctoritate Officii Te pręfatum P. Magiſtrum Grimaldi nominamus, inſtituimus, & facimus Procuratorem noſtrum apud Sereniſſimum Senatum Genuenſem, ut ſcilicet nomine noſtro, noſtraque auctoritate agere valeas, & concordare cum laudato Sereniſſimo Senatu, ſeu cum quibuslibet aliis, ad quos ſpectabit pro aperitione dictę Eccleſię non ſolum generaliter juxta alias noſtras literas de mandato ejuſdem Sanctiſſimi ad te tranſmiſſas, ſed etiam ſpecialiter tam circa bona de anno MDCLI Ordini noſtro ſub certis conditionibus a teſtatore expreſſis relicta, quam circa bona temporalia Societatis Sanctiſſimi Roſarii in Eccleſia Parochiali dicti Alaxii legitime, ut ferunt, erectę juxta facultatem nobis factam in hac parte ab eodem Sanctiſſimo in ſua nuperrima Conſtitutione Pretioſus §. 15 habita tamen ratione onerum, ſeu Miſſarum, ſive aliorum quorumcunque ex teſtatorum, piarumque perſonarum voluntate in Societate, Capella, aut Altari Roſarii perſolvendorum, ceteriſque omnibus penſatis, quę in hac re ad majorem Dei gloriam, & fidelium ędificationem congrua videbuntur, & conſona ęquitati, declarantes, nos nunc pro tunc ratum habere quidquid per te in hoc negotio peractum fuerit, diſpoſitum, & concordatum. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen, In quorum fidem &c. Datum Romę in Conventu noſtro Sanctę Marię ſuper Minervam die XXVII Decembris MDCCXXVII. Fr. Thomas Ripoll Magiſter Ordinis. Regiſt. fol. 34. Fr. Dominicus Ponſi Magiſter Exprovincialis, & Socius: Quale facoltà, e bailia dichiara detto M. R. P. Grimaldi di eſtendere, come l' eſtende alle coſe infraſcritte &c. Al detto procuratorio nome del medeſimo P. Reverendiſſimo Generale del detto Ordine de Predicatori, e della Religione *Do*menicana ha promeſſo, e promette alla detta Communità di Alaſſio, e ſuoi agenti aſſenti, me Notaro &c. di pagare le publiche avarie, e di ſubire li carichi publici tutti, e di qualunque ſorte ſia, impoſti, che da imporſi per li beni da detti RR. PP. poſſeduti, o ſia, che in oggi poſſiedono nel detto luogo, e giuriſdizione, e che in eſſi perveniſſero in avvenire a qualunque nome, e titolo, e per qualſivoglia cauſa, niuna affatto eſcluſa, o riſervata, conforme hanno fino a queſt' ora coſtumato, e pratticato di pagare ſotto &c. rinonciando &c. E perche la Religione ſudetta di S. Domenico tiene a titolo di precario, ed a bene-

beneplacito del Sereniſſimo Senato alcuni beni procedenti dall' eredità del quondam Sp. Ambrogio Airaldi deſtinati per il loro reddito al mantenimento de Religioſi per inſegnamento delle ſcuole di leggere, ſcrivere, di Grammatica, Umanità, e Filoſofia, de quali beni l' anno MDCLI ne fu al detto titolo dato il poſſeſſo a detti RR. PP. dal predetto Sereniſſimo Senato, e ſotto varie condizioni inſerite in diverſi Capitoli accordati a gli ſteſſi RR. PP., il detto M. R. P. M. Grimaldi al detto nome ha in oltre promeſſo, ſiccome promette al predetto Sereniſſimo Senato, me Notaro &c. che la detta Religione riterrà li detti beni al nome, e titolo, come ſopra, e ſotto le condizioni, modi, e forme contenute in eſſi Capitoli, promettendo di eſſi l' onnimoda oſſervanza, non oſtante la conceſſione addimandata per l' apertura di detta Chieſa, in maniera che niente s' intenda innovato, e derogato a medeſimi Capitoli, del tenore, o ſia contenuto de quali ſi chiama detto M. R. P. Commeſſo, o ſia Procuratore ben conſcio, ed informato per lettura fattane più volte, come così confeſſa ſotto a detto nome &c. rinunciando &c. In oltre dovendo colla detta apertura di Chieſa la Compagnia del Santiſſimo Roſario eſiſtente nella Chieſa Parrochiale di detto luogo eſſere traſportata in detta nova Chieſa de PP. di San Domenico alla forma, e ſecondo, che viene preſcritto dalle Bolle di più Sommi Pontefici, e particolarmente del regnante, bramoſo il detto M. R. P. Grimaldi al detto nome di ſollevare la detta Chieſa Parochiale &c. Valendoſi pure della facoltà datagli, come ſopra, a detto nome ha acconſentito, ſiccome acconſente alla detta Chieſa Parrochiale del detto luogo li beni tutti mobili, ed immobili già ſpettanti, e che ſpettaſſero alla detta Compagnia del Roſario eretta nella detta Parochiale, eccettuata la ſtatua di noſtra Signora, li XV Miſteri, ed il Confalone attinenti alla detta Compagnia, e ciò quando altrimente non poſſa convenirſi con li Maſſari di ſudetta Chieſa ſotto &c. rinunciando &c. me Notaro &c. Promettendo di avere perpetuamente rato &c. ſotta &c. me Notaro &c delle quali coſe tutte &c. per me Pier Agoſtino Solari Notaro &c. fatto in Genova nel Real Palazzo, cioè nella Cancellaria del Sereniſſimo Senato a cura del M. Segretario Gio: Antonio Scaffero l' anno dalla naſcita di Noſtro Signore Gesù Criſto MDCCXXVIII, correndo l' Indizione quinta al cuſtume di Genova, giorno di Sabbato XXIX del meſe di Maggio alla mattina, eſſendovi preſenti Domenico Pellegrini del quondam Geronimo, ed Antonio Maria de Ferrari di Gio: Battiſta Teſtimonj alle predette coſe chiamati &c. Da miei atti in tutto, come ſopra abbenche &c. ſalvo &c. Pier Agoſtino Solari Notaro publico Collegiale Genoveſe &c. Ora deſiderando il detto Maeſtro Generale dell' Ordine de Predicatori, che il ſudetto inſtrumento abbia in perpetuo il ſuo vigore, e ſia rimoſſo ogni oſtacolo, che poteſſe in avvenire opporſi al poſſeſſo, e dimora de Religioſi del noſtro ſudetto Ordine in detta nova Chieſa nel ſudetto luogo di Alaſſio, ci ha umilmente ſupplicato a voler confirmare, & approvare con la noſtra ſuprema autorità il ſudetto inſtrumento con tutti li predetti oblighi, e dichiarazioni, & aſſieme concedergli l' opportuna facoltà per aprire publicamente detta nova Chieſa, rimovendo tutti gl' oſtacoli delle Conſtituzioni Apoſtoliche, e decreti, che lo proibiſcono, e noi ſempre intenti a promovere con ogni poſſibil modo la gloria d' Iddio, mediante la propagazione delle Religioni, e particolarmente di queſta noſtra Domenicana, col peſo dello ſcuole di leggere, ſcrivere, Grammatica, Umanità, e Filoſofia iſtituite in quel luogo d'Alaſſio a tenore del teſtamento del fù Ambrogio Airaldi fatto dell' Anno MDCLI, in cui ha laſciati diverſi beni a detto fine, riflettendo anche che tali ſcuole ridondano in conſiderabile profitto de ſecolari, ſiamo volentieri condeſceſi a conſolarlo, come in appreſſo. Avendo per tanto nel preſente noſtro Chirografo per eſpreſſo, e di parola in parola regiſtrato l'intiero tenore delle Coſtituzioni Apoſtoliche, e decreti delle noſtre Congregazioni de Veſcovi, e Regolari, della diſciplina, e qualunque altre proibenti la fondazione de novi Conventi, e i requiſiti neceſſarj per tal fondazione, della preciſa quantità, e qualità de ſudetti beni, loro annua rendita, delle condizioni, e peſi ingionti nel ſudetto teſtamento del fù Ambrogio Airaldi, dell' oblighi, delle dichiarazioni ſopra inſerte, accordate, e ſtipolate dal ſudetto Maeſtro Grimaldi in nome d' eſſo Maeſtro Generale, ed ogn' altra coſa quanto ſi voglia neceſſaria d' eſprimerſi, di moto noſtro proprio, certa ſcienza, e pienezza della noſtra poteſtà Apoſtolica vi ordiniamo, che in nome noſtro fermiate, & approviate, ſiccome Noi in tutto, e pertutto, & in tutte le ſue parti confermiamo, approviamo, & autoriziamo tutti li ſopra inſerti oblighi, e dichiarazioni, accordati, e ſtipolati dal predetto Maeſtro Grimaldi in nome di detto Maeſtro Generale di eſſo noſtr' Ordine de Predicatori, ordinando, ſiccome Noi ordiniamo, che quelli ſi debbano in perpetuo attendere, oſſervare, & eſeguire, & in oltre, che diate, e concediate, ſiccome Noi diamo, e concediamo al detto Maeſtro Generale ampla, & aſſoluta facoltà di potere liberamente, e non oſtante qualunque contraria diſpoſizione delle Coſtituzioni Apoſtoliche, e decreti delle dette Congregazioni de Veſcovi, e Regolari, diſciplina, e qualunque altra, aprire publicamente in detta terra d' Alaſſio Dioceſi d' Albenga la nova Chieſa ſotto il titolo di S. Tommaſo d'Aquino, e di dichiarare il luogo di detta noſtra Religione de Predicatori ivi eſiſtente Convento formale ſenza la deſtinazione del numero de Religioſi, & altre formalità preſcritte in dette Coſtituzioni Apoſtoliche, e decreti, e con lo ſtabilimento di quelle regole, ed ordini, che ad eſſo pareranno più eſpedienti, per il buon regolamento, e ſoſſiſtenza di detto Convento, e ſuoi Religioſi, per doverſi ivi adempire tutti gl' oblighi, e peſi preſcritti dal ſudetto teſtatore, e reſpettivamente nella noſtra Coſtituzione: *Pretioſus*: ſpedita li XXVI Maggio MDCCXXVII, ed altre Coſtituzioni Apoſtoliche, precetti, e regole dello ſteſſo Ordine, dandogliene perciò tutte le facoltà neceſſarie, ed opportune, non oſtante qualunque coſa, che faceſſe, o poteſſe fare in contrario, ed in queſta forma in eſecuzione del preſente noſtro Chirografo, col quale vi deleghiamo tutte le facoltà neceſſarie, ne pronunciarete publico decreto, concederete le opportune facoltà, e farete tutt'altro, che per il total adempimento, e perpetua ſoſſiſtenza di queſta noſtra grazia ſtimarete in qualunque modo eſſer neceſſario, per eſſer così mente, e volontà noſtra eſpreſſa volendo, e decretando, che al preſente noſtro Chirografo, benche non ammeſſo, ne regiſtrato in Camera, non poſſa mai darſi, ne opporſi di ſurrezione, orrezione, ne d' alcun altro vicio, o difetto dalla noſtra volontà, ed intenzione, ne che mai ſotto tali, o altri preteſti poſſa eſſer im-

impugnato, moderato, o rivocato, e che coſì, e non altrimenti, ſia, e debba eſſer ſempre giudicato, definito, ed interpretato da ogni, e qualunque giudice, e tribunale, benche Collegiale, Congregazioni anche de Reverendiſſimi Cardinali, Camerlengo di Santa Chieſa, Legati a Latere, Preſidenti, Teſoriere, Uditori di Rota, Chierici di Camera, e qualunque altro toglendo loro ogni facoltà, e giuriſdizione di definire, & interpretare diverſamente, e dichiarando Noi ſin d'adeſſo preventivamente nullo, irrito, & invalido tutto ciò, che da ciaſcuno d'eſſi con qualſivoglia autorità, ſcientemente, o ignorantemente foſſe in qualunque tempo giudicato contro la forma, e diſpoſizione del preſente noſtro Chirografo, quale vogliamo, che vaglia, e debba aver ſempre il ſuo pieno effetto, eſecuzione, e vigore con la ſemplice noſtra ſottoſcrizione, benche non vi ſiano ſtati chiamati, ſentiti, ne citati gl'altri Religioſi ſpecialmente Mendicanti di detta terra d'Alaſſio, il moderno Paroco della Chieſa Parrochiale, il difetto del conſenſo de medeſimi, e di qualunque altra perſona, che neceſſariamente ſi ricercaſſe, e quali ſiſiano altre perſone ancorche privilegiate, e privilegiatiſſime, eccleſiaſtiche, e luoghi pii, che vi aveſſero, o pretendeſſero avervi intereſſe, non oſtanti le Coſtituzioni Apoſtoliche, e decreti di dette noſtre Congregazioni de Veſcovi Regolari, diſciplina, e qualunque altro proibenti la fondazione, ed aperizione de novi Conventi, la Bolla di Pio IV noſtro Predeceſſore de regiſtrandis, la regola della noſtra Cancellaria de jure queſito non tollendo, e quali ſi ſiano altre Coſtituzioni, ed ordinazioni Apoſtoliche, noſtre, e de noſtri Predeceſſori, la diſpoſizione de Concilii Generali, e Provinciali, leggi civili, e canoniche, ſtatuti, riforme, ſtili, uſi, conſuetudini, & ogn'altra coſa, che faceſſe, o poteſſe fare in contrario, alle quali tutte, e ſingole, avendo il tenore qui per eſpreſſo, e di parola in parola inſerto, e ſupplendo Noi con la pienezza della noſtra ſuprema poteſtà ad ogni vizio, e difetto quantunque ſoſtanziale, e formale, che vi poteſſe intervenire per queſta volta ſola, e per la piena, e totale eſecuzione, & effetto di quanto s'eſprime nel preſente noſtro Chirografo, ampiamente, ed eſpreſſamente deroghiamo. Dato dal noſtro Palazzo Apoſtolico Vaticano queſto dì XVII Decembre MDCCXXVIII.

Benedictus Papa XIII.

1. *Archivo*.) In quo exemplar hujuſce Chirographi, & autographum ſequentis Inſtrumenti.

Joſeph miſeratione divina tituli S. Marię in Tranſpontina Sanctę Romanę Eccleſię Presbyter Cardinalis Accorambonus Epiſcopus Imolenſis, & Judex Commiſſarius a Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa ſpecialiter electus, & deputatus. Cum Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus divina providentia Papa XIII ſupplicationibus Reverendiſſimi Patris Magiſtri Generalis, ac RR. PP. Ordinis Prędicatorum Provincię Gallię Ciſalpinę benigne inclinatus Chirographum manu Sanctitatis Suę die XVII Decembris proxime pręteriti ſubſignatum, nobis pro exequutione in eo contentorum direxerit, tenoris ſequentis videlicet &c. Volentes itaque injuncta Nobis ab eodem Sanctiſſimo Domino noſtro Papa debitę exequutioni demandare, utendo facultatibus nobis in eodem Chirographo tributis, omnes, & ſingulas obligationes, & declarationes per Admodum R. P. Magiſtrum Fr. Thomam Hieronymum Grimaldum nomine prędicti Reverendiſſimi P. Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis conventas, & ſtipulatas in inſtrumento publico per extenſum in eodem Chirographo regiſtrato, in omnibus, & per omnia ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papę nomine confirmamus, approbamus, & authorizamus, illaſque perpetuis futuris temporibus obſervari, ac debitę exequutioni demandari debere, declaramus, volumus, & mandamus, eidemque Reverendiſſimo Patri Magiſtro Generali prędicti Ordinis Prędicatorum plenam, & abſolutam facultatem libere, & non obſtante quacunque contraria diſpoſitione Conſtitutionum Apoſtolicarum, ac decretorum Sacrę Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, diſciplinę, & alterius cujuſcunque, publice aperiendi in terra Alaxii Albinganen. Diœceſis novam Eccleſiam ſub titulo S. Thomę Aquinatis, ibique erigendi, & fundandi Conventum formalem ejuſdem Ordinis abſque deſtinatione RR. PP. aliiſque formalitatibus in eiſdem Conſtitutionibus, & decretis injunctis, regulas quoque, & ordines ſibi beneviſos pręſcribendi pro recto regimine, & firmitate ejuſdem Conventus, & Patrum prędictorum, ac reſpective pro adimplemento onerum per quondam Ambroſium Airaldum benefactorem, ac per Conſtitutiones ejuſdem Sanctiſsimi Domini Noſtri, & aliorum Summorum Pontificum Prędeceſſorum, ac per Regulas ejuſdem Ordinis injunctorum ſimili auctoritate concedimus, & impartimur, juxta in omnibus, & per omnia formam, ſeriem, & tenorem memorati Chirographi, non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, decretis prędictarum Sacrarum Congregationum, legibus, ſtatutis, ceteriſque aliis, quibus idem Sanctiſsimus Dominus Noſter Papa in pręinſerto Chirographo derogavit. In quorum fidem &c. Datum Romę ex Palatio Apoſtolico Vaticano, & ex ędibus noſtris hac die XV Januarii MDCCXXIX.

J. Cardinalis Accorambonus Jud. Commiſſarius.

Loco ✝ ſigilli.

Salvator Paparozzius cauſarum Curię Camerę Apoſtolicę Notarius.

Loco ✝ Signi.

Quam

Quam caute ſint recipiendi (1) qui a Judaica perfidia, vel a Mahometica ſuperſtitione converſi ſunt.

Anno 1728. Die 20 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Dilecto filio Thomę Ripoll Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſtro Generali.

CXIV.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUam gerimus pro Regularium Ordinum diſciplina ſollicitudinem, ad noſtram potiſſimum Sancti Patris Dominici Familiam intendere, & adhibere debemus, unde, Domino miſerante, accepimus, quo facilius, & opportunius ceterarum commodis proſpiceremus. Gravia igitur detrimenta reputantes, quę noſtro Prędicatorum Ordini inferrentur, ſi nimia facilitate, & minus mature, Viri ac Mulieres a Judaica perfidia, vel Mahometica ſuperſtitione ad Chriſtum converſę ad ejuſdem Ordinis habitum ſuſciperentur; motu proprio, ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris pręcipimus, & mandamus, ne quis in poſterum ex Converſis Judęis vel Mahometanis utriuſque ſexus in Conventum Fratrum, aut Monaſterium Sororum Ordini ſubjectarum, vel in Collegium Tertiariarum, quę dicuntur, de Pęnitentia, ad habitum Ordinis Prędicatorum admittatur, neve in memoratos Conventus, Monaſteria, & Collegia ſuſcipiatur, ſive educationis titulo, ſive convictus, aut Cuſtodię, aut Catechiſmi, ſine prędia expreſſa facultate a Te aut a futuris pro tempore Generalibus Ordinis Magiſtris, vel eorum Vicariis concedenda, quibus diſtricte injungimus, ne ſine cauſis diſcuſſis, ac probatis eam facultatem largiantur. Quod ſi ſecus unquam evenerit, & facultate, ſive licentia, quam diximus, minime obtenta, fuerint admiſſi, omnes actus ſive Acceptationis, ſive Veſtitionis, ſive Profeſſionis, irritos prorſus, & nullos fore decernimus, & declaramus. Huic autem noſtrę auctoritatis, motuſque proprii pręſcripto nolumus exceptiones ullas opponi poſſe in quibuſvis Conventibus, Monaſteriis, & Collegiis iſtius Ordinis intra vel extra Italiam conſtitutis, quibus omnibus a Te, & ab aliis reſpective Superioribus indici, & intimari mandamus: Quibuſcunque igitur in contrarium facientibus per pręſentes noſtras literas ampliſſime derogamus, pro expreſſo habentes, quidquid exprimendum eſſet, & quoslibet defectus, & verborum ſolemnitates ſuprema noſtra auctoritate ſupplentes. Haſce autem providentię noſtrę, & benignitatis curas uberrime rependes, ſi tuis ac dilectiſſimi Ordinis precibus divinum pręſidium infirmitati noſtrę imploraveris: Ac Tibi, dilecte fili, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XX Decembris MDCCXXVIII, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

C. Archiep. Emiſſenus.

1. *Recipiendi.*) Hinc ſequens Epiſtola:

In Dei Filio ſibi dilectis RR. Admodum Patribus Provincialibus, ac Vicariis Congregationum, necnon Conventuum Prioribus, Monaſteriorum, ſeu Collegiorum Prioriſſis, Univerſiſque Fratribus ac Sororibus Ordinis Fratrum Prędicatorum.

FR. THOMAS RIPOLL

Sacrę Theologię Profeſſor, ejuſdemque totius Ordinis humilis Magiſter Generalis, & Servus Salutem, & Ordinis decus.

QUanto ardeat zelo SS D. N Benedictus Papa XIII pro decore Ordinis noſtri, quem expreſſe profeſſus eſt, ex Apoſtolicis ejus literis in forma Brevis ad Nos directis, facili pacto compertum habebitis, Cariſſimi Fratres, & Sorores in Chriſto perdilectę. Tenor autem dictarum literarum eſt hujuſmodi. Dilecto filio &c.

Dum itaque Nos, ea qua par eſt ſollicitudine, in denunciandis pręinſertis literis, ejuſdem SS. D N. mandatis obtemperamus, omnibus Prioribus Conventuum, necnon Monaſteriorum, ſeu Collegiorum Prioriſſis noſtrę curę ſubjectis mandamus ſub pęna abſolutionis ab officio ipſo facto incurrenda, ut quę in iiſdem literis pręſcripta ſunt; inviolabiliter ſatagant adimplere. Valete ac SS. D. N. in orationibus veſtris commendatum habete, ut Deus illum Eccleſię ſuę Sponſę diu ſoſpitem ſervet, noſtri etiam, ac ſociorum noſtrorum memores. Datum Romę in Conventu noſtro Sanctę Marię ſuper Minervam die vigeſima ſecunda Decembris MDCCXXVIII.

Fr. Thomas Ripoll.
Magiſter Ordinis.

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria impreſſa *Romæ* eodem anno *MDCCXXVIII.*

Anno 1728 Die 22 Decembris.

De Officio proprio S. Thomæ Aquinatis recitando ab omnibus Religioſis Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CXV.

Die VII Martii Pro Officio dici Feſti S. Thomę Aquinatis Confeſſoris, & Eccleſię Doctoris, Duplex Secundę Claſſis.

AD VESPERAS.

Antiph. Adeſt dies, *cum reliquis de Laudibus.*

Pſal. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica.*

Loco ultimi Pſal. Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. *Eccl.45.*

ELegit eum Dominus ex omni Carne: & dedit illi coram pręcepta, & legem vitę, & diſciplinę docere Jacob Teſtamentum ſuum, & Judicia ſua Iſrael.

Hymnus.

EXultet mentis jubilo
Laudans turba fidelium
Errorum pulſo nubilo
Per novi ſolis radium.
Thomas in mundi veſpere
Fudit Theſauros gratię
Donis plenus ex ęthere
Morum, & ſapientię:
De cujus fonte luminis
Verbi coruſcant faculę
Scripturę Sacrę numinis
Et veritatis regulę.
Fulgens Doctrinę radiis
Clarus vitę munditia
Splendens miris prodigiis
Dat toti Mundo gaudia.
Laus Patri ſit, ac Genito
Simulque Sancto Flamini
Qui Sancti Thomę merito
Nos Cęli Jungat agmini. Amen.

℣. Amavit, *ut in Communi Confeſſorum.*

Ad Magnificat.

Antiph. Felix Thomas Doctor Eccleſię, lumen Mundi, ſplendor Italię, candens Virgo flore munditię, bina gaudet corona glorię.

Oratio.

DEus, qui Eccleſiam tuam, B. Thomę Confeſſoris tui, atque Doctoris, mira eruditione clarificas, & ſancta operatione fęcundas: da nobis quęſumus, & quę docuit, intellectu conſpicere, & quę egit imitatione complere. Per Dominum.

Ad Matutinum Invitatorium.

Adſunt Doctoris Cęlici Thomę Feſta ſolemnia: * Devotione ſupplici laudes promat Eccleſia.

Hymnus.

THomas inſignis genere
Claram ducens originem
Subit ętatis tenerę
Prędicatorum Ordinem;
Typum geſſit luciferi
Splendens in cętu nubium
Pluſquam Doctores ceteri,
Purgans dogma Gentilium.
Profunda ſcrutans fluminum
In lucem pandit abdita
Dum ſupra ſenſus hominum
Obſcura facit cognita.
Fit Paradiſi fluvius
Quadripartite pervius,
Fit Gedeonis gladius
Tuba, lagena, radius.
Laus Patri ſit, ac Genito
Simulque Sancto Flamini
Qui Sancti Thomę merito
Nos Cęli jungat agmini. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Pſalm. Beatus Vir, *cum reliquis de Comm. Confeſſorum.*

I. Antiph. Doctor Thomas repletus gratia, pręmonſtratus Sacris Oraculis, Mundi, Carnis, hoſtiſque vitia fugat, exemplar datum ſeculis.

Pſal. Beatus Vir.

II. Antiph. Mentis innocentia, floſque puritatis extiterunt pręvia luci veritatis.

Pſal. Quare.

III. Antiph. Ope Doctoris Cęlici tota gaudet Eccleſia, fulget Ordo Dominici pęculiari gloria.

Pſal. Domine, quid.

℣. Amavit.

Lectio I. II. & III.

De Libro Eccleſiaſtici, ut in Communi Doctorum.

℟. I. Sancti Viri verbum propheticum pręmonſtravit Mundo mirificum S. Thomam Doctorem Cęlicum: * Sectaturum S. Dominicum.

℣. Nam Vir Sanctus hunc Matri gravidę ducem prompſit Doctrinę lucidę. Sectaturum.

℟. II Chriſti pia tractus dulcedine, Mundum linquens probatur turbine: * Pugil fortis raptus de Ordine, vicit prorſus pulſa libidine.

℣. Orat preſſa Cruce mirifica, renes cingit manus Angelica. Pugil fortis.

℟. III. O anima ſanctiſſima, qua contemplante dulciter, Corpus linquebat infima. * *Stans* ſurſum mirabiliter.

℣. Nullo prorſus fultus ſubſidio, levabatur. in raptus gaudio. Stans ſurſum. Gloria Patri. Stans ſurſum.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. O munus Dei gratię vincens quodvis miraculum, peſtiferę ſuperbię nunquam perſenſit ſtimulum.

Pſalm. Cum invocarem.

Antiph. Prece curat ſocium febrem patientem: & in ora veſtium ſanguine fluentem.

Pſalm. Verba mea.

Antiph: Stella candens emicat, ſtuporem dans inſolitum, quę inſtantem indicat Beati Thomę tranſitum.

Pſalm. Domine.

℣. Os Juſti; *ut in Comm. Confeſſorum non Pontific.*

Lectio IV. V. & VI.

Ut in Breviario Romano.

℟. IV. De excelſis fons ſapientię S. Thomę infudit copiam, tanquam flumen clarę ſcientię; qui ſuſ-

ſuſceptam refudit gratiam, dum fluentis ſummę peritię; * Rigat totam Sanctam Eccleſiam,

℣. Stylus brevis, grata facundia: celſa, clara, firma ſententia. Rigat totam.

℞. V. Felix Doctor cujus ſolatio Angelorum ſervit attentio: Petrus, Paulus favent obſequio: * Dei Mater mulcet alloquio.

℣. Elevatus a Terra cernitur: Crucifixus eum alloquitur. Dei Mater.

℞. VI. Sidus miſſum Thomę de ſuperis, novo ſigno Divini muneris * Hunc Cęleſtem demonſtrat ceteris * Verbo, vita, doctrina, literis.

℣ Quam excelſus, quem Cęli prędicant, quam pręclarus, quem Stellę indicant. Hunc Cęleſtem. Gloria Patri. Verbo, vita.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Inſtante vitę termino, vidit Regna Cęleſtia: & revelante Domino novit parata prę-mia.

Pſal. Domine quis.

Antiph. Seminavit hic largiter Doctor virtuoſus: metit illic feliciter victor glorioſus.

Pſalm. Domine in virtute.

Antiph. Sidus de nube trahitur, de feno flos elicitur: falque de Terra tollitur, dum Thomas Cęlo redditur.

Pſal. Domini eſt.

℣. Lex Dei ejus, *ut in Communi Confeſſoris non Pontif.*

Lectio S. Evangelii ſecundum Matthęum.

Lectio VII. *Cap.* 25.

IN illo tempore dixit Jeſus Diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terrę: quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? Et reliqua.

Homilia S. Thomę Aquinatis.

Comment: in Matt. c. 25.

MOnentur hic Apoſtoli diligentiam habere in executione ſui Officii, tum in forma exequendi, tum in modo docendi: qui ut ſal ad condiendum exemplo vitę, ut lux ad illuminandum verbo doctrinę eſſe debeant. Inter condimenta enim nihil ſale utilius: inter viſibilia nihil luce clarius. Id autem pręſtare debent, non in abſconſione vitę, vel perſonę; neque enim poteſt Civitas abſcondi ſupra montem poſita: non in occultatione doctrinę, vel gratię; nec enim accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio. Inter prędidia enim nihil Civitate manifeſtius: inter utenſilia nihil lucerna convenientius. Ergo debent eſſe ſal in vita & moribus: lux in doctrinis, & prędicationibus: Civitas in prędidiis, & defenſionibus: lucernę in accenſionibus. Ut ſcilicet ſale condiant animas ad incorruptionis ſanitatem: ut illuminent ad veritatis intelligentiam: ut acquiſitos ab hoſtibus defendant; defenſos ad amorem Deitatis accendant.

℞. VII. Scholas Thomę Paulus ingreditur: Sacra ſimul ſantur Myſteria, digne tandem per raptum trahitur * Vir Cęleſtis ad Cęli premia.

℣. Clamor fratris trinus emittitur: Doctor noſter a nobis tollitur. Vir Cęleſtis.

Lectio VIII.

DIcit ergo: vos eſtis, id eſt, eſſe debetis, ſal terrę: deſignans eorum non ſolum Officium, verum etiam periculum, cum addit: Quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? Denique ſupplicium his verbis: Ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus: Comparantur autem ſali ratione virtutis, ratione originis, & ratione conſuetudinis. Ratione virtutis. Sal carnes condit: Sermo Apoſtolicus mentes inſipidas condiebat. Sic, omnis Sermo veſter in gratia ſemper ſit ſale conditus, hortabatur Paulus. Sal terram ſterilem facit, carnes exſiccat, a putredine ſervat. Apoſtoli deſtructo Regno peccati, germen vitiorum compeſcebant, carnaleſque concupiſcentias reſtringebant. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus, idem jubebat Paulus. Sal vim habet ſanativam. Unde Heliſęus, ſale in vas novum miſſo ſanavit aquas Hierico. Sic infuſo ſale ſapientię cęleſtis in Corde Apoſtolorum, ſanatę ſunt aquę, id eſt Populi. Ratione originis. Sal ex aqua Maris & calore ignis vel ſolis conficitur. Apoſtoli ex aqua tribulationis, & calore dilectionis facti ſunt. Hinc illud: Tranſivimus per ignem, & aquam.

℞. VIII. Sertum geſtans cum torque duplici, cappa gemmis ornata cernitur, ex monili fulgoris celici, lux emiſſa Mundo diffunditur * Auguſtinus Fratri ſic loquitur.

℣. Thomas mihi par eſt in gloria, Virginali pręſtans mundicia. Auguſtinus. Gloria Patri. Auguſtinus.

Lectio IX.

De Homilia Ferię occurrentis: Si celebratur intra Quadrageſimam, ſin minus, ut ſequens dicatur.

NOlite putare, quoniam veni ſolvere legem, aut Prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere. Sive quod de ſe per alios prophetata compleverit: ſive quod ea, quę ante propter infirmitatem audientium rudia, & imperfecta fuerant, ſua prędicatione compleverit: iram tollens, & vicem talionis excludens, & occultam in mente concupiſcentiam damnans. Donec tranſeat Cęlum, & Terra. Promittuntur nobis Cęli novi, & terra nova, quę facturus eſt Dominus Deus. Si ergo nova creanda ſunt: conſequenter vetera tranſitura.

Te Deum.

Ad Laudes, & per horas Antiphona.

Adeſt dies lętitię, quo Thomas Doctor inclytus fit Civis Cęli Curię, bina corona pręditus.

Pſalm. Dominus regnavit.

Antiph. Aurum ſub terra tegitur, & lucerna ſub modio; ſed virtus Dei cernitur miraculorum radio.

Pſal. Jubilate.

Antiph. Alma Mater Eccleſia, Chriſti fundata ſanguine ſceptra conſcendit grandia novi Doctoris lumine.

Pſal. Deus.

Antiph. Preſſus vi Dęmonii cito liberatur: raptu merſus fluvii vitę reſtauratur.

Pſal. Benedicite.

Antiph. Tumor gulę pellitur, leproſus mundatur: cęco lumen redditur, claudo greſſus datur.

Pſal. Laudate Dominum.

Capitulum. Elegit, *ut in Veſper.*

Hymnus.

Lauda Mater Eccleſia
Thomę felicem exitum
Qui pervenit ad gaudia
Per verbi vitę meritum.
Foſſa nova tunc ſuſcipit
Thecam theſauri gratię
Cum Chriſtus Thomam efficit

Hę-

Hęredem regni glorię.
Manens doctrinę veritas,
Et funeris integritas,
Mira fragrans ſuavitas,
Ægris collata ſanitas.
Monſtrat hunc dignum laudibus,
Terrę, Ponto, & ſuperis,
Nos juvet ſuis precibus,
Deo commendet meritis.
Laus Patri ſit, ac Genito
Simulque Sancto Flamini
Qui Sancti Thomę merito
Nos Cęli jungat agmini. Amen.

℣. Juſtum deduxit, *ut in Communi Confeſſ. non Pontif.*

Ad Benedictus Antiphona.

Viror carnis flore munditię, vigor vitę fructu juſtitię, ſplendor verbi dono ſcientię, Te decorant ſtantem in acie, Te coronant in ſtatu glorię.

Ad Tertiam Antiph. Aurum ſub terra.

Capitulum. Elegit, *ut in Veſperis.*

℟. *De Communi Conf. non Pontif.*

Ad Sextam Antiph. Alma Mater.

Capitulum. Eccl. 39.

Ipſe tanquam imbres mittet eloquia ſapientię ſuę, & palam faciet diſciplinam doctrinę ejus: Collaudabunt multi ſapientiam ejus, & uſque in ſeculum non delebitur.

℟. *De Communi.*

Ad Nonam Antiph. Tumor gulę.

Capitulum. Sap. 7.

Lętatus ſum, quoniam antecedebat me iſta ſapientia, quam ſine fictione didici, & ſine invidia communico: & honeſtatem illius non abſcondo.

℟. *De Communi.*

In ſecundis Veſperis.

Omnia, ut in primis, prater Antiphonam.

Ad Magnificat.

Collaudetur Chriſtus Rex glorię, qui per Thomam lumen Eccleſię mundum replet doctrina gratię.

Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum.

SAnctiſſimus Dominus Noſter Benedictus XIII, ad humillimas preces P. Magiſtri Fr. Alexandri Illomei Procuratoris Generalis Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum, nomine etiam totius ſuę Religionis Sanctitati Suę porrectas, ſupraſcriptum Officium Sancti Thomę Aquinatis Eccleſię Doctoris, prout jacet, cum Pſalmis juxta Ritum Breviarii Romani ſingulis annis die VII Martii in Feſto ipſius Sancti ab omnibus Religioſis totius pręfati Ordinis ſub ritu Dup. ſecundę Claſſis, ſervatis tamen Rubricis Breviarii, ac Miſſalis Romani recitari poſſe benigne conceſſit. Die XXII Decembris MDCCXXVIII.

N. Cardinalis Coſcia.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Congr. Secr.

1. *Archivo.*) In quo exemplar impreſſum *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ anno *MDCCXXIX.*

Anno 1729 Die 4 Februarii.

Gratum animum profitetur ex Reliquiis S. Felicis (1) Eccleſiæ Beneventanæ datis ab Archiepiſcopo (2) Januenſi.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Venerabili Fratri Nicolao Archiepiſcopo Januenſi.

CXVI.

BENEDICTUS PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUod Beneventanam noſtram Metropolim, quam nuper de Sacri Corporis exuviis Sancti Syri Prędeceſſoris tui locupletaveras noviſſimo etiam munere auxeris Reliquiarum Sancti Felicis Anteceſſoris itidem tui, rem feciſti non ſolum Nobis gratiſſimam, tuaque in primis pietate, & humanitate dignam; ſed ſponſę etiam noſtrę decoram ad ornamentum, atque ad noſtrę infirmitatis pręſidium ſane opportunam. Quos enim inſignis Sedes tua paſtoralis ſollicitudinis, ac Sanctitatis ſocios habuerat, ęquum eſſe duxiſti, ut in miniſterii noſtri, ejuſque populi tutela, & patrocinio minime diſſociarentur. Nos certe ſtudioſam iſtam Fraternitatis tuę voluntatem non ſolis grati animi ſignificationibus, meritiſque laudibus, ſed rebus ipſis, cum ſe occaſio dederit, rependere vehementer optamus. Interea pignus ſincerę noſtrę caritatis Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati tuę peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die IV Februarii MDCCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *S. Felicis.*) Cujus meminit *Ughellus* in *Epiſcopis Januen.*
2. *Archiepiſcopo.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
3. *Archivo.*) In quo exemplar.

Ordinis Prædicatorum, necnon Ferrarien., Narnien., & Viterbien. Conceſſionis Officii, & Miſſæ Beatæ Luciæ (1) Ordinis Prædicatorum:

Anno 1729 Die 5 Februarii.

CXVII.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

SAnctiſſimus D.N. Benedictus XIII ad humillimas preces Reverendiſſimi P.Fr. Thomę Ripoll Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum, audito Reverendiſſimo D.Cavalchini Archiepiſcopo Philippen. Fidei Promotore, inhęrens potiſſimum conſtanti Scriptorum aſſertioni, Famę perenni, & traditioni inconcuſſę, necnon variis ſupernaturalibus ſignis per authentica documenta probatis, inſimul collimantibus in teſtimonium Virginitatis a B. Lucia de Narnia Ordinis Prędicatorum perpetuo etiam in Conjugio ſervatę, benigne annuit pro conceſſione Officii, & Miſſę in honorem ejuſdem Beatę de Com. Virginum ſub ritu dup. recitan., & reſpective celebran. die XV Novembris Anniverſaria ejus obitus a Clero Seculari, & Regulari utriuſque ſexus in Civitate, & Dięceſi Narnien. ubi dicta Beata ortum habuit; in Civitate, & Dięceſi Viterbien., ubi diu commorata fuit, & Sacra Stigmata habuiſſe perhibetur, & demum in Civitate, & Dięceſi Ferrarien., ubi Sacrum ejus Corpus aſſervatur, & colitur: Necnon recitan., & reſpective celebran. ſubſequenti die XVI ejuſdem Menſis ab univerſo Prędicatorum Ordine, extra dictas Civitates, & Dięceſes, attento quod pręfata die XV Novembris a memorato Ordine celebretur Feſtum B. Alberti Magni; & ita ſervari mandavit. Die V Februarii MDCCXXIX.

N. Card. Coſcia.

Loco ✱ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiep. Apamenus Sac. Rit. Congreg. Secr.

1. *B. Luciæ*.) De qua ſæpius dictum fuit.

2. *Archivo*.) In quo exemplar *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum anno *MDCCXXIX*.

De variis officiis recitandis.

Anno 1729 Die 10 Februarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

ORDINIS PRÆDICATORUM.

CXVIII.

AD humillimas Reverendiſſimi P. Thomę Ripoll Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum preces SS. D. N. Benedicto XIII porrectas, Sanctitas Sua ſequentia Officia, nempe S. Scholaſticę ſub ritu duplici cum Oratione, & Lectionibus ſecundi Nocturni propriis jam Eccleſię univerſali conceſſis, dedicationis Baſilicę Sanctiſſimi Salvatoris pariter cum Lectionibus ſecundi Nocturni Breviarii Romani, & Sanctę Theclę V., & M. ſub ritu duplici cum Oratione, & Lectionibus ſecundi Nocturni propriis juxta approbationem a Sac. Rit. Congregatione pro Eccleſia Tarraconen. factam, in univerſo Prędicatorum Ordine utriuſque ſexus in poſterum recitari, & Miſſas reſpective celebrari poſſe benigne indulſit, atque conceſſit, die X Februarii MDCCXXIX.

N. Card. Coſcia.

Loco † Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Cong. Secr.

1. *Archivo*.) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *MDCCXXIX*.

Angelorum Congregatio (1) ſuppreſſa, & extincta.

Anno 1729 Die 26 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

BENEDICTUS PP. XIII.

CXIX.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Johannes Sicard (3) Frater expreſſe profeſſus Provincię Galloprovincię Ordinis Prędicatorum nomine, dilecti etiam filii Johannis Joſephi Robert (4) Prioris Provincialis dictę Provincię, quod alias nempe die VIII Martii MDCLX a quondam Johanne Baptiſta Marini tunc temporis Magiſtro Generali pręfati Ordinis, Congregatio Angelorum nuncupata ex nonnullis Conventibus Provincię ejuſmodi erecta, ac ſubinde die XIX Julii MDCLXIV ſua, ac etiam Apoſtolica auctoritate confirmata fuit cum juribus, & privilegiis alteri Congregationi Britannicę ejuſdem Ordinis conceſſis ea tamen expreſſa lege, & conditione in patentibus literis ipſius Johannis Baptiſtę Magiſtri Generalis deſuper editis adjecta, quod ſcilicet in dicta Congregatione Angelorum, ejuſque Conventibus regularis obſervantia ſecundum tenorem Conſtitutionum pręſcriptarum exacte, & accurate ſervaretur itaut a pręfatis privilegiis ipſo facto excideret, & excidiſſe cenſeretur ſtatim atque a regulari obſer-

obſervantia hujuſmodi deſciviſſe conſtaret, enatoque poſtmodum dubio, an per quędam decreta die XXVIII Septembris ejuſdem anni MDCLXIV emanata a Congregatione tunc exiſtentium Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſita, quibus inter alia electiones in Capitulo Provinciali Provincię prędictę factę confirmabantur, ſupradicta Congregatio Angelorum diſſoluta fuiſſet, reque ad felicis recordationis Alexandrum PP. VII Prędeceſſorem noſtrum ab eodem Johanne Baptiſta Magiſtro Generali delata, idem Alexander Prędeceſſor de dictorum Cardinalium conſilio memoratam Congregationem Angelorum, in qua tunc vigebat regularis obſervantia, & diſciplina in ſuo ſtatu, & privilegiis auctoritate Apoſtolica confirmavit, & manuteneri mandavit, voluitque, Vicarium prędictę Congregationis vocem habere in Capitulis Provincialibus ejuſdem Provincię deinceps celebrandis, prout habebat Vicarius alterius Congregationis Brittannicę, & alias prout in ipſius Alexandri Prędeceſſoris literis in ſimili forma Brevis die XXX Junii MDCLXV deſuper expeditis, quarum tenorem pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus uberius continetur. Verum cum in nupero Capitulo Generali prędicti Ordinis in Civitate noſtra Bononien. habito in vim, ſeu executionem quarundam noſtrarum in pari forma Brevis literarum, quas die VIII Aprilis MDCCXXV ſuper ejuſmodi Congregationibus Provinciarum dicti Ordinis in univerſum acceptis ad idem Capitulum Generale in Civitate prędicta congregatum dedimus poſt maturam rei diſcuſſionem ſtatutum, atque ordinatum fuiſſet tanquam conducibile ad regularis diſciplinę inſtaurationem quaſcunque Congregationes ab hac Sancta Sede non erectas, nec confirmatas, ſed ſola facultate ordinaria Religionis inſtitutas, neque a ſuis Provinciis reſpective ſejunctas quotieſcunque non cuſtodirent veterem obſervantiam eorum, quę in primęvo erectionis fervore pręſcripta fuere ſuis Provinciis omnino reuniendas eſſe, facta poteſtate per dictum Capitulum Generale dilecto filio Thomę Ripoll moderno Magiſtro Generali Ordinis prędicti, habita de ſingulis Congregationibus hujuſmodi pleniore ratione eas ſupprimendi, & reuniendi originalibus Provinciis, quas a ſuo laudabili fine decidiſſe reperiſſet; atque compertum fuiſſet, quinque Conventus quibus ſupradicta Congregatio Angelorum conſtabat ob Fratrum penuriam, temporum injuriam, rerumque viciſſitudinem, ac inopiam, aliaſque calamitates a primęva regulari obſervantia defeciſſe, nec illis ſuppetere unde ſuorum religioſorum neceſſitatibus ſubvenire poſſent, ac inſuper ad duplicem contributionem, unam quidem Priori Provinciali dictę Provincię, alteram vero ejuſdem Congregationis Vicario pro rebus ad illam ſpectantibus faciendam teneri, & obligatos exiſtere, dilecti filii Ludovicus Mauche (5) Vicarius ultimo electus, & Hyacinthus D'Antrechaux Exvicarius, aliique Alumni dictę Congregationis enarratę ordinationi Capituli Generalis inhęrentes, ab eodem Thoma Magiſtro Generali petierunt, atque obtinuerunt prędictam Congregationem Angelorum diſſolvi, & ſupprimi, illiuſque Conventus memoratę Provincię reſtitui, ac reuniri, & alias, prout continetur in decreto ipſius Thomę Magiſtri Generalis ea ſuper re die V Junii MDCCXXVII edito, tenoris, qui ſequitur, videlicet: Nos Frater Thomas Ripoll Sacrę Theologię Profeſſor totius Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſter Generalis, & Servus. Quo pimı m ad ſupremum Ordinis regimen, meritis licet imparibus erecti fuimus, ab omnibus totius Capituli Generalis Bononię celebrati Patribus ſpecialiter Nobis commiſſum eſt, ut allaboraremus ad reunionem Conventuum cum Provinciis e quarum ſinu prodierunt ubi certo conſtare poterit Congregationes e talium Conventuum ſelectu formatas, ex primęvo erectionis ſuę fervore decidiſſe quocunque tandem eventu, vel caſu labefactata diſciplina proveniat. Cum itaque non ſine mętore didicerimus, Congregationem noſtram Angelorum in Provincia noſtra Galloprovincię erectam, ut ibi adamuſſim, & rigorem exactioris obſervantię viveretur, tamen ob varias injurias temporum, diverſaſque calamitates ita a pręſcriptis ſeverioribus ſtatutis excidiſſe, ut unus, idemque ſit vivendi modus a ceteris Provincię ejuſdem Conventibus non ſatis abſimilis quo ſubſiſtere poſſit pręfixa ſeparatio, & duorum Superiorum, vel Capitum inſtitutio, maxime cum ex pręfatę Congregationis inſtitutę literis patentibus expreſſe notetur die *XIX* Julii MDCLXIV ipſi conceſſa, vel concedenda privilegia ea duntaxat lege, & conditione valere, vel valitura, & non aliter, ut in ejus Conventibus regularis obſervantia ſecundum tenorem Conſtitutionum noſtrarum exacte, & accurate ſervetur adeout a prędictis privilegiis, conceſſionibus, & gratiis excidat ipſo facto, & excidiſſe cenſeatur ſtatim, atque a regulari obſervantia excidiſſe conſtiterit. His, aliiſque adductis momentis, votiſque, petitioni, ac precibus tum recens electi in Vicarium, tum Exvicarii, ac plurium ejuſdem Congregationis alumnorum inclinati, harum ſerie, noſtrique auctoritate officii, ac demandata Nobis a prędicto Capitulo Generali facultate prędictam Congregationem Angelorum diſſolvimus, & annullamus, & tenore pręſentium ſuppreſſam, ac ſolutam declaramus, omneſque Conventus illius Congregationis unimus, & reſtituimus Provincię noſtrę Galloprovincię, unitoſque denunciamus. Hinc annuentes precibus admodum Reverendi Patris Magiſtri Ludovici Mauche in Vicarium nuper electi, & a Nobis uſque ad maturam rei diſcuſſionem confirmati, ipſum ab onere Vicarii Generalis eximimus, & exemptum, acceptata ejus renunciatione, declaramus, dantes admodum Reverendo Patri Magiſtro Provinciali moderno, ejuſque ſucceſſoribus omnem in, & ſuper dictos Conventus, perſonaſque ad ipſos quomodolibet ſpectantes auctoritatem, & poteſtatem, quam erga ceteros ejuſdem Provincię Conventus, & perſonas exercere ſolet, & debet ex vi ſui officii Provincialis, & confirmationis a Nobis emanatę XXI Maii tranſacti, pręcipientes in virtute Spiritus Sancti, & ſanctę obedientię, necnon ſub formali pręcepto omnibus Fratribus ad dictam Congregationem antea ſpectantibus, ut prędicto Reverendo P. Magiſtro Provinciali Provincię noſtrę Galloprovincię ſubſint, & pareant, ipſumque velut legitimum caput, & unicum Superiorem habeant, venerentur, & agnoſcant, quem etiam plurimum in Domino, & paternis viſceribus hortamur, ne quidam detur, vel contendatur ad molliorem diſciplinam aditus, ut ſingulis in Cęnobiis dictę Provincię vitam regularem uniformiter erigat, lapſam reſtituat, & ubicunque viget intactam conſervet. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Non obſtantibus in contrarium quibuſcunque. Datum Romę in Conventu noſtro Sanctę

Marię

Marię ſuper Minervam die V Junii anni MDCCXXVII F. Thomas Ripoll Magiſter Ordinis, regiſt. fol XC. Fr. Johannes Sicard Magiſter, & Socius. Loco † ſigilli. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat licet ſuppreſſio dictę Congregationis, illiuſque Conventuum reſtitutio Provincię prędictę ſic factę optatum habeant ſucceſſum, ipſumque Conventuum Fratres ſub uno, eodemque Provincię prędictę capite quietius, & felicius regulari obſervantię inſiſtant, majorique animorum concordia altiſſimi obſequiis famulentur, nihilominus quia dicta Congregatio etiam auctoritate Apoſtolica, erecta, & prętertim per ſupradictas Alexandri Prędeceſſoris literas confirmata fuerat, ipſe Johannes Joſephus Prior Provincialis vereatur, ne id validitati ſuppreſſionis, & reunionis hujuſmodi obſtet, illaſque aliquando in dubium revocari contingat. Quare prędictus Johannes exponens ſupradicto Johannis Joſephi Prioris Provincialis nomine Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in prętmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſorum Johannis exponentis, ac Johannis Joſephi Prioris Provincialis votis hanc in re quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, eorumque ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium tantum conſequendum; harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſuppreſſionem Congregationis Angelorum Provincię Galloprovincię, illiuſque Conventuum reunionem eidem Provincię per dictum Thomam Magiſtrum Generalem Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſicut prętmittitur, factas, expeditumque deſuper ejuſdem Thomę Magiſtri Generalis decretum pręinſertum cum omnibus, & ſingulis in eo contentis, ac inde ceteroquin legitime ſecutis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui in prętmiſſis quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in prętmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. Eccleſię prętatę Cardinales etiam de latere Legatos, & Sedis Apoſtolicę Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prędictis Alexandri Prędeceſſoris literis, aliiſque prętmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit Ordinis, Provincię, Congregationis, & Conventuum prędictorum, ac quibuſvis aliis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium prętmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad prętmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Martii MDCCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

F. Card. Oliverius.

1. *Congregatio.*) In *Gallo-Provincia.*
2. *Archivo.*) In quo autographum.
3. *Johannes Sicard.*) Vir optimus, prudentia, ceteriſque præclaris animi dotibus clarus.
4. *Johannis Joſephi Robert.*) Nunc etiam floret egregius divini verbi præco, quem probitas, aliæque virtutes ornant.
5. *Ludovicus Mauche.*) Eandem Provinciam ſapientiſſime rexerat iſte. Variis Cœnobiis præfuit.

De Monachis corrigendis.

Anno 1729 Die 26 Martii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CXX.

BENEDICTUS PP. XIII.

Motu proprio &c.

EXponi nuper Nobis fecerunt Don Gallus Gallucci Abbas Generalis, & Abbas Don Ramirus Girardus Procurator Generalis Ordinis S. Benedicti Congregationis Montis Virginis, quod licet Monachi omnes ejuſdem Ordinis degentes in Monaſteriis ſub obedientia Abbatis cum aliis requiſitis per Concilium Tridentinum ſtatutis, etiamſi deliquerint extra clauſtra, juxta privilegia ipſis conceſſa per felicis recordationis Urbanum Papam IV Prędeceſſorem noſtrum in literis Apoſtolicis expeditis ſub datum Idibus Januarii MCCLXIV, & diſpoſitionem ejuſdem Concilii cap. XIV ſeſſ. XXV de Regularibus, ſint prorſus immunes, & exempti a juriſdictione noſtri in Regno Neapolitano Reverendiſſimi Nuncii, & ſubjecti privative tantummodo eorum Superioribus Regularibus, prout ita quoque declaravit Camerę noſtrę Generalis Auditor per ſententiam diffinitivam in contradictorio judicio promulgatam contra Curiam Nuntiaturę die XXVII Novembris MDCLXXI, Novas nihilominus modernus Nuncius excitavit pretenſiones procedendi contra eoſdem Regulares ſic exemptos vigore facultatum ſibi conceſſarum per felicis recordationis Clementem PP. VIII noſtrum pariter Prędeceſſorem in literis Apoſtolicis in forma Brevis expeditis diebus XIX Junii MDXCII, & XXII Auguſti MDCI ſub inani etiam ſuppoſito, quod hujuſmodi facultas ipſi delegata quoque appareat per idem Concilium Tridentinum in ſuprarelato

cap. XIV, ac ex obſervantia approbata per felicis recordationis Clementem XI noſtrum ſimiliter Prędeceſſorem, non attenta remiſſione hujuſmodi controverſię pręcedenter facta ad noſtram ejuſdem Concilii Tridentini Congregationem, & alteram particularem ſpecialiter delegatam, ſubortis proinde variis caſibus, & remiſſa illarum recognitione eidem Nuncio cauſa propterea in eadem Congregatione Concilii, nec in altera particulari priori loco, ut ſupra, delegata, diſcuſſa, neque propoſita extitit, agnoſcentes modo ipſi oratores non leve ſibi inferri pręjudicium per continuationem juriſdictionis prędicti Reverendiſſimi Nuncii in detrimentum eorum exemptionis prędictę, preces nobis humiliter porrexerunt, ut pro majori eorum tranquillitate controverſiam hujuſmodi ad nos avocare, & privilegia prędicta juxta ſenſum dicti Concilii Tridentini, & literarum Apoſtolicarum interpretari, ac declarare, & ſic ab ulterioribus vexationibus deſuper uſquemodo paſſis eximere, liberare, & alias opportune, prout juris fuerit, Apoſtolica auctoritate providere dignaremur. Noſque, ut diſſenſiones, & jurgia inter eccleſiaſticos omni celeritate dirimantur, & ad hoc, ut privilegia per Romanos Pontifices conceſſa contrario ſenſu non explicentur, auditis prius per Reverendiſſimum Epiſcopum Himerienſem noſtrum modernum Auditorem de ſpeciali noſtro mandato Partibus prędictis, earumque Procuratoribus, & defenſoribus, tam in voce, quam in ſcriptis, viſiſque, & conſideratis omnibus de jure videndis, & conſiderandis juxta illius ſenſum nobis relatum, & cum illius voto privilegia prędicta, & exemptionem reſpective declarare, liteſque hujuſmodi terminare, prout infra decrevimus, literas itaque Apoſtolicas Urbani Papę IV favore dictę Congregationis Montis Virginis, & reſpective Clementis VIII favore prędicti Reverendiſſimi Nuncii privilegia, & facultates in eis, aliiſque poſterioribus literis etiam Clementis XI conceſſas, & expreſſas, diſpoſitionem quoque prędicti Concilii Tridentini in enunciato cap. XIV, & alia quęcunque decreta in pręmiſſis, & circa ea quomodolibet edita, & acta deſuper geſta, totumque, ac integrum ſtatum, & merita cauſę in eadem Congregatione Concilii, altera particulari Congregatione, & alio quocunque judice, & tribunali penden., rationes itidem utrique parti competentes ſingulariter, pręſentibus pro expreſſis de verbo ad verbum habentes cauſam, & litem prędictam in ſtatu, & terminis, in quibus ad pręſens reperitur cum omnibus, & ſingulis illius emergentibus, dependentibus, annexis, & connexis, & cum clauſula, quam, & quas &c. ad Nos avocantes, illam penitus extinguimus, & abolemus, ac partibus prędictis perpetuum ſilentium imponimus, & auctoritate noſtra Apoſtolica declaramus, & decernimus privilegia conceſſa dicto Reverendiſſimo Nuncio in Regno Neapolitano per eundem Clementem VIII non aliter intelligi poſſe, & debere, quam de facultate procedendi contra cujuſcunque Ordinis Regulares exemptos, qui tamen ſint devii, & errantes, & extra clauſtra in delicto deprehenduntur, nullam propterea ipſi competiiſſe, neque competere facultatem procedendi privative, neque cumulative contra Monachos, & Regulares degentes in Conventibus, & Monaſteriis ſub obedientia Abbatum, aliorumque Superiorum, & cum aliis requiſitis per Concilium Tridentinum pręſcriptis, reſpectu enim iſtorum totam juriſdictionem privative ſpectare ad Superiores Regulares, etiamſi Monachi, ſeu Regulares extra clauſtra, ita notorie deliquerint, ut populo ſcandalum publice oriatur juxta diſpoſitionem Concilii Tridentini in ſuprarelato capitulo, & in caſu negligentię Superiorum Regularium eſſe locum pręfixioni termini ſicut ab Epiſcopo, ita etiam a Reverendiſſimo Nuncio, ut eo tranſacto, juriſdictio ad ipſum devolvatur juxta cenſuram Concilii prędicti, verba autem illa in primo dicto Privilegio Clementis VIII - *ut iidem Regulares ſciant ſe præter eorum Superiorum correctionem, noſtram etiam animadverſionem incurſuros* - intelligi ſemper debere de Regularibus deviis, & errantibus, ac extra clauſtra vitam degentibus, non obſtante quacunque aſſerta contraria obſervantia, literas Apoſtolicas proinde ejuſdem Urbani IV, & exemptiones ibidem conceſſas eidem Congregationi Montis Virginis, ac ſententiam per eundem Camerę Apoſtolicę Generalem Auditorem in criminalibus latam prędicta die XXVII Novembris MDCLXXI, in qua pronunciatum extitit, Reverendiſſimo Nuncio nullum jus competiiſſe, & competere cognoſcendi cauſas civiles, criminales, & mixtas prędictorum Monachorum Congregationis Montis Virginis intra clauſtra cum requiſitis Concilii degentibus etiam extra ea delinquentium, & in delicto deprehenſorum, eſſeque privative ſubjectos eorum Superioribus Regularibus juxta exemptionem ipſorum favore conceſſam in pręcitatis literis Urbani IV, & Concilio Tridentino prędicto in omnibus, & per omnia confirmamus, approbamus, convalidamus, & renovamus, ſuumque debitum ſortiri effectum, ac omnimodę executioni perpetuis futuris temporibus demandari Apoſtolica auctoritate ſtatuimus. Decernentes pręſentibus noſtris literis, licet non admiſſis, neque in camera noſtra regiſtratis nullo umquam tempore opponi de ſubreptione, obreptione, vel alio quovis vitio, aut defectu voluntatis, vel intentionis noſtrę etiam ex eo, quod modernus Nuncius in Regno Neapolitano, ejuſque Promotor Fiſcalis, & alii quicunque in pręmiſſis forſan intereſſe habentes, vel habere quomodolibet prętendentes, ad hoc vocati, citati, vel auditi non fuerint, vel ex quavis alia cauſa quantumvis valida, legitima, urgenti, & juridica etiam neceſſario exprimenda, notari, impugnari, invalidari, ad terminos juris reduci, ac in jus, & controverſiam revocari, aut adverſus illas quodcunque juris, & facti, vel gratię remedium impetrari poſſe, ſicque, & non aliter per quoſcunque judices ordinarios, commiſſarios, delegatos, tribunalia Collegialia, etiam S. R. E. Cardinalium Congregationem particularem, ut ſupra deputatam a Latere Legatos, Nuncios Apoſtolicos, cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & alios quavis auctoritate fungentes, ſemper judicari, & definiri debere, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac ex nunc irritum, & inane, nulliuſque roboris, & efficacię declarantes quidquid ſecus ſuper iis, & circa ea, quavis auctoritate etiam a nobis, vel ſucceſſoribus noſtris pro tempore exiſtentibus contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, necnon dictis Conſtitutionibus Clementis VIII, ut ſupra editis, ac quacunque aſſerta contraria obſervantia, altera Conſtitutione felicis recordationis Pii IV pariter Prędeceſſoris noſtri de regiſtrandis regula Cancellarię noſtrę Apoſtolicę de jure quęſito non tollendo, conciliis etiam univerſalibus, & provincialibus, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis per

Nos

Nos, & Romanos Pontifices Prędeceſſores ſub quibuſvis tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis irritantibus, & aliis decretis in genere, & in ſpecie, etiam iteratis vicibus, & motu ſimili conceſſis, approbatis, aut innovatis, legibus, ſtatutis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, reformationibus, conſuetudinibus, ceteriſque aliis in contrarium quomodolibet diſponentibus, quibus omnibus, & ſingulis, ac omnibus aliis hic non expreſſis, de quibus ſpecialis, ſpecifica, individua, expreſſa &c, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, aut quęvis alia ſpecificatio habenda, vel aliqua alia forma ad hęc ſervanda foret, illorum tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat harum ſerie, motu, & ſcientia ſimilibus ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac plene, & ſufficienter derogatum eſſe decernimus, & declaramus. Datum Romę ex noſtro Palatio Apoſtolico Vaticano hac die XXVI Martii MDCCXXIX.

Benedictus PP. XIII.

1. *Archivo.*) In quo exemplar impreſſum typis R. Cameræ Apoſtolicæ *MDCCXXIX.*

Archiepiſcopo (1) Januenſi dono mittit Roſam Auream.

Anno 1729 Die 27 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Venerabili Fratri Nicolao Marię Archiepiſcopo Januenſi.

CXXI.

BENEDICTUS PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem:

HÆrebat animo noſtro jucundiſſima ſane memoria pręteriti temporis, cum a bonę memorię Vincentio Maria Gentili (3) Ordinis Prędicatorum Lombardię Provinciam adminiſtrante Avunculo tuo, tuoque deinde in Archiepiſcopatu Januenſi laudatiſſimo Anteceſſore ad ejuſdem Ordinis habitum, profeſſionemque admiſſi in ea Provincia ſub Beati Patris noſtri Dominici auſpiciis regularis militię ſtipendia facere cępimus. Animum tamen pro eximio beneficio gratum imprimis atque devinctum, etſi verbis identidem teſtati ſumus, inſigni tamen, & publico aliquo teſtimonio comprobare vehementer cupiebamus. Ex hac igitur Apoſtolatus Sede, ad quam Nos plane immerentes ampliſſimi Ordinis merita, & inſtituta, Domino annuente, provexerunt, Pontificium munus Roſę aureę, cui inter ſolennia ſacra hujuſce Dominicę diei more majorum benediximus, per dilectum Joſephum Aloyſium de Andujar (4) ejuſdem Ordinis profeſſorem, noſtręque domeſticę Bibliothecę Prefectum Metropolitanę tuę Eccleſię dono mittimus, ut perenne ibi extet noſtrę in Eccleſiam iſtam, noſtrumque Ordinem, in Te quoque, & Avunculum tuum ſtudioſę, obſtrictęque voluntatis monumentum. Dum autem pia obſecrationum tuarum ſuffragia pro noſtra infirmitate depoſcimus, fraternitati tuę Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Martii MDCCXXIX Pontificatus noſtri Anno Quinto.

C. Archiep. Emiſſenus.

1. *Archiepiſcopo.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *Vincentio Maria Gentili.*) Cujus mentio in *Appendice ad Pontificatum Innocentii XI.*
4. *De Andujar.*) Conſulenda Conſtitutio *XCVIII.*

Eadem de re.

Anno 1729 Die 27 Martii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Dilectis filiis Nobilibus viris Duci, & Gubernatoribus Reipublicę Genuen.

CXXII.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecti filii nobiles Viri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD deferendam Metropolitanę iſti Eccleſię Roſam auream, cui inter Miſſarum ſacra ſolenni ritu benediximus, futuram nobilitatibus veſtris paternę noſtrę erga inclytam Rempublicam benevolentię documentum, dilectum filium Joſephum Aloyſium de Andujar Ordinis Prędicatorum Profeſſorem ac domeſticę noſtrę Bibliothecę Prefectum ab intimo noſtro Cubiculo ablegamus. Eidem porro, qui in alma Civitatis iſtius luce ingenium ſtudiaque ſua egregie probavit, ſedulo injunximus, ut nobilitates veſtras plurima ſalute a nobis impertiret, vobiſque propenſę, quam erga vos gerimus, voluntatis ſenſus explicaret. Nec dubitamus, quin veſtrę humanitatis argumenta in eundem dilectum filium a genere, doctrina, & virtute in primis commendatum, tam veſtro nomini, quam officiis noſtris reſpondeant, ac vobis, dilecti filii Nobiles Viri, Apoſtolicam Benedictionem peramanter elargimur. Datum Romę apud

apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Martii MDCCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1729 Die 11 Aprilis.

Indulgentia (1) pro quatuor Anniverſariis quotannis celebrandis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXXIII.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm ſicut pro parte dilecti filii Thomę Ripoll Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum &c. (3) pręſentibus ad ſeptennium tantum valituris: Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, nullę ſint: quodque pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XI Aprilis MDCCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

F. Card. Oliverius.

1. *Indulgentia.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo exemplaria authentica *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXIX.*
3. *Prædicatorum &c.*) Ut in Conſtitutione *XXVI Clementis XI.* Legitur *pag. 463.*

Anno 1729 Die 30 Aprilis.

De Monaſterii Steinacenſis (1) exemptione ab Epiſcopi juriſdictione.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXXIV.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilectę in Chriſto filię Prioriſſę, & Moniales Monaſterii Beatę Marię Virginis Ordinis Sancti Dominici in Steinach Curien. Diœceſis, & Provincię Hungarię, quod earum Monaſterium uſque ab Anno MCCXLVIII ſub cura Fratrum Prędicatorum erectum fuit, & ad tunc exiſtentis Epiſcopi Curien. manus pervenit Lutheri tempore quo hęretici Regionem illam devaſtarunt, ab eoque uſque ad annum MDCXXII per ſeculares ſacerdotes tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus rectum, & gubernatum fuit, ac ſucceſſive ſemper Religioſum dicti Ordinis in confeſſarium habuit, & a bonę memorię Joſepho, dum vixit, Epiſcopo pariter Curien., prędicto Ordini, cum renunciatione habitę juriſdictionis, ceſſum, & reſtitutum extitit, idque etiam bonę memorię Johannem itidem dum vixit Epiſcopum ejus ſucceſſorem ſub certis conditionibus feciſſe, memoratur, idem vero Johannes Epiſcopus detecta reſervatarum conditionum inutilitate illas ſub die XI Octobris Anno MDCXLVIII abrogavit, recognitoque ſpirituali Monialium progreſſu ſub cura, & directione eorundem Fratrum plenariam exemptionem a ſua ſpirituali juriſdictione conceſſit, dictumque Monaſterium prędicto Ordini cum nova habita juriſdictionis renunciatione ſponte, & libere ceſſit, & conſignavit cum facultate illud in ſpiritualibus, & temporalibus regendi, adminiſtrandi, cuſtodiendi, & providendi ad inſtar aliorum Monaſteriorum quę uſque ab initio ſub cura, & directione Ordinis hujuſmodi erecta, & fundata fuerunt, ac ſub ea ſemper permanſerunt, nullo ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus jure reſervato pręter Epiſcopo competens circa Monaſteria exempta, vigore Sacri Concilii Tridentini, prout in documento ejuſdem ceſſionis, & renunciationis continetur tenoris qui ſequitur videlicet. Noi Giovanni per la Dio grazia Veſcovo di Coira Signore di Groſſenenngſtingent con,& in virtù della preſente ſcrittura ad ogn'uno in perpetuo notifichiamo qualmente alle inſtanti, riverenti, ed umiliſſime preghiere e ſuppliche tanto dell' anteriori quanto della preſente Priora Benedetta Raineri, e di tutto il Convento delle Monache del Convento della Beata Vergine in Stainach fuori di Marano dell' Ordine de' Predicatori quale avanti molti ed innumerabili anni e ſempre ſtato ſotto la giuriſdizione del Veſcovo di Coira, ed è ſtato proveduto da ſuoi rappreſentanti tanto in ſpirituale, quanto in temporale, primieramente detto Convento avanti alcun tempo dal Reverendiſſimo del Sacro Romano Impero Prencipe, e Veſcovo di Coira Giuſeppe di felice memoria noſtro riveritiſſimo Predeceſſore, e doppo ancora da Noi per li medeſimi motivi, ed altre giuſte, e rilevanti cauſe con ben conſiderato, e maturo conſiglio per mezzo di ceſſione, e rinuncia della Giuriſdizione avuta (con riſerva ſolo d' alcune condizioni) è ſtato totalmente eſentato, incorporato, e conſegnato e queſto anche da detto tempo ſin' ora preſente tanto in ſpirituale, quanto in temporale è ſtato in tal forma governato, che mediante la ricca pioggia della divina grazia in ambidue e aſſai creſciuto, e megliorato, e Noi di più ritroviamo, che le condizioni riſervate non giovano, molto meno tanto a Noi, quanto al noſtro Veſcovato o vero all' amata

poſte-

poſterità e noſtri Succeſſori non portano agl' occhi verun pregiudizio, ma all' incontro a noi per la dovuta vigilanza, e cura un grave peſo di renderne ſtrettiſſimo conto, e potrebbero cauſare grave fatiga, ſpeſe, e diſturbi tanto a Noi, quanto al Convento. Laonde viene, che le perſone ſpirituali del ſeſſo feminile più facilmente vengono dirette, e governate dalla ſuperiorità del loro Ordine, e da quelli iſteſſi, che ſono ſottopoſti all' iſteſſa regola. Onde noi in conſiderazione di tutto ciò anzi piu toſto ſiamo ſtati coſtretti di grazioſamente riſolvere e concludere l' antedetto Convento di Monache da Noi, e noſtri riveritiſſimi Succeſſori Signori Veſcovi un' altra volta ſoprabondantemente non ſolo da una, ma anche dall' avuta giuriſdizione avanti la prima ceſſione in tutto, e per tutto eſente, e libero di cederlo, e conſegnarlo al predetto Ordine de Predicatori, e nominatamente al moderno Padre Provinciale della Provincia Alemanna Padre F. Alberto Rottenpuecher Dottore della Sacra Scrittura, come noi con ciò, ed in virtù della preſente ſcrittura non indotti, ma bonamente, e ſpontaneamente con ben maturato conſiglio riſolviamo, dichiaramo, e pacificamente concludiamo che il medeſimo convento da Noi, e noſtri riveritiſſimi ſucceſſori dalla già avanti avuta giuriſdizione con la migliore, e più valida forma effettivamente eſente, e libero cediamo, rinunciamo, e conſegniamo, acciò al loro piacere giuſto al praticato dell' ordine poſſino regerlo, amminiſtrarlo, cuſtodirlo, e provederlo tanto in ſpirituale, quanto in temporale in quella forma, che tutti li altri loro Conventi dell' Ordine della giuriſdizione dell' Ordinario liberi, ed eſenti, che da principio ſotto o vero per il loro Ordine ſono ſtati fondati, eretti, e fabricati, e che mai, ne per avanti, ne doppo ſotto veruna altra giuriſdizione, o inſpezione vengono o ſono ſtati, ſogliono regere, provedere, e governare ſenza veruna oppoſizione, riſerva, o condizione, levando, ed annullando tutte le condizioni, limitazioni, ed eccezioni ſino iſteſſamente nell' anteriore ceſſione concepite, deſcritte, nominate o no, o vero potrebbero da quella eſſere inteſe, interpetrate, ſtiracchiate, concluſe, o vero ſuppoſte niente eccettuato, ma ſolamente quello, che dal ſagro Concilio di Trento alli Ordinarii circa li Monaſteri eſenti delli Prelati Regolari dell' Ordine e ſtato riſervato, e decretato, lo che dal predetto molto Reverendo Padre Provinciale, in vece del ſuo Generale di tutto l' Ordine, e ſpecialmente per ſe in nome della ſua Provincia ha accettato, e lodato, e l' antedetto Convento ha riconoſciuto per una ſingolariſſima grazia. E perche tale rinuncia e totale eſenzione, ceſſione di giuriſdizione, ed intiera incorporazione del predetto Convento delle Monache di Stainach all' Ordine de Predicatori per ambidue parti, e dalli noſtri riveritiſſimi ſucceſſori Signori Prencipi, e Veſcovi di Coira più fermamente, ed indiſſolubilmente venghi mantenuta, ed oſſervata. Onde ſiccome tutti li altri trattati, e concluſioni fatte da loro Predeceſſori colla protezione ed ajuto della loro autorità difendono, e conſerveranno, così ſarà anche a loro caro, e caldamente s' impiegano che quello che da loro una volta vien comandato concluſo, e ordinato, iſteſſamente dalla loro poſterità nel ſuo valore, e decoro reſti, e venghi mantenuto, perciò anche noi abbiamo nella preſente ſcrittura con il noſtro pendente Prencipale, e Veſcovile ſigillo munita ed autorizata a perpetua memoria il tutto fatto concepire, e diſtintamente deſcrivere quale anche con propria mano ſottoſcriviamo. Data in Caſtel Khinlbenberg ſopra mais li due Ottobre l' anno doppo la naſcita di noſtro Signor Gieſù Criſto Milleſeicento, e quarant' otto &c. Giovanni Veſcovo di Coira. Loco † Sigilli. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat ipſę exponentes tametſi vigore ceſſionis, & renunciationis hujuſmodi ab Ordinaria juriſdictione ſeſe defenderint, nihilominus a quolibet novo Epiſcopo cum viſitatione, & minis moleſtare, multaque diſpendia ad redimendas vexationes ſubire coactę fuerint, ideoque pręmiſſa quo firmius ſubſiſtant, Apoſtolicę confirmationis noſtrę robore communiri ſummopere deſiderent. Nos ipſas exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & earum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus earum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ceſſionem, & renunciationem cum plenaria exemptione a ſua Epiſcopali juriſdictione a memorato Johanne Epiſcopo pręDicto Ordini Pręd icatorum factas, ut pręfertur, illiuſque documentum pręinſertum auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, & quatenus opus ſit auctoritate, & tenore pręDictis, convalidamus, ac Monaſterium pręDictum, illiuſque Moniales curę, gubernio, & ſuperioritati ſuperiorum Regularium dicti Ordinis ſubjicimus, & ſupponimus, decernentes eaſdem pręſentes literas, ac documentum pręinſertum ſemper firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos, & quas ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit Monaſterii, & Ordinis pręDictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Beneventi ſub Annulo Piſcatoris die XXX Aprilis MDCCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Loco † ſigilli. F. Card. Oliverius.

1. *Stainacen.*) De quo ſæpius. 2. *Archivo.*) In quo autographum.

Ut

Anno 1729 Die 13 Junii.

Ut S. Agnetis de Monte Politiano, & Sacrorum Stigmatum S. Catharinæ Senen. officia recitentur in Hetruriæ Dominio.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CXXV.

ETRURIÆ.

AD pias Sereniſſimę Violantes (2) Principiſſę Etrurię, humillimaſque preces Reverendiſſimi Archiepiſcopi (3) Florentini, & Reverendiſſimi Patris Magiſtri Fratris Thomę Ripoll Magiſtri Generalis Ordinis Prędicatorum, pro extenſione officiorum Sanctę Agnetis Virginis de Monte Politiano Ordinis Prędicatorum, & Sacrorum Stigmatum Sanctę Catharinę Senen. ad Civitatem, & Diœceſim Florentinam necnon ad univerſum Dominium Etrurię Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIII porrectas, Sanctitas Sua hujuſmodi inſtantiis annuendo, dicta officia Sanctę Agnetis Virginis cum oratione, & lectionibus ſecundi Nocturni propriis, juxta modum pro Civitate, & Diœceſi Montis Politiani conceſſum, & de ſacris Stigmatibus Sanctę Catharinę pro die prima Aprilis, pariter cum oratione, & lectionibus Secundi Nocturni propriis, ad formam indulti Civitatibus, & Diœceſibus Senarum, & Piſarum elargiti ab univerſo Clero Seculari, & Regulari utriuſque ſexus tam in Civitate, & Diœceſi Florentina, quam in toto Etrurię Dominio, ſervatis tamen Rubricis Breviarii, & Miſſalis Romani in poſterum recitari, & Miſſas reſpective celebrari poſſe benigne indulſit, atque conceſſit; die XXIII Junii MDCCXXIX.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus Sac. Rit. Cong. Sec.

1. *Archivo.*) In quo autographum.
2. *Violantes.*) E nobiliſſima gente Ducum *Bavariæ*.
3. *Archiepiſcopi.*) E nobili gente *Martelli*.

Anno 1729 Die 11 Julii.

Indulgentia pro feſto B. Luciæ (1) Narnien. primum celebrando.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXVI.

BENEDICTUS PP. XIII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium Religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti; Omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum Ordinis Prędicatorum ubicunque exiſten. die decima ſexta proxime venturi menſis Novembris, pręterquam Eccleſias dicti Ordinis Ferrarien., Viterbien., & Narnien. Civitatum die decima quinta ejuſdem menſis, a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis diei hujuſmodi reſpective devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus; Pręſentibus pro unica vice valituris; Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint, quodque pręſentium tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę; Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XI Julii MDCCXXIX Pontificatus noſtri Anno Sexto.

F. Card. Oliverius.

1. *B. Luciæ.*) Conſulenda Conſtitutio *XXXII*, *Clementis XI*. Legitur *pag.* 469.
2. *Archivo.*) In quo Autographum, & exemplaria authentica, *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa anno *MDCCXXIX*.

Anno 1729 Die 1 Septembris.

Rogatu Fratrum Prædicatorum, quæ pro Seminario Ruremundenſi, ipſis commiſſo, ſancita ſunt, firmat.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CXXVII.

BENEDICTUS PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Prior Provincialis Provincię Germanię inferioris, ac Pręſes, & Lectores iſtius Seminarii eccleſiaſtici Ruremunden. Ordinis Fratrum Prędicatorum, quod du-

dudum poſtquam idem Seminarium quadraginta ab inde annos plane deſtitutum, ac derelictum remanſerat bonę memorię Reginaldus Cools (2) Ordinis prędicti dum viveret Epiſcopus Ruremunden. illud ſuis impenſis reędificari curavit, treſque inibi Lectores Ordinis pręfati profeſſores collocavit una cum Canonico Eccleſię Ruremunden., qui rerum temporalium ipſius Seminarii curam, & adminiſtrationem ut Pręſes gereret, ſed quia ſubinde ejuſmodi Canonicus bona, & proventus dicti Seminarii dilapidare videbatur, itaut in priſtinum, miſerum, ac deſertum ſtatum recidiſſet, memoratus Reginaldus Epiſcopus pręfato Canonico ęconomiam dicti Seminarii, & domicilium, quod ibidem habebat, ademit, totamque ipſius Seminarii curam etiam quoad temporalia attribuit illius pro tempore exiſtenti Regenti, ſeu antiquiori Lectori Ordinis pręfati, quam pacifice, ac cum laude hactenus exercuit. Verum, cum pręter duos Philoſophię Lectores, unus tantum Theologię nullus autem Sacrę Scripturę ibi Lector exiſteret, tunc in humanis agens Nicolaus Van Eſſrack ejuſdem Eccleſię Ruremunden. Canonicus Canonicatum, & Prębendam in ea fundavit injunctis illos pro tempore obtinenti diverſis obligationibus, & oneribus, & pręſertim Sacram Scripturam pręfatam bis ſaltem in hebdomada edocendi in prędicto Seminario, aliove loco per Ordinarium loci deſtinando, & ad Canonicatum, & Prębendam ſic erectos nominavit quendam Clericum, ſeu Presbyterum, quem tamen a dictis obligationibus, & omnibus adimplendis exemit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, poſt prędicti Reginaldi Epiſcopi deceſſum tunc exiſtens Prior Provincialis Provincię pręfatę alterum Theologię, necnon pro ſtudioſorum utilitate, & commoditate unum ejuſdem Sacrę Scripturę Lectores Ordinis ſupradicti itidem profeſſores addiderit, qui viginti quatuor, ab hinc annis Theologiam, & Sacram Scripturam ejuſmodi, non ſine juvenum progreſſu illic publice edocent. Nunc vero tam dicto Nicolao fundatore, quam cui pręfati Canonicatus, & Prębenda a primęva eorum erectione collati fuerant vita functi eoſdem Canonicatum, & Prębendam alicui diverſe a Thomiſtica ſententia cum enarrato onere Sacram Scripturam prędictam edocendi conferri contingeret, facile inter ſcholares animorum diſſidia, turbę, & contentiones oriri poſſent, ipſique juvenes, utpote primis elementis doctrinę D. Thomę Aquinatis imbuti non leve in ſuis ſtudiis detrimentum acciperent, dicti Exponentes, qui onus perpetuo docendi eandem Sacram Scripturam in Seminario pręfato aſſumpſerunt tum ad pręmiſſa incommoda evitanda, tum pro majori dicti Seminarii, ac totius Dięceſis Ruremunden. bono, & tranquillitate, necnon uniformitate ſanę doctrinę tuenda, & conſervanda pręfatos Canonicatum, & Prębendam ab ejuſmodi onere docendi Sacram Scripturam, quod modo propemodum inutile evaſit liberari plurimum deſiderant, pręſertim cum quadraginta ferme annorum decurſu, quo Fratres ſupradicti Ordinis eidem Seminario pręſunt nullus in tota Dięceſi pręfata inventus ſit de prava, & damnata doctrina ſuſpectus, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt ad effectum pręſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, necnon fundationis, & erectionis Canonicatus, & Prębende pręfatorum tenores, & alia quęcunque, etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ſpecificatis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati fraternitati tuę per pręſentes committimus, & mandamus, ut conſtito tibi de narratis, & firmis remanentibus ceteris obligationibus, & oneribus Canonicatui, & Prębendę pręfatis, illorumque pro tempore poſſeſſori injunctis, ſeu annexis illos, & illum a ſupradicto onere, & obligatione docendi Sacram Scripturam, auctoritate noſtra Apoſtolica perpetuo eximas, & plenarie liberes, ac perpetuo exemptos, & liberos, immuneſque declares, ita tamen ut munus eandem Sacram Scripturam docendi per Lectorem dicti Ordinis ad id pro tempore deputatum, ſedulo adimpleatur. Nos enim quamcunque neceſſariam, & opportunam ad pręmiſſa facultatem tibi harum ſerie auctoritate pręfata tribuimus, & impertimur. Non obſtantibus memorati Nicolai fundatoris etiam ultima voluntate, quam quoad pręmiſſa ſufficienter, & expreſſe commutamus, ac Apoſtolicis, & in univerſalibus, provincialibuſque, & ſynodalibus Conciliis editis, vel edendis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quatenus opus ſit Ordinis, Provincię, Eccleſię, & Seminarii pręfatorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboraris, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die prima Septembris MDCCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

F. Cardinalis Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo autographum.

2. *Reginaldus Cools.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii XI.*

Ne

Anno 1729 Die 2 Septembris.

Ne Terracinenſis (1) Conventus ſit in numero ſuppreſſorum.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXXVIII.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Angelus Maria Cavallucci Vicarius Conventus S. Dominici Terracinen. Ordinis Fratrum Prędicatorum, quod cum Nos die XXXI Menſis Maii proxime pręteriti dictum Conventum per Conſtitutionem felicis recordationis Innocentii PP. X Prędeceſſoris noſtri ſuper ſuppreſſione parvorum Conventuum editam perpetuo ſuppreſſum ſalvis juribus Seminarii puerorum eccleſiaſtici in dicta Civitate exiſtentis adverſus ſuppreſſionem hujuſmodi in priſtinum, & eum, in quo antequam ſupprimeretur quomodolibet erat ſtatum vivę vocis oraculo repoſuerimus, & plenarie redintegraverimus, & facultatem venerabili Fratri moderno Epiſcopo Terracinen. taxandi annuum canonem perpetuum ad favorem dicti Seminarii conceſſerimus, in prędicta vero redintegratione nulla mentio facta fuit Conſtitutionis noſtrę XXVII, cujus initium eſt: Creditę Nobis cęlitus diſpenſationis officium &c. §. quod ſi in aliqua &c. quo cavetur, ut fructus parvorum Conventuum ſuppreſſorum Seminario applicati, & uniti, ſemper fixi, & permanentes exiſtant, dictus Angelus Maria Vicarius ad removendam quamcunque hac in re dubietatem ob non factam expreſſam mentionem derogationis prędictę noſtrę Conſtitutionis opportune in pręmiſſis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri ſummopere deſiderat. Nos ipſum Angelum Mariam Vicarium ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, redintegrationem dicti Conventus ſuppreſſi vivę vocis oraculo a Nobis factam, necnon facultatem eidem Epiſcopo conceſſam dandi annuum perpetuum canonem favore prędicti Seminarii, ut pręfertur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunqne ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, Non obſtantibus pręmiſſis, ac prędictis noſtra, & Innocentii Prędeceſſoris Conſtitutione, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit Seminarii, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die II Septembris MDCCXXIX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

F. Card. Oliverius.

Loco ✝ Sigilli.

1. *Terracinen.*) Juris eſt *Romanæ* Provinciæ.

2. *Archivo*.) In quo exemplar authenticum.

Anno 1730 Die 24 Januarii.

Ut Mutinenſes Fratres quædam ſibi legata vendant, & pretium ſacris ædibus ornandis inſerviat.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CXXIX.

BENEDICTUS PP. XIII.

Motu proprio &c.

CI è ſtato rappreſentato per parte del Priore, e Religioſi del Convento del noſtr' Ordine di S. Domenico di Modena, e con eſſi, e per eſſi dal Maeſtro Fra Gio: Domenico Agnani figlio di detto Convento, che fin ſotto li XXX Maggio MDCLXXXV Giovanna Mantovani Foreſti, e Filippo Foreſti ſuo figlio donarono a detta loro Chieſa per ſervizio, & ornato dell' Altar maggiore, che inſieme di quel tempo era dedicato al detto Padre S. Domenico, un Tabernacolo di mole aſſai grande compoſto di molto legno diviſo in più parti, & al di fuori coperto di puro argento lavorato di peſo oncie novecento ſettantatre, come appariſce da Iſtrumento publico ſtipolato lo ſteſſo giorno, nel

quale

quale da detti Foreſti Donanti fu dichiarato con le ſeguenti precise parole, che tal Donazione la facevano a gloria, & onore del Santiſſimo Sagramento, e del glorioſo Patriarca S. Domenico Avvocato de' medeſimi, per eſporſi ſopra detto Altar maggiore, dove abbia ad eſſere depoſitato il Santiſſimo a di lui onore, e gloria, e del detto glorioſo S. Domenico, quando non pareſſe bene alli Padri ſudetti coll' aſſenſo ſempre delli nominati Foreſti, o in loro difetto de' loro Deſcendenti, e non altrimente, ne in altro modo, di levarlo per riporlo, e cuſtodirlo in luogo ſicuro, ad effetto di meglio preſervarlo, e poſcia eſporlo nelle Feſte ſolenni della Chieſa tanto univerſali quanto particolari della Religione Domenicana, e caſo che mai ſi doveſſe diſtruggere detto Altar maggiore per qualche accidente, e per ridurlo forſe a miglior forma, allora, & in tal caſo intendono, e vogliono eſſi Donanti, che detto Tabernacolo ſi debba riporre ſopra l' Altar maggiore, che ſi fabricarà, in luogo dello ſteſſo, come così li predetti Padri preſenti ſpontaneamente &c. per eſſi, e per li loro Succeſſori in detto Convento promettono, e s' obligano di riporlo nell' accennato Altar maggiore, con eſpreſſa condizione appoſta dalli ſudetti Donatori, che mai in alcun modo debbano eſſi Padri, nè li Succeſſori in detto Monaſtero porre mano nel prefato Tabernacolo, ne permettere, che da altri vi ſia poſta per guaſtarlo, aggiungervi, o ridurlo in altra forma ancor migliore, o per farlo brunire, ne conſegnarlo in mani ad alcuno ſenza eſpreſſa licenza di eſſi Donanti, e delli Deſcendenti loro in perpetuo, e contrafacendo li detti Padri ad alcuna dell' eſpoſte condizioni, allora, & in tal caſo, & adeſſo per allora ſoſtituirono la Cappella del Santiſſimo Sagramento della Chieſa Catedrale di detta Città di Modena, pregando eſſi Donatori Monſignor Veſcovo pro tempore di detta Città ad eſſer' Eſecutore di tal loro diſpoſizione, al quale conferirono ogni imaginabile autorità, come ſe detto Tabernacolo non foſſe ſtato da eſſi preſentato al detto Altare di S. Domenico; E che l'Anno MDCCVIII trovandoſi detta loro Chieſa in molto cattivo ſtato, ſtimarono eſſi Padri neceſſario il demolirla, & a poco a poco colla demolizione di queſta fabricarono da fondamenti un' altra, nuova, e nobiliſſima Chieſa al preſente quaſi totalmente terminata, e perfezionata a ſpeſe della Religione, & eſſendoſi mutato in tutto il diſegno della Chieſa vecchia, non ſolo è convenuto gettare a terra il predetto antico Altar maggiore, ma è ſtato neceſſario farne un' altro in ſito ben lontano dal primo; Et avendo avuto il fu Maeſtro Ferrero Inquiſitore di Faenza, figlio di detto Convento di Modena, e Zio del Reverendiſſimo Cardinal Ferrero, la pietà, & il comodo di fare col ſuo depoſito eriggere il nuovo Altar maggiore di marmo di diſegno molto ſingolare, e di vaghiſſimo aſpetto, con aver mandato da Ravenna il diſegno ſteſſo dell' Altare, quale da eſſi Padri di detto Convento fu approvato ſenza veruna difficoltà, e forſe ſenza fare il dovuto rifleſſo alle ſopra eſpreſſe condizioni ſpettanti al Tabernacolo, e ſuſſeguentemente negl' anni ſcorſi dagl' Artefici mandati a proprie ſpeſe dal detto Maeſtro Ferrero fù lavorato, ſtabilito, e poſta in opera, che ſembra impoſſibile il potervi collocare l' iſteſſo Tabernacolo ſenza guaſtarlo, o almeno ſenza una notabiliſſima improprietà, tanto più, che in occaſione di detta fabrica eſſendo convenuto levarlo dal ſuo ſito, ſi ſon trovati varj pezzi d' Argento ſtaccati, e ridotto in tal ſtato, che per ripulirlo, e riſarcirlo vi ſi richiede una ſpeſa non ordinaria, oltre di che il predetto Altar maggiore non reſta più dedicato a Dio ſotto il nome del Patriarca S. Domenico, ſecondo l' intenzione, & il concordato con i ſudetti Foreſti Donatori, poiche l' Altare di queſto deve fabricarſi in una gran Cappella laterale dirimpetto all' altra dedicata alla Santiſſima Vergine del Roſario già eretta, e ſtabilita coll' iſteſſa ſtruttura di marmo. Vedendoſi perciò eſſi Padri per le coſe antedette in evidente pericolo di dover perdere il detto Tabernacolo a cauſa della caducità ingionta nell' Iſtrumento di detta Donazione a favore della Cappella del Santiſſimo Sagramento di quella Catedrale, qual' ora ſi cominci ad uffiziare publicamente la detta loro nuova Chieſa; E trovandoſi per altro in poſitiva neceſſità di ornare decentemente la medeſima Chieſa, ſpecialmente con Altari proporzionati, de quali ne mancano ancora cinque, ne potendo eſſi, o altri porre mano a quello deſtinato per il glorioſo Padre S. Domenico, sì per ricercarviſi una ſpeſa molto conſiderabile, sì anche per eſſerſi più volte un inſigne pietà eſpreſſo quel Duca di volerlo egli fare a proprie ſpeſe, hanno in tal contingenza implorato la noſtra ſuprema autorità ſupplicandoci, che vogliamo in queſta parte commutare la volontà de' predetti pii Benefattori, e derogare alle condizioni, oblighi, e pene da medeſimi ingionte, e benignamente permettergli, che poſſano liberamente, e ſenza incorſo d'alcuna pena vendere, & alienare il predetto Tabernacolo, e ſervirſi del denaro, che ſi ritraerà dal prezzo di eſſo per eriggere un' Altare laterale di marmo, col peſo però di dovere in eſſo apporre l' Arme della Caſa Foreſti per memoria de' medeſimi Benefattori, o ſola, o ſe il Convento contribuirà per compimento del medeſimo qualche ſomma conſiderabile, coll' Arme anche dell' Ordine, e ſopra ciò rinovarne il ſudetto Iſtrumento cogl' Eredi di detti Benefattori, conforme per altri eventi loro ſteſſi diſpoſero, moſtrando a ciò inclinare anche i Fratelli Foreſti Eredi de' medeſimi, e ben' affetti della Religione, & in caſo che con tal prezzo non ſi poteſſe tentar l' impreſa d' un' Altare di marmo, che con le ſteſſe armi, e rinovazione d' Inſtrumento poſſano ſervirſi dell' argento, o del prezzo di eſſo per ornare il detto Altar maggiore, dove ſi conſerva il Santiſſimo Sagramento, come ſi ſtimarà più convenevole; Et eſſendovi anche un Paliotto d' argento dell' antico Altar maggiore, quale non può ſervire al nuovo per la gran diverſità dell' uno dall'altro, e ſei Candelieri d' argento già fatti dal fù Maeſtro Frà Pier Paolo Ciardi col ſuo depoſito di valore circa mille ſcudi, quali ſimilmente ſono affatto improporzionati al gradino ſuperiore di detto Altare, in cui vi ſi ricercano Candelieri di ſmiſurata grandezza, & inſieme una piccola Lampada d' argento di valore di circa 200. ſcudi, quale pur ſembra affatto improporzionata e alla Chieſa, e a gl' Altari, & altri pezzi meno conſiderabili d' argento, che ſono inatti, o non neceſſarj ad un decente ornato della Chieſa, che per compimento delle noſtre Grazie vogliamo parimente permettergli, che poſſano liberamente vendere tutti detti argenti per erogare il di loro prezzo in uno, o più Altari di marmo in tutto, o in parte, conforme ſtimaranno

eſſi di maggior decoro di detta Chieſa; E noi avendo ſommamente a cuore la reſtaurazione, & ampliazione delle Chieſe deſtinate al Culto di Dio, & in particolare della noſtra Religione, riflettendo, che l'uniformità degl' Altari, e la di loro decorazione muove maggiormente la divozione nel Popolo, e che ſe i detti Benefattori aveſſero potuto prevedere il caſo preſente, avrebbero anch' eſſi variata la di loro determinazione, & atteſi altreſi gl'altri motivi ſopra eſpoſtici, ſiamo volentieri condeſceſi a conſolarli, come in appreſſo. Avendo pertanto nella preſente Cedola di noſtro moto proprio per eſpreſſo, e di parola in parola regiſtrato l'intiero tenore della Donazione, e Conceſſione del predetto Tabernacolo coperto d'argento fatta dalli ſudetti Giovanna Mantovani Foreſti, e Filippo Foreſti ſuo figlio nel ſopra riferito Iſtrumento come ſopra rogato, delli patti, condizioni, riſerve, dichiarazioni, proibizioni, ſoſtituzioni, pene anche di caducità in caſo di contravenzione, e d'inoſſervanza, delle condizioni in eſſo ſtipolate, e da detti Padri accettate, del preciſo ſtato preſente di detta nuova Chieſa, & ogn' altra Coſa quantoſivoglia neceſſaria d'eſprimerſi, di noſtro moto proprio, certa ſcienza, e pienezza della noſtra Suprema Poteſtà diamo, e concediamo alli predetti Priore, e Religioſi di detto Convento di S. Domenico di Modena ampla piena, & aſſoluta facoltà di poter liberamente, e non oſtanti li patti, proibizioni, ſoſtituzioni, condizioni, e pene anche di caducità ingionte da detti Foreſti Benefattori, e come ſopra accettate, dalle quali pene Noi pienamente, & aſſolutamente li preſerviamo, vendere, & alienare a favore di qualunque Perſona, in una, o più partite per il giuſto, e conveniente prezzo da concordarſi con li Compratori tanto il ſudetto Tabernacolo coperto d'argento donato dalli ſudetti Giovanna, e Filippo Foreſti, quanto anche il ſudetto Paliotto d'argento, e li ſei Candelieri fatti dal predetto Maeſtro Ciardi, ſiccome anche la ſudetta Lampada, & altri qualunque pezzi d'argento meno conſiderabili ſpettanti a detta loro Chieſa, per dover però erogare il di loro prezzo riſpetto a quella rata, che ſi ritroverà da detto Tabernacolo, in eriggere un' Altare laterale di marmo, con porvi l'Arme della Caſa Foreſti in memoria di detti Benefattori o ſole, o unitamente con quelle dell' Ordine, quando il Convento contribuiſſe del proprio per compimento qualche ſomma conſiderabile, o pure d'impiegar lo ſteſſo argento, o il di lui prezzo ſudetto per ornamento dell' Altar maggiore, dove ſi conſerva il Santiſſimo Sagramento, coll' appoſizione parimente dell' Arme dell' iſteſſa Famiglia, nel modo, che da eſſi Padri ſi ſtimerà più convenevole, e di maggior profitto, e decoro della Chieſa, con rinovare però nell' iſteſſo tempo, sì per l'uno, che per l'altro caſo il dovuto Iſtrumento con gl' Eredi de' ſudetti Foreſti Benefattori, comutando Noi in queſta parte le volontà de' medeſimi, & approvando Noi tutto quel che ſi eſeguirà in ſequela di queſta noſtra grazia, come ſe così, & in queſta ſteſſa forma foſſe ſtato ordinato, e ſtabilito da medeſimi in detto Iſtrumento, e riſpetto al prezzo degl' altri argenti ſudetti per erogarlo nell' ornato, e decorazione della ſteſſa Chieſa, e ſuoi Altari ad arbitrio de medeſimi Padri, dichiarando, & ordinando con la pienezza della noſtra autorità, che i medeſimi per la vendita di detto Tabernacolo, & altri argenti ſudetti, e reſpettivamente per l'impiego del di loro prezzo nella forma da noi ſopra permeſſagli non poſſano in alcun futuro tempo ſotto qualunque preteſto, e cauſa benche incogitata, & inopinata eſſere in alcun modo moleſtati, o perturbati, per eſſere così mente, e volontà noſtra preciſa, & eſpreſſa. Volendo, e decretando, che alla preſenta Cedola di noſtro moto proprio, benche non ammeſſa, ne regiſtrata in Camera, e ne ſuoi Libri, non poſſa mai darſi, ne opporſi di ſurrezione, orrezione, ne d'alcun altro vizio, o difetto della noſtra volontà, & intenzione, ne che mai ſotto tali, o altri preteſti quantunque validi, validiſſimi, e legitimi, anche di Jus queſito, e pregiudizio del Terzo, poſſa eſſere impugnata, moderata, o rivocata, e che così, e non altrimente, debba ſempre giudicarſi, definirſi, & interpretarſi da qualunque Giudice, e Tribunale, benche Collegiale, Congregazioni anche di Reverendiſſimi Cardinali, Legati a Latere, Camerlengo di S. Chieſa, Teſoriere, Preſidenti, Uditori di Rota, Chierici di Camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e giuriſdizione di definire, & interpretar diverſamente, e dichiarando noi ſin d'adeſſo preventivamente nullo, irrito, & invalido tutto cio, che da ciaſcuno d'eſſi con qualſivoglia autorità, ſcientemente, o ignorantemente foſſe in qualunque tempo giudicato contro la forma, e diſpoſizione del preſente noſtro moto proprio, quale vogliamo, che vaglia, e debba aver ſempre il ſuo pieno effetto, eſecuzione, e vigore con la ſemplice noſtra ſottoſcrizione, benchè non vi ſiano ſtati chiamati, ſentiti, ne citati i predetti Eredi de ſudetti Giovanna Mantovani, e Filippo Foreſti, il Capitolo, e Canonici della Catedrale di detta Città per l'Intereſſe della loro Cappella del Santiſſimo Sagramento ſoſtituita nella Donazione di detto Tabernacolo, Monſignor Veſcovo della medeſima Città Eſecutore deputato di detta diſpoſizione, & altre qualiſiſiano Perſone ancorche privilegiate, e privilegiatiſſime, Eccleſiaſtiche, e Luoghi Pii, che vi aveſſero, o pretendeſſero avervi qualunque Intereſſe, non oſtanti tutte, e ſingole coſe premeſſe, e ſpecialmente la donazione di detto Tabernacolo fatta dalli predetti Giovanna, e Filippo Foreſti, gl' oblighi, patti, condizioni, proibizioni, pene anche di caducità a favore di detta Cappella del Santiſſimo Sagramento nella Chieſa Catedrale in caſo di contravenzione, o d'inoſſervanza, & altri peſi, e gravami riſultanti dal ſopra riferito Iſtrumento, e da qualunque altra Diſpoſizione d'ogn' altro Benefattore, e Donatore degl' altri Argenti ſuddetti, la Bolla di Pio IV noſtro Predeceſſore de Regiſtrandis, la Regola della noſtra Cancellaria de jure queſito non tollendo, la diſpoſizione de' Concilj generali provinciali, e ſinodali, e qualiſiſiano altre Coſtituzioni, & Ordinazioni Apoſtoliche noſtre, e de' noſtri Predeceſſori, Leggi Civili, e Canoniche, ſtatuti, Riforme, Stili, uſi, conſuetudini, e qualunque altra coſa, che faceſſe, o poteſſe fare in contrario, alle quali tutte, e ſingole, avendone il tenore qui per eſpreſſo, e di parola in parola inſerto, e ſupplendo Noi con la pienezza della noſtra Poteſtà Pontificia ad ogni vizio, e difetto quantunque ſoſtanziale, e formale, che vi poteſſe intervenire, per queſta volta ſola, e per la piena, e totale eſecuzione, & effetto di quanto s'eſprime nella preſente Cedola di noſtro moto proprio

am-

ampiamente, & eſpreſſamente deroghiamo. Dato dal noſtro Palazzo Apoſtolico Vaticano queſto dì XXIV Gennaro MDCCXXX.

Benedictus PP. XIII.

1. *Archivo.*) In quo autographum.

De Regentibus in ſtudio Generali Bononienſi conſtituendis.

Anno 1730 Die 28 Januarii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Dilectis filiis Deputatis Provincię Lombardię Ordinis Prędicatorum ad dietam Provincialem convocatis.

CXXX.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecti filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ACcedente paternę ſolicitudinis officio ad filialis priſtinę caritatis ſtimulos, quibus antea ad rationes, & commoda dilectiſſimi Ordinis urgebamur, ea potiſſimum accurare, ac promovere debemus, quę ad uberiorem doctrinarum cultum, ſtudiorumque proventum conferre dignoſcimus. Hanc autem providentię operam Bononienſi Generali ſtudio eo libentius impendimus, quo jucundior Nobis obverſatur pręteriti temporis memoria, cum ibidem prima literarię militię ſtipendia meruimus, exactoque ediſcendę Theologię ſtadio, inde ad Philoſophiam docendam vocati ſumus. Primęvum igitur diſciplinarum ſplendorem, ardoremque in eodem Conventu conſervare, ac fovere cupientes, omnia, quę intervenire intelligimus, impedimenta, alacri animo ſubmovemus. Propterea cum dilectus filius Angelus Gulielmus Molo ejuſdem noſtri Ordinis Procurator Generalis ſupplici libello Nobis expoſuerit, ad paucos eſſe redactum eorum numerum, qui poſt exactum ſtudiorum Magiſterium ad munus Regentis ſtudiorum generalium Bononien. in iſta Provincia rite eligi poſſint, enixeque poſtulaverit, ut auctoritate noſtra memoratę inopię ſubveniremus: Nos de poteſtatis Apoſtolicę plenitudine, conditionibus per Conſtitutiones, & quaſcunque Apoſtolicas literas requiſitis, pro quatuor duntaxat ſimplicibus Magiſtris dilectis filiis Antonino de Pazzaglia, Carolo Thoma Urſo, Thoma Auguſtino Ricchino, & Carolo Franciſco Conti, ejuſdem Ordinis profeſſoribus diſpenſantes, dietę veſtrę poteſtatem facimus, & facultatem impertimur, ut eoſdem veſtro ſuffragio, judicioque ad gradum antedictum Regentis approbare, Conſtitutionibus Ordinis, & aliis quibuſcunque non obſtantibus libere, & licite valeatis. Veſtris autem ad Patrem miſericordiarum pro noſtra infirmitate precibus, vicem vos caritatis eſſe Nobis reddituros, certo confidimus. Ac vobis Apoſtolicam Benedictionem peramanter elargimur. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Januarii MDCCXXX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

C. Archiep Emiſſenus.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

De convocanda dieta Provinciæ Lombardiæ.

Anno 1730 Die 3 Februarii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Deputatis Provincię Lombardię Ordinis Prędicatorum ad dietam convocatis.

CXXXI.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Angelus Gulielmus Molo Procurator Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, quod cum per alias noſtras in ſimili forma Brevis noviſſime expeditas literas, dilectum pariter filium Laurum Mariam Picinelli Fratrem expreſſe profeſſum ejuſdem Ordinis in Sacra Theologia Magiſtrum Priorem Provincialem Provincię utriuſque Lombardię dicti Ordinis ad biennium menſe Aprili proxime futuro inchoandum deputaverimus, ac proinde Capitulum Provinciale pręfatę Provincię hac vice fieri nequeat, ipſe Angelus Gulielmus, quo majoris momenti negotia ad eandem Provinciam ſpectantia, quę in Capitulo Provinciali hujuſmodi tractari debuiſſent, ſtabiliri, & ordinari valeant, convocatione unius dietę opus eſſe exiſtimat, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos ejuſdem Angeli Gulielmi votis hac in re, quantum in Domino poſſumus, favorabiliter annuere cupientes, eumque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, unam, ex infra dicendis fratribus expreſſe profeſſis Pro-

Provincię, & Ordinis prędictorum conſtituen. ipſius Provincię dietam, cui dilectus etiam filius Thomas Ripoll Magiſter Generalis ejuſdem Ordinis prędideat, cujuſque Secretarius ſit modernus ſocius Prioris Provincialis dictę Provincię;in eaque acceptationes Magiſtrorum,transfiliationes,& poſtulationes Magiſtrorum ſtudii,Baccalaureorum,& Regentium ſtudii Bononienſis,& id genus alia fiant,ac ſimiliter eligatur Definitor pro Capitulo Generali dicti Ordinis una cum ejus ſocio,qui vigore talis electionis, quatenus opus ſit,electus remaneat in Capitulo Generali hujuſmodi,convocari,ac celebrari auctoritate Apoſtolica,tenore pręſentium pręcipimus,& mandamus.Et quia ſufficiens Fratrum dictę Provincię,& ejuſdem S.Theologię Magiſtrorum ad ejuſmodi dietam peragendam idoneorum numerus in Alma Urbe noſtra,ubi illa minori incommodo, & diſpendio, quam alibi, fieri poterit, de pręſenti reperitur. idcirco eandem dietam in Conventu S. Sabinę de Urbe Ordinis prędicti indicimus, eamque conſtare volumus ſupradicto Angelo Gulielmo Procuratore Generali, Aloyſio, ſeu Ludovico Maria Lucino Commiſſario Generali officii Inquiſitionis adverſus hęreticam pravitatem, Dominico Hieronymo Lambertenghi moderno Priore Provinciali dictę Provincię, Dominico Antonio Giacconi Theologo Caſanaten., Hyacintho Maria Viviano Confeſſario noſtro, Joſepho Aloyſio, ſeu Ludovico de Andujar Bibliothecario ſecreto noſtro, Hyacintho Federico Toccoli Cathedratico, & Johanne Dominico Agnani Bibliothecario Caſanatenſibus, pręfato Lauro Maria Picinelli electo Priore Provinciali hujuſmodi Provincię, Petro Martyre Cangiaſſi, & Ægidio Feni Priore dicti Conventus S. Sabinę, & ſi aliquem ex his deeſſe, aut memoratę dietę intervenire non poſſe contigerit, reliquis intereſſentibus, omnia, & ſingula pręmiſſa libere, & valide tractandi, ac perficiendi plenam facultatem. harum ſerie tribuimus, & impartimur. Decernentes eaſdem pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provincię, & Ordinis pręfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III Februarii MDCCXXX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Pro D. Cardinale Oliverio.
C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Archivo*.) In quo exemplar.

Anno 1730 Die 10 Februarii.

CXXXII.

De dono Miſſis S. Venerii Reliquiis gratias habet.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Venerabili Fratri Nicolao (2) Marię Archiepiſcopo Genuenſi.

BENEDICTUS PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PLuribus officiis, ac ſingulis in Nos obſervantię notis inſignes literas a Fraternitate tua libenter accepimus. Sacras tamen, quas dono miſiſti, Sancti Venerii Reliquias, quovis theſauro cariores; atque inter pręcipua tuę pietatis, ac cęleſtis in Nos beneficentię monumenta reponendas, explicare vix poſſumus, quo Religionis ſenſu, quantaque cum lętitia complexi, & venerati ſimus. Tibi igitur, venerabilis Frater, gratias habemus maximas, quod munus pretioſiſſimum, operis etiam elegantia, & dignitate, ac humaniſſimis obſequii ſignificationibus proſecutus, Sanctiſſimi Abbatis patrocinio infirmitatem noſtram munire ſtudueris, adjunctiſque vitę illius actis, quę in Metropolitana tua Eccleſia recitantur, mirifica Nos conſolatione repleveris. Ne quid autem gaudio, ſtudioque noſtro deeſſe videatur, occaſiones cupide opperimur, per quas Fraternitati tuę gratam, devinctamque voluntatem rerum teſtimonio comprobemus, cujus interea pignus tibi, venerabilis Frater, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die X Februarii MDCCXXX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo*.) In quo exemplar.

2. *Nicolao*.) De quo in *Appendice ad pręſentem Pontificatum*.

Ut

Ut Fratres Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo ſequantur doctrinam (1) S. Thomæ Aquinatis.

Anno 1730 Die 14 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis:

CXXXIII.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Franciſcus Montiel de Fuentenobilla, & Julianus Beroval, Fratres expreſſe profeſſi, ac Expriores Provinciales Provinciȩ Caſtellȩ Ordinis B. Mariȩ de Monte Carmelo, in Sacra Theologia Magiſtri, necnon officii Inquiſitionis adverſus hȩreticam pravitatem in Regnis Hiſpaniarum Apoſtolica auctoritate inſtituti, qualificatores, quod in Congregatione definitorii Capituli Generalis ejuſdem Ordinis noviſſime, ſcilicet anno MDCCXXVIII in Civitate noſtra Ferrarien. celebrati, emanavit ad inſtantiam tunc exiſtentis Prioris Provincialis dictȩ Provinciȩ quoddam decretum, quo declaratur, licitum fore Fratribus ipſius Provinciȩ Caſtellȩ ſententiam ſequi cujuslibet approbati doctoris, prȩſertim vero quondam Johannis de Bacone, dum viveret Fratris expreſſe pariter profeſſi Ordinis prȩfati, & alias, prout in dicto decreto, cujus tenorem prȩſentibus pro expreſſo, & ad verbum inſerto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, decretum hujuſmodi non ſolum adverſetur generalibus, ac communibus univerſi Ordinis prȩdicti Conſtitutionibus, in favorem doctrinȩ Angelici Doctoris S. Thomȩ Aquinatis dudum antea editis, tum in illius Capitulo Generali anno MDXCIII, in Civitate Cremonen. habito, in quo Cap. X num. X diſerte injungitur Regentibus ſtudiorum ipſius Ordinis, ut doctrinam, ac methodum ejuſdem Divi Thomȩ, tam in Philoſophia, quam in Theologia, profiteri debeant, tum in aliis comitiis Generalibus dicti Ordinis in Alma Urbe noſtra anno MDCCIV peractis, ubi nova ſanctione, cui Apoſtolicȩ confirmationis pondus acceſſit, iterum cautum fuit, quod alumni memorati Ordinis eandem Divi Thomȩ doctrinam amplecterentur; Verum etiam everteret, atque convelleret proprias, & peculiares Conſtitutiones, & ordinationes prȩfatȩ Provinciȩ Caſtellȩ, quibus anno MDXCV tunc in humanis agens Johannes Stephanus de Chiſſola, Prior Generalis dicti Ordinis in actu viſitationis Provinciarum Hiſpaniarum ejuſdem Ordinis, non tam ſua ordinaria, quam auctoritate Apoſtolica, & a felicis recordationis Clemente PP. VIII, Prȩdeceſſore noſtro conceſſa, Regentibus ſtudiorum ipſius Provinciȩ Caſtellȩ doctrinam, & methodum, ejuſdem ſectari expreſſe mandavit, ac inſuper plene deſtrueret particulare dictȩ Provinciȩ Caſtellȩ ſtatutum, in Capitulo Provinciali anno MDCLXXXVIII in Civitate Abulen. coacto non minus mature, quam ſolemniter deſuper conditum, cum nimirum Fratres Provinciȩ Caſtellȩ prȩfatȩ inſimul congregati, ſecumque animo reputantes diſſidia, & contentiones, quȩ ex diverſitate doctrinȩ, ac varietate opinionum paſſim oriebantur, quo Religionis ſuȩ honori, ſtudiorumque ipſius Provinciȩ Caſtellȩ utilitati conſultum foret, poſt rem diu, diligenterque diſcuſſam, & auditis, circa unius doctrinȩ prȩ alia delectum, ejuſdem Provinciȩ in Sacra Theologia Magiſtris, ad eum gradum in Univerſitatibus ſtudiorum Generalium Salmanticen., Compluten., & Valliſoletan., promotis, Cathedraſque ibidem Regentibus, unanimi omnium aſſenſu, nemineque contradicente, aut reclamante, ſed uno ore, ac corde decreverunt, ut omnes Lectores, & Magiſtri, ſive intra Collegia dictȩ Provinciȩ, ſive extra in Univerſitatibus ſtudiorum Generalium hujuſmodi, ſub pȩna privationis Lecturȩ, aut Cathedrȩ, irremiſibiliter ipſo facto incurrenda, non aliam, quam ipſius Angelici Prȩceptoris, & communis Magiſtri, Doctrinam docerent, & defenderent. Hiſque accedat, quod ampla illa, liberaque ſentiendi, & opinandi facultas, quȩ per enarratum definitorii nuperi Capituli Generalis decretum alumnis dictȩ Provinciȩ Caſtellȩ tribuitur, plurima eidem Provinciȩ damna afferret, multipliceſque inter illius fratres turbas, ac diſſenſiones excitaret, & vel maxime ſtudioſis, rectoque ſtudiorum ipſius ordini noxia, & pernicioſa foret, quandoquidem exinde alumni prȩfati ad deſideria ſua coacervare ſibi Magiſtros, ac omni vento doctrinȩ circumferri, libere poſſent, ſicque in varias abeuntes ſententiàs invicem diſcreparent, atque non ſine mutuȩ caritatis detrimento jugiter decertarent, facileque evenire poſſet, quod ipſi ſtudentes contrariam in Sacra Theologia illi quam in Philoſophia addiſcenda aprehenderant, opinionem edocerentur, quin immo in una, eademque ſcientia, juxta diverſam Magiſtrorum pro tempore edocentium doctrinam, in varias quoque opiniones traherentur. Exponentes prȩdicti, hȩc & alia non minora mala ex hujuſmodi decreto proventura conſiderantes, ut hujuſmodi Provinciȩ Caſtellȩ quieti, tranquillitati, ac decori, ipſiuſque Fratrum, & prȩcipue ſtudentium concordiȩ, & progreſſui, proſpectum ſit, ſublato hujuſmodi decreto, unam, certamque ejuſdem Angelici Doctoris, clariſſimi Eccleſiȩ Dei luminis, conſtanti Summorum Pontificum, Prȩdeceſſorum noſtrorum, teſtimonio, laudumque prȩconio tantopere commendatam, doctrinam in univerſa Provincia prȩfata conſtanter retineri, doceri, & propugnari, plurimum deſiderant, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut in premiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eorundem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, illorumque ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pȩnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatȩ exiſtunt, ad effectum prȩſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſupradictum decretum definitorii nuperi Capituli Generalis, liberam facultatem Fratribus prȩfatȩ Provinciȩ Caſtellȩ cujuslibet appro-

approbati Doctoris ſententiam ſequendi, ſicut prȩmittitur, attribuens, auctoritate Apoſtolica, tenore prȩſentium, revocamus, annullamus, & abolemus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, & pro revocato, nullo, & abolito, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuo, haberi volumus omnibuſque, & ſingulis ipſius Provinciȩ Caſtellȩ Fratribus, Lectoribus, & Magiſtris, nunc, & pro tempore exiſtentibus, Conſtitutiones Generales Ordinis prȩfati, dictȩque Provinciȩ Caſtellȩ ordinationes, & ſtatuta, quibus prȩlaudatam doctrinam D. Thomȩ profiteri, amplecti, docere, & defendere, jubentur, ut prȩfertur, deinceps perpetuis futuris temporibus inviolabiliter, ac inconcuſſe obſervare, eadem auctoritate, harum ſerie prȩcipimus, & mandamus. Sicque, & non aliter in prȩmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apoſtolicȩ Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, ac interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romȩ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIV Februarii MDCCXXX, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Pro D. Card. Oliverio.
C. Archiep. Emiſſenus.

1. *Doctrinam.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Dignitates, Benedicto XIII Summo Pontifice, promotos exhibens.

CARDINALES.

Anno 1724 Die 20 Decembris.

F. Auguſtinus Pipia, natione Sardus, S. Theologiæ Magiſter, Alumnus Majoricenſis Cœnobii, ex Generali Magiſtro totius Ordinis, S. R. E. Cardinalis. Creatus fuit die XX Decembris MDCCXXIV. Pileo donatus eſt die XXIII ejuſdem Menſis. Die V Februarii MDCCXXV accepit annulum Cardinalitium, & titulo S. Sixti inſignitus fuit. Die tandem XII Martii MDCCXXIX iniit poſſeſſionem tituli S. Mariæ ſupra Minervam, ad quem translatus erat. Audiendus hac de re Summus Pontifex Cardinales alloquens *Die XX Decembris MDCCXXIV Feria IV Temporum. Æquum inſuper cenſemus Venerabiles Fratres. ut Ordini FF. Prædicatorum de Apoſtolica Sede, & Catholica Fide luculentiſſime merito, quem nos expreſſe, Domino miſerante, profeſſi ſumus gratum etiam animum congruo aliquo Pontificiæ largitatis argumento exhibeamus. Cum enim ipſi tantum Sacræ Religioni (ut alias ingenue vobis teſtati ſumus) acceptam referamus Cardinalatus dignitatem, qua nullis noſtris, ſed præclaræ Matris ornati meritis, & veſtibus decorati fuimus reſtitutioni quodammodo jure obſtricti prædictæ Religionis Magiſtrum Generalem eadem dignitate donare cogitamus; Veſtro quoque decori proſpicere hoc pacto exiſtimantes, ut ſcilicet, qui præclarum hunc, ac ſublimem obtinebit locum, cum veſtro gradui meritorum ſplendore, ſcientiarum præſertim Theologicarum condimento ac Religioſarum virtutum odore conciliet honorem, quem defectuum noſtrorum multitudine a planta pedis uſque ad verticem Capitis operti tribuere non potuimus. Imo (utinam verum non loqueremur) nimium obſcuravimus. Ad majorem &c.* Obiit anno MDCCXXX die XXI Februarii hora XXIII. Vixit annos LXIX, Menſes IV, dies XX. Ipſius meminit ſequens epiſtola:

In Dei Filio ſibi dilectis R. R. Patribus, Fratribus, ac Sororibus Ordinis Prædicatorum Fr. Thomas Ripoll Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac ejuſdem totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis & Servus.

Salutem, pias lacrymas, & Salutarem mortis recordationem.

ADvenerunt profecto nobis, Fratres in Chriſto dilectiſſimi, & quidem nimis feſtinanter advenerunt dies mæroris & luctus, dum implacabilis mors ante diem Cinerum, nonniſi brevi quatuor horarum intercapedine duos Ordinis noſtri Viros pietate, doctrina, & dignitate Orbi univerſo ſpectatiſſimos, repentino ac inopinato propemodum ictu, nobis ac toti Eccleſiæ Catholicæ eripuit. videlicet Sanctiſſimum Chriſti in Terris Vicarium Benedictum XIII, & Eminentiſſimum, ac Reverendiſſimum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Fr. Auguſtinum Pipia, olim in gubernio totius Ordinis Prædeceſſorem noſtrum vigilantiſſimum.

Ingenti, juſtoque dolore, quo Nos graviter perculſi ſumus, geminatum hunc triſtiſſimum nuntium vos eſſe accepturos non dubitamus cum abſque ulla hæſitatione arbitremur, vos omnes ſummopere dolituros, ſi vel unum duntaxat ex duobus ereptum fuiſſe intelligeretis. Quis enim veſtrum igno-

ignorare valet, quantam & jure merito deflendam jacturam fecerit pro illorum morte Religio noſtra, cum nemiuem lateat, quibus uterque virtutibus enitebat, quantum Alter Pontificiæ, Alter Cardinalitiæ dignitati ſplendoris, & æſtimationis adderet incrementum?

Non juvat hic vobis ob oculos ponere præclariſſima geſta Summi Pontificis Benedicti XIII, ne Solem ipſum videamur velle facibus adiuvare. Noverunt omnes, quid Paſtor iſte Sanctiſſimus egerit, ſive ad decorem Ordinis noſtri, quem profeſſus fuerat, & ſumma benevolentia proſequebatur, ſive ad utilitatem Eccleſiæ, cujus antiquam diſciplinam ſartam, tectam conſervare, atque etiam reſtaurare conatus eſt, ſive denique ad gloriam Dei, quam ſollicite toto vitæ ſuæ tempore ſtuduit promovere. Libri etiam plurimi quos Ipſe omnigena literatura refertos lucubravit, Altaria, Templa, Seminaria, Collegia, Monaſteria, & Xenodochia, quæ vel conſecravit, vel ornavit, vel a fundamentis erexit, Leges tandem, & Sanctiones aureis Eccleſiæ Seculis dignæ, quas in tot Conciliis Diæceſanis, & Provincialibus, ac potiſſimum in noviſſimo Romano promulgavit, locupletiſſima, & nullo unquam tempore intermoritura prædictorum omnium exhibent argumenta. Hoc unum Vobis enunciaſſe ſufficiat, quod Ipſe in tam ſublimi dignitate conſtitutus nihil de olim ſuſcepta religioſæ vitæ ratione immutaverat, ſic majeſtatem ſuam cum admirabili modeſtia ſocians, ut nec minimum quidem, quod in obſervantiſſimo viro religioſo expetendum ſit, illi deeſſe videretur.

Hoc undequaque abſolutum religioſæ vitæ exemplar, quod imitatione exprimeret, ſibi propoſuerat laudatus Eminentiſſimus: Piaculum enim exiſtimans, ab eo vivendi normam non accipere, a quo Cardinalitiam Dignitatem ſuſceperat, omnes mores ſuos ad tanti Pontificis modeſtiam, humilitatem, pietatem, ac humanitatem componere ſatagebat. Effulſerat quidem probitate morum, & doctrinæ præſtantia Vir iſte omni ſeculo commendabilis, dum primo Regens fuerat hujus noſtri Collegii Minervitani, poſtea Theologus Caſanatenſis, ſubinde Sacræ congregationis Indicis Secretarius, poſtremo totius Ordinis Magiſter Generalis: in obeundis namque hujuſmodi muneribus non modicam ſibi, Provinciæ ſuæ Aragoniæ, atque univerſo Ordini gloriam comparavit: verum virtutes ejus clarius tunc emicare cœperunt, cum ab eodem Benedicto XIII in eminentiori loco conſtitutæ ſunt: Sacro enim Cardinalium Collegio cooptatus, mirum eſt, quanto in pretio fuerit apud omnes, & quam merito ab omnibus amaretur. Honeſti rectique tenax, atque animum gerens a qualibet aſſentatione alieniſſimum, ſive in ferendis judiciis, ſive in tractandis gravioribus Sanctæ Sedis negociis, quanto polleret ingenio, dexteritate, & prudentia, quantoque arderet zelo juſtitiæ, non obſcuris indiciis comprobavit. Carus proinde & acceptiſſimus ſummis æque ac infimis ab omnibus uno ore commendabatur.

Interea dum ambos diutius victuros, prout in votis erat, pro certo pene haberemus, cum eorum infirmitas non tam gravis judicaretur, eoſdem una die præter omnium expectationem nobis ereptos deflere coacti ſumus. Siquidem Sanctiſſimus Pontifex Benedictus XIII die vigeſima prima labentis Menſis Februarii (quo die ſummo mane, licet viribus deſtitutus e lectulo invitis omnibus ſurrexerat, & raro pietatis ac Religionis exemplo flexis genibus, necnon detecto ultra horam capite Miſſam audiverat, ac inſuper ob ſingularem devotionem erga Sanctum Patriarcham Dominicum, cujus officium eadem die pro more noſtro recitabatur, ſacra communione refici voluerat) dum circa horam vigeſimam una cum Religioſo noſtri Ordinis divinum officium perſolveret, graviori morbo correptus, ac proinde extremæ unctionis Sacramento munitus, adſtantibus, orantibus, ac etiam flentibus ex noſtris Eminentiſſimo & Reverendiſſimo D. Fr. Carolo Vincentio Ferrerio, aliiſque pluribus Patribus, animam ſuam Omnipotenti Deo placidiſſime reddidit circa horam vigeſimam tertiam, anno ætatis ſuæ octuageſimo ſecundo.

Dum autem Nos adhuc profuſis lacrymis graviſſimam jacturam hanc lugeremus, novo luctu, novaque conſternatione completi fuimus: Nobis enim inexpectatus ſupervenit nuncius, quo accepimus, prælaudatum Eminentiſſimum Cardinalem Pipia, pridie quidem omnibus ſacramentis munitum, ſed medicorum judicio poſtea melius ſe habentem, circa horam tertiam noctis placido etiam fine quieviſſe, ætatis ſuæ anno ſexageſimo nono.

Duplici hoc acerbiſſimo vulnere ſauciatum, nihil ferme defuit, quod non conciderit cor noſtrum, voſque etiam pari dolore afflictum iri judicamus, quibus compertum eſt, quid & quantum in eorum morte amiſerimus. Verum Fratres in Chriſto dilectiſſimi, Divinam conſiderantes voluntatem, cui placitum eſt, eos nobis dare, ac eoſdem auferre, in illa debemus conquieſcere, hac potiſſimum cogitatione noſtrum levantes dolorem, illos idcirco ex hac vita fuiſſe a Deo evocatos, ut in Cœlo ipſis præmia conferat, quæ tot eximiis virtutibus ſibi promeruerunt: ſi tamen aliquid eis adhuc ſupereſſet piacularibus flammis eluendum, æquum eſt, ut ipſis, quibus nos tot titulis ſumus obſtricti, orationibus ac ſuffragiis æterna gaudia quantocius comparemus.

Quare tenore præſentium, noſtrique auctoritate officii præcipimus omnibus, & ſingulis Conventuum noſtrorum Superioribus, ut pro SS. D. N. Benedicto XIII, præter communes exequias, quæ ipſi tanquam Summo Pontifici ab univerſo Clero perſolvi debent, alias ſolemnes eidem, utpote Ordinis noſtri expreſſe profeſſo, cum Miſſa, & Officio defunctorum abſque ulla cunctatione perſolvant: idipſum etiam ſervari mandamus pro Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo D. Presbytero Cardinali Fr. Auguſtino Pipia: Pro utroque autem volumus fieri ſuffragia, quæ pro Magiſtro Ordinis per leges noſtras præſcripta ſunt, itaut per univerſum Ordinem quilibet Sacerdos pro unoquoque ipſorum tres Miſſas celebret, quilibet Clericus necnon quælibet Monialis Choro addicta Pſalterium, quilibet Laicus, & quælibet Monialis Converſa quinquaginta Pater noſter recitare teneatur. Ut autem juxta morem recolatur quotannis memoria ejuſdem Eminentiſſimi cum ſuffragiis conſuetis, mandamus ut in Martyrologio ſub die vigeſima prima Februarii hæc adſcribantur verba: Obitus Venerabilis Fratris Auguſtini Pipia ſexageſimi primi Magiſtri Ordinis, qui fuit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis.

Ceterum, Fratres cariſſimi, dum nil aliud audimus, quam gemitus morientium, nil aliud videmus, quam funera mortuorum, vigilate ne vos imparatos extremus dies inveniat. Recolite quod in Apocalypſi ſcriptum eſt. Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies, qua hora veniam ad te. Sic ergo vivite, ut ad mortem quotidie parati, ita faciatis omnia, ac ſi in veſperam vos victuros eſſe non ſperaretis. Valete, & Nos qui in mærore ſumus, & hoc graviſſimo damno plurimum angimur, ac

Apocal. cap. 3.

Chriſoſt. Serm. de Cruce.

So-

Socios noſtros orationibus veſtris commendatos habete, Datum Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die XXV Februarii MDCCXXX.

Fr. Thomas Ripoll Magiſter Ordinis.

Jacet in ſepulcro Fratrum Cœnobii S. Mariæ ſupra Minervam, ubi ſequens epitaphium.

D. O. M.
Fr. Auguſtino Pipia natione Sardo Ord. Præd.
S. Congr. Indicis Secret. Tot. Ord. Magiſtro Gen.
S. R. E. hujus Templi Tit. Presb. Card.
Et Auximanæ Eccleſiæ Antiſtiti,
Qui ea dimiſſa Romæ obiit
XXI Februar. MDCCXXX. Æt. Suæ LXIX,
Et in prox. Communi Fr. Sepulcro
Tumulari voluit,
Ne tanti viri in Theologica Scientia
Verſatiſſ., Religione, prudentia
Ceteriſque Virtutibus Præclari
Memoria periret,
Fr. hujus Conventus S. Dominici,
Majoricen, S. Martini
Arboren. Hæredes PP.

Anno 1728 Die 30 Aprilis.

F. Gregorius Selleri, S. Theologiæ Magiſter, Peruſini Conventus alumnus, ex Magiſtro S. Palatii Apoſtolici, S.R.E Cardinalis tituli S. Auguſtini, renunciatus eſt die XXX Aprilis MDCCXXVIII. Unus fuit ex illis ſeptem quos Summus Pontifex in pectore reſervaverat anno MDCCXXVI die IX Decembris, quo ſequens habita concio

Concio habita a Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIII Pont. Max. in Conſiſtorio ſecreto feria ſecunda die IX Decembris MDCCXXVI.

Venerabiles Fratres.

A*Ppropinquantibus communis lætitiæ diebus, quibus Nos, divini luminis inſtructi conſilio, octo Beatorum Nomina ſolemniter ad Dei Omnipotentis gloriam, Catholicæque Eccleſiæ exaltationem, Sanctorum Catalogo adſcribere conſtituimus, hodiernum diem, quo ſimul deficientem venerabilis Fraternitatum veſtrarum Collegii numerum compleremus, elegimus.*

Præmittimus interim non parva Nos ſollicitudine angi, quatenus per humile ſupremæ Apoſtolicæ auctoritatis exercitium, celeberrima ſuper Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium electione felicis recordationis Sixti V Prædeceſſoris noſtri, Conſtitutio (la quinquageſima) *ſuæ pro debito executioni mandetur.*

Hæc namque verba præcipua in ea leguntur, quæ hic duximus in Fraternitatum veſtrarum memoriam revocanda, videlicet: Inter hos ſeptuaginta Cardinales, præter egregios utriuſque juris, aut decretorum Doctores, non deſint aliquot inſignes viri in Sacra Theologia Magiſtri, præſertim ex Regularibus, & Mendicantium Ordinibus aſſumendi, ſaltem quatuor, non tamen pauciores: *exemplo Prædeceſſorum proculdubio ductus ſapientiſſimus Pontifex, quem præ ceteris, & Benedicti XI, & Pauli IV laudabilem praxim latuiſſe, non credimus.*

Paulus enim viros ſelectiſſimos duos Ordinis Minorum S. Franciſci de obſervantia, in divina facultate Doctores, poſt quos alii ad hæc uſque tempora creati, minime connumerantur, prægrandis hic licet ſit Ordo, magiſque inter Minoritas reliquos protendatur, aſſumpſit.

Et Benedictus, Noſtri Prædicatorum Ordinis, tres Sacræ Theologiæ Magiſtros in veſtrum ipſum Collegium, brevem infra octo menſium decurſum, cooptavit.

Exempla proinde, haud diſſimilia ultimis nec defuere temporibus. Poſt noſtram (heu quam immeritam, ac jugiter dolendam) ad Cardinalatum evectionem, tres adhuc alii noſtri Ordinis Cardinales nobiſcum digniſſime, noſtra ſane cum confuſione, floruere, unoque per mortem avulſo, alter non defuit vere aureus, ita ut ævo noſtro, dum Cardinalatus functi ſumus honore, Cardinales quatuor ex noſtro, Eccleſiæ quidem non inutili, Prædicatorum Ordine, nobis tantummodo infructuoſis, extitiſſe comprobetur.

Ad majorem ergo Dei gloriam, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ utilitatem, veſtrique Collegii decus, novem omnes Cardinales, qui ad præſens ſeptuagenario veſtro numero implendo deſunt, creare intendimus, ex quorum tamen numero duos duntaxat nunc evulgamus, videlicet.

Nicolaum Mariam Lercarium Archiepiſcopum Nazianzenum, noſtrum primum Miniſtrum, & a Secretis Status.

Patrem Laurentium Cozza Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia Sacræ Theologiæ profeſſorem, Terræ Sanctæ jam Cuſtodem, & in præſentiarum ejuſdem Ordinis Generalem Miniſtrum, cujus nedum conſummata virtus, & Religionis zelus perſpecta ſunt vobis, ſed & ipſummet commendant præclara novem volumina, ab eo in lucem edita, doctrina ſana, & omnigena eruditione conferta, & duorum pro eo poſtulant excelſa Sacræ ipſius Familiæ Beatorum merita, videlicet B. Jacobi, & B. Solani, quos inter Cælites in proxima Canonizatione, Deo adjuvante, referemus.

Re-

Reliquos vero ſeptem (inter iſtos, ne, memoratæ Bullæ occaſione, Regularium tantum Nos meminiſſe videamur) Prælatos aliquos, doctrina, & laboribus de Romana Curia benemeritos, recenſuimus, non ad carnem Nos, & ſanguinem, reſpicientes, quæ penitus ad profeſſæ noſtræ Dominicanæ Religionis ingreſſum, fuimus, Dei miſericordia, obliti, juxta Davidis effatum Pſalmo 44: oblivifcere Domum Patris tui: *(Ecce abominatio parentum -- commentat celeberrimus Hugo de Sancto Charo, primus inter quinque & quinquaginta Cardinales Ordinis Prædicatorum) Reliquos, inquimus, ſeptem, non libenter, ſed plane inviti, in pectore reſervamus, arbitrio noſtro ſucceſſive publicandos, cum vires Nobis, & media ſuppetent, illis pro debita ſtatus ratione providendi.*

Durum etenim Nobis ſemper accideret promovendorum conqueſtibus non cavere, quorum honorificentiæ conſultum volumus (quod jam promoti bene, ac ſapienter conſiderent, & Epiſcopari velint optaremus) ſi eorum boneſtæ ſimul, ac religioſæ ſuſtentationi pro poſſe non provideamus, quamvis alias (quod, & Nos experti ſumus in primo triennio noſtri Cardinalatus, antequam Epiſcoparemur, in deſuetudinem abiiſſe) Statutum videlicet in electione Pii Secundi, in Innocentii Octavi electione innovatum, ut ſcilicet Cardinalibus ſua proviſione carentibus, florenorum quatuor millia quotannis aſſignarentur, ad praxim Nos, etiam cum uſura revocare ſtuduerimus, dum floreni ipſi quatuor mille, prout realiter tunc valebant, ſolam quatuor mille ſcutorum ſummam æquiparabant, de præſenti vero, etſi tantummodo ſint ideales, nihilominus ad libram poſiti cum noſtri temporis moneta, ſcuta inveniuntur tercentum ſupra quinque mille.

Hæc ſunt, venerabiles Fratres, quæ vobis circa hodiernam Cardinalium creationem, ac eorum reſpective publicationem, & in pectore reſervationem, ſignificanda habuimus, ſuper quibus nil Nos profecto intendimus, niſi Dei gloriam, & Eccleſiæ, ac ſacri veſtri Cætus honorem.

Quid vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra creamus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteros Cardinales.

Nicolaum Mariam Lercarium Archiepiſcopum Nazianzenum.

Patrem Laurentium Cozza Generalem Miniſtrum ordinis Sancti Franciſci de Obſervantia, quem recentis noſtræ Conſtitutionis ſuper Habitu, & Tonſura Prælatorum Regularium editæ, memorem eſſe volumus, ipſique illius obſervantiam expreſſe injungimus.

Cum diſpenſationibus, derogationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis.

Alios ſeptem in pectore reſervamus, arbitrio noſtro quandocunque declarandos.

In Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus Sancti ✠ Amen.

Mortuus eſt anno MDCCXXIX die XXXI Maii hora IV. Hinc in ipſius epitaphio mortuus dicitur die XXX Maii De eo ſequens epiſtola.

In Dei filio ſibi dilectis R. R. Patribus, ac Fratribus Ordinis Prædicatorum Fr. Thomas Ripoll Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac ejuſdem totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

Salutem, pias lacrymas, & ſalutarem mortis recordationem.

INgentem dolorem, quem vos nobiſcum ſuſcepiſſe non dubitamus, ubi primum, vel ipſo rumore publico nunciante, Eminentiſſimum, ac Reverendiſſimum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Fratrem Gregorium Selleri deceſſiſſe audiviſtis, acerbius hodie renovare cogimur Fratres in Chriſto dilectiſſimi, dum hunc ipſum luctuoſiſſimum nuncium vobis per præſentes de more communicamus. Nec ſane parum Nobis dolendum eſt, quod talem ac tantum amiſerimus virum, qui ſuarum fulgore virtutum univerſum Ordinem noſtrum, quem profeſſus fuerat, feliciter illuſtrabat, quodque lucernam iſtam ſplendidiſſimam anno proxime præterito ſuper candelabrum, ut omnibus præluceret, collocatam, tam brevi tempore, & nimia profecto celeritate penitus extinctam ſuſpiciamus. Noviſtis vos, noverunt omnes, quibus ipſe dotibus ornabatur, qua pietate, qua doctrina, qua denique humanitate præfulgebat. Eximias has Religioſiſſimi viri dotes, quibus omnium animos, & corda in ſui amorem, ac venerationem rapiebat, ſatis ſuperque perſpectas, longoque experimento probatas habuit Sanctiſſimus D. felicis recordationis Clemens Papa XI, quamobrem iiſdem permotus illum, dum in hoc noſtro Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam Cathedratici Caſanatenſis munere ſumma cum laude fungebatur, Sacræ Congregationis Indicis Secretarium inſtituit. Dein vero Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum renunciavit, quodque majoris æſtimationis indicium eſt, eundem conſcientiæ Rectorem ſibi adſcivit, & uſque ad extremam vitæ ſuæ periodum habere voluit. In his omnibus, & quidem gravibus muneribus, quæ per plures annos laudabiliter exercuit, pulcherrima ſemper juſtitiæ, prudentiæ & dexteritatis præbuit argumenta, dignitatem cum modeſtia, benignitatem cum æquitate ita conjungens, ut ad omnem virtutis rationem efformatus videretur. Tot itaque meritis cumulatum, atque omnium ſermone celebratum SS. D. N. Benedictus XIII Ordinis noſtri, quem profitetur, amantiſſimus, ſacro Cardinalium Collegio cooptavit, ut ſcilicet virtutes ejus in eminentiori loco conſtitutæ clarius eniterent: Verum invida mors Nobis eum ſtatim eripuit, & quidem, dum plures adhuc annos victurum, prout in votis erat, pro certo pene haberemus. Nondum ſiquidem expleto anno, ex quo palam evulgatus, & declaratus fuerat Cardinalis, gravi morbo correptus eodemque per duos integros menſes vexatus, perceptis Eccleſiæ Sacramentis, tota mærente Urbe, animam Deo reddidit die trigeſima Maii proxime elapſi, annos natus ſeptuaginta quatuor, menſes decem, dies decem, & novem.

Graviſſimam hanc noſtri Ordinis jacturam impenſiſſime deflendam eſſe nemo non agnoſcit, Fratres dilectiſſimi. Verum quia juxta monitum Apoſtoli, non debemus contriſtari de dormientibus ſicut, & ceteri qui ſpem non habent, ea conſideratione mæror noſter levandus eſt, qua Cœlo donatum eſſe ſperemus. Id profecto ſpe-

ſperare nos jubet defuncti Cardinalis pietas, ac morum integritas, quam nulla feræ poſteritatis extinguet oblivio, jubet mira ejus conſtantia, qua tanta morbi acerbitate, & diuturnitate afflictus ſerena fronte mortem adſpexit, jubet denique heroicus illius rerum omnium humanarum contemptus, quem jam morti proximus Nobis explicuit, dum verba illa Job ſæpius repetens, Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar. profeſſionis ſuæ non immemor, quidquid domeſticæ ſupellectilis reliquum eſſe poſſet, totum arbitrio noſtro diſponendum commiſit.

Quamvis autem fiduciam hanc maximam nobis faciant tot egregiæ virtutes, quas ipſe dum viveret, diligenter excolere non prætermiſit, nihilominus ſi qua adhucupereſſet macula piacularibus flammis eluenda, æquum eſt, ut ſuffragiis noſtris eidem æterna gaudia quantocius comparemus.

Quare tenore præſentium, noſtrique auctoritate officii præcipimus omnibus, & ſingulis Conventuum noſtrorum Superioribus, ut pro Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo D. Presbytero Cardinali Fr. Gregorio Selleri ſolemnes exequias cum Miſſa, & Officio Defunctorum abſque cunctatione perſolvant.

Ac inſuper mandamus, ut per univerſum Ordinem quilibet Sacerdos pro ejuſdem anima unam miſſam celebrare, ceteri vero Fratres unam partem Roſarii recitare teneantur, quod ipſum omnibus Monialibus curæ noſtræ ſubjectis injungimus.

Ceterum Fratres cariſſimi, dum pro laudato Eminentiſſimo preces effunditis, vota etiam plurima pro incolumitate Sanctiſſimi Domini Noſtri Benedicti XIII Omnipotenti Deo nuncupate, conſiderantes autem quod nihil eſt in rebus humanis firmum, ac durabile, quodque natura eorum fumo in aerem evaneſcente fugacior eſt, atque umbra prætereunte inanior, ut ait Chryſoſtomus, quæ ſurſum ſunt quærite, quæ ſurſum ſunt ſapite, expectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei. Valete noſtri, ac Sociorum noſtrorum in veſtris orationibus memores. Datum Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die X Junii MDCCXXIX.

Fr. Thomas Ripoll
Magiſter Ordinis.

Sepultus eſt in choro cœnobii S. Mariæ ſupra Minervam, ubi hoc epitaphium.

D. O. M.
Fr. Gregorii Selleri Peruſini Ord. Præd.
Caſanatenſis Cathedratici
Sac. Congreg. Indicis Secretarii
Palatii Apoſtolici Magiſtri
Clementi XI a Confeſſionibus
Innocentio XIII acceptiſſimi,
Benedicto XIII
Ejuſdem Ordinis promovente,
Tit. S. Auguſtini Presbyteri Cardinalis,
Moribus & Doctrina ſpectabilis,
Cineribus
Reſurrectionem futuram juſtorum
Expectantibus,
Patres Conventus S. Dominici de Peruſio
Mœrentes & grati PP.
Vixit annos LXXIV Menſes X. Dies XIX.
Obiit XXX Maii MDCCXXIX.

Anno 1728 Die 30 Aprilis.

F. Vincentius Ludovicus Gotti, Bononienſis. & ejuſdem Civitatis Conventus alumnus S. Theologiæ Magiſter, Patriarcha Jeroſolymitanus, ut in hac *Appendice* dicetur, S. R. E. Cardinalis renunciatus eſt die XXX Aprilis MDCCXXVIII. Bononiæ tunc degens, ubi Romam venit, pileo donatus fuit eodem anno die X Junii, & ejuſdem menſis die XIV titulo S Pancratii fuit inſignitus. Vivit decus illud Eccleſiæ, cui diu, noctuque ſervit, &, qua eſt eruditione, rempublicam literariam variis operibus ornare pergit.

Anno 1729 Die 6 Julii.

F. Vincentius Ferrero, patricius Nicienſis, & ejuſdem Civitatis Conventus alumnus, S. Theologiæ Magiſter, Epiſcopus Alexandrinus, ut ex hac *Appendice* videre eſt, S. R. E. Cardinalis creatus fuit anno MDCCXXIX die VI Julii. Romam ſe contulit die XIII Decembris ejuſdem anni, & eodem menſe, die XXII pileo donatus eſt. Titulo S. Mariæ in Via fuit inſignitus die ſequenti XXIII Decembris. Hujuſce vero Tituli poſſeſſionem iniit anno MDCCXXX die XXX Julii. Quibus Eccleſiis præfuerit, in hac *Appendice* dicetur. De eo ſequens Oratio:

Concio a Sanctiſſimo Patre, & Domino Noſtro Benedicto divina providentia Papa XIII habita in Conſiſtorio ſecreto feria quarta VI Julii MDCCXXIX.

VEnerabiles Fratres. Feſtiva recurrit dies octava Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, apud quorum venerabile ſepulchrum, immerito licet, divina nos patientia ſedere voluit. Solemnitatem idcirco ipſum, quam propria univerſæ noſtræ Urbis exultatione venerati ſumus, nova, ac ſpeciali hodie, ſub eorundem

Sanc-

Sanctorum Apoſtolici Senatus Principum patrocinio, Collegii veſtri lætitia, ac plauſu concludendam fore confidimus, dum ad Omnipotentis Dei gloriam, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ honorem, duos hac ipſa die, ex tribus, qui veſtro eidem Collegio deſunt, Cardinales creare intendimus, videlicet

Venerabilem Fratrem Franciſcum Archiepiſcopum Trajanopolitanum, Sacri noſtri Palatii Præfectum: &

Venerabilem Fratrem Vincentium Ferrerium noſtri Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſtrum, & in publicis Univerſitatibus per plures annos Artium, ac Sacræ Doctrinæ Lectorem laudatiſſimum, Epiſcopum modo Alexandrinum. Cum enim alias in Conſiſtorio noſtro Secreto die IX Decembris MDCCXXVI tres, ac quatuor etiam, noſtri ejuſdem Ordinis Cardinales, uno eodemque tempore, & tunc pariter dum Nos Cardinalatus honore fruebamur, in Romana Eccleſia extitiſſe retulerimus, haud mirum idcirco ſit, uno ſi e vivis nuper avulſo (duo namque feliciſſime florent) laudandæ ſcilicet memoriæ Cardinali Selleri, tertium mox ſubſtituere cogitemus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Dei Omnipotentis, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, creamus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteros Cardinales,

Venerabilem Fratrem Franciſcum Archiepiſcopum Trajanopolitanum: &

Venerabilem Fratrem Vincentium Ferrerium, noſtri Ordinis Prædicatorum, Epiſcopum Alexandrinum.

Cum derogationibus, diſpenſationibus, & clauſulis neceſſariis, & opportunis.

In Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus Sancti ✠ Amen.

PATRIARCHA:

F. Vincentius Ludovicus Gotti, de quo mox dictum fuit, Patriarcha Jeroſolymitanus. Anno 1728 Die 29 Aprilis.

ARCHIEPISCOPI.

F. Vincentius Maria de Aragonia, ex Ducibus Aleſſanen. S. Theologiæ Magiſter, Archiepiſcopus Conſentinus, in Calabria, renunciatus die XXIII Julii MDCCXXV: ejuſdem menſis die XXV a Summo Pontifice Benedicto XIII. Conſecratus fuit in Sacello Paulino Apoſtolici Palatii Quirinalis. Anno 1725 Die 23 Julii.

F. Nicolaus Maria Franchi, patricius Genuenſis, ejuſdem Civitatis Cœnobii S. Mariæ de Caſtello alumnus, S. Theologiæ Magiſter Archiepiſcopus Genuenſis, in Liguria, deſignatus die I Julii a Summo Pontifice conſecratus eſt in ædibus ſacris Conventus S. Mariæ ſupra Minervam. Anno 1726 Die 1 Julii.

F. Vincentius Maria Mazzoleni, S. Theologiæ Magiſter, Archiepiſcopus Corcyren., *Corfu*, in ejuſdem nominis Inſula, ditionis Venetæ. Bergomi natus anno MDCLXVII, luſtrali nomine Johannes Franciſcus dictus fuit. Anno MDCLXXXIII in numerum Fratrum Conventus S. Dominici Venetiis adſcriptus eſt. Parmæ primum, mox Bononiæ Philoſophiam profeſſus, Brixiæ, ac Venetiis Theologiam docuit; Doctoris laurea poſtea donatus. Inquiſitoris munus variis in locis præclare geſſit, Venetiis ſcilicet ab anno MDCCIV ad MDCCX: Parmæ ab anno MDCCX ad MDCCXVIII: Bononiæ tandem ab anno MDCCXVIII ad MDCCXXVII, quo Corcyrenſis Archiepiſcopus renunciatus fuit die XXVI Novembris. Die vero VII Decembris quæ Dominica Secunda Adventus fuit, a Summo Pontifice conſecratus eſt in Vaticano Sacello S. Pii. Ibidemque eadem die Pallio fuit inſignitus, & inter Epiſcopos Aſſiſtentes annumeratus. Ad *Parentinam* Sedem translatus eſt ut in ſequenti *Appendice* dicetur. Anno 1727 Die 26 Novembris.

F. Joſephus Maria Puſitanus, ex Archiepiſcopo *Acheruntino* & *Materano*, ut in *Appendice ad Pontificatum Innocentii XIII* dictum fuit, Archiepiſcopus Salernitanus, *Salerno*, in Regno Neapolitano. Anno 1729.

EPISCOPI.

F. Antonius Seraphinus Camarda, Siculus, patria Meſſanen., S. Theologiæ Magiſter Epiſcopus Reatinus, *Rieti*, in Italia, immediate ſub S. Sede. Examen ſubiit die X Junii MDCCXXIV, die XI Epiſcopus renunciatus eſt, die tandem ejuſdem menſis XXIV a Summo Pontifice conſecratus fuit in Vaticano Sacello S. Pii. Anno 1724 Die 11 Junii.

F. Jacobus Maria Erizzo, Venetus, S. Theologiæ Magiſter, Epiſcopus Concordien., *Concordia*, urbs eſt Carnorum, ſub Aquilejenſi Patriarcha. Epiſcopus jam deſignatus Romam venit anno MDCCXXIV die XIII Martii. Examen ſubiit die XXIII Junii: ejuſdem menſis die XXVI Epiſcopus renunciatus fuit: die II Julii a Summo Pontifice conſecratus eſt in ædibus ſacris S. Ignatii. Die tandem XV Auguſti inter Epiſcopos Aſſiſtentes annumeratus fuit. Anno 1724 Die 26 Junii.

Anno 1724 Die 20 Decembris. F. Auguſtinus Pipia S. R. E Cardinalis, ut in hac *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Auximanus, *Oſimo*, in Piceno, immediate ſub S. Sede. Epiſcopus renunciatus die XX Decembris MDCCXXIV, a Summo Pontifice conſecratus eſt pridie Kalendas Januarii MDCCXXV in hoſpitum Sacello Conventus S. Mariæ ſupra Minervam: in cujus atrio leguntur hæc verba:

BENEDICTUS XIII P. M.
Ordinis Prædicatorum
Fr. Auguſtinum Pipia
Magiſtrum Generalem Ord. Præd.
XIII Kal. Januarii MDCCXXIV
Eccleſiæ Auximanæ Antiſtitem
Deſignatum
Atque inter S. R. E. Cardinales
Cooptatum
Pridie Kal. Januarii Anni Jubilæi
Hoc in Sacello
Fr. Hyacintho Chiurlia Juvenatii
Fr. Cæſare Franciſco Lucino Gravinæ
Ex eodem Ordine Epiſcopis Aſſiſtentibus
Conſecravit.

Extat in eodem atrio tabella in qua depicta Conſecratio. In ima parte leguntur hæc verba.

Hoſpes vicino fuerunt quæ geſta Sacello
Apprime ſignant hinc lapis, hic tabula.

Nota quod in Diario Romano, auctore Chracas, Epiſcopus iſte conſecratus dicitur die VII Januarii MDCCXXV.

Anno 1725 Die 17 Aprilis. F. Vincentius Ferrerius, Neapolitanus, Epiſcopus Gravinen., in Apulia, ſub Archiepiſcopo Acheruntino, & Materano. Ad Eccleſiam *Lucerinam* translatus eſt, ut in hac *Appendice* dicetur.

Anno 1725 Die 11 Junii. F. Victorius Mazzocca, Venetus, S. Theologiæ Magiſter, Epiſcopus Æmonien., ſeu Civitatis novæ, *Città nuova*, in Iſtria. Quod Archiepiſcopus Corcyren. deſignatus fuerit, liquet ex hac epiſtola.

Ad. R. P. S.

N*Uncium agere cogimur nobis ſane, ac univerſæ Provinciæ indubie moleſtum in obitu Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. D. F. Victorii Mazzocca hujus Conventus S. Dominici Venetiarum alumni, olim ejuſdem Provinciæ benemeriti Magiſtri, poſtremo Æmonienſis Epiſcopi, ac Paſtoris vigilantiſſimi, cujus extremum fatum nunciare, etſi doleat, caritas urget tamen. Etenim ſi egregium; atque numeris omnibus abſolutiſſimum quem amiſimus, Virum ſpectemus, ſi ejuſdem tum animi, tum corporis eximias dotes percurramus, cordis nempe candorem, mentis elevationem, morum probitatem, indolis ſuavitatem, in rebus agendis dexteritatem, in proſperis & adverſis æquanimitatem, ſi inſignia, quæ nobis ſuorum meritorum reliquit, monumenta evolvamus, cathedras nempe, quas in ſelectiſſimis Provinciæ ſtudiis, præcipuæ in Archigymnaſio Bononienſi, & Romæ in Collegio Caſanatenſi ſapientiſſime rexit, Præfecturas celebriorum Conventuum, præcipue Bononienſis, quas non ſemel prudentiſſime adminiſtravit, Provinciæ noſtræ utriuſque Lombardiæ rerum ſummam ſibi commiſſam, tum primum in ſocii munere, tum denique in Prioris Provincialis, ac Definitoris Generalis onere, cui rectiſſime æque, ac ſanctiſſime morem geſſit, ſi tandem memoriæ noſtræ recurrat amor, benevolentia, quibus a felicis recordationis Benedicto XIII ſummopere afficiebatur, adeout tanti eum faceret, atque ita virum boni teſtimonii eundem haberet, ut ab ipſo antiquæ Æmonienſis Eccleſiæ, quæ primum eodem Pontifice in hocce Sereniſſimo Venetorum dominio providendam ſeſe exhibuit, fuerit Epiſcopus renunciatus & ſubinde ad Archiepiſcopatum Corcyrenſem electus, quem tamen humillime recuſavit, unde non modica incrementa honoris huic noſtro Conventui obvenerant, cui gratulandum puto cum Caſſiodoro, quod in ipſo* laudabilis *Epiſcoporum* vena ſuam ſervet originem, & fideliter poſteris tradat, quæ in ſe glorioſa tranſmiſſione promeruit. *Si omnia hæc recenſita, uti referre licuit, ſuarum virtutum geſta, ceteris non inferioris notæ poſthabitis, (quamquam in humanis, quibus vivimus rebus, veluti in imagine pertranſeant, & nonniſi prætereuntem hujuſce mundi figuram præſeferant) perpendamus, juſte nobis dolendum eſt ſuper eorum felici recordatione, atque narratione, cum meminerimus habuiſſe, & narramus amiſiſſe, ceterum etſi doleat, pigeatque narrare, urgente caritate, ut narremus neceſſe eſt. Itaque Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus, cum ſub initium elapſi Autumni apud nos de moleſta, qua excruciabatur, infirmitate, convaluiſſet, ex induſtria, ac provida natura ultro apertis in utraque tibia fonticulis, quibus impurum, ac veneficum ſuccum egrediebatur, effluebatque, ad gregem ſuum inviſendum, paſcendumque, ut ſemper in ejus votis, & curis erat, ire conſtituit. At Paſtor bonus ab ovibus ſuis lætanter receptus, pro illis dedit animam ſuam, ſiquidem cum ad inclementem oram quaſi inhoſpitæ illius regionis perveniſſet, e veſtigio morbus, qui videbatur*

an-

anteacta ceſſiſſe, fortior erupit, totumque corpus interius exteriuſque pervaſit. Hinc variis languoribus excruciatus, variiſque ſyntomatibus exagitatus, jamdudum vitiato ſanguine ex virulento eidem permixto ſucco, cui repente effluendæ clauſæ ſunt viæ, veritus tamen ne metu ingruentis infirmitatis dimitteret oves, intrepidus in agone ſubſtitit, & fere ſex menſium ſpatio, adverſus morbum in dies ingraveſcentem viriliter eſt colluctatus. Verumtamen cum cerneret ſe viribus paulatim deſtitui, ac diſſolutionem ſui corporis jam imminere, recurrente ſolemnitate Paſchali ad noſtra reverſus, ſtatim decubuit. Nec ſaluberrimus nativæ originis aer, nec ſolertior, ac peritior Medicorum cura, nec diligentior ſervitutis noſtræ vigilantia opem conferre potuit, quin prævalente inſanabili, quo erat deſtitutus, cachetico morbo, in Dei manibus ſortes ſuas reponens, ſacroſanctis Sacramentis Eccleſiæ devote ſuſceptis, ac invocatis ſæpius in anguſtiis, & doloribus mortis dulciſſimi Jeſu, & Mariæ nominibus, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſexto, Epiſcopatus vero ſeptimo, die XIV currentis Maii, quæ fuit XXIX ſui decubitus, placidiſſime obdormierit in Domino. Caritate igitur fraterna compulſi, mœroris, & luctus noſtri inſigne hoc argumentum ægre nunciare coacti ſumus ut exinde caritatis tuæ, Fratrumque tuorum ſuffragiis, vir de hoc noſtro Conventu, ac de univerſa Provincia benemeritus, incunctanter adjutus, quam citius, expiato humanæ fragilitatis piaculo, in cœleſtem civium Sanctorum Patriam recipiatur, ad quam læti ſperamus fuiſſe cum Apoſtolo peregrinatum a Domino. Vale.

Datum Venetiis in noſtro Ducali Conventu Sancti Dominici XVI Kalendas Junias Anno MDCCXXXII.

Addictiſſimus in Domino Servus

Prior.

F. Stephanus Mac Egan, S. Theologiæ Magiſter, Prior Provincialis Hiberniæ, Epiſcopus Septem Eccleſiarum, — Anno 1725 Die 29 Septembris.

A Summo Pontifice conſecratus eſt die XXIX Septembris MDCCXXV in ſacello Apoſtolici Palatii Quirinalis, Aſſiſtentibus F. Vincentio Maria de Aragonia Archiepiſcopo Conſentino, & F. Hyacinto Chiurlia Epiſcopo Juvenatii.

Idem translatus eſt ad Eccleſiam Fernenſem, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Dublinien. Madenſis etiam Eccleſia ipſius curæ Commiſſa eſt, ut in hac *Appendice* dicetur. — Anno ....

F. Dominicus O Daly, S. Theologiæ Magiſter, Epiſcopus Achadenſis, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Thuamenſi. Ab Exc. Nuncio Apoſtolico Bruxellenſi conſecratus eſt anno MDCCXXVI die XXX Novembris. — Anno 1725.

F. Dominicus Thomas Willams, S. Theologiæ Magiſter, Prior Provincialis Angliæ, Epiſcopus Tiberiopolitan., in Phrygia magna, ſub Hierapolitana Metropoli. A Summo Pontifice conſecratus fuit die XXX Decembris MDCCXXV, & Vicarius Apoſtolicus in Provincias Boreales Angliæ miſſus. — Anno 1725 Die 30 Decembris.

F. Franciſcus Laſſo de la Vega, ex Epiſcopo *Septenſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis XI dictum fuit pag.* 520., Epiſcopus Placentinus, in Hiſpania. — Anno ....

F. Cherubinus Thomas Nobilione, patricius Surrentinus, S. Theologiæ Magiſter. Epiſcopus Abellinus, *Avellino* & Frequentin., *Frigenti*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. Anno MDCLXVIII die XXII Octobris Surrenti nobili ſtirpe natus, patre Andrea Nobilione, matre Anna Serjale, luſtrali nomine Michael vocatus fuit. Alumnus eſt Surrentini Conventus S. Vincentii. Variis Cœnobiis per annos XXIV præfuit. Inter Prædicatores Generales primo recenſitus, S Theologiæ Magiſter poſtea renunciatus eſt. Epiſcopus Abellinus, & Frequentinus creatus anno MDCCXXVI die XXVII Julii, die XX Auguſti a Summo Pontifice conſecratus fuit in Paulino Sacello Palatii Quirinalis, Epiſcopis Aſſiſtentibus Franciſco Antonio Finy Damaſceno, & Hyacintho Chiurlia Juvenatii Præſulibus. — Anno 1726 Die 27 Julii.

IDem ad Eccleſiam Andrienſem, *Andria*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Tranenſi, translatus eſt eodem anno MDCCXXVI die IX Decembris. — Anno 1726 Die 9 Decembris.

F. Johannes Baptiſta Lomellini, Pedemontanus, S. Theologiæ Magiſter, generis nobilitate clarus, Epiſcopus Algarenſis, *Algher*, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Turritano. Cœnobio S. Mariæ ſupra Minervam, cujus erat alumnus, præerat, cum renunciatus eſt Epiſcopus Anno MDCCXXVI die XVI Decembris. Kalendis Januariis anno MDCCXXVII a Summo Pontifice conſecratus fuit in Vaticano Sacello S. Pii. Ad Eccleſiam *Salutienſem* translatus eſt, ut in hac *Appendice* dicetur. — Anno 1726 Die 16 Decembris.

F. Tho-

Anno 1727 Die 17 Martii. F. Thomas a Valle, S. Theologiæ Magiſter, alumnus Provinciæ Bæticæ, Epiſcopus Septenſis, *Ceutæ* in Africa. Ad Gaditanam Sedem tranſlatus fuit, ut in ſequenti *Appendice* dicetur.

Anno 1727 Die 17 Martii. F. Nicolaus Cani, S. Theologiæ Magiſter, Alumnus Provinciæ Sardiniæ, Epiſcopus Boſanen.; *Boſa*, aliis *Boſſa*, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Turritano.

Anno 1727 Die 30 Julii. F. Vincentius Ferrero, S. R. E. nunç Cardinalis, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Alexandrinus, *Aleſſandria*, in Ducatu Mediolanenſi, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. Die XXX Julii MDCCXXVII renunciatus Epiſcopus, die IV Auguſti a Summo Pontifice conſecratus eſt in Ædibus ſacris S. Clementis. Ad Eccleſiam *Vercellenſem* tranſlatus fuit.

Anno 1728 Die 8 Martii. F. Petrus de Ayala, S. Theologiæ Magiſter, Epiſcopus Abulenſis, *Avila*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano.

Anno 1728 Die 12 Aprilis. F. Ferdinandus Auguſtinus Bernabei, S. Theologię Magiſter Epiſcopus Aculenſis, aliis Aquulenſis, Aquæpendentis, & Aquipendii, *Acquapendente*, in Hetruria ditionis Pontificiæ, immediate ſub S. Sede. Anno MDCLXXXV die XXI Martii nobili loco natus Anconæ, nomen habuit Bernardinus Dominicus Pius. Tertiodecimo ætatis anno Romæ ſacras Ordinis veſtes induit in Cœnobio S. Mariæ ſupra Minervam cujus alumnus fuit. Annis natus XVI, expleto tyrocinio vota ſolemnia nuncupavit in Florentino Cœnobio S. Mariæ Novellæ. Inde Salmanticam miſſus ibidem per ſex annos in Philoſophiæ, Theologiæque ſtudio verſatus eſt. Hinc Neapolim venit, ubi Philoſophiam. ac Theologiam profeſſus eſt annis duodecim. S. Theologiæ Doctoris laurea donatus, Romano Collegio S. Mariæ ſupra Minervam præfuit ab Anno MDCCXIX ad MDCCXXI. Caſanatenſis Cathedraticus electus fuit anno MDCCXXIV. Epiſcopus deſignatus anno MDCCXXVIII die XXIV Februarii, examen ſubiit die V Martii. Die XII Aprilis Epiſcopus renunciatus, ab Eminentiſſimo Cardinale Pipia die XVIII ejuſdem menſis conſecratus eſt in ædibus ſacris Conventus S. Mariæ ſupra Minervam. Auximanam Eccleſiam poſtea rexit, ut ex hac *Appendice* videre eſt.

Anno 1728 Die 10 Maii. F. Petrus Hieronymus Caravadoſſi, S. Theologiæ Magiſter, Epiſcopus Caſalenſis, in Monteferrato; ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. Niceæ natus eſt anno MDCLXXVII die XXVIII Julii. Ordini nomen dedit in Brixienſi Cœnobio S. Dominici anno MDCXCV die III Maii. Exacto tyrocinio, inter alumnos Conventus Nicienſis adſcriptus, Brixiæ vota ſolemnia nuncupavit. Literis operam dedit Parmæ primum, tum Bononiæ, Brixię, Bononięque Philoſophiam profeſſus, Theologiam docuit Veronæ, Faventiæ, Bononiæ, & in Taurinenſi Univerſitate. Epiſcopus renunciatus Anno MDCCXXVIII die X Maii, ejuſdem menſis die XVIII a Summo Pontifice conſecratus eſt in ædibus ſacris Cœnobii S. Mariæ ſupra Minervam.

Anno 1728 Die 20 Septembris. F. Raymundus Pecchioli, S Theologiæ Magiſter, Epiſcopus Burgi S. Sepulchri, *Borgo San Sepolcro*, in Italia, ſub Archiepiſcopo Florentino. Romanæ Provinciæ, cujus eſt alumnus, præfuerat, & Conventus S. Mariæ ſupra Minervam Prior erat cum renunciatus fuit Epiſcopus Anno MDCCXXVIII die XX Septembris. Ejuſdem menſis die XXVI a Summo Pontifice conſecratus eſt in Vaticano Sacello S. Pii.

Anno 1728 Die 12 Decembris. F. Michael Mac Donogh, S. Theologiæ Magiſter, alumnus Provinciæ Hiberniæ, Epiſcopus Kilmorenſis, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Armachano. A Summo Pontifice conſecratus eſt die XII Decembris MDCCXXVIII. Sereniſſimo Principi Walliæ a confeſſionibus fuit.

Anno 1729. F. Stephanus Mac Egam, ex Epiſccopo *Fernenſi*, ut ex hac *Appendice* videre eſt, Epiſcopus ſeptem Eccleſiarum (huic Eccleſiæ jam præfuerat) & Medenſis, *Methe*, in Hibernia ſub Archiepiſcopo Armachano.

Anno 1729 Die 17 Auguſti. F. Johannes Baptiſta Lomellini, ex Epiſcopo *Algarenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Salutienſis, *Saluzzo*, in Pedemontio, immediate ſub S. Sede. Obiit anno MDCCXXXIII.

Anno 1729 Die 7 Septembris. F. Johannes Chryſoſtomus Calvi ex Epiſcopo *Cephalonenſi*, & *Zacynthi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis XI pag.521 hujuſce Voluminis* dictum fuit, Epiſcopus Feretranus, ſeu Leopolitanus, in Italia, ſub Archiepiſcopo Urbinaten.

F. Jo-

F. Johannes Grillet S. Theologiæ Magiſter, Epiſcopus Auguſtæ Prætoriæ *Aſta*, in Pedemontio, ſub Archiepiſcopo Tarantaſien. Monmeliani, in Sabaudia, natus anno MDCLXVI die XXIV Octobris, in ejuſdem civitatis Cœnobio ſacras Ordinis veſtes induit ætatis anno XVIII. Emenſis ſtudiorum curriculis in Univerſitate Pariſienſi, ibidem Doctoris gradu cohoneſtatus fuit die II Julii MDCCII. Variis Cœnobiis præfuit: ac vices Provincialis gerens, nationi Sabaudiæ ſemel & iterum jus dixit ab anno ſcilicet MDCCV ad MDCCIX, & ab anno MDCCXXII ad MDCCXXVI. Die XII Junii MDCCXXIX Epiſcopus deſignatus, Præſul renunciatus eſt die III Octobris, & ejuſdem menſis die IX a Summo Pontifice conſecratus fuit in ædibus ſacris Conventus Montis Marii. Obiit anno MDCCXXX. — Anno 1729 Die 3 Octobris.

F. Vincentius Ferrero, S. R. E. Cardinalis, ex Epiſcopo *Alexandrino*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Vercellenſis, *Vercelli*, in Pedemontio, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. — Anno 1729 Die 23 Decembris.

F. Ferdinandus Auguſtinus Bernabei, ex Epiſcopo *Aculenſi*, ut ex hac *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Auximanus, *Oſimo*, in Piceno, immediate ſub S. Sede. Obiit hoc anno MDCCXXXIV. — Anno 1729 Die 23 Decembris.

F. Vincentius Ferrerius, ex Epiſcopo *Gravinenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Lucerinus, *Lucera de' Pagani*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. — Anno 1730 Die 8 Februarii.

F. Petrus Martyr Sans, alumnus Provinciæ Aragoniæ, Epiſcopus . . . ., Vicarius Apoſtolicus in Imperio Sinenſi. — Anno ......

CLEMENS XII.

Laurentius Corſinus, Florentinus. Electus eſt die XII Julii MDCCXXX. Coronatus fuit ejuſdem menſis die XVI. Feliciter regnat.

Anno 1730 Die 22 Decembris.

I.

Indulgentia pro Miſſionibus (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. XII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CÆleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſatores eſſe nos voluit Altiſſimus libenter erogamus, cum ad Religionis incrementum, & animarum ſalutem profuturum ſperamus; Cum itaque ſicut accepimus, nonnulli Fratres Ordinis Predicatorum de Ordinariorum locorum, & Superiorum licentia in diverſas Chriſtianę Reipublicę Provincias ad procurandam fidelium ſalutem mitti ſoleant: Nos eorundem Fratrum pietatem, omniumque, ad quos illi mittentur devotionem confovere, atque augere cupientes: Omnibus, & ſingulis Fratribus prędictis, ac aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ad quos mittendi acceſſerint, noſtram, & Apoſtolicam Benedictionem per pręſentes impartimur, eiſdemque vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui pro S. Romanę Eccleſię exaltatione, Principum Chriſtianorum unione, Infidelium converſione, hęreſum extirpatione, prout unicuique ſuggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, una vice tempore dictę Miſſionis Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus ad ſeptennium, quoad Indias vero ad quindecim annos tantum valituris: Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, preſentes nullę ſint, utque earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII Decembris MDCCXXX Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

1. *Miſſionibus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ MDCCXXXI.*

Anno 1730 Die 22 Decembris.

II.

Indulgentia pro Feſto S. P. Dominici in Suriano.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CLEMENS PP. XII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam Fidelium Religionem, & Animarum ſalutem, cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, ac ſupplicationibus dilecti filii Thomę Ripoll Ordinis Prędicatorum Magiſtri Generalis nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inlinati; omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis tam Fratrum, quam Monialium dicti Ordinis ubicunque exiſtentibus die decima quinta menſis Septembris a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis diei hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus ad ſeptennium tantum valituris: Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint, utque earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII Decembris MDCCXXX, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica, typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſa *MDCCXXXI.*

In-

Indulgentia Roſarium (1) hora ſibi aſſignata recitantibus conceſſa.

Anno 1730 Die 22 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

III.

C L E M E N S PP. XII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem; & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium Religionem, & Animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, omnibus, & utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui hora ſibi aſſignata Roſarium Beatę Marię Virginis devote recitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam ſemel in anno duntaxat omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, quam quidem Indulgentiam, & peccatorum remiſſionem pro animabus Chriſti fidelium, quę Deo in caritate conjunctę ab hac luce migraverint, per modum Suffragii applicari poſſe, indulgemus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque; Pręſentibus ad ſeptennium, quoad Indias vero ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint, utque earundem pręſentium tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII Decembris MDCCXXX, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

1. *Roſarium.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica typis R. C. Apoſtolicæ *Romæ* impreſſa anno *MDCCXXXI.*

Indulgentia Fratribus, & Sororibus piis quadraginta dierum exercitiis vacantibus.

Anno 1730 Die 22 Decembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

IV.

C L E M E N S PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Thomas Ripoll Magiſter Generalis Ordinis Pręadicatorum; quod in multis Conventibus, & Monaſteriis dicti Ordinis conſuetum eſt, ut tam Fratres, quam Moniales eorundem Conventuum, & Monaſteriorum quotannis in aliquod cubiculum ſibi a Superioribus aſſignatum ſecedant ubi per quadraginta dies diverſis exercitiis Spiritualibus alternative, nempe, orationibus, mortificationibus, corporis flagellationibus, ſeu diſciplinis, & aliis in memoriam quadraginta dierum, quibus Dominus Noſter Jeſus Chriſtus in deſerto fuit magna cum devotione, & ſilentio vacant; Nos igitur devotionem hujuſmodi cęleſtibus Eccleſię theſauris diſpoſitioni noſtrę a Domino commiſſis confovere volentes, ac ſupplicationibus ejuſdem Thomę Magiſtris Generalis nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; omnibus, & ſingulis tam Fratribus, quam Monialibus dicti Ordinis, qui per dictos quadraginta dies piis hujuſmodi exercitiis ſemel quotannis operam dederint, qua vice id egerint, eaſdem Indulgentias peccatorum remiſſiones, ac pęnitentiarum relaxationes, quas felicis recordationis Paulus PP. V prędeceſſor noſter Fratribus, & Monialibus prędictis, & aliorum Ordinum, qui decem per ſpatium dierum ſpiritualibus exercitiis incumbunt, conceſſit, Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium miſericorditer in Domino concedimus; Non obſtantibus noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę regula de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque; Pręſentibus ad ſeptennium tantum valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint, quodque pręſentium tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXII Decembris MDCCXXX, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſa anno *MDCCXXXI.*

Anno 1731
Die 2 Maii.

V.

De Congregatione S. Sabinæ.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CLEMENS PP. XII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ROmanus Pontifex ad Sacrarum Religionum, & Congregationum ſalubrem directionem, & felicem progreſſum ex injuncto ſibi Apoſtolicę ſervitutis munere jugiter intendens, ea, quę certis rationabilibus ex cauſis deſuper a Prędeceſſoribus ſuis ſtatuta comperit, ipſa ſubinde experientia ſuadente, ac majoribus de cauſis interdum immutat, & revocat, aliaſque in eis officii ſui partes interponit, prout rerum, & temporum qualitatibus debite penſatis in Domino expedire arbitratur. Dudum ſiquidem felicis recordationis Innocentius Papa XII Prędeceſſor noſter regularem diſciplinam in Provinciis Lombardię, & Romana Ordinis Fratrum Prędicatorum promovere, utque ad perfectę maturitatis frugem adſpirante superni favoris auxilio provecta, Eccleſiam Domini uberioribus in dies bonorum operum fructibus lętificaret, Apoſtolica benignitate excolere cupiens de tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium, & Romanę Curię Prelatorum ſuper diſciplina regulari ejuſmodi deputatorum conſilio, per ſuas in ſimili forma Brevis die XIV menſis Junii MDCXCV expeditas literas, diverſos in eiſdem literis expreſſos Conventus utriuſque Provincię prędictę, illorumque Fratres, & perſonas cum omnibus, & ſingulis eorum juribus, membris, & pertinentiis univerſis ab omni, & quacunque juriſdictione, ſuperioritate, correctione, viſitatione, regimine, cura, & gubernio pro tempore exiſtentium Priorum Provincialium Provinciarum Lombardię, & Romanę hujuſmodi tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus perpetuo exemit, & plenarie liberavit, ipſoſque Conventus in duas novas prędicti Ordinis Congregationes, unam ſcilicet Sanctę Sabinę, Lombardię, & alteram S. Marci, Romanę reſpective Provinciarum nuncupandas, quę pro tempore quoque exiſtenti Magiſtro Generali dicti Ordinis immediate ſubjacere deberent, itidem perpetuo erexit, & inſtituit, in quibus quidem Conventibus ad iſtas Congregationes ſic erectas, & inſtitutas tunc ſpectantibus, & qui deinceps ſpectarent, Fratres omnes ad Regulę, quam profeſſi fuiſſent pręſcriptum, vitam inſtituere, & componere, atque illa, quę communem vitam, victum, & veſtitum concernerent juxta Concilii Tridentini, & recolendę memorię Clementis Papę VIII Prędeceſſoris itidem noſtri decretorum tenorem fideliter, & inviolabiliter obſervare omnino tenerentur. Utrique vero Congregationi pręfatę de idoneo Vicario Generali ex Patribus alicujus e Conventibus illius Congregationis, cui is pręficiendus foret, qui illam adjuvante Domino, proſpere dirigere valeret, quique in Conventibus ejuſmodi ſaltem per ſeptennium exactę regularis obſervantię ſpecimen dediſſet, & quantum fieri poſſet, alicui ex illis prefuiſſet, ab ipſo Magiſtro Generali de biennio in biennium provideretur, iſque eandem prorſus juriſdictionem, & auctoritatem haberet in Conventus, & Fratres ſuę Congregationis, quam ſecundum Apoſtolicas, & dicti Ordinis Conſtitutiones habent Priores Provinciales in ſuis reſpective Provinciis, vetuitque ne Fratribus Congregationum pręfatarum facultas tranſeundi ad alios extra illos Conventus facile concederetur, & alias prout uberius continetur in eiſdem Innocentii Prędeceſſoris literis, quę plenarię executioni ſucceſſive demandatę, & exacte obſervatę fuerunt per ſpatium triginta, & ultra annorum inde effluxorum in utraque Congregatione pręfata, quemadmodum in illa S. Marci etiamnum accurate ſervantur, ex eo autem tempore ſatis omnibus notum, perſpectumque eſt quantum antiqua regularis diſciplina quoad ea potiſſime, quę communem Religioſorum vitam ab omni, vel ſpecie proprietatis plane alienam attinent, in utraque Congregatione hujuſmodi, cum non minori univerſi Ordinis prędicti decore, quam fidelium ędificatione ſuſceperit incrementi, ac firmamenti. Poſtmodum vero pię memorię Benedictus Papa XIII, etiam Prędeceſſor noſter, qui dictam Provinciam Lombardię, utpote in qua eorundem Fratrum Prędicatorum Ordini, dum in minoribus conſtitutus eſſet, nomen dederat, ac religioſis moribus, & inſtitutis imbutus, & enutritus fuerat, grata memoria, animoque proſequebatur, regularem obſervantiam in pręfata Congregatione Sanctę Sabinę florere quidem agnoſcens, ſed per novam illam regiminis formam ab ipſo Innocentio Prędeceſſore inductam, potius intra ejuſdem Congregationis fines concluſam, quam ad totius Provincię Lombardię prędictę utilitatem amplificatam fuiſſe reputans, ipſam regularem obſervantiam ad univerſam Provinciam hujuſmodi dilatandi deſiderio, Conventus dictę Congregationis Sanctę Sabinę, eorumque Fratres denuo ſuppoſuit juriſdictioni, curę, & poteſtati Prioris Provincialis Provincię Lombardię, ac ſi pręfatę Innocentii Prędeceſſoris literę editę non fuiſſent, & ſicuti dicta Provincia Lombardię in plures Regiones, quas Quarteria appellant, partita reperitur, ac ſingulis regionibus Vicarius pręficitur, qui abſente *Priore* Provinciali ſubjectis ſibi Conventibus advigilet, proſpiciatque, ita novam in eadem Provincia *Regionem* erigi mandavit, *Sanctę Sabinę* nomen retenturam, in qua Conventus ipſius Congregationis *Sanctę* Sabinę comprehenderentur, eique a dicto Priore Provinciali Vicarius pręponeretur, variaſque pręſcripſit regulas, quas propagationi ejuſdem obſervantię in tota Provincia hujuſmodi accommodatas fore cenſuit: & inter alias, quod ubi in dicta nova Regione Sanctę Sabinę abundaret numerus Religioſorum Studentium, ii in alios Provincię prędictę Conventus literarum ſtudiis deſtinatos per eundem Priorem Provincialem mitti valerent, dummodo in hiſce Conventibus vigeret obſervantia per Congregationem diſciplinę regulari prępoſitam approbata, quodque Fratres ipſius novę Regionis in Priores, Lectores,

Nota.

Con-

Concionatores, ac Magiſtros Noviciorum in aliis ejuſdem Provinciç Conventibus extra illam regionem eligi, & ad alia ibidem munia aſſumi poſſent, ratus hoc modo priſcç regularis obſervantiç ſpiritum, & cultum facilius per totam Provinciam diffuſum, & auctum iri, & alias, prout in ipſius Benedicti Prçdeceſſoris literis in pari quoque forma Brevis die V Junii MDCCXXVI deſuper emanatis, quarum perinde, ac priorum Innocentii Prçdeceſſoris literarum hujuſmodi tenores prçſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, haberi volumus, etiam continetur. Cum autem, ſicut accepimus, pius, ac laudabilis finis, quem unum, ac eundem uterque laudatus Prçdeceſſor ſibi propoſitum, fixumque habuerunt, exactiſſimam nimirum diſciplinam regularem in dicta Provincia Lombardiç confovendi, & propagandi melius, cumulatiuſque obtineri valeat ex iis, quç per memoratum Innocentium Prçdeceſſorem diſpoſita fuerunt, nedum quia illa ejuſdem diſciplinç augmentum in utraque Congregatione prçfata egregie juviſſe longa experientia edocuit, verum etiam quia cum Superior commiſſi ſibi gregis forma eſſe debeat, unde ſubditi normam vivendi ſumant, id ſane ſperari poteſt, ſi dicta Congregatio Sanctç Sabinç a Vicario ſuo Generali, qui arctius illius inſtitutum profeſſus fuerit, prout antehac fiebat, gubernetur, ſecus vero, ſi regatur per prçdictum Priorem Provincialem, qui mitius inſtitutum ſequitur, adeoque Religioſis ipſius Regionis Sanctç Sabinç aſſiduo ſeverioris vitç exemplo non valebit prçlucere, prçterquam quod magis ad progreſſum diſciplinç conferre dignoſcitur difficultas in permittendo Patribus dictç Congregationis Sanctç Sebinç egreſſum ex ipſa Congregatione ad formam literarum Innocentii, quam facultas in illis Benedicti Prçdeceſſorum prçfatorum eiſdem Fratribus attributa libere tranſeundi ad alios dictç Provinciç Conventus pro exercendis ibidem Priorum, Lectorum, & aliis officiis, ubi illi reformatorum munere, non fungentes a Religioſis exigere, nec tenere poterunt ut ſtrictiorem, quam profitentur obſervantiam quoad vitam communem abſtinentiam ab eſu carnium, jejunia, ſilentium, & id genus alia amplectantur, quinimo inde eveniret, quod Fratres dictç Congregationis S. Sabinç proprias ſui inſtituti obligationes in alienis Conventibus adimplere non valentes, ab illo ſenſim ſine aliorum utilitate, ac profectu deſciſcerent, ſicque cum totius Provinciç detrimento antiquç diſciplinç cultorum numerus potius imminueretur, quam augeretur. Quibus etiam accedit, quod enarrata Innocentii Prçdeceſſoris diſpoſitio, illiuſque executio magis conformis, conſentaneaque videatur menti prçfatç Congregationis propoſitç eidem diſciplinç regulari, utpote quç ad illam inſtaurandam, nullam aptiorem, opportunioremque rationem, ac methodum invenire potuit, quam deſtinando aliquot Conventus in ſingulis Provinciis Religioſorum Ordinum, in quibus regulç puritas, ac vita communis exacte retinerentur, & ſervarentur, ac unde Religioſi ad alios Conventus, ubi talis diſciplina non vigeret, tranſire non poſſent, ſicuti ex decretis per ejuſmodi Congregationem alias ſuper hac re editis apparet. Hinc eſt, quod Nos prçfatç Congregationis Sanctç Sabinç, illiuſque Conventuum, ac Fratrum felici, proſperoque ſtatui, & regimini, religioſçque paci, & tranquillitati, quantum cum Domino poſſumus, ſalubriter providere cupientes, dictoſque Fratres ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pçnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatç exiſtunt, ad effectum prçſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, prçmiſſis, aliiſque juſtis, & rationabilibus cauſis animum noſtrum moventibus adducti, ac Motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicç poteſtatis plenitudine, ſupradictas Benedicti literas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, harum ſerie revocamus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, illas vero Innocentii Prçdeceſſorum, ac in eis pariter contenta quçcunque, prout eandem Congregationem Sanctç Sabinç concernunt confirmamus, approbamus, ac innovamus, atque eis inviolabilis, & irrefragabilis Apoſtolicç firmitatis robur, & efficaciam adjungimus, necnon illa ad omnes, & ſingulos Conventus, quos dicta Regio Sanctç Sabinç de prçſenti complectitur, & obtinet, & ſi quos alios ab ipſa Congregatione Sanctç Sabinç in futurum obtineri contigerit, extendimus, & ampliamus. Decernentes prçſentes eaſdem literas etiam ex eo, quod quicunque in prçmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prçtendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, & dignitatis exiſtant, aliive quilibet, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſç, propter quas ipſç prçſentes emanarint, ſufficienter adductç, verificatç, & juſtificatç fuerint, aut ex alia quantumvis legitima, juridica, & privilegiata cauſa, colore, prçtextu, & capite etiam in corpore juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrç, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etſi quantumvis magno, & ſubſtantiali, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, ad viam, ſeu terminos juris, vel Conſtitutionum dicti Ordinis reduci, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiç remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas prçſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari, & adimpleri. Sicque, & non aliter in prçmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac dictç S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet, quacunque prçeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quaviſaliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus prçmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis, quç in eiſdem Innocentii Prç-

Prędeceſſoris literis conceſſa ſunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut ipſarum pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die II Maii MDCCXXXI, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Cardinalis Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſum *MDCCXXXI.*

Anno 1731 Die 26 Septembris.

VI.

De celebranda Miſſa in valetudinario Pratenſis Monaſterii S. Vincentii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Venerabili Fratri Epiſcopo Praten.

CLEMENS PP. XII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nobis nuper fecerunt dilectę in Chriſto filię Moniales Monaſterii S. Vincentii Praten., quod tunc exiſtentes Moniales ejuſdem Monaſterii, alias nempe XX Februarii Anni MDCXCIII, in vim Decreti a Congregatione tunc pariter exiſtentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitę emanati, & a tunc etiam exiſtente Epiſcopo Praten. die VIII Menſis Maii dicti Anni executioni demandati, ut in valetudinario dicti Monaſterii, cum in eo ęgrotę reperirentur, & ad Eccleſiam una cum aliis accedere nequirent, unam Miſſam ab earum Confeſſario non impedito, ſeu ab alio Religioſo provectę ętatis, in ſolemnioribus anni feſtis diebus celebrari facere valerent, ſibi indulgere obtinuerunt, quemadmodum ab anno MDLXXXV uſque ad eundem annum MDCXCIII, vigore cujuſdam reſcripti vivę vocis oraculo a felicis recordationis Sixto PP V Prędeceſſore noſtro bonę memorię Michaeli S. R. E. Cardinali Ghislerio Alexandrino nuncupato, conceſſi, ſervatum fuiſſe memoratur. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat dictę exponentes, pro earundem Monialium infirmarum ſpirituali conſolatione, indultum hujuſmodi per nos ampliari ſummopere deſiderent; Nos ipſarum exponentium votis peramplius conſulere, eaſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & illarum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequen., harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus earum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, pręfatis exponentibus, ut ipſę eandem Miſſam in prędicto valetudinario, in ſingulis anni feſtivitatibus de pręcepto, dummodo tamen Moniales infirmę reperiantur, ac etiam in diebus ferialibus, caſu quo aliquam ex Monialibus in mortis agone conſtitutam eſſe contigerit, per earum Confeſſarium a te approbatum, celebrari pariter facere libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate noſtra Apoſtolica pro tuo arbitrio, & conſcientia concedat, & indulgeat, non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Septembris MDCCXXXI, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

Anno 1732 Die 13 Januarii.

VII.

Immunitates & exemptiones, damno R. Cameræ Apoſtolicæ conceſsæ, ad terminos juris reducuntur.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

I. Summus Pontifex ſingulorum indemnitati conſulit.

ROmanum Pontificem, videlicet ſervum illum, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, non ſolum ſpiritualium, ſed etiam temporalium ejuſdem familię indemnitati conſulere decet, ut ſublatis exemptionibus, indigentię injurioſis, paterna vigeat caritas, quę parum ęquam filiorum prędilectionem ignorans, ſingulis onus imponat, quod vires ſuſtinere valeant, ac tribuat quod corundem merita exigunt. Quapropter innovans ea, quę olim ab aliis Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus ſuis pro temporum qualitate ſancita fuerunt, alia decernit & ſtatuit, quę ſubinde pro diverſa rerum, temporum, ac perſonarum conditione, conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

II. Immunitates & exemptiones quibuſdam conceſſæ, ſunt ceteris graves.

Cum itaque, ſicut accepimus, per quaſdam immunitates, & exemptiones, a vectigalium, aliorumque onerum publicorum ſolutione, a nonnullis Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris, &

Sede

Sede Apoſtolica, illiuſque forſan de Latere Legatis, ac aliis ejuſdem Sedis, & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Officialibus, & Miniſtris ad importunas ſupplicantium preces per viam *Motus proprii*, ſive alias quomodolibet conceſſæ reperiuntur, Camera prædicta, ac Communitates, & Univerſitates Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum temporalis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ditionis, in graviſſimis, quibus propter magnos ſumptus, antehac in cauſam publicam factos, multaque onera, propterea impoſita, premuntur anguſtiis, maximam redditutum, & proventuum ſuorum diminutionem patiantur, & plurimi ſubditi noſtri, ac præcipue pauperiores, in quos ejus, quod ceteris, iiſque, ut plurimum locupletioribus, per immunitates, & exemptiones hujuſmodi remittitur, onus derivari neceſſe eſt, ingenti damno afficiantur.

Hinc Nos Cameræ, Communitatum, & Univerſitatum, ſubditorumque noſtrorum prædictorum indemnitati, & levamini, quantum cum Domino poſſumus, æque principaliter conſulere cupientes, ac felicis recordationis Sixti V, Pauli etiam V, Urbani VIII, Alexandri VII, Clementis X, Alexandri VIII, Innocentii XII, aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, qui Conſtitutionis ſimilium exemptionum, & immunitatum revocatorias ediderunt, veſtigiis inhærentes, necnon quarumcunque conceſſionum, immunitatum, & exemptionum hujuſmodi, literarumque Apoſtolicarum ſub plumbo, ac in forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris, cedularum *Motus proprii*, & chirographorum, cujuſvis Romani Pontificis Prædeceſſoris noſtri manu ſubſcriptorum, ac aliarum literarum, & ſcripturarum deſuper quomodolibet editarum, plurieſque etiam confirmatarum tenores, etiam veriores, & datas, ac occaſiones, & alia etiam ſpeciali ac individua expreſſione dignas, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, reſpective habentes, *Motu proprio*, non ad cujuſquam nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra, perpetuo valitura conſtitutione, omnes & quaſcunque exemptiones, ac immunitates a ſolutione ſubſidii triennalis, necnon quarti, illi adjuncti, taxarum equorum, tallearum, cenſuum, archivii, fogliettæ, triremium, utenſilium dohanarum quarumcunque Urbis, taxæ Portus Anconæ, quatrenorum, tractarum, pedagiorum, vectigalium, collectarum, macinatus, tam Urbis, quam univerſi Status tertii Julii ſuperadditi, literarum portus, & quorumlibet aliorum onerum & munerum perſonalium, realium, & mixtorum, ordinariorum, & extraordinariorum, ſolitorum, & inſolitorum Cameralium quorumcunque, ac etiam eorum, quæ per Communitates, Univerſitates directe, vel indirecte pro eorundem onerum Cameralium ſolutione, publicorumque munerum ſupportatione, ac pro viis & pontibus conſtruendis, inſtaurandis, muniendis, & manutenendis, aliiſque indigentiis & uſibus quibuſcunque, tam Cameræ, quam Communitatum, & Univerſitatum prædictarum, ſeu alias, indicta & impoſita, ac exigi ſolita ſunt, necnon ab obligatione recipiendi Milites, & Sedis prædictæ Officiales, Baroncellos, & Executores, alioſque Juſtitiæ miniſtros, eiſque utenſilia & alia neceſſaria ſubminiſtrandi, per Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros ac eandem Sedem Apoſtolicam, & quoſvis Sedis, & Cameræ prædictarum officiales, & miniſtros, quacunque auctoritate & poteſtate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, etiam Camerarios, ceteroſque etiam ſpeciali nota & expreſſione dignos, ac ſpecialem ad id facultatem habentes.

III. *Summus Pontifex ſubditos ſuos gravaminibus levare ſtudet.*

Quibuſvis Communitatibus, Civitatibus, Terris, Oppidis, & Locis ditionis temporalis prædictæ S. R. E. ac etiam quibuſcunque Feudatariis, Cenſuariis, Dominis Locorum, familiis nobilibus, Baronibus, Comitibus, Marchionibus, Ducibus, Principibus, & aliis cujuſvis ſtatus, gradus & conditionis & præeminentiæ exiſtentibus, ac quavis dignitate, etiam Eccleſiaſtica & auctoritate præditis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, qui caſtra & juriſdictiones intra limites dictæ ditionis temporalis ejuſdem S. R. E. poſſident, etiam qui nihil ratione caſtrorum, & juriſdictionum hujuſmodi, Sedi prædictæ, ſeu alias perſolvunt, & tam incolis, quam extraneis, & forenſibus bona ſtabilia, ſeu mobilia, vel ſe moventia habentibus & tenentibus ſeu poſſidentibus, omniumque ſupradictorum colonis & laboratoribus, Factoribus, Miniſtris, & Famulis, etiam in recompenſam laborum, damnorum, expenſarum, vel meritorum, ſive illorum intuitu & contemplatione, ac ex alia quacunque, quantumvis favorabili, aut urgentiſſima ſpecialiter exprimenda cauſa, ſub quibuſcunque verborum formis & expreſſionibus, etiamſi in Appaltuum, & Locationum Cameralium inſtrumentis, quantumvis auctoritate Apoſtolica confirmatis, permiſſum & cautum ſit, eas obſervari debere, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus etiam conſiſtorialiter, alias quomodocunque & qualitercunque in genere vel in ſpecie, ad vitam, vel ad tempus, ſive in perpetuum conceſſas, & datas, ac pluries & iteratis vicibus confirmatas & approbatas, revalidatas & innovatas, & inde etiam Judicis auctoritate ſecuta, quæcunque, necnon quaſcunque literas, etiam Apoſtolicas ſub plumbo, vel in prædicta forma Brevis *Motus proprii*, cedulas, chirographa, & ſcripturas hujuſmodi, ex nunc perpetuo revocamus, tollimus, abrogamus, irritamus, abolemus, viribuſque, & effectu penitus & omnino vacuamus, & revocata, caſſata, ſublata, abrogata, irrita, abolita, annullata, viribuſque & effectu vacua eſſe, nec ulli prorſus in petitorio, aut poſſeſſorio etiam ſummariiſſimo contra noſtrarum præſentium tenorem & diſpoſitionem, ſuffragari poſſe; ſed prædictos omnes exemptos, ad omnium & ſingulorum onerum prædictorum ſolutionem & ſupportationem pro rata eos tangente impoſterum realiter, & cum effectu teneri in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi hujuſmodi exemptiones & immunitates eis, & eorum cuilibet nullatenus conceſſæ fuiſſent, nec literæ, ac cedulæ *Motus proprii*, chirographa, & ſcripturæ hujuſmodi nunquam emanaſſent, motu, ſcientia, deliberatione, poteſtatis plenitudine prædictis decernimus, ſtatuimus, & ordinamus.

IV. *Immunitates quomodocunque & quibuſcunque conceſſæ, revocantur.*

Præterea omnia, & quæcunque Privilegia, & Indulta perſonis, tam ſecularibus, quam cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, ac Societatis etiam Jeſu, Regularibus, etiam Ordinis Prædicatorum, ſuper ſimilibus immunitatibus, & exemptionibus, per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros conceſſa, ad limites juris communis, pro uſu proprio perſonarum Eccleſiaſticarum, illa-

V. *Quibuſcunque Ordinibus Regularibus, etiam Societati Jeſu,*

& Ordini Prædicatorum conceſſæ.

illarumque victu & veſtibus tantum, habito reſpectu ad numerum perſonarum, motu, ſcientia, deliberatione & tenore paribus reducimus.

VI. Indulta Mendicantibus per Benedictum XIII conceſſa ad eum ſtatum, in quo pridem erant, reducuntur.

Similia pariter, & alia quęcunque Privilegia, Indulta, ac Apoſtolicę Conſtitutiones per Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros hactenus edita, & pręcipue per recolendæ memorię Benedictum Papam XIII pariter Prędeceſſorem noſtrum, favore Regularium Mendicantium, bona ſtabilia, tam in particulari, quam in communi poſſidentium, & pecuniarum uſum retinentium, ad eum ſtatum, in quo Regulares ipſi ante Conſtitutiones ipſas, & pręſertim Prędicatorum ante unam, quę incipit: *Pretioſus*, ſub datum Setię anno Incarnationis Dominicę MDCCXXVII ad eorundem, necnon Eremitarum Sancti Auguſtini, Ordinum, reſpective, fratres ante alteram, quę incipit: *Libenter*, ſub datum eodem anno Incarnationis Dominicę MDCCXXVII Kalendis Januarii, ad eorundem Eremitarum, reſpective favorem, ab eodem Benedicto reſpective editas Conſtitutiones, reperiebantur, reducimus, & reponimus, necnon quandam ſubinde inter ejuſdem Ordinis Prędicatorum Fratres prędictos, & Cameram Apoſtolicam deſuper vigore cujuſdam cedulę *Motus proprii* ejuſdem Benedicti ipſius manu ſub die decima menſis Decembris anni Domini MDCCXXVIII ſignatę initam concordiam, perinde ac ſi illa nunquam inita fuiſſet, de medio tollimus, illamque penitus, & omnino abrogamus.

VII. Indulta Mendicantibus ſummam paupertatem vere profitentibus, nec bona ſtabilia, aut pecuniarum uſum habentibus conceſſa, ad terminos juris, ut pridem erant reducta intelligantur.

Ea vero indulta, Conſtitutiones Apoſtolicas, ceteraque conceſſa per quoſcunque Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, Regularibus Mendicantibus, altiſſimam paupertatem vere profitentibus, nullaque bona ſtabilia, ac pecuniarum uſum, nec in particulari, nec in communi retinentibus, in eodem ſtatu exemptionum, quibus antea gaudebant, juxta eoſdem terminos juris communis obſervari volumus, atque mandamus.

VIII. Indulta Collegiis conceſſa, quoad victum, & veſtitum tantum ſuffragari debent.

Illa vero, quę nonnullis Collegiis in Alma Urbe noſtra exiſtentibus, per dilectos filios Clericos Regulares Societatis Jeſu, ſive alios quoſcunque adminiſtrari conſuetis, ſimiliter a Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris conceſſa fuerunt, & quibus ipſi hactenus gaviſi ſunt, quoad victum, & veſtitum duntaxat, non autem, ut vulgo dicitur, a *Fundaco*, & *Magazeno*, prout antehac obſervatum fuit, ſuffragari volumus, & decernimus.

IX. Indulta conſanguineis Summorum Pontificum conceſſa revocantur.

Ac demum ſimilia privilegia, & indulta nepotibus, & aliis conſanguineis, vel affinibus quorumcunque Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum pro tempore viventium ab illis reſpective conceſſa, itidem revocamus, & abolemus, ac revocata, & abolita eſſe, ac cenſeri debere volumus, & ſtatuimus, declarantes, illa nemini eorundem nepotum, ſive conſanguineorum, vel affinium, a die noſtrę ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumptionis, ſuffragari poſſe, & debere, ſeu potuiſſe, ac debuiſſe.

X. Exemptiones quibuſcunque de jure competentes non revocantur.

Per pręmiſſa autem non intendimus revocare exemptiones, & immunitates quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis, tam ſecularibus, quam regularibus de jure competentes, neque theſaurariis, appaltatoribus, & conductoribus bonorum, introituum, & jurium dictę Camerę noſtrę ab ipſa Camera, vel ab aliis illius nomine in appaltuum, & locationum inſtrumentis, & illorum ratione ex contractu, tituloque vere oneroſo conceſſas.

XI. Nec exemptiones in vim contractus conceſſæ.

Inſuper a revocationibus, & aliis ſupradictis excipimus, & exemptas eſſe volumus, & declaramus immunitates, & exemptiones quibuſvis Univerſitatibus, & perſonis datas, & conceſſas in vim contractus ex cauſa vere oneroſa, videlicet congruę, & effectualis pecuniarum ſolutionis, & non alias eidem Camerę Apoſtolicę, vel ipſis communitatibus legitime factę, vel ex aliis rationabilibus cauſis, per Nos cognoſcendis, & approbandis, ut infra, ac etiam declarandis, quas etiam cauſas oneroſas, nonniſi legitimas, & licitas, ac honeſtas, prout de jure, approbare intendimus, & propterea quicunque illas obtinent, eas in dicta Camera, citato dilecto filio ipſius Camerę Commiſſario Generali, verificare & in ipſa Camera examinari, & admitti facere teneantur, etiamſi conceſſiones earundem immunitatum, & exemptionum, ac literę, cedulę *Motus proprii*, Chirographa, & alię Scripturę deſuper emanatę, & emanata, alias in Camera prędicta admiſſę, & admiſſa, ac in illa, ejuſque literis regiſtratę, & regiſtrata fuerint, & ſint, quatenus tamen cauſę oneroſę hujuſmodi pro vere oneroſis, & legitimis, ut pręfertur, alias in eadem Camera verificatę, & approbatę, ac pręvia judiciali diſcuſſione, non ſint legitime habitę, quo caſu ad indicationem tantum, non autem ad aliam verificationem eoſdem obtinentes, teneri volumus: Interim vero quandiu non fuerint verificatę, minime ſuffragari, & pręſentis revocationis effectum retardare non poſſe declaramus.

XII. Nec immunitates Cardinalibus, Cameræ Clericis, & Præſidentibus, aliiſque Prælatis, Curiæ, Officialibus, Cubiculariis ſecretis, aliiſque conceſſæ.

Pręterea noſtrę intentionis non eſt, ſub hujuſmodi revocationibus, aliiſque ſupradictis comprehendere immunitates, & exemptiones eiſdem S. R. E. Cardinalibus, ratione dignitatis Cardinalatus, & Camerę prędictę Clericis Pręſidentibus, aliiſque Cameralibus, qui in eadem Camera ſederunt, & ſedent, concedi, ſeu admitti ſolitas, nec illas, quibus Pręlati, & Officiales Romanę Curię, ac Pręlati domeſtici, cubicularii ſecreti, ac Secretarii, & familiares, & continui commenſales noſtri, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, in rotulo deſcripti, gaudent, & gaudere conſueverunt, durante vita ejuſdem Romani Pontificis, eorumque ſervitio, neque illas obnumerum duodecim filiorum a Prędeceſſoribus noſtris, & aliis ſupra expreſſis, conceſſas, quas tamen ad terminos Conſtitutionis pię memorię Pii Papę IV Prędeceſſoris pariter noſtri, quę incipit: *Licet felicis recordationis Paulus*, cujus tenorem his pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto, haberi, illamque exacte, & adamuſſim juxta illius ſeriem, & tenorem, ac diſpoſitionem in omnibus, & per omnia ſervari debere volumus, & aliarum Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſuper hujuſmodi exemptionum declaratione editarum, & ad illas tantum, & pro tempore, & perſonis, ac eo modo, & forma, quibus de jure communi illis competunt, & alias juxta ipſius juris communis, ac prędictarum, & aliarum Conſtitutionum Apoſtolicarum diſpoſitionem reducimus, neque aliter quam, ut pręfertur, ſive in poſſeſſorio, ſive in petitorio ſuffragari volumus, & decernimus.

XIII. Appaltatores, theſaurarii, depoſitarii, aliique jam dictas im-

Ceterum appaltatoribus, theſaurariis, depoſitariis, commiſſariis, executoribus, & ceteris agentibus, mi-

miniſtris Cameræ prędictę, ac communitatum, & univerſitatum prędictarum, earundem ſerie pręſentium diſtricte inhibemus, ne contra ipſarum pręſentium diſpoſitionem immunitates, & exemptiones niſi, ut pręfertur, exceptas, ac eas, quas ex cauſa vere oneroſa conceſſas, in Camera prędicta, ut pręfertur, admitti contigerit, ullatenus admittant, ſique ſecus fecerint, id nemini eorum in ſuis computis, ſeu rationibus per eandem Cameram admitti volumus, ſed eorum damno id ceſſurum eſſe declaramus.

[Margin: munitates non admittant.]

XIV. Lites de rebus iiſdem motæ, ad Summum Pontificem avocantur, & extinguuntur.

Poſtremo lites quaslibet occaſione privilegiorum, & indultorum, necnon immunitatum, & exemptionum hujuſmodi, quomodolibet motas, & in quibuſvis tribunalibus pendentes, illarum omnium, & ſingularum ſtatum, & merita, nominaque, & cognomina judicum, & collitigantium quorumvis, etiam ſpeciali mentione dignorum, & alia etiam de neceſſitate ſpecialiter exprimenda, eiſdem pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, a quibuſcunque tribunalibus hujuſmodi ad Nos, harum ſerie pręſentium, avocamus, illaſque penitus, & omnino perpetuo ſupprimimus, & extinguimus, ac pro ſuppreſſis, & extinctis haberi volumus, & declaramus, ac partibus perpetuum ſuper his ſilentium imponimus.

XV. Nemo his literis contradicere audeat.

Decernentes, eaſdem, ac omnia, & ſingula in illis contenta, etiam ex eo, quod quicunque in pręmiſſis, ſive eorum aliqui intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet pretendentes, illis non conſenſerint, ac ad ea vocati, & auditi, ſeu cauſę, propter quas illę emanarunt, adductę, verificatę, ſeu alias ſufficienter, aut etiam ullatenus juſtificatę non fuerint, aut ex alia quantunlibet legitima, pia, juridica, & privilegiata cauſa, colore, pretextu, occaſione, & capite, etiam in corpore juris clauſa, etiam enormis, enormiſſimę, & totalis lęſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, vel quorumvis intereſſe habentium conſenſus, aut alioquovis, quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac inexcogitato defectu, notari, impugnari, & invalidari, reſtringi, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, ſuſpendi, limitari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aut aliud quodcunque juris, facti, vel gratię remedium impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu ſimili conceſſo, quempiam in judicio, vel extra illud, uti, ſeu ſe juvare poſſe, neque eaſdem pręſentes, ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium Conſtitutionum, ac revocationum, & ordinationum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus pro tempore quomodolibet factis comprehendi, aut comprehenſas cenſeri, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illę emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac ſub quacunque poſteriori data, quatenus opus ſit, de novo conceſſas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac omnibus, ad quos ſpectat, & quomodocunque ſpectabit inviolabiliter obſervari.

XVI. Quicunque Judices non aliter, ac in præſentibus continetur, definire audeant.

Sicque & non alias in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & extraordinarios, ac Commiſſarios, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & ejuſdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & quoſvis earundem Sedis & Cameræ officiales & miniſtros, ac alios quoſcunque quavis auctoritate & poteſtate fungentes, nunc & pro tempore exiſtentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, definiri, & interpretari debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

XVII. Cardinali Camerario, ceteriſque Miniſtris Cameralibus mandatur, ut hæc omnia obſervent.

Quo circa dilectis filiis, noſtro, ac pręd ctę S. R. E. Camerario, ſeu Pro-Camerario, necnon Vice-Camerario, Theſaurario, ac Clericis Pręſidentibus, Commiſſario, & aliis dictę Camerę Officialibus, ad quos ſpectat, per Apoſtolica ſcripta pręcipimus, & mandamus, ut eaſdem pręſentes & in eis contenta quęcunque, in omnibus, & ſingulis firmiter & inviolabiliter obſervent & faciant ab aliis obſervari, contradictores quoslibet, & rebelles, ac pręmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras, & pęnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, omni, & quacunque appellatione, recurſu, & reclamatione remotis, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

XVIII. Non obſtantibus quibuſcunque.

Non obſtantibus prędictarum litium pendentia, necnon recolendę memorię Bonifatii Papę Octavi de una, & in Concilio generali de duabus dietis, dummodo quis ultra tres dietas extra ſuam Civitatem, vel Diœceſim ad judicium, earundem vigore pręſentium, non trahatur; necnon una ad Ordinis Prędicatorum, ac altera prędicti Benedicti Prędeceſſoris ad Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, reſpective, favorem Ordinis Conſtitutionibus prędictis, necnon concordia cum prędicta Camera noſtra, deſuper, ut pręfertur, celebrata, ceteriſque gratiis & exemptionibus favore quarumcunque perſonarum a ſolutione onerum cameralium & aliorum quorumcunque, ſive temporaliter, & ad vitam per eundem Benedictum Prędeceſſorem quomodolibet indultis, etiam per chirographa, & cedulas *Motus proprii* quomodolibet conceſſis, aliiſque omnibus & ſingulis pręmiſſis, necnon noſtra & Cancellarię Apoſtolicę regula de jure quęſito non tollendo, ac quatenus opus ſit, prędicti Pii Prędeceſſoris de gratiis, qualecunque intereſſe dictæ Camerę concernentibus, in eadem Camera pręſentandis & regiſtrandis, itaut pręſentes in ea pręſentari, aut regiſtrari nunquam neceſſe ſit, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus Provincialibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Caſtrorum, & aliorum dicti Status, tam mediate, quam immediate ſubjectorum locorum, ſtatutis, etiam confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, conceſſionibus, exemptionibus, immunitatibus, licentiis, facultatibus, confirmationibus, Chirographis, Cedulis *Motuum propriorum*, & aliis Scripturis, & Literis etiam Apoſtolicis, Legatis, Prolegatis, Gubernatoribus, Pretoribus, aliiſque Officialibus prędictis, ac quibuſvis aliis, etiam Communitatibus, Univerſitatibus, Monaſteriis, Hoſpitalibus, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, aliiſque piis & non piis locis, etiam ſpeciali nota & mentione dignis, etiam motu, ſcientia, & poteſtate paribus, ac etiam Conſiſtorialiter, & de eorundem Cardinalium conſilio & conſenſu, ſub quibuſcunque verborum for-

formis, & tenoribus, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus & aliis Decretis, etiam in vim contractus jurati & Camerali obligatione vallati, & quovis alio robore & cautela firmati, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, editis, factis, & pluries ac iteratis vicibus confirmatis, approbatis & innovatis: quibus omnibus & ſingulis, etiamſi in illis caveretur expreſſe, quod nullo unquam tempore ſub ſimilium vel diſſimilium facultatum, licentiarum, conceſſionum, privilegiorum & aliarum gratiarum prędictarum, revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis quibuſcunque contrariis diſpoſitionibus pro tempore edendis comprehendantur; ſed ſemper ab illis excepta, & quoties illa emanarent, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum, etiam ſub poſteriori data per eos, quibus conceſſa ſunt, eligenda, reſtituta, repoſita, & plenarie reintegrata, ac de novo conceſſa ſint & eſſe cenſeantur; necnon pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret; tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, pręſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis habentes, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe, ac latiſſime & pleniſſime derogamus, & derogatum eſſe etiam volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque.

XIX. Per præſentes non præjudicetur ceteris privilegiis Ordini Prædicatorum & Eremitarum Sancti Auguſtini a Benedicto XIII conceſſis.

Per pręſentes autem non intendimus omnibus & ſingulis aliis privilegiis, indultis, & conceſſionibus, ab eodem Benedicto Prędeceſſore Prędicatorum, & Eremitarum Sancti Auguſtini, Ordinibus prędictis, & eorum cuilibet, reſpective, conceſſis, ac in una ad unius, & altera ejuſdem Benedicti Prędeceſſoris, Conſtitutionibus prędictis, ad alterius Ordinum prędictorum, reſpective, favorem, ut pręfertur, editis, quomodolibet contentis, & expreſſis in aliquo pręjudicare.

XX. Præſentibus omnimoda fides adhibeatur.

Volumus autem, & Apoſtolica auctoritate decernimus, ut pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quę ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę.

XXI. Nemo eas infringere audeat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę revocationis, abrogationis, abolitionis, ſtatuti, ordinationis, reductionis, repoſitionis, exceptionis, declarationis, inhibitionis, litium ſuppreſſionis, & extinctionis, ſilentii impoſitionis, decreti, pręcepti, mandati, derogationis, intentionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Septingenteſimo Trigeſimo Primo Idibus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

A. Card. Prodatarius.

F. Cardinalis Oliverius.

Viſa De Curia

J. Archiepiſcopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Septingenteſimo Trigeſimo Secundo, die XVIII Februarii, Indictione Decima, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri, Domini Clementis Divina providentia Papę XII anno Secundo, ſupradicta Conſtitutio affixa & publicata fuit ad valvas Eccleſię Lateranenſis, Baſilicę Principis Apoſtolorum, Cancellarię Apoſtolicę, Curię generalis in Monte Citatorio & in acie Campi Florę, ac aliis locis ſolitis & conſuetis Urbis per me Bandinum Cheti Apoſtolicum Curſorem.

Nicolaus Cappelli Magiſter Curſorum.

1. *Archivo.*) In quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* anno *MDCCXXXII.*

Anno 1732 Die 12 Februarii.

Revocatio diverſarum facultatum a Romanis Pontificibus per eorum vivæ vocis oraculum, vel reſcripta conceſſarum.

Ex Archivo (1) Ordinis.

VIII.

CLEMENS PP. XII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ROmanus Pontifex gregis Dominici curę ſibi divinitus commiſſę more ſeduli Paſtoris jugiter advigilans, nonnulla, quę a Prędeceſſoribus ſuis conceſſa noſcuntur, juſtis interdum ſuadentibus cauſis, quibus pręſertim eccleſiaſticę diſciplinę conſervationi, animarum Chriſti fidelium ſaluti, ac recto rerum ordini conſulitur, pro Apoſtolici muneris ſui ſolicitudine moderatur, revocat, & immutat, ſicuti omnibus debitę conſiderationis trutina perpenſis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Ita-

Itaque de nonnullorum venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula infraſcripta indulta, facultates, & gratias, quę tam ad ſupplicationem partium, quam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, a Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris, vivę eorum vocis oraculo, vel per reſcripta propria illorum, aut de eorum mandato cujuſvis S. R. E. pręfatę Cardinalis, alteriuſve ipſorum Prędeceſſorum, vel Sedis Apoſtolicę officialis, & miniſtri manu ſignata, quibuſcunque utriuſque ſexus perſonis ſecularibus, vel regularibus cujuslibet ſtatus, gradus, conditionis, pręeminentię, ac dignitatis, ſive eccleſiaſticę, ſive temporalis exiſtentibus, etiamſi de iis ſpecialis, ac individua mentio, & expreſſio neceſſario facienda foret, Communitatibus quoque, Univerſitatibus, Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Conventibus, & Monaſteriis cujuſvis Ordinis, Congregationis, Militię etiam Sancti Johannis Hieroſolymitani, ac Inſtituti, & Societatis etiam Jeſu, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, exemptorum, & non exemptorum, ac quovis tandem privilegio ſuffultorum, nullis prorſus exceptis, quandocunque, & qualitercunque conceſſa fuerunt, tenore pręſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, irritamus, & annullamus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac revocata, caſſata, ſublata, abrogata, irrita, & annullata, viribuſque, & effectu vacua eſſe, & perpetuo fore, neque de cetero cuiquam ſuffragari poſſe, vel debere decernimus, & declaramus.

Indulta autem, facultates, & gratię hujuſmodi ſunt, quę ſequuntur, videlicet.

I. Excipiendi Confeſſiones, ſive ſecularium, ſive regularium etiam Monialium, aut aliarum quarumvis perſonarum in Conventibus, Monaſteriis, ſeu Conſervatoriis degentium, abſque expreſſa Ordinariorum, & Superiorum illorum, ad quos pertinet, facultate, necnon eligendi ſibi Confeſſarium ab iis reſpective non approbatum.

II. Abſolvendi quoſcunque, ſive ſeculares, ſive regulares utriuſque ſexus a peccatis, pęnis, & cenſuris in literis die Cęnę Domini quotannis legi, & publicari conſuetis, vel alias Sedi Apoſtolicę, locorumve Ordinariis, aut Superioribus Regularibus quoquo modo reſervatis, prout quoque eligendi Confeſſarium etiam ex legitime ad audiendas Confeſſiones approbatis, qui a peccatis, pęnis, ac cenſuris ſic reſervatis abſolvat.

III. Eximendi, ſeu abſolvendi quemlibet ab obligatione denunciandi in caſibus, quibus denunciatio juxta pręſcriptum Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſeu alias fieri debet.

IV. Utendi quibuſcunque facultatibus etiam generaliter conceſſis quoad alitercunque dictę Sedi, vel etiam ipſi Romano Pontifici reſervata, ſive per eos majori, vel minoribus Pęnitentiariis attributis, durante Jubilęo, vel Miſſionum, exercitiorum ſpiritualium, Quadrageſimę, Adventus, aut alio quovis anni tempore, ſicuti etiam utendi facultatibus, quę ab officio Pęnitentiarię Apoſtolicę aliquando impertiri ſolent.

V. Relaxandi juramenta quęlibet, etiamſi de nullo cujuſquam agatur damno, ſeu pręjudicio.

VI. Diſpenſandi, ſive commutandi vota quęcunque, licet ſimplicia duntaxat, ac juramento minime confirmata.

VII. Diſpenſandi cum quibuſvis perſonis ſecularibus pariter, vel regularibus, ſuper qualibet irregularitate, & inhabilitate quomodocunque ex delicto, vel defectu etiam prorſus occultis proveniente, tam pro exercendis ſuſceptis, quam pro ſuſcipiendis quibuſvis Ordinibus, ac retinendis, & aſſequendis quibuſcunque beneficiis eccleſiaſticis.

VIII. Diſpenſandi ſuper quocunque impedimento quantumvis occulto matrimonium dirimente, ſive agatur de matrimonio contrahendo, ſive de convalidando jam contracto.

IX. Convalidandi titulos beneficiorum eccleſiaſticorum ſimoniace, vel ex alio quovis capite invalide obtentorum, ac condonandi fructus qualitercunque indebite perceptos, aut componendi ſuper iiſdem fructibus.

X. Celebrandi Miſſam, itineris, aliave occaſione in quocunque loco ſuper Altari portatili, ſive extra tempus ab Eccleſia definitum, vel non ſervandi omnia, & ſingula ab ipſa Eccleſia pręcepta, & ordinata circa celebrationem Miſſę, & adminiſtrationem Sanctiſſimi Euchariſtię Sacramenti.

XI. Officium divinum abſque legitima cauſa non recitandi, illudve commutandi in alias preces, vel opera pia, ſive recitandi unum officium pro alio, aut extra tempus ab Eccleſia ſtatutum, vel ſuper pręmiſſis cum aliis diſpenſandi.

XII. Indulta quęcunque a regularibus utriuſque itidem ſexus obtenta, votum paupertatis quomodolibet lędentia, aut regulari obſervantię, Apoſtolicis Conſtitutionibus, propriique Ordinis, ſeu inſtituti ſtatutis contraria, vel adverſantia.

XIII. Facultas regularibus alloquendi Moniales etiam conſanguineas, aliaſque perſonas intra clauſuram degentes, abſque peculiari Superiorum, ad quos quomodocunque ſpectat, licentia.

XIV. Indulta, facultates, & gratias mox relata, eorumve aliqua in toto, vel in parte, indefinite, vel ad tempus, & in caſu particulari, ſeu alio quovis modo aliis communicandi.

Quę quidem omnia, & ſingula, etiamſi ſub quibuslibet aliis quantumvis amplis verborum formis, & tenoribus conceſſa, & impetrata fuerint, quoad utrumque forum, ac generaliter, ſive res ſit de caſu occulto, ſive de publico, revocata, & abrogata eſſe, ac intelligi, & cenſeri debere ſtatuimus.

Diſtricte propterea prohibemus, ne quiſquam deinceps indultis, facultatibus, & gratiis ſic per Nos revocatis, & abrogatis ullatenus uti audeat, ſeu pręſumat, ſub pęna excommunicationis, ac privationis officiorum, dignitatum, & quorumvis beneficiorum obtentorum, vocis activę, & paſſivę, necnon inhabilitatis ad audiendas confeſſiones, & ad officia, dignitates, & beneficia hujuſmodi in futurum obtinenda, ipſo facto abſque ulla alia declaratione per tranſgreſſores reſpective incurrenda, a qua nonniſi a Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, pręterquam quoad excommunicationem prę-

pręfatam in mortis articulo conſtituti, abſolutionis, diſpenſationis, ſeu rehabilitationis beneficium valeant obtinere.

Noverint inſuper Pęnitentes, & alii fideles, abſolutiones, diſpenſationes, relaxationes, commutationes, convalidationes, compoſitiones, & alia ejuſmodi, ſi quę in poſterum contra hanc noſtram prohibitionem obtinuerint, nulla fore, nulliuſque roboris, ac momenti.

Ceterum per pręſentes non intendimus revocare ſupradicta indulta, facultates, & gratias, quę per quaſvis literas Apoſtolicas, etiam in ſimili forma Brevis expeditas, vel reſcripta a S. R. E. pręfatę Cardinalium, aut Romanę Curię Pręlatorum, aliiſve Almę Urbis Congregationibus edita, & ab eiſdem Prędeceſſoribus approbata, necnon per dictum officium Pęnitentiarię Apoſtolicę quandocunque conceſſa fuerint, ſeu emanaverint, quę ſalva, ac firma remanere volumus.

Decernentes eaſdem pręſentes literas, & in eis contenta etiam ex eo, quod prędicti, & alii quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet pretendentes, ad ea vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtrę, ſeu alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, in controverſiam vocari, aut adverſus illa quodcunque juris, gratię, vel facti remedium intentari, vel impetrari nullatenus poſſe, ſed ipſas pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter obſervari; ſicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictęque Sedis Nuncios, & alios quoslibet, quavis pręeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit, quarumlibet Eccleſiarum, Ordinum, Congregationum, Militiarum etiam Sancti Johannis Hieroſolymitani, Inſtitutorum, Societatum etiam Jeſu, Communitatum, Univerſitatum, Capitulorum, Collegiorum, Confraternitatum, Conventuum, & Monaſteriorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & alias quomodolibet in contrarium pręmiſſorum conceſſis, confirmatis, & approbatis, ac pluries, & quantiſcunque vicibus innovatis.

Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe, ac pleniſſime, & ampliſſime derogamus, & derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque.

Ut autem eędem pręſentes literę ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſię Lateranenſis, & Baſilicę Principis Apoſtolorum, necnon Cancellarię Apoſtolicę, Curięque Generalis in Monte Citatorio, & Acie Campi Florę de Urbe pręfata, ut moris eſt, affigi, & publicari, ſicque publicatas, & affixas, omnes, & ſingulos, quos illę concernunt, perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatę fuiſſent. Utque ipſarum literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quę eiſdem pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII Februarii MDCCXXXII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Cardinalis Oliverius.

Anno a Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo ſecundo die XV Februarii, Indictione decima, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. Clementis divina providentia Papę XII Anno Secundo, ſupradictę literę Apoſtolicę affixę, & publicatę fuerunt ad valvas Eccleſię Lateranenſis, Baſilicę Principis Apoſtolorum, Cancellarię Apoſtolicę, Curię Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Florę, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Bendinum Cheti Apoſtolicum Curſorem.

Nicolaus Cappelli Magiſter Curſorum.

1. *Archivo.*) In quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſum *MDCCXXXII.*

De

De approbandis ſtatutis a Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum editis, ac privilegiis Cathedræ S. Thomæ Aquinatis in Univerſitate Mutinen.(1).

Anno 1732 Die 29 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

IX.

SAcra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, re undique mature diſcuſſa, referente Eminentiſſimo Domino Cardinali Gentili Ponente ſupra expreſſa ſtatuta P. Magiſtri Generalis, & Privilegia Cathedræ S. Thomæ Aquinatis in Univerſitate Mutinen. cenſuit eſſe approbanda, prout præſentis decreti vigore benigne approbat; & confirmanda per literas Apoſtolicas, ſi Sanctiſſimo placuerit. Romæ die XX Martii MDCCXXXII.

Ex audientia deinde Sanctiſſimi habita ab infraſcripto D. Secretario ejuſdem Sacræ Congregationis ſub die XXIX menſis prædicti, Sanctitas Sua benigne annuit in omnibus, & Literas Apoſtolicas expediri mandavit. Romæ &c.

Card. Franciſcus Barberinus.

Loco ✻ Sigilli.

J. Archiepiſcopus Corinth. Secretarius.

1. *Mutinen.*) Conſulenda Conſtitutio *XI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar, typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſum MDCCXXXII.

Quædam Apoſtolicæ literæ ad terminos juris redactæ.

Anno 1732 Die 30 Martii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

X.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

I. Romanus Pontifex Vineæ cuſtodiendæ præpoſitus.

ROmanus Pontifex, quem cæleſtis paterfamilias Vineæ ſuæ cuſtodiendæ præpoſuit, diu noctuque operarios, impigre in ea laborantes, circumſpicit, congruam, immo amplam mercedem eis largiturus, ut Vinea, probis agricolis hoc pacto ad eam alacrius excolendam incumbentibus, uberiori proventu fructificare poſſit.

II. Privilegia ordinibus regularium conceſſa, ob pacem Eccleſiæ, ad moderationem revocantur.

Sane felicis recordationis prædeceſſor noſter Benedictus Papa XIII ſtrenuas Ordinum regularium & mendicantium cohortes, hanc Domini Vineam, atque agrum Eccleſiæ, indeſinenter colere conſpicatus, ac paterno erga eos animo affectus, quo etiam nos ipſi utique afficimur, plura eis privilegia conceſſit, ratus, ea pari voluntate univerſim excipienda: quod tamen ſecus eveniſſe, nos ad ſupremi Sacerdotii apicem, diſponente Domino, evecti, ægre intelleximus; inde nimirum præter omnem expectationem noſtram, variis litibus & controverſiis exortis, ac niſi opportune occurratur, fortaſſe in poſterum exorituris. Quare nonnullis ex hujuſmodi literis & Conſtitutionibus Apoſtolicis mature perpenſis, ad ſedandos rumores propterea excitatos, mutuamque & vere Chriſtianam inter Epiſcopos & regulares familias, ac etiam ſeculares Ordines & ſodalitates, publicaſque Univerſitates, benevolentiam & pacem ubique in Eccleſia ſervandam, de conſilio nonnullorum ex venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, in hanc ſententiam devenimus, ut ſubſequentibus literis & Conſtitutionibus Apoſtolicis, eodem Pontifice Benedicto ſedente, vulgatis, moderationem aliquam, auctoritate noſtra adhibendam eſſe decerneremus. Literæ vero ipſæ & Conſtitutiones, Ordinibus regularibus pridem conceſſæ, hæ ſunt.

Editæ IV Idus Decembris anno Domini MDCCXXV, quæ incipiunt: *Paterna* (2).
Aliæ IX Kalendas Junias anni MDCCXXVI quæ incipiunt: *Ratio Apoſtolici Miniſterii* (3).
Aliæ III nonas Julias ejuſdem anni, quæ incipiunt: *Singularis devotio* (4).
Aliæ VIII Auguſti ejuſdem anni, quæ incipiunt: *Exponi nobis nuper fecerunt* (5).
Aliæ Kalendis Septembris ejuſdem anni, quæ incipiunt: *Vitæ & morum integritas* (6).
Aliæ Kalendis Januarii anni MDCCXXVII quæ incipiunt: *Libenter* (7).
Aliæ V nonas Martias ejuſdem anni, quæ incipiunt: *Loca ſancta* (8).
Aliæ Kalendis Aprilis ejuſdem anni, quæ incipiunt: *Ex quo ſedes* (9).
Aliæ V nonas Aprilis ejuſdem anni, quæ incipiunt: *Summe decet* (10).
Aliæ VII Kalendas Junias ejuſdem anni, quæ incipiunt: *Pretioſus* (11), una cum declarationibus ſub die XXVIII Septembris anni MDCCXXVIII ab eodem Pontifice factis ſuper quibuſdam dubiis, circa intelligentiam rerum, in ipſa Conſtitutione contentarum exortis.
Aliæ XXI Martii MDCCXXIX quæ incipiunt: *Exponi nobis fecit*.
Aliæ demum VII Kal. Aprilis ejuſdem anni MDCCXXIX, quæ incipiunt: *In Sede* (12).

III. Eadem privilegia pio, & laudabili fine conceſſa, lites, neceſſario ſedandas, excitaverunt.

Quamvis autem hæc omnia & ſingula ex ejuſdem recolendæ memoriæ Benedicti pia & laudabili erga regularium familias voluntate, profecta fuerint, quos ipſe ob eorum zelum de ſalute animarum, religionis fervorem, doctrinam, & regularis diſciplinæ obſervantiam, magna ac vere paterna dilectione proſequebatur, noſque ipſi æque proſequimur, conceſſa, extenſa, decreta, confirmata & declarata fuerint; nos tamen, qui, poſt varias altercationes, & difficultates de iiſdem literis, & Conſtitutionibus exci-

excitatas, optatam ſanctę Dei Eccleſię tranquillitatem prę oculis habemus, volentes, ut univerſis Dominici gregis paſtoribus, ac prędertim venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, in partem ſollicitudinis noſtrę vocatis, liberum jurium ſuorum, quę ſummi Dei gloriam & animarum ſalutem reſpiciunt, in illorum diœceſibus exercitium ſervetur; quęque illud quomodocunque impedire & lędere fortaſſe poſſunt, pro virili noſtra penitus amovere cupientes, quemadmodum alias Romani Pontifices anteceſſores noſtri ſępius egerunt; nos quoque ad pręſervandum iiſdem Patriarchis Archiepiſcopis, & Epiſcopis ac quibuſcunque aliis Ordinibus ac cętibus eccleſiaſticis & ſecularibus ſuorum jurium exercitium & poſſeſſionem, amovendamque quarumcunque diſſenſionum & litium occaſionem, ex conceſſa nobis divinitus Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, eorundem anteceſſorum noſtrorum Pontificum Romanorum veſtigiis inhęrentes, ſtatuimus & decernimus, de omnibus & ſingulis prędictis literis, & Conſtitutionibus, quę ab eodem anteceſſore noſtro Benedicto prodierunt; necnon de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus, facultatibus & declarationibus, in iiſdem contentis, eam deinceps deciſionem, ac judicium, etiam in foro conſcientię, habendum, quod ſive ex jure communi, ſive ex Concilio Tridentino, ſive ex decretis & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſive alias, legitime habebatur antequam eędem literę & declarationes ab eodem Benedicto conceſſę fuiſſent, perinde ſcilicet, ac ſi illę non emanaſſent: ad quam diſpoſitionem, ejuſque priſtinum ſtatum ac terminum omnia ſuperius enunciata, omnino reducimus & reducta eſſe volumus, itaut in poſterum ſupradicti Ordines regulares earundem literarum, & Conſtitutionum uſu, commodo & effectu penitus carere debere intelligantur.

IV. Decreta irritantia, iiſdem privilegiis appoſita, ad viam juris communis reducuntur.

Hinc ad prę miſſorum effectum pro nullis & infectis haberi volumus omnia decreta irritantia, prohibitiones, declarationes, mandata & quęcunque in literis & Conſtitutionibus prędictis quomodolibet appoſita, atque alia eorundem occaſione facta, huic reductioni, decreto & voluntati noſtrę quomodocunque adverſantia, quibuſcunque ea eſſent concepta formulis; ac pręſervationibus, declarationibus, modificationibus, reſtrictionibus, explicationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque validiſſimis, efficaciſſimis & inviolabilibus clauſulis, prędertim quod ſemper in data cuicunque conſtitutioni, illarum revocatorię, in poſterum edendę, poſteriores cenſeantur; etiam motu proprio & poteſtatis pari plenitudine ac ex certa ſcientia; etiam conſiſtorialiter, etiam pro conſervatione ſtatus regularis, etiam in vim contractus & ſtipulationis, inter Sedem Apoſtolicam & Ordines prędictos initę, quam ad hujuſmodi effectum reſcindimus, & ex nunc reſciſſam, nulliuſque roboris & momenti eſſe volumus & decernimus; ideoque omnes diſſenſiones, altercationes & lites coram quibuſcunque Judicibus ordinariis, extraordinariis & commiſſariis, etiam cauſarum Palatii noſtri Auditoribus, & Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalibus, etiam de latere Legatis, necnon quacunque eorundem Cardinalium Congregatione, prędictarum literarum & Conſtitutionum occaſione jam motas, necdum deciſas aut finitas, vel etiam quę jam deciſę eſſent, ſi modo tractum habeant ſucceſſivum, eaſque rurſus in poſterum excitari contingat, juxta juris communis, Concilii Tridentini decretorum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, ac pręſentem hanc noſtram diſpoſitionem, nec aliter, decidendas eſſe pręcipimus. Futura vero dubia & difficultates, ubicunque & quandocunque oriantur, ad nos & Sedem Apoſtolicam, ad quam Pontificiarum Conſtitutionum atque eccleſiaſticarum ſanctionum interpretatio pertinet, referenda eſſe decernimus.

V. Clauſulæ ad præſentes literas perpetuo ſervandas.

Itaque omnia & ſingula hactenus memorata, necnon pręſentes, etiam ex eo, quod cauſę, ob quas emanaverint, comprobatę, expreſſę & verificatę; aut in prę miſſis intereſſe habentes, vel habere prętendentes, ad hoc vocati, citati & auditi non fuerint, neque iiſdem conſenſerint, vel alias ex quocunque capite, pretextu, colore, ingenio, vel cauſa, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis noſtrę, ſive alio quovis defectu notari, & impugnari, argui, infringi, retractari, in jus vel controverſiam vocari, ad terminos juris reduci, aut contra eas quodvis gratię, vel juſtitię remedium impetrari, ſeu concedi nullatenus poſſe; ſed eas, ac omnia & ſingula in eis contenta, ſemper & perpetuo valida, firma & efficacia eſſe & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter obſervari, omnino ſtatuimus; ſicque & non alias per quoſcunque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii noſtri Auditores, ac prędictę Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictęque Sedis Nuncios, quavis auctoritate & facultate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, definiri, & interpretari debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & decretum eſſe volumus; non obſtantibus prę miſſis, necnon noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę regula *de jure quæſito non tollendo*, necnon omnibus & ſingulis prędicti Benedicti deceſſoris, ac declarationibus ſuper dubiis, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnium & ſingulorum ordinum prędictorum, ac eorum cuilibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, etiam Mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis, literiſque Apoſtolicis, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, cum quibuſcunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, aliiſque decretis in genere vel in ſpecie, etiam motu proprio & conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium prę miſſorum, conceſſis, confirmatis & pluries innovatis: quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma, ad hoc ſervanda foret; eorum omnium & ſingulorum tenores, iiſdem pręſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis, habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, latiſſime & pleniſſime, hac vice duntaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque quomodolibet contrariis quibuſcunque.

Vo-

Volumus autem, ut eędem pręſentes in valvis Baſilicarum Sancti Johannis in Laterano, & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in acie Campi Florę, ut moris eſt, affixę, quoſcunque illę reſpiciunt, arctent, & afficiant, perinde, ac ſi unicuique coram & perſonaliter intimatę fuiſſent, utque earundem pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę, munitis, eadem prorſus fides, adhibeatur, quę eiſdem pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę.

VI. His omnimoda fides adhibeatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, decreti, voluntatis, moderationis, & reductionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

VII. Nemo eas infringere audeat.

Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicę Milleſimo Septingenteſimo Trigeſimo Secundo, Tertio Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

A. Card. Prodatarius.

F, Cardinalis Oliverius.

Viſa de Curia

J. Archiepiſcopus Anciranus.

D. Stivanus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Septingenteſimo Trigeſimo Secundo, die Secunda Aprilis Indictione decima, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri, Domini Clementis Divina Providentia Papę XII Anno Secundo, ſupradicta Conſtitutio affixa & publicata fuit ad valvas Eccleſię Lateranenſis, Baſilicę Principis Apoſtolorum, Cancellarię Apoſtolicę, Curię Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Florę, & aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Bandinum Cheti Apoſtolicum Curſorem.

Nicolaus Cappelli Magiſter Curſorum.

1. *Archivo.*) In quo exemplar, typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ* MDCCXXXII.
2. *Paterna.*) Pro Tertiariis Ordinis S. Franciſci Minorum Obſervan.
3. *Miniſterii.*) Pro Tertiariis Ordinis S. Franciſci Minorum Capucinorum.
4. *Singularis devotio.*) Pro Tertiariis Ordinis S. Franciſci Minorum Conventualium.
5. *Fecerunt.*) Pro Tertiariis Ordinis Servorum B. Mariæ.
6. *Integritas.*) Pro Theatinis Clericis Regularibus.
7. *Libenter.*) Pro Ordine Eremitarum S. Auguſtini.
8. *Loca Sancta.*) Pro Fratribus Minoribus Terræ Sanctæ.
9. *Ex quo Sedes.*) Pro Archiconfraternitate Conceptionis in Romano Cœnobio Aracæli conſtituta.
10. *Summe decet.*) Pro Fratribus Minoribus.
11. *Pretioſus.*) Pro Ordine Fratrum Prædicatorum.
12. *In Sede.*) Pro Canonicis Regularibus.

Confirmantur ſtatuta, & privilegia Cathedræ Sancti Thomæ Aquinatis, ad commendationem tutiſſimæ doctrinæ SS. Patrum Auguſtini, & Thomæ, in Univerſitate Mutinen. erectæ (1).

Anno 1732. Die 16 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XI.

C L E M E N S PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Johannes Dominicus de Agnanis (3), Frater expreſſe profeſſus Ordinis Prędicatorum, in Sacra Theologia Magiſter, ac Bibliothecę Caſanatenſis Bibliothecarius, necnon Congregationis venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium indici librorum prohibitorum, & expurgandorum, prępoſitę, Conſultor, quod cum jam alias tempus electionis, ac inſtitutionis primi Profeſſoris Theologi in Cathedra S. Thomę Aquinatis, per dilectos filios Presbyteros ſeculares Congregationis ſub invocatione B. Marię Virginis, & S. Caroli Civitatis Mutinen. in illius Univerſitate ſtudii Generalis addita, erecta, dictoque Ordini per publicum inſtrumentum, die XIII Novembris MDCCXXVIII confectum, donata, immineret, neque celebratio Capituli Generalis ipſius Ordinis inſtaret, a quo auctoritate ordinaria certa quępiam privilegia, in opportunum ſtimulum, condecenſque pręmium, ob inſignes ſingulares labores a profeſſore illo, eoſque alias omnino gratis ſubeundos, eidem pro tempore exiſtenti concedenda, firmari poſſent, ipſe Johannes Dominicus felicis recordationis Benedicto Papa XIII Prędeceſſori noſtro, libellum precarium porrigens, reſcriptum, ipſius manu exaratum, obtinuit, quo moderno Magiſtro Generali Ordinis hujuſmodi benigne commiſſa, & impertita fuit opportuna facultas, ut quibuſcunque minime obſtantibus, privilegia illa concederet, ac ſtatuta conderet, quibus Profeſſor ipſe frui, ac potiri, regique reſpective poſſet, & deberet. Ipſe vero Magiſter Generalis in vim facultatis ſibi ad id a pręfato Benedicto Prędeceſſore attributę, & auctoritate etiam ſua, privilegia, & ſtatuta, favente, ac dirigente in omnibus eundem Johannem Dominicum dilecto filio noſtro Vincentio Ludovico S. R. E. pręfatę Cardinali Gotto nuncupato, edidit,

Supplex petitio.

eademque poſtmodum obſequenter acceptata, ac a Provincia utriuſque Lombardię prefati Ordinis in dicta, auctoritate etiam Apoſtolica in Conventu ad S. Sabinam de Urbe IX Martii MDCCXXX coacta, publicata fuerunt, & ad eorum tenorem dilectus pariter filius Hyacinthus Baronio, Sacrę Theologię Magiſter, qui inclinante jam biennio Cathedram ipſam condigne moderatur, in primum illum profeſſorem electus, & inſtitutus fuit, & alias, prout continetur in iiſdem privilegiis, & ſtatutis, tenoris, qui ſequitur, videlicet: Nos Fr. Thomas Ripoll, S. T. P., ac totius Ordinis Prędicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus. Cum celeberrimi Domini Sacerdotes inſignis Congregationis Beatę Marię Virginis, & S. Caroli Mutinę, prępoſiti Univerſitati ejuſdem Civitatis, utque cum ingenti cordis noſtri

Cathedræ finis.

lętitia, in commendationem tutiſſimę doctrinę SS. PP. Auguſtini, & Thomę, atque in grati eorum animi perenne monumentum erga Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Dominum Benedictum Papam XIII, Ordinis noſtri filium, Protectorem, & Patrem, qui ſuppliciter petente P. M. Fr. Johanne Dominico de Agnanis eidem Univerſitati Lauream in Sacra Theologia conferendi, facultatem benigne confirmavit, & quatenus opus eſſet, de novo fecit, ac conceſſit, Apoſtolico reſcripto ſuo ſub die XX Decembris anni MDCCXXVII, tumque Apoſtolicis etiam literis in forma Brevis, ad Rectorem ejuſdem datis XXIII

Erectio. Donatio Ordini.

Junii MDCCXXVIII, novam, perpetuamque erexerint in laudata Univerſitate Theologicam Cathedram, Sancti Thomę Aquinatis nuncupandam, eamque liberaliter in perpetuum noſtro donaverint Ordini, abdicata a ſe poteſtate, eaque in perpetuum quoque translata in filios noſtri Conventus Mutinen., Provincię utriuſque Lombardię, eligendi pro eadem Cathedra Profeſſorem, tempore, ratione, ac modo, quibus iidem maluerint, ipſique viciſſim filii Conventus, ſolummodo, & merito quidem, attendentes propagationem doctrinę dictorum Sanctorum, in Eccleſię commodum, proximorum ſalutem, ac ſalubrem eruditionem, & Ordinis noſtri decus, renunciaverint cuicunque honorario pro Profeſſore prędicto, ſicut in Inſtrumento, ſub die XIII Novembris MDCCXXVIII prędicti deſuper confecto, latius continetur: Inde, ut ab eximiis illis Sacerdotibus collatum Ordini noſtro juge beneficium a Nobis congrue excipiatur, atque juxta Sanctiſſimi Domini Noſtri mentem ſupremam, & prędictorum Dominorum pręclarum deſiderium, Cathedra S. Thomę certis decoretur privilegiis, ipſique fu-

Labores.

turis temporibus vere idonei Profeſſores pręficiantur, qui graves labores, ad eam Cathedram, ad inſtar aliarum pręfatę Univerſitatis, regendam, utique neceſſarios, temporali licet emolumento deſtituti, condigne perferant, ac libenter, viro religioſo dignum conſequentes premium, facultate a pręlaudato Sanctiſſimo PP. Noſtro Benedicto XIII per Chirographum ſuum ſub die XXVII Januarii proxime pręteriti de Apoſtolica dignatione, ad alias humillimas ſupradicti Patris Magiſtri Agnani preces, Sanctitati Suę oblatas, Nobis facta, necnon reſpective etiam officii noſtri auctoritate, ac pręſentium tenore.

Statuta.

I. Diſtricte pręcipimus, quatenus filii prędicti Conventus Mutinen. pro tempore, ſolum Deum, ac Religionis ſplendorem habentes prę oculis (juxta laudabile ſupradictorum pręſentium filiorum propo-

Profeſſor qualis eſſe debeat.

ſitum) illum eligant in Profeſſorem, quem perſpecta morum honeſtas, ac firmiſſima adheſio doctrinę S. Thomę, in exercitio pręcedentium Lecturarum probata, ſpectabilem ſeculo, & in Religione, ac Schola S. Thomę, & noſtra, commendabilem reddant, quo decori ſimul & quieti ſui ipſorum Conventus etiam conſulatur. Ut vero bonum commune Provincię, Ordinis, ac etiam Eccleſię, particulari ejuſdem Conventus condigne pręferant, neque ſine ingenti neceſſitate permittant, in ea Univerſitate S. Thomę Cathedram ſilere, mandamus, quatenus ubi idoneus deſit Conventus filius, quem ſemper pręferendum eſſe declaramus, & volumus, Profeſſorem, dictis, ac dicendis dotibus omnino inſtructum, ex duobus aliis ſtatus Mutinen. Conventibus, Regienſi, nimirum, ac Corrigien. in primis, tum vero etiam in hiſce deficiente idoneo Lectore, & non aliter, ex alio ejuſdem Provincię Conventu aſſumant. Ceterum, quia judicium de eligendi doctrina ad eos potiſſimum noſcitur pertinere, qui propter

A quibus eligendus.

habitas in ſchola S. Thomę exercitationes, in ea pręſtantiores cenſendi ſunt, quoties ſaltem major pars filiorum Conventus Graduatorum in eodem Conventu actu non exiſtant, Graduatorum abſentium votum per epiſtolas filii in Conventu exiſtentes requirere, expectare, atque tanquam ſi illi electioni intereſſent, numerare teneantur, & idem ſervari volumus deficientibus filiis Graduatis, in ordine ad filios actu legentes Theologiam, & his ſimiliter deficientibus reſpective ad Lectores actuales Philoſophię. Et dicta quidem omnia, & ſingula ſub pęna nullitatis electionis ſerventur, & in actu electionis ejuſdem ad Magiſtrum Ordinis, ut mox dicetur, mittendo, exprimantur, atque in libro ad hoc inſtructo deſcri-

Confirmandus a Magiſtro Ordinis.

bantur. II. Electionem ſemel rite factam ad Nos, & Succeſſores noſtros, ſive ad Vicarios Generales Ordinis pro tempore, Fratres prędicti mittant, pro confirmatione, & literarum patentium, pro lectione publice habenda requiſitarum, expeditione. Confirmationem quippe, & conceſſionem prędictas, quemadmodum, & irritationem ejuſdem electionis, ſi de perſona minus digna, aut contra alia a Nobis pręſcripta quandoque fiat, Nobis, & Succeſſoribus prędictis, privative quoad alios quoſcunque, juſ-

Amoveri poteſt ab aliis.

tis de cauſis, reſervamus, juxta Sanctiſſimi laudatum reſcriptum, ſalva tamen auctoritate ordinaria tum Capituli Provincialis, cum etiam P. Provincialis, maxime in ſancta viſitatione, ac inſuper viſitatorum ejuſdem Conventus, ad Profeſſorem ipſum, adhuc a Nobis, & Succeſſoribus prędictis confirmatum, & datum, ſuſpendendum, ac etiam a Cathedra, & Conventu prędictis removendum, quoties ipſum minus laudabiliter vivendo, aut docendo, muneri ſuo deeſſe, comperirent. III. Electio ipſa ſemper

Eligatur ad annos præſcriptos.

fiat ad annos determinatos, itaut experimento comprobari poſſit, an Profeſſor ſemel conſtitutus, docendi gratia, ſed in primis converſationis, ac morum meritis exigentibus, ſit in eodem munere confirmandus, atque etiam ut pateat locus pręcedentię ſuperius expoſitę. Sicque primo anni ipſi non excedant tempus ad Magiſterium ſimplex, deinde vero ad alia ſucceſſive a Nobis firmanda infra requiſitum.

Quomodo ſupplendum, donec novus Profeſſor ſit præſens.

Ne autem Cathedram Profeſſore deſtitui, ſicque ſeculares, D. Thomę doctrinam amantes, opportuno Magiſtro carere, contingat, poterit Profeſſor quilibet, adhuc abſoluto ſibi per electionem, & in patentibus pręfixo tempore, in lectione pergere, donec vel ipſe confirmetur, vel ſucceſſor pręſens fuerit. Quoties vero Profeſſor ipſe, decurrente, vel inſtante tempore pro ſcholaſticis exercitiis in

Uni-

Univerſitate habendis, quacunque de cauſa in lectione ipſa pergere non poſſit, quemadmodum etiam ſi mori, vel amoveri ipſum, contingat, ne diſcipuli prędicti ob recurſum ad Magiſtrum Ordinis pro novo Profeſſore firmando, atque hujuſce ad Univerſitatem ipſam acceſſum, cum ipſorum detrimento, diutius Pręceptore deſtituantur, Filii Conventus de conſenſu expreſſo P. Provincialis, ſi expeditus ſit ad eum acceſſus, vel Vicarii Provincię, vel ſaltem Patrum a conſiliis Conventus ipſius, pro interim de ſubſtituto provideant, qui pro tempore ſubſtitutionis ſuę privilegiis, aliis Lectoribus Provincię legitime competentibus, fruatur. IV. In nova electione filii Conventus eum pręferant, qui ſemel ad id muneris aſſumptus fuerit, ſi muneri ſuo antea plene ſatisfeciſſe compererint, niſi in concurſu Fratris extranei occurrat filius Conventus Mutinen., tum Regien., aut Corrigienſis, ut ſupra, opportunis qualitatibus inſtructus, quem in uſu prędictę Cathedrę pręferendum jam diximus. V. Cum ętatis maturitas, ac diuturnior in docendo exercitatio plurimum conferant ad erudiendam cum proventu, & ęſtimatione juventutem, nullus eligatur in Profeſſorem Cathedrę pręfatę, qui ſaltem per ſex annos cum eximia laude antea non legerit, & quoad fieri poterit is eligatur, qui lectionem primariam Theologię, vel pro primaria ab Ordinis Magiſtro approbatam, ad aliquem annum, ac etiam ad triennium perfecerit. VI. Attendentes labores ſingulares Cathedrę Ordinis noſtri, quos ſępedictus Profeſſor, & quidem ſine ullo temporali emolumento, (cui alias obeſſe nolumus, & declaramus, ſi quando forte ex Conventu, vel aliunde eidem futuris temporibus propter inſignes labores ipſos aliquid obveniat) atque adeo ſine exemplo, in ea Univerſitate ſubire debet, ac perferre, decernimus, & mandamus, quatenus Profeſſor, qui omnia, & ſingula pręſcripta per leges, & conſuetudines, pro dictandis, & explicandis lectionibus, pro conferentiis, & concluſionibus tam privatis, quam publicis, necnon pro ceteris quibuſcunque in pręfata Univerſitate, juxta ipſius Kalendarium, & ſtylum, exercitationibus habendis, laudabiliter, ut ſupra, & infra, perfecerit, itaut ſolo infirmitatis actualis, vel urgentis tantummodo ad paucos dies gravis neceſſitatis, per Magiſtrum Ordinis, Capitulum Provinciale, aut etiam per P. Provincialem Provincię prędictę ſubinde recognoſcendę, obtentu, & non alio quocunque pretextu, vel ipſis, vel ipſorum aliquibus eximatur, non ſolum de victu, veſtitu, ac medicinalibus, quemadmodum ceteri Fratres in eodem Conventu alias aſſignati, provideatur, ſed etiam gaudeat omnibus, & ſingulis privilegiis, & exemptionibus, quibus Lectores in Collegio ejuſdem Conventus legitime potientur, aut potiri conſueverunt, ac inſuper reſpective inſignibus aliis privilegiis, infra auctoritate Apoſtolica per Nos decernendis. Qui vero realiter, & cum effectu, abſolute, vel etiam ad aliquod tempus pro prędictis ſcholaſticis functionibus in eadem Univerſitate determinatum, etiam ob pręciſam diſcipulorum carentiam, eadem non perfecerit, abſolute ſimiliter, vel ad idem tempus, nullo penitus ex dictis, multo magis ex dicendis privilegiis, gaudeat, ſed per Priorem, niſi aliunde ſit canonice exemptus, ad diurnam, & nocturnam ſequelam chori, atque ad alia Religionis exercitia, tanquam vere unus ex Patribus ſimplicibus Conventus, cogi poſſit, ac debeat. VII. Qui modo prędicto datus fuerit in Profeſſorem, atque poſt expletam lectionem primariam, vel a Magiſtro Ordinis pro tempore pro primaria approbatam, ſive ad minus poſt exactum integrum in legendo novennium, per alios quatuor annos legerit condigne ſecundum prędictas leges, & conſuetudines, & atteſtationem a Rectoribus Univerſitatis, atque a tribus ſaltem Patribus ex gravioribus dicti Conventus ſubſcriptam, de vere, realiter, ac laudabiliter, cum diſcipulorum proventu, & ędificatione proximorum, peracto, vel propediem complendo illo quadriennio, Capitulo Provinciali exhibuerit, poſſit, ac debeat ad Magiſterium ſimplex ab eodem Capitulo poſtulari, quemadmodum & ad Magiſterium ſtudentium in ſtudio Generali Bononien. exercendum, niſi alias antea ſuis exigentibus meritis ad hoc poſterius fuiſſet poſtulatus. Idem vero proportione quoad annos ſervata fiat pro eo, qui per plures, quam per novem annos legerit priuſquam ad Cathedram illam aſſumatur. VIII. Qui poſt quindennium ex decretis Apoſtolicis alias requiſitum, vel poſt prędictum tempus pro Cathedra S. Thomę ex Sanctiſſimi conceſſione ſufficiens, ad Lauream prędicti Magiſterii ſimplicis, a Magiſtro Ordinis, ad eam promotus, vel ab ea ſuſcipienda diſpenſatus, necnon a Provincia ad Magiſterium ſtudentium poſtulatus, a filiis ſupradictis electus, & a Nobis, vel Succeſſoribus noſtris, ut ſupra, datus fuerit, vel confirmatus in Profeſſorem, & per biennium Cathedram moderatus fuerit, atque atteſtationes de biennio completo, vel proxime complendo Capitulo Provinciali exhibuerit, ſervatis omnibus, & ſingulis nuper dictis, a Capitulo ipſo Provinciali in Regentem, vel Baccalaureum, prout ſibi ſpectatis meritis convenientius videbitur, perinde ac ſi vere, realiter, & non per ęquipollens, Magiſterium prędictum ſtudentium Bononię compleviſſet, poſtulari ſimiliter poſſit, ac debeat. IX. Ubi denique aliquis electus, & datus, ſive confirmatus fuerit, ut prędictum eſt, in Profeſſorem, poſtquam biennium pręmiſſum, vel etiam Magiſterium ſtudentium Bononię, cum poſtulatione antedicta ad Regentatum, vel Baccalaureatum, perfecerit, & per aliud quadriennium in Cathedra S. Thomę pręſtiterit ſupradicta omnia, modo pariter dicto, atque atteſtationes pręfatas de eo peracto, vel proxime complendo, ad Capitulum Provinciale detulerit, in Magiſtrum Provincię cum loco & voce a Capitulo ipſo acceptari poſſit, ac debeat, in omnibus, & per omnia, ac ſi Regentatum ipſum, aut Baccalaureatum in ſtudio Generali Bononienſi realiter, & cum effectu abſolviſſet. X. Ne vero contingat, prędictas a Nobis poſtulationes ad Magiſterium ſtudentium, Baccalaureatum, vel Regentatum, Profeſſori ex eo denegari a Provincia, quod per Nos, & Succeſſores prędictos, numerus poſtulandorum pręfigatur, concedimus de gratia ſpeciali pro futuris perpetuo temporibus, quatenus quotieſcunque poſtulandus occurrat ad aliquem prędictorum graduum aliquis ex futuris Profeſſoribus, numerus ille pro tempore pręfixus pro Profeſſore ipſo augeatur, ut idem non tanquam ſupranumerarius, ſed intra numerum ipſum, & quidem modo, loco, & ordine, quos ejuſdem merita reſpective ad alios poſtulandos exigent, reipſa poſtuletur. Reſervamus tamen Nobis facultatem, ad ea addenda, quę ad ſupradictorum firmiorem executionem, aut clariorem expoſitionem, opportuna a Nobis cenſeri poterunt. Quemadmodum ex ſupradicto Chirographo Sanctiſſimo, Nobis,

Quiſnam præferendus?

Ætatis, & exercitationis Requiſita.

Privilegia ſub certi oneris cōditione Profeſſori conceſſa.

Auctoritate alias ordinaria.

Auctoritate Apoſtolica.

In Ordine ad Magiſterium ſimplex.

Magiſterium ſtudentium.

Et ad Magiſterium S. T. cum loco, & voce.

Aliud privilegium auct. Magiſtri Ord. conceſſum.

Præſervatio facultatum Magiſtro Ordinis.

Nobis, & Succeſſoribus noſtris prędictis reſervamus facultatem, ut ſi quandoque contingat, per Capitulum Provinciale impediri, quo minus Profeſſor aliquis, ſupradicta habens requiſita, merita, & opera, poſtulationibus, ac gratiis pręmiſſis fruatur, ipſum auctoritate Apoſtolica in eorum poſſeſſione ponendi, & conſervandi. Non obſtantibus quoad omnia, & ſingula hactenus dicta, ſtatutis Ordinis, Provincię prędictę legibus, aut privilegiis: Brevibus quoque Innocentianis, ſive decretis Apoſtolicis de quindennio integro pro Magiſterio ſimplici requiſito, de ęquipollentia tollenda, deque aliis quibuslibet, ceteriſque quibuſcunque non obſtantibus, quę idem Sanctiſſimus voluit non obſtare, & quibus auctoritate Nobis ab eodem Sanctiſſimo benigne commiſſa per pręſentes derogamus, & derogatum eſſe declaramus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Datum Romę in Conventu noſtro S. Marię ſupra Minervam die XVIII Februarii MDCCXXX. Fr. Thomas Ripoll Magiſter Ordinis. Loco ✠ Sigilli. Regiſt. fol. LIX. Fr. Dominicus Ponſi Magiſter Exprovincialis, & Socius: Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Johannes Dominicus, ut tam dictus Hyacinthus, quam ſucceſſores Profeſſores, & quicunque alii, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, privilegiorum regularium, ac utique gravium ſtatutorum hujuſmodi executionem firmius, lętiuſque promoveant, opportune in pręmiſſis a Nobis provideri, & alias, ut infra indulgeri, ſummopere deſideret; Nos ipſum Johannem Dominicum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus, ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitorum conſilio, omnia, & ſingula pręinſerta privilegia, & ſtatuta, a memorato Thoma Magiſtro Generali edita, ut pręfertur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium confirmamus, & approbamus, illiſque Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Ipſaque privilegia, & ſtatuta perpetuo obſervari, auctoritate, & tenore pręfatis mandamus. Necnon in iiſdem dicto Thomę Magiſtro Generali, facultatem addendi, quę pro illorum pleniori executione, vel declaratione opportuna cenſeri contingat, pręſervantes, ratam, firmamque habemus. Salva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit, Provincię, & Ordinis pręfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI Aprilis MDCCXXXII, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Supplicis petitionis continuatio.

Confirmatio Apoſtolica, cum opportuna præſervatione.

Clauſulæ.

Decretum irritum faciens.

F. Cardinalis Oliverius.

1. *Erecta.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſum *MDCCXXXII.*

3. *Johannes Dominicus de Agnanis.*) Vir præſtantiſſimus, variis editis operibus clarus, & in negotiis pertractandis ſolertiſſimus.

Anno 1732 Die 30 Aprilis.

XII.

Decretum Florentin. Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servæ Dei Catharinæ (1) de Ricciis Monialis Ordinis Sancti Dominici in Monaſterio Pratenſi Sancti Vincentii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Die Martis XXII Aprilis pręſentis Anni MDCCXXXII coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente XII habita fuit Congregatio Generalis Sacrorum Rituum in cauſa Florentina Ven. Servę Dei Catharinę de Ricciis Monialis Ordinis Sancti Dominici in Monaſterio Pratenſi Sancti Vincentii, in eaque per Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Origum Ponentem, ſeu Relatorem propoſitum Dubium -- *An, & de quibus Miraculis conſtet in caſu, & ad effectum, de quo agitur.* Sanctitas vero Sua, auditis Votis DD. Conſultorum, & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium, nihil tunc decernendum eſſe cenſuit, ſed reſolutionem de more differre voluit, ut prius in tam gravi deliberatione uberiorem Cęleſtis Luminis copiam imploraret. Cum autem jam id egiſſet, infraſcripta die Divę Catharinę Senenſi Virgini ejuſdem Ordinis Sacra, cujus nomine Serva Dei prędicta inſignita reperitur, & erga quam, dum viveret, ſingulari devotione, ob ſpeciales gratias ab ea receptas, ferebatur, accitis coram ſe R. P. D. Cavalchino Archiepiſcopo Philippenſi Fidei Promotore, & me infraſcripto Sacrę ejuſdem Congregationis Secretario ſequens Reſponſum publicari mandavit, videlicet.

Con-

Conſtare de IX cum X Inſtantaneę ſanationis Sororis Catharinę Alexandrę de Bonſiis Monialis Profeſſę in Monaſterio Sancti Vincentii Prati Ordinis Sancti Dominici ab Aneuryſmate; Et de XI Inſtantaneę item ſanationis Sororis Eliſabethę Cherubinę Catani Monialis Converſę in Monaſterio Sanctę Clarę Prati ab Iſchiade, tanquam Miraculis Tertii generis. Et ita &c. Hac die XXX Aprilis MDCCXXXII.

A. F. Card. Zondadari Pro Pręf.

Loco † ſigilli.

N. M. Tedeſchi Archiep. Apamenus Sac. Rit. Congreg. Secret.

1. *Catharina.*) Vide Conſtitutionem *XIV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſa *MDCCXXXII.*

Decretum Florentin. Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servæ Dei Catharinæ (1) De Ricciis Monialis Ordinis Sancti Dominici in Monaſterio Pratenſi Sancti Vincentii.

Anno 1732 Die 14 Auguſti.

XIII.

Ex Archivo (2) Ordinis.

POſtquam a ſanctę memorię Benedicto XIII die VII Martii Anni MDCCXXVII approbatę fuerunt in gradu heroico virtutes tum Theologales, tum Cardinales Ven. Servę Dei Catharinę de Ricciis Monialis Ordinis Sancti Dominici, & a Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente XII, pręvia Generali Congregatione Sacrorum Rituum, approbata item fuerunt duo Miracula tertii Generis, nimirum, Nonum cum Decimo inſtantaneę ſanationis Sororis Catharinę Alexandrę de Bonſiis Monialis Profeſſę in eodem Monaſterio Sancti Vincentii Prati Ordinis Sancti Dominici ab Aneuryſmate; Et XI repentinę ſanationis Sororis Eliſabethę Cherubinę Catani Monialis Converſę in Monaſterio Sanctę Clarę Prati ab Iſchiade pręfictę Ven. Servę Dei interceſſione ab Altiſſimo patrata; Coram eodem Sanctiſſimo Domino Noſtro habita tandem fuit alia Congregatio Generalis Sac. Rituum die V Auguſti pręſentis anni MDCCXXXII, in qua per Reverendiſſimum D. Cardinalem Origo Ponentem, ſeu Relatorem, facta prius, juxta Decretorum pręſcriptum, omnium in cauſa memorata hucuſque geſtorum plena, & diſtincta relatione, propoſitum fuit alterum, quod in ea ſupererat Dubium, ſcilicet -- *An, ſtante Approbatione Duorum iſtorum Miraculorum, tuto procedi poſſit ad ejuſdem Ven. Servæ Dei Beatificationem*: Omnibuſque tum DD. Conſultoribus, tum Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus Affirmative reſpondentibus, nihilominus Sanctitas Sua reſolutionem ea die differre exiſtimavit, ut fuſis ad Deum de more precibus, quid in hac tam gravi re agendum eſſet, exploraret. His vero jam peractis, idem Sanctiſſimus Dominus Noſter, accitis coram ſe infraſcripta die, pervigilio Aſſumptionis Beatiſſimę Virginis Sacra, R. P. D. Cavalchino Archiepiſcopo Philippenſi Fidei Promotore, & me Congregationis Sacrorum Rituum Secretario, pręſens Beatificationis Ven. Servę Dei Catharinę de Ricciis per Literas Apoſtolicas in forma Brevis cum conſuetis Indultis quandocunque faciendę Decretum expediri, ac publicari mandavit. Die XIV Auguſti MDCCXXXII.

A. F. Card. Zondadari Pro-Pręf.

Loco ✻ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiep. Apamenus S. Rit. Congr. Sec.

1. *Catharina.*) Vide Conſtitutionem *XIV.*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ MDCCXXXII.*

Beatificatio Servæ Dei Catharinæ de Ricciis (1) Monialis expreſſe profeſſæ Ordinis Sancti Dominici.

Anno 1732 Die 1 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. XII.

XIV.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

IN Apoſtolicę dignitatis faſtigio, nullis licet meritorum noſtrorum Suffragiis, per ineffabilem divinę bonitatis abundantiam conſtituti, ad ea, per quę Sacrarum Virginum cum cęleſti Sponſo in beata ęternitate regnantium, in quibus utpote vaſculis imbecillioribus opus dexterę Excelſi mirabilius apparuit, ac tanquam pretioſis monilibus multipliciter gaudet, atque refulget Eccleſię Matris glorioſa fęcunditas, cultus, & veneratio in terris promoveatur, libenter intendimus, ſicut pia Chriſti fidelium, pręſertim Catholicorum Principum vota poſtulant, & ad Omnipotentis Dei gloriam, ipſiuſque Eccleſię decus, & pręſidium, ac ędificationem fidelium, & Animarum ſalutem cognoſcimus in Domino expedire. Cum itaque accurate diſcuſſis, atque perpenſis per Congregationem venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium, Sacris Ritibus prępoſitorum Proceſſibus de Sedis Apoſtolicę licen-

licentia confectis ſuper Vitę Sanctitate, & Virtutibus in gradu heroico, quibus Serva Dei Catharina de Ricciis Monialis expreſſe profeſſa Ordinis Sancti Dominici claruiſſe, necnon Miraculis, quę ad ejus interceſſionem a Deo patrata fuiſſe aſſerebantur, Congregatio pręfata coram Nobis conſtituta, auditis etiam Conſultorum Suffragiis, unanimiter cenſuerit, ad ejuſdem Servę Dei Beatificationem, quandocunque Nobis videretur, tuto procedi poſſe. Hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis dilecti filii Nobilis Viri Joannis Gaſtonis Hetrurię ſibi ſubjectę Magni Ducis, ac totius Ordinis Sancti Dominici, necnon dilectarum in Chriſto filiarum Monialium Monaſterii S. Vincentii Civitatis Praten. in quo prędicta Serva Dei regularem profeſſionem emiſit, atque in Domino obdormivit, ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium conſilio, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium indulgemus, ut eadem Serva Dei Catharina de Ricciis in poſterum Beatę nomine nuncupetur, ejuſque Corpus, & Reliquię venerationi fidelium (non tamen in proceſſionibus circumferenda) exponantur, Imagines quoque radiis, ſeu Splendoribus exornentur, ac de ea ſub ritu duplici recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Virgine non Martyre ſingulis annis juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani die XIII Februarii. Porro recitationem Officii, ac Miſſę celebrationem hujuſmodi fieri concedimus in locis tantum infraſcriptis, nempe in Civitate Florentin., ubi dicta Serva Dei ortum habuit, in pręfata Civitate Praten., ubi diem clauſit extremum, ac in univerſo Ordine Sancti Dominici tam Fratrum, quam Monialium, cujus habitum geſſit, & quantum ad Miſſas attinet, etiam a Sacerdotibus confluentibus. Pręterea primo duntaxat anno a datis hiſce Literis, & quoad Indias a die, quo eędem pręſentes Literę illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſiis Civitatum Florentin., ac Praten., & Ordinis prędictorum Solemnia Beatificationis ejuſdem cum Officio, & Miſſa ſub Ritu duplici majori die ab Ordinariis reſpective conſtituta, & intra ſex menſes promulganda, poſtquam tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe celebrata fuerint ejuſmodi Solemnia, pro qua re diem XXIII menſis Novembris proxime venturi aſſignamus, pariter celebrandi facimus poteſtatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Decretis de, & ſuper non cultu editis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut ipſarum pręſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu Secretarii ſupradictę Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & Sigillo Pręfecti, ſeu Pro-Pręfecti ejuſdem Congregationis munitis, eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quę ipſis pręſentibus haberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die prima Octobris MDCCXXXII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

F. Cardinalis Oliverius.

1. *De Ricciis.*) Cujus vitam ſcripſerunt *Seraphinus Razzi*, *Thomas Neri*, *Philippus Guidi &c.* De eadem ſequens Epiſtola.

In Dei filio ſibi dilectis Rev. Adm. Patribus, Fratribus, ac Sororibus univerſi Ordinis FF. Prędicatorum.

FR. THOMAS RIPOLL

Sacrę Theologię Profeſſor ejuſdem Ordinis humilis Magiſter Generalis, & Servus ſalutem, & immortalem Deo gratulationem.

INgentem lętitiam, qua veſtros animos uberrime perfuſos credimus, Fratres in Chriſto dilectiſſimi, ubi ſuperioribus menſibus Apoſtolicum Decretum de quandocunque facienda Beatificatione Ven. Servę Dei Catharinę de Ricciis Monialis profeſſę Ordinis noſtri expeditum, ac promulgatum intellexiſtis, plenius adhuc, & impenſius percepturos vos eſſe non ambigimus, dum ejuſdem Beatificationis ſolemnia die vigeſima tertia proxime pręteriti Menſis Novembris in Baſilica Principis Apoſtolorum, ea qua par erat, magnificentia, & quidem tota Urbe ſpectante, atque plaudente, ac Sole ipſo pręter omnium expectationem favente, celebrata fuiſſe, per pręſentes noſtras literas vobis enunciamus.

Enim vero quomodo quis veſtrum non abunde lętabitur, ubi cauſam hanc, quę per tot annos ferme in oblivionem abierat, & quę a Nobis, dum Socii munere fungebamur, rurſus excitata, tam lento pede triginta circiter annorum ſpatio progredi videbatur, tandem aliquando feliciter abſolutam percipiet? Graves profecto ſuſtinendi fuerunt labores, plures etiam ſuperandę difficultates, ut eam ad optatiſſimum finem perduceremus: Verum & hęc majoris lętitię ratio Nobis eſt, quod ſcilicet neque inutiles fuerint labores noſtri, neque ſuperflua noſtra ſolicitudo, cum demum Deo dante, ut diu optavimus, Virginem hanc, quam Divinus Sponſus tot mirabilibus ſignis decoraverat, in Beatarum numerum relatam, atque ſuper Altare collocatam liceat venerari.

Quia tamen ſatis ſuperque compertum habemus, quod Glorioſiſſimus Patriarcha noſter Sanctus Dominicus, cujus opem repetitis precibus imploravimus, proſperum ſucceſſum hunc mirifice provexit, hortamur vos, ut eidem qui prout moriens promiſit, ſuum ſemper juxta rerum exigentiam nobis exhibet patrocinium, quamplurimas gratias rependatis, eundemque enixe deprecemini, ut apud Dominum pro incolumitate Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Papę XII qui noſtrum Ordinem novo hoc honore augere dignatus eſt, cui etiam tot titulis ſumus adſtricti, velit eſſe perpetuus interceſſor.

Cum autem ſummopere Nobis cordi ſit, ut in ſingulis noſtris Eccleſiis in honorem hujus novę Beatę Ordinis noſtri feſtiva ſolemnia uniformiter celebrentur, mandamus, ut in primis Veſperis diei pro hujuſmodi ſolemnitate ab Ordinario ſtatutę, qua die officium, pro hac prima vice tantum, recitandum erit ſub Ritu Totius Duplicis, primo loco publicetur Breve Apoſtolicum, quod ad vos una cum alio pro Indulgentia tranſmittimus: ſubinde cantetur Canticum *Te Deum* cum Verſiculo *Ora pro nobis Beata Catharina &c.* & Oratione de Communi Virginis *Exaudi*, & poſtea inchoentur Veſperę.

Quod ſi occaſione hujus novę Solemnitatis, vel etiam progreſſu temporis aliquod novum ad invocationem ejuſdem Beatę Catharinę occurrere mi-

miraculum, monemus omnes Superiores noſtrorum Conventuum, ut nulla interpoſita mora Nos de eodem per fidelem totius facti narrationem certiores faciant, qua narratione accurate perpenſa, quid ulterius agendum ſit, præſcribere valeamus.

Agite itaque Fratres dilectiſſimi, Noſtram hanc Beatam Catharinam dignis laudibus extollite, dignis honoribus proſequimini, & populos ad ejus patrocinium implorandum excitate: quod autem majus eſt, virtutes ejus imitatione, ac moribus veſtris exprimite; quoniam ut ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus. *Quem delectat Sancti alicuius meritum. delectare debet par circa cultum Dei obſequium, eumque imitari debet, ſi laudat, aut laudare non debet, ſi imitari detrectat.* Valete noſtri ac Sociorum noſtrorum in orationibus veſtris memores.

Datum Romę in Conventu noſtro Sanctę Marię ſuper Minervam die prima Decembris 1732.

Fr. Thomas Ripoll Magiſter Ordinis.

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ MDCCXXXII.*

Indulgentia pro Beatificatione (1) Servæ Dei Catharinæ de Ricciis.

Anno 1732 Die 26 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. XII.

XV.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD augendam fidelium Religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Civitatum Florentinę, & Praten., ac univerſis Ordinis Sancti Dominici, tam Fratrum, quam Monialium in quibus ſolemnia Beatificationis Servę Dei Catharinę de Ricciis Monialis ejuſdem Ordinis S. Dominici, die per dilectum filium noſtrum in Alma Urbe noſtra Vicarium in ſpiritualibus generalem quoad Urbem pręfatam, extra illam vero per Ordinarios locorum reſpective ſpecificanda, vel aliquo ex duobus diebus immediate ſequentibus celebrabuntur devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Pręſentibus pro hac vice tantum valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint, utque earundem pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus ſi forent exhibitę, vel oſtenſę Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI Novembris MDCCXXXII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

1. *Beatificatione.*) Conſulenda præcedens Conſtitutio.

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica typis R. Cam. Apoſtolicæ impreſſa *Romæ MDCCXXXII.*

Indulgentia pro tertiis feriis.

Anno 1733 Die 27 Januarii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CLEMENS PP. XII.

XVI.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, in diverſis Orbis Chriſtiani partibus pia erga S. Dominicum Ordinis Fratrum Pręedicatorum Fundatorem, & Roſarii B Marię Virginis auctorem, devotio introducta fuerit, prout de pręſenti etiam viget, qua permulti Chriſti fideles tertiis feriis quindecim hebdomadarum in anno peccata ſua confiteri, ac ſacroſanctum Euchariſtię Sacramentum ſumere, necnon ipſa feria tertia, aut die illam immediate antecedente jejunare conſueverunt; Nos, ut de cetero pium opus hujuſmodi fructuoſius peragatur, & ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem cęleſtibus Eccleſię theſauris pia caritate intenti, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, qui de cetero vere pęnitentes, & confeſſi in aliqua dicti Ordinis Eccleſia una ex prędictis feriis tertiis per eos ad ſui libitum eligenda, ſacroſanctum Euchariſtię Sacramentum devote ſumpſerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſemel in anno omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero feriis tertiis hujuſmodi eiſdem Chriſti fidelibus etiam vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis in aliqua ex prędictis Eccleſiis, ut ſupra orantibus, qua feria prędictarum id egerint, centum dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pęnitentiis, in forma Eccleſię conſueta relaxamus. Pręſentibus ad ſeptennium, quoad Indias vero ad quindecim annos, tantum valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur pręſentes nullę ſint, utque pręſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus ſi fo-

ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII Januarii MDCCXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo*.) In quo autographum, & exemplaria *Romæ* typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *MDCCXXXIII*.

Anno 1733 Die 28 Januarii.

Indulgentia pro ſeptem feriis ſextis feſtum S. Vincentii Ferrerii præcedentibus.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XVII.

C L E M E N S PP. XII.

Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus in Eccleſiis Fratrum Ordinis Pręd icatorum, pia erga Sanctum Vincentium Ferrerium pręſertim in ſeptem feriis ſextis ejuſdem Sancti feſtum immediate pręcedentibus devotio introducta fuerit, prout de pręſenti etiam viget, Nos ad eam confovendam, & ad augendam fidelium religionem, ac animarum ſalutem, cęleſtibus Eccleſię theſauris, pia caritate intenti, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis dicti Ordinis, in una ex pręd ictis feriis per eos ad ſui libitum eligenda devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam ſemel in anno omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero feriis ſextis hujuſmodi eiſdem Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, pariter & confeſſis, ac ſacra Communione refectis aliquam ex pręd ictis Eccleſiis, ut ſupra viſitantibus, & ibidem orantibus, qua feria pręd ictarum id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus. Pręſentibus ad ſeptennium tantum valituris. Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint, quodque pręſentium tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Januarii MDCCXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo*.) In quo autographum, & exemplaria authentica, typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſa *MDCCXXXIII*.

Anno 1733 Die 28 Januarii.

Indulgentia pro Fratribus, & Sororibus Ordinis, ac Confratribus SS. Roſarii qui orationi mentali vacaverint.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XVIII.

C L E M E N S PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

AD ea, per quę animarum Chriſti fidelium ſalus procuratur, libenter intendimus, & eorundem Chriſti fidelium devotionem, ut ſpiritualibus exercitiis ferventius incumbant, cęleſtium munerum elargitione libenter fovemus, & incitamus; Itaque de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Fratribus, & Monialibus Ordinis Pręd icatorum, ac Tertiariis de Militia Chriſti, ſeu de pęnitentia nuncupatis, & aliis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus Confratribus, & Conſororibus Confraternitatum Beatę Marię Virginis de Roſario, & Sanctiſſimi Nominis Jeſu tam hactenus in Eccleſiis ejuſdem Ordinis canonice erectarum, quam in poſterum ubilibet erigendarum, qui per quadrantem horę orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice, centum dies, qui per duos quadrantes continuatos, ſeptem annos, de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxamus. Iis vero qui devotioni hujuſmodi per duos quadrantes continuatos, vel ſaltem per quadrantem horę ſingulis diebus, & per totum menſem dabunt operam, & vere pęnitentes, & confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſumpſerint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, & Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam ſemel quolibet menſe omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, quam per modum Suffragii animabus Chriſti fidelium, quę Deo in caritate conjunctę ab hac luce migraverint, applicare poſſint, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper quod dicti Fratres, & Moniales pro Oratione mentali, ad quam ratione eorum Regulę, & Conſtitutionum quolibet die tenentur, pręd ictas omnes Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac pęnitentiarum relaxationes proportionabiliter lucrari, & conſequi poſſint, & valeant auctoritate, & tenore pręſentium indulgemus: In contrarium facien. non obſtantibus

quię

quibuſcunque. Pręſentibus ad ſeptennium, tantum valituris: Volumus autem, quod ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint, quodque pręſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę adhiberetur ipſis pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Januarii MDCCXXXIII Pontificatus noſtri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſa *MDCCXXXIII.*

Declaratur, per Conſtitutionem *Romanus Pontifex* nullum præjudicium generatum Privilegiis Ordinis Prædicatorum legitime competentibus ante Conſtitutionem *Pretioſus*, & præcipue circa ſupplicationes ſolemnes SS. Euchariſtiæ Sacramenti, & SS. Roſarii (1). Anno 1733 Die 10 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

C L E M E N S PP. XII. XIX.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm, ſicut accepimus, etſi ex ipſo tenore Conſtitutionis noſtrę tertio Kalendas Aprilis anno Incarnationis Dominicę MDCCXXXII, quę incipit: *Romanus Pontifex &c.* promulgatę, perſpicue, luculenterque appareat, per moderationem a Nobis inibi adhibitam, nonniſi ad terminos juris redacta fuiſſe inter alia Conſtitutionem felicis recordationis Benedicti XIII Prędeceſſoris noſtri, cujus initium eſt: *Pretioſus &c.* anno ejuſdem Incarnationis Dominicę MDCCXXVII ſeptimo Kalendas Junii emanatam, ejuſque declarationes, ac privilegia illa, gratias, favores, indulta, exemptiones, facultates, & declarationes, quę ibidem Ordini Fratrum Prędicatorum de novo conceſſa fuerant. Nihilominus aliqui Conſtitutionem noſtram ſiniſtre, ac ſecus, quam par eſt, interpretantes, pleraſque lites, & controverſias Fratribus prędictis moverint in diverſis locis, ac tribunalibus, per quas privilegia, & prędrogativas, quibus iidem Fratres, priuſquam ipſa Conſtitutio Benedicti Prędeceſſoris emanaret, ex aliis legitimis titulis, & conceſſionibus Apoſtolicis potiebantur, aggredi, & oppugnare adnituntur, dictuſque Ordo pręcipue vexetur occaſione celebrationis duarum proceſſionum, publicarumve ſupplicationum, Sanctiſſimi nempe Euchariſtię Sacramenti, ac Roſarii Beatę Marię Virginis, tametſi illam Sanctiſſimi Euchariſtię Sacramenti die Dominica infra octavam Corporis Chriſti a recolendę memorię Pio V, & Clemente VIII Romanis Pontificibus Prędeceſſoribus noſtris, juxta ejuſdem Clementis Prędeceſſoris die VIII Martii MDXCVII, alteram vero Roſarii Beatę Marię Virginis, Dominica prima Octobris ab ipſo Benedicto Prędeceſſore per ſuas die X Aprilis MDCCXXV, in ſimili forma Brevis reſpective expeditas literas, necnon declarationem die XVIII Julii MDCCXXVI deſuper editam, quotannis peragendi facultas eidem Ordini diſerte indulta fuerit, adeoque ante memoratam Benedicti Prędeceſſoris Conſtitutionem, in qua, ejuſque declarationibus Ordini prędicto nihil amplius circa duas Proceſſiones pręfatas tribuitur, quam quod jam antea per eoſdem Pium, Clementem, & Benedictum Prędeceſſores attributum fuerat. Et quia mens, & intentio noſtra non eſt, nec unquam fuit, gratiis, indultis, exemptionibus, & privilegiis dicto Ordini Fratrum Prędicatorum ante enarratam Benedicti Prędeceſſoris Conſtitutionem conceſſis, pręſertim reſpectu duarum Proceſſionum hujuſmodi, aliquod, vel minimum generare pręjudicium. Hinc eſt, quod Nos lites, & controverſias pręfatas e medio tollere, earumque occaſionem, & quodvis aliud in pręmiſſis impedimentum ſubmovere cupientes, necnon Ordinem, & Fratres prędictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, ipſorumque Fratrum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum preſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupradictas Clementis, & Benedicti Prędeceſſorum literas, editamque ab eodem Benedicto Prędeceſſore declarationem, quoad duas Proceſſiones, publicaſve ſupplicationes pręfatas, cum omnibus, & ſingulis, in eiſdem literis, & declaratione diſpoſitis, & contentis, auctoritate Apoſtolica, harum ſerie approbamus, confirmamus, & innovamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, ac illa deinceps exacte obſervari, atque executioni demandari, eadem auctoritate tenore pręſentium pręcipimus, & mandamus. Decernentes pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Ordini, & Fratribus prędictis, aliiſque, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Sediſque Apoſtolicę Nuncios, alioſve quoſlibet quacunque pręeminentia, & poteſtate fungentes, ac functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis, quę in Clementis, ac Benedicti Prędeceſſorum lite-

literis, & declaratione præfatis conceſſa ſunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quę ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die X Aprilis MDCCXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

F. Cardinalis Oliverius.

1. *Roſarii.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſa *MDCCXXXIII.*

Anno 1733 Die 6 Julii.

Indulgentia ſextis feriis conceſſa viſitantibus Eccleſiam Mutinen.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XX.

CLEMENS PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm Nos nuper omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Ordinis Fratrum Prędicatorum ubicunque exiſten., in una ex ſeptem feriis ſextis feſtum S. Vincentii Ferrerii immediate pręcedentibus, per eos ad ſui libitum eligenda, devote viſitaſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſię exaltatione, pias ad Deum preces effudiſſent, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino conceſſerimus. Necnon in reliquis feriis ſextis hujuſmodi, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pęnitentiis in forma Eccleſię conſueta relaxaverimus, prout in noſtris literis Apoſtolicis in ſimili forma Brevis die XXVIII Januarii MDCCXXXIII Pontificatus noſtri Anno Tertio deſuper expeditis plenius continetur. Cum autem, ſicut dilecti filii Fratres dicti Ordinis Conventus S. Dominici Civitatis Mutinen. nobis nuper exponi fecerunt, pia erga dictum Sanctum Vincentium Ferrerium ſingulis feriis ſextis totius anni in eorundem exponentium Eccleſia, devotio introducta fuerit, prout de præſenti etiam viget. Nos devotionem hujuſmodi augere, atque promovere cupientes, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui dictam Eccleſiam in aliis ſeptem feriis ſextis continuis per quemcunque Chriſti fidelem ad ſui libitum eligendis devote viſitaverint, & ibi, ut ſupra, oraverint, Plenariam ſemel duntaxat quolibet anno per unumquemque lucrifaciendam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Pręſentibus ad Septennium tantum valituris. Volumus autem, ut ſi pro impetratione, pręſentatione, admiſſione, ſeu publicatione pręſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, pręſentes nullę ſint. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI Julii MDCCXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Mutinen.*

Anno 1733 Die 28 Julii.

Ut Vicarii Congregationum Ordinis Prædicatorum, ac duo alii Fratres, Definitor ſcilicet ac Elector, jus ferendi ſuffragii in Comitiis Generalibus habeant (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXI.

CLEMENS PP. XII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

INjunctę Nobis cęlitus Apoſtolicę ſervitutis ratio poſtulat, ut Religioſas Congregationes ſub ſuavi arctioris diſciplinę jugo in Eccleſia Dei militantes, ſuaveſque bonorum operum fructus, adſpirante ſuperni favoris aura, proferre jugiter ſatagentes, in laudabilibus earum inſtitutis confovere, illarumque felici, & proſpero regimini, atque incrementis, quantum Nobis ex alto conceditur, proſpicere ſtudeamus. Cum itaque, ſicut accepimus, nonnullę Congregationes Ordinis Fratrum Prędicatorum, quas Obſervantes appellant, tam citra, quam ultra Montes Apoſtolica auctoritate inſtitutę reperiantur, quarum aliquę ſufficientem numerum Conventuum, ac Religioſorum habent, ut juxta morem, uſumve ante hac in dicto Ordine ſervatum, in Provincias ejuſdem Ordinis erigi poſſint; Verum ſi in Provincias hujuſmodi erigerentur, formam gubernii ipſarum Congregationum, non ſine regularis diſciplinę in eis vigentis detrimento, immutari oporteret; adeoque ſicuti felicis recordationis Innocentius Papa XII Prędeceſſor noſter per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die XIV Junii MDCXCV expeditas Li-

Literas ſtatuit, quod Vicarii pro tempore exiſtentes duarum ex iſtiuſmodi Congregationibus Sanctę Sabinę, & Sancti Marci reſpective nuncupatarum, ab ipſo Innocentio Prędeceſſore erectarum, eandem prorſus juriſdictionem, & auctoritatem haberent in Conventus, & Fratres ſuę Congregationis, quam juxta Apoſtolicas, & Ordinis pręfati Conſtitutiones, Priores Provinciales habent in ſuis Provinciis, ita longe opportunius, ſalubriuſque foret decernere, ut in poſterum abſque immutatione ſtatus ſupradictarum Congregationum, Vicarii earum, quę competentem numerum Conventuum, & Fratrum habuerint, cum duobus aliis Religioſis, Definitore ſcilicet, & Socio, ſeu Electore, Capitulis generalibus ejuſdem Ordinis intereſſe valeant, ad inſtar Priorum Provincialium dicti Ordinis, & perinde ac ſi pręfatę Congregationes in Provincias erectę eſſent: Cum enim ipſę Congregationes, & Provincię unicum Corpus, & Ordinem conſtituant, & ab uno, eodemque Capite, & Magiſtro generali regantur, congruum omnino videtur, quod quemadmodum Priores Provinciales electioni Superioris Generalis aſſiſtunt, ſic quoque ad illam concurrant, & admittantur Vicarii Congregationum prędictarum; pręſertim quia iſtę magis, quam Provincię pręfatę pendent ab ipſo Magiſtro Generali, utpote a quo Vicarii immediate deputantur, Priores vero Provinciales a Prioribus Conventuum uniuſcujuſque Provincię eliguntur; tum etiam quia in dictis Capitulis Generalibus non minus Statuta generalia univerſum Ordinem concernentia, quam particulares ordinationes pro ſingulis Provinciis, & Congregationibus ejuſdem Ordinis paſſim condi ſolent: Unde ſi Prioribus Provincialibus licet ſuarum Provinciarum rationes in illis exponere, Vicariis quoque pręfatis permittendum venit, ut ſuarum Congregationum neceſſitates illuc deferre valeant. Idque apprime reſpondet menti Conſtitutionum dicti Ordinis, quippe perfectam unionem omnium membrorum ſub uno Capite pręſcribentium, ac viciſſim quamcunque diviſionis ſpeciem diſtricte prohibentium, quandoquidem ad conſtabiliendum, arctiuſque colligandum hoc religioſę concordię, mutuęque unionis, & caritatis vinculum, Pręlatos Provinciarum, & Congregationum una convenire decet, ubi totius Ordinis negocia pertractantur; Accedente inſuper, quod cum memoratę Congregationes exactam regularis diſciplinę obſervantiam profiteantur, omnis ęqui, bonique etiam communis totius Ordinis ratio poſcit illarum Vicarios Capitulis hujuſmodi adeſſe, in quibus de pręficiendo Magiſtro Generali, vel de promovenda regulari diſciplina pręfata, vel de tollendis, ſi qui irrepſerint, abuſibus agitur, alioquin dictę Congregationes ob ipſam exactiorem obſervantiam, cui aſſidue inſiſtunt, deterioris eſſent conditionis ceteris ejuſdem Ordinis Religioſis, ac damnum, & incommodum ſentirent, ſi iis privilegiis carerent, quibus dictę Provincię gaudent, ac ipſę etiam Congregationes citra ullam contentionem, ac dubitationem gauderent, ſi remiſſo accuratioris diſciplinę ſtudio, in Provincias erigerentur, quod aliquot ſaltem ex eis, ſi peterent, denegari nequiret. Hinc eſt, quod Nos ad pręmiſſa paternę noſtrę dirigentes conſiderationis intuitum, dictarumque Congregationum, ac Fratrum in eis degentium ſtatui, indemnitati, ac felicioribus in dies progreſſibus, quantum cum Domino poſſumus, ſalubriter conſulere volentes, necnon eorundem Fratrum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequen., harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, quod deinceps perpetuis futuris temporibus, omnes, & ſinguli Vicarii nunc, & pro tempore exiſtentes Congregationum prędicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, quas Obſervantes vocant, tam citra, quam ultra Montes auctoritate Apoſtolica hactenus erectarum, & ſi quas alias in futurum ſimili auctoritate erigi contigerit, dummodo tamen ſex ſaltem Conventus formales habuerint, cum duobus Religioſis ſuę reſpective Congrègationis pro quolibet ex Vicariis hujuſmodi, uno nimirum Definitore, ac uno Socio, ſeu Electore in earundem reſpective Congregationum dietis eligendis, in quibuſcunque Capitulis generalibus ejuſdem Ordinis intereſſe libere, licite, & valide poſſint, & valeant, ipſique Vicarii, ac Definitores, & Socii, ſeu Electores in dictis Capitulis generalibus votum, ſive Suffragium habeant in omnibus, & per omnia ad inſtar Priorum Provincialium, ac Definitorum, & Sociorum Provinciarum Ordinis pręfati, & perinde ac ſi ipſę Congregationes in Provincias hujuſmodi erectę, & inſtitutę forent, harum ſerie ſtatuimus, atque concedimus, & indulgemus. Decernentes eaſdem pręſentes literas, & in eis contenta, etiam ex eo, quod quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prętendentes, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſę, propter quas ipſę pręſentes emanarint, ſufficienter adductę, verificatę, & juſtificatę fuerint, aut ex alia quacunque quantumvis legitima, juridica, & privilegiata cauſa, colore, prętextu, & capite etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimę, & totalis lęſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris, ſeu Statutorum, & Conſtitutionum dictorum Ordinis, & Congregationum reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, & facti, vel gratię remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed eaſdem pręſentes literas ſemper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter, obſervari. Sicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicę Sedis Nuncios, alioſve quoslibet, quacunque pręeminentia, & poteſtate fungentes, &

func-

functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę regula de jure quęſito non tollendo, aliiſve Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, Congregationum, Provinciarum, & Conventuum hujuſmodi, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, uſibus, ſtylis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordini, Congregationibus, Provinciis, & Conventibus, illorumque reſpective Magiſtro generali, Vicariis, Prioribus Provincialibus, aliiſque Superioribus, Fratribus, & Perſonis quibuslibet ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita, obſervata exprimerentur, & inſererentur, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque: Volumus autem ut earundem pręſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonę in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quę pręſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII Julii MDCCXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Cardinalis Oliverius.

1. *Habeant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo exemplaria, typis R. Camerę Apoſtolicæ impreſſa *Romæ* MDCCXXXIII.

Anno 1733 Die 28 Auguſti.

Doctrinam (1) S. Thomæ Aquinatis egregiis laudibus ornat, & poteſtatem facit, lauream doctoratus conferendi iis, qui Theologicæ facultati operam dederint in gymnaſiis Fratrum Prædicatorum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

I. Summorum Pontificum laudes erga Sanctum Thomam Aquinatem, Eccleſiæ Doctorem.

VErbo Dei ſcripto, & tradito innixam ſcientiam, res divinas, & mores, Chriſtiano homine dignos, ad rectam Eccleſię miniſtrorum inſtitutionem, & ſalutem animarum, ſolide pertractantem, ejuſque doctores, ac magiſtros, pietate venerabiles, commendari tunc maxime convenit, quum, ingruente falſorum dogmatum illuvie, Fides Catholica, & Chriſtiani mores, ſupremę curę noſtrę commiſſi, periclitantur: quo loco deceſſores noſtri Romani Pontifices Sanctum Chriſti Confeſſorem Thomam Aquinatem Ordinis Prędicatorum, & Eccleſię Doctorem, honoris cauſa Angelici cognomento appellatum, ſemper habuerunt, eum propterea juſtis laudibus in ſuis diplomatibus proſequuti, & pręſertim Alexander IV, qui Thomam, adhuc viventem, per Dei gratiam theſaurum literalis ſcientię adeptum pronunciavit, inque ejus veſtigia ſubinde incurrentes alii Romani Pontifices ſubſequuti, Johannes XXII, Clemens VI, Urbanus V, Nicolaus V, Pius IV, & Beatus Pius V, Siſtus V, Clemens VIII, Paulus V, Alexander VII, Innocentius XII, & Benedictus XIII, qui omnes, uno eum ore approbantes, in ſacris Eccleſię faſtis juxta, ac magnos Eccleſię Doctores, Gregorium, Ambroſium, Auguſtinum, & Hieronymum, Thomam quoque, ut vitę probitate, & ſanctioris Theologię ſcientia, venerabilem, miraque eruditione Eccleſiam Dei clarificantem, ac ſancta operatione fęcundantem, coli voluerunt.

II. Summus Pontifex S. Thomæ doctrinam honoraturus, Ordini Prædicatorum privilegium largitur doctoratus lauream in Sacra Theologia illius doctrinæ auditoribus ſecularibus conferendi, qui ejuſdem Ordinis ſcholas triennio frequētaverint.

Itaque tanti viri doctrinam, in Conciliis etiam ęcumenicis celebratam, debitis, pręconiis, rei publicę cauſa nos quoque ornare cupientes, quum dilectus noſter in Chriſto, ac Fratris germani filius, Nereus Sanctę Romanę Eccleſię Diaconus Cardinalis Sancti Hadriani, Corſinus nuncupatus, necnon ęque dilecti Ordinis Fratrum Prędicatorum protector, flagitantibus ejuſdem Ordinis Fratribus, Magiſtro, & Procuratore Generalibus, Thoma Ripollio, & Guillelmo Molo, ſubmiſſas preces nobis obtulerit, ut pręcipuo quodam, & ſpeciali modo ejuſdem ſancti viri doctrinam, in gymnaſiis Ordinis eorundem Fratrum Prędicatorum non unis regularibus, ſed etiam externis ſecularibus alumnis, illuc ad eam perdiſcendam confluentibus, tradi ſolitam, pro noſtra erga Beatum Thomam devotione, totumque Ordinem, de Eccleſia pręclare meritum, ſingulari benevolentia, ornare dignaremur, ut adoleſcentes, aliquo veluti pręmio animati, ad Beati Thomę doctrinam cum Dei gratia intellectu conſpiciendam, alacrius incumberent, quandoquidem nullum in iiſdem gymnaſiis pręmium, nulla ipſis expedita via pateat ad eas Eccleſię dignitates conſequendas, quę in ſacrę paginę doctrina, lauream, quam vocant, licentiam, vel gradum publice adeptis, alias de more conferri debent; Nos hujuſmodi precibus, pietate, ac juſtitia ſubnixis, annuere volentes, ad amplificandum ſub tanto Magiſtro probę, incorruptęque doctrinę ſtudium inter juvenes, divino famulatui per ſacratiores diſciplinas addictos, motu proprio, ex cer-

certa ſcientia, & mera voluntate noſtra, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, in quibuſcunque gymnaſiis, ſcholis, ſtudiis, & Collegiis Ordinis Fratrum Prędicatorum, extra ceteras ſtudiorum Generalium Univerſitates erectis, vel erigendis, concedi, extendi, & prorogari volumus, ac decernimus pro externis quibuſcunque ſecularibus, in iiſdem gymnaſiis Theologicę facultati toto triennio abſolutam operam dantibus, omnia, & ſingula Apoſtolica privilegia, ab anteceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus conceſſa, juxta conſuetudinem, & methodum pręſcriptam, vel pręſcribendam ab eodem Generali Ordinis Prędicatorum Magiſtro, ut poſt pręmiſſum diligens probationis examen, laurea doctoralis, ſeu magiſtralis, pręſentatura, licentia, baccalaureatus, atque alii gradus conſueti in Sacra Theologia libere, & licite conferantur, quos quidem gradus iis pares eſſe volumus, qui in hoc noſtro archigymnaſio, & academia, Romanę Sapientię nuncupato, quibuſcunque ſcholaribus ſolemni cęremonia conferri ſolent, idemque hoc privilegium omnino valere ſtatuimus in quibuſcunque inſignioribus civitatibus, & locis, in quibus ſeculares juvenes theologicę facultati operam daturi, ſcholas Ordinis Fratrum Predicatorum frequentare permittuntur, ſive pauperes, ſive etiam divites ſint, quos Univerſitatum officiales ad gradus promovere fortaſſe recuſaverint, etiamſi alias in iiſdem locis publicę hujuſmodi, & ordinarię ſtudiorum Univerſitates eis pateant, itaut poſtquam iidem ſeculares, & externi juvenes, ſine prędjudicio quorumcunque jurium, ipſis Univerſitatibus de more perſolvendorum, a qua ſolutione divites eximi non debent, ad jamdictos gradus ſolemni cęremonia probati, ac promoti fuerint, de eadem re, ac facultate pręlegere, diſputare, ac alios quoſcunque actus, ad id neceſſarios, ubique facere poſſint, omnibuſque, & ſingulis privilegiis, pręrogativis, immunitatibus, exemtionibus, libertatibus, pręcedentiis, favoribus, gratiis, & indultis, uti, potiri, & gaudere poſſint, quibus alii, prędvio diligenti examine, in ſtudiorum generalium Univerſitatibus juxta earundem leges, ordinationes, uſus, ritus, & mores, de jure, vel conſuetudine, aut alias quomodocunque utuntur, potiuntur, & gaudent in omnibus, & per omnia, nullo prorſus diſcrimine, ac ſi gradus ſuos in publicis Univerſitatibus, & non alibi, accepiſſent, hac una in re, ſi, & quatenus unquam fortaſſe opus eſſet, propterea derogantes Conſtitutioni noſtrę, pridem editę, quę incipit: *Romanus Pontifex*.

Pręſentes quoque literas, & in eis contenta, & expreſſa quęcunque, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis noſtrę, etiam ex eo, quod cauſę, propter quas illę emanarint, coram nobis, vel alibi adductę, verificatę, & juſtificatę, ac quicunque in pręmiſſis, & circa ea intereſſe quomodolibet habentes, ſeu habere prętendentes, ad id vocati, & auditi non fuerint, & conſenſum ſuum eiſdem non pręſtiterint, aut quovis alio, quantumvis ſubſtantiali defectu, fortaſſe laborarent, ſive etiam ex eo, quod in eis ſolemnitates, ac quęvis alia ſervanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocunque alio capite, vel cauſa etiam, quantumvis legitima, juſta, & privilegiata, quęque ad id exprimenda eſſet, expreſſa non fuerit, notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controverſiam vocari, ad viam, & terminos juris reduci, aut in illas quodcunque juris, vel facti remedium, aut oris aperitio impetrari, neque illas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, ac aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi poſſint, ſed ſemper excipi debeant, & quotieſcunque emanaverint, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie integratas, ac de novo etiam ſub quacunque poſteriori data per dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſtrum, ac Procuratorem Generales, pro tempore exiſtentes, quandocunque eligenda, conceſſas, validas, & efficaces fore & eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus, in omnibus, & per omnia ſortiri, & obtinere, dictiſque Fratribus, ac ſecularibus apud eos, ut prędicitur, theologicę facultati triennalem operam dantibus, & ad gradus hujuſmodi, ut pręfertur, promovendis, aliiſque, ad quos nunc ſpectat, & in poſterum quomodolibet ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari volumus; ſicque, & non alias per quoſcunque judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac prędicti Ordinis Prędicatorum pro tempore exiſtentem protectorem, alioſque Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apoſtolicę Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, definiendi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, definiri, & interpretari debere, & quidquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. III. Clauſulæ hanc Conſtitutionem præſervantes.

Non obſtantibus, quatenus opus ſit, una, de non concedendis gratiis ad inſtar, & altera, noſtris, & Cancellarię Apoſtolicę regulis de jure quęſito non tollendo, ac etiam in ſynodalibus, provincialibus, generalibus, univerſalibuſque Conciliis, editis, vel edendis, ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis perſonis, alias in contrarium prę miſſorum quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, earumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio ſeu quęvis alia expreſſio habenda foret, eorum tenores eiſdem pręſentibus, etiam pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, latiſſime, & pleniſſime, ac ſpecialiter, & expreſſe motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. IV. Aliæ clauſulæ.

Volumus autem, ut ipſarum pręſentium tranſumtis, etiam impreſſis, alicujus in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę perſonę ſigillo, & Notarii manu obſignatis, vel etiam ſaltem extra Italiam, ſigillo, & ſubſcriptione Magiſtri Ordinis, aut Provincialium ejuſdem Ordinis pro tempore munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quę adhiberetur pręſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. V. His literis ubique fides adhibeatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, extentionis, prorogationis, voluntatis, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc atten- VI. Nemo has literas infringere audeat.

attentare prçſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romç apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicç Milleſimo Septingenteſimo Trigeſimo Tertio, Quinto Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

A. Card. Prodatarius.

F. Card. Oliverius.

Viſa de Curia J. Archiepiſcopus Ancyranus.

Loco † Plumbi

D. Stivanus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

1. *Doctrinam.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI*

2. *Archivo.*) In quo autographum, & exemplaria authentica, typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ MDCCXXXIII.*

Anno 1733 Die 2 Octobris.

Laudes, quibus SS. Auguſtini, & Thomæ Aquinatis doctrina (1) celebratur, confirmat, ne quis eandem calumnietur, cavet, & ſcholarum Catholicarum paci conſulit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIII.

CLEMENS PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

APoſtolicç providentiç officio a Prçdeceſſoribus noſtris felicis recordationis Clemente XI, & Benedicto XIII ſapienter impenſo, ad diſſipandas novatorum calumnias, & artes, per quas inducta proſcriptis erroribus Catholicorum dogmatum larva, & Sanctorum Doctorum illuſtria nomina obtendentes, ſimplicium animos a debita Conſtitutioni, quç incipit: Unigenitus, obedientia deterrere moliebantur, Nos paterna quoque ſollicitudine inhçrentes, magnopere dolemus, tenebras a diſſenſionis filiis offuſas nondum ex quorundam mentibus ſatis eſſe diſcuſſas, ſed pleroſque etiam nunc intolerabili pertinacia contendere, cenſuris laudatç Conſtitutionis, doctrinam Sanctorum Auguſtini, & Thomç de divinç gratiç efficacia eſſe perſtrictam. Ut igitur nullas caritatis partes ad revocandos errantes Nobis reliquas faciamus, univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus quacunque dignitate, etiam Epiſcopali, & majori fulgentibus in virtute ſanctç obedientiç diſtricte prçcipimus, & ſub Canonicis pçnis mandamus, ne diſputantes, aut docentes ſive in ſcholis, ſive in concionibus, ſive ſcriptis editis, ſive aliter propoſitiones defendant, aut enuncient, quç antedictas novatorum calumnias firmare, ac promovere poſſint. Mentem tamen eorundem Prçdeceſſorum noſtrorum compertam habentes, nolumus aut per noſtras, aut per ipſorum laudes Thomiſticç ſcholç delatas, quas iterato noſtro judicio comprobamus, & confirmamus, quidquam eſſe detractum ceteris Catholicis ſcholis diverſa ab eadem in explicanda divinç gratiç efficacia ſentientibus, quarum etiam erga hanc Sanctam Sedem prçclara ſunt merita, quominus ſententias ea de re tueri pergant, quas hactenus palam, & libere ubique, etiam in hujus Almç Urbis luce, docuerunt, & propugnarunt. Quamobrem felicis recordationis Pauli V, & aliorum Prçdeceſſorum noſtrorum, ad reſtinguendum diſſenſionum fomitem, veſtigia proſequentes, & ſaluberrima mandata renovantes, auctoritate quoque noſtra omnibus, & ſingulis ſuperius expreſſis interdicimus, & prohibemus ſub iiſdem pçnis, ne vel ſcribendo, vel docendo, vel diſputando, vel alia qualibet occaſione, notam, aut cenſuram ullam Theologicam iiſdem ſcholis diverſa ſentientibus inurere, aut earum ſententias conviciis, & contumeliis inceſſere audeant, donec de iiſdem controverſiis hçc Sancta Sedes aliquid definiendum, ac pronunciandum cenſuerit. Pacem ſiquidem, quam cum veritate diligendam Dominus prçcepit, inter Catholicç Eccleſiç filios fovere, & communire debemus, & curamus, ut conjunctis diverſarum licet ſcholarum ſtudiis, firmius ſit adverſus erroris inſidias prçſidium. Propterea locorum Ordinariis, Inquiſitoribus, ceteriſque judicibus eccleſiaſticis injungimus, ut altercationes, & contentiones, quç, diſputationis çſtu animos abripiente, in Chriſtiani populi ſcandala erumpere poſſent, per canonica remedia compeſcant, iiſdem facultatem ad id neceſſariam, & opportunam impertientes, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romç apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die II Octobris MDCCXXXIII, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Carolus Archiepiſcopus Emiſſenus.

1. *Doctrina.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplaria typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſa *Romæ* anno *MDCCXXXIII.* Nota quod in nonnullis hujuſce Brevis exemplaribus, quæ vidi, legitur impreſſum *Romæ typis R. Cameræ Apoſtolicæ* anno *MDCCXXVIII.* Id errore typographi factum. Anno ſiquidem duntaxat *MDCCXXXIII*, datum, & typis vulgatum fuit hocce Diploma, ut in confeſſo eſt apud omnes.

Indul-

Indulgentia die feſto S. Vincentii Ferrerii conceſſa transfertur.

Anno 1734 Die 17 Februarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis:*

CLEMENS PP. XII.

XXIV.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii modernus Prior, & Fratres Eccleſię Sancti Dominici Ordinis Prędicatorum Civitatis Mutinen., quod alias omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, ac ſacra communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum dicti Ordinis ubicunque exiſten. die Feſto S. Vincentii Ferrerii, a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hęreſum extirpatione, ac Sanctę Matris Eccleſię exaltatione pias ad Deum preces effudiſſent, Plenaria Indulgentia, & peccatorum remiſſio auctoritate Apoſtolica perpetuo conceſſa fuit, prout in literis Apoſtolicis, deſuper expeditis, quarum tenorem preſentibus pro expreſſo haberi volumus, uberius continetur: Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Chriſti fideles Indulgentiam prędictam die Feſto S. Vincentii Ferrerii certis de cauſis commode lucrari nequeant; Nobis propterea exponentes prędicti humiliter ſupplicari fecerunt, ut Indulgentiam prędictam ad feriam ſextam immediate ſequentem Secundam Dominicam poſt Paſcha transferre de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Indulgentiam prędictam die Feſto ejuſdem Sancti Vincentii Ferrerii, ut pręfertur, conceſſam, ad Feriam ſextam immediate ſequentem Secundam Dominicam poſt Paſcha, itaut Chriſti fideles pręmiſſa in Eccleſia hujuſmodi ipſa feria ſexta immediate ſequenti Secundam Dominicam poſt Paſcha adimplentes, eandem prorſus Indulgentiam conſequantur, quam conſequerentur ſi eadem pręmiſſa die Feſto ejuſdem Sancti Vincentii Ferrerii adimplerent, ſervata tamen in omnibus, & per omnia, literarum prędictarum forma, & diſpoſitione, eadem auctoritate, tenore pręſentium quoad ſupradictam Eccleſiam tantum, perpetuo transferimus. In contrarium facien. Non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII Februarii MDCCXXXIV, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Mutinen.*

F. Dominicus Antonius Pazzaglia Provinciæ Lombardiæ præficitur.

Anno 1734 Die 15 Martii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Dilecto filio Dominico Antonino Pazzaglia a Bononia Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, in Sacra Theologia Magiſtro.

CLEMENS PP. XII.

XXV.

Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

REligionis zelus, literarum ſcientia, vitę, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, ſicut accepimus, Capitulum Provinciale Provincię utriuſque Lombardię Ordinis Fratrum Prędicatorum menſe Majo proxime futuro, pro electione novi Provincialis Provincię hujuſmodi in Civitate Bononien. congregari debeat, ob communes vero Conventuum dictę Provincię calamitates, qui in eum ſtatum ita adducti ſunt, ut expenſas ad id neceſſarias faciendas contribuere nequeant, ſicut etiam Vocalibus Status Mediolanen., ac Veneti, Neapolitan., Januen., & Taurinen. ad dictam Civitatem ſe conferre debentibus, impoſſibile eſt, ut ipſi itineri ſeſe committant, quia vię a militibus, & deſertoribus impeditę, & non tutę reperiuntur. Nos ejuſdem Provincię, cujus tu frater expreſſe profeſſus, & in Sacra Theologia Magiſter, necnon Prior Conventus Bononien. dicti Ordinis exiſtis, de idoneo Provinciali, qui illam, adjuvante Domino, ſalubriter dirigat, ex commiſſi Nobis divinitus Paſtoralis Officii debito providere, teque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum pręſentium duntaxat conſequen., harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ac de tua fide, prudentia, doctrina, integritate, caritate, vigilantia, & Religionis zelo, plurimum in Domino confiſi, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, Te memoratę Provincię Lombardię Priorem Provincialem, ad tempus quo ejuſmodi Provincialatus Officium juxta regularia ejuſdem, Provincię, ſeu Ordinis Inſtituta, per Sedem Apoſtolicam approbata, durare conſuevit, ſtatim atque dilectus filius modernus Prior Provincialis Provincię hujuſmodi tempus ſuum compleverit, inchoandum cum

cum omnibus, & ſingulis pręeminentiis, prędrogativis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, tenore pręſentium conſtituimus, & deputamus. Pręterea dilecto filio Dominico Thomę Aquaroni moderno Priori Provinciali Provincię prętatę unam dietam duodecim in Sacra Theologia Magiſtrorum, qui tam in Bononien. quam in vicinis Conventibus reperiuntur, ut una cum pręfato Dominico Antonino ſic a Nobis in Priorem Provincialem conſtituto, & deputato, illas omnes diſpoſitiones, quę in Capitulo Provinciali, ſi congregaretur, fieri deberent, facere poſſit, congregandi facultatem concedimus, & impertimur. Mandantes propterea in virtute Sanctę Obedientię, & ſub indignationis noſtrę, aliiſque arbitrio noſtro imponendis pęnis, omnibus, & ſingulis Provincię pręfatę Superioribus, fratribus, & perſonis, ceteriſque ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, ut te ad demandatum tibi per pręſentes Provincialatus Officium, illiuſque liberum exercitium juxta earundem tenorem pręſentium recipiant, & admittant, teque recognoſcant, & tibi in omnibus ad idem officium ſpectantibus pareant, & obediant, faveantque, & aſſiſtant reſpective. Ac decernentes ipſas pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac tibi in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; Sicque in prędictis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, Provincię, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XV Martii MDCCXXXIV, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Bononienſi*.

Anno 1734 Die 15 Maii.

De Vicario Generali Congregationibus S. Sabinæ, & S. Marci præficiendo (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXVI.

CLEMENS PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Congregationum S. Sabinę utriuſque Lombardię, & S. Marci nuncupatarum Romanę reſpective Provinciarum, quod licet in literis felicis recordationis Innocentii PP. XII Prędeceſſoris Noſtri ſuper erectione ambarum Congregationum pręfatarum, die XIV Junii MDCXCV editis habeatur utrique Congregationi de idoneo Vicario Generali a Magiſtro itidem Generali ejuſdem Ordinis providendum fore, minime tamen ordinatum fuit iſtiuſmodi proviſionem fieri debere de Religioſis ipſi Magiſtro Generali per dictas Congregationes nominandis, ſeu proponendis, quod valde expediret ſalubri directioni earundem Congregationum, quarum Fratribus cum probe innoteſcant Religioſi prę aliis vitę integritate, literarum ſcientia, ac rerum agendarum uſu, & prudentia pręſtantes, atque habiles, & idonei ad regularem obſervantiam tuendam, & promovendam, exinde longe facilior, certiorque dicto Magiſtro Generali redderetur delectus Vicarii Generalis pręfati, quam ex ſimplici relatione, aut teſtimoniis aliunde conquiſitis; quemadmodum in antiqua Congregatione Lombardię ipſius Ordinis, dum illa olim vigebat, factum fuiſſe memoratur, cui quidem cum in ejus primordio Vicarius Generalis libere ab eodem Magiſtro Generali pręficeretur, ac ſubinde compertum fuiſſet pro recto illius gubernio utilius fore, ſi Vicarius Generalis ejuſmodi per dictam Congregationem eligeretur, Apoſtolica auctoritate cautum fuit, ut Vicarius Generalis pręfatus a Fratribus ipſius Congregationis poſtularetur, & a Magiſtro Generali prędicto confirmaretur, ac poſtulatio quidem per Priores Conventuum cum ſociis, Magiſtros in Theologia, & alios Fratres qui aliquando fuiſſent Vicarii Generales, confirmatio vero hujuſmodi infra octo dies a pręſentatione poſtulationis numerandos fierent, alioquin poſtulatio dicta auctoritate Apoſtolica confirmata cenſeretur, hęcque forma inſtituendi Vicarium Generalem in prefata antiqua Congregatione Lombardię poſtmodum ſervata fuit donec in Provinciam erecta eſt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, jam per alias noſtras in ſimili forma Brevis die XXVIII menſis Julii proxime pręteriti expeditas literas, ſupradictis S. Sabinę, & Sancti Marci, cęteriſque Ordinis pręfati Congregationibus ſex ſaltem Conventus formales habentibus indulſerimus ut in earum Dietis definitor, & ſocius ad Capitulum Generale mittendi eligi poſſent, ipſi exponentes dictis duabus Congregationibus tres earum Religioſos idoneos ad Vicariatum Generalem pręfatum memorato Magiſtro Generali, qui unum ex eis ſibi bene viſum deputare teneatur, nominandi ſeu proponendi facultatem impertiri plurimum deſiderent, itaut nominatio fiat in prędictis Dietis a pro tempore exiſtentibus Vicario Generali, Prioribus Conventuum, & ex Vicariis Generalibus; quo pacto eiſdem Congregationibus ſalubrius conſultum erit, earumque immediata ſubjectio dicto Magiſtro Generali retinebitur, ac perſiſtet arctius quam in pręfata antiqua

Con-

Congregatione Lombardię, utpote quę unicum Religioſum ab ipſo Magiſtro Generali confirmandum poſtulabat, ubi iſtę tres Religioſos proponent, e quibus ei unum, quem maluerit, in Vicarium Generalem pręficiendi libera erit poteſtas; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ad ea, quę felici proſperoque utriuſque Congregationis pręfatę regimini, ac progreſſui conducibilia ſunt, lubenter intendentes, dictoſque Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt ad effectum pręſentium tantum conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut deinceps ſupradictę duę Congregationes S. Sabinę, & S. Marci in earum Dietis, ſicut pręmittitur, tres Religioſos habiles, & idoneos ad Vicariatum Generalem pręfatum, tametſi Philoſophiam, & Sacram Theologiam actu non legant, nec antea legerint, Magiſtro Generali ejuſdem Ordinis pro tempore exiſtenti nominare, ſeu proponere reſpective poſſint, & valeant, ipſeque Magiſter Generalis unum, quem maluerit, ex tribus Religioſis ſic nominatis, ſeu propoſitis in Vicarium Generalem infra menſem a die pręſentationis ſibi faciendę nominationis ejuſmodi computandum deputare, ac pręficere teneatur, dicta auctoritate tenore pręſentium ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes eaſdem pręſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Congregationum, & Ordinis pręfatorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XV Maii MDCCXXXIV, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

1. *Præficiendo.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar, typis R. C. Apoſtolicæ impreſſum *Romæ MDCCXXXIV.*

Anno 1734 Die 5 Julii.

XXVII.

De Miſſæ Sacrificio celebrando in valetudinario Florentin. Monaſterii S. Luciæ.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Florentin.

CLEMENS PP. XII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SPirituali dilectarum in Chriſto filiarum Monialium Monaſterii Sanctę Lucię Ordinis Sancti Dominici, Civitatis Florentinę in infirmaria ipſius Monaſterii pro temporum exiſtentium conſolationi quantum cum Domino poſſumus benigne conſulere, eaſque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & illarum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus earum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati tuę, Prioriſſę, & Monialibus dicti Monaſterii, ut in Altari infirmarię hujuſmodi, dummodo ſacris ſupellectilibus decenter inſtructum reperiatur, ſacroſanctę Miſſę ſacrificium in ſingulis anni feſtivitatibus de pręcepto celebrari facere libere, & licite poſſint, & valeant licentiam auctoritate noſtra Apoſtolica pro tuo arbitrio, & conſcientia concedendi, eadem auctoritate tenore pręſentium impertimur, ita tamen ut confeſſarius, qui clauſuram ex cauſa celebrationis hujuſmodi ingreditur, recta, & abſque ad alium predicti Monaſterii locum diverſione, ab altero graviori, & maturę ętatis Religioſo aſſocietur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii, & Ordinis pręfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die V Julii MDCCXXXIV, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar.

Con-

Anno 1734 Die 8 Julii.

Congregationes S. Mariæ Sanitatis Neapolitan., & S. Marci de Gavottis, in priſtinum ſtatum reſtituit, ac reponit.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXVIII.

C L E M E N S PP. XII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

INjunctę Nobis divinitus Apoſtolicę ſervitutis ratio poſtulat, ut paternam religioſorum virorum Altiſſimi obſequiis ſub ſuavi Chriſti jugo mancipatorum ſollicitudinem gerentes, ſalubri illorum regimini, proſperiſque in via mandatorum Domini progreſſibus proſpicere jugiter ſtudeamus. Alias ſiquidem poſtquam felicis recordationis Benedictus PP. XIII Prędeceſſor noſter per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die IV Maii MDCCXXV expeditas literas, Capitulo Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum tunc proxime celebrando injunxerat, quatenus habita de binis Congregationibus Sanctę Marię Sanitatis Neapolitan., & S. Marci vulgariter de Gavotti reſpective nuncupatis ejuſdem Ordinis, earumque Fratribus, & Conventibus deliberatione, ea ſuper ſtatu utriuſque Congregationis decerneret, & ſtatueret, quę felici Conventuum, & Fratrum hujuſmodi directioni magis expedire cenſeret, & ſi dictos Conventus in Provinciam erigi conveniens exiſtimaret, poteſtatem fecerat ambas Congregationes pręfatas ſupprimendi, earumque Conventus invicem uniendi, unamque ex eis Provinciam inſtituendi: idem Capitulum Generale in Civitate noſtra Bononien. ſubinde celebratum, vigore facultatis ſibi a memorato Benedicto Prędeceſſore, ut pręfertur, attributę binas Congregationes prędictas ſuppreſſit, illarumque Conventus, invicem univit, ac unam ex eis Provinciam ipſius Ordinis Prędicatorum erexit, & inſtituit, & alias prout in enarratis Benedicti Prędeceſſoris literis, ac decreto dicti Capituli Generalis deſuper edito, quorum tenores pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac ad verbum inſertis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, ſicut ex relatione etiam venerabilis Fratris Raynerii Archiepiſcopi Nicoſię in Regno Neapolis noſtri, & Apoſtolicę Sedis Nuncii, ad Nos tranſmiſſa accepimus, ex ſuppreſſione utriuſque Congregationis, unione Conventuum, ac erectione Provincię hujuſmodi non modo exactior regularis obſervantię diſciplina, aliique uberes fructus, qui inde ſperabantur, minime conſequuti fuerint, ſed potius varia animorum diſſidia, turbę, & ęmulationes, non ſine modico ipſius religioſę obſervantię detrimento, aliaque multiplicia incommoda, potiſſimum ob multitudinem Conventuum pręfatorum inter ſe, ut plurimum longe diſſitorum, quibus unicus Prior Provincialis ſatis eſſe nequit, atque ad morum, & ſtatutorum ambarum Congregationum prędictarum diverſitatem provenientia, invecta fuerint. Hinc eſt, quod Nos animo recolentes ex dictis Congregationibus, dum vigebant, pręcipue vero illa S. Marię Sanitatis, quamplures viros ſanctimonia, ac literarum ſcientia, & doctrina pręſtantes, qui univerſum Ordinem pręfatum illuſtrarunt, necnon multa priſca, arctioriſque diſciplinę, ac inſignium virtutum exempla prodiiſſe, dictorumque proinde Fratrum, ac Conventuum ſtatui, & proſpero regimini, atque religioſę tranquillitati, quantum cum Domino poſſumus, in pręmiſſis providere cupientes, ipſorumque Fratrum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, de nonnullorum ex venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ſuper hoc negotio a Nobis ſpecialiter deputatorum, qui rem ipſam diligenter examinarunt, conſilio, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, ſupradictarum Congregationum Sanctę Marię Sanitatis Neapolitan., ac S. Marci vulgariter de Gavotti nuncuptarum ſuppreſſionem, illarumque Conventuum unionem, & Provincię erectionem a Capitulo Generali factas, ſicut pręmittitur, editumque deſuper decretum prędictum, harum ſerie revocamus, vacuamus, ac pro revocatis, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuis haberi, ac cenſeri debere volumus, & declaramus, ambas vero Congregationes pręfatas ad primęva jura reintegramus, ac in priſtinum, & in eum, in quo ante ſuppreſſionem, Conventuum unionem, & Provincię erectionem prędictas erant, ſtatum reſtituimus, ac reponimus, cum facultate tamen unicuique, ex eiſdem duabus Congregationibus nominandi, ſive pręſentandi ſingulis bienniis Magiſtro Generali dicti Ordinis Prędicatorum pro tempore exiſtenti tres e proprio cętu Religioſos, qualitatibus a ſuis conſtitutionibus requiſitis pręditos, e quibus idem Magiſter Generalis unum in Vicarium Generalem, cujuslibet reſpective Congregationis hujuſmodi eligat, ſeu deputet, ac ſublata in perpetuum Fratribus dictę Congregationis S. Marię Sanitatis itidem facultate, qua antea potiebantur interveniendi, atque ſuffragandi in Capitulis Provincię Neapolitan. pro tempore pariter exiſten. quacunque auctoritate, ac juriſdictione, tam ratione viſitationis, quam pro cauſis ſecundę inſtantię in Fratres alterius Congregationis S. Marci, quibus ut tam ſtudia formalia, quam magiſteria, alioſque gradus ſcholaſticos quemadmodum in Provinciis dicti Ordinis ſervatur, & ad illarum inſtar retinere poſſint de ſpecialis dono gratię concedimus, & indulgemus. Ceterum cum aliquam regularis diſciplinę relaxationem in utraque Congregatione pręfata, & pręſertim illa S. Marię Sanitatis olim proceſſiſſe compertum fuerit ex nimia indulgentia, ac facultate quorundam Superiorum localium in concedendis diſpenſationibus, circa exactam inſtituti, ac Conſtitutionum, quas Fratres utriuſque Congregationis profitentur, obſervantiam, iiſdem Superioribus localibus pro tempore exiſten., tenore pręſentium diſtricte pręcipimus, & mandamus, ut conſtitutiones pręfatas accurate obſervari, atque cuſtodiri curent, & ab ejuſmodi diſpenſationum conceſſione omnino abſtineant, niſi legitima, & rationabilis cau-

cauſa, quandoque aliter exegerit. Decernentes eaſdem pręſentes literas, etiam ex eo quod quicunque in pręmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet pętendentes cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtant, aliique quilibet etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſę, propter quas ipſę pręſentes emanarint, ſufficienter adductę, verificatę, & juſtificatę fuerint, aut ex alia quavis legitima, juridica, & privilegiata cauſa, colore, pętextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, & totalis lęſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtrę, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet quantumvis etiam magno, ac ſubſtantiali, individuamque expreſſionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, vel controverſiam revocari, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, & facti remedium intentari, vel impetrari, ſeu impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud, uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas pręſentes literas ſemper, ac perpetuo firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque, & non aliter in pręmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & ejuſdem Sedis Nuncios, ac alios quoslibet quacunque pręeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręmiſſis, ac quatenus opus ſit noſtra, & Cancellarię Apoſtolicę regula de jurę quęſito non tollendo, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, Congregationum, Conventuum, ac Provincię hujuſmodi, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, ſtilis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio habenda, atque alia aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VIII Julii MDCCXXXIV, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum.

Priores Conventuum Provinciæ Peruanæ, licet octo Fratres non alant, jus habeant ſuffragii (1) ferendi in Comitiis Provincialibus. Anno 1734 Die 19 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

C L E M E N S PP. XII. XXIX.

Ad Futuram Rei Memoriam.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Bernardus Davila (3), Frater expreſſe Profeſſus Ordinis Pręcatorum in Sacra Theologia Magiſter, & pro ſua Peruntina Provincia Procurator, & Didacus Salinas & Cabrera, Frater pariter expreſſe Profeſſus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, in eadem Sacra Theologia Magiſter, Aſſiſtens Generalis Hiſpaniarum, ac pro Peruntina & Chilenſi Provinciis itidem Procurator, quod in vaſtiſſimis Americę Meridionalis Regionibus dictę Provincię, plures repeṙiuntur Regulares Conventus fundati, vel in locis a Civitatibus valde remotis, vel in oppidis parvis, & miſerrimis, qui non alio fine illic ſunt fundati, quam ut Spirituali Chriſti fidelium ibidem commorantium utilitati inſerviant, idem etiam accidit in aliis Conventibus, qui dicuntur Prioratus Indorum, pro eorundem Indorum Chriſti fidelium aſſiſtentia, ac inſtructione erectis, qui ſolum, ex tribus Provinciis ſupra relatis, ſunt in Provincia Peruntina eorundem Ordinum, prędicti vero Conventus, ut plurimum ſunt pauperrimi, & conſequenter nec habent, nec alere poſſunt niſi duntaxat ſex, quinque, quatuor, aut tres Religioſos de familia, cum quibus & Spiritualibus Fidelium hujuſmodi indigentiis abunde providetur, & diſciplinę Regularis ſequela, quoad poſſe, conſervatur, quibus de cauſis, tam ex Conſtitutionibus, ſeu ſtatutis Ordinis, Apoſtolica confirmatione roboratis, quam ex inconcuſſa, inveterataque dictarum Provinciarum praxi, omnibus domorum, ſeu Conventuum Regularium uſque modo privilegiis, eorumque Priores, ſeu Pręlati canonice electi voce activa in Capitulis Provincialibus, eorumque electoribus gaudebant. Anno autem MDCXI die XXIII Septembris a felicis recordationis Paulo PP. V Prędeceſſore noſtro quędam literę in ſimili forma Brevis expeditę, emanarunt per quas

quas ſtatuebatur, quod Conventus Provinciarum Americę, qui numerum ſaltem octo Religioſorum alere non poſſunt, ſupprimerentur, & Religioſi in illis reſidentes, ad alios Conventus, ubi Regularis vigeret obſervantia, transferrentur, committendo earum executionem arbitrio Epiſcoporum illarum partium, ſi ipſis pro divini cultus augmento, & regularis diſciplinę obſervantia, expedire videretur, eorum ſuper hoc conſcientiam onerando, ſed nunquam uſque modo relatę literę a dictis Epiſcopis executioni mandatę fuerunt, imo retroactis annis tunc exiſtens Archiepiſcopus Sanctę Fidei novi Regni Granatenſis, tunc etiam exiſtentibus S. R. E. Cardinalibus Congregationis negociis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium prępoſitę, per peculiares literas ipſis directas, retulit impoſſibile prorſus fore ad earum executionem devenire, & certe per centum viginti duos annos eam haud omiſiſſent, ſi dictas literas, aut reducendas ad praxim, vel convenientes illic judicaſſent, quum ipſis tam ſerio, & ſub conſcientię gravamine earundem executio fuiſſet demandata. Porro poſt centum fere annos a prędictarum literarum expeditione, in una, aut alia Provincia aliqui particulares Religioſi (perſonarum exterarum fulti patrocinio) ob perſonales, vitiatoſque fines earum executionem demandarunt, non quoad Conventuum ſuppreſſionem, aut quoad alios effectus in eiſdem literis contentos, ſed ſolum quoad finem excludendi a ſuffragio activo in Capitulo Provinciali, ejuſque electionibus Priores, ſeu Pręlatos Conventuum, octo Religioſos de familia non habentium, illoſque de facto ſępius excluſerunt maximo cum ſcandalo, & pacis Regularis jactura, & frequenti experientia compertum eſt, ex eiuſmodi literarum executione ingentia ferme pullulare damna, cum illarum obſervantia demandetur, ſolum quoad vocalium excluſionem, & hoc ipſomet tempore celebrationis Capituli, aut immediate ante, nimirum quando prętendentes agnoſcunt ſe, votum ferentibus, vel non ferentibus dictis Prioribus, poſſe includi, vel excludi, conſequenterque ſolum tendat ad turbandam Provinciarum pacem, & ad fovendas continuas, inter Religioſos diſcordias, vel ad validandam, vel annullandam ad proprium nutum, & libitum electionem, ut memoratus Sanctę Fidei Archiepiſcopus eidem Congregationi Cardinalium retulit; & ex hoc ſequitur, quod prędictarum literarum executio modo dicto, plus damni, quam utilitatis dictis Provinciis afferat, & ſi, quoad ſuppreſſionem Conventuum, in uſum adducitur, in maximam dictorum fidelium perniciem redundaret. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ipſi exponentes quo fraudibus, malitiiſque via pręcludatur, & Conventuum indemnitati, & Capitulorum, Religioſorumque quieti conſulatur, opportune in pręmiſſis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri ſummopere deſiderent. Nos ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. Ut omnes ſupradicti Conventus in poſſeſſionem privilegiorum, in qua uſque modo fuerunt, deinceps abſque ulla alteratione permaneant, etiam ſi octo Religioſos de familia non habeant, aut poſſint alere, eorumque Priores, ſeu Pręlati legitime electi, voce activa in Capitulis Provincialibus, aliiſque electionibus, ſicut antea, potiantur, & gaudeant, & eodem prorſus modo Priores Conventuum Indorum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, indulgemus. Decernentes eaſdem pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia plęniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus pręfati Pauli, & aliis Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum literis, per quas determinatus numerus Religioſorum in Monaſteriis pręfinitur, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provinciarum, Ordinum, & Conventuum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium pręmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores, pręſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad pręmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in eccleſiaſtica dignitate conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX Julii MDCCXXXIV, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

F. Card. Oliverius.

1. *Suffragii.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar typis R. Cameræ Apoſtolicæ impreſſum *Romæ MDCCXXXIV.*

3. *Bernardus Davila.*) *Limani* Conventus alumnus.

De ſacra ſupellectili Conventus Senenſis. Anno 1734 Die 24 Auguſti.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXX.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Senen.

CLEMENS PP. XII.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Prior, & Fratres Conventus Sancti Dominici Senen. Ordinis Prędicatorum, quod dudum quondam Carolus Ghezzius Burgheſius dum vixit dicti Ordinis Profeſſor de Superiorum ſuorum licentia, ex pecuniis ſibi a Religione permiſſis quinque ſtatuas argenteas Angelos reprętentantes, ac rituales ſacrificii tabellas cum ornamento circum circa argenteo, & ſex vaſa pariter argentea cum ſuis ramis florum artificialium, necnon duo candelabra majora ſimiliter argentea confici curavit, illaque Eccleſię, & Sacriſtię Conventus prędicti donavit, ea tamen adjecta lege, ut nunquam futuro tempore cum prędictis ornamentis argenteis ullum aliud Altare pręter illa Sanctę Catharinę Senenſi dicata, alterum nempe in eadem ſacriſtia, & alterum in Eccleſia ejuſdem Conventus exiſten. ornari valeret, utque magis dicti Caroli voluntas executioni mandaretur, a felicis recordationis Innocentio PP. XI Prędeceſſore noſtro, ne ullo unquam tempore ejuſmodi vaſa, ſtatuas, rituales ſacrificii tabellas, candelabra, aliaque argentea ſupellectilia per eum, ut prędertur, donata, ſub quocunque pretextu, vel cauſa e dicta Eccleſia extrahi, vel aliis Eccleſiis, aut Altaribus commodari, aut quodcunque aliud ſupradictę Eccleſię Altare illis ornari poſſent, ſub excommunicationis latę ſententię, & privationis vocis activę, & paſſivę pęnis per contrafacientes ipſo facto incurren. prohiberi obtinuit, & alias, prout in ipſius Innocentii Prędeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis die VII Novembris MDCLXXVI expeditis uberius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti exponentes in ſolemni expoſitione Sanctiſſimi Euchariſtię Sacramenti in feſto Purificationis B. Marię Virginis quotannis in eadem Eccleſia, aliiſque ſolemnioribus Ordinis prędati, Sanctiſſimi Roſarii, ac Sancti Dominici feſtivitatibus reſpective fieri ſolitis, attenta prohibitione hujuſmodi ab exteris Eccleſiis argentea ornamenta, pro majori, & Sanctiſſimi Roſarii Altaribus mutuari coguntur, & eadem argentea ornamenta prędertim dicta duo majora Candelabra pro quotidiano uniuſque Altaris Sanctę Catharinę ornatu minime ſerviant, ſed tantum in feſtivo triduo ejuſdem Sanctę, ac ulterius, cum pręter dicta vaſa, ſtatuas, candelabra, aliaque ſacra argentea ſupellectilia adſint quoque alia duodecim pariter vaſa argentea pro ſuſtinendis ramis florum artificialium ponderis in totum librarum undecim circiter, quę cum ab uſu receſſerint, inutilia remanent, & in feſtivitate ejuſdem Sanctę Catharinę in eorum locum alia reliquiaria ad prędictam Eccleſiam ſpectantia itidem argento circumornata reponuntur, dicti vero exponentes, quibus ſe offert quidam benefactor, qui conceſſis ſibi dictis vaſibus, aliiſque ſupradictę Eccleſię, inutilibus argentis, quatuor candelabra ſaltem ejuſdem ponderis argentorum ſibi tradendorum, de quibus Eccleſia ſatis proviſa non reperitur, conficere pollicetur, attenta evidenti Eccleſię, & Altarium prędictorum reſpective utilitate facultatem alienandi dicta argenta, & utendi dictis argenteis ornamentis, & majoribus candelabris, ac illis noviter faciendis non ſolum pro Altari Sanctę Catharinę, verum etiam pro ceteris ejuſdem Eccleſię Altaribus ſibi per illos concedi ſummopere deſiderant. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatę exiſtunt, ad effectum pręſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Concilii Tridentini interpretum conſilio, & attenta relatione tua ſuper pręmiſſis ad eoſdem Cardinales tranſmiſſa, Fraternitati tuę per pręſentes committimus, & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, eiſdem exponentibus facultatem immutandi, ut ſupra enunciata ſex vaſa argentea, & tam nova candelabra conficienda, quam cetera ſupradicta ſupellectilia argentea juxta petita adhibendi pro uſu cujuſcunque Altaris eorum Eccleſię in ſolemnioribus feſtis, auctoritate noſtra Apoſtolica pro tuo arbitrio, & conſcientia gratis impertiaris, firma tamen remanente prohibitione alias appoſita, ne ullo unquam tempore eadem ſacra ſupellectilia argentea P. Caroli Ghezzi Burgheſii ſub quocunque pręteхtu deſtrui, nec a dicta Eccleſia extrahi, vel aliis Eccleſiis commodari valeant, ita tamen ut dicti exponentes hujuſmodi novum indultum in monimento lapideo exiſtente in ſacriſtia eorum Eccleſię addere, & diſtincte adnotare teneantur, ac ſalva ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV Auguſti MDCCXXXIV Pontificatus noſtri Anno Quinto.

F. Card. Oliverius.

1. *Archivo.*) In quo exemplar ex autographo *Senen.*

Anno 1734 Die 2 Septembris.

XXXI.

Manilan. Univerſitas (1) S. Thomæ conſtituta.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLEMENS PP. XII.

Ad Futuram Rei Memoriam.

DUdum emanarunt a felicis recordationis Innocentio PP. X Prędeceſſore noſtro ad ſupplicationem claręmemorię Philippi IV, dum vixit Hiſpaniarum Regis Catholici, literę in ſimili forma Brevis, tenoris, qui ſequitur, videlicet. Ad Futuram Rei Memoriam. In ſupereminenti Apoſtolicę Sedis ſpecula, meritis licet imparibus, diſponente Domino conſtituti, & inter mentis noſtrę arcana revolventes, quantum ex literarum ſtudiis Catholica Fides augeatur, divini Numinis cultus protendatur, veritas agnoſcatur, ac juſtitia colatur, ad ea propter quę literarum ſtudia hujuſmodi ubilibet excitantur, etiam humiles perſonę eis incumbere deſiderantes, id efficere poſſint libenter intendimus, & in eis noſtrę ſollicitudinis partes propenſius impertimur, prout pia Chriſti fidelium, prę ſertim regali dignitate fulgentium, vota expoſcunt, noſque locorum qualitate penſata in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut nomine cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici Nobis nuper expoſitum fuit, in Civitate Manilan. in Inſulis Philippinis Indiarum Occidentalium, unum ſub denominatione S. Thomę Collegium Ordinis Fratrum S. Dominici exiſtat, in quo triginta alumni ſeculares educantur, & Grammatica, Rhetorica, Logica, Philoſophia, ac Theologia ſcholaſtica, & moralis docentur, ſeu leguntur, magna cum Incolarum illarum partium utilitate. Civitas vero Manilana pluſquam tribus leucarum millibus a vicinioribus ſtudiorum Generalium univerſitatibus nempe Limana, & Mexicana diſtet, & propterea idem Philippus Rex in Collegio prędicto Academiam per Nos erigi, & inſtitui ſummopere deſideret, Nobis idcirco ejuſdem Philippi Regis nomine humiliter ſupplicatum fuit, quatenus Incolarum Civitatis prędictę commodis, & in bonis literis inſtitutioni conſulendo, in dicta Civitate, ac ędibus Collegii prędicti Academiam, in qua Religioſi dicti Ordinis Grammaticam, Rhetoricam, Logicam, Philoſophiam, ac Theologiam ſcholaſticam, & moralem publice profitentur, ac juvenes quoſcunque docerent, Apoſtolica auctoritate erigere, & inſtituere, aliaſque in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piis ejuſdem Philippi Regis votis hujuſmodi favorabiliter annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de nonnullorum dilectorum filiorum noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalium, & Romanę Curię Pręlatorum deſuper a Nobis deputatorum conſilio, in prędicta Civitate Manilan. in ędibus dicti Collegii, ubi nunc ſcholę ſunt, ſeu forſan in ampliori forma conſtruentur, Academiam in qua Religioſi dicti Ordinis Grammaticam, Rhetoricam, Logicam, Philoſophiam, ac Theologiam ſcholaſticam, & moralem publice profiteantur, ac juvenes quoſcunque doceant, duraturam duntaxat donec, & quouſque aliqua publica ſtudii Generalis univerſitas in dicta Civitate Manilan., ſeu illius Provincia, Apoſtolica auctoritate erecta fuerit, eadem auctoritate, tenore pręſentium, ſine tamen cujuſcunque pręjudicio, erigimus, & inſtituimus, ipſamque Academiam ſic erectam, & inſtitutam curę, regimini, & adminiſtrationi dicti Ordinis, & illius Magiſtri Generalis pro tempore exiſtentis, ſeu ab eo deputandi, qui totius Academię rector exiſtat, prędicta auctoritate perpetuo ſupponimus, & ſubmittimus, ac eidem Academię, illiuſque Rectori, Magiſtris, ſcholaſticis, aliiſque prędictis univerſis, & ſingulis, ut omnibus, & quibuſcunque privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, pręrogativis, honoribus, & pręeminentiis hujuſmodi Academiis, illarumque pro tempore exiſtentibus Rectoribus, Magiſtris, Lectoribus, Doctoribus, Pręceptoribus, Scholaſticis, Procuratoribus, Bidellis, Nunciis, Officialibus, Miniſtris, & aliis perſonis in genere, vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, non ſolum ad eorum inſtar, ſed pariformiter, & ęque principaliter in omnibus, & per omnia uti, potiri, & gaudere. Et inſuper Rectori ejuſdem Academię, & Collegii pro tempore exiſtenti, ut donec hujuſmodi Academia, ut pręmittitur duraverit, illos, quos in ipſa Academia ſic erecta per debitum tempus ſtuduiſſe, ac ſcientia, & moribus idoneos eſſe repererit in prędictis facultatibus, quę in dicto Collegio, ut pręfertur, docentur, ſeu leguntur ad Baccalaureatus etiam formati, licentiaturę laureę, ac Doctoratus, necnon Magiſterii gradus, ſervata in omnibus, & per omnia forma decretorum Viennenſis, & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, & alias laudabiles aliarum Academiarum conſuetudines promovere, & ipſorum graduum inſignia eis exhibere, utque ad dictos gradus ſic per illum promoti poſtea publice, privatimque etiam in omnibus aliis Academiis, & Univerſitatibus ſtudiorum Generalium facultates prędictas interpretari, & alios docere, de eis diſputare, gradui, ſeu gradibus hujuſmodi convenientes actus exercere, necnon omnibus aliis privilegiis, favoribus, gratiis, pręrogativis, & indultis, quibus alii in prędictis, ſeu aliis Academiis, Univerſitatibus, & alias juxta illarum conſtitutiones, & mores ad gradus prędictos promoti de jure, vel conſuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere in futurum in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi gradus in Academiis, ſeu Univerſitatibus hujuſmodi juxta illarum mores, & conſuetudines rite ſuſcepiſſent, uti, potiri, gaudere, necnon pro tempore exiſtenti dicti Ordinis Magiſtro Generali, ut per ſe, vel dictorum Collegii, & ſic erectę Academię Rectorem, aut alium, ſeu alios pro ſalubri, & felici dictę Academię directione, ac Rectoris, Magiſtrorum. Procuratorum, Bidellorum, Nunciorum, & aliorum Miniſtrorum, & Officialium muneribus, & functionibus, modoque, & forma docendi, & alias ſua officia exercendi, ac ſcholaſticorum manutentione quęcunque ſtatuta, & ordinationes licita tamen, & honeſta, ac ſacris cano-

canonibus, & Concilii Tridentini decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis non contraria edere, & promulgare, eaque pro temporum, rerum, & perſonarum qualitate, mutare, corrigere, & reformare, ſeu illa caſſare, & abrogare, ac alia de novo edere, & ſuper illorum obſervatione pęnas ejus arbitrio imponere, dictęque Academię Doctores, Magiſtros, Lectores, ſcholaſticos, Procuratores, Bidellos, alioſque Miniſtros, & Officiales eligere, & amovere, ſeu electiones factas confirmare libere, & licite valeant, auctoritate, & tenore pręſentis, concedimus, & indulgemus. Pręſentes vero noſtras literas validas, firmas, & efficaces fore, & eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque, & non alias per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX Novembris MDCXLV, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Cum autem, ſicut pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi earundem Hiſpaniarum pariter Regis Catholici nobis nuper expoſitum fuit in Academia, ſeu univerſitate ſtudii Generalis dicti Collegii duę novę Cathedrę, una quidem Canonum, a Religioſo dicti Ordinis, altera vero Inſtitutionum juris civilis, & canonici ab uno utriuſque juris Doctore regendorum, erectę ſint, dictus Philippus Rex pręinſertas literas ad eaſdem duas novas Cathedras noviter erectas, ut pręfertur, per Nos ampliari, ac omnia privilegia per prędictas literas dictę Academię, ſeu Univerſitati ſtudii Generalis memorati Collegii conceſſa etiam ſupradictis duabus novis Cathedris, aliiſque in poſterum erigendis tributa declarari ſummopere deſideret, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in pręmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Philippi Regis votis favorabilem aſſenſum, quantum cum Domino poſſumus, prębere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum conſilio, literas, ſeu indultum pręinſerta etiam ad ſupra enunciatas duas novas Cathedras juxta petita, donec, & quouſque in dicta Civitate Manilan. alia Univerſitas erecta fuerit, ſervata tamen in reliquis earundem pręinſertarum literarum forma, & diſpoſitione, dicta auctoritate, tenore pręſentium extendimus, ſalva tamen ſemper in pręmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes pariter ipſas pręſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum pleniſſime ſuffragari, ſicque in pręmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quę idem Innocentius Prędeceſſor in literis pręinſertis conceſſit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die II Septembris MDCCXXXIV, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

F. Card. Oliverius.

Loco † Sigilli.

1. *Univerſitas.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiſcopi, & Epiſcopi Dignitates, Clemente XII Summo Pontifice, promotos exhibens.

ARCHIEPISCOPI.

F. Archangelus Maria Ciccarelli, S. Theologię Magiſter, Archiepiſcopus Anſanen., ſeu Lancianen., *Lanciano*, in Regno Neapolitano. Vivit doctiſſimus Pręſul in omni ferme diſciplinarum genere exercitatus. — Anno 1731 Die 30 Aprilis.

F. Dominicus Maria Salvini, Italus, patria Laudenſis, alumnus Congregationis S. Sabinę, Archiepiſcopus Naſcivanenſis, *Naſſivan*, aliis *Nachcivan* in Armenia. Conſecratus fuit die XXIV Auguſti. Pallio donatus eſt die III Septembris MDCCXXXII. — Anno 1732 Die 11 Auguſti.

EPISCOPI.

Anno 1731 Die 12 Februarii. **F.** Thomas a Valle, ex Epiſcopo *Septenſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Benedicti XIII* dictum fuit, Epiſcopus Gaditanus, *Cadiz*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Hiſpalenſi.

Anno 1731 Die 18 Junii. **F.** Vincentius Maria Mazzoleni, ex Archiepiſcopo *Corcyrenſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Benedicti XIII* dictum fuit, Epiſcopus Parentinus, *Parenzo*, in Iſtria, ſub Patriarcha Aquilejenſi.

Anno 1732. **F.** Thomas Szklubicz Zateski, Polonus, S. Theologię Profeſſor, Epiſcopus Bachovienſis, *Backow*, in Walachia, ſub Archiepiſcopo Leopolienſi, vel, ut aliis placet, ſub Colocenſi. Conventui *Luceorienſi* præerat, cum deſignatus fuit Epiſcopus.

INDEX,

Hujus Sexti Voluminis Diplomata recenſens.

GREGORIUS	XV	Habet	17.
URBANUS	VIII		121.
INNOCENTIUS	X		23.
ALEXANDER	VII		53.
CLEMENS	IX		51.
CLEMENS	X		60.
In Appendice			3.
INNOCENTIUS	XI		37.
In Appendice			14.
ALEXANDER	VIII		7.
INNOCENTIUS	XII		34.
CLEMENS	XI		75.
INNOCENTIUS	XIII		14.
BENEDICTUS	XIII		133.
CLEMENS	XII		31.
			673.

INDEX CHRONOLOGICUS
Diplomatum Sexti Voluminis.

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
GREGORIUS XV.	I.	1621	Julii	6	DE Confraternitate SS. Roſarii.	1
	II.			17	Quonammodo nova Cœnobia conſtituenda.	3
	III.			27	De Noviciis Provinciæ Lombardiæ.	4
	IV.		Septemb.	16	Univerſitas Pampilonenſis fundata.	4
	V.			22	Extenſio Officii B. Jacobi Salomonii.	6
	VI.		Octobris	27	Confirmat, quę pro vita regulari ſancita fuerant.	7
	VII.		Novemb.	26	De Generali Capitulo celebrando.	8
	VIII.		Decemb.	20	De Canonizatione B. Ludovici Bertrandi.	8
	IX.	1622	Julii	2	Revocat conceſſiones vivæ vocis oraculo factas.	8
	X.			28	De opinione affirmativa conceptionis B. V. Mariæ.	13
	XI.		Septemb.	24	De feſto B. Alberti Magni celebrando.	14
	XII.		Octobris	8	De feſto B. Ambroſii Sanſedonii,	16
	XIII.	1623	Februarii	5	De exemptorum privilegiis.	17
	XIV.		Martii	15	Cœnobium Cæſarauguſtanum fundatur.	20
	XV.			27	Firmat ea, quæ pro Collegio Cæſarauguſtano ſancita ſunt.	20
	XVI.		Aprilis	6	De electionibus canonicis.	22
	XVII.		Maii	12	Confirmatio eorum, quæ pro Provincia S. Jacobi de Mexico ſtatuta fuere.	22
URBANUS VIII.	I.		Decemb.	13	Indulgentiæ conceſſæ.	25
	a II. ad IX.				Eadem de re.	25
	X.	1624	Februarii	13	Quædam pro Barchinonenſi Cœnobio ſancita, firmat.	29
	XI.		Junii	8	Raguſinum Cœnobium commendat.	30
	XII.		Auguſti	6	Penſio Collegio Dertuſenſi ſolvenda.	31
	XIII.			28	Quæ pro domibus Religioſis conſtruendis ſervanda ſint, præſcribit.	31
	XIV.		Octobris	27	Monialium Monaſteria ſeculares mulieres non ingrediantur.	33
	XV.	1625	Februarii	7	Ne Gregoriana Conſtitutio: *Inſcrutabili*: executioni mandetur in Hiſpaniis.	35
	XVI.		Maii	13	Privilegia Ordini conceſſa, firmat.	36
	XVII.		Junii	26	Servanda decernit, quæ pro Piſſiacenſi Monaſterio ſancita ſunt.	38
	XVIII.		Julii	28	De reformandis Provinciis, Calabriæ, Apuliæ, & Siciliæ.	39
	XIX.		Auguſti	9	Capitulum Generale omni ſexennio habendum.	40
	XX.			27	Hiſpalenſis Cœnobii Reginæ Angelorum privilegia, declarat.	41
	XXI.		Septemb.	25	De libris Choralibus imprimendis.	46
	XXII.	1626	Martii	23	Ne e Bibliothecis libri extrahantur, vetat.	47
	XXIII.		Julii	30	Privilegia vitæ regulari contraria, revocat.	48
	XXIV.			30	De Capitulo Provinciali Peruanæ Provinciæ S. Johannis Baptiſtæ.	48
	XXV.		Septemb.	17	De electione Provincialis Provinciæ S. Catharinæ Quitenſis.	49
	XXVI.	1627	Aprilis	30	Privilegia Miſſionibus Ruthenorum conceſſa.	50
	XXVII.		Novemb.	20	Quæ in gratiam Bononienſis Monaſterii S. Lucæ ſancita ſunt, firmat.	51
	XXVIII.			24	Indulgentia pro Capitulo Generali.	53
	XXIX.	1628	Januarii	26	Prohibet ne Fratres Romam petant, ſine Magiſtri Generalis facultate.	54

URBANUS VIII.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
	XXX.	1628	Auguſti	9	De Confratribus SS. Nominis Jeſu.	54
	XXXI.		Septemb.	12	Secularium Confeſſiones non excipiant Religioſi, ab Ordinario non approbati.	55
	XXXII.		Novemb.	10	De Generali Capitulo Romæ celebrando.	56
	XXXIII.		Decemb.	23	De Magiſtris, Baccalaureis, & Prædicatoribus Generalibus Provinciæ S. Petri Martyris.	56
	XXXIV.	1629	Februarii	14	Oriolenſis Collegii Rector confirmatur.	57
	XXXV.		Aprilis	26	De electione Provincialis Peruanæ Provinciæ.	58
	XXXVI.		Maii	2	Pro Bononienſi Monaſterio S. Lucæ.	59
	XXXVII.			9	Argentinum Monaſterium S. Nicolai in Undis, Teutoniæ Provinciæ unitur.	61
	XXXVIII.		Junii	1	Quædam pro Provincia Bætica, ſancit.	62
	XXXIX.			4	Magiſtrum Generalem privilegiis ornat.	63
	XL.			6	Nonnulla pro Provincia Portugalliæ ſtatuta.	64
	XLI.			9	De Confraternitate S. Mariæ Magdalenæ loci S. Balmæ.	64
	XLII.			11	Indulgentiæ pro Confratribus SS. Nominis Jeſu.	65
	XLIII.		Julii	10	De Conventibus Provinciarum Provinciæ, & Occitanæ.	66
	XLIV.			16	De Provinciali Provinciæ Peruanæ inſtituendo.	67
	XLV.			01	Facultates Magiſtro Generali conceſſæ.	68
	XLVI.			28	Ne Socii Priorum in Capitulis Provincialibus Provinciæ Hiſpaniæ, jus habeant ferendi ſuffragia.	68
	XLVII.		Auguſti	22	De Noviciis in Galliarum Regno recipiendis.	69
	XLVIII.		Septemb.	19	Firmat quæ pro Piſſiacenſi Monaſterio ſancita fuere.	70
	XLIX.	1630	Aprilis	27	De Provinciale Provinciæ Lombardiæ conſtituendo.	72
	L.		Maii	30	Ferrandinen. Cœnobium unitur Provinciæ S. Thomæ.	72
	LI.		Octobris	30	De numero Fratrum Toletani Cœnobii S. Petri Martyris.	73
	LII.	1631	Aprilis	2	Ut Clementina Conſtitutio pro Noviciis edita, executioni mandetur.	73
	LIII.		Junii	2	De Capitulo Provinciæ Peruanæ.	75
	LIV.		Septemb.	1	Ut Fratres Ordinis veniant in poſſeſſionem Eccleſiæ S. Mariæ de Arcu.	75
	LV.			27	Provinciæ Romanæ Capitulum transfert.	77
	LVI.		Novemb.	5	De Conſtitutionibus Apoſtolicis ſervandis.	77
	LVII.		Decemb.	20	Extenſio Conſtitutionis revocatoriæ conceſſionum vivæ vocis oraculo factarum.	79
	LVIII.	1632	Januarii	17	Provinciale Capitulum Provinciæ Lombardiæ transfert.	81
	LIX.		Februarii	7	De Fratrum filiationibus transferendis.	81
	LX.			7	De Provincialibus Capitulis, tempore peſtis celebrandis.	82
	LXI.		Julii	15	Pro Provinciæ Romanæ Capitulo.	83
	LXII.			21	Ne quis extrahat ſacram ſupellectilem ſacelli a F. Antonio de Sotomajor fundati.	84
	LXIII.		Decemb.	1	Generale Capitulum transfert.	84
	LXIV.	1633	Februarii	22	De Miſſionibus Sinenſibus, & Japonicis.	85
	a LXV. *ad* LXVII.				Indulgentiæ.	87
	LXVIII.		Junii	20	De Exequiis, Novennalibus, & Anniverſariis.	88
	LXIX.			21	Quædam Cœnobia ſupprimit, eorumque bona, ad alia transfert.	88
	LXX.	1634	Martii	28	Ut prioriſſa Monaſterii Pruliani ſit Ord. Præd., & ad Triennium duntaxat eligatur.	89
	LXXI.				Eadem de re.	92
	LXXII.		Maii	8	De Proceſſionibus per clauſtrum Cremonenſis Cœnobii, faciendis.	94
	LXXIII.		Junii	18	Socii priorum pro Capitulis Provinciæ Quitenſis, non eligendi.	94
	LXXIV.		Novemb.	8	Ne Fratres extra Cœnobia degant in Indiis.	95
	LXXV.	1635	Januarii	27	In quibuſnam Italiæ Cœnobiis, Novicii ſint inſtituendi, declarat.	95

De

URBANUS VIII. Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
LXXVI.	1635	Januarii	31	De votis Solemnibus.	97
LXXVII.		Februarii	7	Neapolitano Collegio S. Thomæ, annua penſio conſtituta.	98
LXXVIII.		Martii	6	De B. Alberti Magni Officio recitando.	98
LXXIX.		Aprilis	11	Revocatio vivæ vocis oraculorum, quomodo intelligenda.	99
LXXX.		Auguſti	13	De Exemptione Fratrum.	100
LXXXI.			20	De ſacra ſupellectili, ex Cœnobio Salmanticenſi non extrahenda.	101
LXXXII.		Decemb.	3	Ne quis, inſcio Procuratore Generali, Negotia in Curia Romana pertractet.	101
LXXXIII.	1638	Martii	1	De SS. Sacramenti Confraternitate.	102
LXXXIV.			28	Quinam in Comitiis Provinciæ Lombardiæ, ſuffragium ferendi jus habeant.	103
LXXXV.		Maii	22	Sacellum, olim cubiculum S. Catharinæ Senenſis, indulgentiis ornat.	104
LXXXVI.	1639	Aprilis	7	De Calaritano Monaſterio conſtituendo.	104
LXXXVII.		Maii	17	Præfinit numerum Magiſtrorum Romanæ Provinciæ.	107
LXXXVIII.			28	Ut Provinciales Romanæ Provinciæ biennales ſint.	107
LXXXIX.	1640	Februarii	17	Firmat, quæ pro Provincia Regni ſancita ſunt.	108
XC.		Auguſti	23	S.P. Dominicus Civitatis & Regni Neapolitani, Patronus, & Protector conſtitutus.	109
XCI.		Octobris	16	Confirmatio declarationis de Largitione Munerum Regularibus interdicta.	110
XCII.		Novemb.	6	De Provinciale Poloniæ eligendo.	112
XCIII.	1641	Januarii	4	De Cæſarauguſtano Cœnobio conſtruendo.	112
XCIV.		Martii	1	Provincialis Provinciæ Siciliæ, a Magiſtro Generali conſtitutus.	113
XCV.		Septemb.	18	Pro Confraternitate SS. Roſarii.	114
XCVI.			23	Conſtitutionem pro eligendo *Poloniæ Provinciale* datam revocat.	114
XCVII.	1642	Martii	7	De Generali Capitulo Januæ celebrando.	115
XCVIII.		Septemb.	20	De Electione Provincialis Mexicani.	116
XCIX.		Novemb.	9	Electiones, & acta Generalis Capituli Januæ, & Corniliani coacti reſcindit.	117
C.			10	Judices conſtituit, qui his de rebus ſententiam ferant.	118
CI.			29	Alios, eandem ob rem delegat.	119
CII.		Decemb.	6	Eadem de re.	120
CIII.	1643	Februarii	7	De Chiapenſis Provincialis electione.	122
CIV.		Martii	20	Electiones, & acta Generalis Capituli Januenſis nulla declarat.	123
CV.		Aprilis	3	De ſacra ſupellectile, e Cœnobiis non extrahenda.	124
CVI.		Auguſti	21	Eadem de re.	125
CVII.		Octobris	16	Eadem de re.	125
CVIII.		Aprilis	8	De Generaliſſimo Capitulo Romæ celebrando.	125
CIX.		Maii	16	Ut Calabriæ priores, ſeu Provinciales, ſeu Conventuales, biennales ſint.	127
CX.		Julii	7	Tempus, quo impediuntur Priores ne fungantur Officio ſibi demandato, non computandum.	128
CXI.		Auguſti	21	Provincialis Dalmatiæ electionem ratam habet, & firmat.	128
CXII.	1644	Februarii	6	De Capitulo Generali Romano.	129
CXIII.			24	Ne filiationes Fratrum, ex aliis Cœnobiis ad Neapolitana S. Dominici, & S. Thomæ transferantur.	130
CXIV.		Martii	10	Confirmatio limitum Provinciæ Ruſſiæ.	130
CXV.		Aprilis	1	Dietam a Romana Provincia cogendam, confirmat.	131
CXVI.			23	Indulgentia pro Miſſionibus.	132
CXVII.			27	Ex Ordinis Generali Magiſterio, ad Eccleſiam Cathedralem F. Nicolaum Rodulphium transferendum, decernit.	132

Ut

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
URBANUS VIII.	CXVIII..	1644	Junii	20	Ut Mexicanum Hoſpitium S. Hyacinthi, juris ſit Philippinarum Provinciæ.	134
	CXIX.				Ne ceterorum Cœnobiorum Fratres, ad Neapolitanum S. Petri Martyris transferantur.	135
	CXX.			30	De Electione Provincialis Trinacriæ.	136
	CXXI.		Julii	15	Aliorum Conventuum Fratres, in Neapolitanum Montis Dei non transferendi.	137
INNOCENTIUS X.	I.	1645	Januarii	12	Generalem Magiſtrum Privilegiis ornat.	144
	II.			24	Nicienſe Cœnobium ex Provincia Provinciæ, ad Lombardiæ Provinciam transfertur.	146
	III.		Februarii	7	De Sacramentis a Fratribus, tempore Paſchali, adminiſtrandis.	146
	IV.			20	Firmat ea quæ geſta ſunt pro univerſitate, in S. Fidei Civitate conſtituenda.	147
	V.			22	De jure ſepeliendi, initam a Majoricenſibus concordiam, firmat.	148
	VI.		Martii	10	Abulenſis univerſitatis S. Thomæ, privilegia.	152
	VII.		Auguſti	18	De fundando Malacitano Monaſterio.	153
	VIII.		Octobris	12	F. Dominicus Marinus, Generalis Vicarius Ordinis creatur.	153
	IX.		Novemb.	20	Manilanæ univerſitatis S. Thomæ fundatio.	154
	X.	1647	Decemb.	6	Indulgentia pro Miſſionibus obeundis.	155
	XI.	1648	Octobris	13	Generalis Magiſter duos ex ſociis ſuis, Provinciales conſtituere poteſt.	156
	XII.	1649	Martii	1	De Sipontini Cœnobii Confraternitate Montis Mortuorum.	156
	XIII.			10	Quoſdam Congregationis S. Ludovici Conventus, unit Toloſanæ Provinciæ.	157
	XIV.		Decemb.	9	F. Nicolaum Rodulphium, Vicarium Generalem Ordinis conſtituit.	158
	XV.			17	De ſtatu cujuſcunque Conventus Italiæ exhibendo.	159
	XVI.	1650	Junii	1	Cardinalem Capponium Præſidem inſtituit Capitulii celebrandi.	161
	XVII.		Julii	7	F. Jo: Baptiſtam Marinum Generalem, ampliſſima ornat facultate.	161
	XVIII.		Decemb.	9	Confirmat, quæ pro Congregatione Sanitatis ſancita fuere.	163
	XIX.	1651	Aprilis	3	De Miſſali, Breviario, & id genus ceteris libris imprimendis.	164
	XX.	1652	Martii	27	Lovanienſis Confraternitas Cinguli S. Thomæ, indulgentiis ornatur.	165
	XXI.		Octobris	15	De parvis Conventibus ad ſecularem ſtatum transferendis.	166
	XXII.	1654	Februarii	10	Quinam ex ipſis juris ſint Ordinariorum.	168
	XXIII.		Decemb.	18	Ut in Neapolitano Regno, Feſtum S.P. Dominici ſit ab opere feriatum.	173
ALEXANDER VII.	I.	1655	Maii	11	De Noviciis inſtituendis.	178
	II.		Novemb.	17	Ne Prior Conventus S. Dominici Terræ Suriani, Cenſuras ſubeat ex Criminalibus cauſis de quibus ſententiam feret.	179
	III.	1656	Martii	15	Indulgentia pro Miſſionibus.	179
	IV.		Maii	10	De Definitoribus ſubrogandis.	180
	V.		Junii	1	Indulgentia Confratribus SS. Roſarii conceſſa.	180
	VI.		Septemb.	26	Ruſſiæ Provincia, S. Hyacinthi nomine nuncupanda.	181
	VII.		Octobris	3	De Priore Conventus S. Mariæ portus Salutis Civitatis Valletæ.	181
	VIII.				Pœnitentiarius in Eccleſia Conventus S. Dominici Terræ Suriani, conſtitutus.	182
	IX.			12	Angelopolitana Provincia a Mexicana dividitur.	183
	X.	1657	Septemb.	15	Indulgentia pro Tertiis feriis.	185
	XI.			24	De reſecandis ſumptibus ſuperfluis in Eccleſiis, & Monaſteriis Monialium Urbis.	185

ALEXANDER VII. Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
XII.	1658	Januarii	17	Quæ pro Goana Miſſione ſancita ſunt, inſerit, & firmat.	187
XIII.		Martii	16	De Feſtis S. P. Dominici, & SS Roſarii.	188
XIV.			30	Monialium Urbis Regularium curæ ſubjectarum utilitati & quieti providet.	189
XV.		Aprilis	8	Ut Indulgentia SS. Roſarii Confratribus conceſſa, mortuis attribui poſſit.	191
XVI.		Decemb.	16	Ne quis Ordinis diviſionem, vel inſtitutionem Vicarii Generalis Indiarum, procuret.	191
XVII.	1659	Maii	3	F. Franciſcum Galaſinum, Vicarium Generalem Ordinis creat.	192
XVIII.		Novemb.	15	Indiarum Clero, omnia Hiſpaniæ Regnis quoad Miſſas, Officia &c. conceſſa, indulget.	193
XIX.	1660	Januarii	7	De filiationibus non transferendis ad Neapolitanum Cœnobium S. Severi.	193
XX.		Februarii	26	Idem pro Florentino Cœnobio S. Mariæ Novellæ, ſtatutum.	194
XXI.		Martii	4	Neapolitanum Monaſterium SS. Petri, & Sebaſtiani, curæ Vicarii Generalis Congregationis Sanitatis, committitur.	195
XXII.		Aprilis	30	Confirmat Decreta Sacrarum Congregationum, ad ſepulturam pertinentia.	195
XXIII.		Auguſti	7	Lovanienſes laudat quod SS. Aug. & Thomæ Doctrinam, ſequi velint.	196
XXIV.		Octobris	9	De Conſervatoribus eligendis.	197
XXV.		Novemb.	17	Peruanæ Provinciæ Comitia prorogat.	198
XXVI.	1661	Septemb.	30	De Confraternitate S. Dominici in Suriano.	199
XXVII.		Decemb.	23	Ut Ulyſſiponen. Collegium SS. Roſarii & Monaſterium B. M. V. Boni ſucceſſus, pro Hibernis duntaxat Fratribus & Monialibus ſint.	200
XXVIII.	1662	Januarii	8	Neapolitanam Confraternitatem Cinguli S. Thomæ, indulgentiis ornat.	201
XXIX.		Martii	1	Ne quis ex aliis Cœnobiis ad Neapolitanum S. Mariæ Sanitatis, transferatur.	201
XXX.	1663	Maii	26	Ne Converſi tranſeant ad ſtatum Clericalem, & ne Clerici Fratres ſacros ordines ante legitimam ætatem ſuſcipiant.	202
XXXI.		Auguſti	4	De reaſſumenda cauſa Beatificationis, & Canonizationis V. Servæ Dei Roſæ de S. Maria.	203
XXXII.			6	Conventuum Regularium fundationes, intra ſpatium quatuor vel quinque leucarum a jam erectis, prohibet.	203
XXXIII.			7	Indiarum Provinciales electionis acta ad Generalem Magiſtrum mittere tenentur.	205
XXXIV.		Novemb.	26	De Canonizatione V. Servæ Dei Roſæ Limanæ,	207
XXXV.				Eadem de re.	207
XXXVI.	1664	Martii	17	Eadem de re.	207
XXXVII.		Maii	3	De Officio B. Alberti Magni a Fratribus Ditionis Venetæ, recitando.	207
XXXVIII.			28	De Roſario Seraphico, & id genus ceteris.	208
XXXIX.		Junii	28	Feſtum S. P. Dominici ex præcepto in Regno Neapolitano ſervandum, ejuſque officium cum octava recitandum.	209
XL.		Septemb.	26	Ut cauſa Canonizationis V. Servæ Dei Roſæ de Lima, diſcutiatur.	209
XLI.			27	Angelopolitanum Collegium S. Ludovici, juris eſt Mexicanæ Provinciæ.	210
XLII.		Octobris	26	Quomodo, & quando Monialium Superioribus ac Confeſſoribus Monaſterii ſepta ingredi liceat, & prope illud commorari.	212
XLIII.		Novemb.	8	De Parochis, Indiarum Eccleſiis præficiendis.	214
XLIV.			11	Cauſam Canonizationis V. Servæ Dei Roſæ a S. Maria, diſcuti jubet.	215
XLV.			20	Ratum habet quod F. Antonius Gonçales Procurator, & Definitor Peruanæ Provinciæ ſit electus.	215

Ange-

ALEXANDER VII.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
	XLVI.	1665	Junii	30	Angelorum Congregatio fruatur privilegiis Congregationis Britannicæ.	216
	XLVII.	1666	Januarii	21	Approbat quod Neapolitanum Cœnobium S. Catharinæ apud Formellum, conſtitutum ſit ſtudium formale.	217
	XLVIII.		Februarii	8	Ne Trinitarii Fratres Cappam deferant nigri coloris.	218
	XLIX.		Martii	23	Miraculum quoddam a V. Serva Dei Roſa Limana patratum, approbatur.	220
	L.		Junii	9	Ne Teutoniæ Provincia dividatur, cavet.	220
	LI.		Octobris	7	Pro Limenſi Confraternitate SS. Roſarii.	222
	LII.			21	Ut Indulgentia conceſſa Roſarium hora aſſignata recitantibus, poſſit defunctis attribui.	222
	LIII.	1667	Januarii	22	Miſſas Defunctorum, in duplicibus celebrare vetat.	223
CLEMENS IX.	I.		Septemb.	16	Quæ pro Fratribus Hibernis ſublevandis ſancita ſunt, firmat.	227
	II.		Octobris	4	De Canonizatione B. Ludovici Bertrandi.	229
	III.				De variis Miraculis a V. Serva Dei Roſa de Lima patratis.	230
	IV.			14	Ut quæ pro Fratribus Hibernis ſtatuta ſunt, executioni mandentur.	230
	V.		Novemb.	29	De S. Vincentii Ferrerii Officio ab omnibus recitando.	231
	VI.		Decemb.	10	De Tertiariis.	231
	VII.			21	Cauſa Beatificationis, & Canonizationis V. Servæ Dei Roſæ a S. Maria, diſcutitur.	232
	VIII.	1668	Februarii	8	Feſtum Beatificationis ipſius celebrandum.	232
	IX.			12	Breve hac de re conceſſum.	233
	X.			22	Indulgentiæ Indis Confratribus SS. Roſarii, conceſſæ.	234
	XI.		Aprilis	10	Indulgentiæ conceſſæ pro die Beatificationis B. Roſæ.	234
	XII.			28	Aliæ pro eadem in Hiſpaniis, & Indiis celebranda.	235
	XIII.		Maii	1	Declaratio Martyrii nonnullorum Servorum Dei, in Japonia pro fide Catholica interemptorum.	235
	XIV.		Junii	4	Indulgentia conceſſa viſitantibus Eccleſiam S. Jacobi de Urbe, pro feſto Beatificationis B. Roſæ.	236
	XV.		Julii	18	Idem eadem de re pro Eccleſia S. Euſtorgii Mediolanenſi, conceditur.	236
	XVI.		Septemb.	10	Idem pro Indiis occidentalibus.	237
	XVII.			14	Ut in America B. Roſæ officium, recitari poſſit.	237
	XVIII.			28	De Viſitandis Galliæ Conventibus.	238
	XIX.		Octobris	18	Ut B. Roſæ nomen, in Romano Martyrologo inſcribatur.	239
	XX.		Novemb.	6	Quod ipſa in album Beatarum relata fuerit, Limenſibus gratulatur.	240
	XXI.		Decemb.	13	Illam, Civitatis Regum, totiuſque Regni Peruani principaliorem Patronam, declarat.	240
	XXII.	1669	Januarii	2	Eadem de re.	241
	XXIII.			12	Verba pro illa in Martyrologio Romano apponenda.	241
	XXIV.			17	De cauſa Canonizationis ipſius.	242
	XXV.			27	De eadem re.	242
	XXVI.				De eadem re.	242
	XXVII.				De eadem re.	242
	XXVIII.				De eadem re.	243
	XXIX.				Eadem de cauſa.	243
	XXX.				Eadem de cauſa.	243
	XXXI.				Eadem de cauſa.	244
	XXXII.				Eandem ob rem.	244
	XXXIII.				Eandem ob rem.	244
	XXXIV.				Eandem ob rem.	244
	XXXV.		Februarii	8	S. Ludovici Regis Provincia conſtituta.	245

Indul-

CLEMENS	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
IX.	XXXVI.	1669	Februarii	25	Indulgentia Die Feſto B. Roſæ Eccleſiis Cathedralibus, & Metropolitanis Indiarum Occidentalium conceſſa.	246
	XXXVII.		Maii	10	Quæ pro ſtudio Generali Congregationis Sanitatis ſancita ſunt, firmat.	246
	XXXVIII.			13	F. Petrus Maria Paſſerinus fit Vicarius Generalis.	247
	XXXIX.			21	Ut juxta rigorem Textus, Regula & Conſtitutiones ſerventur in Cœnobio S. Sabinæ de Urbe.	248
	XL.		Junii	6	Facultas procedendi ad diſcuſſionem relevantiæ Contentorum in proceſſibus de Martyrio aliquorum ſervorum Dei in Japonnia interemptorum.	249
	XLI.		Julii	16	De Viſitandis Galliarum Cœnobiis.	249
	XLII.		Auguſti	9	Ut F. Johannes Polanco munus Vicarii Generalis obeat in Philippinarum Provincia.	250
	XLIII.		Septemb.	10	De Sepultura.	253
	XLIV.			13	Innovat, & firmat quæ pro Miſſionibus Indiarum ſancita ſunt.	254
	XLV.			28	Ne quis ex alio Conventu, ad Neapolitanum SS. Roſarii transferatur.	255
	XLVI.		Octobris	3	Idem pro Neapolitano Cœnobio S. Mariæ Sanitatis ſtatutum.	256
	XLVII.			8	De Canonizatione B. Margaritæ de Sabaudia.	257
	XLVIII.			30	De cauſa Canonizationis B. Roſæ.	257
	XLIX.				Extenſio ipſius Officii, pro univerſo Hiſpaniarum Clero.	257
	L.		Novemb.	23	Indulgentia pro Generali Capitulo Romæ habendo.	258
	LI.		Decemb.	2	B. Roſæ Confraternitas, Indulgentiis ornatur.	258
CLEMENS X.	I.	1670	Junii	19	De ceterorum Conventuum Fratribus, in album Neapolitani Collegii S. Thomæ aſcribendis.	261
	II.			21	Regularium Privilegia quoad Prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem declarantur.	262
	III.			27	Ne Provincia utriuſque Lombardiæ dividatur, cavet.	264
	IV.		Julii	11	De Fratribus ex aliis Conventibus, ad Neapolitanum S. Spiritus transferendis.	265
	V.			16	De cauſa Canonizationis B. Roſæ.	265
	VI.			25	F. Petro Mariæ Paſſerino privilegia concedit.	266
	VII.			26	De Officio S. Petri Martyris ritu duplici recitando.	266
	VIII.				Cauſam Canonizationis B. Roſæ proſequi jubet.	267
	IX.				De Officio hujus Beatæ in Regno Poloniæ recitando.	267
	X.		Auguſti	11	Idem pro Hiſpaniarum Regnis, imperio & Dominio Auſtriaco.	268
	XI.				Totius Americæ, Philippinarum, & Indiarum Patrona principalior, declaratur B. Roſa	268
	XII.			27	Ut Miſſa illius per anni circulum celebrari poſſit.	269
	XIII.				De Officio B. Alberti Magni in toto Prædicatorum Ordine recitando.	269
	XIV.		Septemb.	23	Ut cauſa Canonizationis B. Roſæ proponatur, indulget.	270
	XV.		Octobris	9	Ut Officium S. Catharinæ de Senis, ritu duplici celebretur.	270
	XVI.				Pro Canonizatione B. Roſæ.	271
	XVII.	1671	Januarii	28	Orationi Mentali vacantes indulgentiis donat.	272
	XVIII.		Februarii	16	Eos etiam qui Miſſæ SS. Roſarii interſunt.	272
	XIX.		Martii	23	Officium S. Raymundi a Peñafort ab omnibus recitandum.	273
	XX.		Aprilis	12	Canonizatio S. Ludovici Bertrandi.	274
	XXI.				Canonizatio S. Roſæ de Lima.	281
	XXII.			29	Ut Officium B. Margaritæ de Sabaudia in toto Prædicatorum Ordine recitetur.	297
	XXIII.		Maii	15	Indulgentia pro diebus feſtis S. Ludovici Bertrandi,	

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
CLEMENS X.					di, & S. Roſæ.	297
	XXIV.	1671	Junii	1	Alia pro Solemnitate Canonizationis.	298
	XXV.		Julii	10	Extenſio Officii B. Gundiſalvi ad univerſum Prædicatorum Ordinem.	298
	XXVI.		Septemb.	26	De Officio SS. Roſarii in Hiſpaniarum Regnis recitando.	300
	XXVII.	1672	Januarii	18	De Sepultura.	301
	XXVIII.				Non licet Parochis occaſione aſſociationis cadaverum, Eccleſias Regularium ingredi.	302
	XXIX.			27	Quæ pro Congregatione S. Mariæ Sanitatis Decreta ſunt, firmat.	303
	XXX.		Martii	1	F. Vincentium Mariam Urſinum, ad accipiendam Cardinalitiam dignitatem compellit.	304
	XXXI.			8	De Beatificatione, & Canonizatione S. Memoriæ Pii Papæ V.	304
	XXXII.		Aprilis	4	Indulgentia pro die feſto S. Agnetis de Monte Politiano.	305
	XXXIII.			5	Diem pro ſolemni S. Memoriæ Pii Papæ V Beatificatione habenda, deſignat.	305
	XXXIV.			23	Indulgentia pro die illo conceſſa.	306
	XXXV.			27	Solemnis Beatificatio.	306
	XXXVI.		Maii	18	De Canonizatione B. Jacobi de Mevania.	307
	XXXVII.			27	Indulgentia pro exercitiis Spiritualibus.	307
	XXXVIII.		Septemb.	30	Quæ pro Romanis S. Sabinæ, & S. Nicolai Cœnobiis ſancita ſunt, confirmantur.	308
	XXXIX.		Decemb.	7	Tingitanum Cœnobium ex Portugalliæ Provincia, ad Hibernam transfert.	309
	XL.			24	F. Johannes a S. Dominico, Vicarius & Procurator Generalis Provinciæ Hiberniæ conſtitutus.	310
	XLI.	1673	Januarii	14	Archiconfraternitatis SS. Corporis Chriſti Confratres, indulgentiis ornat.	312
	XLII.		Februarii	1	F. Raymundum Capiſuccum S. Palatii Magiſtrum conſtituit.	312
	XLIII.		Martii	8	De Recipiendis in Malacitano Cœnobio.	313
	XLIV.	1674	Januarii	4	F. Gregorius Lopez fit Vicarius Apoſtolicus Miſſionum Sinenſium.	314
	XLV.		Aprilis	21	De Nonnullis Martyrio in Japonnia donatis.	315
	XLVI.		Auguſti	6	De Hibernis, Anglis, & Scotis Fratribus ſublevandis.	315
	XLVII.			8	Ut Feſtum Omnium SS. Ordinis celebretur, indulget.	316
	XLVIII.				Officium B. Jacobi de Mevania ad univerſum Ordinem extendit.	317
	XLIX.		Septemb.	19	Ut de S. Vincentio Ferrerio ſemel in menſe fiat commemoratio votiva.	317
	L.		Octobris	6	Indulgentia pro quatuor Anniverſariis quotannis in Ordine celebrandis.	318
	LI.				Declaratio Martyrii Novemdecim Martyrum Gorcomienſium.	318
	LII.			9	Eadem de re.	319
	LIII.			19	Indulgentia pro Feſto omnium SS. Ordinis.	320
	LIV.	1675	Aprilis	6	Extenſio Officii B. Margaritæ a Caſtello.	320
	LV.		Maii	8	Marinenſis Monaſterii fundandi facultas.	321
	LVI.			18	Pro Monialibus S. Catharinæ de Urbe.	323
	LVII.		Auguſti	31	De Feſto B. Margaritæ a Caſtello, ſolemni ritu celebrando.	324
	LVIII.		Octobris	19	De fundando Avezzano Monaſterio.	324
	LIX.		Novemb.	14	Solemnis BB. Martyrum Gorcomienſium Beatificatio.	327
	LX.	1676	Februarii	29	Irritas facit facultates Monaſteria ingrediendi, nonnullis mulieribus conceſſas.	329
INNOCENTIUS XI.	I.	1677		6	Ut licet F. Johannes Thomas de Rocaberti Archiepiſcopus renunciatus ſit, Magiſtri tamen Generalis munus obeat uſque ad novi Generalis Electionem.	

INNOCENTIUS XI.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
					nem.	334
	II.	1677	Martii	30	Firmat, quæ pro Pariſienſi Collegio S. Jacobi ſtatuta ſunt.	335
	III.		Novemb.	20	Reductio Graduatorum ad numerum pro unaquaque Provincia ſtabilitum.	336
	IV.	1678	Aprilis	18	Confraternitates SS. Nominis Dei in Eccleſiis Ordinis conſtitutas, ratas habet, & firmat.	337
	V.		Octobris	1	Indulgentiæ pro Confraternitate SS. Sacramenti, & pro iis qui illud, dum ad infirmos defertur, comitantur.	340
	VI.	1679	Junii	15	Ratas habet & firmat SS. Roſarii Confraternitates.	341
	VII.				Ut Indulgentiæ illis conceſſæ, Defunctis attribui poſſint.	342
	VIII.			16	Nonnullas alias Indulgentias renovat.	342
	IX.		Julii	31	Summarium Indulgentiarum his Confraternitatibus conceſſarum.	344
	X.		Auguſti	11	Firmat ea quæ pro Collegiis Parmenſi, & Mutinenſi, ſancita fuere.	351
	XI.		Octobris	6	Quædam a Generali Magiſtro, juramento promittenda ſancit, nonnullaque alia in Capitulo Generali obſervanda.	353
	XII.	1680	Martii	8	Privilegia Magiſtro Generali Ordinem viſitanti conceſſa.	355
	XIII.			15	De Neapolitano Cœnobio S. Mariæ ſalutis.	357
	XIV.		Aprilis	12	De SS. Nominis Dei Confraternitatibus conſtituendis.	358
	XV.	1681	Junii	16	Barchinonenſem Confraternitatem S. Thomæ Aquinatis confirmat.	359
	XVI.		Julii	23	Quitenſem Univerſitatem in Cœnobio Ordinis conſtituit, & S. Thomæ doctrinam commendat.	359
	XVII.		Auguſti	7	Manilana Univerſitas S. Thomæ conſtituta.	360
	XVIII.	1682	Januarii	16	Illius conſervatores creat.	362
	XIX.		Maii	20	Mechlinienſium Regularium quædam privilegia firmat.	363
	XX.	1683	Februarii	6	Ne Regulares exempti ſeſe Sacramento fidelitatis obſtringant Epiſcopo.	364
	XXI.			17	Indulgentia pro Miſſionibus.	365
	XXII.				Pro recitantibus Roſarium hora ſibi aſſignata.	366
	XXIII.				Pro XV Feriis Tertiis.	366
	XXIV.		Martii	20	De Officio S. Ludovici Bertrandi in Diœceſibus Carthaginenſi, & S. Marthæ recitando.	367
	XXV.		Auguſti	17	De Officio S. Antonini ab omnibus perſolvendo.	367
	XXVI.	1685	Februarii	12	Plures campanas in Eccleſiis Ordinis eſſe poſſe, declarat.	367
	XXVII.		Martii	26	Jus Franciſcanos præcedendi, & ſupplicationem ſolemnem Dominica infra octavam Corporis Chriſti habendi, Fratribus Prædicatoribus aſſeritur.	368
	XXVIII.		Aprilis	11	S. Fidei, ac Quitenſis Univerſitatis privilegia, & doctrinæ S. Thomæ commendatio.	369
	XXIX.		Julii	11	F. Antonius de Monroy, Generalis Magiſtri munus gerat, licet Archiepiſcopus ſit renunciatus.	371
	XXX.	1686	Junii	10	Ne in Collegiis Societatis Jeſu S. Fidei, & Quitenſi gradus conferantur, vetat.	372
	XXXI.		Septemb.	25	Ne Cœnobii Suriani Prior ex cauſis capitalibus, eccleſiaſticas cenſuras ſubeat.	375
	XXXII.	1687	Januarii	12	Quod in Pontificiæ dignitatis juribus tuendis, F. Philippus Pardo Manilan. Archiepiſcopus egregie ſe geſſerit, eidem gratulatur.	375
	XXXIII.	1688		28	Valentinam Cœnobii S. Mariæ del Pilar Confraternitatem SS. Roſarii confirmat.	375
	XXXIV.		Junii	12	De Quitenſi Univerſitate.	376
	XXXV.			26	Miſſale Ordinis Apoſtolica auctoritate firmatur.	378
	XXXVI.		Auguſti	14	De Breviario, ceteriſque libris choralibus, typis mandandis.	381
	XXXVII.	1689	Maii	16	Indulgentia pro XV Feriis Tertiis.	381

De

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
ALEXANDER VIII.	I.	1689	Novemb.	7	De Cœnobio Aneſienſi reſtituendo.	389
	II.		Decemb.	10	Indulgentia pro XV Feriis Tertiis.	390
	III.	1690	Januarii	7	Firmat, quæ pro Provincia Portugalliæ ſancita ſunt.	390
	IV.		Maii	22	Pœnitentiarius in Eccleſia Suriani Cœnobii conſtitutus.	392
	V.		Septemb.	3	S. Ludovicus Bertrandus Patronus principalis novi Regni Granatæ.	393
	VI.		Novemb.	7	Inſerit, & firmat Conſtitutiones pro Univerſitatibus S. Fidei, & Quiten., in gratiam doctrinæ S. Thomæ ab Innocentio XI editas.	393
	VII.	......	.....	....	Indulgentia pro XV Sabbatis.	394
INNOCENTIUS XII.	I.	1691	Octobris	19	Quandonam Officium recitandum ſit de Sanctis, quorum Reliquiæ in Eccleſiis Ordinis aſſervantur.	396
	II.	1692	Martii	1	De Confraternitatibus SS. Roſarii in Indiis conſtituendis.	396
	III.		Maii	10	Ut Indi, qui per quinquennium in Collegiis Prædicatorum ſtuduerint, ad gradus promoveantur.	397
	IV.			15	Valentina Confraternitas Militiæ Angelicæ Indulgentiis ornatur.	398
	V.			28	F. Antoninum Cloche Ordinem viſitantem, privilegiis donat.	399
	VI.	1693	Februarii	5	Ut Venetæ Congregationis, ac Conventuum utriuſque Lombardiæ Fratres, ad ipſos ſeſe recipiant.	400
	VII.		Aprilis	4	Cultum B. Johannæ Luſitanæ exhibitum, ratum habet.	401
	VIII.		Auguſti	29	Ne libri ex Bibliotheca Cœnobii Malacitani extrahantur.	402
	IX.		Septemb.	13	De Cæſarauguſtana Confraternitate Militiæ Angelicæ.	402
	X.		Octobris	20	Ne Congregationis S. Marci ſtudentes, in Collegiis Minervitano, vel Peruſino, ſtudiorum curricula peragere teneantur.	403
	XI.	1694	Februarii	16	Facultates Protectorum Ordinum coanguſtat.	404
	XII.		Junii	9	De B. Johannæ Luſitanæ Canonizatione.	409
	XIII.		Auguſti	30	De illius Officio recitando.	409
	XIV.		Octobris	30	Ne laici, ultra triduum, in Calaritano Cœnobio pernoctare poſſint.	410
	XV.		Novemb.	27	De cultu B. Oſannæ præſtito.	410
	XVI.	1695	Januarii	19	De illius Officio celebrando.	411
	XVII.			22	Feſtum B. Johannæ Portugalliæ transfert.	411
	XVIII.		Februarii	26	Mandat ut ritu duplici celebretur.	411
	XIX.		Junii	14	S. Sabinæ, & S. Marci Florentini Congregationes conſtitutæ.	412
	XX.		Julii	18	Quæ pro vita regulari fovenda, ſancita ſunt, firmat.	414
	XXI.		Septemb.	22	Confirmatio literarum Innocentii XI ſuper reductione graduatorum Ordinis.	415
	XXII.		Decemb.	24	De Mutinenſi Confraternitate Cinguli S. Thomæ.	417
	XXIII.	1696	Junii	8	Indulgentia pro XV Feriis Tertiis.	417
	XXIV.		Julii	23	Congregationis S. Marci, ſtudentes, in ejuſdem nominis Florentino Cœnobio examinari, & lectores renunciari poſſunt.	418
	XXV.		Septemb.	15	Cæſenatenſe Cœnobium ſit juris Congregationis S. Sabinæ.	419
	XXVI.	1697	Martii	13	De Bibliotheca maxima a F. Johanne Thoma Archiepiſcopo Valentino, vulganda.	420
	XXVII.		Aprilis	20	Cæſenatenſe Cœnobium deputat pro ſtudio Congregationis S. Sabinæ.	420
	XXVIII.		Maii	11	Ut Montis Politiani Conventus juris ſit Congregationis S. Marci.	421
	XXIX.		Julii	15	Confirmat, quæ pro Matritenſi Cœnobio SS. Roſarii	

INNOCENTIUS XII.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
					ſarii ſtatuta fuerunt.	422
	XXX.	1697	Novemb.	14	De Cæſarauguſtanis Confraternitatibus SS. Roſarii, & SS. Nominis Dei.	423
	XXXI.		Decemb.	23	Confirmatio decretorum Congregationis S. R. E. Cardinalium ſuper celebratione Miſſarum, cum innovatione decreti Urbani VIII.	424
	XXXII.	1699	Martii	31	De ſacris Reliquiis ex Eccleſia Bononienſis Cœnobii non extrahendis.	431
	XXXIII.		Septemb.	17	Prohibet ne quis e Cœnobii S. Sabinæ Bibliotheca, libros extrahat, ſine conſenſu Prioris.	432
	XXXIV.			19	De Lectoribus Cæſarauguſtani Cœnobii S. Ildefonſi ad Magiſterii gradum promovendis.	433
CLEMENS XI.	I.	1700	Decemb.	15	Regienſis Eccleſiæ Altari B. Mariæ conceſſum privilegium extendit, & ampliat.	437
	II.	1701	Februarii	12	Ut quicunque libri prohibiti in Bibliotheca Caſanatenſi ſervari poſſint.	437
	III.		Aprilis	20	Nonnullos Ordinis Miſſionarios Regi Perſarum commendat.	438
	IV.				Eoſdem commendat Armenorum Patriarchæ.	439
	V.			29	De feſto S. Catharinæ Senenſis Romæ in Monaſterio ejuſdem S. celebrando.	439
	VI.		Junii	14	In Archiepiſcopum Aquenſem, FF. Mendicantes moleſtiis afficientem, inſurgit.	440
	VII.	1702	Aprilis	4	De B. Auguſtini Lucerini officio recitando.	441
	VIII.			25	De Melitenſis Cœnobii S. Mariæ Portus ſalutis Priore conſtituendo.	442
	IX.		Junii	20	Patriarcham Antiochenum, Viſitatorem Apoſtolicum ad Imperium Sinarum miſſum, ſignificat Epiſcopo Olnenſi Ord. Præd.	443
	X.		Decemb.	9	De Ritibus Sinicis.	443
	XI.	1703	Februarii	13	FF. Mendicantes, a moleſtiis ab Archiepiſcopo Aquenſi ipſis illatis, vindicat.	444
	XII.		Martii	5	Indulgentia pro XV Feriis Tertiis.	445
	XIII.			21	Diviſionem Provinciæ Hungariæ a Provincia Germaniæ factam, confirmat.	445
	XIV.		Aprilis	17	Archiepiſcopum Naxivanien., & Catholicos omnes in Perſide commorantes, Perſarum Regi commendat.	446
	XV.		Maii	2	Congregationi S. Marci Cortonenſe Cœnobium unit.	447
	XVI.		Junii	2	Indulgentia pro die qua B. Auguſtini Lucerini Feſtum primo celebratum fuit.	448
	XVII.		Julii	18	Ne libri e Bibliotheca Caſanatenſi extrahantur, diſtricte prohibet.	448
	XVIII.	1704	Januarii	28	Librum Launoii nomine vulgatum, S. Auguſtino injurium damnat.	449
	XIX.		Novemb.	20	De ſacris, aliiſque in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam peragendis, per novem dies feſtum Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti antecedentes.	450
	XX.				De Ritibus Sinicis.	450
	XXI.		Decemb.	16	Soli FF. Prædicatores ſolemnem ſupplicationem habeant Dominica infra octavam Corporis Chriſti.	460
	XXII.	1705	Junii	5	De Prioriſſa Piſciacenſis Monaſterii conſtituenda.	461
	XXIII.	1706	Martii	15	De S. Vincentii Ferrerii Officio ab omnibus recitando.	462
	XXIV.			20	Decreta Generalia Sacrorum Rituum Congregationis circa Rubricas.	463
	XXV.	1707	Aprilis	16	Ut S. Antonini Officium ab omnibus recitetur.	463
	XXVI.		Octobris	15	Indulgentia pro quatuor anniverſariis quotannis celebrandis.	463
	XXVII.				Pro feſto omnium SS. Ordinis.	464
	XXVIII.	1709	Auguſti	21	Pœnitentiarium pro Cœnobio Suriano conſtituit.	465
	XXIX.		Septemb.	28	Catholicos Hiberniæ ab Hæreticis dire afflictos, Portugalliæ Regi commendat.	465

Mon-

CLEMENS XI. Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
XXX.	1710	Februarii	3	Montis Marii Cœnobium, Romæ extra Portam Angelicam conſtitutum.	466
XXXI.		Martii	1	De cauſa Beatificationis, & Canonizationis B. Luciæ de Narnia.	468
XXXII.			26	De cultu huic Beatæ exhibito.	469
XXXIII.		Auguſti	4	De ſolemni B. Pii V Canonizatione.	470
XXXIV.		Septemb.	25	Decretum ſuper obſervatione reſponſorum in cauſa Rituum Sinenſium a S. Congregatione datorum, & a SS. approbatorum, cum aliis ordinationibus.	471
XXXV.	1711	Januarii	3	Summam S. Thomæ typis Seminarii Patavini excuſſam, ſibique a Cardinale Cornelio dono miſſam, libenti animo excepiſſe, ſignificat.	474
XXXVI.			12	De Ritibus Sinenſibus.	475
XXXVII.		Februarii	21	Indulgentia pro XV Feriis Tertiis.	476
XXXVIII.		Martii	14	De gravibus injuriis Cardinali de Tournon, quatuor Fratribus Ord. Præd., aliiſque illatis, conqueritur.	476
XXXIX.	1712		8	Novum Roſarium in honorem SS. Trinitatis adinventum, proſcribit.	477
XL.		Maii	22	S. Pium V Pontificem Maximum Ord. Præd., Cælitibus annumerat.	478
XLI.			25	De illius Canonizatione Ducem Sabaudiæ certiorem facit, ac Fratres Cœnobii Boſchen. commendat.	487
XLII.		Julii	2	De electione Provincialium Indiarum.	488
XLIII.			9	Indulgentia pro feſto S. Pii V.	489
XLIV.			13	Illum Sanctorum faſtis fuiſſe aſcriptum, nunciat.	490
XLV.		Auguſti	27	De Beatificatione, & Canonizatione B. Ceslai Odrovantii.	491
XLVI.	1713	Januarii	13	Eccleſias Ordinis viſitantes in die feſto S. Pii V, Indulgentiis donat.	491
XLVII.				Ut illius officium ab omnibus recitetur, jubet.	492
XLVIII.		Februarii	18	De SS. Roſarii Confraternitatibus, in Regnis Tunkini, & Sinarum conſtituendis.	492
XLIX.			25	De iiſdem erigendis pro mulieribus.	493
L.		Aprilis	8	Feſtum S. Pii die quinta Maii celebrandum.	494
LI.			22	Fratres Provinciæ Philippinarum, laudibus ampliſſimis ornat.	494
LII.		Julii	8	Elogium S. Pii V Martyrologio inſcribendum.	495
LIII.		Septemb.	6	Extenſio Officii B. Ceslai ad Diœceſim Wratislavienſem.	496
LIV.		Octobris	11	Quinam in electione Provinciarum Indiarum, jure ſuffragii potiantur.	496
LV.			18	De B. Ceslai Officio recitando.	497
LVI.	1714	Martii	26	Indulgentia pro die qua primo celebratum fuit illius feſtum.	498
LVII.		Junii	23	De Beatificatione, & Canonizatione ſervi Dei Fr. Johannis Maſſias, laici Ord. S. Dominici.	498
LVIII.		Octobris	5	De illa Servi Dei F. Martini de Porres, Religioſi Donati profeſſi Ordinis noſtri.	499
LIX.	1715	Martii	19	Decernit omnimodam, & integram obſervationem, eorum, quæ de cæremoniis Sinenſibus ſancita fuerunt.	499
LX.		Aprilis	5	Cardinalem Urſinum dignis laudibus ornat.	502
LXI.			6	Ut Corpus B. Ceslai nobiliorem in locum transferri poſſit.	503
LXII.		Octobris	2	De electione Provincialis Provinciæ Sancti Antonini.	503
LXIII.	1716	Januarii	19	Cardinalem Urſinum ad Imperatorem delegandum, Romam accerſit.	504
LXIV.		Junii	3	De Sepultura.	506
LXV.		Auguſti	7	De proceſſione SS. Roſarii.	508
LXVI.		Octobris	3	Officium, & Miſſam SS. Roſarii, ad Eccleſiam univerſalem extendit.	508

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
CLEMENS XI.	LXVII.	1716	Novemb.	14	Indulgentia pro feſto S P. Dominici in Suriano.	509
	LXVIII.	1717	Junii	28	Quæ pro Romano Cœnobio S. Nicolai de Præfectis ſancita ſunt, firmat.	510
	LXIX.	1718	Januarii	11	Indulgentia pro XV Feriis Tertiis.	511
	LXX.		Aprilis	23	Romanæ Academiæ Theologicæ ſtatuta approbat, & in Theologicis ordinem ad ſummam D. Thomæ accomodandum, decernit.	511
	LXXI.	1719		8	Quod examine jurium prætermiſſo, Decanatum S. Collegii alteri ceſſerit, Cardinalem Urſinum laudibus effert.	513
	LXXII.			19	De cauſa Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei Dalmatii Monerii, Ordinis noſtri.	515
	LXXIII.		Decemb.	1	Epiſcopi Septenſis pietatem, & fidem, dignis laudibus celebrat.	515
	LXXIV.	1720	Februarii	16	De Fratribus, ex ceteris Cœnobiis ad Neapolitanum S. Dominici Majoris, transferendis.	516
	LXXV.	1721	Martii	8	De Generali Capitulo Romæ habendo.	517
INNOCENTIUS XIII.	I.		Maii	29	Cardinalis de Via Præſes Generalis Capituli conſtitutus.	522
	II.		Auguſti	13	De Canonizatione B. Dalmatii.	522
	III.		Septemb.	12	Univerſitatem in Havanæ Cœnobio conſtituit.	523
	IV.	1722	Aprilis	25	De Officio converſionis S.P Auguſtini recitando.	524
	V.		Maii	6	Eccleſiam SS. Quirici, & Julitæ de Urbe, confert Congregationi S. Marci.	524
	VI.		Julii	1	Indulgentia pro quatuor anniverſariis, quotannis in Ordine celebrandis.	526
	VII.			30	Labores, a F. Petro Savornin occaſione Epidemicæ luis ſuſceptos, commendat.	526
	VIII.		Auguſti	22	De Imagine miraculis clara S. P. Dominici in Suriano.	527
	IX.		Novemb.	28	De Officio S. Mariæ de Mercede.	528
	X.	1723	Julii	3	Lectiones in feſto B. Oſannæ recitandæ.	528
	XI.		Auguſti	2	Indulgentia pro feſto S. Patris Dominici in Suriano.	529
	XII.				Pro exercitiis ſpiritualibus.	529
	XIII.			3	Pro Roſario recitando.	530
	XIV.		Septemb.	10	De Miſſis celebrandis.	531
BENEDICTUS XIII.	I.	1724	Julii	15	Pœnitentiarii Baſilicæ Liberianæ, a Provinciale Romanæ Provinciæ conſtituendi.	534
	II.		Auguſti	7	Quod Ordini Prædicatorum nomen dederit, ſummæ laudi ducit.	536
	III.				Erga Provinciam Lombardiæ, amantiſſimos dilectionis ſuæ ſenſus demonſtrat.	536
	IV.				Boſchenſe Cœnobium Provinciæ Lombardiæ reſtituit.	537
	V.		Septemb.	14	Indulgentiæ perpetuæ pro orantibus ad pulſum Salutationis Angelicæ.	539
	VI.			22	Altaria quælibet Eccleſiarum Ordinis, privilegiata declarat.	539
	VII.			30	Congregationi S. Marci dat Eccleſiam SS. Quirici, & Julitæ, & ejuſdem Beneficia ipſi confert.	540
	VIII.		Octobris	10	Lugdunenſes FF. Prædicatores laudat, & ipſorum precibus ſe commendat.	544
	IX.			13	De ſuſcepto Apoſtolatu gratulantem laudat Archiepiſcopum Lugdunenſem, ejuſque ſtudia erga Ordinem Prædicatorum complectitur.	545
	X.		Novemb.	6	Calumnias in SS. Auguſtini, & Thomæ doctrinam intentatas, retundit.	545
	XI.		Decemb.	14	Veneti Conventus SS Johannis, & Pauli Fratrum precibus ſe commendat, & gratum animum eiſdem profitetur.	546
	XII.	1725	Februarii	5	Parochialem curam ab Eccleſia S. Silveſtri Monaſterii Genuen. removendam, injungit.	547
	XIII.			6	Utriuſque Lombardiæ Provinciæ comitia prorogat ad	

BENEDICTUS XIII. Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
				ad annum.	547
XIV.	1725	Februarii	23	De Capitulo Generali Bononiæ celebrando.	548
XV.		Martii	7	De bonis regularium, qui ad dignitates eccleſiaſticas promoventur.	548
XVI.			26	Lectiones in feſto SS. Roſarii ab omnibus recitandæ.	551
XVII.				Conceſſio officii, & Miſſæ, in honorem B. Columbæ Virginis Ordinis noſtri.	552
XVIII.		Aprilis	6	Quod ex Urſina gente Deus ipſum in Prædicatorum familiam vocaverit, refert.	553
XIX.			7	F. Angelum Gulielmum Molo delegat, qui Comitiis Generalibus nomine ſuo præſit.	553
XX.			8	Quædam a Generali Capitulo decernenda, præſcribit.	554
XXI.			10	De ſupplicatione ſolemni SS. Roſarii.	556
XXII.			13	Ut Raconiſienſis Conventus veniat in poſſeſſionem beneficii, ipſi a Greg. XIII collati.	557
XXIII.			24	Indulgentia pro peregrinantibus ad Eccleſiam S. Dominici de Suriano.	559
XXIV.			28	De quarta funerali perſolvenda.	559
XXV.		Maii	4	Provinciam Sanitatis conſtituit.	561
XXVI.			5	De Fratribus ex Congregatione S. Sabinæ, ad Lombardiæ Provinciam redeuntibus.	562
XXVII.			11	F. Raymundum Archiepiſcopum Raguſinum laudat, quod in opera miſericordiæ ſumptus eroget.	564
XXVIII.			17	Ut Romanum Monaſterium S. M. Magdalenæ, juris ſit Romanæ Provinciæ.	565
XXIX.			25	Quod Generalis Magiſter renunciatus ſit, Reverendiſſimo P. Thomæ Ripoll, quem debitis laudibus ornat, gratulatur.	566
XXX.		Junii	5	In Gravinenſem Eccleſiam ſingularem amorem profitetur.	567
XXXI.		Julii	3	Miſſas in Eccleſia Suriani Cœnobii, hora ſecunda poſt mediam noctem die XV Septembris celebrari poſſe, concedit.	567
XXXII.			18	Duos in ea Pœnitentiarios conſtituit.	567
XXXIII.		Auguſti	8	Confratres SS. Roſarii Indulgentiis ornat.	568
XXXIV.			28	De Miſſis in Oratorio Valetudinarii Monaſteriorum celebrandis.	569
XXXV.		Septemb.	5	Matritenſe Cœnobium Paſſionis conſtitutum.	569
XXXVI.			13	Indultum canendi Miſſam ſolemnem Nativitatis D. N. J. C. ante mediam noctem.	572
XXXVII.			15	Adminiſtratores Confraternitatis SS. Roſarii Civitatis Cæſenatenſis ſupprimit.	572
XXXVIII.			27	De quibuſdam feſtis a Fratribus Ord. Præd. celebrandis.	573
XXXIX.		Decemb.	15	De celebranda Miſſa in Vigilia Nativitatis D.N.J.C. ante mediam noctem.	574
XL.	1726	Januarii	15	Cracovienſes Fratres ab hybernali Contributione eximit.	575
XLI.			19	Orationi mentali vacantibus Indulgentias elargitur.	575
XLII.				Indulgentiæ pro XV Feriis Tertiis.	576
XLIII.			24	Pro feſto omnium SS. Ordinis.	577
XLIV.		Februarii	6	Pro ſeptem feriis ſextis, feſtum S. Vincentii Ferrerii præcedentibus.	577
XLV.			8	Quæ de Fratribus S. Sabinæ Congregationis ad Lombardiæ Provinciam redeuntibus ſancita ſunt, ad ceteras Italiæ Congregationes extendit.	578
XLVI.			13	Facultas tranſitus ad alios ordines concedendi, uni Summo Pontifici reſervatur.	579
XLVII.			28	Indulgentiam pro feſto S. Vincentii Ferrerii conceſſam, transfert.	580
XLVIII.		Martii	7	Quædam a Religioſis Epiſcopali munere inſignitis ſervanda, decernit.	581

De

BENEDICTUS XIII. Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
XLIX.	1726	Martii	30	De Miſſa in Oratorio Lauretani Cœnobii celebranda.	584
L.		Aprilis	5	De Officio S. Vincentii Ferrerii ab omnibus, ritu duplici celebrando.	585
LI.			11	Lectiones, & Oratio pro feſto B. Columbæ.	585
LII.			13	Indulgentiæ ſpeciales, Roſarium B. M. Virginis recitantibus, conceſſæ.	586
LIII.			20	De cauſa Canonizationis B. Agnetis de Monte Politiano.	587
LIV.		Maii	6	De Academia Theologica, in Archigymnaſio Sapientiæ de Urbe erecta.	588
LV.			12	Decretum de Canonizatione B. Agnetis de Monte Politiano ſuo tempore peragenda.	590
LVI.		Junii	5	Ut Congregationis S. Sabinæ Conventus, juris ſint Provinciæ Lombardiæ.	591
LVII.			7	Quod Prior Provinciæ Lombardiæ renunciatus ſit, F. Vincentio Thomæ Fracchiæ gratulatur.	593
LVIII.			16	Extinguit, & ſupprimit Anconitanam Confraternitatem SS. Roſarii, quam Cappatam vocant.	594
LIX.				Idem de Lycienſi Confraternitate ſtatutum.	596
LX.			19	De cauſa Canonizationis B. Dalmatii.	597
LXI.		Julii	18	De SS Roſarii ſupplicatione ſolemni.	598
LXII.		Auguſti	4	Lectiones, & Oratio die feſto B. Dalmatii recitandæ.	599
LXIII.			13	Qui Roſarium recitando, omiſſa conſueta XV Myſteriorum meditatione, alia meditantur, Indulgentiis Roſarii privantur.	600
LXIV.			17	Indulgentia pro feſto B. Dalmatii celebrando.	600
LXV.			28	Diſciplinæ regularis dilatandæ cauſa, Congregationem S. Sabinæ Provinciæ Lombardiæ unitam, teſtatur.	601
LXVI.		Novemb.	23	De reformando Monaſterio Villæ novæ de Gaya Portugallenſi.	601
LXVII.		Decemb.	10	S. Agnes de Monte Politiano Cælitibus annumeratur.	602
LXVIII.	1727	Januarii	1	Quod in Lombardiæ Provincia fuerit educatus, gaudet, ac Fratrum precibus ſe commendat.	607
LXIX.			15	F. Franciſcus Van-Ranſt Vicarius Apoſtolicus Silvæ-Ducenſis conſtitutus.	608
LXX.			30	Americanarum Congregationum SS. nominis Jeſu, & SS. Roſarii Miſſionarios, privilegiis ornat.	609
LXXI.		Februarii	13	De feſto S. Agnetis in Ordine Prædicatorum, ritu toto duplici, & cum octava ſimplici celebrando.	610
LXXII.		Martii	3	Indulgentia pro illius feſto.	610
LXXIII.			7	Ut ad Beatificationem V. ſervæ Dei Catharinæ de Ricciis Monialis Ordinis procedatur, indulget.	611
LXXIV.		Aprilis	4	Indulgentia pro feſto S. Agnetis.	611
LXXV.			17	Illam, quæ pro feſto S. Pii V conceſſa fuerat, transfert.	612
LXXVI.				Idem decernit de illa pro commemoratione omnium Sanctorum Ordinis conceſſa.	612
LXXVII.			26	Ne Conventus Andrienſis, aliorumque Provinciæ Apuliæ Cœnobiorum Fratres, quibuſdam ſupplicationibus ſolemnibus intereſſe teneantur.	613
LXXVIII.				De Melphienſi Cœnobio conſtituendo.	614
LXXIX.		Maii	26	Privilegia Ordini Prædicatorum a S. Sede hactenus indulta innovat, & declarat, ac novis etiam conceſſionibus ampliat.	615
LXXX.		Junii	7	De Officio S. Philippi Nerii a FF. Ord. Præd. ſub ritu toto duplici recitando.	635
LXXXI.			14	De Archivis in Italia erigendis.	636
LXXXII.			18	Ut officium impreſſionis Sacrorum Stigmatum in Corpore S. Catharinæ Senenſis, celebretur.	643
LXXXIII.			20	De Feſtis SS. Gabrielis, & Raphaelis.	645
LXXXIV.		Julii	28	Officium S. Roſæ Limanæ ab utroque Clero univerſalis	

BENEDICTUS XIII. Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
				ſalis Eccleſiæ recitandum.	645
LXXXV.	1727	Julii	30	De diſtributionibus quotidianis, ſubſidio eccleſiaſtico ſubjectis.	646
LXXXVI.		Auguſti	21	Ancyrani Archiepiſcopi bona, Raguſinis Fratribus adjudicat.	647
LXXXVII.				Ut antiquæ lectiones feſti Commemorationis S. P. Dominici in Suriano recitentur.	648
LXXXVIII.				De Conſultoribus S. Congregationis Indicis.	648
LXXXIX.		Septemb.	1	Declarat quomodo Conſtitutio: *Pretioſus*: ſit intelligenda.	649
XC.		Decemb.	5	Indulgentias, conſuetas preces *Angelus Domini &c.* recitantibus conceſſas, quandonam lucrari poſſint Regulares.	650
XCI.			15	F. Dominicus Hieronymus Lambertengus, Provinciæ utriuſque Lombardiæ Prior renunciatur.	651
XCII.	1728	Januarii	12	Variæ Indulgentiæ conceſſæ.	652
XCIII.			23	De Corpore S. P. Auguſtini invento.	652
XCIV.		Februarii	28	Univerſitati Placentinæ gratulatur, quod S. Thomam Magiſtrum ſibi adſciverit.	653
XCV.		Martii	18	Monaſterium in Caſtro S Cæſarei conſtitutum.	654
XCVI.			20	De extenſione Officii B. Margaritæ a Sabaudia.	656
XCVII.				Quædam pro utriusque Lombardiæ Provincia decernit.	656
XCVIII.		Maii	3	Biretum purpureum mittit ad F. Vincentium Ludovicum Gotti.	657
XCIX. *uſq; ad* CIII.				Eadem de re.	658
CIV.		Junii	23	Ut Theologalis laurea, viris emeritis in Univerſitate Mutinenſi conferri poſſit.	660
CV.		Septemb.	6	De Balnearienſis Cœnobii Parochiali Eccleſia.	662
CVI.			22	Judicium Epiſcopale Ticini habitum de Corpore S. P. Auguſtini invento, approbat.	668
CVII.			28	Dubia de Conſtitutione: *Pretioſus*: mota, declarat.	670
CVIII.		Decemb.	6	De Conſtitutione Apoſtolica Pariſiis promulgata, gratulationes libenter excipit.	672
CIX.				Eadem de re.	673
CX.			10	Præſcribit modum, quo Fratres, & Sorores Ordinis in Statu Eccleſiaſtico conſtituti, uti debeant nonnullis immunitatibus.	673
CXI.			15	Singularem ex acceptis S. Syri Reliquiis, lætitiam declarat.	677
CXII.			17	De transferendo Cœnobio Terræ Nucum.	677
CXIII.				Pro Alaxii Cœnobio in ditione Januenſi.	680
CXIV.			20	Quam caute ſint recipiendi, qui a judaica perfidia, vel a Mahometica ſuperſtitione converſi ſunt.	683
CXV.			22	De Officio proprio S. Thomæ Aquinatis, a Religioſis Ordinis B. M. V. de Mercede, recitando.	684
CXVI.	1729	Februarii	4	Gratum animum profitetur ex Reliquiis S. Felicis Eccleſiæ Beneventanæ datis.	686
CXVII.			5	Conceſſio officii, & Miſſæ B. Luciæ de Narnia.	687
CXVIII.			10	De variis officiis recitandis.	687
CXIX.		Martii	26	Angelorum Congregatio ſuppreſſa.	687
CXX.				De Monachis corrigendis.	689
CXXI.			27	Archiepiſcopo Januenſi dono mittit Roſam auream.	691
CXXII.				Eadem de re.	691
CXXIII.		Aprilis	11	Indulgentia pro quatuor anniverſariis, quotannis celebrandis.	692
CXXIV.			30	De Monaſterii Steinacenſis exemptione a juriſdictione Epiſcopi.	692
CXXV.		Junii	13	Ut S. Agnetis de Montepolitiano, & ſacrorum Sanctæ Catharinæ Senenſis Stigmatum officia, in Hetruriæ Dominio recitentur.	694
CXXVI.		Julii	11	Indulgentia pro feſto B. Luciæ Narnienſis, primum ce-	

BENEDICTUS XIII.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
					celebrando.	694
	CXXVII.	1729	Septemb.	1	Quædam pro Seminario Ruremundenſi ſancita, firmat.	694
	CXXVIII.			2	Ne Terracinenſis Conventus ſit in numero ſuppreſſorum.	696
	CXXIX.	1730	Januarii	24	Ut Mutinenſes Fratres quædam ſibi legata, vendere poſſint.	696
	CXXX.			28	De Regentibus in ſtudio Generali Bononienſi conſtituendis.	699
	CXXXI.		Februarii	3	De dieta Provinciæ Lombardiæ convocanda.	699
	CXXXII.			10	De Reliquiis S. Venerii ſibi dono datis, gratias habet.	700
	CXXXIII.			14	Ut Fratres Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo ſequantur doctrinam S. Thomæ Aquinatis.	701
CLEMENS XII.	I.		Decemb.	22	Indulgentia pro Miſſionibus.	712
	II.				Pro feſto S P. Dominici in Suriano.	712
	III.				Pro recitantibus Roſarium hora ſibi aſſignata.	713
	IV.				Pro Fratribus, & Sororibus, piis quadraginta dierum exercitiis vacantibus.	713
	V.	1731	Maii	2	De Congregatione S. Sabinæ.	714
	VI.		Septemb.	26	Ut in Valetudinario Pratenſis Monaſterii S. Vincentii, Miſſa celebrari poſſit.	716
	VII.	1732	Januarii	13	Exemptiones nonnullis conceſſas, ad terminos juris reducit.	716
	VIII.		Februarii	12	Diverſas facultates a Romanis Pontificibus conceſſas, revocat.	720
	IX.		Martii	29	De Statutis, & Privilegiis Cathedræ S. Thomæ Aquinatis in Univerſitate Mutinenſi.	723
	X.			30	Quædam Apoſtolicæ literæ ad terminos juris redactæ.	723
	XI.		Aprilis	16	Confirmantur Statuta, & Privilegia Cathedræ S. Thomæ Aquinatis, in Univerſitate Mutinenſi erectæ.	725
	XII.			30	De Beatificatione, & Canonizatione V. Servæ Dei Catharinæ de Ricciis.	728
	XIII.		Auguſti	14	Eadem de re.	729
	XIV.		Octobris	1	Eadem de re.	729
	XV.		Novemb	26	Indulgentia hac de re conceſſa.	731
	XVI.	1733	Januarii	27	Indulgentia pro Tertiis Feriis.	731
	XVII.			28	Pro ſeptem feriis feſtum S. Vincentii Ferrerii præcedentibus.	732
	XVIII.				Pro Fratribus, & Sororibus Ordinis, & Confratribus SS. Roſarii, qui orationi mentali vacaverint.	732
	XIX.		Aprilis	10	Quo ſenſu Conſtitutio, *Romanus Pontifex* ſit intelligenda, declarat.	733
	XX.		Julii	6	Indulgentia ſextis feriis conceſſa Mutinenſem Eccleſiam inviſentibus.	734
	XXI.			28	Ut Vicarii Congregationum Ord. Præd., ac duo alii Fratres, jus ferendi ſuffragii in Comitiis Generalibus habeant.	734
	XXII.		Auguſti	28	Doctrinam S. Thomæ Aquinatis egregiis laudibus ornat, & poteſtatem facit, lauream doctoratus conferendi iis, qui Theologicæ facultati operam dederint in Gymnaſiis FF. Prædicatorum.	736
	XXIII.		Octobris	2	Laudes, quibus SS. Auguſtini, & Thomæ doctrinam celebraverat, iterato judicio comprobat.	738
	XXIV.	1734	Februarii	17	Indulgentiam die feſto S. Vincentii Ferrerii conceſſam, transfert.	739
	XXV.		Martii	15	F. Dominicus Antonius Pazzaglia Provinciæ Lombardiæ præficitur.	739
	XXVI.		Maii	15	De Vicario Generali Congregationibus S. Sabinæ, & S. Marci præficiendo.	740

CLEMENS XII.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
	XXVII.	1734	Julii	5	De Miſſæ Sacrificio in Valetudinario Florentini Monaſterii S. Luciæ celebrando.	741
	XXVIII.			8	Congregationes S. Mariæ Sanitatis, & S. Marci de Gavottis, in priſtinum ſtatum reſtituit.	742
	XXIX.			19	Quædam pro Provincia Peruana ſancit.	743
	XXX.		Auguſti	24	De ſacra ſupellectili Senenſis Cœnobii.	745
	XXXI.		Septemb.	2	Manilana Univerſitas S. Thomæ conſtituta.	746

INDEX ALPHABETICUS

Diplomatum Sexti Voluminis.

INDEX RERUM REPERIETUR TOMO ULTIMO.

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
	A		
Accedente.	CXXX.	Bened XIII.	699
Acriter diſcuſſo.	LII.	Clemens X.	319
Ad augendam.	IV.	Urbanus VIII.	27
	VIII.	Urbanus VIII.	29
	V.	Alexand. VII.	180
	XV.	Alexand. VII.	191
	XI.	Clemens IX.	234
	XII.	Clemens IX.	235
	XIV.	Clemens IX.	236
	XV.	Clemens IX.	236
	XXXII.	Clemens X.	305
	XXXIV.	Clemens X.	306
	LIII.	Clemens X.	320
	XXII.	Innocen. XI.	366
	XVI.	Clemens XI.	448
	XXVII.	Clemens XI.	464
	LVI.	Clemens XI.	498
	LXVII.	Clemens XI.	509
	XI.	Innocen. XIII.	529
	XIII.	Innocen. XIII.	530
	XXIII.	Bened. XIII.	559
	LXIV	Bened. XIII.	600
	CXXVI.	Bened. XIII.	694
	II.	Clemens XII.	712
	III.	Clemens XII.	713
	XV.	Clemens XII.	731
Ad deferendam.	CXXII.	Bened. XIII.	691
Ad dilectum.	CI.	Bened. XIII.	659
Ad ea per quæ.	XVII.	Clemens X.	272
	VII.	Innocent. XI.	342
	XLI.	Bened. XIII.	575
	XVIII.	Clemens XII.	732
Ad ea quæ pro felici	XV.	Gregor. XV.	20
Ad ea quæ Regulariū.	XVIII.	Innocent. X.	163
Ad enixas preces.	XXV.	Clemens XI.	463
	L.	Clemens XI.	494
Ad humillimas.	LXXII.	Clemens XI.	515
	LXXXIV.	Bened. XIII.	646
	CXVIII.	Bened. XIII.	687
Admiſſa a ſacra.	II	Innocen. XIII.	522
Ad aſtoralis.	XLI.	Alexand VII.	210
	XIX.	Innocent. XII.	412
Ad pias.	XXIII.	Clemens XI.	462
	XCVI.	Bened. XIII.	656
	CXXV.	Bened XIII.	694
Ad Propagandam.	I.	Alexand VII.	178
Ad Summi Dei.	CVI.	Bened XIII.	668
Ad ſupplices.	LXI.	Clemens XI.	503

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
	VIII.	Innocen. XIII.	527
Ad uberes fructus.	XXXVII.	Urbanus VIII.	61
Aeternæ ſapientiæ.	III.	Innocen XIII.	523
Alias a felicis.	XV.	Urbanus VIII.	33
	XXI.	Urbanus VIII	46
Alias a Nobis.	XXXVI.	Urbanus VIII.	59
Alias cum inter.	XX.	Innocent. XI.	364
Alias cum Nobis.	CXVII.	Urbanus VIII.	132
Alias felicis.	XIV.	Gregor. XV.	20
	LVII.	Urbanus VIII.	79
	LXXIX.	Urbanus VIII.	99
	IX.	Clemens X	267
	XXXI.	Innocent. XI.	374
	III.	Innocent XII.	397
	V.	Clemens XI.	439
	XLIII.	Bened. XIII.	577
	LXXXVIII.	Bened. XIII.	648
Alias Nobis:	XXXV.	Urbanus VIII.	58
Alias Nos.	LII.	Alexand. VII.	222
	XLI.	Clemens IX.	249
	XLV.	Bened. XIII.	578
Alias per Nos.	LXXVI.	Urbanus VIII.	97
Alias poſtquam.	XXX.	Innocent. XI.	372
	VIII.	Clemens XI.	442
Alias pro parte:	LXI.	Urbanus VIII.	83
	XCIII.	Urbanus VIII.	113
	XXII.	Alexand. VII.	195
	XXIV.	Alexand. VII.	197
	XXXII.	Alexand. VII.	203
	XXVII.	Clemens X.	301
	I.	Alexand VIII.	389
	XIII.	Clemens XI.	445
	LIV.	Clemens XI.	496
Alias propoſitis.	VI.	Clemens IX.	231
Alias Sanctæ.	XCII.	Bened. XIII.	652
Alias ſicut.	XXVI.	Bened. XIII.	562
Animi curas.	XCIII.	Bened. XIII.	652
Apoſtolatus.	XXIII.	Innocent. X.	173
	LX.	Clemens X.	329
	LXXVIII.	Bened XIII.	614
Apoſtolicæ.	XLVI.	Clemens X.	315
	C.	Bened. XIII.	658
Apoſtolicæ libertati.	XI.	Clemens XI.	444
Apoſtolicę providentiæ.	XXIII.	Clemens XII.	738
Apoſtolici muneris.	XIX.	Urbanus VIII.	40
Approbata.	LI.	Clemens X.	328
Archiepiſcopus.	XIII.	Alexand. VII.	188

Bea-

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag
	B		
Beatiſſime.	XXXI.	Bened. XIII.	567
	C		
Chriſti fidelium.	XI.	Innocent. XII.	404
Ci è ſtato.	CXII.	Bened. XIII.	677
Ciò è ſtato.	CXXIX.	Bened. XIII.	696
Cæleſtis pater familias.	XXI.	Clemens X.	281
Cæleſtis patris.	IV.	Gregor. XV.	4
Cæleſtium munerum.	CXIV.	Urbanus VIII.	132
	X.	Innocent. X.	155
	III.	Alexand. VII.	179
	XVI.	Clemens IX.	237
	XVIII.	Clemens X.	272
	XXI.	Innocent. XI.	365
	I.	Clemens XII.	712
Cæli, terræque.	XX.	Clemens X.	274
Commiſſæ Nobis.	XXXVI.	Clemens IX.	246
Commiſſi Nobis.	XXXIX.	Alexand VII.	209
	LV.	Clemens X.	321
	III.	Alexand. VIII.	390
Confecto coram.	XXXVI.	Alexand. VII.	207
Conſidere omnino.	X.	Clemens XI.	443
Confirmata.	XVI.	Innocent. XII.	411
Conſervationi.	LXXXI.	Urbanus VIII.	101
	CV.	Urbanus VIII.	124
	CVI.	Urbanus VIII.	125
	CVII.	Urbanus VIII.	125
	XXXII.	Innocent. XI.	431
Conſiderantes.	LXXXIII.	Urbanus VIII.	102
	IV.	Innocent. XII.	398
	IX.	Innocent. XII.	402
Conſilia veſtra.	XCIV.	Bened. XIII.	653
Contentiones.	CV.	Bened. XIII.	662
Coram Sanctiſſimo.	LIII.	Bened. XIII.	587
	LXXIII.	Bened. XIII.	611
Creditæ Nobis.	XXX.	Alexand. VII.	202
	LIII.	Alexand. VII.	223
	I.	Clemens IX.	227
	XXXIX.	Clemens IX.	248
Creditum humilitati.	XVIII.	Urbanus VIII.	39
Creſcente in dies.	XII.	Clemens X.	269
Cum ad amplificandam.	III.	Clemens XI.	438
Cum ad inſtantiam.	LVII.	Clemens XI.	498
Cum alias.	XIV.	Clemens X.	270
	XXXIII.	Clemens XI.	470
Cum alias felicis.	II.	Gregor. XV.	3
	XV.	Clemens XI.	447
	LXVI.	Clemens XI.	508
Cum alias per Sedem.	LXXVIII.	Urbanus VIII.	98
Cum dudum.	IV.	Innocent. XI.	337
Cum e noſtra.	XXX.	Bened. XIII.	567
Cum ex diſpenſatione.	LVIII.	Clemens XI.	499
Cum ex parte.	LXXXVII.	Bened. XIII.	648
Cum in ſacra.	LXXXIX.	Bened. XIII.	649
Cum inter Chriſti.	CVIII.	Urbanus VIII.	125
Cum inter venerabilem.	XIX.	Innocent. XI.	363
Cum Nos alias.	XI.	Innocent. XI.	353
	XXV.	Innocent. XII.	419
Cum Nos alios.	XXVIII.	Innocent. XII.	421
Cum Nos nuper.	XXIV.	Clemens X.	298
	XLIII.	Clemens XI.	489
	XXXIII.	Bened. XIII.	568
	XXXVII.	Bened. XIII.	572
	LXXII.	Bened. XIII.	610
	XCVII.	Bened. XIII.	656
	XX.	Clemens XII.	734
Cum nuper.	XXI.	Clemens IX.	240
Cum Officium.	XLII.	Clemens X.	312
Cum Pater.	XI.	Gregor. XV.	14
Cum per obitum.	XIV.	Innocent. X.	158
Cum per poſtulatorem.	XXXVI.	Clemens X.	307
Cum primum.	CIV.	Bened. XIII.	660
Cum referente.	XXXV.	Alexand. VII.	207
Cum Sacræ Congregationi.	LXIII.	Bened. XIII.	600
Cum Sacræ Rituum.	I.	Innocent. XII.	396
Cum ſacra Rituum.	a XXIV.	Clemens IX.	242
	ad XXXIV.		244
	XLVIII.	Clemens X.	317
	LIV.	Clemens X.	320
Cum ſacrorum.	XVIII.	Innocent. XII.	411
	XXIV.	Clemens XI.	463
	LII.	Clemens XI.	495
Cum Sanctiſſimus.	XXIII.	Clemens IX.	241
	LVII.	Clemens X.	324
Cum ſicut accepimus.	VII.	Gregor. XV.	8
	III.	Urbanus VIII.	26
	V.	Urbanus VIII.	27
	VI.	Urbanus VIII.	27
	VII.	Urbanus VIII.	28
	IX.	Urbanus VIII.	29
	XXVII.	Urbanus VIII.	51
	XXVIII.	Urbanus VIII.	53
	XXXI.	Urbanus VIII.	55
	XXXII.	Urbanus VIII.	56
	XLI.	Urbanus VIII.	64
	XLII.	Urbanus VIII.	65
	XLV.	Urbanus VIII.	68
	LVI.	Urbanus VIII.	77
	LXIII.	Urbanus VIII.	84
	LXXXV.	Urbanus VIII.	104
	XCVII.	Urbanus VIII.	115
	XCIX.	Urbanus VIII.	117
	CXII.	Urbanus VIII.	129
	I.	Innocent. X.	144
	VIII.	Innocent. X.	153
	XVI.	Innocent. X.	161
	XVII.	Innocent. X.	161
	XX.	Innocent. X.	165
	IV.	Alexand. VII.	180
	X.	Alexand. VII,	185
	XVII.	Alexand. VII.	192
	XXVI.	Alexand. VII.	199
	XXVIII.	Alexand. VII.	201
	LI.	Alexand. VII.	222
	L.	Clemens IX.	258
	LI.	Clemens IX.	258
	XII.	Innocent. XI.	355
	XXIII.	Innocent. XI.	366
	XXXIII.	Innocent. XI.	375
	XXXVII.	Innocent. XI.	381
	II.	Alexand. VIII.	390

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
	VII.	Alexand.VIII.	394
	V.	Innocent. XII.	399
	XXII.	Innocent. XII.	417
	XXIII.	Innocent. XII.	417
	XII.	Clemens XI.	445
	XIX.	Clemens XI.	450
	XXXVII.	Clemens XI.	476
	LXIX.	Clemens XI.	511
	LXXV.	Clemens XI.	517
	I.	Innocen. XIII.	522
	XIV.	Bened XIII.	548
	XIX.	Bened. XIII.	553
	XLII.	Bened. XIII.	576
	XLIV.	Bened. XIII.	577
	LXXVII.	Bened. XIII.	613
	XVI.	Clemens XII.	731
	XVII.	Clemens XII.	732
	XIX.	Clemens XII.	733
Cum ſicut dilecti.	LI.	Urbanus VIII.	73
	LVIII.	Urbanus VIII.	81
	II.	Innocent. X.	146
	VI.	Alexand VII.	181
	XX.	Alexand. VII.	194
	VIII.	Innocent. XII.	402
	XXXVI.	Bened. XIII.	572
	XXXIX.	Bened. XIII.	574
Cum ſicut dilectus.	XXII.	Urbanus VIII.	47
	LXII.	Urbanus VIII.	84
	LXIX.	Urbanus VIII.	88
	CIX.	Urbanus VIII.	127
	CXVIII.	Urbanus VIII	134
	II.	Alexand. VII.	179
	XXI.	Alexand. VII.	195
	XXXVI.	Innocent. XI.	381
	XIV.	Innocent. XII.	410
	II.	Clemens XI.	437
	XVII.	Clemens XI.	448
Cum ſicut Nobis.	XXXIX.	Urbanus VIII.	63
	XIX.	Innocent. X.	164
	XVIII.	Clemens XI.	449
Cum ſicut non ſine.	XXV.	Bened. XIII	561
Cum ſicut nuper.	CXV.	Urbanus VIII.	131
Cum ſicut pro parte.	LV.	Urbanus VIII.	77
	L.	Clemens X.	318
	XXVI.	Clemens XI.	463
	VI.	Innocen. XIII.	526
	XXIII.	Bened. XIII.	692
Cum ſub die.	LX.	Bened. XIII	597
Cupientes pro noſtro.	XLIX.	Urbanus VIII.	72
	XCIV.	Urbanus VIII.	113
Cuſtodes ſuper.	XLVIII.	Bened. XIII.	581

D

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Debitum Paſtoralis.	LXXXVI.	Urbanus VIII.	104
Decet Romanum.	LXX.	Urbanus VIII.	89
Demiſſas preces.	X.	Bened. XIII.	545
De Paſtoralis.	I.	Gregor. XV.	1
De ſalute gregis.	I.	Urbanus VIII.	25
Deſiderando.	CXIII.	Bened. XIII.	680
Die decima.	XIV.	Innocen. XIII.	530
Die Martis.	XII.	Clemens XII.	728
Dilectus filius.	XXXV.	Clemens XI.	474
Diſcuſſa diligenter.	VIII.	Gregor. XV.	8
Diſcuſſo nunc demum.	II.	Clemens IX.	229
Domini noſtri.	XC.	Urbanus VIII.	109
	XCII.	Urbanus VIII.	112
Dudum ad præclaram.	VII.	Bened. XIII.	540
Dudum emanarunt.	XXXI.	Clemens XII.	746
Dudum felicis.	XII.	Urbanus VIII.	31
	LXXI.	Urbanus VIII.	92
	XV.	Innocent. XI.	359
	I.	Clemens XI.	437
Dudum procul.	XXXVI.	Clemens XI.	475
Dudum pro ſpirituali.	XLIX.	Bened. XIII.	584
Dum nuper.	XIX.	Clemens X.	273

E

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
EAqua par erat.	XXX.	Clemens X.	304
Eccleſiæ Catholicæ.	XLVII.	Alexand. VII.	217
Egerunt apud Nos.	VI.	Clemens XI.	440
Emanarunt alias.	I.	Bened. XIII.	534
Emanarunt a Nobis.	CIV.	Urbanus VIII.	123
Emanarunt non ita pridem	CI.	Urbanus VIII.	119
Emanavit nuper.	XXVII.	Innocent. XI.	368
Enixis reverendiſſimi.	IX.	Innocen. XIII.	528
Etſi compertum.	CII.	Bened. XIII.	659
Etſi novo.	CVIII.	Bened XIII.	672
Ex binis maieſtatis.	XXXVIII.	Clemens XI.	476
Ex commiſſæ.	XLI.	Clemens X.	312
Ex debito paſtoralis.	LXIV.	Urbanus VIII.	85
Exhibita in Congregatione.	XXXI.	Clemens X.	304
Exhibita Nobis.	LXXX.	Urbanus VIII.	100
Ex his quæ a Catholico.	XXXII.	Innocent. XI.	375
Exigit injunctæ.	XIII.	Innocent. XII.	409
Ex illa die.	LIX.	Clemens XI.	499
Eximiæ fraternitatis.	XXIX.	Innocent. XI.	371
Eximiæ virtutis.	LXXI.	Clemens XI.	513
Eximii atque ſingulares.	X.	Gregor. XV.	13
Ex incumbenti.	CX.	Urbanus VIII.	128
	VIII.	Alexand. VII.	182
	IV.	Alexand.VIII.	392
	XXVIII.	Clemens XI.	465
Ex injunctæ Nobis.	XXII.	Clemens XI.	461
Ex injuncti Nobis.	X.	Urbanus VIII.	29
Ex injuncto.	V.	Innocent. X.	148
	XLVIII.	Alexand. VII.	218
	XLV.	Clemens IX.	255
	XLVI.	Clemens IX.	256
	XXVI.	Clemens X.	300
	XLIII.	Clemens X.	313
	II.	Innocent. XI.	335
	VI.	Alexand VIII.	393
	XXI.	Innocent. XII.	415
	XXVII.	Innocent. XII.	420
	XXXII.	Clemens XI.	469
	LXXIV.	Clemens XI.	516
	LXIX.	Bened. XIII.	608
Ex parte dilectorum.	XXI.	Clemens XI.	460
Ex parte Prioris.	XXXII.	Bened. XIII.	567
Exponi Nobis.	XVI.	Gregor. XV.	22
	XXIV.	Urbanus VIII.	48
	XXX.	Urbanus VIII.	54

Ex-

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
	XXXIV.	Urbanus VIII.	57
	L.	Urbanus VIII.	72
	LX.	Urbanus VIII.	82
	LXXIII.	Urbanus VIII.	94
	LXXV.	Urbanus VIII.	95
	LXXVII.	Urbanus VIII.	98
	LXXXII.	Urbanus VIII.	101
	LXXXIV.	Urbanus VIII.	103
	LXXXIX.	Urbanus VIII.	108
	XCV.	Urbanus VIII.	114
	XCVIII.	Urbanus VIII.	116
	CXI.	Urbanus VIII.	128
	CXIV.	Urbanus VIII.	130
	III.	Innocent. X.	146
	VI.	Innocent. X.	152
	XII.	Innocent. X.	156
	XIII.	Innocent. X.	157
	VII.	Alexand. VII.	181
	XXV.	Alexand. VII.	198
	XXVII.	Alexand. VII.	200
	XLV.	Alexand VII.	215
	XLVI.	Alexand. VII.	216
	X.	Clemens IX.	234
	XLIII.	Clemens IX.	253
	a XXXVII.	Clemens X.	307
	ad XL.		310
	VI.	Innocent. XI.	341
	VIII.	Innocent. XI.	342
	X	Innocent. XI.	351
	XIII.	Innocent. XI.	357
	XXVI.	Innocent. XI.	367
	XXVIII.	Innocent. XI.	369
	XXXV.	Innocent. XI.	378
	II.	Innocent. XII.	396
	VI.	Innocent. XII.	400
	XXIV.	Innocent. XII.	418
	XXVI.	Innocent. XII.	420
	XXIX.	Innocent. XII.	422
	XXX.	Innocent. XII.	423
	XXXIII.	Innocent. XII.	432
	XXXIV.	Innocent. XII.	433
	XXX.	Clemens XI.	466
	XLVIII.	Clemens XI.	492
	XLIX.	Clemens XI.	493
	LXII.	Clemens XI.	503
	LXVIII.	Clemens XI.	510
	V.	Innocen. XIII.	524
	XII.	Innocen. XIII.	529
	IV.	Bened. XIII.	537
	VI.	Bened. XIII.	539
	XIII.	Bened. XIII.	547
	XXVIII.	Bened. XIII.	565
	XXXIV.	Bened. XIII.	569
	XLVII.	Bened. XIII.	580
	LXVI.	Bened. XIII.	601
	LXXV.	Bened. XIII.	612
	LXXVI.	Bened. XIII.	612
	LXXXVI.	Bened. XIII.	647
	CXIX.	Bened XIII.	687
	CXXIV	Bened. XIII.	692
	CXXVII.	Bened. XIII.	694
	CXXVIII.	Bened. XIII.	696
	CXXXI.	Bened. XIII.	699
	CXXXIII.	Bened XIII.	701
	IV.	Clemens XII.	713

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
	VI.	Clemens XII.	716
	XI.	Clemens XII.	725
	XXIV.	Clemens XII.	739
	XXVI.	Clemens XII.	740
	XXIX.	Clemens XII.	743
	XXX.	Clemens XII.	745
Exponi nuper.	CXX.	Bened. XIII.	689
F			
Facta relatione.	XXXI.	Clemens XI.	468
Felici ſacrarum.	XLII.	Alexand. VII.	212
Felicis recordationis.	XIII.	Clemens X.	269
Fidem indubiam.	XII.	Gregor. XV.	16
Fratres Venetæ.	XXXVII.	Alexand. VII.	207
G			
Godendo.	CX.	Bened. XIII.	673
H			
Hærebat animo.	CXXI.	Bened. XIII.	691
I			
Illius vices.	II.	Urbanus VIII.	25
In Apoſtolicæ.	XXII.	Bened. XIII.	557
	XIV.	Clemens XII.	729
In cauſa.	LXV.	Clemens XI.	508
In Congregatione.	XLV.	Clemens X.	315
	XX.	Clemens XI.	450
	XXXIV.	Clemens XI.	471
In excelſa.	XLIV.	Clemens IX.	254
	LIV.	Bened. XIII.	588
In excelſo.	XXXVII.	Clemens IX.	246
In his Apoſtolici.	LXXXVII.	Urbanus VIII.	107
	CXIII.	Urbanus VIII.	130
	CXIX.	Urbanus VIII.	135
	CXX.	Urbanus VIII.	136
	CXXI.	Urbanus VIII.	137
In illis Apoſtolici.	XIX.	Alexand. VII.	193
	XXIX.	Alexand. VII.	201
Injunctæ Nobis.	V.	Bened XIII	539
	XXI.	Clemens XII.	734
	XXVIII	Clemens XII.	742
Injuncti Nobis.	XXXVIII.	Urbanus VIII.	62
	XL.	Urbanus VIII.	64
	XVIII.	Clemens IX.	238
	XXXV.	Clemens IX.	245
	V.	Innocent. XI.	340
Injunctum Nobis.	LXXIV.	Urbanus VIII.	95
In omnium.	LXVII.	Bened. XIII.	602
In plenitudinem.	XVI.	Urbanus VIII.	36
Inſcrutabili.	XIII.	Gregor. XV.	17
	XVIII.	Innocent. XI.	360
	LXX.	Clemens XI.	511
In fin da quando.	LXIII.	Clemens XI.	504
Inſtaurandæ.	XXI.	Innocent. X.	166
In ſupereminenti.	LIII.	Urbanus VIII.	75
	IX.	Innocent. X.	154

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
In ſuprema.	XXV.	Urbanus VIII.	49
In ſupremo.	XVII.	Gregor. XV.	22
	XVII.	Urbanus VIII.	38
	XX.	Urbanus VIII.	41
	IV.	Innocent. X.	147
	XXXVIII.	Alexand. VII.	208
	L.	Alexand. VII.	220
	III.	Innocent. XI.	336
	XXXIX.	Clemens XI.	477
	XXI.	Bened. XIII.	556
	LIX.	Bened. XIII.	596
Inter cetera.	XV.	Innocent. X.	159
	LX.	Clemens XI.	502
Inter graviſſimas.	XCVIII.	Bened. XIII.	657
Inter multiplices.	XL.	Clemens XI.	478
Iterum delato.	III.	Clemens IX.	230
Iterum in ſacra.	XVII.	Bened. XIII.	552
L			
Licet Sacra.	XLVI.	Bened. XIII.	579
Literas veſtras.	XXIII.	Alexand VII.	196
Literis in forma.	XC.	Bened. XIII.	650
M			
Magiſter.	CVII.	Bened. XIII.	670
Maxima Vigilantia.	LXXXI.	Bened. XIII.	636
Militantis Eccleſiæ.	XVI.	Alexand. VII.	191
	XLIII.	Alexand. VII.	214
	III.	Clemens X.	264
	IV.	Clemens X.	265
	X.	Innocent. X.	403
N			
Nihil eſt orbi.	XIV.	Clemens XI.	446
Non minus enixe.	IV.	Innocen. XIII.	524
Noſtro quidem.	XX.	Bened. XIII.	554
Novæ dignitatis.	XCIX.	Bened XIII.	658
Nullum quidem.	XVIII.	Bened. XIII.	553
Nuper a Congregatione.	XCI.	Urbanus VIII.	110
	XXXI.	Innocent. XII.	424
	XL.	Bened. XIII.	575
	LXXXV.	Bened. XIII.	646
Nuper ad ſupplicationem.	VII.	Clemens XI.	441
	LV.	Clemens XI.	497
Nuper a nobis.	XLIV.	Urbanus VIII.	67
	CII.	Urbanus VIII.	120
Nuper cum nobis.	C.	Urbanus VIII.	118
Nuper emanarunt.	IV.	Clemens IX.	230
Nuper in cauſa.	XXIX.	Clemens X.	303
Nuper pro parte.	LXVIII.	Urbanus VIII.	88
	LXXII.	Urbanus VIII.	94
	LXXXVIII.	Urbanus VIII.	107
	VII.	Innocent. X.	153
	I.	Clemens X.	261
	XXVIII.	Clemens X.	302
	IX.	Innocent. XI.	344
	XIV.	Innocent. XI.	358
	XXXIV.	Innocent. XI.	376

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
	XLII.	Clemens XI.	488
	LXIV.	Clemens XI.	506
O			
Obſequentiſſimæ.	LXVIII.	Bened. XIII.	606
Occurrente.	XVII.	Innocent. XII.	411
Officium.	XLIX.	Clemens IX.	257
Omnium ſaluti.	LXV.	Urbanus VIII.	87
	LXVI.	Urbanus VIII.	87
	LXVII.	Urbanus VIII.	87
Oneroſa.	CIII.	Urbanus VIII.	122
Opportunam.	IV.	Clemens XI.	439
Orthodoxorum.	XXII.	Clemens IX.	241
P			
Paſtoralis officii.	XXIII.	Urbanus VIII.	48
	XVI.	Innocent. XI.	359
	XXXV.	Bened. XIII.	569
Paſtoralis Sollicitudinis.	XXXIII.	Urbanus VIII.	56
Piis Dilectorum.	XVIII.	Alexand. VII.	193
Piis & enixis.	XLIV.	Alexand. VII.	215
Pluribus officiis.	CXXXII.	Bened. XIII.	700
Poſt binos.	XVI.	Clemens X.	271
Poſt indultam.	XXII.	Clemens X.	297
Poſtquam a Sanctæ.	XIII.	Clemens XII.	729
Poſtquam in Congregatione.	LV.	Bened. XIII.	590
Poſtulat humilitati.	XV.	Bened. XIII.	548
Præclare ſemper.	LXXIII.	Clemens XI.	515
Pretioſus.	LXXIX.	Bened. XIII.	615
Pro commiſſo.	XI.	Alexand. VII.	185
Propoſita in ſacra.	V.	Gregor. XV.	6
Propoſito ab eminentiſſimo.	XV.	Innocent. XII.	410
Propoſito in Congregatione.	XLIX.	Alexand. VII.	220
Propoſito in ſacra.	VIII.	Clemens X.	267
Propoſito per Eminentiſſimum.	XLV.	Clemens XI.	491
Pro tuis.	CIII.	Bened. XIII.	659
Q			
Quæ ad Provinciam.	LVII.	Bened. XIII.	593
Quæ a Romanis.	X.	Clemens X.	268
Quæ de ſingulari.	LI.	Clemens XI.	494
Quam gerimus.	CXIV.	Bened. XIII.	683
Quam imbelles.	XX.	Clemens IX.	240
Quam libenter.	III.	Bened. XIII.	536
Quam Nobis olim.	XI.	Bened. XIII.	546
Quanquam ſingulare.	IX.	Bened. XIII.	545
Quanquam virtutis.	XXVII.	Bened. XIII.	564
Quamvis decretis.	XL.	Clemens IX.	249
Quanta Eccleſiæ.	LVIII.	Bened. XIII.	594
Quod a patre luminum.	XXIX.	Bened. XIII.	566
Quod Apoſtolicæ.	LVI.	Bened. XIII.	591
Quod Beneventanam.	CXXVI.	Bened. XIII.	686
Quod curis noſtris.	VIII.	Bened XIII	544
Quod exoptatæ.	CIX.	Bened. XIII.	673

Quod

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Quod inter primos.	II.	Bened. XIII.	536
Quod prævia virtutum.	XLI.	Clemens XI.	487

R

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Raguſinus.	XI.	Urbanus VIII.	30
Redditis Sanctiſſimo.	XII.	Innocent. XII.	409
Redemptoris.	XVII.	Clemens IX.	237
	XXIII.	Clemens X.	297
	XLVI.	Clemens XI.	491
	LXXIV.	Bened. XIII.	611
Regimini militantis.	LIV.	Urbanus VIII.	75
Regimini univerſalis.	XCV.	Bened. XIII.	654
Relatis ab Eminentiſſimo.	LIII.	Clemens XI.	496
Religionis zelus.	III.	Gregor. XV.	4
	XXXVIII.	Clemens IX.	247
	XLII.	Clemens IX.	250
	I.	Innocent. XI.	334
	VII.	Innocen. XIII.	526
	XCI.	Bened. XIII.	651
	XXV.	Clemens XII.	739
Religioſos viros.	LII.	Urbanus VIII.	73
Remiſſis a Sanctiſſimo.	LVI.	Clemens X.	323
Remiſſo per Sanctiſſimum.	VI.	Clemens IX.	231
Romanum Pontificem.	VII.	Clemens XII.	716
Romanus Pontifex.	IX.	Gregor. XV.	8
	XIII.	Urbanus VIII.	31
	XCVI.	Urbanus VIII.	114
	XXIV.	Bened. XIII.	559
	V.	Clemens XII.	714
	VIII.	Clemens XII.	720
	X.	Clemens XII.	723

S

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
SacraCongregatio.	IX.	Clemens XII.	723
Sacra Rituum.	XXXIV.	Alexand. VII.	207
	XIII.	Clemens IX.	235
	XLVII.	Clemens IX.	257
	XXIV.	Innocent. XI.	367
Sacrarum literarum.	VI.	Clemens X.	266
Sacrorum Rituum.	V.	Alexand VIII.	393
	X.	Innocen. XIII.	529
Sacroſancti.	XII.	Alexand. VII.	187
	XIV.	Alexand. VII.	189
	XXXIII.	Alexand. VII.	205
	XI.	Clemens X.	268
	XXV.	Clemens X.	298
	LVIII.	Clemens X.	324
	VII.	Innocent. XII.	401
Sacroſanctum.	XIV.	Urbanus VIII.	33
	XXIX.	Urbanus VIII.	54
Sanctæ matris.	IX.	Clemens IX.	233
Sanctiſſimus.	XL.	Alexand. VII.	209
	VIII.	Clemens IX.	232
	XIX.	Clemens IX.	239
	XLVIII.	Clemens IX.	257
	V.	Clemens X.	265
	VII.	Clemens X.	266
	XV.	Clemens X.	270
	XXXIII.	Clemens X.	305
	XLVII.	Clemens X.	316
	XLIX.	Clemens X.	317
	XXV.	Innocent. XI.	367
	XX.	Innocent. XII.	414
	XXXVIII.	Bened XIII.	573
	L.	Bened. XIII.	585
	LI.	Bened. XIII.	586
	LII.	Bened. XIII.	586
	LXI.	Bened. XIII.	598
	LXII.	Bened. XIII	599
	LXXI.	Bened. XIII.	610
	LXXX.	Bened. XIII.	635
	LXXXII.	Bened. XIII.	643
	LXXXIII.	Bened. XIII.	645
	CXV.	Bened. XIII.	686
	CXVII.	Bened. XIII.	687
Sanctorum Martyrum.	LIX.	Clemens X.	327
Secreto æternæ.	IX.	Alexand. VII.	183
Sedente Sanctæ.	VII.	Clemens IX.	232
Spirituali.	XXVII.	Clemens XII.	741
Sua Nobis dilectus.	XVIII.	Innocent. XI.	362
Summo cum animi.	XLIV.	Clemens XI.	490
Super Cathedram.	XLIV.	Clemens X.	314
Superna magni.	II.	Clemens X.	262
Supplicante.	XXXI.	Alexand. VII.	203
Supraſcriptas.	XVI.	Bened. XIII.	552

T

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Tam ad tuæ.	CXI.	Bened. XIII.	677
Tuo nomine.	LIX.	Urbanus VIII.	81
Tuus iſte.	LXV.	Bened. XIII.	601

V

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Ubi ad univerſalis.	IX.	Clemens XI.	443
Ubi majeſtas tua.	XXIX.	Clemens XI.	465
Verbo Dei.	XXII.	Clemens XII.	736
Unigenitus.	XXXV.	Clemens X.	307
Ut dilecti.	LXX.	Bened. XIII.	609
Ut ea quæ pro felici.	XLVIII.	Urbanus VIII.	70
Ut ea quæ pro Religioſorum.	VI.	Gregor. XV.	7
	XLIII.	Urbanus VIII.	66
	XLVI.	Urbanus VIII.	68
	XLVII.	Urbanus VIII.	69
Ut Fratres expreſſe.	XI.	Innocent. X.	156
Ut in parvis.	XXII.	Innocent. X.	168
Ut magis.	XLVII.	Clemens XI.	592
Ut tam tu qui alias.	XXVI.	Urbanus VIII.	50

Z

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Zelus fovendæ.	XII.	Bened. XIII.	547

MENDA

Pagina.	Conſtitutio.	Linea.	Errata.	Corrige.
25	I.	29	recitaverinta,ut	recitaverint,aut
146	III.	6	interpetum	interpretum
286	XXI.	17	ſuaviſſimnm	ſuaviſſimum
533		15	Maternanus	Materanus
711		16	Epiſcopus......	Epiſcopus Caſtro-Mauritan., Vicarius Apoſtolicus Provinciæ Fochien. in Imperio Sinenſi.
742	XXVIII.	39	nuncuptarum	nuncupatarum

Nota quod pagina 59 ſignatur litera G 2, legendum H 2.

1021634

Digitized by Google

Digitized by Google